C. 584
5.C.2.

VETERUM SCRIPTORUM ET MONUMENTORUM HISTORICORUM, DOGMATICORUM, MORALIUM, AMPLISSIMA COLLECTIO.

TOMUS V.

COMPLECTENS PLURES SCRIPTORES HISTORICOS DE REBUS PRÆSERTIM GALLICIS, ANGLICIS, ITALICIS, CONSTANTINOPOLITANIS ET TERRÆ-SANCTÆ.

Prodit nunc primùm ſtudio & opera Domni EDMUNDI MARTENE, *& Domni* URSINI DURAND, *Presbyterorum & Monachorum Benedictinorum è Congregatione S. Mauri.*

Salle
B 25

PARISIIS,
Apud MONTALANT, ad Ripam PP. Auguſtinianorum, prope Pontem S. Michaëlis.

MDCCXXIX.
CUM PRIVILEGIO REGIS ET SUPERIORUM PERMISSU.

INDEX CONTENTORUM
IN HOC TOMO V.

LAMBERTI Parvi Leodienſis S. Jacobi monachi chronicon a Reinero ejuſdem cœnobii aſceta continuatum, Pag. 1

Chronicon Cornelii Zanfliet *S. Jacobi Leodienſis monachi ab anno* MCCXXX. *ad* MCCCCLXI. 67

Breve chronicon Bremenſe, 504

Ekkehardi abbatis Uraugienſis libellus de expeditione Jeroſolymitana, 507

Epiſtola Jeroſolymitanorum, 535

Brevis narratio belli ſacri, 536

Verſus de viris illuſtribus diœceſis Tarvanenſis qui in ſacra expeditione fuere, 539

Lamentum lacrymabile ſuper his qui in expeditione Jeroſolymitana diverſis mortibus juſto quidem, ſed occulto & inſcrutabili Dei judicio interierunt, 540

Chronicon Terræ-ſanctæ auctore Radulfo Coggeshale ordinis Ciſtercienſis abbate, 544

Guillelmi archiepiſcopi Tyrienſis continuata belli ſacri hiſtoria, ab antiquo auctore Gallico idiomate ante annos CCCC. *conſcripta*, 582

Gloſſarium vocum Gallicarum, 752

De excidio urbis Aconenſis Libri II. 758

Tractatus de expugnatione urbis Conſtantinopolis, 786

Chronicon Anglicanum ab anno MLXVI. *ad* MCC. *auctore Radulfo Coggeshale abbate*, 802

Libellus de motibus Anglicanis ſub Johanne rege, auctore Radulfo Coggeshale abbate, 871

Annales veteres Francorum, 884

Chronicon Turonenſe, auctore anonymo canonico S. Martini Turonenſis, 918

Brevis hiſtoria S. Juliani Turonenſis, 1072

Hiſtoria monaſterii S. Florentii Salmurienſis, 1082

Breve chronicon monaſterii S. Florentii Salmurienſis, 1140

Fragmenta chronicorum comitum Pictaviæ & ducum Aquitaniæ, 1148

Chronicon Richardi Pictavenſis Cluniacenſis monachi ab anno DCCLIV. *ad annum* MCLIII. 1160

Franciſci Carpeſani flaminis Parmenſis commentaria ſuorum temporum Libris X. comprehenſa, ab anno MCCCCLXX. *ad* MDXXVI. 1175.

Proſperi Sanctacrucii de civilibus Galliæ diſſenſionibus Commentariorum Libri III. 1427

Epiſtola A. patriarchæ, Johannis regis, &c. ad Honorium papam III. 1479

Epiſtola Honorii papæ III. ad univerſos fideles, 1480

LAMBERTI PARVI

LEODIENSIS S. JACOBI MONASTERII MONACHI

CHRONICON

A REINERO EJUSDEM COENOBII ASCETA CONTINUATUM.

Ex ipso, ut videtur, autographo.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

POST restitutum suæ integritati Anselmi sive Alexandri canonici S. Lamberti opus de episcopis Leodiensibus; post Andaginensis monasterii scriptam ab auctore gravi & accurato historiam; post vitam S. Friderici episcopi, Ruperti & aliorum S. Laurentii monachorum lucubrationes varias, ad illustrandam rerum Leodiensium historiam, proposueramus consequenter subjicere reperta in insignis monasterii S. Jacobi bibliotheca vetera monumenta nonnulla; sed ne jam satis amplum volumen immensam in molem excresceret, ea sequentem in tomum rejicere coacti fuimus. Quintum igitur hunc tomum incipiemus a tribus non contemnendis scriptoribus, Lamberto Parvo, Reinero, & Cornelio Zanfliet *ejusdem ecclesiæ monachis.*

Lambertus saculo XII. *florebat, scripsitque breve Chronicon ab anno Christi* 988. *ad* 1194. *quo vitam cum morte mutavit, ut testatur ejus continuator his verbis:* Hoc anno 1194. moritur Lambertus Parvus ecclesiæ nostræ sacerdos & monachus. Et hucusque opus ejus. *Nec plura de eo.*

Chronicon ejus continuavit ad annum 1230. *ejusdem cœnobii asceta Reinerus apud suos celebris. Is anno* 1155. *natus, matrem habuit Juditham nomine, feminam piissimam, quæ spretis mundi illecebris, humilem elegit vitam, facta apud S. Jacobum conversa. Viginti cum esset annorum, sæculo renuntiavit, nomenque Christo sub S. Benedicti institutis dedit eodem in monasterio, ubi & solemnem emisit professionem anno* 1175. *quo etiam subdiaconus ordinatus est. Quatuor post annis Coloniæ a Philippo archiepiscopo diaconatus gradum assecutus, elapso biennio Leodii in propria S. Jacobi ecclesia a Radulfo Leodiensi antistite sacerdotio decoratus est. Ineunte anno* 1184. *Romam profectus, inde reversus est mense Aprili, nec multo post in festo sancti Bartholomæi secundo Romam iter suscepit. Cum vero annum Christi* 1186. *attigisset, Herimannus abbas S. Jacobi*

accedens ad Urbem comitem habuit Reinerum hujus chronici ſcriptorem, qui cum in rebus gerendis ſemper & ubique egregiam navaret operam, anno 1197. *die Maii decimo nono, quo S. Pudentianæ celebris eſt in divinis officiis memoria, fratrum omnium calculis monaſterii ſui prior electus, præpoſituras etiam de Wota & de* Paſſerige *poſtmodum adeptus eſt. Denique cum ſummus pontifex Innocentius III. concilium Lateranenſe anno* 1215. *indixiſſet, quartam etiam profectionem Romam ſuſcepit Reinerus, qui tandem vitam ad annum ſaltem* 1230. *produxit, quo ſuum abſolvit chronicon.*

Longe prolixius opus, longeque majoris pretii edidit Cornelius Zanfliet, *ejuſdem S. Jacobi Leodienſis aſceta,* fideliſſimus ac diligentiſſimus ſcriptor, *ut eum non ſemel vocat Johannes Chapea-villa, quippe qui ingens Chronicon ab initio mundi exorſus ad annum Chriſti* 1461. *protraxit. Quanti autem illud faceret, declarat præſertim cum illius locum de Johanne a Bavaria Leodienſi antiſtite verbotenus referens,* inter eos, *inquit,* qui ſcripſerunt de Geſtis Johannis a Bavaria, nullus VERIUS PLENIUSQUE ſcripſit Cornelio *Zanfliet,* cujus ſcripta idcirco nos hoc loco adſcripturos polliciti ſumus, ut ex eis, ſepoſitis affectibus, quibus fere in alicrum ſcripta aliquid tribuitur, hiſtoriæ NUDA VERITAS cognoſci poſſit.

Integrum ejus Chronicon, quod ex probatiſſimis auctoribus defloravit, hic edere non judicavimus operæ pretium, ne jam multoties ab aliis tradita recuderemus: at ea quæ ætatem ejus propius attingunt, quæ ſingularia pleraque facta, nec alibi facile pervia continent, prætermittere nobis eſſet piaculum. Itaque ab anno 1230. *in quem deſinit Renerus, Zanflieti dabimus lucubrationem, non paucas continentem epiſtolas, ex quibus hiſtoriæ veritas clarius eluceſcit.*

Quod vero ſpectat ad S. Jacobi monaſterium, inſignis eſt in civitate Leod. abbatia anno 1014. *vel ſaltem* 1016. *a Baldrico epiſcopo fundata, religione & ſacrarum litterarum ſtudio præſtantiſſima, ut probat ingens manuſcriptorum codicum in omni diſciplinarum genere, & omnis ætatis ſuppellex, quæ hactenus ibidem ſervatur. Quantum viguerit in ea regulæ obſervatio, quanta inter monachos ſanctitatis fama, colliges ex multis quos ad regenda varia monaſteria dedit, abbatibus. Nam Florinenſi dedit omnino quinque, Colonienſi S. Heriberti ſive Tuitienſi duos, Leodienſi S. Laurentii duos, Sigebergenſi unum, Cunonem ſcilicet qui poſtea Ratiſponenſis fuit epiſcopus, Andaginenſi S. Huberti unum, Lobienſi unum, Criſpinienſi unum, ut taceam Oliverum d'*Hozemon *qui fuit abbas Vallis S. Lamberti ordinis Ciſtercienſis. Id vero non parum confert ad S. Jacobi gloriam quod quatuor conceſſerit monachos ad reſtaurandam in inclyto S. Matthiæ Trevirenſis monaſterio diſciplinam, quæ ſic profecit ut poſtmodum celeberrimæ congregationi Burſfeldenſi locum dederit. Circa idem tempus Philippus Burgundiæ & Brabantiæ dux binos e S. Jacobi cœnobio monachos mitti Gemblacum rogavit, qui ſuam vivendi normam in illud inveherent monaſterium, a quo Olbertum primum olim abbatem acceperant. Idem in Stabulenſi vivendi genus introducere tentavit Henricus Mevodanus abbas, qui monaſticæ religionis inſtitutis in Jacobino monaſterio informatus fuerat, qui idcirco Cornelium Zanflietum e S. Jacobi cœnobio ſibi datum Stabulenſibus ſuis creavit decanum, ſive ut hodie appellant priorem. Denique adeo feliciter ubique cedebat inducta a monachis S. Jacobi collapſæ diſciplinæ reparatio, ut Ultrajectenſis S. Pauli abbas Leodium veniens precibus vehementer apud abbatem S. Jacobi inſtiterit, ut binos e ſuis Ultrajectum mitteret, qui rem aſceticam reſtituerent.*

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCCLXXXVIII. Karolus frater Lotharii regis Laudunum ingreditur.

Anno DCCCCXCI. Karolus dux obiit, Otto filius ejus ſuccedit.

Anno DCCCCXCVI. mortuo Hugone, Robertus filius ejus ſuccedit.

Anno M. terræ motus factus eſt permaximus.

Anno MII. Otto imperator obiit, Henricus Pius ſuccedit.

Anno MVI. rex Henricus obſidet Valentiam * fames valida apparente comete diu.

* Valentianas.

Anno MVIII. Notgerus epiſcopus obiit, felicis memoriæ: BALDRICUS ſuccedit.

MIX. Eclipſis ſolis facta eſt circa horam diei ſecundam.

MXII. Henricus rex Paſcha celebrat Leodii.

MXIII. Bellum in Huardis VI. idus Octobris. Circa meridiem XIV. cal. Decembris terræ motus factus eſt magnus eodem anno.

MXV. II. idus Septembris bellum in *Florines* inter Godefridum ducem & Theodericum comitem, in quo Lambertus periit, & homines plus minuſve cccc. occiſi.

MXVI. divæ memoriæ BALDRICUS epiſcopus Leodienſis, cœnobium S. Jacobi in inſula Leodii VII. cal. Maii inchoat, cujus etiam cryptam in honore S. Andreæ apoſtoli VIII. idus Septembris dedicat.

MXVIII. Bellum in Freſonia inter Gozelonem ducem & Theodericum comitem. Obiit BALDRICUS epiſcopus piæ recordationis, ſepultus in crypta S. Andreæ apoſtoli, apud cœnobium S. Jacobi fratris Domini, in inſula Leodii. Volbodo ſuccedit.

MXXI. obiit Wolbodo epiſcopus, ſuccedit Durandus epiſcopus.

MXXII. Eccleſia Gemblacenſis dedicatur.

MXXIII. Eclipſis ſolis hora nona verno tempore.

MXXIV. Henricus imperator obiit, Cunradus ſuccedit.

MXXV. Obiit Durandus, Rainardus ſuccedit.

MXXVI. Rainardus epiſcopus cœnobium S. Laurentii in Monte-publico fecit.

MXXVIII. Heinricus puer filius Cunradi imperatoris in regem ſublimatur Aquis.

MXXIX. Cunradus imperator contra Sclavos proficiſcitur.

MXXX. Eccleſia S. Jacobi fratris Domini a Rainardo Leodienſi epiſcopo in inſula Leodii conſecratur. VIII. cal. Auguſti. Cunradus contra Hungaros vadit.

MXXXI. Obiit Robertus rex Francorum, ſuccedit Heinricus filius ejus.

MXXXIV. Conſecratur cœnobium S. Laurentii.

MXXXVI. Heinricus rex ducit filiam regis Anglorum.

* Bar. MXXXVII. Bellum apud * Barum inter A Gotzelonem ducem & Odonem comitem.

MXXXVIII. Obiit Reginardus epiſcopus, Nithardus ſuccedit.

MXXXIX. Obiit Cunradus imperator, ſuccedit Heinricus filius ejus.

MXL. Rex Heinricus contra Odolricum ducem Bohemiæ pergit, ſed inefficax rediit.

MXLI. Rex Heinricus Odolricum ducem Boëmiæ ſubjugat.

MXLII. Rex Heinricus contra Hungaros vadit.

Obiit Nitardus, ſuccedit Wazo epiſcopus.

MXLIII. Rex Heinricus Obdonem de B bello fugavit cum paucis, & lanceam inſigne regis recepit, Petrum vero quem Obdo expulerat regno Hungarorum reſtituit.

MXLIV. Gozelo dux obiit; Godefridus paterno jure privatus; filius ejus rebellat. Fames valida. Benedictus papa CXLII. Hic cum papatiam ſuam emiſſet, Heinricus imperator perrexit Romam, & pro eo Clementem papam conſtituit; quia ex ore ſancti Petri emptor & venditor gratiæ ſpiritualis cum Simone mago ſunt anathematizati.

MXLV. Godefridus cuſtodiæ mancipatur.

MXLVI. Heinricus rex fit imperator, & C ab eo duo papæ deponuntur. Godefridus cum Balduino rebellat.

MXLVII. Nix in occidente tanta cecidit, ut ſilvas frangeret. Godefridus Neomagii palatium incendit, Virdunum capit & incendit.

MXLVIII. Poppo qui & Damaſus papa CXLIV. Obiit Wazo epiſcopus, ſuccedit Dieduinus. Obiit etiam Olbertus primus abbas S. Jacobi in Leodio, ſuccedit Albertus.

MXLIX. Rex Heinricus contra Balduinum proficiſcitur: Balduinus ſatisfacit imperatori Aquis. D

MLI. Balduinus cum filio rebellat, invaſo monte Caſtri-loco.

MLII. Leo papa obiit CXLV. iſte eſt qui cantum S. Gregorii compoſuit.

MLIII. Balduinus junior Tudinium incendit; major vero Balduinus cum minore Hoium vaſtant & incendunt utrinque.

MLIV. Imperator Henricus Balduinum totis viribus populatur, Tornacum incendit.

MLV. Victor papa CXLVI. Herimannus Colonienſis archiepiſcopus obiit, Anno ſucceſſit. Imperator Heinricus obiit tertio nonas Octobris, & ſepultus in Spira, ubi & E pater ejus. Heinricus filius ſuperioris Heinrici ſuccedit.

MLVI. Adventus reliquiarum S. Jacobi apoſtoli fratris S. Johannis Evangeliſtæ & Bartholomæi apoſtoli a Compoſtella vico Galiciæ, quas nobiliſſimus rex Garſea miſit Dieduino epiſcopo, per Robertum monachum, poſtea abbatem ejuſdem eccleſiæ S. Jacobi. Hæ cum tanto honore & totius populi jocunditate miraculiſque coruſcantibus

ad eccleſiam apoſtoli deportatæ ſunt, ut majorum noſtrorum ætas lætiorem diem prius nec poſtea meminerit ſe vidiſſe.

Obiit imperator Heinricus, ſuccedit filius ejus Heinricus hujus nominis IV.

MLVIII. Stephanus papa CXLVII.

MLIX. Nicolaus papa CXLVIII.

MLXVI. Obiit Albertus abbas II. Stephanus ſuccedit III. Cometes apparuit quæ bellum Angliæ portendebat, quam Guillelmus Normannorum comes, ipſa cum rege ſuo Hero graviſſima cæde mulctata, vi militari corripuit, regnumque victor obtinuit.

MLXX. Obiit dux Godefridus, ſuccedit alter Godefridus filius ejus.

MLXXIII. Saxones rebellant.

MLXXIV. Gregorius papa, qui & Hildebrandus ordinatur. Rex Heinricus contra Saxones vadit.

MLXXV. Rex Heinricus, iterata expeditione, Saxones premit, & eorum principes in deditionem accepit.

MLXXVI. Obiit Dieduinus epiſcopus Leodienſis; ſuccedit Heinricus. Item obiit Stephanus abbas III. eccleſiæ S. Jacobi in Leodio; ſuccedit Robertus. Godefridus dux & decus Galliæ a ſicario perimitur. Godefridus filius ſororis ejus marchio ſubrogatur.

MLXXVII. Saxones iterum rebellant, creato ſibi tyranno Rodulpho, duce Burgundionum.

MLXXX. Rex Heinricus Paſcha celebrat Leodii; renovata expeditione, Saxones aggreditur, & in congreſſu Rodulphus tyrannus occiditur. Heinricus rex contra Saxones vadit.

MLXXXI. Rex Heinricus vadit, Hildebrandum debellaturus. Terræ motus VI. cal. Aprilis.

MLXXXII. Herimannus in Saxonia tyrannidem arripit. Rex H. Romam Leoninam obſidet.

MLXXXIII. Rex H. Romam Leoninam capit, Romam antiquam oppugnat.

MLXXXIV. Rex H. urbe recipitur. Hildebrandus expellitur, Wibertus qui & Clemens papa ſufficitur, & ab eo rex Heinricus in imperatorem benedicitur.

MLXXXV. Saxones cum imperatore Heinrico pacem faciunt & iterum rebellant.

MLXXXVI. Imperator H. contra Saxones vadit, ſed dolo ſuorum inefficax rediit.

MLXXXVII. Cunradus puer filius imperatoris Heinrici Aquis ſublimatur in regem, marchio Godefridus in ducem; Bertha imperatrix obiit. S. Nicolaus epiſcopus de Mirrea civitate in Varim Apuliæ transfertur.

MLXXXVIII. Saxones cum imperatore Heinrico pacem faciunt. Heinricus imperator cum magno honore Paſcha celebrat Aquis. Ekhebertus marchio iterum rebellat. Herimannus tyrannus in quodam caſtro lapidibus obruitur.

MLXXXIX. Inundatio maxima aquarum uſque ad valvas eccleſiæ. Heinricus imperator uxorem duxit filiam regis Ruthenorum. Peſtilentia terribilis ardentium.

MXCII. Kal. Auguſti veſpertina hora diei ſtella clara & velut trabes magna ab oriente in occidentem viſa eſt tranſcurriſſe per Aquilonem.

MXCV. Obiit Robertus abbas eccleſiæ S. Jacobi in Leodio quartus, ſuccedit Stephanus vir magnæ ſcientiæ & ſummæ honeſtatis, qui cantum beati Benedicti & S. Jacobi apoſtoli fratris beati Johannis Evangeliſtæ aliaque præclara mirifice compoſuit.

MXCVI. Innumerabilis Chriſtianorum populus per totum orbem zelo fidei excitatus, Jeroſolymam vadit, inimicos Chriſti debellaturus.

MXCVIII. IV. cal. Julii, Antiochia capitur a Chriſtianis.

MXCIX. Idus Julii VI. feria hora diei nona, a Chriſtianis capitur Jeruſalem.

MC. In Reſurrectione Dominica, poſt multa prælia diverſarum gentium, dux noſter Godefridus cum omnium principum electione, & totius populi victoris proclamatione, Jeroſolymorum ſumit principatum. Poſt cujus deceſſum Balduinus frater ejus de principatu Armeniæ acceſſit ad regnum, ſumſitque regium diadema de manu patriarchæ Jeroſolymorum. Urbanus & Clemens qui de papatu contendebant, vita decedunt. Succedit Paſchalis.

MCV. Heinricus rex patrem violenter regnum abjurare cogit in Coena Dñi. Heinricus rex a patris militibus victus, circa pontem Vizatii, amiſſis ſuorum plurimis, refugit. Heinricus imperator a filio rebus imperii privatus, ab epiſcopo Oberto & civibus Leodienſis urbis rebus neceſſariis ſuſtentatur. Heinricus rex cum ad obſidionem Leodienſis civitatis veniret, defuncto patre, totum regnum obtinuit.

MCVII. Infra dies Natalis Domini dux comedit fraga Lovanii, quidam ſabas eodem termino, ſed recentes ſicut in Junio.

MCVIII. Inter cives Leodienſes & clericos profractis domibus orta ſeditio eſt.

MCXI. Heinricus rex Romam profectus apoſtolico Paſchali a ſe diffidenti reconciliatur, & abjurata ſimonia ab eo, in imperatorem benedicitur, patrique ejus uſque ad id temporis inſepulto, ſepultura conceditur.

MCXII. Obiit Stephanus abbas V. ſuccedit Olbertus.

MCXVII. In monaſterio S. Lamberti Leodii bis fulgur cecidit, & militem unum treſque clericos peremit; præterea aquarum frequens inundatio cum vi ventorum domus pleraſque ſubſtravit, & habitatores earum extinxit, rerumque facies mutata, plures homines perterruit.

MCXVIII. Obiit Paſchalis papa, Calixtus * Gelaſius

ſuccedit. Rex Jeroſolymorum Balduinus frater ducis Godefridi, multis prælliis contra inimicos Crucis Chriſti ſtrenue peractis, viam ingreditur univerſæ carnis. Obiit Obertus epiſcopus Leodienſis, ſuccedit Fredericus.

MCXIX. Johannes qui & Gelaſius papa obiit, ſuccedit Wido qui & Calixtus. Synodus Remenſis ccc. & eo amplius epiſcoporum & abbatum plurimorum, ubi venerabilis Leodienſis epiſcopus Fredericus ſumma gratia ab ipſo papa Calixto conſecratus eſt. Fredericus Leodienſis epiſcopus cum fratre ſuo comite Namurcenſi parvaque militum manu ducem Lovanienſem cum comitibus magnoque exercitu epiſcopium ſuum cæde incendio & rapinis devaſtantem, circa Hoienſe caſtrum devicit, & capto ex parte ejus comite Lamberto, & aliis quampluribus, turpiter eum fugere compulit, nec multo poſt caſtrum, & eos qui intus rebellabant in deditione accepit.

MCXXI. Fredericus Leodienſis epiſcopus multas & intolerabiles perſecutiones, pro ſimoniacæ hæreſeos damnatione & catholicæ fidei defenſione, ab eccleſiæ perſecutoribus, & maxime duce Lovanienſi Godefrido paſſus, quinto cal. Junii migravit ad Chriſtum; ejuſque meritum multis & inauditis miraculis ubique terrarum declaratur. Succedit Alexander epiſcopus.

MCXXIV. Obiit Calixtus papa. Succedit Honorius.

MCXXV. Obiit Henricus imperator. Succedit dux Saxonicus Lotharius, vir ſtrenuus & præcipuus eccleſiæ Dei cultor, juſtitiæque & pacis amicus, electus in regem a cunctis pene regni primoribus, Moguntiæ in feſto S. Bartholomæi, conſecratus & unctus eſt a Frederico Colonienſium archiepiſcopo in eccleſia S. Mariæ Aquiſgrani, in exaltatione S. Crucis.

MCXXIX. Bellum inter Alexandrum epiſcopum & ducem Lovanienſem, pro caſtro de Durace; in quo vexillum ducis captum eſt, quod faſtu ſuperbiæ & præcepto illius quadriga boum ferebat, & ambientes illud, qui omnes decollati ſunt, & omnia caſtra ejus fugata ſunt.

MCXXX. Obiit Honorius. Succedit Innocentius.

MCXXXIV. Obiit Olbertus VI. ſancti Jacobi abbas. Stephanus ſucceſſit.

MCXXXV. Obiit Alexander epiſcopus Leodienſis. Succedit Adalbero.

MCXXXVII. Obiit Lotharius imperator. Succedit Cunradus, unctus in regem Aquiſgrani a cardinali Romano Tieguino, volente & jubente domno papa Innocentio.

*Id eſt, obiit. Rex Francorum Lodowicus * occiditur.

MCXXXVIII. Obiit Stephanus abbas VII. eccleſiæ S. Jacobi. Succedit Elbertus octavus; IV. nonas Auguſti facta eſt eclipſis ſolis horribiliter circa meridiem, apparente luna contra orbem ſolis, micantibus ſtellis præ multitudine tenebrarum, hominibuſque nimio terrore concuſſis.

MCXLI. Bellum Ballonicum, ubi glorioſus martyr Lambertus eſt delatus, & prodigia digna memoriæ operatus eſt.

MCXLIV. Obiit Innocentius papa. Succedit Celeſtinus. Obiit Celeſtinus papa; ſuccedit Lucius. Obiit Lucius; ſuccedit Eugenius, qui & Bernardus.

Obiit Adelbero Leodienſis epiſcopus. Succedit Heinricus.

MCXLVI. Fames inaudita, modio ſiliginis XX. ſpeltæ decem ſolidis vix ſe redimentibus. Prædicatur, populus crucizatur, viſa & ſigna mendacii creduntur, paſſim pruritur auribus. Ex libris Sibillinis ad votum interpretatis, regi Franciæ ituro Jeroſolymam magnifica falſo * promuntur.

*al. promittuntur.

MCXLVII. VII. cal. Novembris ſolis deliquium in Dominica, a tertia pene hora uſque in plenam ſextam, erubeſcente ſole videre tantum ſanguinem Chriſtianorum qui fundendus erat.

MCXLVIII. Reſpublica paſſa quod pudeat faſtos. *Lætare Jeruſalem* concilium Remis, præſidente apoſtolico Eugenio, qui & Bernardus. Cal. Maii imperator Cunradus & rex Franciæ moventur, & per Conſtantinopolim in Perſidam delabuntur, & circa Auguſtum a ducibus noſtris contra Vindelicos male pugnatum.

MCXLIX. Imperator Cunradus & rex Franciæ a Jeroſolymis inefficaces revertuntur.

MCL. Elbertus abbas VIII. S. Jacobi privatus * dimittit abbatiam. Succedit Stephanus nonus. Hiems aſperrima.

*Additur recentiori manu *lumine*.

MCLI. Tempus aſperrimum & pluviale, fames valida, meſſis tarda, mors in homines, tarda vindemia, muſtum vix Lucæ Evangeliſtæ.

MCLII. Obiit Cunradus imperator: Fredericus ſuccedit filius fratris ejus Frederici.

MCLIII. Rex Jeroſolymorum Balduinus junior, circa Natale Domini Aſcalonem obſidet, & poſt multas ſtrages paganorum, murus civitatis crebro impulſus partim corruit; * CXX. fere milites, irruptione facta, multos Sarracenorum occidunt; ſed ipſi noviſſime occiduntur. Poſtea rex indigenas expulit, facta deditione, & Chriſtianos collocavit illic.

*al. centum.

MCLIV. Obiit Eugenius papa, ſuccedit Anaſtaſius: obiit Anaſtaſius, ſuccedit Adrianus.

MCLV. Rex Fredericus, parata expeditione, Romam proficiſcitur, & a papa Adriano libentiſſime excipitur, a quo etiam in imperatorem benedicitur Marci & Marcelliani. Romanis autem quaſi quædam

legitima tributa pro conſecratione ipſius requirentibus omnino denegat. Illi bellum inferunt, ſed occurrentibus Lotharingis militibus, plurimi truncati, quidam in Tiberim demerſi ſunt. Bellum Andennæ inter Henricum epiſcopum & Heinricum comitem Namucenſem, in quo comes victus ceſſit; epiſcopus autem cum multa præda victor cum ſuis rediit in Purificatione ſanctæ Mariæ. Nonus abbas S. Jacobi domnus Stephanus deponit abbatiam; ſuccedit Drogo ex Florinenſi ad abbatiam ſancti Jacobi. Hoc anno natus eſt præſentium ſcriptor.*

* Renerus ſcilicet *additum recentiori manu.*

MCLVIII. Imperator Fredericus uxorem ducit *Wezchore*, cum materna gloria & frequentia optimatum, filiam ducis Burgundionum, in octavis Pentecoſtes, quam archiepiſcopus Trevirenſis in imperatricem benedixerat ſabbato ante octavas.

MCLIX. Obiit Adrianus papa. Victor & Alexander de papatu contendunt. Imperator Fredericus Mediolanum obſidet. Ulterioris Trajecti cives in epiſcopum ſuum conſurgunt, ſed poſtmodum pacantur.

MCLX. Apud Moguntiam cives in epiſcopum ſuum graves perſecutiones conferunt, donec eo ventum eſt, ut in eccleſia beati Jacobi de quibuſdam negotiis reſponſuri convenirent, & inopinate armis & incendio eum aggrediuntur, & truncatis manibus cum capite, dolende eum peremerunt in die S. Johannis Baptiſtæ.

MCLXII. Fredericus imperator poſt frequentes & inſignes victorias, Mediolanenſibus fame ad deditionem compulſis, civitatem calendis Martii capit, concremat ac diruit, indigenas, rebus cum vita conceſſis, per totam Italiam diſpergit, & ipſe felici potitur triumphó. Sub eodem anno concilium habitum eſt apud Beſuntium inter imperatorem & regem Franciæ de duorum apoſtolicorum controverſia, ſed nihil actum eſt. Corpora trium regum Magorum qui Chriſtum natum ſtella ducente in Bethleem adoraverunt, a Reinoldo Colonienſium archiepiſcopo de Mediolano Coloniam Agrippinam tranſlata ſunt.

MCLXIV. Obiit Henricus epiſcopus Leodienſis. Succedit Alexander.

MCLXVII. Fredericus imperator, reparato grandi exercitu, tertia expeditione Italiam ingreditur, Romanos debellaturus. Archiepiſcopi Moguntinus & Colonienſis primo impetu magnam eorum multitudinem proſternunt; ſed deinde gravi aëris peſtilentia tam imperatoris quam hoſtium vexatur exercitus. Multi principes imperii moriuntur, inter quos Colonienſis archiepiſcopus Reinoldus, & Alexander Leodienſis epiſcopus. Succedit Reinoldo Philippus, & Alexandro Rodulphus.

MCLXIX. Henricus filius Frederici imperatoris, puer,, Aquiſgrani ſublimatur in regem. Tota Siciliæ inſula terræ motu concremuit; quo terræ motu civitas Cathanenſium famoſiſſima funditus corruit, & corpus S. Agathæ martyris alias tranſmigravit.

MCLXXIII. Obiit abbas Drogo x. eccleſiæ S. Jacobi in Leodio, vir ſummæ honeſtatis, qui in diebus ſuis decoravit eccleſiam ſuam omnibus ornamentis, in moribus eccleſiaſtici ordinis & ſubſtantia rerum temporalium. Ipſe ſublimavit in altitudine turrim templi, cooperuitque laminis plumbeis; cooperuit etiam ipſum monaſterium lapidibus, & ædificavit altare S. Johannis Baptiſtæ, & altare S. Mariæ in turri, fecitque parietem de ſculptis & politis lapidibus, & decurſionem Moſæ per hortum pomæ, & multa alia. Huic ſucceſſit Hugo xi.

MCLXXIV. Inundatio aquarum maxima, pluvia jugis a feſtivitate ſancti Johannis Baptiſtæ uſque cal. Junii, ſeges tarda, muſtum vix Simonis & Judæ.

MCLXXV. Hoc anno factus eſt Reinerus ſubdiaconus & monachus. Imperator Fredericus cum imperatrice Beatrice uxore ſua, & Heinrico puero rege, paſcha celebrat Aquiſgrani cum magna gloria. Alia manu ſed antiqua.

MCLXXVIII. Sereniſſimus imperator Fredericus ad reformandam unitatem ſanctæ eccleſiæ papæ Alexandro pacificatur.

MCLXXIX. Hoc anno factus eſt Reinerus diaconus, Coloniæ a Philippo archiepiſcopo. Johannes Lombardus ad convocandum generale concilium in urbe Roma mittitur ab Alexandro papa. Johannes in eccleſia B. Jacobi hoſpitatur. Alia manu ſed antiqua.

MCLXXX. Concilium generale agitur in urbe Roma, præſidente Alexandro papa cum epiſcopis ex toto orbe DCCCC. & eo amplius, exceptis abbatibus, decanis & præpoſitis eccleſiarum. Terræ motus cal. Auguſti. Bellum inter comitem *de Los* & epiſcopum Leodienſem.

MCLXXXI. Hoc anno ordinatus eſt Reinerus ſacerdos in eccleſia ſancti Jacobi, a Rodulpho epiſcopo Leodienſi, ſabbato infra Pentecoſten. Alia manu ſed antiqua.

MCLXXXII. Obiit Alexander papa. Lucius ſuccedit.

MCLXXXIII. Lucius papa exiit a Roma & habitavit Anagniæ, propter quaſdam exigentias, quas Romani exigebant de papatu; & propter Tuſculanum caſtrum. Fulmarus & Rodulphus de archiepiſcopatu Trevirenſi contendunt. Fulmarus facta appellatione, pergit ad Lucium papam.

MCLXXXIV. Bellum civium cum militibus de Dono-Martini. Obiit Lucius papa, ſuccedit archiepiſcopus Mediolanenſis dictus Urbanus. Imperator Fredericus veniens in Italiam a Papia urbe uſque Mediolanum deducitur cum magna gloria & exultatione Italicorum. Hoc anno primo Romam ivi, & in Aprili redii, & iterum anno eodem in Alia manu ſed antiqua.

festo S. Bartholomæi iterum Romam ivi, & in festo S. Severini redii.

MCLXXXV. Hugo deponit abbatiam, Herimannus succedit XII. abbas ecclesiæ beati Jacobi in Leodio. Leodiensis ecclesia major beati Lamberti & ecclesia sancti Petri apostoli comburuntur sine detrimento ecclesiæ S. Mariæ Virginis, quæ posita est secus ecclesiam sancti Lamberti. Corpus sancti Lamberti translatum est ad ecclesiam S. Bartholomæi apostoli in suburbio Leodiensi. Hoienses corpus S. Domitiani ob reverentiam sancti Lamberti martyris sumunt, & Leodium navigio afferunt; quod Leodienses clerici vel monachi albati a Monte-publico suscipientes cum maxima devotione, per portam sancti Martini cum crucibus & vexillis & multorum sanctorum reliquiis in occursum corpori S. Lamberti deferunt; unde revertentes, in ecclesia beatæ Mariæ utraque deponunt. Rodulphus episcopus festivitatem S. Domitiani jussit celebrari.

Alia manu sed antiqua. Rodulphus Brunwillanus monachus a quibusdam electus fuit, & in ecclesia nostra aliquanto tempore mansit, & episcopo Rodulfo contradicente & quibusdam fratribus cessit. Quo destituto & amoto, Herimannus successit.

Alia manu sed antiqua. MCLXXXXVI. Hoc anno tertio Romam ivi cum domino Herimanno post octavas Pentecostes mense Junii, & redii in festo S. Remigii.

MCLXXXVII. Obiit Urbanus papa; succedit Gregorius. Eclipsis solis facta est. Salardinus quidam princeps Turcorum, congregato magno exercitu Turcorum, iniit bellum adversus Guidonem regem Jerosolymorum, & judicio Dei vicit, & crucem Dominicam violenter de manibus Christianorum ereptam, in terram Turcorum transtulit; inde ad Tholomaidam, quæ dicitur Acra, veniens, cepit, omnesque inhabitantes in ea in ore gladii percutiens, ad custodiendam civitatem Turcos illic reliquit. Postea Joppen, & omnes portus maritimos, & castra campestria aut incendit aut destruxit. Cunctos autem habitatores aut occidit vel in deditionem accepit. His igitur patratis, contra Jerusalem exercitum direxit, quam circumquaque obsidens, Jerosolymitas ad deditionem compulit, Christianisque expulsis, Turcos in ea dereliquit, anno octogesimo nono ex quo dux Godefridus ex ea Turcos expulerat. Ad extremum Ascalon cepit. Solæ tres civitates remanserunt, Antiochia, Tyrus & Sidon.

MCLXXXVIII. Henricus venerabilis cardinalis S. R. E. missus a Gregorio papa, viam indicit omnibus Jerosolymorum in remissionem omnium peccatorum. Henricus suscipitur honorifice a clero & populo Leodiensi, & in capite jejunii quadragesimæ multi tam clerici quam laici ab eo crucizantur, A Imperator Fredericus *Lætare Jerusalem* cum Rodulpho Leodiensi episcopo & optimatibus totius imperii expugnaturus inimicos crucis Christi ab Henrico cardinali Romano cruce signatur. Rex etiam Franciæ & rex Angliæ cruce signantur. Obiit Gregorius papa, succedit Clemens. Obiit Herimannus abbas S. Jacobi Leodiensis XII. Succedit Gozuinus XIII.

MCLXXXIX. Tanta inundatio aquarum facta est mense Aprili in civitate Leodiensi, in ea parte quæ dicitur extra castrum, B ut multos submergeret, & mortuorum corpora diluvium aquæ de sepulchris erueret. Colonienses cum Leodiensibus a Colonia per Rhenum navibus descendentes, in Angliam cum Fresonibus & Dalmatianis & Flandrensibus, parata classe LV. navium, adierunt Britanniam, inde ad Hispanias navigaverunt per oceanum, & prælia multa commiserunt cum paganis. Postea transierunt ad Siciliam, ac demum transnavigaverunt mediterraneum mare usque ad portum Tholomaidis, quæ dicitur Acra, ibique cum incolis terræ, quos Turci de sedibus expulerant, facto vallo, C undique civitatem obsederunt. Fredericus imperator cum multitudine armatorum egreditur contra inimicos Christi in virtute magna, vicumque suum *Reinesborch* prohibentem transitum, vastat & destruit; inde per terram Bulgarorum & Hungarorum cum exercitu transit, omnia loca difficilia, quæ rex Constantinopolitanorum & rex Hungarorum infideliter contra imperatorem præoccupari fecerant, aperit virtute armorum, & noviſſime Philippopolim, primam Græciæ urbem ab habitatoribus derelictam, cum universo comitatu intravit.

MCXC. Imperator Fredericus post magnas strages Turcorum & insignes victorias D Iconiorum, obiit in Syria, & in ecclesia beati Petri apostolorum principis apud Antiochiam sepultus est. Henricus filius ejus succedit. Fredericus dux filius Frederici imperatoris, patre defuncto, transivit ad auxilium Christianorum, cum X millibus pugnatorum.

MCXCI. Rex Franciæ * Heinricus & rex Angliæ Richardus, parata expeditione militari, transierunt mare, & in auxilium Chri- Lege Philippus. E stianorum, & circa Ptolomaidem quæ Acona dicitur, applicuerunt; inde præparatis machinis & universo apparatu belli, Turcos, qui in ea erant ad deditionem compulerunt, hac scilicet interposita conditione, ut sanctam crucem redderent, & omnes captivos quos Salardinus habebat redderent, universamque substantiam quam habebant cum armis, arcubus & sagittis ex integro dimitterent. Cumque arma & sagittas dedissent, sed sanctam crucem & captivos Christianos reddere non possent, omnes gladio occisi sunt. Pauci tantummodo de nobilioribus in servitutem redacti sunt. Postquam ergo Ascalonitæ audierunt quod omnes Turci, qui

habitaverant Aconæ, gladio cecidiſſent, & quod a Salardino nullum haberent adjutorium, incenſis cunctis domibus, & ſublata omni ſubſtantia cum uxoribus & filiis, alias tranſmigravetunt, civitatem vacuam relinquentes. Similiter fecerunt qui habitabant Joppe, & Ceſareæ, civitates & oppida vacua relinquentes. Rex vero Angliæ Chriſtianos in eis collocavit, univerſaque deſtructa vel incenſa diligentiſſime reædificavi. Nam rex Franciæ, infirmitate cogente, in Franciam redierat. Obiit Clemens papa, ſuccedit Celeſtinus, ordinatus in die ſolemni paſchæ. Heinricus rex, filius Frederici imperatoris, benedicitur in imperatorem Romanorum, cum uxore ſua Conſtantia, ſecundo die paſchæ a Celeſtino papa. Eclipſis ſolis, inundatio aquarum Leodii extra caſtrum facta eſt. Obiit Philippus Colonienſis archiep. Succeſſit Bruno archiepiſcopus. Heinricus imperator a Tancredo tyranno Siciliæ ſine fructu victoriæ revertitur in Allemanniam. Obiit Rodulphus Leodienſis epiſcopus. In nativitate beatæ Mariæ Virginis tanta frequentia populorum cum ducibus & comitibus venit ad civitatem Leodienſem ad electionem epiſcopalem, ut cives urbis crederent ſe eſſe obſeſſos tanta multitudine. Siquidem dux Lovanienſis Heinricus collectis fautoribus, fratrem præponere volebat. Comes vero Hainonenſis omnino contradicens, ut appellationem ad regalem audientiam faceret, Albertum præpoſitum compulit. Exinde cum utræque partes cum electoribus ſuis præceptione regia Wormaciæ eſſent evocatæ, imperator viſis partibus & diſſenſione in electione, judicio curialium præpoſitum Bonnenſem Lotharium præfecit Leodienſi cathedræ. [Dominus vero Albertus facta appellatione, præſentiam ſuam per multa pericula exhibuit curiæ Romanæ.]

Parentheſi incluſa alia ſed antiqua manu.

MCXCII. XVII. cal. Aprilis, luna paſchalis viſa eſt prima, cum XIV. cal. Aprilis eſſet pronuntianda prima. Heinricus imperator infra octavas S. Lamberti juſſit deſtrui domos clericorum, & eorum qui repugnabant Lothario, quem præfecerat Leodienſibus. XI. cal Decembris luna exiſtente duodecima, facta eſt eclipſis lunæ ſeptima hora noctis. Albertus Leodienſis epiſcopus Remis conſecratus, frater ducis Lovanienſis ab hominibus quibuſdam fraude ſubmiſſis, crudeliter interficitur in ſuburbio Remenſi, & ſepelitur in eccleſia ſanctæ Mariæ Remis honorifice.

MCXCIII. Bruno Colonienſis archiepiſcopus archiepiſcopatum dimittit; Agilulfus nepos ſuccedit. Tertio cal. Septembris viſi ſunt tres ſoles in cœlo hora quaſi ſecunda, unus in oriente, alter ad *auſtrum, tertius in meridie. Lotharius abjudicato epiſcopatu Leodienſi, a Celeſtino papa a vinculo excommunicationis abſolvitur. Succedit Simon filius ducis Ardennæ, ſublimatus Aquiſgrani in feſto S. Brictii. Rex Angliæ Richardus rediens ab expugnatione Salardini capitur a duce Auſtraſiæ, & traditur Henrico imperatori, qui poſuit eum in cuſtodiam.

*f. Aquilonem.

* Dominus Albertus major præpoſitus, & dominus *de Cuc* archidiaconus, facta appellatione Aquiſgrani coram H. imperatore, Romam proficiſcuntur, & electionem domini Simonis & donum epiſcopatus per Celeſtinum papam caſſare faciunt, & circa Auguſtum revertuntur.

Quæ ſequuntur alia manu ſed antiqua ex quo conjecto opus Lamberti hic finire.

MCXCIV. Henricus Romanorum imperator accepta infinita ſumma pecuniæ & hominio ejus, Richardum regem Angliæ quem captivum tenebat, abſolutum permiſit abire. Hoc anno moritur Lambertus Parvus eccleſiæ noſtræ ſacerdos & monachus, & hucuſque opus ejus. Ab hinc REINERUS, ſimiliter hujus eccleſiæ ſacerdos & monachus. Eccleſia noſtra magnum damnum intus & exterius per Albericum monachum ſancti Nichaſii Remenſis patitur, qui per litteras ſummi pontificis & per violentiam domini Simonis & patris ſui ducis Ardennæ, abbatiam noſtram invaſit, & domnum Goſuinum abbatem, quia in partem domini Alberti Lovanienſis, qui Remis crudeliter occiſus fuit, non conſenſit, per annum integrum exulem eſſe fecit. Imperator H. ſecundo reparata expeditione in Apuliam & Siciliam revertitur, & ſubjugatis ſibi omnibus, regnum, quod ei ex parte Conſtantiæ uxoris ſuæ provenicbat, feliciter ſubjugavit & obtinuit; natuſque eſt ei filius, qui eſt Fredericus nominatus. Dominus Albertus major præpoſitus, & dominus Al. *de Cuc* archidiaconus a Roma ſunt reverſi, & collectis fautoribus ſuis, & maxime Balduino com. Hainon. electionem ſuam Namuci in eccleſia *S.* Albani celebraverunt, & dominum A. *de Cuc* archidiaconum in epiſcopum elegerunt, domino Sy. in eccleſia Leodienſi ſedente, & in electione ſua perſiſtente. Meſſis bona, vindemia optima.

Nota.

MCXCV. Balduinus comes Hainonenſis dominum Albertum *de Cuc* * per violentiam promovere volens, Hoium ingreditur, & a civibus oppidi ſine contradictione recipitur, caſtrum impugnat; ſed a parte domini Simonis viriliter reſiſtitur, nec ei aliquo modo ingreſſus conceditur. Milites vero eccleſiæ S. Lamberti, familiares & cives Leodienſes domino Simoni firmiter aſſiſtunt, nec ab eo min. vel precibus ſe recedere dicunt. Dux vero Lovanienſis H. filius amitæ domini Simonis, frater vero domini Alberti ſanctæ memoriæ epiſcopi, qui Remis crudeliter morti datus fuit, partem ſuam interpoſuit, & comitem Hainonenſem ab Hoio recedere fecit, hac conditione interpoſita, ut utraque pars curiam Romanam adiret, & partem

* l. Cuyck.

tem prout poſſet deffenderet, ſicque factum eſt.

Dominus Gozuinus abbas noſter in purificatione S. Mariæ in ſedem ſuam revertitur. Albericus vero ad curiam Romanam cum aliis proficiſcitur. Poſt multas allegationes utriuſque partis, dominus Symon cardinalis factus, Romæ moritur, & juvenis tantæ formæ, in cal. Auguſti, in eccleſia S. Johannis Lateranis honorifice ſepelitur. Moriunturque ex parte ipſius dominus Stephanus avunculus ſuus, Thomas archidiaconus, magiſter Gerardus S. Johannis decanus, Jordanus ſancti Dionyſii canonicus, & alii multi tam clerici quam laïci. De parte vero domini Alberti moriuntur Albertus major præpoſitus, Symon decanus, magiſter Adam, & alii multi tam clerici quam laïci. Ipſe vero infirmitate gravi & maxime quartanis detentus, ad imperatorem cum paucis pervenit, & ab eo donum epiſcopatus accepit, & conſecratus eſt Coloniæ a domino Aigulfo archiepiſcopo Dominica poſt Epiphaniam ſequentis anni. Dominus G. abbas noſter cum a Colonia reverteretur circa feſtum S. Thomæ, a filio & familia ducis Ardennæ capitur, & ad redemtionem coartatur & compellitur; tandem Evangelio tacto dimittitur. Hoc anno pluvia jugis a feſto S. Johannis uſque ad Natale Domini, & maxime tempore ſationis, ita ut in Natale Domini vix eſſet ſemente natum. Hoc anno terra nigra ad focuin faciendum optima per Haſbaniam in multis locis eſt inventa.

Una linea delenda. . . . . duodecim annis redimendam. Hoc anno modius ſiliginis circa Maium XVIII. ſolidis, modius ſpeltæ IX. modius hordei octo, meſſis pigra, vindemia tarda & periculoſa. Hoc anno tempeſtas graviſſima poſt feſtum ſancti Jacobi omnes fruges contrivit, numquam antea tam gravis, ſicut dicebatur ab his qui ſeniores erant, in diebus eorum apparuit; per multa enim loca diverſis temporibus iſtius anni curſum ſuum fecit, nec aliquis locus eſt hujus provinciæ, qui ab hac tempeſtate immunis extiterit. Apparet autem in feneſtra turris quantus dolor hujus tempeſtatis fuerit. Iterum cardinales a Cæleſtino papa mittuntur, & multi Theotonicorum, ſigno crucis accepto, per eos ad viam Jeroſolymitanam diriguntur. Obiit Amelius prior, ſucceſſit Franco.

MCXCVI. Annus iſte gravis & periculoſus, ſeges cara. Epiſcopus Albertus poſt multa pericula a Roma reverſus, Leodium venit in feſto S. Agnetis. Imperator Heinricus ex conſenſu principum imperio adjungit regnum Apuliæ & Siciliæ, ita quod heredibus ſuis imperium fiat hereditarium. Epiſcopus Albertus ordines facit ſolemnes in octavis Pentecoſtes, & generalem celebrat ſynodum. Pluvia jugis & periculoſa, pauperes maximam victus patiuntur penuriam, & maxime circa principium Auguſti. Corpus beati Lamberti propter imminentia pericula, & pluviarum inundationes, & timorem ſterilitatis & ægræ meſſis & parvæ, in vigilia S. Jacobi cum maxima devotione, non ſine multis lacrymis in montem Cornelii deportatur, ibique miſſa ſpecialis a clero & populo ſolemniter celebratur. In redeundo autem poſt tranſitum fratrum S. Jacobi, pons inſulæ frangitur, & ſine læſione cum feretro S. Pauli & S. Ægidii fere XL. tam homines quam feminæ ceciderunt, ſed per gratiam Dei omnes illæſi exierunt. Meſſis tarda circa feſtum S. Bartholomæi vix habuit principium, eodemque tempore modium ſiliginis XVIII. ſolidis vendiderunt, modium ſpeltæ VIII. ſolidis & dimidium. Obiit Henricus comes Namurcenſis. Epiſcopus Albertus & dux *de Lemburc* in concordiam redierunt. Item corpus S. Lamberti propter prædicta pericula in vigilia S. Bartholomæi ad eccleſiam ipſius apoſtoli cum debita reverentia deportatur, ibique ſpecialis miſſa celebratur. Reges Hiſpaniæ cum Sarracenis treugas accipiunt. Item epiſcopus in feſto S. Lamberti ordines & generalem ſynodum celebrat. Satio pulchra, muſtum vix habitum Lucæ evangeliſtæ: ſic permanſit tempus uſque ad finem Incarnationis, hoc eſt Natalis Domini. Hiems prolixa uſque Martium. Bellum graviſſimum inter regem Franciæ & regem Angliæ.

MCXCVII. Anni iſtius periculum vix audeo ſcribere, cum numquam ſimilem viderint qui vixerunt hoc tempore. Multitudo pauperum fame moritur. Cadavera animalium mortuorum indifferenter ab eis comeduntur, & fere ab univerſis propter imminentem neceſſitatem. Modius ſiliginis XVIII. ſolidis, modius ſpeltæ X. uſque ad feſtum S. Barnabæ venditur. Inſequenti autem die de modio ſiliginis XXXII. ſolidi accipiuntur, de modio ſpeltæ XVII. Procedente autem tempore cum meſſis adeſſe ſperaretur, malum increvit, & circa feſtum S. Jacobi modius ſiliginis XL. ſolidis venditur, modius ſpeltæ XX. ſolidis. Pauperes per plateas jacebant & moriebantur, & ante fores eccleſiæ noſtræ, cum matutinæ laudes canerentur, jacebant gementes & morientes, eleemoſynam quæ ſummo diluculo fiebat expectantes. Hoc anno in epiphania annona defuit nobis, & pluſquam C. marcas uſque ad Auguſtum in pane expendimus, nec vinum a medio Maio, niſi raro uſque ad novam vindemiam habuimus. Cerviſia autem toto anno defuit nobis. Panem vero ſiligineum XV. diebus ante Auguſtum comedimus, aquam autem in conventu indifferenter bibimus. Quid plura? Annus iſte poſt plurima pericula diſſentionis, quæ præceſſerant, graviſſimus fuit eccleſiæ noſtræ, qualem nec prius habuit, nec

amplius poſſit habere. Abbas noſter dominus Gozvinus, cum in tanto defectu poſſe ſuum videret deficere, abbatiam, præſente epiſcopo Alberto, in capitulo noſtro in die S. Marci evangeliſtæ ſponte reſignavit. Epiſcopus autem liberam optionem eligendi nobis, ſicut debuit, dedit; nos autem communi habito conſilio, in momento, in ictu oculi, ut ita dicam, dominum Gerardum abbatem ſancti Laurentii, virum juvenem, ſed induſtrium & providum, & in omnibus locis abbatiæ noſtræ amicis optimis, qui prius noſtra diripiebant, vallatum & munitum, elegimus; cui epiſcopus ſtatim in capitulo noſtro donum abbatiæ contulit, & fidelitatem ejus accipiens, in chorum nobiſcum *Te Deum* canentibus eum conduxit. Paucis autem tranſactis diebus, frater Reinerus præſentium dictator & ſcriptor, ab univerſo conventu in priorem eligitur in die S. Potentianæ. Bellum adhuc graviſſimum inter regem Franciæ & regem Angliæ, imperatore noſtro Heinrico & uxore ejus Conſtantia in Sicilia commorante. Imperator noſter peregrinis, duci Lovaniæ, & ceteris Jeruſalem tendentibus ſollicitus præparat tranſitum. Meſſis tarda, poſt meſſem vero modius ſiliginis VI. ſolidis venditur, modius ſpeltæ tribus & dimidio. Obiit Heinricus magnificus Romanorum imperator, vir juvenis quidem ætate, ſed ſummæ felicitatis & prudentiæ, qui in diebus ſuis regnum cum imperio tenuit Apuliæ & Siciliæ, quod ei provenerat ex parte uxoris ſuæ Conſtantiæ. Mortuus eſt autem in eadem regione Septembri menſe, & cum matre ſua remanſit parvulus filius ejus Fredericus, quem Apuli ſublimaverunt regali honore & dignitate. In feſto S. Lamberti corpus ipſius martyris de medio monaſterio, in quo ab incendio eccleſiæ jacuerat, cum maximo honore & plebis tripudio, in loco in quo nunc jacet honorifice relocatur. Eodem tempore comes *de Bar* maximum exercitum in terram Namucenſem adduxit, & maximam partem terræ devaſtavit. Obiit domnus Gerardus abbas noſtræ ſanctique Laurentii eccleſiæ; præfuit autem nobis ſex tantum menſibus. Cui ſucceſſit dominus Hugo, qui per XII. annos fuerat abbatia deſtitutus, modo vero communi electione revocatus. Vindemia tarda & penitus nulla, vinum Moſellanum X. denariis uſque ad quadrageſimam eſt venditum, hyems quaſi veris tempera. Valerannus filius ducis Ardennæ treugas rupit, inconſulto Heinrico comite Campaniæ, qui præerat populo Chriſtiano in negotio orientalis eccleſiæ conſtituto, id eſt Jeruſalem & ceteris peregrinis, quod multum nocuit parti noſtræ. Turci itaque opportunitate accepta, Jaffram obſederunt, & fere V. millia animarum interemerunt. Obiit Heinricus comes Campaniæ, qui, ſicut dicitur, audita ſtrage noſtrorum, lapſus de feneſtra colliſus eſt in rupe; cui ſucceſſit Heinricus dux Lotharingiæ & Brabantiæ in regimine. Hoc anno duciſſa Lovaniæ horrea clericorum & monachorum clauſit, villicum epiſcopi captivum tenuit, ſacerdotem *de Bavechien*, qui eos, qui ſecundum conſuetudinem ad pacem appellati erant in eccleſia ſua, ut ad pacem reſponderent admonuit, diu tractum ad caudam equi, in cuſtodia arceri fecit. Propter talia & hujuſmodi pericula eccleſia Leodienſis, habito conſilio, ſilentium eccleſiis omnibus intus & exterius in poſuit, & terram duciſſæ, id eſt Brabantiam, banno ſuppoſitam, & clericos inobedientes excommunicationi & ſententiæ ſubjacentes, Colonienſis eccleſiæ conſilio & auctoritate, uſque ad dignam ſatisfactionem evitandos denuntiavit: Nec immerito, volebat enim illa perverſa alia Jezabel duciſſa omnes homines terræ ſuæ a jure pacis, ne in Leodienſi eccleſia reſponderent, removere, & ſacerdotes, ne ſententiam epiſcopi vel archidiaconi in quemlibet proferrent, omnimodis prohibere. Initiatum eſt autem hoc ſilentium infra octavas S. Dionyſii. Epiſcopus autem & omnes perſonæ Leodienſes & priores ne in hac ſententia molles eſſent & remiſſi juraverunt, & eis qui ad nos de clericis Brabantiæ tranſire voluerunt, victualia & neceſſaria providere diſpoſuerunt. Principes regni ad regem eligendum diem Dominicam qua cantatur *Reminiſcere* Coloniæ condixerunt: partes autem in electione factæ ſunt. Colonienſis archiepiſcopus & fautores ſui ducem *de Cerenges* Bertoldum elegit, alii principes regni filium Heinrici imperatoris Rogerum trium annorum, cui legatarium avunculum ſuum Philippum ducem Sueviæ dederunt. Hoc anno infra ſex menſes tres abbates habuimus. *Letare Jeruſalem* per epiſcopum Mettenſem Bertrannum pax inter clericos & duciſſam reformatur, organa eccleſiæ reſumuntur; itaque libertatem ſuam retinuit eccleſia quam habuit antea.

MCXCVIII. Orta eſt gravis ſeditio pro imperio, regni principibus inter ſe diſcordantibus. Poſtquam B. dux *de Cerenges* electionem quam habuit per Colonienſem archiepiſcopum & fautores ſuos rejecit, & in partem P. ducis Sueviæ conſenſit, archiepiſcopus cum fautoribus ſuis comite Flandriæ & ceteris plurimis, comitem Pictavienſem, nomine Ottonem, filium ducis Saxoniæ, & filium ſororis regis Angliæ iterum eligit, & ut epiſcopus Leodienſis in partem ejus conſentiat infra dies Pentecoſtes eum Leodium adducit: ſed epiſcopus nec muneribus, nec precibus frangi potuit. Prædictus autem archiepiſcopus eum Coloniam deduxit, & a Colonienſibus honorifice eſt ſuſceptus. Congregato itaque exercitu oppidum Aquenſe, ubi caput regni & ſedes noſcitur eſſe, obſe-

dit XIV. cal. Julii, ubi CXXX. millia pugnatorum dicitur habuisse, Aquensibus viriliter resistentibus, & plurimos ex parte ipsius per sagittarios interficientibus. Expectabant autem auxilium ducis Sueviæ, qui non venit, nec eis aliquod auxilium destinavit. Itaque idus Julii se in manus prædicti O. reddiderunt, & portas oppidi ei aperuerunt, & eum sicut regem susceperunt, & in cathedra regali sedit coronatus, & omnia jura quæ regi debentur est adeptus. Sequenti autem die filiam ducis Lovaniæ desponsavit, patre ipsius puellæ in negotio orientalis ecclesiæ efficaciter commorante, & hæc omnia ignorante. Episcopus Leodiensis in Hoiense castrum se transtulit, nec ei adhuc aliquo modo consentire voluit. Modius siliginis XV. sol. mense Junii carius est venditus, modius speltæ VII. sol. modius hordei VIII. sol. vini sextarium XIV. den. est venditum, & vinum de Rochella primum in hanc civitatem est advectum. Fulgur in castro Hoiensi cecidit, & ante pedes episcopi quemdam civem interfecit, ceteros horror maximus invasit. Obiit Celestinus, successit Innocentius. Circa festum S. Remigii P. dux Sueviæ Moguntiæ cum uxore coronatur; duci Bohemiæ coronam regalem imponit, & exercitum innumerabilem congregans, Mosellam transivit, quæ præ siccitate nimia, qualis ante centum annos non fuit, transitum liberum præbuit, Andernacum succendit. Otto rex resistere non valens multitudini, cum suis in Coloniam se transtulit. Prædictus dux P. Sueviæ usque Bonnam pervenit, & tam ipsum oppidum quam universam circa regionem devastavit: sed subito nescio quo habito consilio, per eam qua venerat viam recessit, nec Colonienſibus amplius nocuit, nec Aquis, ubi sedes est regni pervenit. Induciæ inter Christianos & Sarracenos in orientali ecclesia per VI. annos, & VI. menses, & VI. dies hoc anno sunt reformatæ infra S. Johannis Baptistæ, ita ut bene liceret Christianis ad sepulchrum Domini, & ad flumen *Jordan*, & ad alia sancta loca per conductum secure ire; & ita quievit pars utraque a bellorum turbine. Dux Lovaniæ & comes Palatinus, frater prædicti Ottonis regis, ab orientali negotio inefficaces revertuntur. Hoc anno in Francia novus propheta surrexit, magister Fulco, vir sanctissimus & vita & merito. Hujus studium erat errores hominum per sanctæ prædicationis doctrinam ad viam salutis convertere, cæcos illuminare, mutis loquelam reddere, infirmos sanare, multa & inaudita nostris temporibus miracula facere. Ipse mulieres multas officio meretricali deditas, ab errore revocavit, quibusdam maritos legitime præbuit, quibusdam ut caste & religiose viverent præcepit. Hujus fama & prædicatio sanctissima per universas provincias est divulgata. Ipse turbam pauperum innumerabilem vindicandam injuriam crucifixi in orientali ecclesia prædicatione sua accendit, & eis signum crucis imposuit; divites vero indignos esse tali beneficio judicavit. Bellum maximum inter regem Franciæ & regem Angliæ. Hoc anno orta est seditio magna inter clericos Leodienses & laïcos. Laïci civitatem muris & aggere firmantes, a clericis & familia eorum exactiones & tributa exigebant, & libertatem clericorum ab antiquo conservatam infringere volebant. Clerici vero fortiter resistentes, silentium civitati imposuerunt, & quosdam cives a nundinis Franciæ revertentes spoliaverunt; & in vindictam illorum, cives quemdam canonicum captivum duxerunt & vinxerunt, quosdam vero contumeliis & verberibus affecerunt. Episcopus vero laicis consensit, & ita multiplicata sunt in civitate mala, & siluit a divino cultu civitas tota, ita ut ipsi cives suos defunctos sepelirent sine divino officio: non tamen privabantur viatico qui jurabant, se numquam de cetero agere contra libertatem ecclesiæ. Cum mirum & novum sit, tempore hiemis mugire tonitrua, hoc anno XV. die ante Natale, & tertio similiter die, audita sunt tonitrua magna & fulgura. Fluvius Mosæ numquam minor visus est quam fuit hoc tempore. Vinum carum. Modius siliginis XII. solid. Modius speltæ septem ante Natale Domini. Moneta nova. Otto rex a Saxonia inefficax rediit, & circa Coloniam se contulit. Philippus adversarius ejus a Trevirensibus susciptur honorifice, Dominica qua cantatur *Invocavit me* sequentis anni.

MCXCVIII. Clerici & cives in concordiam redeunt Dominica qua cantatur *Circumdederunt me*, & resumuntur organa ecclesiæ, cives in præsentia episcopi juraverunt se de cetero nullo modo agere contra libertatem ecclesiæ, & de illatis injuriis clericis satisfacere. Richardus rex Anglicus vir bellicosus obiit gravi infortunio, ante quoddam castrum, quod obsederat, percussus in gutture telo a sagittario, Cui successit Johannes Sine-terra cognomento, frater suus. Capto vero castro, qui inventi sunt in eo, pro morte tanti principis quidam sunt excoriati, quidam diversis suppliciis laniati. Otto rex suggestione comitis Flandriæ & ducis Lovanii a Leodiensibus susciptur, sed episcopi cito pœnitentis prohibitione negata sunt ei venalia in civitate. Itaque cum magna ira & indignatione exivit; fidelitates tamen multorum tam clericorum quam laïcorum accepit. Otto rex, audita morte Richardi regis avunculi sui, graviter doluit, nec multo post a Johanne nihilominus avunculo suo consolationem sperandi consilii & auxilii accepit. Mense Septembri dux Lovanii Philippo filio Frederici imperatoris venienti Coloniam cum armata militia occur-

rit, eumque recedere ultra Rhenum coëgit.

MCC. Obiit Albertus epiſcopus, ſucceſſit Hugo major præpoſitus, & ab Othone rege, qui præſens tunc temporis erat in civitate, eſt inveſtitus. Modius ſiliginis pro tribus ſolidis & dimidio, modius ſpeltæ pro duobus ſolidis. Siccitas magna a medio Martio uſque ad calendas Maii. Magiſter Fulco vir ſanctiſſimus *Latare Jeruſalem* Leodium venit, & verbum ſalutis tam in civitate quam in vicinis villis prædicans, multos ab errore uſurarum compeſcuit, multos etiam a ceteris erroribus revocavit. Inaudita mortalitas boum per totum imperium. Rodulphus archidiaconus, Henricus de Jacia, & Henricus de Clare, H. electo ſe opponunt, & ad curiam Romanam cum gratia Ph. Suevi, H. accuſaturi procedunt. Innocentius papa litteras citationis Leodium dirigit, & H. ut ad curiam veniat, & adverſariis reſpondeat, præcepit; ipſe vero non venit, ſed apud Montem-peſſulanum manſit. Ph. Suevus & O. Pictavienſis adhuc de imperio contendunt.

MCCI. Hugo abbas hujus loci, ſecundo abbatiam dimittit menſe Januario, cum propter defectum panis a fratribus univerſis argueretur: cui additus eſt prioratus S. Leonis ad priores reditus, quos in prima depoſitione obtinuit. Succeſſit dominus Theodericus de prioratu S. Trudonis aſſumtus; quem quia Leodienſis ſedes ſuo carebat paſtore, Colonienſis archiepiſcopus ex ſententia priorum inveſtivit, & non multo poſt in Cœna Domini apud *Werdene* benedixit. H. electus a Monte-peſſulano revertitur. Guido cardinalis epiſcopus Prænestinus Leodium venit cum Philippo protonotario, inde Coloniam tranſivit, Ph. Suevum & complices ſuos auctoritate ſummi pontificis excommunicavit, & ſic Coloniæ per annum integrum & in vicinis civitatibus manſit, & partem O. Pictavienſis quantumcumque.... H. de Jacia & R. de *Comblen* a Roma revertuntur, litteras ſufficientes referunt; ſed a cardinali, qui partem domini H. electi fovebat, ut legationem hujus provinciæ ſuſceperat, aliquantulum retardantur; iterumque appellatione facta, poſt multas allegationes in Colonienſi eccleſia, ad ſedem apoſtolicam per ſocios, qui Boloniæ remanſerant, revertuntur. R. *de Comblen* præpoſitus S. Pauli ſanctique Johannis, quia ſummo pontifici juraverat, & in mandatis acceperat, omnia dona eccleſiaſtica ad epiſcopum pertinentia, quotieſcumque vacaverint contulit, nec prohibitione cardinalis ab hac auctoritate quievit. Hiems longa a feſto S. Martini uſque ad cal. Martii; annona bono pretio fuit, ſed vinum carum. Bona ſpes fuit in flore vindemiæ, ſed poſtea fruſtrata eſt, Auguſto impediente.

Dux Brabantiæ H. Hollandiam armata manu intravit, comitem Hollandiæ cepit, & eum Lovanium deduxit: cepit etiam comitem *de Gelre* hominem ſuum, cum veniſſet ad eum infra Lovanium, uterque obſides dedit.

MCCII. Initiatum & fundatum eſt monaſterium quod dicitur Vallis S. Lamberti Ciſtercienſis ordinis a domino Hugone Leodienſi epiſcopo. Guido cardinalis Prænestinus circa Coloniam & civitates vicinas cum O. Pictavienſi moratur. Rodulphus archidiaconus & H. *de Clare* pro negotio epiſcopatus ſocii H. de Jacia ad curiam Romanam revertuntur, & Hugoni electo in omnibus adverſantur. Comes Flandrenſis cum uxore ſua ad negotium orientalis eccleſiæ proficiſcitur, quem multitudo ſignatorum ſequitur, ſignati ut recedant per eccleſiaſticam diſciplinam coërcentur.

Hoc anno in menſe Martio prima hebdomada quadrageſimæ computata ſunt omnia debita eccleſiæ noſtræ, præſente electo Hugone, & inventæ ſunt ccc. marcæ, & curiæ noſtræ *Ernau*, *Hanrez*, Honeffia, Donum Cirici, *Alincurt*, *Vellerut*, Malla, & *Colambier* impignoratæ, nec aliæ ſine debitis fuerunt. Theſaurus eccleſiæ noſtræ, qui olim in caſulis & cappis & palliis ſubtilibus, & dalmaticis, in thuribulis & libris, ventilabris erat pretioſus, inventus eſt, peccatis noſtris exigentibus, diſtractus & adnichilatus. In calendis Februarii omnia victualia defecerunt nobis. Modius ſiliginis v. ſolidis, ſpeltæ xl. den. vinum ſex denariorum. O. & Ph. adhuc de imperio contendunt. Guido cardinalis terminare volens negotium eccleſiæ Leodienſis, domino Hugoni electo diem citationis Coloniæ præfixit feria ſexta ante ſanctum Paſcha Domini, & poſt multas allegationes, purgationem ejus de objectis criminalibus in curia Romana ab adverſariis recepit; qui aſſumtis ſecum ſex abbatibus, ſe vidente, & aſſidente clero Coloniæ, tactis ſacroſanctis Evangeliis, ſeptima manu ſe de omnibus objectis innoxium per ſacramentum reddidit: Cujus electionem cardinalis ſtatim confirmavit, & ſolemniter cum magno tripudio in eccleſia beati Petri induxit; quem ſacratiſſima nocte Reſurrectionis in preſbyterum ordinavit, & in octavis Paſchæ in epiſcopum conſecravit, nec multo poſt in ſedem ſuam cum magna lætitia firmavit. His omnibus H. de Jacia ſe oppoſuit; ſed nihil eo tempore profecit. Socii autem ſui infra annum, exceptis paucis, epiſcopo ſunt reconciliati. Epiſcopus ordines ſolemnes in Pentecoſte fecit, & ſynodum celebravit.

Nunc autem de ſtatu noſtræ eccleſiæ, quæ eo tempore propter nimiam paupertatem & importabilia debita deſolata erat, volo pauca ſcribere. Epiſcopus de voluntate noſtra quatuor clericos procuratores nobis inſtituit, qui debita eccleſiæ abſolverent, & fratres

noſtri, exceptis paucis, ſi vellent ad clauſtra aliena tranſirent. Sed dominus qui vocat ea quæ non ſunt, tamquam quæ ſunt, precibus, ut credimus, patroni noſtri & beati Andreæ apoſtoli, ordinationem iſtam in melius commutavit: quia dominus T. abbas noſter, minus in proviſione temporalium ſufficiens, nec ſibi nec nobis prodeſſe valens, ſe ab abbatia exuit. Nos autem communicato auxilio, dominum Henricum eccleſiæ beati Laurentii filium elegimus in abbatem: ſed epiſcopus in primordiis huic electioni fortiter ſe oppoſuit; ſed poſtea petitione cardinalis & honeſtorum virorum auſteritatem iſtam depoſuit, & in decollatione S. Johannis de abbatia cum inveſtivit, & in feſto S. Lamberti præſente cardinali benedixit. Ipſe autem fratres diſperſos recollegit, abſolvit debita graviora, ſine defectu toto anno neceſſaria fratribus, prout potuit, procuravit, pallam magnam altaris quæ xx. marcis obligata erat redemit.

Obiit frater Theodericus qui præclara opera in hac domo fieri fecit, licet laïcus. Obiit etiam abbas Florinenſis, Dei amicus, qui in

Una linea delcta in mſ. eccleſia noſtra eſt. . . . . .

MCCIII. Hoc anno Hoienſes epiſcopo rebellant propter quædam jura quæ ab eis exigebat indebita; machinas quæ de Namuco navi advehebantur ſuccidunt, navim per ſiccam terram uſque in medium forum trahunt, introïtum caſtri & exitum aggere muniunt, nec multo poſt pœnitentia tacti, Leodium omnes veniunt, & epiſcopo, vidente clero & populo, nudatis pedibus ſatisfaciunt. Orta eſt magna diſſentio inter ducem H. Lovanii & Lodowicum comitem Loſſenſem, propter trecenſum S. Trudonis, ad epiſcopum Metenſem pertinentem, quem a comite Loſſenſi removit, & duci contulit. Trudonenſes reſiſtunt, nec duci adquieſcunt. Lodowicus comes *de Los* omnia caſtra ſua, Montinacum videlicet, Bruſtemiam, *Hallut*, & omnem terram ſuam, quam libere tenebat, S. Lamberto tradidit, & ſuper altare ipſius, vidente clero & populo, præſente epiſcopo, duce Ardennæ H. & comite *de Muſal* A. legitima donatione reportavit, & de manu epiſcopi in hominium recepit. Epiſcopus prædicta caſtra & memoratam terram in feſto S. Johannis ſaiſivit. Cum meſſis immineret, dux ad pugnam ſuos invitavit, & obſidere oppidum S. Trudonis voluit, & in villa quæ vocatur *Landenes* papiliones ſuos ſtatuit, & per octo dies ibi manſit, in circuitu ſegetes ultra quam credi poſſit devaſtavit, ibique multitudinem pugnatorum congregavit. Comes vero *de Los* ad epiſcopum, cujus nuper homo factus fuerat, acceſſit, auxilium petiit, & tam de ſua terra, quam de aliena, multos auxiliarios congregavit. Epiſcopus autem ſuos monuit milites, cives, familiares ad ſe defendendum, & comitem in villa, quæ Woromia vocatur, præfixa die adeſſe præcepit. Qui omnes venerunt, & in villa prædicta conſtiterunt, eventum rei expectantes, majorem ſpem de bello quam de pace habentes. Interea per octo dies fuit inter Montinacum & *Landenes* p..... ſed non per religioſos, qui partem ſuam interponebant, potuit pervenire ad pacis effectum. Tandem comes Namucenſis acceſſit, & quas alii obtinere non poterant, treugas cum magna difficultate obtinuit. Obiit comes Hollandiæ, cujus filiam, quam habebat unicam, comes *de Los* ſtatim deſponſavit, fidelitates hominum terræ accepit, & cum ſecurum ſe in iſta patria eſſe crederet, res ſe aliter habuit. Guillelmus enim frater comitis Hollandiæ, viſa opportunitate, confiſus de auxilio hominum terræ, comiti & uxori ſuæ inſidias poſuit, aſſumtis eis qui fidelitatem fecerant comiti. Comes autem vix evaſit, uxorem ejus retinuit, & in caſtro quodam poſuit, & comitis ſocios capiens retinuit, & totam..... ſuo dominio ſubjugavit, comitem ſe appellari fecit, multamque a duce accipiens pecuniam & annuum feodum, homo hujus eſt effectus. Otto rex iterum Saxoniam ingreditur, ſocium habens Guidonem cardinalem, qui a ſummo pontifice Innocentio miſſus, ut ejus regnum quantumcumque poſſet promoveret. Multi principum terræ obediunt regi, qui prius ei erant adverſarii. Philippus Suevus cum ſuis obvius venit ei, ſed ineffícax receſſit. Multæ civitates, oppida, villæ, quæ prius erant ei rebelles, maxime Goſlarium & *Erbefort*, modo fiunt ei obedientes & tributes. Circa feſtum Omnium-Sanctorum Coloniam redierunt. Ante adventum domini cardinalis Leodium rediit, & ordines in vigilia S. Thomæ apoſtoli fecit; paucos tamen ordinavit. Obiit dominus Hugo quondam ſecundo abbas hujus eccleſiæ, qui multa adverſa ſuſtinuit ſuo tempore, eccleſiaque noſtra, quæ prius erat inter nobiles nobiliſſima, religione & honeſtate præcipua, opulenta, rerum referta, peccatis noſtris facientibus, propter diſſentiones diutinas, quas futuri caveatis, fere deſtructa eſt in ſpiritualibus & temporalibus beneficiis: quæ tamen ſub domino Heinrico abbate, de quo ſuperius memoriam feci, aliquantulum reſpirare cœpit. Aſſenſu clericorum & civium & militum exteriorum tributum ab introeuntibus portas civitatis exigitur, & ſecundum æſtimationem pecuniarum ſuarum ſumma a civibus accipitur, & opus murorum firmiſſimorum, ſicut evidens eſt, hoc anno menſe Septembri initiatur, & a porta Pagani uſque ad S. Walburgem, ante hiemem fundamenta jaciuntur, & murus cum turribus ad menſuram unius hominis erigitur. Muſtum Moſellanum x. denarios, modius ſiliginis x. ſolid. ſpeltæ autem v. ſolid. hordei iv.

MCCIV. In hoc anno ultimum Paſcha

fuit cum biſſexto. Adhuc Otto & Philippus contendunt de imperio, & adhuc bellum inter regem Franciæ & regem Angliæ pro terra Pictavienſi & Normandiæ. Orientalis eccleſia, id eſt Jeruſalem civitas ſancta a paganis adhuc detinetur, & muris firmata duplicibus, Chriſtianis introïtum denegat, & non eſt in ea qui nomen requirat, & ſepulchrum ſalutis noſtræ inglorium eſt, & ſine debito honore. Vias autem regum & principum uſque ad hæc tempora dominus quibuſdam ſpinis ſæpivit, nec aliquis eorum in negotio Orientali profecit. Acra tamen, Antiochia & Sidon, & paucæ civitates a Chriſtianis detinentur. Dominus H. epiſcopus & dominus H. de Jacia, poſt multas diſſenſiones, in concordiam redeunt. Domnus Henricus a debitis ſuis in curia Romana propter epiſcopatum contractis, mediante domino cardinali Guidone, abſolvitur, & ei cum tribus præbendis archidiaconatus Brabantiæ donatur, pacificatis ſecum omnibus ſociis ſuis tam clericis quam laïcis. Canonici S. Lamberti poſſeſſiones eccleſiæ, mediante cardinali, & epiſcopo aſſenziente, inter ſe dividunt, & præpoſitum deſtituunt. Rex Franciæ regem Anglicum, ab hereditate quam in Normandia & Pictavia poſſidebat, ejicit, & Rothomagum & caſtra plurima per violentiam præoccupat, & tranſitum in Angliam ad eum ejiciendam diſponit & præparat. Guido cardinalis Remenſis archiepiſcopus ejicitur. Comes Albertus comitatum ſuum de* *Muſal* (a) cum omnibus appenditiis ſuis & familia libere ſancto Lamberto tradit, & quinquaginta millia marcarum pro recompenſatione accipit. Comes *de Los*, aſſumtis Flandrenſibus & univerſo exercitu ſuo, Hollandiam ingreditur; qui in primo conflictu compos voluntatis ſuæ extitit; ſed poſtmodum victus, capta multitudine partis ſuæ, & ſubmerſa inglorius rediit, uxore ſua in captivitate remanente. Comes Flandriæ cum Venetianis Conſtantinopolim ingreditur, & per eum rex qui deſtitutus.... ſolemniter reſtituitur, uxore ejus in Acra reſidente, & ..... tante. Comes Namucenſis caſtrum quod Sanſon..... te deſtructum reædificat .....munitas ſicut..... ..... tis cognato utri..... facta..... Silva pulcherrima quæ Glanum vocabatur, quæ ad decus civitatis erat vicina & antiqua, hoc anno venditur & exſtirpatur, cujus pretium in tres partes dividitur; prima pars cedit epiſcopo, ſecunda operi monaſterii S. Lamberti, tertia muris & turribus civitatis. Muri cum turribus a porta S. Walburgis uſque ad portam Pagani, ſicut evidens eſt, ſunt conſummati. Otto Pictavienſis & Philippus Suevus adhuc contendunt de imperio, ſed pars Ottonis infirmatur. Modius ſiliginis VIII. ſol: ſpeltæ V. hordei IV. venditur in feſto Omnium-Sanctorum anni præſentis, vinum VIII. denariis. Quia nihil eſt ſub ſole quod non fiat Dei ordinatione, quæ facta ſunt hoc anno in Græcia, vobis ſcribo futuris, quod notiſſimum eſt & præſentibus & nobis. Cum auxilio comitis Balduini Flandrenſis, ſociatis ſibi Venetianis, imperator Conſtantinopolitanus regno reſtitutus eſſet, & adverſarius ipſius, ſicut dignum erat, deſtitutus eſſet, Rex paucis diebus in bona pace quievit, cum, paucis evolutis diebus, fraudulenter ſuffocatus & interfectus eſt a ſuis domeſticis, quæ res nimis Balduino comiti & ſuis diſplicuit, neſcientes quod dominus, qui vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt, negotium ei regni committere vellet. Nulla fit mora, cives urbis in unum conveniunt, & ſicut de Mathia legimus, ſortes ſuas tertio jaciunt, & trina ſors cecidit ſuper comitem Balduinum; qui omnimodis, quantum potuit, contradixit; ſed voluerit noluerit, a populo rapitur, & in imperatorem ſolemniter ſublimatur. Recolens autem idem B. nuper imperator effectus, quod dulce ſit ſolum natalis patriæ, litteras ſuas & nuntios in Flandriam & Franciam & Lotharingiam miſit, ut tam monachi quam clerici, & habiles ad pugnandum laïci quotquot vellent ad eum confluerent, quia diſponebat eos omnes ditare & ritum Græcorum in Latinum tranſmutare. Nulla mora fit, ſed de prædictis regionibus turba multa, tam monachorum quam clericorum, & habilium laïcorum, cruce Domini ſignata, ad eum confluit. Dominus Hugo epiſcopus & Lodowicus comes *de Los* pontem Trajectenſem fregerunt & aggerem quem dux Lovanienſis extruxerat, terræ adæquaverunt. Comitiſſa Flandrenſis maritum ſuum expectans in Doka, moritur peregrina. Comes Albertus *de Muſal* donationem quam fecerat B. Lamberto terræ ſuæ & familiæ, quia prædicta pecunia non fuit ei ſtatuto tempore ſoluta, infregit, & eamdem donationem cognato ſuo Lovanii duci tradidit, qui fidelitates quorumdam accepit, & caſtellanos in caſtris poſuit. Avaritia epiſcopi faciente accidit hoc infortunium Leodienſi eccleſiæ, quia pecuniam, quæ ab eccleſiis & divitibus & pauperibus collecta fuit, non comiti ſolvit, ſed in ſuos uſus expendit.

Hoc anno Philippus rex, filius Frederici magnifici imperatoris, adverſarios ſuos Aigulfum archiepiſcopum Colonienſem & Heinricum ducem Lotharingienſem ſibi pacificavit, & fretus conſilio eorum & auxilio, Aquiſgrani cum multo exercitu, cum uxore ſua venit, quæ fuit filia imperatoris Conſtantinopolitani, cui frater ejus oculos eruit, & pro eo regnavit, cujus fratrem comes

*1. Muha. [a]

[a] Donationis inſtrumentum hiſtoriæ ſuæ inſeruit Ægidius de Aurea-valle, cap. 99.

Flandrenſis reſtituit regno, & cum a ſuis domeſticis ſuffocatus eſſet, electione populi poſt eum regnavit, ſicut ſuperius memoriam feci. Sedit itaque idem rex Philippus in regia ſede in die epiphaniæ, & coronatus eſt cum uxore ſua, univerſo populo applaudente. Otto Pictavienſis, fretus auxilio Colonienſium, & ducis Ardennæ, & filiorum ſuorum, curiam ſuam & adventum ſuum impedire voluit, ſed non prof. cit, quia multitudine principum ſtipatus venit. Leodienſis epiſcopus Hugo inducias deliberandi uſque in octavas Paſchæ impetravit, datis fidejuſſoribus cum comite *de Los*, quod pontem Trajectenſem repararent. Hyems aſpera & longa, mortalitas ovium per totum imperium. Hoc anno motum eſt altare S. Remigii, & repoſitum in loco in quo nunc eſt, & iterum cum duobus altaribus S. Nicolai & S. Katherinæ, cum tota baſilica conſecratum a domino Philippo Ragburgenſi epiſcopo, aſſentiente & præcipiente domino Leodienſi epiſcopo Hugone, petitione domini Heinrici abbatis noſtri, qui prædictum epiſcopum in hoſpitio ſuo honeſte per octo dies procuravit. Fracta ſunt etiam in eccleſia noſtra duo altaria, altare videlicet beati Stephani & altare beati Juliani & Baſeliſſæ, & reparata in quibus nunc locis evidenter cernuntur eſſe.

De qualitate hyemis hujus anni pauca volo ſcribere ad cautelam præſentium & notitiam futurorum. Hyems hoc anno quinquies reſpiravit, graviorque ſemper fuit ſubſequens reſpiratio priore; prima reſpiratio in feſto S. Martini, ſecunda in feſto S. Andreæ, tertia in feſto S. Marcelli, quarta in feſto Purificationis, quinta in Paſcha. Per totum Februarium & totum Martium aratra non exierunt ad colendum, nec cultores hortorum ad laborandum. Silveſtres feræ ad villas veniebant quærentes paſcua tamquam domeſticæ; multæ tamen fame periere. Mortalitas permaxima ovium & ceterorum animalium, deficiente pabulo & hyemis ſæviente periculo. In cal. Maii vix erat aliqua notitia in ſatis; ſed ex inſperato Dominus magnam copiam annonæ tribuit, & æſtas ſicca fuit: a feſto S. Mariæ Magdalenæ uſque ad calendas Auguſti æſtus nimius & intolerabilis fuit; ſed poſt calendas quievit.

Colonienſes ex mandato ſummi pontificis & ſuggeſtione Cameracenſis epiſcopi, qui miſſus erat a latere domini papæ, novum creant archiepiſcopum Brunonem Bonnenſem præpoſitum, & Aigulfum, qui a rege Ottone receſſerat, abjiciunt, civitatis mœnia muniunt, victualia congregant, obſidionem Philippi Suevi expectant, O. rege ſuo honeſte in civitate retento. Circa feſtum S. Lamberti Ph. Suevus venit, fretus auxilio multorum, Coloniam obſedit, Nuſſiam cepit, & in ea milites ſuos locavit, nec multo poſt inefficax receſſit. Dux Brabantinus qui ad auxilium ejus copioſus venerat, fruſtratus deſiderio ſuo, & falſis promiſſis, quaſi confuſus ad ſua cum ſuis rediit. Epiſcopus Leodienſis petitione comitis Namucenſis & comitis Loſſenſis inducias adhuc deliberandi, utrum in eum conſentiret, uſque in capite jejunii obtinuit. Ph. receſſit, curiam celebrandam Confluentiæ in capite jejunii conſtituit. Balduinus quondam comes Flandrenſis, nunc autem imperator Græcorum, ſicut ſuperius mentionem fecimus, a quodam adverſario ſuo capitur, & captivus detinetur. Epiſcopus Sueſſionenſis a Conſtantinopoli rediit, reliquias pretioſas apoſtolorum & martyrum & vivificæ Crucis attulit. Quidam clericus Trajectenſis, qui per ſeptem annos in civitate Conſtantini manſerat, hoc anno rediit, portionemque magnam vivificæ Crucis, quam multo tempore affectaverat, cum aliis pretioſis reliquiis ſanctorum ſecum attulit, & eccleſiæ beatæ Mariæ in Trajecto cum ſumma devotione præſentavit. Meſſis bona, vindemia rara, modius ſiliginis x. ſol. ſpeltæ v. vinum octo denariorum. Bellum adhuc inter regem Angliæ & Franciæ. Rex Angliæ totam terram ſuam perdidit in tranſmarinis partibus, excepta parva portione. Orientalis eccleſia & Jeruſalem civitas ſancta adhuc detinetur a gente Sarracena.

MCCVI. Hoc anno in die S. Stephani dominus Hugo epiſcopus ad eccleſiam noſtram acceſſit, & altare S. Stephani primo, poſtea altare ſanctorum Juliani & Baſeliſſæ conſecravit. In altari S. Stephani reliquias pretioſas quæ de altari, cum frangeretur, aſſumtæ erant, repoſuit; & coſtam unam S. Stephani, quæ in ſcrinio inventa eſt, fregit; partem ſibi retinuit, partem in altari poſuit, partem in ſcrinio reſervari præcepit. In altari SS. Juliani & Baſeliſſæ reliquias quæ de altari aſſumtæ erant, cum frangeretur, repoſuit: videlicet de corpore S. Jacobi fratris Domini, Juliani & Baſeliſſæ, Gaii papæ, & ſanctorum confeſſorum Martini & Servatii; appoſitumque eſt oleum S. Katherinæ virginis, quod acceptum de ampulla, quam attulit nobis bona matrona Gertrudis, quæ ſeptem annos in muris Jeruſalem recluſa fuit, & poſtea in recluſorio S. Mariæ Magdalenæ obiit. Prædictus epiſcopus eadem die miſſam ad altare S. Stephani ſolemniter celebravit, totus conventus interfuit, poſt quem R. præſentium dictator, ſecundam miſſam celebravit.

De qualitate temporis hujus anni dicimus, quod uſque ad circumciſionem Domini nulla fuerunt ſigna hyemis, nec in gelu, nec in nive. A circumciſione Domini xv. ſequentes dies & non amplius hyems deſæviit; reliquum tempus uſque in paſcha, non quaſi ver, ſed quaſi æſtas fuit; ſeges tamen cara, vinum carius, & omnia quæ ad victum ho-

minis prodeſſe debent cariſſima, in haleciis, in ovis, & carnibus, & piſcibus. Epiſcopus Leodienſis cum duce Brabantino in concordiam rediit, ita tamen quod dux *Muſal*... ... comitatum ..... Colonienſes iterum concorditer regi Ottoni confœderantur. Novus archiepiſcopus, Bruno videlicet, a ſummo pontifice pallium ſibi miſſum accipit & confirmatur. Comes Flandrenſis Balduinus ſine ſpe redeundi captivus detinetur, nec multo poſt, truncatis prius membris, ab adverſario interficitur. Frater ejus Heinricus regno ſubſtituitur. Philippus Suevus, congregato exercitu ſuo, in virtute magna in partes Coloniæ revertitur; cui Colonienſes occurrunt, ſed in primo congreſſu plurimi capiuntur & cadunt. Colonienſes rabiem certaminis ferre non valentes, non ſine damno ſuorum infra muros ſuos ſe recipiunt. Novus archiepiſcopus Bruno in caſtro quod *Waſſenberc* dicitur, obſeſſus, virtute armorum capitur, & a Suevo oneratus ferro, in Sueviam deducitur. Nec multo poſt Colonienſes cum rege Philippo componunt, & ab Ottone rege, cui diu adhæſerant, fidelitate poſtpoſita, recedunt. Ipſe vero a Colonia cum paucis, fingens ſe ad curiam Suevi iturum, callide exivit, & in caſtrum quondam patris ſui, quod *Brunſvic* dicitur, ſe contulit. Rhenus aperitur, & libera via euntibus & redeuntibus conceditur. Meſſis bona, vindemia optima, in Moſella infra vindemiam ſextarium vini pro denario Treverenſi ego qui interfui, vidi. Apud nos vinum ſex denariorum. Hoc anno rex Anglorum, coadunato exercitu maximo, mare tranſivit, ad auxilium ſuorum venit, regi Francorum fortiter reſtitit, & civitates, caſtella, villas, quas rex Francorum virtute armorum ſibi ſubjugaverat, partim reacquiſivit, partim quaſdam fortiter munitas ad præſens obtinere non potuit; nec multo poſt ſalvis acquiſitis, medio tempore treugæ trium annorum dantur ab utraque parte.

Obiit domnus Walis major decanus & abbas ſepultuſque eſt in hoſpitali, cui ſucceſſit domnus Theodericus præpoſitus ſancti Andreæ in Colonia. Hoc anno inter feſtum S. Jacobi & ad vincula S. Petri tantus fervor ſolis incaluit, ut videres meſſores vim caloris ferre non valentes, paſſim per agros morientes. Tres fuerunt mortui, quos ego præſentium ſcriptor agnovi. Hoc anno natus eſt duci Lotharingiæ filius, qui de nomine avi ſui appellatus eſt Godefridus. Hunc Hugo Leodienſis epiſcopus de ſacro fonte ſuſcepit in filium; nata eſt etiam filia comiti Alberto, quæ omnem ſpem de *Muſal* abſtulit Leodienſi epiſcopo & duci Brabantino. In vigilia S. Nicolai poſt veſperas, ſæpius auditum eſt tonitruum, ita ut a nobis opinatum ſit eſſe fulminatum. Hyems tarda, ſed aſpera & februaria. Inundatio aquarum maxima, maxime in Alemannia & Francia, ita ut Mogus in altitudine triginta duarum ulnarum ſe extolleret, Rhenus quædam clauſtra ſubverteret, & plurima millia virorum, mulierum & parvulorum ſubmergeret, Pariſius Sequana parvum pontem cum ædificiis ſuis frangeret, & molendina impetu ſuo deduceret. Moſa tamen noſter fluvius, magnus fuit, ſed pacificus. Adhuc Jeruſalem, id eſt orientalis eccleſia, detinetur a gente Sarracena.

MCCVII. In purificatione S. Mariæ a rege Philippo curia celebratur; de pace Colonienſi tractatur. Alia curia *Lætare Jeruſalem* nominatur. De filia Philippi regis & filio Heinrici ducis Brabantiæ matrimonium ordinatur, & juramento confirmatur. Innumerabilis turba clericorum, monachorum, laicorum zelo fidei accenditur, & ſuaſione epiſcopi Sueſſionenſis, Conſtantinopolim proficiſcitur. Sciendum eſt futuris & notum præſentibus, quod negotium Græciæ multum impedivit negotium orientalis eccleſiæ. Menſis Maii crudelis fuit: quia ſævitia hyemis non naturalis vineas & ſilvas quaſi quodam igne combuſſit: ſed pluvia ſuperveniens in calendis Junii, magnam utilitatem vineis præſtitit. Glacies non modica viſa eſt Bonifacii martyris, æſtas ſicca, meſſis pulchra, ſatio pulcherrima, vindemia ſatis tempeſtiva; ſed gelu Octobris fere abſtulit omnia vina. Duo cardinales a papa Innocentio in Allemanniam mittuntur, ut concordiam inter regem Ottonem & Philippum Suevum facerent: ſed non profecerunt. Colonienſes ex integro regi Philippo reconciliantur, exceptis clericis, & via Rheni aperitur. Hoc anno eclypſis ſolis facta eſt pridie cal. Martii; hyems temperata ſine magno gelu & continuo. Lodovicus comes *de Los* Angliam ingreditur, regem pro uxore ſua, quæ ibi captiva tenebatur, alloquitur; tandem homo ſuus factus, & datis obſidibus pro hominio conſervando, uxorem ſuam reduxit, quæ per quinque annos captiva a Guillelmo avunculo ſuo detenta fuit. Hoc anno obiit Lodovicus advocatus Haſbaniæ, cui ſucceſſit Fredericus gener ejus, filius ducis Ardennæ.

Annus biſſextilis MCCVIII. ab Incarnatione Domini, rex Philippus circa epiphaniam Metis venit, & curiam celebrem tenuit. Aigulfus archiepiſcopus, qui a ſummo pontifice erat deſtitutus, & Bruno novus archiepiſcopus, qui ab eodem papa erat confirmatus, & a rege Suevo hactenus captivus detentus, vadunt ad curiam domini papæ, diſcuſſionem de archiepiſcopatu facturi. Blaſii martyris in veſpere, luna viſa eſt fere tota ſanguinea, cum eſſet tertia decima. Adhuc Jeruſalem civitas ſancta, peccatis noſtris facientibus, detinetur a gente Sarracena. Adhuc conſervantur treugæ inter regem Franciæ & regem Angliæ. Modius ſiliginis v. ſolid. ſpeltæ

ſpeltæ modius tribus venduntur, vinum VII. denariis. Rex Philippus Pentecoſten Aquis celebravit, curiam celebrem per octo dies habuit & receſſit. Bellum renovatur inter reges Franciæ & Angliæ. Temperies aëris tam veris quam æſtatis; abundantia annonæ in campis laudabilis, vinum ſicut prius, ſiligo tribus ſolidis, ſpelta XXX. denariis comparatur. Sicut a veridicis relatoribus audivimus, flores viſi ſunt in vineis in vineto in prima hebdomada Maii in montibus. O nefas! ô ſcelus! ô crudele ſcriptum, ſed verum! Philippus rex, filius Frederici imperatoris, pacato ſummo pontifice & omnibus adverſariis ſuis, crudeliter a quodam comite *de Witrisbac* in civitate Bavembergenſi tertia die inunctionis ſuæ ex inſperato, tamquam domeſtico ſuo, crudeliter occiditur, capite truncatur, epiſcopus Spirenſis, qui cum eo erat, vix fuga elabitur, & omnes regales paſſim diſperſi, vix a gladiis adverſariorum eripiuntur, multique, tam epiſcopi quam nobiles, de tam crudeli nece infamantur. Mortuus eſt autem menſe *Junii*, *jam inchoatis* cal. Julii; paſſuſque eſt totus mundus ſcandalum quod pudeat faſtos. Remanſerunt autem reginæ regalia cum caſtris & theſauro regio. Menſis Auguſtus pluvioſus fuit diebus XV. primis; annonæ abundantia qualis non fuit a XL. annis & ſupra. Eodem anno menſe Septembri mortua eſt regina dolore partus gemini, præcedente dolore graviſſimæ necis mariti. Itaque Otto rex totum obtinuit regnum, & omnia quæ Philippi regis erant adeptus, promiſit ſe filiam ejus accipere in matrimonium. Hoc anno R. præſentium dictator, petitione fratrum ſuorum, cum J. contra Henricum abbatem Romam ivit, & litteras inquiſitionis ad Colonienſes perſonas attulit, quia appellatus non venit, nec ſufficientem reſponſalem miſit. Præterea alia paria litterarum eccleſiæ ſuæ acquiſivit. Otto rex pacifice totum regnum obtinuit. Obiit Bruno Colonienſis archiepiſcopus, cui ſucceſſit Theodericus ſanctorum apoſtolorum præpoſitus, quem ante electionem appellavit ad ſedem apoſtolicam Aigulphus, qui propter diſſenſionem regum fuerat ab Innocentio papa deſtitutus.

Anno ab Incarnatione Domini MCCIX. Annus iſte pauperum gloria, divitum mœſtitia, abundans ad votum in annona. Modius ſiliginis XV. denariis, ſpeltæ eodem pretio venditur. Cetera genera annonæ pretio inferiore, vinum præcipuum V. denariis.

In epiphania Domini R. præſentium dictator Coloniæ fuit, litteras quas a ſummo pontifice acceperat, inquiſitoribus præſentavit, & ut ad locum accederent admonuit; & Deum ſolum præ oculis habentes, ſicut dominus papa præceperat, quæ corrigenda erant corrigerent, & quod regulare & honeſtum eſſet ſtatuerent. Qui diem peremtorium præfixerunt poſt Dominicam feria IV. qua cantatur *Oculi omnium*: ſed tunc non venerunt, arduis negotiis impediti; ſed aliam diem præfixerunt, feria VI. poſt Dominicam qua cantatur *Jubilate*; ſed nec tunc venerunt, quia iter eorum adventus duorum cardinalium qui Coloniam venerunt, impedivit, videlicet Hugonis Hoſtienſis epiſcopi & Velletrenſis, & Leonis tituli S. Crucis in Jeruſalem preſbyteri cardinalis, qui per XV. dies Coloniæ moram fecerunt, & tam epiſcopum quam perſonas Leodienſes ad ſe vocantes, nova decreta dederunt feria tertia ante Pentecoſten, quæ in generali ſynodo poſtea ſunt recitata. Hac neceſſitate detenti inquiſitores noſtri non venerunt; ſed ſequenti feria V. comitati optimis magiſtris ad nos venerunt, & in craſtinum in capitulo noſtro reſidentes, litteras domini papæ publice legerunt: allegationes utriuſque partis, amotis advocatis, ſimpliciter audierunt, & tam abbatem quam fratres de veritate dicenda jurare fecerunt, tota die juratos examinaverunt, & atteſtationes uſque in feriam ſecundam, quia dies Pentecoſtes inſtabat, clauſerunt. Secunda feria epiſcopum & etiam omnes perſonas Leodium ſecum adduxerunt, & atteſtationes non aperuerunt, quia H. prius abbas, nefanda & turpia de fratribus ſcripſerat, & ipſe a fratribus de articulis certis melius tacendis quam loquendis accuſatus erat. Hac conſideratione inquiſitores atteſtationes tacuerunt, & diu habito conſilio cum epiſcopo & perſonis & magiſtris, ad capitulum redeuntes, Henricum prius abbatem, a temporalibus & ſpiritualibus ſuſpenderunt, & fratres, exceptis paucis, per abbatias diſperſerunt, volentes eccleſiæ inopiam ſublevare, & in bonum ſtatum reſtituere: & juriſdictionem ſibi retinuerunt uſque ad ſolutionem debitorum, & tam ipſi quam epiſcopus & perſonæ ſententiam confirmaverunt.

Huic operi pauca volo inſerere, ut ſciant fratres noſtri futuri ſibi cavere, quod damna, quod labores, quod injurias, quod tribulationes ſuſtinuerint a tribus abbatibus, quos infra XXII. annos ab eccleſia S. Laurentii gravi infortunio aſſumſimus. Primus enim, ſcilicet Gozuinus, ſatis nobis utilis fuit & bonus: ſed in hoc fuit nobis inutilis, quod abbatiam dimiſit tempore famis, & conſilio ſuo, Gerardum abbatem S. Laurentii non ſine damno noſtro paſtorem nobis inſtituit, qui ſex menſibus tantum præfuit & obiit, & debitum ducentarum marcarum nobis reliquit: pro quo debito, quod non ſine lacrymis dicimus, hodie fratres noſtri deputantur exilio. Huic malo & pejor ſucceſſit, peſſimus ſcilicet Henricus, qui debita non minuit, ſed auxit; qui non fratrum ſocietatem, ſed clericorum & laïcorum dilexit; non religionem, ſed inſolentiam aluit; non

theſaurum eccleſiæ redemit, ſed obligavit. Qui fratres noſtros in via Romana morti expoſuit; qui fratres eccleſiæ, a reditu fratrum noſtrorum a Roma, uſque ad depoſitionem ejus, omni victu & veſtitu ſpoliavit. Hoc ſcripſiſſe ſufficiat, & memoria iſtorum futuros in poſterum cautos reddat. Nomina inquiſitorum noſtrorum, quia nobis propitii fuerunt volumus ſcribere, ut memoria eorum celebris ſit apud nos in omni generatione. Fuit autem primus domnus CONRADUS in eccleſia S. Petri in Colonia major decanus, & domnus HENRICUS S. Gereonis decanus, & domnus ANSELMUS plebanus S. Brigidæ tertius. Iſti recedentes, procuratores conſtituerunt nobis, qui functi ſunt procuratione ſua uſque ad feſtum S. Martini. Medio autem tempore plurima capitula habuimus Coloniæ contra Henricum, qui poſt ſententiam in eum latam, appellaverat ad apoſtolicum. Cumque fratres noſtri viæ neceſſaria in veſtibus & equis procuraſſent, & in procinctu eundi conſtituti eſſent; prænominati inquiſitores partem ſuam interpoſuerunt, & nos Coloniam evocantes, pacem inter nos & adverſarium noſtrum fecerunt, & aliquos ei reditus, licet indigno, aſſignaverunt, & licentiam eligendi nobis dederunt. Nos autem peſtem diſſenſionis evitare [a] volentes, in duos griſios (a) abbates compromiſimus, qui fraudem in falſis fratribus invenientes, libertate electionis noſtræ nos privaverunt, & cuſtodem Florinenſem Waſelinum nomine, nobis tandem conſentientibus, præfecerunt; qui præſentatus epiſcopo Foſſis, ſeptimo decimo cal. Jan. ab eo eſt inveſtitus, & in die Natalis Domini benedictus. Qui ad eccleſiam noſtram accedens, eam obligatam a Henrico ſexcentis marcis invenit, pro quibus ſolvendis fratres noſtros, quod non ſine lacrymis dicimus, exulare per duos annos oportuit.

Interfecto crudeliter Philippo rege a comite ſcelerato, Otto rex totum regnum obtinuit, & de conſenſu principum filiam Philippi primogenitam ex diſpenſatione Innocentii papæ per duos cardinales, qui executores fuerunt, de quibus mentionem ſuperius fecimus, licet propinquam ſuam, duxit uxorem, ut ſecurius potiretur regno & rebus regni. Nec mora circa feſtum S. Johannis cum exercitu collecto quali potuit, principibus regni paucis ſecum euntibus, tranſalpinavit, Italiam intravit, Mediolanum venit, a Mediolanenſibus & eorum complicibus deſideranti devotione eſt receptus. Pauciſque evolutis diebus, ſubjugatis ſibi civitatibus, Romam venit, dominum papam adiit, conſecrationem imperii ab eo petiit & obtinuit, utpote is qui ab eo a principio electionis ſuæ

[a] Abbates griſii ſunt abbates ordinis Ciſtercienſis, ita appellati a veſtis colore, ad diſtinctionem abbatum ordinis S. Benedicti, qui nigri dicebantur.

A fuerat protectus & deſideratus: conſecratuſque eſt quarto nonas Octobris, de quo præſentium dictator dixit:

Octobris quarto nonas rex ungitur Otto.

Cum autem in eccleſia beati Petri conſecraretur, Mediolanenſes pontem Tiberis, qui vicinus eſt, potenter cuſtodiebant, ne conſecrationem ejus, ſicut animo ceperat, Romani impedirent. Conſecratus autem pacifice Romam exivit: cui ad portam civitatis Romani ex adverſo occurrerunt, alterutri graviter conflixerunt, multi vulnerati, pauci mortui, equi multi a parte utraque ceciderunt. Imperator autem vellent nollent in pace exivit, Mediolanum rediit. Illud autem non prætereundum, quod idem imperator antequam conſecraretur, apoſtolico promiſit & juravit, quod bona illa non repeteret, quæ idem apoſtolicus tempore diſſenſionis regum occupaverat & poſſederat. Otto autem potitus plenitudine honoris ſui, hoc ſacramentum pro nihilo reputavit, ut poſſeſſiones imperii apoſtolico & fratri ſuo relinqueret, & contra ſacramentum, quod principibus in Alemannia fecerat, res ad imperium pertinentes ſuo tempore diminutionem paterentur. Itaque caſtella & civitates quas papa occupaverat, ad deditionem compulit, & habitatores eorum ejecit, & ſuos impoſuit. Itaque orta eſt diſcordia & diſſidium inter ſacerdotium & imperium, & de incredibili amicitia orta eſt neſaſta diſcordia. Procedente tempore Innocentius papa tertius ſcripſit archiepiſcopis & epiſcopis & principibus, ſub pœna excommunicationis præcipiens, ne Ottoni dicto imperatori obedirent in aliquo, quia imperium obtinuerat in cavillatione & dolo, & volebat eum arguere & complices ejus de perjurio. Scripſit etiam regi Franciæ litteras querelis plenas, aſſerens Ottonem in tantam elationem perveniſſe, ut tam ipſum quam omnes reges vellet ſibi ſubjugare, & contra dilectum filium ſuum Fredericum regem Apuliæ, ad occupandum regnum ipſius diſponebat procedere. At contra Otto imperator de Allemannia mandat auxiliatores duces & comites, & omnes qui tenentur ei fidelitate & dominio ſervire. Adhuc permanet orientalis eccleſia ſub poteſtate Sarracenorum conſtituta. Bellum non conſummatum eſt ſub Heinrico fratre Balduini, ab hoſtibus ſuis crudeliter interfecti. Annona bono pretio, ſiligo duobus ſolidis, ſpelta xx. denariis, & hordeum & avena carior ſpelta.

Anno MCCX. ab Incarnatione Domini imperante Ottone & in Italia commorante, Hugone in epiſcopatu præſulante, hiems longa, aſpera & continua a calendis Januarii uſque ad feſtum S. Mathiæ apoſtoli, peſtilentia murium in agris, in ſatis & domibus, in villis. Idus Aprilis, hoc eſt Dominica in Palmis, hora nona audita ſunt tonitrua ma-

gna cum grandine miro, aëre mirabiliter mutato. Flores præter ſolitum tarde apparuerunt, vix aliqui flores arborum in Aprili apparuerunt, vix enim apparuerunt ſpicæ in ſiligine Urbani papæ. In vigilia S. Domitiani epiſcopi in nocte combuſta eſt illa nobilis & ſpecioſa Remenſis major eccleſia * cum majore parte civitatis. Remenſes de mandato regis vallum cum muris & turribus inchoant, & firmiter operi inhærent, ut credimus, propter metum Ottonis imperatoris, auxilium patruo ſuo regi Angliæ ferre volentis. Annona carior ſolito, ſiligo v. ſolidos, ſpelta quatuor. Seditio magna eſt orta inter epiſcopum & clericos majoris eccleſiæ pro diverſis cauſis, & moneta, & maxime pro beneficio cœnæ quam idem epiſcopus volebat eis quaſi de jure ſubtrahere. Propter hoc & his ſimilia, depoſuit organa ſua de communi conſilio Leodienſis eccleſia. Initiatum eſt hoc ſilentium ſabbato poſt aſcenſionem Domini, & protractum eſt uſque ad feſtum S. Andreæ apoſtoli; multaque epiſcopus promiſit, quæ male poſtea adimplevit. Hoc anno peſtifera hæreſis illa Abnoitarum, quæ diu latuerat, caput cœpit erigere, & quamdiu foverat hæreſim manifeſte propalare, & jam non in occulto, ſed potius in facie eccleſiæ, totum errorem ſuum confiteri & defendere. Erat autem talis modus erroris eorum: Corpori & Sanguini Domini detrahebant, non ſufficere ad ſalutem aſſerebant, & cetera ſacramenta eccleſiæ; ſcilicet baptiſmum, unctionem, matrimonium pro nihilo habebant. Ad hanc nefandam hæreſim corrigendam, immo extirpandam Innocentius papa tertius a latere ſuo cardinales & magiſtros quamplures miſit: qui doctrinam eorum non receperunt, ſed quibuſdam interfectis, alios ſpoliatos & verberibus & contumeliis affectos remiſerunt. Videns autem prædictus papa, quod doctrina non ſufficeret, ſed potius gladius: ſcripſit univerſis fidelibus Francis, Lotharingis, Alemannis, & ceteris regnis, quatenus in remiſſionem omnium peccatorum ſuorum, crucem ſibi imponerent, arma arriperent, & inimicos fidei in Provincia manentes, efficaciter expugnarent. Fœneratores ſoli ab hoc beneficio ſunt excluſi, niſi omnia reddant quæ fœnerando acceperant. Statim ſine mora fideles hoc beneficium, & maxime pauperes acceptant, ſignum crucis ſibi ante in dextra parte pectoris imponunt, & in calendis Septembris de omnibus regnis ad expugnandos hæreticos in Provinciam procedunt, & in brevi tempore adunata innumerabili multitudine, caſtrum fortiſſimum quod *Thermes* vocatur, cum domino ſuo Remundo obſederunt, & machinis & omni genere balearum impugnarunt, & tam ipſum caſtrum, quam habitatores ipſius cum duce ſuo Remundo in vigilia S. Clementis ceperunt. De habitatoribus autem caſtri quidam fugerunt, quidam capti ſunt, quidam in ore gladii ceciderunt. Remundus autem dux eorum captus & ferro oneratus ad noſtros eſt deductus, & ſic uſque ad diem mortis ſuæ permanſit captivus. Major autem pars fidelium facta quadrageſima ad ſua rediit, minor autem cum comite de Monteforti remanſit. Diſcordia inter I. papam & O. imperatorem non minuitur, ſed augetur. Papa O. publice excommunicat, & omnes fautores ſuos; & archiepiſcopis & epiſcopis præcipit, ut eum excommunicatum denuntient & vitent. O. autem regnum Apuliæ invadit, ſicut dicitur, ad contumeliam domini papæ, & ad injuriam F. regis Apuliæ. Obiit duciſſa Lovanienſis. Sanctus Richardus juxta Andernacum clarus habetur miraculis. Tota Anglia ſilet in divinis, propter archiepiſcopi electionem Cantuarienſis. In vigilia S. Thomæ tanta vis ventorum erupit, ut putares Æolum cum ventis adveniſſe omnibus, terramque velle extirpare. Non domibus, non altis turribus pepercit, inter quas campanile de * Solvia *violenter dejecit*: ita ut tectum monaſterii & preſbyterii confringeret, ſed modo optime reparatum eſt, ut apparet. Adhuc orientalis eccleſia, peccatis noſtris exigentibus, ſub poteſtate Sarracenorum eſt conſtituta. Annona bono pretio. Vinum ſex denariorum.

Anno MCCXI. Hiemis aſperitas. Motus ſignatorum. Secundo impetus Sarracenorum in Hiſpania. Occiſio ſignatorum incaute euntium, captio Vallis, obſidio Toloſæ, ſiccitas æſtatis & Auguſti. Defectus vini propter vineas gelu attritas. Denuntiatio facta in O. imperatorem de mandato domni papæ. Reditus fratrum, abſolutio debitorum uſque ad c. marcas. Diſcordia inter clericos Colonienſes & laïcos, ſed cito ſedata. Motus Moguntini contra imperatorem. Abundantia frugum.

Anno MCCXII. Hiems temperata. Mors Alberti comitis. Obiit * G. abbas S. Huberti. Februarius plurimum ventoſus cum aquarum inundationibus. O. imperator ab Italia & Apulia a domino papa excommunicatus revertitur. *Lætare Jeruſalem* Franckefort curiam habet celebrem, ubi octoginta principes ei occurrerunt multum flenti, & de rege Franciæ conquerenti. Illi curiæ archiepiſcopi & epiſcopi pauci interfuerunt, eo quod de mandato domini papæ eum excommunicatum denuntiaverant. In paraſceve per octo dies hiems fuit aſperrima, quæ omnes nuces abſtulit. Martius tamen * ſic ſicinius fuit. Archiepiſcopus Moguntinus & comes terræ, quæ *Lantgrave* dicitur, & Warnerus *de Bolant*, & Wormacienſis & Spirenſis epiſcopi, & alii multi O. imperatori fortiter ſe opponunt de mandato domini papæ. Qualem habet dominus papa poteſtatem talem contulit Moguntino in Alemannia, & ut eiſdem veſtibus

* Archivia igæ cõſumta fuerunt.

* *vel* de Sellia, de Solitia.

* Guillelmus.

* ſic in mſ.

utatur quibus dominus papa utitur, & equum album habeat. Kalendas Maii cives Leodienſes contra H. ducem * ad pugnam exeunt. Sequenti die redeunt confuſi & territi, tertia die civitas obſidetur, & in momento capitur & ſpoliatur; quarta & quinta die adverſarii aurum & argentum & omnia pretioſa civitatis rapiunt, matronas & puellas ad caſtra ſua deducunt, multi cives capiuntur; VI. die cives qui remanſerant pacem faciunt, ſed miſeram; VII. die a Leodio exercitus recedit. VIII. *Muſal* obſidetur ſed non capitur, Walevia vacua duci relinquitur; octava Aſcenſionis exercitus ducis recedit. ComesNamucenſis timens potentiam ducis, treugas petit. Epiſcopus cum paucis apud Dinantum latuit. Hoienſes cum duce pacem faciunt & ſe & ſua ſalvant. Aigulfus archiepiſcopus in Colonienſem archiepiſcopum reſtituitur, qui tempore Philippi regis a domino papa fuit deſtitutus. Synodus Hoii celebratur, tota Leodienſis eccleſia lamentatur, organa deponit & ſilet. (a) Inter epiſcopum & ducem treugæ dantur, uſque ad octavas S. Johannis Baptiſtæ: conſuſio Leodicenſis civitatis a præſentium ſcriptore per hos verſiculos exprimitur.

Anno milleno bis centeno duodeno
Leodium capitur, & frangitur, & ſpoliatur
A Brabantinis Vulcani fulmine dignis.

Obiit Juditta eccleſiæ converſa, mater Reineri præſentium ſcriptoris: Silveſtri papæ: requieſcat in pace.

Hac tempeſtate S. Leonandus XV. captivos liberavit, & januis eccleſiæ ſuæ patentibus, nullus oſtium introire præſumſit. Multi Francorum archiepiſcopi & epiſcopi, abbates & alii multi, contra hereticos (b) provinciales vadunt. Saraceni a Chriſtianis in Hiſpania reprimuntur. Sanguis ſicut de novo vulnere recens pluit trans Rhenum in ſilva, unde rami ſanguine cooperti Coloniæ ſunt delati. Fulgur in domo epiſcopi Foſſis cecidit, & tam eum quam ſuos terruit terribiliter. Ad aggerem reparandum per quem hoſtes introierunt, non ſolum laïci ſed & prælati cum clericis & monachis vadunt propriis manibus operantes. In calendis Julii treugæ ſolvuntur. Epiſcopus * de Francia & de propriis militibus & amicis & cognatis ſuis & rege Franciæ & comite de Flandria Ferrando, & duce *de Lanci* cui comitatus *de Muſal* contingebat, per quem tot mala evenerunt Leodienſi civitati, fere duo millia & quinquaginta milites cum innumerabili turba congregat. Dux tantam vim ferre non valens, per internuntios pacem quærit & impetrat, obſides & fidejuſſores dat; ſatisfacturus de damnis illatis & confuſione, *Muſal* & totam terram Alberti comitis abjurat: comes *de Bar* auxilium ei ferens nondum ceſſat, Uffei villam epiſcopi frangit & turrim diruit.

Motus puerorum mirabilis tam de Romano quam Teotonico regno, & maxime paſtorum tam maſculini ſexus quam feminini. Flebant autem uberrime illi quos patres & matres non ſinebant abire. Credimus hoc factum fuiſſe magica arte, quia labor eorum nullum habuit effectum, quia ad ultimum diſperſi ſunt, & via eorum redacta eſt ad nihilum. Erat autem eorum intentio mare ſe velle tranſire, & quod potentes & reges non fecerant, ſepulchrum Chriſti recuperare; ſed quia hoc opus a Deo non fuit, nullum effectum habuit. Æſtas Julii permaximus XV. primis diebus.

Dux falſis promiſſis epiſcopum deluſit, nec quicquam de promiſſis reſtituendis reſtituit. Sola Walevia relinquitur: civitas tam de muris, quam de lignis & aggere inſtanter firmatur. Uxor O. imperatoris moritur juvencula menſe Auguſti, filia Philippi regis *Bavenbere* crudeliter interfecti, anno deſponſationis ſuæ primo, ſine herede, nocte ſana, mane mortua. Puer Apuliæ Fredericus Alemanniam ingreditur cum favore domini papæ & regis Franciæ, & majore parte partis Italiæ menſe Septembri, F. rex Apuliæ ab omnibus charus habetur, Haghenon ingreditur Octobri menſe. Obiit Philippus comes Namucenſis eodem menſe, & ſepultus eſt in eccleſia S. Albani honorifice, ſorore ſua comitiſſa Autiſſiodorenſi caſtrum & comitatum fratris retinente. Ferrandus comes Flandrenſis Leodium venit ad componendum inter epiſcopum & ducem; ſed non perfecit. F. puero procedente & Moguntiam veniente, O. imperator deſtitutus auxiliis prioribus ceſſit, & circa Coloniam ſe contulit. Inter F. regem Apuliæ & regem Franciæ ad colloquium conveniunt in loco qui dicitur Vallis-color in octavis S. Martini, maxima turba principum & militum comitati. F. puer *Frankefort* revertitur Dominica prima adventus Domini, eligendus in imperatorem. O. Aquis venit, auxiliatores quæſivit, ſed non invenit, electionem prædicti F. impedire voluit, ſed non perfecit: & ita cum paucis receſſit. Dominica prima adventus Domini maximus conventus principum convenit, & F. puerum imperatorem elegit, inter quos fuerunt nuntii domini papæ & nuntii regis Franciæ; & ſicut nobis relatum eſt, fuerunt ibi v. millia militum. Menſe Julii gratia Dei innumerabilis turba Sarracenorum, quæ convenerat ad Hiſpaniam occupandam, a regibus Hiſpaniæ & peregrinis

* Brabantiæ.

* ſcilicet Leodiēſis Hugo.

[a] (a) In majori eccleſia depoſita fuit ad terram per menſes ferme decem & octo imago Crucifixi cum ſacris pignoribus S. Theodardi & ceterorum, dictiſque horis regularibus, ſuccedebant quotidie canonici S. Ægidii; ac tum, expleto ſacrificio altaris, unus e ſacerdotum ordine ſacris indutus, ad templi medium cum univerſo clero procedebat, proſtratique omnes clamabant: *Aſpice domine de ſede ſanctâ tuâ, &c.*

[b] (b) Hi provinciales hereticj alii nobis non videntur, quam Albigenſes, qui Septimaniam aliaſque provinciæ proximas regiones infeſtabant.

reprimitur & debellatur ; & fere LIII. millia moriuntur, exceptis mulieribus, & diripiuntur ſpolia eorum cum papilionibus. Benedictus per omnia Deus, qui ita repreſſit adverſarios noſtros, & magnificavit fideles ſuos. Annona bono pretio fuit. Spelta duobus ſolidis, ſiligo XL. denariis, vinum VII. den. Adhuc Leodienſis eccleſia depoſitis organis ſilet, propter ſceleratiſſimum ducem, qui ita inopinate & crudeliter violavit civitatem.

Anno MCCXIII. Innocentio cathedræ Romanæ præſidente, mirabiliter O. humiliato, F. rege Apuliæ ſublimato, Dei voluntate, auxilio domini papæ & regis Francorum, Hugone in Leodio præſulante, in anno humiliationis civitatis Leodienſis a duce Brabantino Henrico perfido, pace nondum inter epiſcopum & ducem reformata : ſed tota Brabantia ſub interdicto poſita, & epiſcopatu univerſo organis depoſitis ſilente ; O. humiliatus Dei judicio uſquequaque latet circa Coloniam, & in caſtro quod *Wendene* vocatur, in extremis partibus regni, aliquando vero in Saxonia. Fredericus autem totum dominatum imperii obtinet in Alemannia & favorem principum.

Hiems longa ſed temperata a calendis Novembris uſque in Paſcha, hoc eſt Tiburtii & Valeriani. Proceſſus florum tardus, ſed poſtea bonus. Nivis modicum ſed glaciei plurimum.

Otto cum Aquenſibus & comite Juliacenſi comitem Hollandiæ impetit & maximam partem terræ ſuæ incendit : cui ille viriliter reſiſtit. Item ſignatorum ſuper hæreticos in remiſſione peccatorum ſignatur multitudo, inter quos abbas noſter Wazelinus & Florinenſis Johannes ſignantur, & plurimi monachi. Dux Brabantinus regi Franciæ occurrit in palmis filiam ejus accepturus, uxorem Philippi comitis Namucenſis, qui in eccleſia beati Albani Namuci clarus habetur miraculis, ſicut qui viderunt & audierunt teſtantur. Epiſcopus ſimiliter ad eamdem curiam vocatus non venit, ſed reſponſales miſit, ne regis petitionibus ad inconveniens duceretur, & regi Apuliæ, qui apud Confluentiam curiam ordinaverat tenendam, occurrit cum multitudine infra dies Paſchæ. Et cum apud Laudunum eſſet citatus ab executoribus ſuis, ſuggeſtione regis & ducis idoneos reſponſales miſit, qui ita cauſam ducis impedierunt, quod abſolvi non potuit ; ſed excommunicatus ab excommunicato ſacerdote, filiam regis in uxorem deſponſavit. Curia nominata Confluentiæ non fuit, licet multi principes convenerant ; quia Fredericus rex Apuliæ occupatus majoribus negotiis non venit. Itaque principes ſicut convenerant apud Confluentiam, ſe ad præſentiam ejus tranſtulerunt ; inter quos fuit H. Leodienſis epiſcopus, [qui] remiſſa maxima parte ſuorum, ſe tranſtulit cum paucis. W. abbas S. Jacobi licentiam epiſcopi obtinere non valens, licet ſignatus, remanſit. Otto cum paucis ad Coloniam receſſit, & in Saxoniam ſe tranſtulit.

Circa Maium vinum carum & rarum VIII. den. annona bono pretio, ſiligo IV. ſolid. ſpelta XXVIII. den.

Adhuc orientalis eccleſia detinetur a gente Sarracena. Heinricus poſt fratrem ſuum Balduinum, qui fuit comes Flandrenſis, imperat in Græcia & in civitate Conſtantinopolitana. Philippus regnat in Francia, Johannes in Anglia.

Inter Ottonem & F. de imperio magna diſcordia. Fredericus puer collectis fautoribus ſuis, inter quos fuit dux Bohemiæ & langravius, qui comes terræ dicitur, multiſque aliis, Saxoniam ingreditur, quam devaſtat bello & incendio. Ottone non valente reſiſtere, ſed infra *Brouſuhic* ſe detinente. Marchio *de Mince* ſe confœderat Frederico puero, relicto Ottone. Bellum maximum ortum eſt inter regem Franciæ & comitem Flandriæ occaſione comitis Boloniæ, quem rex a terra ſua expulerat, & comes inconſulte detinebat.

Rex igitur ſimulans ſe in Angliam tranſire, claſſem maximam in littore maris Anglici adunavit, auro & argento, paneque, vino & innumerabili ſuppellectili ditavit & implevit, & ex inſperato comitem prædictum habens in comitatu ſuo, Flandriam invaſit, & in quantum potuit ſibi ſubjugavit. Comes vero videns ſe defraudatum, collectis ſuis fautoribus & comite Boloniæ, ad naves ſe tranſtulit, ſpoliavit, fregit & incendit. Poſtea exercitum regis invaſit, & eum, vellet nollet, cedere coëgit. Plurimos de ſua parte perdidit & partis alterius cepit. Itaque bellum invaluit, modo proſperum habens belli impetum. Ferrandus comes Flandrenſis ſe confœderat regi Angliæ. Qui rex miſit ei infinitam pecuniam, ut daret donativum largiter militibus de omnibus vocatis regionibus, quod & fecit. Nam eo tempore, quo facta eſt victoria per epiſcopum Leodienſem contra Brabantinos, Deo volente, erant cum ipſo comite pluſquam CL. milites noſtræ terræ, qui donativum expectabant ab ipſo comite, & hoc multum nocuit parti noſtræ, ſcilicet die belli, effectus iſte, ſicut in ſequenti deſcribemus. Ferrandus igitur comes Flandrenſis potenter reſiſtit exercitui regis, Tornacum frangit, & ad ultimum ſubjugat ſibi. Hoc ſufficiat ſcripſiſſe ad præſens de rege Franciæ & comite, quia plurima quæ hoc anno evenerunt, cogunt nos alias ſtilum vertere.

Peregrini qui in Paſcha contra infideles abierunt, circa feſtum S. Johannis redierunt, ſed parum profecerunt. Illi autem qui poſt eos abierunt profecerunt, quia rex Arrago-

num, ſtipatus multitudine bellatorum, menſe Septembri contra fideles noſtros & maxime contra comitem Montis-fortis arroganter venit, ſperans cum ſua multitudine a terra expellere; ſed Dominus aliter ordinavit: quia comes prædictus cum paucis ad eum venit in nomine Domini, & rege in primo belli impetu occiſo, de adverſariis triumphavit, quos vel gladius devoravit, vel Gerunta fluvius demerſit, quorum numerus adhuc manet incognitus. De noſtra vero parte duo tantum, Chriſto eos regente, cecidere. Regina Hungariæ in palatio ſuo a Hungaris crudeliter & inopinate interficitur, marito ſuo vix evadente. Innocentius papa III. inſtructus divinorum librorum auctoritate & maxime libri Apocalypſis, & perſuaſus a rege Græciæ, ſcripſit (a) univerſis fidelibus, quatenus crucem Chriſti ſibi aſſumerent, & in exemplum illius qui pro nobis crucem in angaria tulit, in Orientali eccleſia, quæ adhuc, peccatis noſtris facientibus, ſub poteſtate eſt Sarracena, in remiſſionem omnium peccatorum ſuorum, contra inimicos crucis laborem adſumerent; quia, ſicut ei videbatur, hac vice, ſecundum auctoritatem ſcripturarum, Deo auxiliante bene eos de patrimonio Domini expellerent. Ad hoc mandatum expediendum legatos ſuos miſit magiſtrum Robertum in Francia, & alium Alatrinum nomine in Alemannia. Johannes rex Anglicus poſt mortem Richardi fratris ſui regis, perdidit quicquid terræ poſſidebat in tranſmarinis partibus, ſcilicet Normandiam, Pictaviam, excepta modica parte quam videtur adhuc poſſidere.

[a]

De victoria Leodienſium facta contra ducem Brabantinum.

Sicut ea quæ ſcripſimus de obſidione, captione, exſpoliatione civitatis, matronarum & virginum violatione, quantum ad nos, ſapiunt confuſionem; ita ea quæ ſcribimus de laudabili victoria, quæ facta eſt, ut credimus, meritis patroni noſtri beati Lamberti, Dei ſapiunt laudem & noſtram relevationem.

Ferrandus igitur comes Flandrenſis & Hainonenſis, qui ſe fidejuſſorem epiſcopo pro duce conſtituerat de ſatisfactione, paululum reſpirans a bello regis Franciæ, mandavit epiſcopo domino ſuo, quatenus ſe ad pugnam præpararet, & in terra ducis intraret, quia paratus & ipſe erat in aliam partem quæ propinquior ei erat intrare: eo quod prædictus dux nimium tardabat de ſatisfactione, quod & fecit. Nam illam partem quæ interjacet Flandriæ & Bruxellæ, cœpit devaſtare & cremare; ſed audito reditu regis Franciæ pedem retraxit a cœpto opere. Audito itaque dux Brabantinus ejus receſſu, infremuit; & quam citius potuit exercitum ſuum adunavit, & ex inſperato Haſbaniam intravit, utramque Waleviam & *Tirnines* ſuccendit, turrim Waleviæ capere non potuit, & ſic exercitum ſuum contra Waremiam direxit, villam ſuccendit, caſtro nocere non potuit.

Procedens itaque, exercitu ſuo ſubſequente, feria VI. illuceſcente verſus Tungrim iter ſuum direxit, & omnes villas, quas in eundo ex hac parte Jairæ oppoſitas invenit, ſpoliavit & combuſſit. Jairam autem non tranſivit, nec aliquid terræ comitis *de Los* nocuit.

Veniens itaque ad villam quæ *Ovile* dicitur, exercitum ſuum ordinavit, ſed a Tongrenſibus ex altera parte pontis diu eſt detentus, ibique diu eſt bellatum; & quia Tungrenſes ultra non poterant ſuſtinere bellum, nec reſiſtere multitudini, roverſi ſunt ad ſuum oppidum. Quidam autem cum ſuppellectili ſua & uxoribus & parvulis eccleſiam intraverunt, quidam autem cum comite *de Los* abierunt, & in caſtro quod *Chalmont* dicitur, ſe & ſua ſalvaverunt. Exercitus autem ducis Jairam tranſiens, oppidum violenter intravit, & illam olim famoſiſſimam civitatem, modo vero modicum oppidum ſpoliavit & ſuccendit, & quia eccleſiæ & turri propter fortiſſimos bellatores ſe viriliter deffendentes nocere non potuit, ad villam prædictam, ſcilicet *Ovile* rediit, ibique jacuit.

Mane autem facto partem exercitus ſui, ut eccleſiam & turrim de Tungris frangerent, miſit, ſed non profecerunt; ſed a parte noſtra viriliter eis reſiſtentibus, de exercitu ſuo XXX. mortuos & totidem captivos reliquerunt. Nocte illa ſuum clamatorem clamare fecit, ut diluculo ſe præpararent, quia dominus eorum Leodium volebat ire, iterum frangere & ſpoliare, & de racemis qui eo tempore maturi erant comedere. Sed Dominus, qui potens eſt conſilia principum ad nihilum redigere, aliter ordinavit, quia quodam terrore percuſſi, ſabbato tota die recedentes, & villas ſibi oppoſitas comburentes, & exercitum Leodienſium videntes ſibi oppoſitum, ad caput ſuæ terræ ſunt reverſi, & in villa quæ Vinale dicitur, ad tumbas jacuerunt. Modo ſufficiat hoc ſcripſiſſe de perfido duce, qui XL. villas veniendo & & redeundo combuſſit, inter quas eccleſiæ & curiæ noſtræ de dono Cirici non pepercit.

Scribamus ergo de Leodienſi epiſcopo & de comite *de Los* Lodowico, ſpeciali & fideli ejus filio. Prædictus itaque comes *de Los* cum paucis Leodium venit, epiſcopum dormientem invenit; quem multum arguit, cur ita eſſet deſidioſus, cum de villis ſuis, quas dux comburebat, uſque ad civitatem deſcenderet fumus. Omnes quoque cives ita erant perterriti, ut fugere vellent, ſi non eos conſilia comitis & auxilium detinuiſſent.

(a) Harum litterarum partem refert Odoricus Raynaldus ad annum 1213. n. 1.

Interim exercitus cœpit multiplicari, & de diverſis partibus epiſcopatus venerunt quotquot fuerunt vocati. Et quia Hoienſes & Dionantenſes nondum venerant, quos noſtri expectabant; epiſcopus de nocte Hoium venit, & accenſis facibus cum luminaribus, eos quaſi cum lacrymis, ut quantocius venirent, monuit, quia dux & exercitus ejus fugiebant, qui terram eccleſiæ beati Lamberti combuſſerant, quod & fecerunt: ſecutique epiſcopum, ſe ſummo diluculo Leodienſibus adjunxerunt, ſicque tota die exercitum ducis giraverunt, & libenter eis ſæpe ſuiſſent congreſſi; ſed propter abſentiam comitis *de Los*, qui nondum venerat, non ſunt permiſſi. Prædictus vero comes apud Bruſtemiam caſtrum, ſuum congregabat exercitum. Fuit autem in eodem exercitu dux Ardennæ; ſed utilius qui vocaverant eum, feciſſent eum remanſiſſe. Fuerunt autem duces exercitus noſtri Teod. de Rupe-forti, Hugo de Florinis, Arnulfus de Morelli-manſo, ſed non interfuerunt, exceptis paucis, illi de Dono-Martini, quia, ſicut credimus, non fuerunt digni. Nam, ſicut audemus præſumere, pacem fecerant perfidi cum perfido duce. Itaque tota die, hoc eſt ſabbato, exercitu noſtro collecto, proceſſerunt, & in villa quæ dicitur *Lens* ſuper Jairam, illa nocte jacuerunt. Comes vero cum ſua phalange jacuit eadem nocte Bruſtemiæ. Miſſis itaque de nocte inter epiſcopum & comitem nuntiis, decretum eſt ut media nocte conſurgerent, & ſummo diluculo exercitibus ſuis conjunctis in loco qui *Steppes* dicitur, convenirent; quod & fecerunt, & in loco prædicto, ſicut prædictum erat, ſe conjunxerunt. Fuitque aliquis inter noſtros, qui equo velociſſimo inſidens, duci de loco in quo jacuit dixit, ne receederet, ſed dominum ſuum qui ei congredi pugnando volebat expectaret. Comes ei etiam mandavit, quatenus domino ſuo ſatisfacturus veniret, alioquin hominium ejus depeneret; quia domino ſuo in jure ſuo deeſſe non poſſet.

Congregatis autem exercitibus, noſtri ſuas acies ordinaverunt, comitemque *de Los* in capite belli poſuerunt, ſtiparum ſuis militibus. Theodericum vero de Rupeforti in alio capite cum Dionantenſibus; in medio vero Leodienſes & Hoyenſes, & quotquot venerant de epiſcopatu bellatores. Dux vero licet libenter effugiſſet, niſi timorem ſuperbia viciſſet, ſuas acies ordinavit, & monticulum unum qui aliquantulum altior erat, occupavit, & noſtros in valle conſtituit, ſolemque oculis eorum oppoſuit, & eos qui fortiores & potentiores exercitus ſui erant milites monuit, ut ſi comitem poſſent capere vel interficere, ipſe remuneraret eos incredibili remuneratione; & arma ſua depoſuit, quæ cuidam militi nomine Heinrico *de Holdeberges* induenda tradidit, ut eſſe dux putaretur, & ipſe ſine armis melius celaretur. Exercitus autem utriuſque partis paulatim ſe appropiavit, ita ut ſpatium breve inter eos videretur diſtare. Pedites autem exercitus noſtri fixis in terram lanceis & cuſpidibus ante poſitis, quaſi murum de ſeipſis fecerunt: & adverſariis clamantibus, & ipſi fortius clamaverunt, & pulverem in oculis eorum jacientibus, & ipſi eis amplius fecerunt.

Interim epiſcopus ad eos venit, & ut peccata ſua confiterentur & culpas ſuas dicerent monuit, & ſic eos abſolvit. Cumque ad recipiendam abſolutionem eſſent inclinati, irridebant eos Brabantini, & dicebant: Ecce miſericordiam petunt, & ut eis miſereamur nobis inclinant. Comes vero *de Los* impetum belli videns imminere, acceſſit propius cum ſua phalange, & clamans tertio titulum ſui comitatus, ſcilicet *Los* mediocri voce, audacter cuneos hoſtium penetravit, & ut ſocii ſui idem facerent manu innuit. Statim totum pondus belli verſum eſt in comitem & milites ducis. Sicut præconceperant eum capere vel interficere volebant: ſed comes non diſſimilis Rolando vel Olivero, ſe tuebatur clypeo & gladio. Cum autem cum paucis eſſet in adverſariorum ſuorum medio, frater ſuus Heinricus Trajectenſis præpoſitus, cum aliis ſuis fidelibus advolat velocior aquila, non quaſi clericus, ſed quaſi miles; non quaſi præpoſitus, ſed quaſi Hector & Achilles; & cum jam frater ſuus eſſet pedes, truncato pede equi ſui, iterum alio equo eum impoſuerunt & audacter univerſis pugnantibus, eum qui arma ducis ſuſceperat interfecerunt, & ſicut fluit cera a facie ignis, ſic fluxerunt adverſarii, qui ad capiendum eum venerant, & in ore gladii ceciderunt. Interim iſtis ita litigantibus, & in adverſarios ſtragem facientibus, alii qui erant in alio capite, ſcilicet Theodericus de Rupeforti & ſocii ſui, adverſarios qui erant eis oppoſiti, virtute armorum fregerunt, & ſtragem maximam de eis fecerunt. Itaque Leodienſes & Hoyenſes & quotquot venerant partis noſtræ auxiliatores, ſimiliter impetum fecerunt in eos qui eis erant oppoſiti, & ſicut ſolent lupi rapaces gregem ovium diſcerpere, ita Leodienſes propter illatas injurias ſecuribus & acutis cultellis & gladiis Brabantinos eviſcerare. Dux autem & complices ſui videntes belli eventum, & tantum impetum ferre non valentes, in fugam ſe verterunt qui erant equites, & paſſim capiebantur vel interficiebantur qui erant pedites. Et hoc notandum quod noſtri non intendebant prædæ, ſed occiſioni partis adverſæ. Cumque dux Ardennæ videret partem cognati ſui tam miſere ſuccumbere, fugam ſimulavit, & venientibus hominibus comitis dixit: Fugite miſeri, fugite, quia dominus veſter eſt mortuus & epiſcopus captus. Qui timore tanti rumoris perterriti, aliquantulum retro redie-

runt. Sed iterum audito rumore victoriæ, velociores aquilis ad pugnam redierunt; & quia jam noſtri adverſarios cædendo & interficiendo per milliare unum perſecuti fuerant, mortuos invenerunt, & eos ſpoliaverunt, & quidquid in plauſtris hoſtium repererunt, rapuerunt. Itaque fuga illa profuit ſubſequentibus, nocuit autem præcedentibus. Fugientibus itaque Brabantinis Dei judicio & beati Lamberti meritis, milites noſtri & quotquot erant equites, equis ferro tectis inſidentes, miſeros fugientes pectoribus equorum proſternebant, quos noſtri pedites levatis loricis & galeis depoſitis, ſecuribus & cutellis ſtatim interficiebant, nec de ſpoliis eorum curantes, pedem a perſecutione non retrahebant. Sic uſque ad villam quæ vocatur Capelli-villa, & ad aliam quæ Hallei dicitur, eos cædendo & capiendo ſunt perſecuti, & jam labore longi certaminis fatigati, deſierunt eos perſequi. Fracta itaque ducis ſuperbia, ipſe cum paucis tranſtulit ſe ad tutiora ſuæ terræ loca. Celebrata eſt ergo hæc victoria hora VI. Dominica qua cantatur *Juſtus es Domine*, tertio idus Octobris menſe; & quia nihil eſt velocius fama; ſignificatum eſt civitati tale gaudium hora nona. Statim campanæ quæ diu ſteriles extiterant, longo tractu ſunt pulſatæ; & matronæ & puellæ civitatis & viduæ ornaverunt faciem templi immenſis luminaribus & pluribus cereis, & cithara quæ verſa fuerat in luctum plorationis, propter confuſionem civitatis, modo converſa eſt in gaudium exultationis & laudis. Nec illud prætereundum eſt, quod ſol, qui tempore belli clarior ſolito micantibus radiis oppoſitus erat bellatoribus noſtræ partis, quadam nubecula ſe texit, & ulterius noſtris non nocuit. Veſpertina autem hora appropinquante, epiſcopus & duces belli & totus exercitus a cæde Amalecitarum, hoc eſt Brabantinorum, rediere; & ſicut ſolent gelimæ tempore meſſis in campis jacere, ita cadaveribus mortuorum per campos per quos tranſibant, ſtipatos invenere, nudos ſine omni veſte, truncatos manibus, pedibus & capite, & quod miſerum eſt dicere, ipſis genitalibus carere, quia * illi qui prius ammonitione * ducis fugerant, ipſi cum * alii eſſent in congreſſu belli eos mutilaverant. Illa nocte * epiſcopus exercitus in villa quæ dicitur *Hanut* venit, ibique jacuit, eamque ſpoliavit & ſuccendit, & cum fortiter caſtrum impugnaret, & eos qui intus erant ad deditionem compelleret, malo & inutili uſus conſilio, claves caſtri recepit, & eos qui intus erant juramento aſtrictos remanere permiſit. Sequenti autem die cum vellet exercitum verſus Lovanium dirigere, comite fortiter inſtante, ut oppidum quod *Lieus* dicitur, primo diueret, annuit, & totam terram quæ ex hac parte * Jaciæ ad ducem pertinet in eundo ſuccendit, & ſic ad oppidum pervenit quod prædiximus. Tunc primo Trudonenſes exierunt, & villam *Lieus* ſpoliaverunt & combuſſerunt, & quidquid in ea erat de lignorum materia tam in ædificiis quam in munitionibus, tranſtulerunt Trudonenſes in plauſtris, in vehiculis, in ſcapulis verſus ſuos. Diruto itaque oppido *Lieus*, & exercitu in triplo multiplicato, decretum eſt, & in exercitu clamatum, ut ſe diluculo præpararent, quia verſus Lovanium irent; ſed alius caſus emerſit qui multum propoſitioni eorum nocuit; quia nuntii de Hoyo venientes, & victualia exercitui adducentes, graviter ſunt conqueſti, quod illi qui in *Hanut* erant eos ceciderant, ſpoliaverant, & victualia quæ exercitui deferebant, abſtulerant. Super hoc epiſcopus diligenti habito conſilio, cum comite & exercitu univerſo, ſeipſum culpans, quod malo uſus eſſet conſilio, *Hanut* rediit, & per locum & campos in quibus cadavera mortuorum jacebant, tranſiit, aggerem diruit, turrim effodit, & eos qui intus erant, vix petitione multorum illæſos abire permiſit.

Nunc de numero occiſorum & captivorum volumus ſcribere, ſicut ab eis audivimus qui eos tumulaverunt veridica relatione. Occiſi duo millia & quingenti, adjunctis his qui Tungris & in veniendo & redeundo ſunt interfecti. Numerus vero captivorum nobis eſt præ multitudine incognitus, ſed eis qui ad redemtionem gravilli... am coëgerunt eſt notiſſimus. Dux autem videns ſe confuſum eſſe, & populum ſuum fugientem a facie venturæ iræ, & terram ſuam ſub poteſtate epiſcopi conſtitutam eſſe, acceſſit ad comitem Ferrandum Flandriæ, eumque humiliter cœpit implorare, quatenus omnimodis laboraret, ut epiſcopus cum exercitu ſuo a terra ſua recederet, & ipſe duos filios ſuos ei obſides daret, quod epiſcopo, ſicut prius promiſerat, ſatisfaceret. Quantam confuſionem dux paſſus eſt ibi a Flandrenſibus longum eſt enarrare, ei inſultantibus. Statim ſine mora comes Flandriæ cum comite Boloniæ ad epiſcopum acceſſit, per campum in quo cadavera mortuorum jacebant tranſivit, nec ſatis mirari potuit de tot mortuis. De hoc negotio cum epiſcopo & ducibus exercitus diu tractavit, treugas uſque ad Purificationem S. Mariæ obtinuit, duos filios ducis obſides accepit & receſſit. Epiſcopus in terra ducis X. diebus ſedit, & XXXII. villas ei combuſſit, & ſic victor exiſtens per gratiam Dei Leodium rediit. Præterea cum majoribus perſonis diligenti habito conſilio, vix obtinuit ut ad laudem Dei reſumerentur organa, quæ propter ſpoliationem civitatis a perfido duce fuerant ſuſpenſa. His omnibus non interfui, ſed a veridicis relatoribus audivi qui interfuerunt, quia eodem tempore eram Moſellæ conſtitutus in fratrum procuratione. His omnibus finitis, miſeris Amalecitis,

* Homines ſcil. cet comitis Loſſenſis.
* Ardennæ ſcilicet.
* Leodienſes ſcilicet Hoienſes, Dio a - tienſes, Foſſenſes, &c. perſequendo Brabantinos.
* *l.* epiſcopus cum exercitu *vel* epiſcopi exercitus.
* *vel* Laciæ.

citis, hoc eſt Brabantinis, aliis ſemi-ſepultis, aliis vero in foveis quæ * Marlariæ vocantur projectis, canes comprovinciales turmam fecerunt, cadavera mortuorum effoderunt, & eos indifferenter comederunt, & in tantam pinguedinem converſi ſunt, ut in rabiem converterentur, ita ut vix unus vel duo, etſi plures eſſent, per terram illam auderent tranſire, niſi muniti fuſtibus vel gladiis, quibus poſſent ſe ab impetu canum defendere. Nec illud volumus tacere quod Hoyenſes cum *Lieus* deſtrueretur, imaginem Salvatoris in aſino ſedentem in quadam eccleſia invenerunt, rapuerunt, & vehiculo imponentes, ſecum cum magno gaudio deduxerunt, & cum redirent Hoyum, devotiſſime in eccleſia S. Sepulchri reliquerunt. Itaque verſum eſt in proverbium, quod Deus Brabantiæ venerat in caſtrum Hoyenſe. Præterea quia varius eſt eventus belli, & quia non debemus ſolum de caſu adverſariorum dolere, verum etiam veritatem non tacere, dicimus quod ex parte noſtra XXVII. cecidere, inter quos Anſelmus miles *de Fleron*, cecidit vicinus noſter & cognatus. Qui, ſicut ſperamus, a noſtris ſunt interfecti propter confuſionem Romanæ linguæ & Teutonicæ; quia alii alios non cognoſcebant, ſed quoſcumque proſtratos inveniebant, paſſim interficiebant. Aliqui etiam ex noſtris fuerunt capti, quos ad redemtionem coëgerunt Brabantini.

Annus iſte finem poſtulat, ſed prius volo tres utilitates deſcribere quæ apud nos ſunt inventæ omni memoria dignæ; videlicet marla de qua plurimum impinguatur terra, & terra nigra carbonum ſimillima, quæ fabris & fabrilibus & pauperibus ad ignem faciendum eſt utiliſſima, & plumbum quod apud nos in pluribus locis eſt inventum. Hyems longa a calendis Novembris uſque ad octavas Paſchæ, ſed non continua: annona bono pretio, ſiligo trium, ſpelta duorum ſolidorum, vinum ſeptem den. Cives ſollicite inſtant operi, muris & aggere civitatem claudentes. Adhuc orientalis eccleſia detinetur a gente Sarracena. Bellum maximum inter regem Franciæ Philippum & comitem Flandriæ Ferrandum.

MCCXIV. Anni ab origine mundi v. millia CLXV. cum anno præſenti, mille vero CCXIV. ab Incarnatione Domini . . . . . a fundatione eccleſiæ, indictione ſecunda, epactis VII. concurrentibus duobus, die paſchæ tertio calendas Aprilis exiſtente; Fredericus rex Apuliæ & Allemanniæ curiam celebrem habet Spiræ in Natale, qui de conſilio amicorum ſuorum corpus patrui ſui Philippi regis *de Bavenberg*, ubi ab impio comite fuit interfectus & ſepultus, fecit deferri Spiræ, & ibi ſepeliri in eccleſia honorifice, ubi imperatorum & regum corpora plurima ſunt tumulata. Obiit Theobaldus comes *de Bar* & de Ardenna, qui poſt priores uxores quas habuit, noviſſimam Ermenſedem filiam Henrici comitis Namucenſis accepit; quæ de comitatu Namucenſi per Balduinum comitem Hainonenſem injuſte fuit exheredata, ſed ad ultimum quoſdam reditus obtinuit in Flandria recompenſationis gratia. Iſte comes, licet fuerit ferus, præcipuus tamen fuit in armis & bellicoſus. Iſte in diebus ſuis tantam pacem fecit in uxoris ſuæ Ardenna, qualis ante non fuerat, aut vix erit poſtea. Inter epiſcopum H. & ducem Brabantiæ in Purificatione S. Mariæ ſolvuntur treugæ, prædictus autem epiſcopus & comes L. propter felicem adventum, omni depoſito timore, ad pugnandum viriliter præparant ſe, milites ex omni parte convocant, de quorum auxilio ſpecialius confidebant. Cives & univerſos epiſcopatus pedites ad reſiſtendum cohortantur, cives nova ſigna faciunt, arma reparant, & tempus pugnæ conſtanter expectant.

Interea comes Flandrenſis partem ſuam efficaciter & fideliter interpoſuit, & ducem ad ſatisfaciendum epiſcopo & eccleſiæ Leodienſi omnimodis induxit, & ſe redditurum epiſcopo XV. millia librarum alborum & centum libras Leodienſium ad opus eccleſiæ, datis obſidibus duobus filiis ſuis, conſtanter promiſit; nec multo poſt ſatisfacturus pridie cal. Martii Leodium venit, & tam ipſe quam tota terra ſua abſolutionem obtinuit; eccleſiam intravit, crucifixum de terra relevavit, ante corpus beati Lamberti humiliter procubuit, & cantantibus clericis *magna vox*, ipſe orationi incubuit, & ſurgens præſentibus magnatibus, qui ibi aderant, tam epiſcopum quam comitem *de Los* in oſculo pacis ſuſcepit, & ſic unde venerat rediit.

In capite jejunii magiſter Oliverius Colonienſis ſcholaſticus & magiſter Herimannus Bonnenſis decanus, a domino papa litteras & mandatum habentes, Leodium veniunt de cruce ſermonem faciunt, accipientibus crucem remiſſionem omnium peccatorum promittunt, per totum epiſcopatum prædicando vadunt, & multis utriuſque ſexus crucem imponunt, proceſſiones omni prima feria ſexta menſis ordinant. Collectiones ad opus viæ Jeroſolymitanæ fieri præcipiunt, vicem ſuam magiſtris committunt & recedunt. Dictus imperator Otto Aquis in palmis venit, fautores ſuos collegit, congreſſuſque comiti Ghelrenſi, villam ejus optimam *Ruremonde* ſpoliavit & combuſſit. Epiſcopus Leodienſis & L. comes *de Los* feria tertia poſt palmas ſtipati multis Trajectum vadunt, pontem frangunt, timentes Ottonem & ſuos fautores, ne ex improviſo pontem tranſeant & damnum eis inferant, trabes quæ ſolivæ vocantur, ad villam quæ Nivella vocatur deducunt.

Johannes rex Anglicus confœderationi

* Gallice ut opinor *Marres*.

Ferrandi comitis Flandrenſis confiſus, mare tranſiit, Pictaviam intrat, fautores ſuos colligit, regem Franciæ impetit; cui rex viriliter reſiſtit, & eum retrocedere cogit. Ferrandus comes Flandrenſis dominum ſuum epiſcopum humiliter exorat, quatenus regem Ottonem tranſire permittat, qui ei auxilium contra regem Franciæ ferat. Epiſcopus petitione ipſius motus, petitioni ejus annuit, & ut pons reparetur concedit, & datis obſidibus, prædictus O. ut pacifice tranſeat & pacifice redeat concedit. Itaque rex Trajectum venit, & ex altera parte Moſæ ſedit, ad quem comes Ferrandus, & comes Boloniæ, & dux Brabantiæ, comeſque *de Los* convenerunt & diu de negotiis ſuis tractaverunt. Interea epiſcopus fraudem eorum timens, & ſe fidei eorum non credens, ſano fretus conſilio, de epiſcopatu ſuo homines ſuos convocat, & duo millia peditum congregat, & ſeptingentos, quos omnes * *Vitalis martyris* habuit congregatos. Qui omnes ad pugnam ſe præparaverunt, & mœnia civitatis ad reſiſtendum viriliter munierunt.

* Supple in die.

Interea comes Ferrandus partem ſuam interpoſuit, & de conſenſu utriuſque partis treugas uſque in octavis S. Johannis impetravit, & ſic exercitus noſter pridie cal. Maii ad propria loca receſſit. Prædictus vero Otto cum duce Brabantino de matrimonio filiæ ſuæ tractavit & confirmavit, quam parvulam in expeditione Aquenſi deſponſavit, & ſecum coronavit, ſicut in præcedentibus annis lector invenire poteris. In vigilia Pentecoſtes dux cum filia ſua Maria Trajectum venit, quam prædictus Otto in ſecunda feria Penteçoſtes deſponſavit, non per epiſcopum vel per ſacerdotem, ſed per Wilhelmum Hollandiæ comitem, quam ſtatim Aquis deduxit, & ibi nuptias ſuas celebravit. Eadem hebdomada rex Daciæ uxorem accepit ſororem Ferrandi comitis Flandriæ. Waleranus filius ducis Ardennæ viduatur uxore, videlicet Ermenſende, quæ fuit uxor Thiebaldi comitis *de Bar* & filia H. Namucenſis. Bellum maximum inter regem Franciæ & regem Angliæ & comitem Ferrandum & ſuos complices. Inæſtimabilis turba ſignatorum Jeruſalem vota ſua facientium & collectiones, oblationes in omnibus eccleſiis fiunt, & trunci ponuntur ubi oblationes ad opus ſignatorum ponuntur. Toloſa convertitur, & utilitati eccleſiæ redditur. Henricus quondam præpoſitus Trajectenſis frater L. comitis *de Los* fit miles, & comitiſſam *de Hoſtade* accepit uxorem. Inauditus impetus utriuſque ſexus & oblationes infinitæ pro remiſſionibus ſecundum voluntates prædicantium conceſſis in diverſis locis. Walerandus exercitum magnum congregat, caſtrum novum firmat quod *Incidens-ferrum* appellat. Bovinium impugnat, ſed non proficit. Namucum quod erat hereditas uxoris ſuæ E. expugnare vult, ſed deficit, & inefficax rediit, multi ſuorum, fracto ponte Dionantenſi ſubmerguntur. O. Pictavienſis & F. comes Flandrenſis & comes Bolonienſis & complices eorum, adunato innumerabili exercitu, regem Franciæ impugnare volentes, poſitis inſidiis a rege debellantur & capiuntur. O. fugâ & dux Brabantinus & plures alii eripiuntur. Comes vero Flandrenſis & Bolonienſis & plures alii tam de Flandria quam de Brabantia & diverſis locis perpetuo carcere tenentur. Iſta confuſio, ſi eis nocuit, nos juvit. Quia ſi fortuna eis faviſſet, nos exterminare diſpoſuerant, & adventum F. regis unanimiter impedire volebant. Benedictus Deus qui non dereliquit * in ſe, & vocat ea quæ non ſunt tamquam ea quæ ſunt, ſecundum voluntatem ſuam aſſidue.

* Supple *ſperantes.*

Adventus F. regis diu deſideratus cum innumerabilibus principibus. Similis exercitui ejus non fuit aliquando in terra iſta viſus. In veniendo ducem Bauhariæ perdidit. Quem Walerandus comeſque Juliacenſis & quidam alii in dolo acceperunt, & in caſtro, quod *Videke* vocatur, detinuerunt. In vigilia S. Bartholomæi regales ad portam Aquis venerunt, & impetum magnum in Aquenſes fecerunt, quoſdam ſuorum perdiderunt, quoſdam illorum detinuerunt. Walerannum ſagittarii VII. vulneribus vulneraverunt in feſto S. Bartholomæi, quæ Dominica dies fuit. In Trajecto ex inſperato ſummo diluculo in loco qui . . . . . dicitur, papiliones ſuos ſtatuit, & cum pons non ſufficeret eis ad tranſeundum, vada congrua ſecus molendina invenerunt.

Feria II. in *Wunc* & *Baſenges* tentoria ſua fixit, & quomodo prædicta loca vaſtaverit per hos verſus præſentium ſcriptor exprimit, qui eo tempore præpoſitus loci illius fuit.

Regalis turma conſumſit nocte ſub una
Noſtrum far totum, lar fregit, & omnia ſecum.

Atque pecus traxit, ubi rex tentoria fixit.

Tertia feria & IV. in loco qui *Cuiſnon* & *Hamal* dicitur jacuit. Et quia in Brabantiam ire diſponebat, H. dux terrore perterritus, ad eum venit, captivum ſe reddidit, quouſque filium ſuum obſidem daret, & alios de terra ſua quos rex habere vellet. Idem fecit dux Ardennæ; ſic rex deduxit ſecum utrumque. Feria V. regalis exercitus caſtris rediit. Feria VI. Moſam tranſiit, & in altera ripa Moſæ ſedit. Sabbato epiſcopus Leodienſis cum innumerabili exercitu ſuo ſimiliter Moſam tranſivit, & ſe regali exercitui conjunxit. *Falkebor* obſidetur, terra devaſtatur, & treugæ uſque ad feſtum S. Remigii accipiuntur. In nativitate S. Mariæ Juliacum ab exercitu regis & Leodienſi obſidetur, & devaſtatur. Comes Juliacenſis regi pacificatur, Waleranus & comes de Clevia & *de Caſtal* pacem cum rege faciunt. F. rex victualibus

ſuis per Rhenum venientibus occurrit. Ducem Auſtraſiæ pedibus infirmantem in terram ſuam redire permittit, quamdam tamen partem ſuorum retinuit. Nec multo poſt ipſe rex in terram ſuam, id eſt Sueviam revertitur, & filium ducis Brabantiæ obſidem deducit; Colonia & Aquis remanentibus ſibi contrariis & intactis: a Colonienſibus O. detinetur cum ſua uxore, ſed numquam domum ſuam audet exire.

Annus MCCXV. mirabiliter augetur ſignatorum numerus, & indulgentiæ a magiſtris augentur. Curia F. Mettis habita in Epiphania, hiems in Februario aſpera & ſicca. Sorores de Roberti-monte habitum Clarevallenſium aſſumunt. [a] *(a) Circumdederunt me,* hordeum carius ſiligine, avena carior ſpelta, modius ſiliginis duobus ſolidis, ſpelta xx. denariis, vinum ſex denariis venditur. In calendis Martii in nocte Gertrudis virginis, eclipſis viſa eſt mirabilis & horribilis; & in hoc mirabilis, quod ante a Bolonia prænuntiata eſt nobis multo tempore, & hora, & modus, & qualitas, & tempus ſicut vidimus & probavimus. Principes Saxoniæ F. regi pacificantur, exceptis paucis. Motus florum & cantus avium tardiſſimus. Comes de Senh. F. regi reconciliatur. Epiſcopus Monaſterienſis per O. adhuc captivus detinetur. Pavimentum monaſterii noſtri hoc anno eſt initiatum. Muri novi ad portam Pagani corruerunt, ſed feſtinanter in melius reparati ſunt. Comes F. & comes R. aliique captivi a rege Franciæ, prout meruerant, firmiter detinentur. Comitiſſa Flandrenſis habitat in terra ad voluntatem regis. O. Coloniam non audet exire. Magiſter O. Prædicatores conſtitutos arguit de immoderatis remiſſionibus & falſis promiſſis. Cives conſtanter inſtant muris & aggeribus firmandis. Moſa maximus in Maio. In calendis Maii curia F. habita apud Andrenacum, ibique tractatum & juratum a principibus de obſidione Colonienſis civitatis & Aquenſis oppidi, quæ obſidio dilata eſt uſque ad feſtum S. Johannis. In inventione S. Crucis tempeſtas maxima cum imbribus & tonitruis diſcindens arbores eruit, fruges in quibuſdam locis contrivit. Maius pluvioſus. Magiſter O. vivificæ Crucis legatus rediens a Friſonibus & Britonibus, ubi rebellia corda eorum per ſanctæ prædicationis ſtudium & per ſignum S. Crucis, univerſis in prædicatione ipſius conſtitutis in aëre manifeſte viſum, convertit, ad eccleſiam S. Jacobi in inſula venit, per tres dies nobiſcum fuit, & Dominica qua cantatur *Exaudi Domine*, ſermonem in capitulo noſtro & ante paraviſum eccleſiæ fecit, vocatiſque provinciis Colonienſis & Leodienſis diœceſis, & omnibus ſacerdotibus, torneamentum quod futurum erat in ſequenti hebdomada, penitus adnihilavit, & in loco torneamenti ſex prædicatores conſtituit, qui verbum crucis efficaciter expoſuerunt, plurimos ſignaverunt, tantaque fuit ibi turba ſexus utriuſque, quod vix legenti videretur credibile.

Aquenſes qui diu O. adhæſerant, & F. ignorabant, ſano habito conſilio, nec immemores beneficiorum quæ ab avo & patre prædicti F. acceperant, & quod oppidum ſuum auxilio utriuſque erat optime firmatum & honoratum; ab O. recedunt, Frederico adhærentes; cum tamen haberent plurimos tam de oppido quam de vicinis locis in hoc ſibi non conſentientes. Nec mora feras, quas Arnulfus judex in portis fecerat, frangunt; & eum in munitionem quam juxta palatium fecerat impellunt; regi Frederico ſcribunt, ut veniat pacifice, quia parati ſunt eum tamquam dominum ſuſcipere. Sicque factum eſt ut prædictus Fredericus rex, collectis principibus & optimatibus regni, cum magna gloria Aquis veniret in vigilia beati Jacobi. Sequenti vero die in eccleſia beatæ Mariæ eſt in regem conſecratus & coronatus, & in cathedra regali ſublimatus a Moguntino archiepiſcopo, quia Colonienſis eccleſia tunc carebat ſuo patrono. Nec mora poſt miſſam idem rex ex inſperato ſignum vivificæ crucis accepit, & omnes optimates & principes regni tam per ſe quam per prædicatores, qui verbum crucis prædicabant ammonuit, ut idem facerent; ſicque plurimos ad conſenſum ſuum convertit. Sequenti vero die quæ eſt Dominica, rege a primo mane uſque hora nona ſedente in eccleſia, prædicatores fortiter inſtant verbum crucis prædicare, ſicque multi gratia Dei ſunt ſignati, non ſolum principes ſed etiam inferiores. Feria ſecunda miſſa ſolemniter celebrata, idem rex corpus beati Carlomanni quod avus ſuus F. imperator de terra levaverat, in ſarcofagum nobiliſſimum, quod Aquenſes fecerant, auro argento contextum reponi fecit, & accepto martello, depoſitoque pallio, cum artifice machinam aſcendit, & videntibus cunctis, cum magiſtro clavos infixos vaſi firmiter clauſit: reliquum diei prædicationi ceſſit. Eadem die Monaſterienſis epiſcopus ad curiam venit, qui diu ab Ottone in Werda fuerat detentus. Fuit itaque celebris Aquis curia, O. adhuc reſidente in Colonia. Nec multo poſt rex F. vadit Nuſſiam, & redit Coloniam. O. audito ejus adventu, ſe transfert in Saxoniam, licentiatus a Colonienſibus, ſicque Fredericus eſt in Colonia honorifice a pluribus ſuſceptus, multis qui O. adhærebant non leviter ferentibus. F. Coloniam exivit, & Mettis venit, pacem inter eos non ſine damno eorum qui diſſidebant fecit. Septembri menſe præparant ſe omnes prælati eccleſiæ, qui ad concilium diſpoſuerant ire. Feria VI. poſt feſtum ſancti

[a] Id eſt Dominica qua miſſæ introitus incipit ab his verbis *Circumdederunt me*, hoc eſt Septuageſimæ.

Lamberti exivit a nobis Renerus præſentium dictator, procurator eccleſiæ noſtræ, intravit Romam Simonis & Judæ. Manſitque ibi uſque Priſcæ, rediitque in feſto Mathiæ.

Cœpit diſſenſio ſacerdotii & imperii anno gratiæ MCLVIII. anno regni Frederici quinto, imperii quarto. Facta eſt concordia apud Venetias octavo calendas Auguſti anno Domini MCLXXVII. indictione X. anno imperii Frederici XXVI. Sequenti anno fuit Lateranenſe concilium. Evolutis in medium XXXVII. annis.

De concilio inſtantis anni, quod celebratum eſt tempore Innocentii tertii.

Celebrata eſt univerſalis ſynodus in eccleſia S. Salvatoris quæ Conſtantiniana vocatur menſe Novembri præſente domino Innocentio tertio papa, pontificatus ejus anno octavo decimo, in qua fuerunt epiſcopi CCCCXII. inter quos extiterunt de præcipuis patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus & Jeroſolymitanus; Antiochenus autem gravi languore detentus venire non potuit, ſed miſit pro ſe vicarium Antetadenum epiſcopum; Alexandrinus vero ſub Sarracenorum dominis conſtitutus fecit quod potuit, mittens pro ſe diaconum germanum ſuum. Primates autem metropolitani LXXI. ceterum abbates & priores ultra octingentos; archiepiſcoporum vero, epiſcoporum, abbatum, priorum non fuit certus numerus comprehenſus; legatorum vero regis Siciliæ in Romanorum imperatorem electi, imperatoris Conſtantinopolitani, regis Franciæ, regis Hungariæ, regis Jeroſolymitani, regis Cypri, regis Arragonum, necnon & aliorum principum, magnatum, & civitatum & aliorum etiam locorum affuit multitudo. Prima dies ſynodi fuit in feſto S. Martini, ſecunda XII. cal. Decembris, tertia die in feſto S. Andreæ completa eſt ſancta & univerſalis ſynodus.

Annus MCCXVI. biſextilis annona bono pretio. Multitudo ſignatorum, quid in concilio de eis fuerit diſpoſitum, adventum magiſtri O. vivificæ crucis legati expectantium. Redeunte autem prædicto magiſtro a ſacro concilio, litteras quas a domino papa acceperat executoribus ſuis diſtribuit, præcipiens quatenus ſignatos utiles contra Madianitas pugnaturos aſſumerent. Inutiles vero domi remanere permitterent. De feminis vero imbecillibus redimi, commutari, differri poſſent.

Walerandus comes caſtrum quod dicitur *Samſon*, obſidet & capit, habitatores expellit, loca infirmiora nocte & die roborat & munit, ſuos infra caſtrum dimittit, & recedit. Poſt cujus receſſum Petrus comes Namucenſis, collecta multitudine, ipſum caſtrum obſedit, machinas ſuas erexit, ſed non perfecit; & ſic unde venerat confuſus rediit. Nec multo poſt comes W. reparata expeditione, Haſbaniam intravit, caſtrum quod Alta-ripa dicitur cepit, & turrim quæ villa dicitur, & eos qui in ea erant, ſibi ſubjugavit & captivos duxit. Nec multo poſt comes P. collectis fautoribus ſuis, Tenis venit; quo audito, qui in Alta-ripa erant manc fugerunt, & ei caſtrum vacuum reliquerunt.

L. juvenis rex Franciæ acceptis obſidibus ab Anglicis baronibus, qui contra J. regem Angliæ rebellabant, eo quod eos intendebat miſerabiliter gravare, viſa opportunitate, mare cum multitudine militum tranſivit ad auxilium ſuorum, qui in Londonia obſeſſi fuerant, venit & eos abſolvit. Rex autem J. videns non poſſe reſiſtere, militiam tranſmarinam, quam pretio diu detinuerat per fraudem Bertoldi, qui donativum eorum acceperat, licentiavit. L. vero plurimas civitates occupavit, fidelitatem accepit, Londoniam abſolvit & ibi remanſit. J. tamen munitiones fortiſſimas retinuit in ſinu maris ſitas. In hoc impetu Arnulphus frater comitis *de Los*, qui obſes diu fuerat in Anglia propter uxorem ipſius comitis *de Les*, quæ captiva ibidem diu detenta * miles rediit. Propter hanc violentiam tota Anglia ſub interdicto ponitur a domino papa, qui omnes barones Angliæ & fautores eorum excommunicavit in generali concilio, tum quia idem rex ſignatus erat, tum quia ipſum regnum reſignaverat, & ab ipſo tributaliter receperat.

* f. manſo-rat.

Septimo cal. Auguſti obiit papa Innocentius vir ſummæ litteraturæ & eloquentiæ, vir alti cordis & magni conſilii, qui in diebus ſuis Ottonem exaltavit, & viſa ejus elatione, humiliavit; Siculumque & Apuliæ Fredericum regem, quem multo tempore exoſum habuerat, paterne revocavit, & cum in Alemanniam miſit, & paterno imperio reſtituit, Ottonem vero generali concilio excommunicatum & deſtitutum renuntiavit. Ipſe etiam Innocentius regem Anglicum ad hoc induxit, quod ei regnum ſuum liberrimum reportavit, & de manu ſua recepit. Iſte etiam generale concilium præcedenti anno in Laterani celebravit, ſicut lector in eodem anno invenire poteris. Ipſe etiam fere totum mundum, tam per ſe quam per executores ſuos, zelo fidei accendit, & ad ſignandum induxit, & viam euntium generali concilio ordinavit, & de propria ſubſtantia XXX. millia librarum & VI. millia marcarum ſignatis aſſignavit, exceptis navibus & galeis quas Romanis & vicinis civitatibus præparavit, ſeque in propria perſona tempore profectionis iturum in Siciliam promiſit; ordinatiſque navibus & ducibus cum Dei voluntate & apoſtolica benedictione eos permiſit abire.

Hujus de vita placuit mihi ſcribere pauca,
Ne virtus tanta ſit muta tacente libello,
Quem ſublimavit & quem regem benedixit,
Elatæ mentis Ottonis cornua fregit,

Et regem Siculum juvenem ſatis atque pupillum
Tranſfert ad regnum Romanorum Fredericum,
Qui genus & nomen ab avo traxit Frederico.
Anglicus huic proprii dat vectigalia regni,
Et fit homo papæ, qui rex liber fuit ante.
Anno milleno bis c. decimoquoque quinto,
Iſtius edictis de cunctis partibus orbis
Advenit ad ſynodum turba vocata patrum,
Poſtea non vixit multum niſi menſibus octo,
Et quo Roma caret, tenet urbs Peruſina ſepulchro.
Liquit divitias pater iſte cadens alienis;
Flebilis iſta fuit mors ſignatis peregrinis,
His quibus annuerat dare ſe portumque ſalutis.

Iſte genere Campanus ex patre & Romanus ex matre ſedit annis XVIII. menſibus IV. diebus XIII. ſepultuſque eſt in Peruſio. Cui ſucceſſit Honorius genere Romanus, ibidem electus & inſtitutus. Iſte Innocentius fecit opera præclara memoriæ digna: videlicet ſermones L. librum de divinis officiis, alium de miſeria hominis, & alia multa. Eodem anno non multo poſt obiit Henricus imperator Conſtantinopolitanus, qui Græciam poſt fratrem ſuum Balduinum feliciter & efficaciter rexit; de cujus morte tota Chriſtianitas doluit, quia ſignatis noſtris multa promiſerat, & ſe iturum in virtute armorum in negotium orientalis eccleſiæ prædixerat. Iſte imperium Conſtantini decem annis rexit: uterque Flandrenſis ex matre & Namucenſis ex patre, avunculi ex patre ſororis Ludovici regis. Obiit etiam Johannes Anglicus rex, ſicut audemus præſumere, pro amiſſi regni dolore; cui ſucceſſit Richardus filius ſuus, ad quem redierunt multi Anglici, quibus pater ejus erat exoſus, Lodowico tamen in Anglia permanente. Uxor Frederici regis navigio deſcendens a Sicilia & Apulia venit Januam, & ſic per Cremonam tranſiens, primo intravit Alemanniam cum Henrico filio ſuo & multa frequentia tam hominum quam mulierum. Orta eſt ſeditio inter F. regem & ducem Bahwariæ & marchionem *de Miniſe*; ſed cito ſedata, O. in Saxonia manente omni auxilio deſtituto, excepto *de Brandebrois* marchione.

Anno MCCXVII. hiems longa in fine Januarii & Februarii, aſpera a feſto S. Severini uſque ad cal. Martii. Annona bono pretio, ſpelta XVIII. den. ſiligo II. ſol. vinum VII. den. In Leodio nulla certa moneta. Epiſcopus Hugo ſolemnes facit ordines prima hebdomoda XL. in eccleſia beati Lamberti. Signati ex mandato domini Honorii papæ paſſim præparant ſe profectioni in paſcha, vel in cal. Maii. Septimo idus Maii nix plurima, quod vix credibile videbitur lectori, cum magno frigore cecidit, & fere per totam diem duravit. Mulieres a cruce abſolvuntur, pecuniaque ab eis accipitur, ſecundum voluntates magiſtrorum peregrinis diſtribuitur. Claſſis de Rheno & aliis fluminibus armata in mare deſcendit menſe Maii, & poſt Auguſtum in Hiſpaniam pervenit. Comes Petrus Autiſſiodorenſis in imperatorem conſecratur Romæ ad S. Laurentium foris muros, quia Romani non ſunt eum paſſi infra Romam benedici. In vigilia aſcenſionis Domini diſſenſio orta eſt inter clericos & laïcos in eccleſia beati Lamberti, propter quam organa ſuſpenſa ſunt eccleſiæ uſque ad cal. Auguſti. Ad ultimum ſatisfecerunt laïci clericis.

Lodowicus rex juvenis Franciæ in Franciam revertitur, dimiſſis fautoribus ſuis in locis tutiſſimis, nec multo poſt collecta multitudine tam militum quam peditum in Angliam revertitur ad damnum ſuum cum multitudine navium; cui Anglici cum piratis ſuis occurrunt, & calcem in oculos eorum mittentes, facies eorum confundunt, & non ſine damno ſuorum tam in mari quam in terra, vix Londoniam pervenerunt, ubi ſuos jam obſeſſos ab Anglicis invenerunt, nec multo poſt contra eos ad pugnam exierunt, & fortuna eis male reſpondente, quidam eorum de præcipuis ſunt mortui, quidam capti, alii cum dedecore in Londoniam redire coacti. Quid plura? Rex pacem qualem potuit fecit, & juramento aſtrictus, quod numquam in Angliam violenter reverteretur, in Franciam inglorius eſt reverſus, & ita quievit Anglia ſub parvi regis Richardi regimine conſtituta.

Bonifacii martyris abierunt noſtrates peregrini, inter quos abiit filius ſororis meæ Reinerus, cujus abſentia facit me dolere frequenter; qui tranſactis Alpibus Januam venerunt, & ſicut ab eis qui redierunt & cum eis navigaverunt, audivimus, feliciter tranſierunt. Fredericus rex Allemanniæ curiam habet celebrem Bobardiæ. Hoc anno in cancello noſtro factæ ſunt feneſtræ duæ & muri a pede majeſtatis uſque ad terram, ſicut evidens eſt, & neceſſarium erat, propter vetuſtatem ſunt renovati. Comes Flandrenſis & Bolonienſis & plures alii a rege Franciæ adhuc detinentur capti. Annona in duplo carior ſolito, ſiligo quatuor ſolidis, ſpelta tribus.

Ad memoriam futurorum ſcribimus, quod Waſelinus abbas S. Jacobi benedixit ſanctam ſynodum, epiſcopo abſente, cum tali quali debuit reverentia & ſolemnitate. Peregrini cum navibus in Hiſpania bene proficiunt. Caſtrum quod *Alcazar* dicitur, munitum XXV. turribus, in vigilia SS. Prothi & Hyacinthi ceperunt, XII. millia Sarracenorum interfecerunt: de ſuis in primo congreſſu cc. perdiderunt. Tria miracula memoriæ digna domino H. papæ ſcripſerunt. Primum quidem

quod cum non haberent inter equos & roncinos niſi XXXIV; LXX. equi ferro cooperti ex inſperato media nocte in auxilium eorum venerunt, videlicet fratres de gladio, & quidam epiſcopus terræ illius potentiſſimus, & fratres hoſpitales in eadem terra commorantes. Secundum autem, quod cum Sarracenis congrederentur, crucem mirificam in aëre viderunt, exterius albi coloris, interius vero flavi. Tertium vero, quod tam equi quam equites, tam arma quam veſtes Chriſtianorum a Sarracenis viſa ſunt alba tamquam nix.

Fredericus rex Romanorum, coadunato exercitu ſuo, Saxoniam ingreditur. Ottonem infra *Brunſvvic* arctatum claudit, terram devaſtat, & incendit. Principes & potentes ei reconciliantur, & ſic in Alemannia revertitur. Obiit Bertholdus dux *de Cerenges*, dives terræ & potentiſſimus, ſine herede, cujus ducatum obtinuit Fredericus rex Romanorum & Apuliæ ex ſanguinis propinquitate: nam avia B. avita fuit aviæ Frederici ex Namucenſi progenie; Clementia enim duciſſa *de Cerenges* & comitiſſa *de Retes*, quæ fuit avia Conſtantiæ, aviæ matris Frederici, ſorores fuerunt Henrici comitis Namucenſis, qui poſtea caligans oculis multo tempore vixit; cujus filia fuit Erminſindis, quam poſtea comes Theobaldus *de Bar* parvulam mortuo patre deſponſavit. Mortuo vero Theobaldo, Walerandus filius ducis Ardennæ, iterum eam in uxorem accepit, & hereditatem paternam, id eſt Namucum, quantum potuit reclamavit.

Dux *de Nancei* Frederico regi cognato ſuo, pravo ſeductus conſilio, rebellat; quem Fredericus rex fretus auxilio ſuorum, & maxime H. comitis *de Bar* & comitiſſæ Campaniæ, fortiter impugnat, & caſtra ejus capit, villas ſuccendit & devaſtat: ad ultimum ad deditionem compellit, & ſecum in Alemanniam ducit. Hoc anno in Moſella vinum fuit abundans, ſed ſuperveniente repentino frigore cruda remanſerunt & male defæcata, unde multi diverſas incurrerunt infirmitatum moleſtias. De peregrinis & Acra multa ſunt dicta quæ vera non fuerunt probata.

Anno MCCXVIII. Hiems ſine hieme & ſine nive; annona multo carior ſolito ante Natale & poſt, ſiligo octo ſolidis, ſpelta IV. ſe redimunt. Multi peregrini revertuntur a transmarinis partibus, qui propter paupertatem & victus inopiam parvam ibi fecerunt moram. Quidam etiam redierunt, qui non pro defectu pecuniæ, ſed cordis non tranſierunt.

[a] Obiit Otto (a) dictus imperator, qui cum fuiſſet potentiſſimus, & ab Innocentio papa ſublimatus & conſecratus, factis ſuis exigentibus, ab ipſo eſt humiliatus & deſtitutus, & per ſententiam in generali concilio depoſitus; Fredericus in regem Romanorum confirmatus.

Obiit etiam dux Burgundiæ, & Albericus Remenſis archiepiſcopus, rediens a tranſmarinis partibus.

Hoc anno obiit Ludovicus comes *de Los*, vir in armis ſtrenuus, & licet juvenis ætate, in conſilio eloquentiſſimus, in omni etiam bonitate & honeſtate conſpicuus. Iſte eſt qui in inevitabili neceſſitate epiſcopo & Leodienſibus fuit neceſſarius, quando dux Brabantinus Heinricus qui Leodium ceperat, per eum eſt maxime & per ſuos de bello fugere coactus, & majore & potentiore parte ſuorum in bello de *Steppes* cadente in perpetuo privatus eſt. Iſte erat tam epiſcopo quam Leodienſibus in omni neceſſitate indeficiens clypeus. Obiit autem IV. cal. Auguſti, cujus mors totum epiſcopatum ad lacrymas commovit. Certum eſt autem quod obiit tam ipſe quam frater ſuus Heinricus quondam Trajectenſis præpoſitus, infra tres dies, & alii plures, maleficium veneni ferre non valentes: ſed per quem vel per quos hoc factum ſit, adhuc incognitum manet hodie. Mortuis autem tribus fratribus, ſolus junior Arnulfus remanſit, qui in Anglia pro uxore fratris ſui Lodovici multo tempore obſes fuit; nunc autem dux Brabantinus viſa opportunitate, filiam ſuam juniorem nomine Aleidem in matrimonium dedit. Meſſis optima, vindemia bona, hiems aſperrima a feſto Omnium-ſanctorum uſque ad feſtum S. Andreæ, poſtea pluvialis uſque ad Natale. Epiſcopus Hugo ordines fecit in eccleſia S. Lamberti ſabbato ante Natale.

Dignum eſſe memoriæ duximus, ſi de parvulo qui natus eſt in villa quæ dicitur *Rivvecon* ſcribimus. Hic cum eſſet novem vel decem menſium, in renibus & ventre, in ſcapulis vel in pectore, in collo & in facie groſſior erat quolibet magnæ ætatis homine. Hunc multi de vicinis villis quaſi monſtrum abierunt videre, & menſuram omnium membrorum ſuorum in cingulis ſuis accipere, & aliis pro miraculo deferre; brevis tamen ſecundum ætatem ſuam erat corpore. Inaudita peſtilentia caulium, non ſolum per regna tranſmontana, ſed per totum imperium.

Annus MCCXIX. Hiems longa a feſto Omnium-ſanctorum uſque ad calendas Martii. Peregrini revertuntur circa Natale, qui turrim de *Damiete* fortiſſimam in flumine ſitam nunciant a noſtris eſſe captam, civitatem obſeſſam, muros montis Thabor fractos, lapides a Sarracenis longius aſportatos. Nova moneta pauperibus graviſſima. Vinum quinque denariis, ſiligo quatuor ſolidis, ſpelta tribus venduntur. Epiſcopus Hugo ſolemnes facit ordines in eccleſia S. Lamberti ſabbato primæ hebdomadæ quadrageſimæ. Sterilitas in ſatis, hieme faciente; meſſis modica &

(a) De ejus morte & pœnitentia vide, ſi lubet, tomum XXI. Anecdotorum, pag. 1373.

humilis, arescentibus hominibus præ timore futuræ famis; sed ille qui pavit quinque millia hominum de quinque panibus, paucitatem illam panis & vini convertit in melius. Æstas nulla, sed quasi veris tempera. Peregrini multi revertuntur a Damieta, quæ adhuc a Christianis obsessa tenetur; Christiani fossato firmissimo & mari & flumine clauduntur; qui in Damieta obsessi sunt, intrandi vel exeundi non habent liberum arbitrium. Rex Hungarus & dux Austriæ a partibus illis cum multiplicibus revertuntur. Postea peregrini Dei ad instantiam peditum de munitione sua contra Sarracenos exierunt, sed fortuna eis male favente, vix ad suos papiliones redierunt. Multi tamen de suis, maxime de peditibus ceciderunt, quidam capti remanserunt; inter quos episcopus Belvacensis fuit captus, & Johannes de Archi miles nobilissimus & in armis strenuus, & alii multi quorum nomina non novi. Itaque turba Christiana occasione peditum sustinuit pericula maxima & damna; sed tamen plurimos occiderunt & retinuerunt de parte adversa. Rex Franciæ Ludovicus juvenis a Tolosa & hereticis inefficax rediit. De vindemia hujus anni dicimus, quod cum racemi multa evaserint pericula, majus, quod de voluntate Dei, peccatis nostris exigentibus, credimus contigisse, evadere non potuerunt; nam cum vindemia esset in januis, repente supervenit intempestivum gelu & asperitas immitis boreæ intolerabilis, cujus initium septima die Octobris & per dies octo continue duravit. Quid multa? tunc videres vineas foliis spoliatas & nudas, racemos nigros dependentes, quasi in clibano decoctos; ita periit vindemia. Illud idem vinum quod de torcularibus eliciebatur, ultra spem abundans inveniebatur. Itaque vinum fuit carum, novum novem, vetus decem denariorum. Nonas Octobris ortum est tempus pluviale cum vi ventorum & aquarum frequenti inundatione, quod perseveravit sine intermissione usque ad Natale, & quod mirum est sine gelu & sine nive.

Annus millesimus ducentesimus vicesimus & bissextilis IV. cal. Aprilis dies Paschalis, Natalis festivitas ventosa fuit & pluvialis cum aquarum inundatione, subsequensque tempus simile præterito usque ad conversionem S. Pauli. Tunc per tres dies hiems aliquantulum aspiravit, quarto autem die pluvia quasi pœnitens vires resumsit. Blasii martyris aliquantulum nivis cecidit, sed cito pertransiit.

Dominica in Palmis litteræ de captione Damiatæ venerunt nobis. Feria VI. infra Pascha pro captione Damiatæ, qualis debuit solemnitas est celebrata in majori ecclesia & in tota provincia. Fredericus rex curiam habet celebrem prioribus dissimilem in *Frankefort*, ibi omnes principes filio suo H. fidelitatem fecerunt. Ibi ordinata est via de consecratione imperii Romæ suscipienda, de transitu ad orientalem ecclesiam liberandam, de potestate Agarenorum, utpote qui signatus erat, & per virtutem potentiæ suæ, videlicet per Apuliam & Siciliam, ultra omnes reges Christianæ fidei subjectos liberare eam poterat. Coguntur etiam omnes signati abire, tam principes quam inferiores personæ. In hac curia leges sunt renovatæ, & jura & telonea indebita deposita. E. archiepiscopus H. puerum filium Frederici regis & totum regnum in tutelam suscipit.

Obiit dux de *Nantei* juvenis ætate, cujus uxorem filiam Alberti comitis de *Hasburc* & de *Musal* in matrimonium comes Campaniæ, mortuo patre suo, matre vivente, de consensu Frederici regis accepit, & de *Musal* fidelitatem H. Leodiensi episcopo fecit.

In Pentecosten litteræ nobis venerunt de omnibus quæ facta sunt a peregrinis nostris a captione turris usque ad captionem civitatis Damiatæ, & quomodo capta, vel quando fuerit. Ante festum S. Johannis octo diebus peregrini nostri venerunt, qui in captione Damiatæ interfuerunt, qui veros rumores dixerunt; addideruntque, quod postea castrum fortissimum in mari situm, *Thenise* vocatum, a nostris sit captum, non minorem utilitatem eis conferens quam Damiata. Hoc autem castrum situm est in sinu maris super rupem fortissimam, quod hactenus multa damna & pericula fecit peregrinis & mercatoribus; omnes enim naves quæ tempestatem in navi patiebantur, in hanc rupem illidebant, & submergebantur, & spoliabantur.

Ante festum S. Johannis annona multo carior fuit solito, siligo XI. solidis, spelta sex & dimidio solidis, hordeum sex sol. avena V. sol. venditur, vinum vile & carum; non solum pauperibus, sed etiam divitibus hoc anno defuit annona, solaria quæ prius erant repleta sunt vacua, & magnum famis esset periculum, nisi abundantia siliginis apud nos de inferiori terra in vehiculis & plaustris fuisset allata: annona tamen in campis satis laudabilis.

Robertus comes Namucensis in virtute magna & potestate Constantinopolim proficiscitur, suscepturus imperium, quod ab avunculis suis B. & H. prius fuerat possessum, mortuo patre suo Petro in eodem negotio, & matre sua similiter in eadem provincia Constantinopolitana.

Post festum S. Johannis Fredericus rex in Alemannia ordinatis rebus regni, cum virtute magna Italiam ingreditur, a Venetianis pacifice recipitur, Mediolanensibus & fautoribus eorum ex integro reconciliatur, & assumta maxima multitudine militum tam de Mediolano quam de aliis civitatibus, Romam venit; quem Romani plus timore quam

amore, cum magna gloria & tripudio pacifice ſuſceperunt, & in feſto S. Ceciliæ, hoc eſt Dominica qua cantatur : *Dicit Dominus ego cogito cogitationes pacis*, in eccleſia ſancti Petri a domino Honorio in imperatorem eſt conſecratus cum ſua conjuge Margareta nomine, & ipſa die multa munera, equorum fere ad duo millia de Apulia & de Sicilia & de Calabria & aliis terris ei ſubjectis ſunt miſſa, de quibus eodem die plus quam ſexcenta donavit, & quingentos milites qui eum præcederent in Orientali negotio ordinavit, & tam armis quam ſumtibus & naviculis iter eorum in Martio accelerari præcepit. Poſtea tribus diebus Romæ manſit, & ſic Apuliam intravit. Ante Natale Domini nulla fuerunt hiemis ſigna, ſed quaſi veris tempora; ſiligo VIII. ſol. ſpelta III. & IV. den. vendebantur, vinum VI. denariis. Maria filia ducis Lovanii & primogenita, virgo ſpecioſa & omni probitate inſignita, Ottoni imperatori in matrimonium juncta, mortuo Ottone mirabiliter humiliatur, & comiti Wilhelmo Hollandiæ iterum in matrimonium copulatur. Sic Deus quos vult & quas vult exaltat.

Annus MCCXXI. dies Paſchalis III. idus Aprilis, epacta XXV. concurrente IV. indictione IX. hiems aſpera a circumciſione Dñi uſque ad Purificationem S. Mariæ. Obiit Heinricus dux de *Limburc* plenus dierum, vir magnæ proſperitatis & felicitatis omnibus diebus vitæ ſuæ, cui ſucceſſit filius ejus Wal. in regimine Ardennæ. Damiata a Chriſtianis noſtris in virtute magna poſſidetur, & caſtrum quod vocatur *Theniſe*, quod a noſtris per gratiam Dei inhabitatur, quotidie firmatur & munitur, & ſic expectant Frederici imperatoris adventum, quem ſummo deſiderio ſperant venturum.

Anno MCCXXII. peccatis noſtris exigentibus iratus eſt Dominus contra populum ſuum; cum enim peregrini Chriſtiani in Damiata commorantes peſſime viverent, rex Johannes & Pelagius legatus domini papæ cum omni exercitu ſuo Babyloniam, prætermiſſo ordine & diſciplina militari tetenderunt, & a Sarracenis circumſepti, & fluvialibus aquis irretiti, Damiatam civitatem & caſtrum *Theniſe* reddere & abjurare ſunt coacti; ſed non continuit Dominus in ira ſua miſericordias ſuas, quoniam relaxati ſunt omnes captivi Chriſtiani, qui hactenus detinebantur per univerſum regnum Babyloniæ & Damaſci, legitimum habentes conductum uſque ad Acram.

Anno MCCXXIII. obiit Philippus rex Francorum. Ludovicus filius ejus ſuccedit, natus de Eliſabeth filia Balduini comitis Hainonenſis & Margaretæ ſororis Philippi comitis Flandriæ, qui ſine liberis obiit apud Acram.

Anno MCCXXIV. biſſextili, Paſchali die XVIII. cal. Maii. Dñus Conradus filius ducis de *Cerenges*, quondam S. Lamberti canonicus, poſt Willarienſis abbas, modo cardinalis, epiſcopus legatus in Alemannia, Leodium veniens Vallem-benedictam dedicat.

Anno MCCXXV. Paſchali die III. cal. Aprilis, defuncta ſine liberis comitiſſa *de Muſau* Gertrude, filia comitis Alberti, dominus Leodienſis epiſcopus Hugo fidelitatem & hommagia caſtellanorum & hominum terræ abſque omni coactione recipit, & caſtella *Muſau* & *Waleve* ſine aliqua contradictione ingreditur XIV. cal. Aprilis feria IV. ante Paſcha floridum. Henricus dux *Franckenefort* adiens, epiſcopum ad curiam citari facit per quarentenam. Dominus epiſcopus ordines facit Leodii ad S. Lambertum ſabbato ſancto vigilia Paſchæ. Hoc anno fuit hiems aſperrima a feſto Omnium-ſanctorum uſque medium Aprilis. Annona bono pretio a meſſe uſque cal. Febr. poſtmodum in calendis Maii ſpelta X. ſol. ſiligo XVII. frumentum XX. venditur, hordeum octo.

Quidam pſeudoheremita in ſilva Viconiæ fingens & dicens ſe eſſe comitem Balduinum, qui quondam Flandriæ & *Hainau*, poſtea imperator Conſtantinopolitanus a Johanne *le Blanc* captus & occiſus creditur, in Paſcha cum ſumtuoſo apparatu Valencennis tamquam dominus ſuſcipitur; ſed a comitiſſa quam filiam ſuam dicebat, & a domino Leodienſi epiſcopo, quem ſe in epiſcopum promoviſſe jactabat, nullatenus agnoſcitur, & a multis baronibus ei contradicitur. Inde contentiones & lites, incendia & rapinæ, & homicidia & inimicitiæ mortales ſuſcitantur. Dux Lovanienſis ei favet, & publice & privatim fovet. Ludovicus rex Franciæ ad diſcutiendam tantæ temeritatis inſolentiam, epiſcopum & baronibus Flandriæ & *Hainau*, & falſo imperatori parlamentum indicit apud Perronam Viromandiæ III. cal. Junii. Statuto loco cum rege conveniunt, de Francia, de Flandria, de *Hainau* archiepiſcopi, epiſcopi, & barones cum plebibus. Ibi multifaria multiſque modis requiſitus comes putativus B. de ſua proprietate nihil certi, nihil probabile potuit aſſignare; inde cum legitimo conductu regreſſus Valencenis, deinde cum duobus converſis Villarienſibus Johanne & Balduino in habitu mercatoris progreſſus uſque Spiram, non comparuit. Poſtmodum a domino Clarembaldo de .... comprehenſus, & comitiſſæ tranſmiſſus, & per caſtella & vicos circumductus, ad ultimum prope Inſulam patibulo ſuſpenſus eſt. Aliquando vero confeſſus vel convictus fuerat vocari & eſſe *Bertrain de Rais*.

Hoc eodem anno menſe Novembri Fredericus comes *de Hiſeberge*, gener Galeranni ducis *de Lembore*, benefactorem conſanguineum dominum ſuum & patrem ſpiritualem Engelbertum magnificum Colonienſem archiepiſcopum, de ipſo tamquam de cognato & conviva bene confidentem, in itinere cum paucis

paucis interceptum, per ſe & ſuos complices xxxvii. vulneribus inflictis crudeliſſime trucidavit. Qui ſuper tam enormi ſcelere in curia regis Henrici Frederici imperatoris filii judicio optimatum totius imperii damnatus eſt; domicilia & caſtella ejus ad ſolum diruta, hereditates diſpertitæ ſunt, & ipſe vagus & profugus & ab omni fidelium ſocietate excommunicatus, nulla certa ſede conſiſtit. Præterea duo fratres ſui Monaſterienſis & Oſbrugenſis epiſcopi, quos idem archiepiſcopus promoverat, de conſcientia mortis ejus infamati, & ad purgationem a domino Conrado ſedis apoſtolicæ legato apud Leodium vocati, cum in probatione defeciſſent, ad papam remiſſi, documentis evidentibus per ſententiam depoſiti & condemnati ſunt, & alii in ipſas ſedes ſubſtituti; quorum unus ſtatim in reditu moritur infra annum tam deteſtabilis parricidii. Moritur Gerardus *de Horne* & frater ejus Galerannus dux Ardeniæ, & filia ejus uxor Frederici proditoris, ludificatione dæmonum cum paſſulo filio extincta. Conſequenter idem Fredericus prope Hoyum in habitu mercatoris cum aliis duobus a Balduino milite *de Geneffe* comprehenditur, & poſt aliquot dies apud Viſatium comiti *de Gelre* & ſummo advocato Coloniæ aliiſque baronibus ſub cuſtodia vinctus traditur; a quibus Coloniam perductus & per vicos & plateas vinctus & eques circumductus, publica confeſſione ſui ſceleris multos movit in lacrymas. Ad ultimum confractis brachiis & cruribus patientiſſime ſuſtinens cruciatus, in eminentiſſimo ligno ſublevatus, & in rota diſtentus defecit.

Anno MCCXXVI. Ludovicus rex Franciæ cum legato ſedis apoſtolicæ, archiepiſcopis, epiſcopis, comitibus & principibus regni, & innumerabili exercitu civitatem Avinionem obſidet, quæ multis & graviſſimis expenſis & laboribus ad deditionem coacta, & multo ſuorum ſanguine ſubacta, rebus & cuſtodibus ex parte ſua ibi diſpoſitis, cum reverteretur, in itinere defecit & mortuus eſt, & Pariſius relatus. In ipſo reditu mortui ſunt Rhemenſis archiepiſcopus, comes Namucenſis Philippus, & multi nobiles. Dominus Hugo Leodienſis epiſcopus communibus votis ſolemniter eligitur Remenſis archiepiſcopus; ſed obſecrationibus & lacrymis cleri & populi Leodienſis evictus recuſat. Defuncto Ludovico rege Franciæ, Ferrandus Flandriæ & *Hainau* comes liberatur a carcere, qui per annos XII. in vinculis detentus fuerat. Honorio papa defuncto XV. cal. Aprilis, dominus Hugolinus ſuccedit, qui dictus eſt Gregorius nonus.

Anno MCCXXVII. paſchali die III. idus Aprilis dominus epiſcopus H. acquirit ab eccleſia & epiſcopo Metenſi medietatem oppidi S. Trudonis cum omnibus ſuis pertinentiis & omni integritate qua illud poſſederat epiſcopus & eccleſia, & juriſdictione duarum abbatiarum S. Trudonis & Haſteriæ. Pro his omnibus tradita eſt curtis de *Bertehem* & alii redditus, quos S. Lambertus tenebat in Metenſi diœceſi; additis inſuper duobus millibus libris Metenſis monetæ.

Anno MCCXXVIII. inter papam Gregorium & imperatorem Fredericum orta eſt graviſſima diſcordia, pro eo quod idem imperator ad liberationem ſanctæ terræ ſicut juraverat, nec quando debuit, nec ſicut potuit, Deo & Chriſtianitati ſe devotum exhibuit; ſed potius confœderatus eſt Sarracenis, & pacem ignominioſam & abominabilem fecerit cum eis, & terram tranſmarinam in maximo reliquit periculo, & eccleſiam Dei impugnare non ceſſat: pro his & aliis pluribus a domino papa generaliter excommunicatus eſt.

Anno MCCXXIX. paſchali die XXVII. cal. Aprilis, feria V. in cœna Domini, in caſtello Hoii obiit dominus Hugo Leodienſis epiſcopus, devotiſſime & plenarie aſſecutus omnia ſacramenta ſanctæ eccleſiæ, aſſiſtente ſibi magiſtro Jacobo Aconenſi epiſcopo, & elegit ſibi & inſtanter petiit ſepulturam in Valle S. Lamberti Ciſtercienſis ordinis: ſed a præpoſito & clero delatus & ſepultus eſt in majori eccleſia Leodienſi. Vir iſte magnificus ante duos annos obitus ſui diſpoſuit teſtamentum, & poſuit penes aliquos abbates Ciſtercienſes uſque ad XXXII. millia marcarum, ut de hac pecunia pars reſtituatur eis a quibus non juſte tulerat, reſiduum conferatur in eleemoſynam monaſteriis, eccleſiis, pauperibus, viduis, orphanis, religioſis utriuſque ſexus & leproſis. Quod pietatis opus delecti abbates ſatagunt adimplere. Feria II. in paſcha, ſepulto epiſcopo, præfixo electionis die, ab univerſo clero, a ducibus & comitibus & nobilibus, a militibus & plebeis, abſque ullius contradictione eligitur in epiſcopum Leodienſem dominus Johannes major præpoſitus.

Fratre W. abbate tranſeunte ad ordinem Ciſtercienſem in Valle S. Lamberti, domnus Theodericus de gremio eccleſiæ aſſumtus eligitur, & ſuccedit abbas ad S. Jacobum, & benedicitur a magiſtro Jacobo Aconenſi epiſcopo.

Anno MCCXXX. domnus Theodericus abbas S. Jacobi poſt XIV. menſes ſuæ promotionis Dominica in octavis Pentecoſtes ad ſynodum Hoii venit, & ſequenti V. feria ibidem defunctus, in Valle-benedicta monialium Ciſtercienſis ordinis ſepultus eſt.

Dictus * frater W. de Florinis ad S. Jacobum veniens, invenit eccleſiam obligatam ſexcentis & XLIV. marcis & DCC. mod. bladi. Quibus longo tempore multa fratrum penuria pacatis, quinque annis antequam recederet, flagellata eſt eccleſia tempeſtatibus, incendiis, & defectu panis, maxime exactio-

* Hæc videntur collocanda ante annum MCCXXX.

nibus episcopi in L. marcis; proinde remanet debitum ipso recedente XXVI. marc. & XLV. mod. bladi, meliorata tamen ecclesia devotione fidelium in calicibus, casulis, cappis sericis, luminaribus, fenestris vitreis, pavimento & quotidiani panis augmento.

CHRONICON CORNELII ZANTFLIET

S. Jacobi Leodiensis monachi.

Ab anno MCCXXX. ad MCCCCLXI.

Ex mss. sancti Jacobi descripsi curavit cl. vir dominus de Louvrex.

ANno MCCXXX. papa & imperator a discordia cessaverunt, facta compositione amicabili coram multis. Item, archiepiscopus Bremensis insolentiam Scedingorum sibi rebellium repressurus, ipso sacro die Natalis Domini valido bello eos aggreditur, ibique frater ejus Hermannus dominus de Lippia, vir sapiens & illustris solus occiditur; verum subita confusione facta, totus ille bellicus apparatus dissolvitur. Eodem anno Henricus rex Angliæ instinctu Petri comitis Britanniæ, ut terram a prædecessoribus suis possessam & amissam recuperaret, in Britanniam transfretavit, sed in proposito suo nullatenus proficere valens, inanis & vacuus rediit.

Hegonis de Petraponte episc. Leod. obitus.

Eodem anno obiit venerabilis episcopus Leodiensis Hugo de Petraponte, qui patriam suam in multis promovit & dilatavit, ducemque Brabantiæ viriliter publico marte superavit apud custodiam de *Steppes*. Jacet in ecclesia majori Leodii ante majus altare, quamvis sepulturam suam elegisset in monasterio Vallis S. Lamberti Cisterciensis ordinis: cui successit Johannes de Apia præpositus majoris ecclesiæ, cujus tempore acriter vigebat dissensio inter ecclesiam & imperium, & quia populus favebat imperatori, episcopus posuit illis interdictum, sed ad papam quantocius est appellatum.

Bellum inter episc. Trajectensem & Theutonic.

Anno MCCXXXI. Theutones, qui sunt Frisones de jurisdictione Trajectensis episcopi, iterato obsederunt Groningiam: verum præfectus oppidi Egbertus portas aperiens, occidit adversariorum suorum magnam copiam: qui currus & victualia cum sexcentis equis ibidem apprehendit, & altera die multas villas in Theutonia conflagravit. Verum episcopus super his prospere gestis gavisus, secessit ad Frisiam, & ibidem per papales indulgentias eduxit exercitum maximum, cum quo villam Tronordiæ cum castri suburbio prorsus incendit; deinde advesperascente die totus exercitus episcopalis trans paludem versus *Avem* reversus est. In crastino prædictus exercitus cœpit obsidere castrum Tronordense, sed ecce Theutonum innumerabiles copiæ præterita nocte clam introierunt ejusdem castri præsidium, & ab alia parte Frisones Monsterienses diœcesis stabant parati ad prælium. Porro Frisones Trajectenses diœcesis auxiliatores episcopi hesterna die devicti sunt. Quapropter & Theutones adeo viriliter animati sunt, ut in manu forti Tronordiam audacter accederent, & adversus episcopalem exercitum sine mora confligerent; sed episcopus attenuatus expensis usque castellum *Hardenberch* retrocessit, stipendiarios suos dissolvit, & coadjutoribus suis valedixit, & castra sua cunctis necessariis implevit. Eodem anno dux Bavariæ, procurante, ut famabatur, imperatore, a quodam sicario occiditur, sed ille nisus aufugere trucidatur.

Anno MCCXXXII. quidam Judæus in Hispania comminuendo rupem propter vineam ampliandam, reperiit in solida concavitate lapidis librum habentem folia lignea, conscriptum tribus linguis, scilicet hebraïca, græca & latina singillatim in hunc modum: Dei Filius ex Maria virgine nascetur, qui pro salute generis humani patietur. Quo lecto, Judæus ad fidem papianam conversus est, & cum tota familia sua baptizatur. Eadem tempestate Scedingi, qui sunt populi Saxoniæ juxta Bremen, in paganismi errorem prolapsi invalescebant contra vicinos populos, nulli parcentes sexui aut ætati. Quæsierunt responsa dæmonum, fecerunt simulacra cerea, consulebant pythonissas, sacram eucharistiam viliter conculcantes, clericos ubicumque poterant molestabant, rusticos & idiotas in suos errores implicabant, & hujusmodi multa faciebant. De Scedingis.

Anno MCCXXXIII. crux auctoritate apostolica prædicatur contra prædictos hæreticos, & a multis susscipitur, orientalis eorum patria a peregrinis devastatur, multis illic interfectis. Wurchardus comes de *Aldenberch* cum ducentis fere peregrinis a Scedingis prosternitur; obiit eodem anno WILBRANDUS episcopus Ultrajectensis, cui successit OTTO frater Florentii comitis Hollandiæ, qui precibus Ottonis fratris fortissimum aggerem ab *Amerongen* usque *Stoonhoven* sumtuose construxit, & ad perennem laudis suæ memoriam episcopatui Trajectensi multa commoda fecit.

Eodem anno magnum gelu fuit in Francia, ita ut segetes congelarentur; unde & fames magna est subsecuta. Eadem tempestate facta est dissensio inter cives Belvacenses, dum minores insurgerent contra majores, unde plures ex majoribus occisi sunt, pluriimi vero de minoribus capti per diversa regni loca carceribus mancipati. Nam quia MILO ejusdem civitatis episcopus tunc faveret minoribus, in hoc suspectus habebatur; rex Ludovicus, velut superior judex, manum ultricem adhibuit, & ob hoc episcopatus multis annis sub interdicto fuit. Episcopus Romam proficiscens in itinere obiit, sed & ejus successor GAUFRIDUS ejusdem cau- Dissensio inter cives Belvacenses.

sæ contra regem insistens, dies paucos & malos in episcopatu peregit: cui succedens ROBERTUS pacem composuit cum rege, & sic ab interdicto diœcesim absolvit. Ea tempestate Leodii fundatum est monasterium ordinis Vallis-scholarium in loco qui Graveria dicitur, ubi duo flumina Mosa & Urta in unum conveniunt, qui locus mutato nomine nunc Insula beatæ Mariæ nuncupatur, & est ubi primum fuerunt canonici regulares. Inchoata est quoque ecclesia fratrum Minorum, cum appenditiis suis juxta ecclesiam S. Jacobi, in loco qui dicitur *Treist* ad transitum. Similiter cœpit ædificari monasterium fratrum Prædicatorum in insula Leodii: ecclesiastici, inquam, rebus & censu pauperes, ast virtutibus & sensu locupletes, qui cœlesti pabulo redundantes, patriam abundanter reficiunt.

Vallis-scholarium monasterium Leodii fundatur.

Anno Domini MCCXXXIV. Henricus dux Brabantiæ, Florentius comes Hollandiæ, & Theodoricus comes Clevensis, cruce signati contra Scedingos hæreticos Bremensis diœcesis jussu domini Gregorii papæ sexto cal. Julii processerunt, parati occumbere vel eosdem penitus abolere; illi e converso tamquam firmis uberibus enutriti ad hæc crudelius sæviebant, & in suo idolo confidentes non diffidebant se posse resistere potenti brachio domini Sabaoth. Dux Brabantiæ & comes Hollandiæ primo congressu Scedingos super agrum *Oldenesche* ubi convenerant viriliter invaserunt: sed illi se summo conamine defenderunt, statim comes Clevensis cum suis a latere irruens super illos, aciem eorum dissipavit. Statim superati sunt hostes, & sex millia eorum interfecta: plurimi ex eis fugæ præsidium postulantes, in proxima fovea & in Wisera fluvio se submerserunt: qui autem evaserunt in quatuor ventis cœli sunt dispersi.

Principes cruce signati Scedingos superant.

Eodem anno Florentius comes Hollandiæ multa tyrocinia per diversas provincias frequentavit, de quibus præconium laudis glorioſius acquisivit; verum comitissa Claromontensis famosam probitatem dicti comitis frequenter audiens, meditari cœpit qualiter electum comitem facie tenus aspiceret, de quo tot militares probitates frequenter audierat; deinde maritum suum blandis suggestionibus instigavit, ut solemnem curiam in Alemannia præconisari faceret, in qua & ipse tamquam veteranus militiæ federet, sciens pro certo quod comes Hollandiæ illuc veniret cum proceribus Germaniæ. Igitur idem comes, associato sibi comite Clevensi, magnificis expensis illic affuit, qui & magister militiæ Theutonicæ ab Alemannis electus est, & e contra dominus de Nigello Gallicanæ militiæ princeps institutus est: nec mora initis hastiludiis, comes in hujusmodi exercitatus, plures Gallicanos milites dejecit, adversarias cohortes disjunxit, ac Alemannis hinc inde gravatis, opportunum auxilium

De cæsa comitis Hollandiæ.

asportavit. Comitissa vero Claromontensis præcipuam probitatem Florentii ab altitudine turris procul considerans ex magno dilectionis affectu sæpius interrogavit maritum, quatenus Hollandiæ comitem inter equestres cuneos sibi vellet ostendere, quod vir ejus pro ingrato accipiens, uxori suæ torvis aspectibus sic respondit: Scio quod ex abundantia cordis os loquitur, & Hollandiæ comes amore tuo fungitur: ecce tuus amasius fert vexillum aureum, leonem habens rubeum, quem ardenti desiderio multoties optasti videre vivum; sed vivit Dominus, quod & hunc hoc vespere videbis mortuum; at comitissa mariti sentiens fellicum animum, satagebat comitem per secretum præmunire nuntium. Porro Claromontensis comes, licet decrepitus, arma protinus induens, Gallicos sibi milites adjunxit, & cum domino de Nigello Florentium comitem fulmineis ictibus ex omni parte vallavit. Florentius horum insciis, adversus Gallicanam multitudinem solus quantum potuit egregie restitit, & plurimos eum hostiliter impugnantes virili probitate repulit, donec tandem Claromontensis comes in Florentium irrueret, & eumdem in Corbiaco crudeliter interimeret. Statim comes Clevensis cum Theutonicis perniciter advolans, comitem Claromontensem occidit, & dominum de Nigello confestim ab eodem tyrocinio confugavit. Verum comitissa considerans se fore causam innocentem mortis Florentii, incidit in morbum incurabilem, & mortua est.

Anno MCCXXXV. Fredericus imperator duxit in uxorem regis Angliæ filiam, & in medio Augusti curiam Moguntiæ celebravit, ibi filium suum Henricum sibi contrarium regno privavit, & in Calabriam detinendum misit, in præfata curia dominus *de Lunnenborch* resignavit imperio *Brunswick* & *Lunnenborch* & omnem hereditatem suam; mox imperator dominium Brunswicense in ducatum mutavit, & duci Ottoni porrexit. Dictus Otto statim circa festum Martini Bremam obsedit, & factis exactionibus & incendiis rediit.

Fridericus imp. filium suum regno privat.

Eodem anno, Vetulus rex Arsacidas misit in Franciam, præcipiens ut occiderent Ludovicum regem; sed Deus eum immutavit, eique cogitationes pacis & non occisionis immisit: verum post primos nuntios quantocius misit alios, mandans regi ut a primis nuntiis se custodiret. Quapropter rex ex tunc corpus suum diligentius fecit custoditi, per homines clavas cupreas assidue deportantes. Interim primos nuntios alii sollicite quæsierunt, & inventos ad regem Ludovicum adduxerunt, quibus visis rex exultans, utrosque muneribus honoravit: regi quoque Vetulo regalia exenia & dona plurimum pretiosa in signum pacis & amicitiæ destinavit.

Anno MCCXXXVI. beata Elisabeth Landgravia Thuringiæ translata est in *Marborck* calendis

S. Elisabeth translatio.

Maii, præſente imperatore & multis principibus. Tanta quidem ibi erat hominum multitudo, quanta ſe nemo unquam meminit aſpexiſſe; oblatio auri & argenti ſine fine. Poſtera die imperator ivit in Weſtfaliam.

Jordanus ord. Prædic. magiſter obiit.

Eodem anno idibus Februarii magiſter Jordanus paſtor totius ordinis fratrum Prædicatorum obiit in mari. Dum enim in terram ſanctam ad viſitandum fratres & loca ſancta pergeret, inundante maris ſævitia, galeam in qua fuerat cum duobus fratribus & nonaginta perſonis, ad littus perpellente, pater cum illis ſubmerſus eſt, eumque corpora jacerent inhumata, luminaria de cælis ſuper illos effulſerunt, ſed & cruces multæ ſuper illos a multis viſæ ſunt, ad quod miraculum incolæ loci confluentes, tanti odoris fragrantiam hauſerunt, ut uſque ad decem dies odor ille ſuaviſſimus a manibus eorum qui ſepelierunt eoſdem non recederet, ſed per ſepulturæ circuitum ſuavitas ejuſdem odoris latius emanabat. Verum fratres de Accon cum barka venerunt, & illos in eccleſiam ſuam tranſtulerunt, ubi etiam dictus pater miraculis coruſcat infinitis.

Agnes regis Bohem. filia.

Eodem anno in ſacra die Pentecoſtes, domina Agnes ſoror regis Bohemiæ, hortatu fratrum Minorum ſe reddidit ordini pauperum dominarum in Praga, quæ ſunt de regula beati Franciſci, ſpreto propter Chriſtum imperatore Frederico, qui eam in conjugem antea poſtulaverat.

Imperator infert arma in Italiam.

Anno Domini MCCXXXVII. papa & imperator aliquantulum diſcordabant; nam cum papa faveret Lombardis, imperator propoſuit eos expugnare: ſiquidem Mediolanum, Vercellis, Mantua, Placentia, Faventia, Bononia, & aliæ multæ civitates Lombardiæ imperatori erant oppoſitæ, & ſibi Venetia Placentini in contemtum imperatoris tres milites ſuſpenderunt; 12. cal. Martii imperator collectis viribus profectus eſt in Italiam, & papa Romam rediit, & pacem inter Romanos fecit. Imperator ſuſpectus erat papæ, eo quod circa Sarracenos, quibus tam in pace quam in bello ſecure ſe credidit, affectu nimio ducebatur, cum Soldano etiam amicitiam habuit, & quid per hoc intenderet nemo novit. Imperator cum Mediolanenſibus bellum habuit & multos occidit.

Epiſc. Romam venientes ad concilium ab imp. capti.

Anno MCCXXXVIII. imperator per Italiam contra hoſtes ſuos per totum annum rebus bellicis inſudavit. Ipſo tempore papa epiſcoporum concilium & abbatum ad ſe vocare nititur, & multi iter aggreſſi capiuntur: nam fautores imperatoris itinera obſidentes, Romipetis inſidiabantur. JACOBUS epiſcopus Preneſtinus in Franciam legatus a papa cauſa petendi ſubſidii latenter dirigitur, & peracto negotio reverſus, ab imperatore capitur, ſed & dominus OTTO cardinalis jam pridem in Angliam a papa miſſus, eodem tempore rediens, etiam ipſe ab imperatore detinetur, archiepiſcopus Rothomagenſis, abbates etiam Cluniaci, Ciſtercienſis & Clarevallenſis captivati ſunt, ad indictum concilium feſtinare volentes.

Obitus Johan. de Apia ep. ſc. Leod.

Eodem anno JOHANNES DE APIA Leodienſis pontifex, offenſus a Waleranno comite Namurcenſi, obſedit caſtrum dictum *Poelvache*, jurans non ſe ab illo receſſurum, donec ipſum ſuæ ſubderet poteſtati; ſed infirmitate corporis gravatus deceſſit apud Dyonantum, cui ſucceſſit WILHELMUS pridem Valentinæ eccleſiæ antiſtes.

Imp. a papa excommunicatus.

Anno MCCXXXIX. papa GREGORIUS nonus in die cœnæ Domini imperatorem Fredericum extinctis candelis anathematiſavit, ita dicens: excommunicamus & anathematiſamus auctoritate Patris & Filii & Spiritus ſancti, & auctoritate Petri & Pauli & noſtra, Fredericum dictum imperatorem, pro eo quod contra Romanam eccleſiam ſeditionem movit in Urbe, per quod intendit pontificem & fratres a ſua ſede repellere, & contra privilegia, dignitatis & honoris apoſtolicæ ſedis libertatem, contra juramentum quo ſuper hoc tenetur eccleſiæ temere veniendo. Item, pro eo quod venerabilem fratrem noſtrum Preneſtinum epiſcopum apoſtolicæ ſedis legatum, ne in ſua legatione procederet, quam in Albigenſium partibus pro corroboratione catholicæ fidei ſibi commiſimus, per quoſdam fideles ſuos impediri mandavit. Item, pro eo quod non permittit quaſdam cathedrales eccleſias & alias vacantes eccleſias in regno reparari, & hac occaſione periclitatur libertas eccleſiæ, perit fides, quia non eſt qui proponat verbum Dei, nec qui regat animas, deficiente paſtore. Item, quod in regno clerici capiuntur & incarcerantur, proſcribuntur & occiduntur. Item, quod in regno eccleſiæ, domino conſentiente, deſtruuntur & prophanantur. Item, quod nepotem regis de Tunicio venientem ad Romanam eccleſiam pro ſuſcipiendo baptiſmatis ſacramento detinet, nec venire permittit. Item, pro eo quod Petrum Sarracenum ex parte regis Angliæ ad ſedem apoſtolicam venientem cepit, & detinet carceri mancipatum. Item, pro eo quod terras eccleſiæ occupavit, contra juramentum quo ſuper hoc tenetur eccleſiæ temere veniendo. Item, pro eo quod Templarii in regno & Hoſpitalarii mobilibus & immobilibus ſpoliati, non ſunt juxta tenorem pacis integre reſtituti. Item, pro eo quod talliæ & exactiones contra formam pacis ab eccleſiis & monaſteriis per ipſum extorquentur in regno. Item, pro eo quod in regno prælati eccleſiarum & abbates Ciſtercienſis & aliorum ordinum compelluntur dare certam ſummam pecuniæ per ſingulos menſes pro conſtructione novorum caſtrorum. Item, pro eo quod contra tenorem pacis ii qui adhæſerunt eccleſiæ bonis omnibus ſpoliati, exulare

coguntur tamquam proscripti, uxoribus & liberis captivatis. Item, pro eo quod ipse impedivit negotium terræ sanctæ, & recuperationem imperii Romani. Omnes autem qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti, ab ejusdem juramenti absolutione decernimus absolutos, ne sibi fidelitatem servare obfuerit, districtius inhibentes, quamdiu fuerit vinculo excommunicationis astrictus. Super oppressionibus vero & gravaminibus aliis nobilium, pauperum, orphanorum, viduarum, & aliorum de regno, pro quibus idem Fredericus juravit stare mandatis ecclesiæ, ipsum intendimus admonere, & in ipso negotio, dante Domino, procedemus sicut fuerit procedendum. Ceterum quod idem Fredericus tam de factis suis multis etiam fide dignis clamantibus per universum quoque orbem, quod de catholica fide recte non sentiat, est graviter infamatus, nos, dante Domino, suo loco & tempore procedemus, secundum quod requisierit ordo juris. Imperator intelligens tale factum, doluit & scripsit cardinalibus, ut motus summi pontificis compesceret, & scandalo generali provideret. Non minus papa sollicitavit archiepiscopos & episcopos, ut imperatorem denuntiarent, sed episcopi Theutoniæ ne hoc fieret supplicabant. Porro imperator Lombardos fortiter impugnavit, & procedens ulterius plurimas civitates papæ occupavit usque ad Viterbium. Item Hermannus filius sanctæ Elisabeth duxit Helenam filiam ducis Ottonis *de Brunsvvick*. Eodem anno in partibus Transalpinis obiit Wilhelmus Leodiensis episcopus.

Papa sucitat imperatori adversarios.

Anno Domini MCCXL. papa archiepiscopos & episcopos ad denuntiationem imperatoris sollicitavit, sed modicum profecit. Nam in Francia & Dacia archiepiscopi & episcopi Theutoniæ rescripserunt papæ, supplicantes, ut pro scandalo ecclesiæ evitando de pace inter se & imperium cogitaret. Papa nihilominus imperatori omnes quos potuit adversarios suscitavit, faciens prædicare crucem super omnes qui sedem apostolicam infestabant. Papa metuens insolentias imperatoris contra ecclesiam, sollicitavit principes super electionem alterius, sed nihil profecit: quia quidam principum ei rescripserunt non esse sui juris imperatorem instituere, sed tantum electum a principibus coronare; electio siquidem ad istos dinoscitur pertinere. Ex prætaxatione principum & consensu eligunt imperatorem Trevirensis, Moguntinus & Colonienſis; Trevirensis quippe licet de Alemannia non sit, tamen ratione antiquitatis eligit, quia cum eadem civitas a Trebeta filio Nini, quem Semiramis noverca ejus

*f. defecerat.

postquam ab eo * desideraverat a Babylone fugavit, sit constructa, etiam est a tempore Petri apostoli in fide catholica solidata. Item, Palatinus comes eligit quia dapifer est; dux Saxoniæ, quia marescalcus; marchio de *Brandenborch*, quia camerarius; rex Bohemiæ, qui pincerna est, non eligit quia non est Theutonicus. Apud Leodium electus est in episcopum dominus Robertus quondam Lingonensis antistes, præsente domino Jacobo Prenestino episcopo sedis apostolicæ legato, qui pridem fuerat abbas Trium-fontium.

Gregorii IX. papæ obitus.

Eodem anno papa Gregorius multis tribulationibus undique pressus obiit, qui 14. annis sedit in pontificatu; cui successit Cælestinus quartus, qui cum esset veteranus nimis, sedit tantum octodecim diebus. Quo defuncto cessavit papatus mensibus 22. quia cum tunc non essent nisi novem cardinales, in electione papæ non poterant concordare.

Eodem anno quidam Turcomannus, dictus communiter *Paparoissole*, homo vulgaris & plebeus contra Soldanum se vi extulit, & per duos menses & fere dimidium debacchationem suam exercuit, & in obsidione cujusdam castri Armeniorum sagitta percussus interiit; cui substitutus nepos ejus. Congregavit fere tria millia hominum, subjugavit sibi multas civitates & castra Turcorum. Quo audito, trecenti Latini sive Franci congregaverunt ad locum ubi isti fuerant adunati, & dissipaverunt omnes & fugaverunt: unus dumtaxat Latinus ibidem fuit occisus. Habita hac victoria de sodalibus *Paparoissole*, Soldanus præcepit suis clientibus, ut darent Latinis trecenta millia Soldanorum denariorum, quæ tamen omnia detinuerunt Turci, & nihil dedere Latinis, donec unus ex prudentioribus principibus tantum practicavit, quod data sunt eis promissa.

De Tartarorum advētu.

Anno MCCXLI. successive cœperunt horribiles rumores de adventu Tartarorum, qui sunt populi Aquilonares feri nimis, de quorum gestis & prospero successu in bellis contra regem Indorum & primo imperatore eorum Chingista & successoribus ejus ad longum scribere tædiosum est, & remitto ad Speculum historiale: nonnulla superficie tenus prosequar successive. Eodem tempore duo millia feminarum de *Arseron* civitate Turquiæ solito more perrexerunt ad balnea, quæ per tres leucas ab eadem civitate distant, cumque in balneis essent, & exercitum Tartarorum illic superveniſſe viderent, ut effugere possent, cogitaverunt ut se Baiothnoy duci exercitus Tartarorum perpetuo servituras offerrent. Igitur venientes ei obviam in lyris & tympanis atque diversis musicis instrumentis; quæ multæ illarum secum habebant; cantantes coram Baiothnoy se illi suoque exercitui obtulerunt. Nec sic tamen ferocitatem animi ejus mitigare potuerunt, sed omnes ibi statim præcepit occidi. Tartari quippe plusies terram Turquiæ invaserunt, antequam illam contenderent: ita quod non omnis exercitus eorum, sed tantummodo duo aut tres barones Tartarorum eos impu-

gnabant. Tandem audientes quod *Paparoiſſole* cum tam paucis pene cœpiſſet victoriam de Turcis obtinere, ipſi quamplurimum animati ex debilitate Turcorum, mox paulo poſt Turquiam integre invaſerunt.

Aſſeron prima civitas Turquiæ expugnatur.

Anno MCCXLII. Tartari omnes primam Turquiæ civitatem invaſerunt, eamque deſtruxerunt, quæ nuncupatur *Aſſeron* & ſecundum quoſdam eſt de terra *Hus*, in qua ſcriptum eſt habitaſſe ſanctum Job, & in ea regnaſſe. Cumque cives incluſi & obſeſſi a Tartaris per dies viginti ſuccurſum non haberent a domino ſuo Soldano, cogitaverunt inter ſe ut Tartaris traderent civitatem, eo pacto, ut nulli eorum aliquam læſionem vel mortem inferrent, ſed tamquam ſuos & ſclavos illos haberent. Ad hoc offerendum & firmandum miſerunt eis bajulum civitatis. Itaque Tartari petitioni eorum annuerunt, & ſecundum modum ſuum jurarunt, & omnia petita ſe firmiter ſervaturos promiſerunt. Intrantes autem urbem ſtatim fœdus ruperunt, & omnes habitatores urbis occiderunt. Simili modo fraudulentam pacem & confœderationem habitatoribus Arſengam civitatis fecerunt, & poſtquam eam ingreſſi ſunt, omnes ſimiliter occiderunt, totam autem civitatem deprædati ſunt, & juvenes ac juvenculas & quamplures alias mulieres rapientes abduxerunt. Cumque obſiderent Gaſariam quæ alio nomine dicitur Cæſarea Capadociæ, duo Franci qui erant in illius urbis præſidio dixerunt, quod ſi plures Francos ſecum habuiſſent, profecto nullas Tartarorum machinas aut inſultus metuiſſent; ſed miſeri Turci ultro ſe eis reddiderunt. Venientes autem Tartari ad præfatam urbem, petierunt tantummodo ſibi dari omnia civitatis animalia, & juramentum fidelitatis præſtari. Tunc Turci tamquam ſecuri de Tartarorum promiſſione exierunt ad illos cauſa fidelitatis confirmandæ, illorum tamen qui exierunt occiderunt centum millia. Cumque ingreſſi eſſent urbem, audientes quod rex minoris Armeniæ veniret in ſuccurſum Cæſareæ, qui modicum populum habet in reſpectu Tartarorum, omnes de nocte fugerunt, relinquentes cuncta quæ fuerant lucrati. Sed poſtmodum intelligentes quod rex ille non veniret, redierunt ad ſpolia ſua.

Item Arſinga.

Tartari Poloniam, Ruſſiam & Hungariam vaſtant.

Eodem anno Tartari vaſtaverunt Poloniam, Ruſciam, & Hungariam cum capitaneo ſuo nomine Bacho. Poſt deſtructionem quippe Coraſimmorum Elpugiſcam rex Tartarorum miſit eumdem Bacho ducem ad partes Aquilonares, ubi ſuper mare Ponticum Gaſariam, Sogdamam, Gueciam, Siquiam, Alaniam, Apoloniam, & cetera triginta regna, nec non & utramque Comaniam ſibi conquæſierat. Denique omnes quos attingere poterant Tartari, cujuſcumque eſſent profeſſionis, ſexus aut ætatis, crudelitate nimia peremerunt: venienteſque in Hungariam inopinate, factaque infinita ſtrage hominum, regem occiſo fratre ejus in pugna, de ſuo regno in Græciam fugere compulerunt, ipſique barbari uſque ad fines Theutoniæ proſilierunt. Verum cum prædicti Tartari cum Hungaris confligerent, plurimi ex eis in prælio ſunt interfecti, & profecto ſi Hungari non fugiſſent, ſed viriliter reſtitiſſent, Tartari confuſi de eorum confinibus abſceſſiſſent, nempe omnes adeo timebant quod unanimiter fugere proponebant; at Bacho dux eorum evaginato gladio in faciem eis reſtitit, & dixit: nolite fugere, quia ſi fugitis nullus evadet a morte; & ſi mori debemus, omnes inſimul moriamur: nam pro certo, ut prædixit Chingiſtam, futurum eſt quod interfici debeamus, & ſi nunc tempus eſt, mortem libenter ſuſcipiamus. Porro poſt illam barbarorum debacchationem, tanta fames dicitur invaluiſſe in Hungaria, ut homines vivi comederent cadavera mortuorum, canes quoque & cattos indifferenter edebant, & quæque talium invenire poterant. Item, eodem anno Ludovicus rex Francorum Hugonem comitem Marchiæ ſibi rebellantem ad veniam poſtulandam compulit, & plurima fortiſſima caſtra ejuſdem potenti manu expugnavit, quamvis dictus Hugo Henricum regem Angliæ & Richardum fratrem ejus in auxilium ſui convocaſſet, nempe mater regis Angliæ conjux ejuſdem Hugonis erat, initoque certamine juxta Xanctonas, rex Francorum victoria potitus eſt, multis ibidem Anglicis interemptis, rex Angliæ & comes de nocte viliter aufugerunt.

S. Ludovicus Hugonem Marchiæ comitem debellat.

Anno MCCXLIII. Tartari Turcos contemſerunt, & uſque Sebaſtem terram vaſtaverunt, & etiam uſque ad Iconium civitatem regiam & ultra curſores ſuos miſerunt. Cum autem aggreſſuri eſſent Turcos in planitie juxta *Haeſar*, *Bayoth* præmiſit fratrem ſuum cum quadraginta millibus bellatorum, & ſiquidem exercitus iſte victus fuiſſet, *Bayoth* cum altera multitudine illos inſecutus fuiſſet: ſuccubuerunt ergo Turci; nec mirum, quia Soldanus eorum ebrius fuerat nocte præcedenti, & adhuc vino æſtuabat, quando primi bellatores fuerunt devicti, ſed nec in unum fuit exercitus ejus congregatus, & circa nonam initum eſt certamen. Itaque Turcis contritis, cum Soldanus ipſe fugiſſet, ac tentoria præ timore reliquiſſet, Tartari tamen timentes ne aliqui laterent in illis tentoriis, non ſunt auſi illa intrare. Porro Soldanus habebat quadraginta bigas oneratas loricis, exceptis ſcalis argenteis & vaſis ad bibendum miræ magnitudinis, quæ omnia illic amiſit. Habebat præterea circiter tria millia ſummariorum oneratorum ſupellectili ſua, cameloſque triginta onuſtos bizantiis aureis ſpiſſis & latis ad ſimilitudinem palmi, quorum unuſquiſque valebat centum bizantios. Habebat & trecentos ſummarios ſoldanis

Tartari Turcas vincunt.

oneratos, quorum quilibet portabat quadraginta millia ſoldanorum. Erant etiam tres ſcalæ in quarum una erant ſex gradus, in ſecunda quatuor, in tertia tres; erantque duæ primæ, ut dicitur, argenteæ, tertia vero aurea. At vero vas argenteum, ſcilicet quædam conca in qua fundebatur vinum, de quo bibebat Soldanus cum ſuis, continebat menſuram duorum modiorum vel amplius, & hæc omnia cum pluribus quæ numerum excedunt, illic capta ſunt a Tartaris. Itemque Soldanus dicebatur habere in exercitu ſuo 40000. lanceas, quarum cuſpides erant ex auro; aſſerunt plerique quod ſi Ludovicus ſanctus rex Francorum poſt præfatam deſtructionem Turquiæ mare tranſiens recto tramite veniſſet in Turquiam, libere abſque contradictione reddidiſſent ei terram illam: nam terra Ægypti quam primo aggrediebatur, eſt valde periculoſa.

Innocentius IV. papa. Eodem anno poſt biennem Romanæ ſedis vacationem electus eſt in papam cardinalis Senobaldus, natione Januenſis, de comitibus Lauſaniæ, & mutato nomine vocatus eſt Innocentius quartus, ſedit annis undecim. Item, eodem anno natus eſt Ludovico regi Francorum primogenitus filius Ludovicus, & ſequenti anno alter quem Philippum nuncupari fecit. Item, Frederi-

Fridericus imp. viros egregios ad ſe trahit. cus imperator a ſuo propoſito non quievit, ſed pro ſua parte omnes quos potuit ſollicitavit, & plurimi pro eo ſenſerunt egregii viri, ſcilicet Petrus de Vineis ejus cancellarius, Godefridus de Viterbio magnus chronographus, necnon Franciſcus de Padua qui tractatum compilavit de poteſtate imperiali & auctoritate papali: nonnulli contra imperatorem ſenſerunt in ſuis opinionibus, ita ut non ſolum eum excommunicatum, ſed etiam hæreticum appellarent.

Chriſtiani a Paganis cæſi. Anno MCCXLIV. Coraſinini viri barbari & pagani invitati a Soldano Babyloniæ atque conducti in regnum Jeroſolymitanum venientes, & Chriſtianos debellantes, ante Gazam civitatem Paleſtinæ magnam Francorum multitudinem, permittente Domino, peremerunt in certamine. Subſequenter glorioſum Domini noſtri Jesu-Christi ſepulcrum, expugnata Jeroſolyma, deſtruxerunt, atque intra & extra ſanctam civitatem Chriſtianos quamplurimos occiderunt, & locum ſanctum in planitiem redegerunt. Ea tempeſtate

Cocernius Turquinianus. quidam Turquinianus nomine Cocernius animatus conſilio quorumdam admiraldorum elevare ſe voluit in ſoldanum, ob quod propoſitum conſequendum matrem ſuam affligens atque percutiens increpabat, eo quod publice diceret omnibus cujus filius eſſet, & quis eum genuiſſet. Tandem illa ſicut edocta fuerat a filio, coram omnibus qui ex induſtria congregati fuerant in locum unum ad teſtificandum quod audirent, dicebat: fili ſcito quia genuit te pater iſtius ſoldani. Quo dicto, Cocernius exclamabat: Auditis quid mater mea dicit, vos omnes ſuper hoc invoco, ut teſtes mei ſitis. Hac itaque doloſitate inventa, ſe in populo exaltavit, & ait ſoldanus frater meus iners & muliebris eſt, nec dignus regnare quoniam a Tartaris victus eſt: propter hoc volo ſoldanus eſſe, tamquam præpotens heres terræ. Sic igitur occaſionem dominandi invenit; & trecenta caſalia, ubi habitabant Chriſtiani circa Iconium deſtruxit; ſed & cives Iconii jam ordinaverant illi tradere civitatem infra tres dies, niſi quantocius captus fuiſſet. Nam cum intraturus eſſet nobile caſtrum *Candelour*, in quo ſervabatur theſaurus ſoldani, & in dominum recipiendus, per induſtriam & procurationem marchiſii de Lambro, aſtute captus eſt atque ſuſpenſus una cum fratre ſuo. Erant autem jam cum eo circiter viginti millia bellatorum, ejuſque debacchatio duravit circiter per tres menſes.

Proceſſiones nudis pedibus. Eo tempore facta eſt ſiccitas immenſa, ita ut fructus terræ ab omnibus deſperarentur. Igitur in Leodio clerus & populus univerſus ordinaverunt ternam fieri proceſſionem nudis pedibus, cum triduano jejunio, ſcilicet feria ſecunda, quarta & ſexta, primo quidem ad monaſterium ſancti Jacobi, ſecundo ad ſanctum Leonardum, tertio ad ſanctum Ægidium, &c. Cumque prima die ſcilicet feria ſecunda adhuc erant in eccleſia ſanctorum apoſtolorum Jacobi & Andreæ, quidam Deo dignus ſacerdos in viſione vidit chorum ſanctorum apoſtolorum, una cum beato Theodardo quaſi orationi incumbentem, divinam exorare clementiam: glorioſam vero Virginem Mariam tamquam precibus eorum contradicentem, eo quod in ipſa proceſſione clerus de ipſa ſolemnem non feciſſet commemorationem, ſed in quantum in proceſſione ſolemnis de ea fieret commemoratio, procul dubio ſcirent preces eorum exaudiendas. Quid plura? Iteratur proceſſio, feria quarta, pergitur ad ſanctum Leonardum, & commemoratio beatæ Virginis, quam in prima proceſſione omiſerant, duplicata devotione reſumunt, inchoantes altiſona voce: *Salve Regina*, ſtatim affuit divina clementia. Cum enim paulo ante mira extitiſſet auræ ſerenitas, ſubito tanta inundatio pluviæ erupit, ut fere omnes qui in proceſſione aderant hac illacque diſpergeret ad petenda tegiminis beneficia. Igitur meritis & precibus beatæ Virginis, ſanctique Leonardi, & omnium ſanctorum cœlum dedit pluvias, & terra dedit fructum ſuum.

Concilium Lugdunenſe. Anno MCCXLV. Innocentius papa, auxilio Januenſium, venit apud Lugdunum Galliæ civitatem, ubi Frederico imperatore in priſtina opinione contumaciter perdurante, concilium celebravit, circa feſtum apoſtolorum Petri & Pauli, & quintam partem reddituum ab eccleſiis requiſivit. Verum im-

perator pro ſe nuntios miſit ſolemnes, inter quos erat quidam doctor legum, Thadæus nomine, qui pro eo elegantiſſime allegavit, ita ut plurimorum ſibi audientiam conquireret & favorem. Nihilominus papa in feſto S. Jacobi, quod erat tertia dies concilii, Fredericum imperatorem excommunicavit, & eum ab imperiali culmine auctoritate propria depoſuit, & hanc depoſitionem per totam Chriſtianitatem promulgavit, præcipiens ſub interminatione excommunicationis, ut nullus eum imperatorem de cetero nominaret. Qua ſententia per mundum volante, quidam principum cum multis aliis reclamabant, dicentes non pertinere ad papam ut eis inſtituat vel deſtituat imperatorem; ſed electum a principibus coronare. Interea papa ſollicitari fecit principes, quos ad imperium regendum credidit idoneos, ut aliquis eorum onus imperii aſſumeret, & laborem, promittens ei quicumque imperium aſſumeret, conſilium, auxilium pariter & favorem.

Lugubris epiſtola de captione Jeruſalem.

Papa quoque per totam Theutoniam lugubrem epiſtolam de captione Jeruſalem per Coraſininos deſtinavit principibus & prælatis, ſollicitando eos ut ſe crucis inſignirent caractere contra infideles. Sed & Odo cardinalis legatos multos de regno Franciæ prælatos & barones cum adjutoribus ſuis exhortatione ſua ad ſignum crucis accipiendum animavit, & ad transfretandum cum rege in ſuccurſum terræ ſanctæ eorum animos præparavit.

De morte Soldani & ejus filiis.

Eodem anno Gaiazadinus ſoldanus Turquiæ mortuus eſt in Satellia, cui ſucceſſit filius ejus Raconadinus adhuc puer, quem genuerat de filia cujuſdam ſacerdotis Græci. Alterum habuit filium Azadinum de filia cujuſdam burgenſis Iconii, tertium nomine Aladinum genuerat de filia reginæ Georgiæ, quam in uxorem habebat. Verum Raconadinus erat annorum undecim, Azadinus novem; Aladinus ſeptem; & iſte quidem natu minimus quoad ipſos hereditatis paternæ erat legitimus heres, ſiquidem & pater ejus tertia die poſt nativitatem ipſius, juſſit omnes admiraldos eidem puero præſtare juramentum fidelitatis, & novam monetam nomine filii

De *Loſir* totius Turquiæ bajulo.

fabricari fecit. Erat eo tempore quidam Perſa bajulus totius Turquiæ nomine *Loſir* de paupere ortus parentela, ſed propter ſuam induſtriam erectus eſt in notarium curiæ, ſed poſt hoc ſupremus cancellarius; huic Soldanus moriens gladium ſuum commiſerat, ita quod ex parte illius totam terram in manu habebat. Anhelavit iſte omnibus modis traducere in conjugem unam de uxoribus domini ſui defuncti, quod apud Turcos erat magnum opprobrium, & hoc propoſitum Salephadino amico intimo ſuo, qui tunc poſt ipſum in Turquia potentior erat, revelavit, quod valde Salephadino diſplicuit, & ei quantum potuit diſſuaſit. Ille tandem prævalens, matrem Raconadini accepit in uxorem, ipſum quoque Raconadinum tamquam natu majorem promovit in Soldanum, quorum utrumque Salephadino ceteriſque ammiraldis diſplicuit, tum quia ipſe *Loſiir* Soldanum illum conſtituendo, cum omnibus complicibus ſuis perjurium incurrebat; tum quia ipſe homo plebeus & alienigena uxorem domini ſui accipiendo magnum ei ſuiſque omnibus ammiraldis dedecus faciebat. Itaque Salephadinus & plures ammiraldi Turquiæ contra *Loſiir* indignationem conceperunt, ita quod in mortem ejus ſexcenti viri conjuraverant. Porro quidam eorum qui ſimul juraverant ad ipſum *Loſiir* acceſſerunt, eique mortem ſuam juratam manifeſtaverunt, veniam petentes de conjuratione; unus autem ex illis ſexcentis aſtutior ceteris, conſuluit ipſi *Loſiir*, ut una die incluſum ſe in cubiculo infirmum fingeret, & cauſa ſuæ viſitationis illos accerſiret, ibique inſidiis poſitis, locus aptaretur, in quo occidendi omnes includerentur, quod ubi factum eſt, una die quindecim ammiraldi majores in Turquia latenter occiſi ſunt. Dicunt Chriſtiani quod idem *Loſiir* ammiraldos uſque ad ſexaginta occidit, quoſdam perſequens fugavit, quoſdam incarceravit, marchiſium de Lambro in carcerem poſuit, illum quoque qui dederat ei conſilium de occidendis ammiraldis cum uxore & omnibus filiis interfecit: demum magis ac magis contra Salephadinum indignabatur, utpote cui ſua facta maxime diſplicebant, qui quidem Salephadinus tunc in Arſengan morabatur. Itaque cum quadam die Salephadinus haberet ſecum dumtaxat ducentos armatos, eique undecim millia de exercitu *Loſiir* ſuperveniret, illi qui erant ex parte *Loſiir* mandaverunt Salephadino ne fugeret, ſed adventum ipſorum conſtanter expectaret, quia in hora certaminis ad partem ſuam transfugerent: qui credens verbis eorum, bellum aggreſſus eſt, ſtatimque a multitudine tanta contritus eſt; ipſe tamen cum paucis receptus eſt in quodam caſtro fortiſſimo vocabulo *Gamach*, tandem obſeſſus ab exercitu *Loſiir* coactus eſt egredi per inhabitatores caſtri, aſſerentes ſe nolle tueri hominem in caſtro Soldani, qui contra Soldanum eſſet. Interim *Loſiir* mittebat nuntios ad Salephadinum ut de caſtro ſecurus exiens ad ſe veniret, eligeretque unum e duobus, ut videlicet libere exiret de terra & pergeret quocumque vellet, aut de cetero cum benivolentia ipſius *Loſiir* in terra Turquiæ remaneret. Illo præmiſſis verbis credente, cum ad *Loſiir* pergeret, ille præmiſit armatos qui dicerent nuntiis, nolite eum ulterius adducere; ſed viſis iis indiciis ſtatim eum interficite; quod & factum eſt.

Henricus lantgravius Thuringiæ electus rex Romanorum.

Anno MCCXLIV. Henricus Lantgravius Thuringiæ cognomento *Raſpe* juxta Herbipolim ab archiepiſcopis Moguntino & Colonienſi

&

& aliquantis principibus in regem Romanorum eligitur, & subito crux contra omnes infideles a Moguntino solemniter prædicabatur, & omnis illa principum ac nobilium collectio crucis caractere insignitur. Rex novus curiam in Francfordia ad festum Jacobi indixit, ubi cum ei Conradus filius Frederici cum suis audacter occurreret, fugatus est, multis de capitaneis ac nobilibus ibidem captivatis, aliquanti qui favorem non habebant ad hoc, prædictum Iantgravium nuncupabant regem clericorum. Papa ad soldanum Ægypti nuntios destinavit, intendens eum a familiaritate & amicitia Frederici retrahere. Porro soldanus benigne receptis litteris papæ, rescripsit ei Græca lingua hoc modo:

Soldani Ægypti epist. ad Innocentium papam.

Præsentie papæ, nobilis, magni, spiritualis, affectuosi, sancti, tertii decimi apostolorum, universalis loquelæ Christianorum manutenentis, adoratores Crucis, judicis populi Christiani, ductoris filiorum baptismatis, summi pontificis Christianorum. Confirmet eum Deus, & det sibi felicitatem a soldano potentissimo regnante super colla nationum, continente ducis virtutes, gladii & calami, possidente duo præcellentissima; scilicet doctrinam & judicium, rege duorum marium, dominatore Austri & Septentrionis, rege regionis Ægypti & Syriæ, Mesopotamiæ & Mediæ, Idumeæ & Ophir; rege Sabeth, Belseth, Ayob, filio soldani Chametis, Zieleſmon, Aphat, Mechmet filii soldani regis Holdal, Joberir, filii Ayob, cujus regnum Deus diligit, in nomine Dei misericordis & miseratoris præsentatæ sunt scripturæ papæ nobilis, magni, affectuosi, &c. Faciat eum Deus de affectantibus bonum & facientibus illud, & volentibus pacem, & perseverantibus in causis ejus, & adjuvet eum Deus in iis quæ decentia sunt ad illos, qui sunt sui cultus sive ritus, & ad alios, & respeximus dictas scripturas studiose, & intelleximus capitula quæ eis inserta erant, & eorum continentia nobis placuit, & delectatus est auditus noster in relatu eorum, & nuntius venit ad nos quem misit sanctus papa, & ipsum prævenimus cum honore & dilectione, cum devotione & reverentia, ipsumque vocavimus ad conspectum nostrum sibi inclinantes; intendimus autem verbis ejus & fidem adhibuimus ei nuntianti nobis de Christo super quem sit laus, de quo Christo plus scimus quam vos sciatis, & magnificamus cum plus quam vos eum magnificatis, & de hoc quod dicitis vos desiderare tranquillitatem & quietem, & habere materiam convocandi populos ad pacem, similiter & nos desideramus, nec volumus contraire, & hoc semper voluimus & desideravimus; sed papa quem confirmet Deus, scit quod inter nos & imperatorem, jam dudum fuit familiaritas & concordia perfecta a tempore soldani patris nostri, quem Deus ponat in claritate, & inter nos & imperatorem prædictum est, sicut scitis. Unde non licet nobis aliqua componere cum Christianis, nisi prius habuerimus supra iis ipsius consilium & assensum. Et nos scripsimus nuntio nostro, qui est in curia imperatoris, pro causis quas detulit nuntius papæ, nuntiantes capitula & proposita nuntii vestri, ipse nuntius noster veniet ad præsentiam vestram, & loquetur vobis; & postquam renuntiaverit, faciemus juxta tenorem responsi, nec discrepabimus ab eo quod utile videbitur universis, ita quod possumus habere meritum a Deo. Hoc vobis annuntiamus, & bonum ampliabitur, Deo dante, in posterum. Scriptum est hoc in septima die mensis Macharon, qui fuit lunatio Augusti. Dicit gloria, laus Deo soli, & benedictio ejus super dominum nostrum Mahometum & super genus ipsius. Ipse sit pars nostra.

Hanc itaque litteram, cum græce scripta fuerit, quidam Latinus græcæ linguæ peritus transtulit, & de verbo ad verbum, sicut series litteræ habuit, explanavit. Dux Austriæ contra regem Hungariæ conflictu habito occubuit, & ducatum sine herede reliquit.

Eodem anno, Cuyne qui & Gog Chaam imperator sublimatus est in regno Tartarorum: nempe barones eorum congregati posuerunt eum super sedem auream, dicentes, volumus, & rogamus, atque præcipimus, ut domineris nobis omnibus. At ille dixit eis: Si me vultis super vos regnare, numquid parati estis unusquisque quod vobis præcepero facere, quemcumque vocavero venire, quemcumque mittere voluero pergere, quemcumque præcepero occidi occidere? Responderunt: Utique. Ergo, inquit, oris mei sermo de cetero gladius meus erit, omnesque communiter ei consenserunt. Post hoc quoddam filtrum statuerunt in terra, ipsumque rursus desuper sedere fecerunt, dicentes: vide sursum & agnosce Deum, ac respice filtrum in quo sedes deorsum; si bene regnum tuum rexeris, si largus fueris, justitiamque dilexeris servare, ac principes tuos unumquemque secundum dignitatem suam honoraveris, magnificus regnabis, totusque mundus tuæ substernetur dominationi, & quidquid desideraverit cor tuum, dabit tibi Deus; si autem e contrario feceris, miser & abjectus eris, adeoque pauper, ut nec tibi dimittatur filtrum in quo nunc sedes. Hoc dicto, idem barones uxorem Gog cum ipso super filtrum sedere fecerunt, sicque ambos sedentes a terra sursum in aëra levaverunt, atque imperatorem & imperatricem omnium Tartarorum voce publica & clamosa eosdem protestati sunt. Post hoc copiosam multitudinem auri & argenti, & lapides pretiosos, ac quæcumque remanserant a Chagadagan, coram imperatore novo apportari fecerunt, eique dominium super omnia illa plenarium concesserunt, ipse vero sicut placuit unicuique principum distribuit, sibique residuum reservari præcepit; demum bibere cœperunt, & ut moris eorum est,

Gog fit imp. Tartarorum.

uſque ad veſperam continuo potationibus intenderunt. Poſt hoc carnes coctæ in curribus ſine ſale advectæ ſunt, & inter quatuor aut quinque homines unicum membrum ſeu fruſtum miniſtri diſtribuerunt, ſed infra tentorium Chaan dederunt carnes ac brodium cum ſale pro ſalſa, ſicque faciebant cunctis diebus quando celebrabant convivia.

Anno Domini MCCXLVII. Henricus lantgravius, qui imperium acceptaverat, defunctus eſt, qui heredem non habuit, ſed dux Brabantiæ terram ejus valida manu ingrediens, ratione tuitionis filiæ ſuæ, quæ fuerat uxor ejuſdem lantgravii, ſe tam de terra quam de caſtris & terræ dominio intromiſit. Papa INNOCENTIUS auditis his rumoribus, PETRUM CAPUCIUM ad Velum aureum diaconum cardinalem delegavit in Germaniam, monens ut officiales imperii iterato celebrarent electionem regiam. Convocatis igitur archiepiſcopis & epiſcopis apud pagum Woringiæ, electores elegerunt in regem Romanorum WILHELMUM comitem Hollandiæ, proteſtantes ipſum potentiorem eſſe principem in regno Germaniæ; hic erat adoleſcens viceſimum ætatis agens annum, adhuc in verbis rubore decorus, cute candidus, crine nigerrimus, ſtatura procerus, & in diſpoſitione totius corporis collaudandus.

Wilhelmus comes Hollandiæ fit rex Roman.

Miraculum in Iconio.

Eodem anno menſe Junio accidit miraculum apud Iconium in loco communi, ubi crux erat ſculpta in quodam palatio, nempe quidam joculator ibidem ſtabat, & in conſpectu omnium aſtantium cum urſo ludebat. Urſus autem levato crure ſuper crucem præſentem minxit, ſtatimque videntibus omnibus ibidem expiravit. Cumque Chriſtiani aſtantes ſuper miraculo benedicerent Dominum, indignatus quidam Sarracenus in impetu, tamquam in contemtum ſacræ crucis & Chriſtianorum, cum palma crucem percuſſit, ſtatimque brachium ejus cum tota manu qua crucem percuſſerat, totaliter exaruit. Iterum quidam Sarracenus ebrius illam exultationem Chriſtianorum & laudem vilipendens, quaſi furioſus a potatione ſurrexit, & in contemtum Chriſtianitatis ſuper crucem mingere volens, morte ſubitanea percuſſus interiit, ſicque Chriſtianorum multitudine Deum magnificante ſuper tribus miraculis jam ibidem oſtenſis, Græcus quidam inſpiratione divina ſuccenſus, acceſſit ad bajulum civitatis, rogans ut illum locum immundum & abominabilem ei venderet, in quo ad honorem Dei & ſanctæ crucis eccleſiam ædificaret, pro quo etiam promiſit ſe ſoluturum viginti duo millia Soldanorum. Verum Kaladinus Turcorum audito quod Chriſtianus vir locum illum ardenter appeteret, impedivit factum omnibus modis quibus potuit. Item, eodem tempore cum INNOCENTIUS papa quoſdam fratres de ordine Prædicatorum miſiſſet ad imperatorem Tartarorum, per epiſtolam monendo eos, ut a ſtrage hominum, præci[pue] Chriſtianorum ceſſarent, & catholicam fidem reciperent; poſt longa itinera pervenerunt ad exercitum eorum, quem regebat quidam dux crudeliſſimus, nomine *Bayothnoy*; hic poſt multas contumelias & injurias fratribus iliatas, ita ut tribus vicibus ſententiam mortis in eos dictaſſet, noviſſime miſit epiſtolam ſubſcriptam domino papæ ſic continentem.

Epiſt. imper. Tartarorum ad papam.

Diſpoſitione divina ipſius Chaan tranſmiſſum Bayothnoy verbum. Papa, ita ſcias, tui nuntii venerunt, & tuas litteras ad nos tulerunt; neſcimus utrum injunxeris eis ita loqui, aut a ſemetipſis dixerunt, & in litteris taliter ſcripſeris, homines multos occiditis, interimitis & perditis. Præceptum Dei ſtabile, & ſtatutum ejus qui totius faciem orbis continet, ad nos ſic eſt, quicumque ſtatutum audierit, ſuper propriam terram, aquam & patrimonium ſedeat, & ei qui faciem totius orbis continet virtutem tradat; quicumque autem præceptum & ſtatutum non audierint, ſed aliter fecerint, illi deleantur & perdantur. Nunc ſuper hoc iſtud ſtatutum & præceptum tranſmittimus, ſi vultis ſuper terram veſtram aquam & patrimonium ſedere, oportet ut papa ipſe in propria perſona ad nos venias, & ad eum qui faciem totius terræ continet, accedas, & ſi tu præceptum Dei ſtabile, & illius qui faciem totius terræ continet non audieris, illud nos neſcimus, Deus ſcit, oportet ut antequam venias, nuntios præmittas, & nobis ſignifices ſi venis an non, ſi velis nobiſcum componere, an renitens eſſe, & reſponſionem præcepti cito ad nos tranſmittas; iſtud præceptum per manus Aybeg & Sargis *miſimus menſis Julii vigeſima die lunationis, in territorio Siticus caſtri. Scripſimus preterea hoc eſt exemplar litterarum* Chaan *ad* Bayothnoy *quas ipſi Tartari vocant litteras Dei per præceptum Dei vivi Chingiſcam filius Dei dulcis & venerabilis, dicit quia Deus excelſus ſuper omnia, ipſe Deus immortalis & ſuper terram Chingiſcam ſolus dominus, volumus iſtud ad audientiam omnium in omnem locum pervenire, provinciis nobis obedientibus & provinciis nobis rebellantibus. Oportet igitur te, ô* Bajothnoy, *ut excites eos & notifices eis quia hoc eſt mandatum Dei vivi & immortalis inceſſanter. Quod innoteſcas eis ſuper hoc petitionem tuam, & notifices in omni loco hoc meum mandatum, ubicumque nuntius poterit devenire, & quicumque contradixerit tibi, venabitur, & terra ipſius vaſtabitur; & certifico te quod quicumque non audierit hoc meum mandatum, erit ſurdus; & quicumque viderit hoc meum mandatum & non fecerit, erit cæcus; & quicumque fecerit ſecundum iſtud meum judicium, cognoſcens pacem, & non facit eam, erit claudus. Hæc mea ordinatio perveniat ad notitiam cujuſlibet ignorantiis & ſcientis. Quicumque ergo audierit & obſervare neglexerit, deſtruetur, perdetur, & morietur. Manifeſtes*

igitur iſtud, ô Bajothnoy, *& quicumque voluerit utilitatem domus ſuæ, & proſecutus iſtud fuerit, & voluerit nobis ſervire, ſalvabitur & honorabitur, & quicumque audire iſtud contradixerit, ſecundum voluntatem tuam faciens, eos corripere ſtudeas.*

Elevatio corporis S. Edmundi.

Eodem anno ſanctus ETHMUNDUS Cantuarienſis archiepiſcopus, cujus ſacri corporis gleba in Pontiniacenſi monaſterio requieverat, de terra eſt elevatus, qui nimirum anno præcedenti auctoritate apoſtolica fuerat canonizatus, & in catalogo ſanctorum deputatus. Item eodem anno domino ROBERTO Leodienſis ſedis epiſcopo viam univerſæ carnis ingreſſo, præficitur eccleſiæ Leodienſi Henricus de Monteforti adoleſcens fortis, egregius, genere nobiliſſimus, frater comitis Gelriæ, quem auctoritate apoſtolica confirmavit dominus PETRUS dictus CAPUCIUS diaconus cardinalis tituli ſancti Georgii ad Velum-aureum, legatus ad illam regionem, ut incolæ illarum partium ſubtraherent obedientiam & favorem domino Frederico imperatori, & adhærerent Wilhelmo comiti Hollandiæ noviter in regem Romanorum apud Nuſſiam electo.

Henricus de Monte-forti frater epiſc. Leodienſis.

Novi hæretici.

Anno Domini MCCXLVIII. cœperunt in eccleſia Dei mirabiles & miſerabiles hæretici pullulare, qui pulſatis campanis & convocatis baronibus, & dominis terræ in hallis Sueviæ ſic prædicaverunt in publica ſtatione: Primo quod papa eſſet hæreticus, omnes epiſcopi & prælati ſimoniaci & hæretici, inferiores quoque prælati cum ſacerdotibus, quia in vitiis & peccatis mortalibus non haberent auctoritatem ligandi vel ſolvendi, & omnes iſti ſeducerent & ſeduxiſſent homines. Item, quod ſacerdotes in peccatis mortalibus conſtituti non poſſent conficere. Item, quod nullus vivens, neque papa, neque epiſcopi, neque aliqui alii poſſint interdicere divina, & qui prohiberent eſſent hæretici & ſeductores, & licentiaverunt in civitatibus interdictis, ut miſſas audirent ſuper aras ipſorum, & ſacramenta eccleſiaſtica libere perciperent, quia ipſis perceptis mundificarentur à peccatis. Item, quod fratres Prædicatores & Minores, Ciſtercienſes quoque, & omnes alii pravam vitam ducerent & injuſtam. Item, aſſerebant quod nullus eſſet qui veritatem diceret, & qui fidem juſtam opere ſervaret, niſi ipſi & eorum ſocii, & ſi ipſi non veniſſent antequam Deus fidem & eccleſiam in periculo dimiſiſſet, prius ipſos de lapidibus ſuſcitaſſet, vel alios, qui eccleſiam Dei vera doctrina illuminaſſent. Prædicaverunt etiam hucuſque veſtri prædicatores, ſepelierunt veritatem & prædicaverunt falſitatem, nos ſepelimus falſitatem & prædicamus veritatem: & in fine dicebant, indulgentiam quam damus vobis, non damus fictam vel compoſitam ab apoſtolico, neque ab epiſcopis, ſed de ſolo Deo & ordine noſtro, & ſic non audemus honorare memoriam domini papæ, quia ita perverſæ vitæ eſt, & tam mali exempli homo, quod tacere oportet; & blaſphemando adjecit idem perfidus prædicator: orate, inquit, pro domino Frederico imperatore & Conrado filio ejus, qui perfecti & juſti ſunt. Dixit etiam quod papa non haberet auctoritatem ligandi neque ſolvendi, quia non haberet vitam apoſtolicam, & hoc probare velle per quamdam gloſulam. Iſtos hæreticos fovit & defendit Conradus filius Frederici quondam imperatoris, patremque ſuum per ſe & per talia venena credidit defenſare, ſed res lapſa eſt in contrarium, quia catholicis prædicatoribus audacter reſiſtentibus & fideles exhortantibus, liberi & miniſteriales a Conrado receſſerunt, ita quod quaſi exul & profugus de Suevia in Bavaria moraretur.

S. Ludovicus transfretat.

Eodem anno rex Francorum LUDOVICUS iter tranſmarinum arripuit, & ierunt cum eo ODO Tuſculanus epiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus, & duo fratres ejuſdem regis, videlicet ROBERTUS comes Atrebatenſis & CAROLUS comes Andegavenſis, cum multis regni Francorum baronibus & epiſcopis, ALFONSUS quoque comes Pictavienſis dicti regis frater, acceperat crucem tranſmarinam; ſed illo anno cum domina Blancha regina matre ſua remanſit ad regni cuſtodiam, omneſque ductu divino, ſalvis navigiis, venerunt in Cyprum, & applicuerunt ad Nymothium, ubi propter inſtantiam hiemis & abſentiam galearum & baſaliſcarum, quæ nondum advenerant, longo ſpatio adverſus Sarracenos rex præfatus iter inchoatum diſtulit. Eodem tempore veneruntad regem Ludovicum nuntii cujuſdam magni principis Tartarorum, qui dictus eſt *Ercheltay*, nuntiantes quod imperator Tartarorum ante tres annos ſuſcepiſſet baptiſmum cum aliis multis optimatibus, quod etiam dictus *Ercheltay* miſſus eſſet a domino ſuo cum maxima multitudine bellatorum, cujus intentio erat fidem Chriſtianam promovere ac roborare, & omnium crucem adorantium utilitatem & liberationem procurare, omneſque adverſarios ejuſdem crucis expugnare, multum vero deſiderabat ſe regis Francorum eſſe benivolum & amicum. Hoc autem eſt exemplar litterarum quas prædictus *Ercheltay* miſit ad regem Ludovicum.

Rex Tartarorum fit Chriſtianus.

Ejus ad S. Ludovicum epiſtola.

Per potentiam Dei excelſi miſſi a rege terræ Chaan verba Elcheltay, regi magno provinciarum multarum, propugnatori ſtrenuo, orbis gladio, Chriſtianitatis victori, religionis apoſtolicæ defenſori, legis evangelicæ filio, regi Francorum. Augeat Deus dominium ſuum & conſervet ei regnum ſuum annis plurimis, & impleat voluntates ſuas in lege & in mundo nunc & in futurum per veritatem divinæ conductricis hominum & omnium prophetarum & apoſtolorum. Amen. Centum millia ſalutum & be-

nedictionum, ex hoc rogo quod recipiat salutationes istas, ut sint gratæ apud ipsum; faciat autem Deus ut videam hunc regem magnificum qui applicuit. Creator autem excelsus faciat eccursum nostrum in caritate, & faciens faciat ut congregemur in unum. Post hanc autem salutationem noverit quod in hac epistola non est intentio nostra, nisi utilitas Christianitatis & corroboratio manus regum Christianorum, Domino concedente, & peto a Deo ut det victoriam exercitibus regum Christianitatis, & triumphet eos de adversariis suis contemnentibus crucem. Ex parte autem regis sublimis sublimet eum Deus, videlicet de potentia Kyocay, *augeat Deus magnificentiam suam. Venimus cum potestate & mandato ut omnes Christiani sint liberi a servitute & tributo, & angaria, & pedagiis, & consimilibus, & sint in honore & reverentia, & nullus tangat possessiones eorum, & ecclesiæ destructæ readificentur, & pulsentur tabulæ, & non audeat aliquis prohibere, ut orent corde quieto & libenti pro regno nostro. Ista autem hora adhuc venimus pro utilitate Christianorum & custodia, dante Deo excelso. Misimus autem hac per fidelem nostrum virum venerabilem* Sabeldim Mouffat David *& per Marchum, ut annuntient istos bonos rumores, & quæ sunt circa nos dicent ore ad os. Filius autem recipiat verba eorum & credat eis, & in litteris suis. Rex terræ ita præcepit, quod in lege Dei non sit differentia inter Latinum, Græcum & Armenum, Nestorinum & Jacobinum, & omnes qui adorant crucem, omnes enim sunt miseri apud nos, & sic petimus, ut rex magnificus non dividat inter ipsos, sed sit ejus pietas super omnes Christianos, duretque ejus pietas & clementia. Datum in fine Mercharran, & erit bonum, concedente Domino excelso*

Sequitur exemplar epistolæ quam misit Connestabularius regni Armeniæ ad regem Cypri de Tartaris.

Epistola cancellarii regis Armeniæ ad regem Cypri.

Noveritis quod sicut ad iter agendum pro Deo & utilitate Christianitatis me exposui, sic Christus Jesus *usque ad villam quæ vocatur* Santequat *me conduxit. Multas quippe terras videntes, Indiam retro nos dimisimus, & transivimus* Baldach, *totam quoque terram ejus, duobus arrepti itineris mensibus, civitates plurimas desertas vidi, quas vastaverant Tartari, quarum nemo posset opulentiam vel amplitudinem æstimare. Vidimus enim aliquas magnas itinere trium dierum, & plus quam centum millia aggeres magnos & mirabiles ossium a Tartaris interfectorum, nobisque videtur quod si, Deo disponente, Tartari qui paganos sic destruxerunt, non advenissent, ad totam terram transmarinam implendam & acquirendam sufficerent. Transivimus unum de paradisi fluminibus maximum, Gyen appellatum, juxta scripturam, cujus arena durat undequaque per unam magnam dietam. De Tartaris vero sciatis quod innumerabiles sunt, nec æstimari ab homine possunt; optimi sunt sagittarii; terribiles forma, nec vobis possemus describere litteraliter ritus eorum. Nunc quidem octo sunt menses, quod die ac nocte ambulavimus, & nunc dicitur nobis quod sumus ad medium terræ nostræ & terræ Chaan domini majoris Tartarorum. Intelleximus autem pro vero, quod quinque anni sunt elapsi, quod mortuus est Chaan pater hujus qui nunc est; sed barones ac principes eorum ita se per terras effuderunt, quod infra quinque annos vix in unum locum convenire potuerunt ad inthronisandum novum imperatorem eorum. Nam quidam eorum erant in India, alii in Ruscia, alii in terra de* Chastat & de Thanghat, *hæc est terra de qua tres reges venerunt in Bethleem adorare Christum, & sunt homines terræ illius Christiani. Ego siquidem fui in ecclesiis eorum, & vidi* Jesum Christum *depictum, tres quoque reges, unum aurum, alium thus, alium myrrham offerentes. Per illos itaque tres reges habuerunt illi fidem Christi, ac per illos Chaan, & omnes fere sui modo facti sunt Christiani. Unde & ante portas suas habent ecclesias, pulsant campanas & percutiunt tabulas, ita quod euntes ad dominum suum Chaan, primo quidem oportet ire ad ecclesiam, & salutare* Jesum Christum, *& post hoc ire & salutare Chaan. Invenimus enim multos Christianos effusos per terram Orientis, & multas ecclesias pulchras & altas antiquas, quæ vastatæ fuerunt a Tartaris. Unde Christiani terræ illius venerunt in potentia Chaan moderni, quos ille cum honore magno suscepit, & libertati donavit; & ne quis verbo vel facto contristaret eos prohiberi fecit, & quod peccatis nostris exigentibus non habebat Christus qui nomen suum prædicaret in illis regionibus, ipsemet pro ipso prædicavit & prædicat sanctissimis suis virtutibus, ita quod gentes illarum regionum credunt in Christum: in terra vero Indiæ, quam beatus Thomas apostolus convertit, est quidam rex Christianus qui inter alios reges, utpote Sarracenos, erat in anxietate magna positus: nam undique faciebant ei violentiam, donec Tartari venerunt in terram illam, & factus est vasallus eorum, acceptoque exercitu suo & Tartarorum cuneis, Sarracenos reges invasit, & tantum terræ in India acquisivit, quod tota orientalis terra plena est sclavis Indicis horum. Ego enim plus quam quingenta millia vidi, quos dictus rex ceperat, & venumdari mandaverat. Sciatis etiam dominum papam misisse nuntium prefato Chaan, & mandavit inquiri utrum Christianus esset, & cur gentem suam ad conculcationem orbis ac necem misisset: cui respondit Chaan quod Deus avis suis & sibi mandasset, ut gentem suam ad interficiendos pessimos homines mitteret. Super eo autem quod mandaverat, utrum esset Christianus, respondit quod hoc sciebat Deus, & si papa scire vellet, veniret ac videret, ac sciret. Tandem decrevit rex Francorum mittere nuntios cum exeniis ad regem Tartarorum, & ad* Erchelay. *Significantibus itaque*

nuntiis Tartarorum, quod rex eorum valde gratum & carum haberet tentorium vel capellam de Sarleto, fecit eam rex LUDOVICUS *præparari ſpecioſam valde, & quoſdam pannellos habentes levem atque ſubtilem brodaturam, in qua quidem brodatura erat exaratum quomodo Dominus noſter* JESUS-CHRISTUS *paſſus eſt pro ſalute humana. Hoc igitur & alia ad ornamentum capellæ & cultum divinum pertinentia miſit rex Francorum imperatori Tartarorum ad devotionem fidei Chriſtianæ in eo excitandam. Inſuper etiam de ligno ſanctæ crucis miſit tam eidem regi quam* Ercheltay *principi per nuntios ſuos cum litteris ad utrumque directis, per quas hortabatur eoſdem, ut Deum qui per gratiam ſuam ad cognitionem ſui nominis eos vocaverat, debita veneratione colerent, & in ejus amore jugiter permanerent. Interea ſoldanus Babyloniæ, intellecto quod rex Franciæ hiemaret in Cypro, ſtatim per Jeruſalem maturavit iter in Damaſcum, intendens ſummopere ut ſoldanum Halapiæ, & alios eidem coherentes ſibi confœderatos attraheret, eoſque ſecum in auxilium ſuum adduceret contra Chriſtianos. Ad hoc etiam caliphus de* Baldac *qui eſt papa Sarracenorum, & vetulus de Montibus nuntios deſtinaverant, ut illos ad concordiam revocarent. Porro ſoldanus Halapiæ cognoſcens verſutiam ſoldani Babyloniæ, non eſt confiſus in verbis ejus, nec de pace voluit cum eo tractare: quapropter ſoldanus Babylonis iratus urbem Camelæ quæ eſt de dominio Halapiæ juſſit obſideri, in qua tamen obſidione multa perpeſſus eſt diſpendia. Interim ſoldanus Halapiæ grandem miſit exercitum, ut ſolveretur obſidio, verum nuntius caliphi monuit eum pacem firmare, proponens pericula multa quæ Saracenis imminebant eo tempore, pro eo quod exercitus Chriſtianorum transfretaſſet ad ſubvertendum gentem & legem Sarracenicam, & ſi ipſi invicem diſcederent, hoc illis ad confuſionem cederet, & Chriſtianis adverſariis eorum in proſperum ſucceſſum; ſed ſoldanus Halapiæ verbis hujuſmodi nullatenus potuit inflecti, aſſerens quod quamdiu Babylonii in ejus dominio morarentur, nullatenus acquieſceret paci: quia p[illegible] non recederet, craſtina die procul dubio conflictum cum eis iniret. Videns igitur nuntius caliphi, quod nihil in tractatu proficeret, feſtinans ad exercitum Babylonis imminens eis prælium nuntiavit & ſic eos ab obſidione recedere fecit, qui cum maxima confuſione receperunt ſe in Damaſcum, ubi tunc morabatur ſoldanus Babyloniæ gravi detentus infirmitate.*

S. Ludovicus ad Damiatã appellit, & urbem capit.

Anno Domini MCCXLIX. poſt feſtum Trinitatis Ludovicus rex Francorum & omnes peregrini aſcendentes naves, profecti ſunt verſus Ægyptum, & proſperis velis venerunt juxta portum Damiatæ, quæ olim dicta eſt Memphis, & naves ſuas anchoraverunt. Eodem die cum viderent portum magna Turcorum equitum & peditum multitudine munitum, & os fluvii qui de prope eminebat ex abundantia galearum armatum, conſilium habuit rex cum majoribus de exercitu, ut in craſtino ſummo manè exirent in inſulam ad capiendam terram, videlicet in parte illa, ubi terram ſimiliter illi ceperant qui in alia obſidione Damietæ fuerant; ita quod fluvius eſſet inter ipſos & civitatem. Igitur in craſtino peregrinis intrantibus navigia ſua, & omnibus decenter armatis, rex cum legato apoſtolico crucem Domini deportante erat in quadam navi, & in alia erat vexillum ſancti Dionyſii, deinde omnes de exercitu viriliter in nomine Domini proceſſerunt verſus terram, & plurimos inſultus facientes cum baliſtis & fundibulis. Cumque naves eorum propter nimiam maris planiciem uſque ad ſiccum pertingere non poſſent, Chriſtianus exercitus in nomine Domini in mare ſaliendo ſe miſit, & uſque ad terram ſiccam cum armis ſuis venit pedeſter. At Sarraceni qui litus occupaverant nitentes defendere terram, in Chriſtianos jacula emittebant; ſed noſtri prævalentes irruerunt & occupaverunt terram, repulſis hoſtibus, in quo conflictu peremtus eſt Damietæ capitaneus cum duobus magnis amiraldis. In craſtino Sarracenis qui in urbe fuerant divina virtute perterritis eadem nocte omnes magnates aufugerunt, & urbem incendio tradiderunt. Chriſtiani quantocius reparatis pontibus, urbem ingreſſi ſunt, & eam poſſederunt octavo die poſt feſtum Trinitatis. Illic ergo ſtetit rex per totam æſtatem, cum exercitu Chriſtiano.

Chriſtiani apud Maſſoram victores.

Viceſimo autem die Novembris exercitus Chriſtianus egreſſus Damietam proceſſit adverſus Sarracenorum exercitum apud Maſſoram congregatum, in quibus locis audierunt quod ſoldanus Babyloniæ vitam finiſſet. Tranſvadato autem fluvio Thaneos, Chriſtiani pervenerunt uſque Maſſoram, occidentes Sarracenos in multitudine copioſa. Verum Sarraceni intelligentes, inconſultum eorum proceſſum, irruerunt in eos & multos peremerunt, inter quos etiam ROBERTUS comes Atrebatenſis frater Ludovici regis temporaliter amiſſus eſt: finaliter poſt multos conflictus Chriſtiani victoria potiti caſtrametati ſunt in locis illis.

Chriſtiani victi a Paganis & rex captus.

Elapſis poſt hoc aliquantis diebus, ſoldanus novus veniens in Maſſoram, receptus eſt cum magno gaudio in regem & dominum Ægypti, & ex hoc deinceps crevit eorum fiducia, noſtris autem divino judicio omnia ceſſerunt in contrarium, factaque eſt peſtilentia graviſſima in exercitu Chriſtianorum, tam hominum quam equorum, aliquanti etiam deficiebant præ inopia victualium. Talibus igitur arctati incommodis, cum redirent verſus Damiatam, Sarraceni cum infinita multitudine irruerunt ſuper Chriſtianos, acciditque, permiſſione divina, ut rex LUDOVICUS cum duobus fratribus, videlicet

Alfonso Pictavienſi & Carolo Andegavenſi, & ceteris qui cum eis redibant incideret in manus hoſtiles: itaque per terram nemo evaſit, & omnes capti ſunt, & carceribus mancipati, pauci quorum qui per fluvium redibant poterant evadere, ſed omnes fere aut capti ſunt, aut trucidati, navibus eorum ſimiliter diſſipatis, in quibus ægrotantium multitudinem flamma combuſſit.

Induciis factis rex liberatur a captivitate.

Poſt aliquantos dies ſoldanus fecit regem Ludovicum requiri de faciendis treugis, petens inſtanter cum verbis comminatoriis, ut abſque mora faceret ſibi Damiatam cum omnibus rebus ibidem inventis reſtitui, ac reſarciri omnia damna & expenſas, quas fecerant uſque ad tempus illud, ſcilicet a die quo Chriſtiani ceperant Damiatam. Tandem poſt multos tractatus uſque ad decennium inita eſt treuga ſub hac forma, videlicet, quod idem ſoldanus regem & omnes captivos Chriſtianos, qui capti fuerant a Sarracenis poſtquam rex in Ægyptum venerat, redderet necnon & omnes alios qui capti fuerant a tempore quo ſoldanus *Kyenel* avus ejuſdem ſoldani olim cum imperatore Frederico primo treugas inierat. Item, quod terras quas in regno Jeroſolymitano Chriſtiani in adventu regis tenebant, cum omnibus pertinentiis pacifice poſſiderent. Rex autem tenebatur ei reddere Damietam, & octo millia bizantiorum Sarracenicorum pro liberatione captivorum & hujuſmodi. Cumque hæ treugæ præſtitis juramentis hinc inde fuiſſent firmatæ, jam quod ſoldanus cum exercitu ſuo veniret Damietam pro complendis omnibus quæ firmata erant, contigit judicio divino, ut quidam Sarraceni milites non ſine conniventia majoris partis exercitus, irruerent in ſoldanum prædictum, ipſumque ſurgentem de menſa poſt prandium immaniter vulnerarent, & de ſuo tentorio exeuntem, ut poſſet fugæ beneficio liberari, videntibus fere omnibus amiraldis & aliorum multitudine copioſa fruſtratim gladiis trucidarent. Quo patrato, ſtatim multi Sarraceni venerunt ad tentorium regis in tali furore, ac ſi vellent in eum & in alios Chriſtianos deſævire, ſed Domino mitigante eorum furiam, requiſierunt regem inſtanter ſuper infirmandis treugis præhabitis, ac feſtina redditione Damietæ. Tandem inter ambas partes treugæ firmatæ ſunt cum omnibus admiraldis cum ſolemnitatibus juxta ritum eorum conſuetis. Statuta itaque die civitatem Damietam Sarraceni receperunt & ſaiſierunt: qua recepta, regem & fratres ſuos cum aliis nobilibus de regno Franciæ Jeruſalem & Cypri abſolverunt. Ex tunc rex habuit firmam ſpem quod reliquas pacis conditiones & conventiones in liberandis ceteris captivis firmiter Sarraceni obſervarent. His ergo pactis, ab Ægypti partibus rex & alii captivi liberati receſſerunt, ibique certos nuntios ad recipiendum captivos, & ad cuſtodiam rerum quas illic dimiſerant reliquerunt, eo quod non habebant navigia quæ ſufficerent ad revehendum ſuam ſuppellectilem. Poſt hæc venientes in Acchon, cogitantes ſollicite de captivis rehabendis, remiſerunt in Ægyptum alios ſolemnes legatos; ſed prædicti ammiraldi a legatis noſtrorum poſtulabant ſibi reddi captivos & alia ſupradicta juxta formam treugarum, ſicque detinuerunt eos longo tempore in Babylonia ſub ſpe reddendi omnia quæ petebant. Tandem poſt expectationem diutinam, de captivis omnibus quos reddere tenebantur, qui amplius quam duodecim millia firmiter eſſe aſſerebantur, inter antiquos & novos non deliberaverſint nuntiis regis, niſi tantummodo quadringentos, quorum aliquanti ſemet redimerunt cum pecunia; de ceteris autem rebus nihil volebant reſtituere; quin etiam, quod deteſtabilius eſt, electos juvenes de Chriſtianis captivis ductos ad victimam ſicut oves poſitis gladiis ſuper cervices eorum a fide catholica compellebant apoſtatare & prophanam legem Mahometi accepiare, quorum plerique imbecilles atque fragiles confitendo ritum illum deteſtabilem, ab orthodoxa fide exorbitaverunt; ceteri vero ut athletæ fortiſſimi conſtantiſſime in propoſito fidei perſiſtentes, coronam martyrii perceperunt. Deinde rex Ludovicus firmam habens confidentiam, quod terra tranſmarina juxta tenorem treugarum in pace inviolabili perſiſteret, de reditu in Franciam cœpit diſponere, ſed videns manifeſte quod prædicti ammiraldi præmiſſa juramentis ſuis firmata non obſervabant, audiens & perpendens etiam quod tota terra tranſmarina poſt ſuum receſſum conſiſteret in magno periculo, captivi quoque Chriſtiani qui ab infidelibus detinebantur omni ſpe liberationis ſublata pro perditis reputarentur, & ex illorum mora poſſent evenire Chriſtianis terræ illius aliqua bona, præcipue pro eo quod inter Babylonios & ſoldanum Halapiæ ſuborta eſſet gravis diſcordia, quia videlicet ſoldanus exercitibus ſuis congregatis jam ceperat Damaſcum, &c. His, inquam, conſideratis, maluit rex adhuc differre paſſagium & remorari in regno Syriæ, quam ſtatum Chriſtianitatis relinquere in deſperato. Verum Alfonſum Pictavienſem & Carolum Andegavenſem fratres ſuos ad reginam matrem ſuam conſolandam direxit in Franciam, ipſe cum paucis illic remanente.

Soldanus a ſuis perimitur.

Damiata Sarracenis reddita.

Prologus ſequentis operis.

Si numeres MCCL. poſtquam peperit pia Virgo,
Hoc anno per Cor. (a) cœpta eſt hæc chronica, lector,

[a] Cornelius Zantfliet.

Regnabant in quo Fredericus (II.) cum Ludovico (ſancto)
[a] Scribere deſiſti Vincenti (a) tunc & obiſti.
Quatuor egregiis includens plurima libris,
Incipiens ab Adam volo te ſed non ſub eadem
Arte viaque ſequi, doctorum ſcripta reliqui
Hic immiſcere. Nam ſingula velle docere
Res foret hæc cruda, placens hæc hiſtoria nuda.
Parcite ſcriptori, lectores, namque lepori
Sæpe ſuperſedit, cui non intendere credit,
Sperat revera ſe nil ſcripturum niſi vera.
Non eſt res bella regum reticere novella,
Actus, & bella, ſuperant hæc dulcia mella,
Quæ ſine ſupremo nequeunt contingere freno.
Qui regum colla calcat, qui ligna ſub olla
Utque faber gumphos cudit, dat ipſe triumphos,
Regna dat & tollit, levat, opprimit, atque reſolvit.
Quos vocat ejicit, erigit, obruit, omnia volvit.
Dirige, Virgo pia, calamum, patriſque ſophia,
Ut verum narrem, nec ab hoc quomodolibet errem.

Quantæ vero utilitatis ſit verax hiſtoria, probari poteſt & ex his. Nam ſive de bonis bona referat, ad imitandum bonum auditor ſollicitus inſtigatur; ſi vero mala commemorat, de pravis nihilominus religioſus ac pius auditor ſive lector devitando quod noxium eſt ac perverſum, ipſe ſollicitus ad exequenda quæ vera ac Deo digna eſſe cognoverit, accenditur indilate. Porro lectorem ſuppliciter exoro, ut ſi quid in his quæ ſcripſimus aliter quam ſe veritas habet poſita reperit, non hoc nobis imputet, quia, quæ vera lex hiſtoriæ eſt, ſimpliciter ea quæ fama vulgante collegimus, ad inſtructionem poſteritatis litteris mandare ſtuduimus; præterea omnes ad quos hæc hiſtoria pervenire potuerit, legentes vel audientes ſuppliciter precor, ut pro meis infirmitatibus tam mentis quam corporis apud ſupernam clementiam quotidianis precibus interveniant, & hanc mihi remunerationis vicem pro laboribus impendant, ut quod de multis provinciis memoratu dignum excerpſi, apud omnes fructum piæ interceſſionis poſſit invenire. Amen.

Friderici II. imp. obitus. Anno ab Incarnatione Domini MCCL. pontificatus ſanctiſſimi domini INNOCENTII hujus nominis quarti anno ſexto, Fredericus imperator hujus nominis ſecundus, pridem ſcilicet anno MCCXLV. a prædicto Innocentio in concilio Lugdunenſi ſententialiter ab imperio depoſitus, propter enormitatem criminum ſuorum, abſque ſacramentis & pœnitentia moritur in Apulia, qui fuit nonageſimus quintus imperator ab Octaviano Auguſto. Hic, inquam, Fredericus rediens cum confuſione ab obſidione civitatis Parmenſis, amiſſis ibidem regiis theſauris, gravi infirmitate correptus eſt in regno Apuliæ. Cujus baſtardus, nomine Manfredus, illectus cupidine regni Siciliæ & Apuliæ, ac metuens ne pater de ægritudine convaleſceret, conſcio ſecretario ejuſdem imperatoris, pulvinar ſuper os patris poſuit, eumque miſerabiliter ſuffocavit, tandemque fretus auxilio Siculorum regnum per fas & nefas obtinuit, quouſque dominus CAROLUS frater regis Francorum per Urbanum quartum evocatus, ſub Clemente quarto ipſum vita & regno contra multorum ſpem privavit.

Per intermedium temporis quo Fredericus depoſitus eſt auctoritate apoſtolica, electores imperii elegerunt in regem Romanorum Henricum lantgravium Thuringiæ, qui vix per biennium regnans, diem clauſit extremum, nondum ſuſcepta papali benedictione. Conſequenter electus eſt ab eiſdem Wilhelmus comes Hollandiæ, qui poſt breve ſpatium a Freſonibus interemtus eſt, nec etiam apoſtolicam benedictionem adeptus eſt. Fredericus ſecundus de quo præmiſſum eſt, filius erat Henrici imperatoris filii primi Frederici imperatoris; mater vero ejus erat Conſtantia filia Guilermi regis Siciliæ, in cujus ortu Joachim abbas in Calabria prophetico dotatus ſpiritu prædixit per hanc foré futuram regni Siculorum deſolationem; unde ſtupefactus pater, & præbens vaticinio fidem, ut omnis ſpes prolis filiæ auferretur, votum virginitatis in cœtu monialium eam promittere fecit non renitentem: quæ patre & fratre defunctis, nemine præter ſe regni legitimo hærede ſuperſtite, cum omnem juventutem peregiſſet jam fere anus, ſumpſiſſentque poſt obitum Guilermi diadema Tancredus regulus & prædicta, cum Guilermi filius adhuc eſſet juvenculus, ad id tandem perventum eſt, ut factionibus procerum undique bellis ſcaturientibus, ferro & igne omne regnum in extremum trahi videretur. Quamobrem quibuſdam regni deſolationi compatientibus, opportunum videbatur Conſtantiam alicui inſigni principi in conjugium tradi, cujus ope & potentia peſtiferi ſedarentur tumultus. Tandem non ſine dolo ac labore obtentum eſt, ſummo pontifice conſentiente, ut Conſtantia Henrico Romanorum imperatori primi Frederici filio traderetur in uxorem, & ſic rugoſa anus, ſacris omiſſis clauſtris, depoſitis ſanctimonialium vittis, cultu ornata regio, nuptaque & imperatrix devenit in medium, & quæ Deo virginitatem dicaverat, perpetuum thalamum principis intrans, nuptialemque conſcendens thorum, eam invita non depoſuit, ex quo factum eſt, ut quinquageſimum quin-

De Conſtantia matre Friderici imp.

[b] Hic alloquitur Vincentium Bellovacenſem, cujus ſpeculum deſinit in annum 1250. quo & migravit.

tum ætatis ſuæ agens annum, annoſa conciperet, & cum penes omnes conceptionis fides eſſet dubia, doluſque putaretur, actum eſt ad auferendam ſuſpicionem, ut propinquante tempore partus, per mandatum imperatoris omnes matronæ Siciliæ vocarentur, volentes futuro partui intereſſe, quibus convenientibus in pratis Panormitanis poſito tentorio, vel ſecundum alios inter urbem Panormum, cunctis intuentibus, imperatrix fere decrepita infantem enixa eſt, hunc videlicet Fredericum ſecundum, qui ex linea materna regnum Siciliæ ſibi poſtmodum vendicavit.

Henrici regis Danorum cædes.

Eodem anno quinquageſimo Henricus inclytus rex Danorum ab Abel fratre ſuo minore, cupidine regnandi illecto, ſuffocatur in mari, de qua tamen nece parum commodi vel honoris idem Abel, immo verius Caïn, conſecutus eſt: nam ſubſequenti anno cum Freſones ſubjugare tentaſſet, ab eiſdem interemtus eſt cum ſuorum multitudine permaxima.

De Henrico de Gelria epiſc. Leod.

Item eodem anno, præſidente ſedi Leodienſi HENRICO DE GELRIA, nondum in epiſcopum conſecrato, dominus PETRUS archiepiſcopus Rothomagenſis in calendis Maii, cum eſſet ſedis apoſtolicæ legatus, majus altare ſancti Lamberti in honore beatæ Mariæ perpetuæ virginis ac ſancti Lamberti martyris conſecravit, præſentibus ibidem rege Wilhelmo, SIFREDO Moguntino, ARNOLDO Treverenſi, CONRADO Colonienſi archiepiſcopis, nec non JACOBO Metenſi & GAMGERICO Cathalaunenſi epiſcopis & ceteris multis. Ea tempeſtate prædictus HENRICUS DE GELRIA Moſomum oppidum archiepiſcopi Remenſis occaſione cujuſdam turris per eumdem archiepiſcopum erectæ, in nocumentum ducatus Bullonii ad eumdem Henricum ſpectantis cum magno exercitu obſidere paravit; ſed interveniente comite Loſſenſi cum jam deditio oppidi in foribus eſſe videretur, ſub certis pactis obſidio ſoluta eſt: nam archiepiſcopus Remenſis intermedio tempore concambium fecit ejuſdem oppidi cum rege Francorum, dato ſibi alio oppido ſuper ripariam conſtituto: unde occaſione hujus concambii adhuc hodiernis temporibus Francorum rex exigit a domino Leodienſi, ut ducatum Bullonii ab eodem in feodum tenear, ac fiat ſuus vaſallus; differenſque ſi priſtinis temporibus prædeceſſores epiſcopi relevaverunt eumdem ducatum ac caſtrum ab archiepiſcopo Remenſi facto concambio, nec non tenetur & obligatur epiſcopus Leodienſis pro tempore relevare illud a rege Francorum.

De Conrado filio Frederici imperat.

Anno Domini MCCLI. Conradus filius Frederici ſecundi, quem pater adhuc vivens, ſed ab imperio per Innocentium papam ejectus, regno Alemanniæ præfecerat, per mare cum multis Theutonicis venit in Apuliam, ut regnum Siciliæ quod per maternam lineam ad eum ſpectabat, ſuſciperet, & capta Neapoli & ſubverſa, muris ejus deſtructis, cum ægrotare cœpiſſet, & pro ſanitate clyſtere ſuſciperet, miſcente venenum proditore miſerabiliter obiit.

Paſtores cruce ſignati.

Item anno quinquageſimo primo infinita paſtorum multitudo de diverſis regionibus congregata, duce quodam Jacobo, qui pridem ab ordine Ciſtercienſi apoſtataverat, mirabili & inaudita rabie cruce ſignata eſt, dicens velle ſe proficiſci in ſuccurſum terræ ſanctæ, & Ludovici Francorum regis: qui quidem in tantam perniciem inducti ſunt, ut in multis partibus Galliæ villas, civitates & populos invadere, & deſtruere conarentur; in tantum ut attentarent hoc idem Pariſiis & Aurelianis præclariſſimis urbibus, occiſis inibi pluribus clericis.

Ordo fratrum de Pœnitentia.

Eodem anno ordo fratrum de Pœnitentia inſtitutus eſt apud Maſſiliam de mandato ſpeciali domini papæ. Item Wilhelmus rex traduxit filiam Ottonis ducis *de Brunſwick*, & in ipſa nocte nuptiarum palatium in quo ſponſus & ſponſa quieverunt in *Brunſwick* juxta Leonem ex luminis & ſtraminis incuria penitus exarſit; corona regis exuſta eſt & multæ res pretioſæ, rex & regina vix evaſerunt: nam regina tamquam in domo notior eſſet, regem per manum eduxit, duo ſartores combuſti ſunt ibidem.

Blancæ reginæ obitus.

Anno MCCLII. Blanca regina Francorum, mater ſancti Ludovici regis, filia regis Caſtellæ, viam univerſæ carnis ingreſſa eſt; quæ abſente filio ac in tranſmarinis partibus pro ſubſidio terræ ſanctæ conſtituto, regnum ſtrenuiſſime gubernavit. Eodem tempore diſſenſio valida exorta eſt Leodii inter laïcos & clerum, nec non inter populares & inſignes, præcipue cum familiaris cujuſdam canonici ſanctæ Crucis quemdam civem enormiter vulneraſſet, & ne caperetur ad tutamen eccleſiæ confugiſſet, villicus & ſcabini hunc contra privilegia canonicorum proſcripſerunt. Quapropter tota civitas ſupponitur interdicto; cumque nec ad inſtantiam domini Leodienſis ſcabini vellent proſcriptionem ſupradictam revocare, rex Wilhelmus apud Ultrajectum reſidens, facta de præmiſſis diligenti inquiſitione, ſententiam ſcabinorum caſſavit & irritavit, mandans prædictum famulum priſtino debere perfrui honore juxta privilegium dominorum. Nihilominus mandatis regalibus ſcabini obtemperare recuſabant. Poſt paululum ex alia ſiniſtra occaſione populares fractis oſtiis & januis canonicorum, & pulſata campana banni, cleri exinde contritis ædibus, aris, menſiſque relictis aufugerunt omnes, urbe interdicto ſuppoſita.

Diſſentio Leodii.

Forma militaris profeſſionis Wilhelmi comitis Hollandiæ noviter electi in regem Romanorum.

Quoniam plerique milites moderno tempore

pore parcimoniæ intendentes, obmissis sumtuosis solemnitatibus, solum per colaphum militarem dignitatem accipiunt. Ideoque multi regulam ejusdem ordinis ignorantes debite militare nesciunt: quamobrem materiam aliquantisper prolongare decrevimus, & dignum annotare qualiter WILHELMUS comes Hollandiæ, ætatis annorum viginti, nuper electus in regem Romanorum, secundum Christianam institutionem miles effectus est: siquidem præparatis omnibus post evangelium solemnis missæ, præfatus Wilhelmus coram cardinali tituli sancti Georgii ad Velum-aureum tunc præsente, apud *Frankenford* perductus est per regem Bohemiæ, dicentem in hunc modum: *Vestræ reverentiæ, pater almiflue, præsentamus hunc electum armigerum, devotissime supplicantes, quatenus vestra paternitas votivam professionem ejus accipiat, & militari nostro collegio dignanter ascribi valeat.* Itaque dominus cardinalis in pontificalibus ornamentis illic assistens, dixit eidem armigero, secundum ethymologiam hujus nominis *miles, oportet unumquemque volentem militare, esse magnanimum, ingenuum, largiflluum, egregium & strenuum; magnanimum quidem in adversitate, ingenuum in consanguinitate, largiflluum in honestate, egregium in curialitate, strenuum in virili probitate. Verumtamem antequam votum professionis tuæ facias, cum matura deliberatione jugum regulæ prius audias. Hac itaque est regula militaris ordinis. In primis cum devotione recordationem Dominicæ Passionis diurnatim audire, pro fide catholica corpus audacter exponere, sanctam ecclesiam cum ministris ejus a quibuscumque grassatoribus liberare, viduas, pupillos & orphanos in eorum necessitate protegere, injusta bella vitare, iniqua stipendia renuere, pro liberatione cujuslibet innocentis duellum inire, tyrocinia nonnisi causa militaris exercitii frequentare, imperatori Romanorum seu ejus patricio reverenter in temporalibus obedire, rempublicam illibatam in vigore suo permittere, feodalia bona regni vel imperii nequaquam alienare, ac irreprehensibiliter apud Deum & homines in hoc mundo vivere. Hæc statuta militaris regulæ si devote custodieris, & pro posse sive nosse diligenter adimpleveris, scias te mereri temporalem honorem in terris, & post hanc vitam requiem æternam in cœlis.* His expletis, dominus cardinalis conjunctas manus ejusdem tyronis clausit in missali super lectum evangelium, ita dicens: *Vis ergo militarem ordinem in nomine Domini suscipere, & regulam tibi verbo tenus explicatam pro tua possibilitate perficere?* Respondit armiger: *Volo.* Dominus igitur cardinalis subsequenter exinde professionem ejusdem armigero dedit, quam & idem armiger palam coram omnibus in hunc modum legit:

Ego Wilhelmus Hollandiensis militiæ princeps, sacrique imperii vasallus, liber jurando profiteor, regulæ militaris observantiam in præsentia domini mei Petri cardinalis, &c. per hoc sacrosanctum evangelium quod manu tango. Cui cardinalis ait: *Hæc professio devota peccatorum tuorum sit vera remissio. Amen.*

His ita peractis, rex Bohemiæ dedit ictum grandem in collo tyronis, ita dicens: *Ad honorem omnipotentis Dei te militem ordino, ac in nostro collegio te gratanter accipio, & memento quoniam Salvator mundi coram Anna pontifice pro te colaphisatus est & illusus, coram Pilato præside flagellis cæsus & spinis coronatus est, coram Herode rege clamide vestitus & irrisus est, & coram omni populo nudus, & vulneratus in cruce suspensus est, cujus opprobria memorari te suadeo, cujus crucem te acceptare consulo, cujus etiam mortem ulcisci te moneo.*

Quibus ita solemniter peractis, idem novus tyro post finitam missam cum stridentibus buccinis, perstrepentibus tympanis, & tinnientibus cymbalis, contra filium regis Bohemiæ tribus in vicibus commisit hastiludium, & exinde cum gladiis enitentibus dimicando, celebravit magnificis expensis curiam triduam.

Coronatio ejusdem regis in urbe Aquensi.

In ipsa sacra solemnitate Omnium-Sanctorum, universa multitudo prælatorum & principum deduxit regem electum ad basilicam beatæ MARIÆ Virginis, quem episcopi Monasterienses & Mindenses simul ornaverunt infra sacrarium. Porro Leodienses & Trajectenses episcopi vestitum ornamentis Leviticis in modum diaconi perduxerunt ante regale solium. Ex tunc archiepiscopus Colonienses cancellarius per Italiam, collocatus in sede majestatis, ita dicens: *Consecrare te dignetur omnipotens Deus in regem Romanorum, qui David per manum Samuelis prophetæ regem inungi jussit super populum Hebræorum.* Deinde archiepiscopus Trevirensis cancellarius per Galliam, manus sibi superimposuit, dicens: *Descendat super te spiritus sapientiæ & intelligentiæ, scientiæ, pietatis, fortitudinis & consilii, replearisque spiritu timoris Domini.* Post hæc marchio Brandeburgensis camerarius regis annulum sibi tradidit, ita dicens: *Accipe sceptrum regni, & rebelles severa correctione potenter affligas, omnesque benivolos cum tranquilla pace gubernes.* Dux Bavariæ, comes palatii, dapifer regis, dedit sibi globum aureum, & dixit: *Accipe globum sphericum, & omnis terræ nationes Romano regno subjicias, ut glorioflus augustus appellari valeas.* Rex Bohemiæ pincerna regis, de consensu Colonienses archiepiscopi coronam argenteam capiti ejus subimpressit, dicens: *Accipe diadema splendidum, & sis in virtuosis actibus adeo coruscus in terris, ut coronam æternam felicitatis habere merearis in cœlis.* Deinde principes & populi acclama-

verunt regi ſalutem & gloriam, & deinde præſtiterunt eidem homagium fidelitatis, &c.

Margarita comitiſſa movet bellũ adverſus Wilhelmum regem.

Anno MCCLIII. Theobaldus *de Ghyſen* & Walfridus de Barro comites, cum Ghioto & Johanne *de Donpier* filiis Margaretæ comitiſſæ Flandriæ collegerunt innumerabilem exercitum ex Flandria, Francia, Pikardia ad ſubjugandum Walacriam, quæ eſt pars Zelandiæ. Porro Wilhelmus rex Romanorum econtra Florentium fratrem ſuum cum exercitu valido deſtinavit ad Zelandiam, ut Margaretæ comitiſſæ contumelioſam edomaret arrogantiam. Dux autem Brabantiæ avunculus regis, controverſiam hanc reconciliare diſponens, inſtituit diem ad interloquendum de concordia; cumque apud Antuerpiam triduanum tractaretur interloquium, Margareta per occultam legationem mandavit capitaneis ſui exercitus, ut extemplo Walacriam introirent, & in abſentia regis cum Florentio præſide bellum anticiparent. At illi mandatis comitiſſæ feſtinanter obtemperantes, cum centum millibus armatorum transfretabant ad Walacriam; econtra Florentius in *Weſtapple* hoſtes viriliter aggreſſus eſt, de quibus optatum trophæum quarta die Julii potenter adeptus eſt. Etenim in illo bello fuit tam cruenta ſtrages, & horridum excidium, ut Hollandini uſque ad talum in occiſorum cruore perſiſterent. Interea rex Wilhelmus omnem rem geſtam per feſtinum nuntium intelligens, & Margaretæ comitiſſæ doloſam traditionem intuens, deſeruit Antuerpiam, & feſtino remigio profectus eſt in Walacriam; & ecce fugitivi Flamingi & Franci, depoſitis armis, humillima prece adierunt regis præſentiam; quos & ipſe rex miſericordia motus ſuſcepit ad gratiam. Perierunt in ipſo certamine amplius quam ſexaginta millia Flamingorum & Picardorum, multa millia ſubmerſa, reliqua pars captivata, comites prænominatos & duos filios comitiſſæ captivos deſtinavit rex ad Hollandiam, ſed & vulgarem populum omnino denudatum remiſit ad Flandriam; *ita quod unuſquiſque Flamingus piſis virentibus perizomata circumplectens, & ex manibus brachas lumbis ſuis adaptans, ad Flandriam nudus reverſus eſt.* Exinde proverbium exortum eſt tale in Francia, *à l'an milhe doi cens chinquante-trois firent Flamens brayes de pois.*

Ejus exercitus a copiis regiis omnino deletus.

Eodem anno, pace reformata Leodii, rediit clerus, cui nudis pedibus obviam proceſſere vulgares, cereos deportantes in manibus, & uſque ad majorem eccleſiam cum hymnis & canticis clerum deducentes; ſed non diu ſerenitas pacis durare permiſſa eſt, inſtinctu cujuſdam civis cui nomen erat Henricus de Dyonanto, qui ſuis dolis ac facundia populares in tantum dementabat, ut ad nutum ſuum cunctos facillime deflecteret: ſiquidem cum pro aſſiſia vini cives eſſent in capitulo majori congregati, quidam procurator reproperabat eidem Henrico humilitatem generis, & alia probra plurima, & manu ad cultellum appoſita minabatur eidem necem ac vulnera; ſubito fama diſpergitur Henricum ab hoſte interemtum, clamor exoritur, ad arma concurritur, januæ capituli violenter infringuntur. Exit Henricus & nihil mali ſe perpeſſum indicat; finaliter populus requiſitus per canonicos oſtia reparat, nudis pedibus, flexis genibus, veniam poſtulat & impetrat. Nondum tamen adhuc ceſſante procella, per PETRUM CAPUCII legatum ſedis apoſtolicæ apud Trajectum pax reformatur, quæ aliunde fuerat deturbata.

Leodii nova ſeditio.

Wilhelmus rex de Friſonibus triumphat.

Anno MCCLIV. undecimo Maii Wilhelmus Romanorum rex inito navali certamine cum Friſonibus glorioſe de ipſis triumphavit, peremtis adverſariorum ſex millibus, quia fratri ſuo Florentio noluerant obedire. Oppidum Valencenis in Hannonia precibus Johannis de Avennis obſidetur a Wilhelmo rege Romanorum, ubi affuerant centum millia pugnatorum ſecundum famam communem, ſed non eſt expugnatum.

Valencenarum obſidio.

Apud Hoyum ſex potatores noctu taberna confracta lætaliter vulneraverunt tabernarium: unde turbati ſcabini eoſdem proſcripſerunt, non tamen ter evocatos, ut moris eſt; & quoniam ſecundum legem patriæ hoc fieri non debebat, requiruntur ſcabini revocare ſententiam; illis renuentibus, fœderantur Leodienſes Hoyenſibus, demolientes vineas, horrea, & domos ſcabinorum. Epiſcopus exinde commotus, cunctos ſupponit interdicto. Caſtrum Waremiæ ſolo tenus deſtruitur per Hoyenſes.

S. Trudonis obſidio.

Epiſcopus oppidum S. Trudonis obſidet adjunctis ſibi duce Brabantiæ, comite Loſſenſi, Gelrenſi & Juliacenſi. Ea propter ne deſint militibus ſtipendia, obligat duci oppidum Machliniæ, villas Hugardis, & *Bavenchien.* Caſtrum de *Muhalt* impugnatur ab Hoyenſibus, non expugnatur. Comes Juliacenſis inter *Anteez* & *Vinalmont* Hoyenſes miſerabiliter truncat, captivat, diſpergit. Scabini apud Vothem Henricum de Dyonanto cum multis ædium effractoribus proſcribunt. Arbitri pacis eliguntur, & apud *Bierſet* tandem cum multis difficultatibus concordant partes, excluſis auctoribus diſturbii Henrico de Dyonanto, præpoſito, a cautore, aliiſque nonnullis qui ceteris abeuntibus domi remanſerant: porta ſanctæ Walburgis epiſcopo traditur cum cuſtodia militum comitis Loſſenſis, quam muro cinxit, foſſata implevit, dituens quatuor bonuaria muri verſus orientem, & facta eſt ei in arcem. Murmur propter dictum Henricum exoritur: epiſcopus turbatur. Unum procaciorem juxta vineas fratrum Minorum in patibulo facto de trabibus Henrici ſuſpendit, ita ut clare a foro intueri poſſet, &c.

Wilhelmus Frisonibus bellū infert.

Anno MCCLV. rex Wilhelmus Frisiam ingressus est, & rebellantes sibi Frisones egregie vicit, & castrum *Thorenborch* ad eorum sempiternum offendiculum fabricavit. Demum cum jam tota terra glaciatim esset pervia, rex iterum quinto calendas Februarii cum duobus exercitibus armipotenter ingressus est Frisiam, sperans ipso die sicut prius obtinere victoriam, sed non eodem cursu respondent ultima primis. Nam Wilhelmus *de Brederode* contra Drechtenses Frisones trophæum laudis adeptus est. Rex autem in dextrario residens secundum gubernabat exercitum, qui ad villam *Hontvvoud* concremandam trans paludes securum exquisivit aditum, cumque idem rex pedestrem exercitum solus in magna distantia præcessisset, viamque meabilem ad expugnandos adversarios explorasset, ecce dextrarius ejus in paludoso vado circumfracta glacie paulatim immersus est, qui ibidem absque juvamine cujuslibet familiaris fere suffocatus est: Frisones vero de latibulis insidiarum ex arundinetis utrobique consurgentes, proh dolor! ipsum regem priusquam exercitus ejus appropinquare poterat, occiderunt, quem propter pulchritudinem armorum timore supervenientis exercitus ad proximam villam festinanter asportarunt, & in domo cujusdam Frisonis occulte sepelierunt, ut per succedentia tempora deperiret tam vindicta quam memoria sui nominis. Occiso Wilhelmo rege, successit ei in comitatu Hollandiæ filius ejus Florentius tener infantulus nondum unius anni, quem patruus ejus Florentius in suam tutelam suscipiens, totum comitatum gubernabat quiete per spatium annorum trium.

A quibus occidunt.

Eodem anno quidam validus civis in Moguntia cœpit hortari concives suos, ut pro pace restauranda juramento se invicem constringerent. Consenserunt ei etiam aliæ civitates Alemanniæ, & dictus est civis ille *Walchodo*. Non placuit hæc res principibus neque militibus, sed neque prædonibus, & maxime his qui habebant assidue manus pendulas ad rapinam, qui asserebant sordidum esse quod mercatores haberent super homines honestos & nobiles dominationem, ac litteratis viris attemtarent. His illorum factionibus in odium cleri applaudebat vulgaris laïcorum populus majoraque facta fuissent, nisi tandem communis plaga postmodum laïcos cum clericis involvisset: & hi quoque auctore Deo diversis locis & pœnis citissime perierunt quarta die Julii.

Anno MCCLV. Wilhelmus rex Romanorum a Frisonibus interficitur: post cujus mortem electores imperii in eligendo non fuere concordes. Nam quidam quidem elegerant regem Castellæ, quidam Richardum comitem Cornubiæ, fratrem Henrici regis Angliæ ditissimum, cujus tandem pars prævaluit. Innocentius quartus exercitum in Apuliam contra Manfredum regem ducens inniter, apud Neapolim moritur. Succedit Alexander quartus natione Campanus, qui præfuit annis septem, & ecclesias Leodienses in magno favore habuit ac dilexit. Hic Manfredum quia in præjudicium Romanæ ecclesiæ regnum Siciliæ sibi hereditarium usurpaverat, excommunicavit. Sancta Clara apud Anagniam canonizatur hoc anno.

Innocentii IV. obitus & Alexandri IV. electio.

Anno MCCLVI. imperatrix Constantinopolitana relicta Balduini comitis Hannoniæ in regem Græcorum per Francos instituti, residens apud Namurcum per exactiones & tallias cives studebat aggravare: quam ob causam ad comitem Lucemburgensem nuntii clam diriguntur, invitantes eum ut illuc veniat, maternam hæreditatem recepturus, qui militum copiam illuc confestim directam, & a civibus intromissam, ad oppidi munitionem castrum firmissimum jussit obsidere, quæ quidem obsidio per biennium fere est protracta. Ea tempestate in partibus Theutoniæ tanti ventorum, fulminum, tonitruorum ac grandinum fragores invalescere visi sunt, ut plerique per civitates tamquam amentes incederent, & imminere diem judicii formidarent, circa Treverim vineas demolitas penitus silvas & arbores antiquissimas funditus eversas audivimus, & excelsarum turrium ac ædificiorum fastigia corruisse. Fuerunt qui dicerent dæmones se vidisse, & eos quasi bestias diversas in aëre sibi invicem ex ventis contrariis occurrisse.

Imperatrix Constantin. suos vexat.

Henricus Leodiensis electus nondum consecratus volens redimere Machliniam & Hugardis duci impignoratas pro mille trecentis marcis, vicesimam partem redditum cleri sibi dari ab apostolica sede sibi impetravit. Clerus Brabantiæ instinctu ducis hanc solvere negat, verum ut patet ex littera domini GREGORII papæ decimi, dictus Henricus illa vicesima non contentus, in qualibet ecclesia suæ civitatis ac diœcesis fructus dimidiæ præbendæ annuatim instituit sibi dari, & tam prædictam vicesimam, quam etiam eosdem prædictos proventus, idcirco congregabat, ut ex eis suos bastardos locupletaret: quod ex eo patebat, nam dum quadam vice ægrotaret, non erubuit palam asserere id dumtaxat cordi suo fuisse molestius, quod male de negotio suorum cogitaverat puerorum.

Henricus Leod. electus vigesimam bonorum ecclesiasticorum levat.

Anno MCCLVII. Richardus prædictus in regem Romanorum electus Aquisgrani per CONRARDUM Colonienſem archiepiscopum coronatus est XVII. die mensis Maii, quæ erat festum ascensionis Domini. Rex Tartarorum *Hulaon* cepit civitatem Sarracenorum opulentissimam *Baldac*, quæ antiquitus dicta est Susis castrum, sive Egbatanis, in qua habitaverunt Assuerus & Hester, Daniel quoque visionem vidit supra portam Ulaii. Insuper

Tartarorum rex expugnat *Baldac*, &c.

& captivavit caliphum civitatis, qui est velut summus pontifex legis Mahometi, ponens eum in cavea ferrea, & juxta eum mensam plenam bizantiis aureis infinitis, eumque fame interimere volens, dixit: ecce comede aurum, quod tantum dilexisti, ut nobis tributum negares. Successive prædicti Tartari subjugarunt sibi regnum Persarum, Medorum & Halapiæ, quorum dux *Halaon* suscipiens baptisma Christianorum, regi Armeniæ Ayceni, ultro se dominio Tartarorum subjicienti, permaxima præstitit dona ac privilegia, relevans humeros Christi fidelium a jugo Sarracenorum. Non multo post, defuncto summo rege Tartarorum, fratrem dicti *Hulaon* erexerunt sibi in regem, nepotem hujus *Hulaon* nomine Barka, & congregato hinc inde maximo utrimque exercitu super fluvium permaximum pro tunc congelatum, ex onere armatorum de utraque acie submersa sunt plusquam centum millia Tartarorum.

Anno Domini MCCLVIII. Richardus Romanorum rex venit apud Hoium oppidum cum maxima nobilium ac procerum comitiva. Henricus Leodiensis electus, cum jam per novennium præfuisset, hoc anno consecratur in sacerdotem, vir nobilis quidem, genere sed degener moribus, sanguinolentus, lascivus & avarus, & insuper postulatus est in abbatem sancti Remacli Stabulensis, quæ est abbatia veterana ante Leodium fundata, per Sigebertum Francorum & Lotharingiæ regem; immediate sua sumens regalia ab imperatore Romano, plurimis dotata privilegiis sub aureis bullis sigillis ac litteris conscriptis, sed heu modernis temporibus in ædificiis ac religione valde collapsa.

Henricus Leod. episc. ordinatur sacerdos.

Nota.

Eodem tempore comes Hannoniæ, Johannes de Avennis, exercitu magno congregato, venit Namurcum soluturus obsidionem castri, jam biennio protractam, asserens hunc comitatum sui juris ac dominii esse debere. Intermediantibus perpaucis diebus sic terminata est hæc discordia, quod comes Lucemburgensis comitatum Namurcensem relevare debeat in feudum a comite Hannoniæ; cumque dominus Franco bastardus domini *de Wezemale* castri capitaneus illud animose biennio tenuisset, deficientibus omnino victualibus, cum jam loco panis equorum suorum coctum sanguinem obsessi comederent, ipso die Vincentii castrum reddidit obsidenti, qui cum scrutatus singula loca fuisset, hunc ei comes adscripsit honorem, quia in toto castro non est inventa tam parva pecia panis, unde puer famelicus lacrymans potuisset quietari.

Namurci expugnatio.

Anno MCCLIX. in Tuscia parte Italiæ Florentini & Lucani mirabilem & miserabilem habuerunt eventum. Nam confisi de suorum multitudine ac robore, intrantes comitatum Senensem, Senenses freti auxilio Manfredi regis Siciliæ ipsis in bellum obvii facti sunt, & inito certamine, qui primi inter Florentinos & Lucanos visi fuerant, ad hostes transfugæ facti sunt, & cum Senensibus in suos irruerunt, sic quod ex Florentinis suorum fraude deceptis prostrata sunt circiter sex millia hominum. Constantinopolis quæ per Francos & Venetos dudum capta fuerat, per Palæalogum Græcorum imperatorem vi prælii recuperata fuit.

Florentini & Lucani a Senensibus victi.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCLX. rex Hungariæ pro quibusdam terris regem Bohemiæ impugnare aggressus est cum quadraginta millibus armatorum, tam Tartatorum, quam Paganorum: cui rex Bohemiæ cum multo pluribus equitibus ad resistendum occurrit, habens, ut famabatur, septem millia equorum ferro opertorum. Cumque in confinibus regnorum bellum inchoatum fuisset, ex collisione equorum & armorum tantus pulvis de terra surrexit, ut clara die vix homo hominem cognoscere potuisset. Tandem inita pugna, Hungari, rege eorum graviter sauciato, terga vertentes, cum cedentes festinarent effugere, in quodam flumine profundissimo, quod transire debuerant, præter alios occisos fere tredecim millia hominum submersi fuisse scribuntur. Sic rege Bohemiæ post habitam victoriam intrante Hungariam, rex Hungariæ pacem petit, terras quæ diffidii origo fuerant, restituit, & futuram amicitiam mediante matrimonio copulavit.

Hungaria & Bohemia cæsa.

Alexander papa quartus Viterbii moritur, & in ecclesia sancti Laurentii honorifice sepelitur. Cui succedit Urbanus papa quartus, natione Trecensis, olim dictus Jacobus de Curto palatio, primo archidiaconus Leodiensis, postea patriarcha Jerosolymitanus, deinde cardinalis, genere nobilis, litteratus & facundus, qui præfuit annis tribus, mense uno, diebus quatuor. Eodem tempore soldanus Ægypti per vim ingressus est regnum Syriæ & Palæstinæ, expulsis inde per multa loca Christianis: quod cum ad notitiam *Hulaon* Tartarorum principis perlatum esset, paravit exercitum suum cum Armenis & Syris Christianis ad reprimendum Sarracenos, sed morte præventus nequivit opus perficere.

Alexandri IV. obitus, Urbani IV. electio.

Christiani Palæstinæ expulsi.

Anno Domini MCCLXI. in villa *de Forthem* super Rhenum contigit, ut quædam malignissima vetula Judæis familiaris effecta, puellam septem annorum utroque parente orbatam Judæis venderet occidendam. Hanc itaque super plura paria linteaminum in secreto ponentes, obstructo ore ejus, in omnibus fere juncturis membrorum incisionibus vulneraverunt, maximo conamine sanguinem exprimentes, & in ipsis linteolis diligentissime receptantes. Hac autem post tormenta defuncta, Judæi in aquam fluentem pro-

Judæorum immanis crudelitas.

pe oppidum projecerunt, & ſuper eam congeriem lapidum poſuerunt. Tertia autem vel quarta poſt hoc die, per manum erectam ad cælum a piſcatoribus eſt inventa, & in oppidum deportata, horrentibus & clamantibus populis ab impiis Judæis tantum flagitium perpetratum. Erat autem in vicinio marchio *de Baden*, qui mox audito tam grandi piaculo, pervenit ad corpus, ſtatimque erectum reſidens tetendit manus ad principem, ac ſi ſanguinis vindictam vel forte miſericordiam imploraret. Poſt horam fere dimidiam corpus illud iterum ſe depoſuit defuncti more reſupinum, adductiſque ad hoc ſpectaculum impiis Judæis, ſtatim eruperunt omnia vulnera corporis, & in teſtimonium nefandæ necis, copioſum ſanguinem effuderunt. Mox clamor vulgi ad ſidera tollitur, & in vindictam zeli totaliter animatur; ex quibuſdam indiciis capta vetula & convicta, maxime cum filia ejus parvula omnia prodiderit, quod a puero & ebrio extorquetur veritas, Judæi quoque capti ſunt, qui in puellam manus nefarias extenderunt, rotatique & ſuſpenſi ſunt cum vetula, duo autem ex eis mutuo ſe jugulaverunt.

Anno MCCLXII. Philippus filius ſancti Ludovici regis Francorum accepit in uxorem Iſabellam filiam Petri regis Arragonum, qui reddidit Francis cum eadem filia omnem terram, quæ antiquis temporibus ad regnum Francorum ſpectare dicebatur in ſignum perpetuæ pacis ac fœderis.

Siciliæ regnũ Carolo comiti Andegavenſi datur.

Anno MCCLXIII. Urbanus quartus exercitum Sarracenorum, quem Manfredus ſæpedictus Siciliæ rex in patrimonium eccleſiæ miſerat, ſuffragio cruce ſignatorum, potenter abegit, & regnum Siciliæ Carolo comiti Andegavenſi, fratri ſancti Ludovici Francorum regis contulit plenarie, qui tam Ludovici fratris quam ceterorum regni procerum ſuaſionibus animatus, ingenti pectore quamquam longa & laborioſa plurimum videretur, belli tam egregii expeditionem aſſumſit: quam tamen uſque ad annum 65. cunctis ex cauſis præſidente Clemente quarto procraſtinavit. Hic habuit in uxorem Beatricem filiam Raimundi comitis Provinciæ.

Feſtum SS. Sacramenti inſtituitur.

Anno MCCLXIV. revelatio divina facta eſt cuidam recluſæ commoranti in Leodium apud ſanctum Martinum in monte; videbat ſiquidem lunam non omnino plenam, ſed adhuc in una ſui parte ſciſſuram vel aperturam habere, per quam ſignificata erat militans eccleſia, una adhuc feſtivitate ſibi deficiente, id eſt de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini quam cœleſtis nuntius feria quinta poſt octavam Pentecoſtes revelabat eſſe celebrari inſtituendam. Quam quidem viſionem angelicam prædicta recluſa, domino papæ ex antiquo cum adhuc eſſet archidiaconus Leodienſis ſatis & multum familiaris, per litteras patenter indicat. Qui agnita ſanctitate prædictæ feminæ, habita ſupra his matura deliberatione cum ſuis cardinalibus, prædictam ſolemnitatem, præmiſſa die celebrari juſſit, confectas exinde bullas ac indulgentias per univerſum orbem terrarum tranſmittens. Nonnulli aſſerunt hujuſmodi viſionem primitus factam devotæ itidem mulieri Julianæ *de Cornethon*, ſimiliter apud Leodium pro tunc commoranti: quidquid ſit, nulli dubium eſt hanc ſolemnitatem Leodii exordium ſumſiſſe, & ex conſequenti ad omnes chriſtianitatis eccleſias & provincias emanaſſe. Eo tempore Simon comes Montisfortis & barones Angliæ cum civibus Londoniarum inſurrexerunt in regem Angliæ Henricum & fratrem ejus Richardum regem Romanorum, eo quod rex conſuetudines regni infregiſſet, & inito diro conflictu, rex & primogenitus ejus capiuntur; ſed pro ſedando hoc tumultu miſſus eſt dominus Guido Fulcodii cardinalis Sabinenſis, qui durante ſua legatione electus eſt in ſummum pontificem.

Angli in ſuũ regem rebelles.

Eodem anno, cometa, quæ prodigioſum aliquod ſemper portendit infortunium eventurum, ab Oriente cum fulgore magno conſurgens, uſque ad medium hemiſpherii comam perlucidam protrahebat; unde plurimis plurima ſuper hoc ſigno conjecturantibus, Urbanus papa confeſtim ægrotare cœpit, quo poſt tres fere menſes expirante, cometes evanuit. Hic ſepultus eſt in Peruſio.

Clemens IV. eligitur.

Anno MCCLXV. defuncto Urbano Clemens quartus ſucceſſit, natione Provincialis, de villa ſancti Ægidii, qui præfuit annis tribus, menſibus novem. Hujus vita ab adoleſcentia tota fuit laudabilis & exemplaris, ſiquidem fuit optime litteratus & rhetor facundiſſimus, habens uxorem & filiam ex ea nomine Cæciliam, & primo quidem factus judex regis Franciæ in patria ſua, gradatim per diverſa officia aſcendens, in conſiliarium regis eſt aſſumtus; exinde factus eſt epiſcopus Podienſis, & poſt hæc archiepiſcopus Narbonenſis, non multo poſt cardinalis Sabinenſis. Cumque pro reformatione pacis ab Urbano quarto in Angliam legatus eſſet, abſens Peruſii a cardinalibus in papam electus eſt. Hujus filiam Cæciliam cum multi nobiles de Provincia in uxorem ſibi dari poſtularent, deridens eos, non, inquit, vos petitis Cæciliam, ſed papam: hæc non eſt filia Clementis, ſed Guidonis Fulcodii, quam nequaquam petere deberetis. Illam autem noluit marito tradere, ſed mediocriter ei providens, quamdiu vixit, in monaſterio ſanctimonialium in urbe Nemauſenſi honeſte eam converſari fecit. Habuit præterea fratrem rectorem cujuſdam parochialis eccleſiæ, quem altius promovere noluit, ſed pinguiorem ei parochialem eccleſiam, dimiſſa prima, conceſſit, nulli unquam principum

vel regum relicta juſtitia in quoquam voluit deferre; quapropter ab omnibus honorabatur, timebatur & amabatur.

Caroli comitis Andegavenſis expeditio in Siciliam.

Eodem tempore ſicut antea cœpimus exordiri, Karolus comes Andegavenſis contra Manfredum regni Siciliæ invaſorem expeditionem aggrediens, & paratis rebus tam arduo negotio opportunis, commiſſa parte exercitus Guidoni comiti Montisfortis terreſtre iter illi injunxit; ipſe cum reliqua parte naves conſcendens, proſpero ac pari eventu Romam ambo celeriter ſine offendiculo pervenerunt: nam nec Karolus quidquam reſiſtentiæ per mare recepit, cum tamen mirum dictu omnis Liguſtinus ſinus navibus Manfredi ad impediendum ejus iter præoccupatus eſſet; nec ille Guido ſuperato Alpium vertice, & inter confragoſa loca Galliæ urbes quamvis militibus Manfredi refertas, iter agens a quoque jam impeditus eſt. Romæ autem, poſtulantibus Romanis, ſenator urbis dictus, a Clemente ſummo pontifice in regem Siciliæ coronatus. Quamvis tempus aſſiduis imbribus ac nivibus ingenti gelu concretis videretur adverſum: tamen in morem icti fulminis audacter proceſſit in hoſtem, & præter ſpem omnium apud Ceparanum Campaniæ vicum intravit cum omnibus copiis hoſtile regnum, ubi dejecto Manfredi præſidio, Caſini oppidum occupavit. Hinc in regni viſcera ſeſe ferens, pervenit Beneventum, ex quo Manfredus fere repentino ejus adventu circumventus, cum omnibus militibus exiliens, cum illi vix ſumendi cibi ſpatium conceſſiſſet, facta pugnandi copia, ſuos eduxit in aciem, qui non aliter confeſtim quam ſi ſibi foret oblata victoria lætus ſuos exhortatus in certamen eduxit, actumque eſt, ut interfecto Manfredo, & cæſo exercitu, Karolus egregie triumpharet. Qua victoria ingenti præda ditatus, & regno potitus eſt: nam concurſu undique a regnicolis facto, fere omnes in deditionem ſponte venerunt, & ſi qui forſan pauci remanſerant rebelles, minimo labore ſuperati, cum reliquis obedientes effecti ſunt: de qua victoria Karoli ſubſcripti verſus fuerunt compoſiti:

Karolus athleta Chriſti prout ante cometa
Hoc præſignavit, Manfredum ſuppeditavit.
Plus decies centum quater juxta Beneventum
Victor proſtravit, hinc eccleſiam relevavit.

Machlinia rebellat.

Anno Domini MCCLXVII. Machlinia quæ ab antiquo ſpectabat ad jus & dominium temporale Leodienſis epiſcopi, auxilio & inſtinctu ducis Brabantiæ rebellare cœpit, & ſubtrahere ſemet a jugo Leodienſium. Quo attento, HENRICUS epiſcopus, exercitu congregato, cinxit obſidione Machliniam, ſed præpenuria victualium, & hiberno tempore ſuperveniente, rediit infecto negotio, nihil illuc agens memoria dignum. Verum regreſſus epiſcopus ad Trajectum ſuper Moſam, turrim quam dux ſupradictus in *Wick* ad robur loci fecerat ædificari, ſolo tenus deſtruxit, & de lapidibus ejuſdem caſtrum de Monteſorti in terra Gelriæ fecerat inſtaurari, ſed & dominium temporale oppidi Trajectenſis quod ad utrumque dominium ſpectare dinoſcitur, epiſcopus ſolus & in ſolidum pro tunc ſibi uſurpavit, in ducis non modicum præjudicium ac deſpectum. Præterea caſtrum de *Hjerge* expugnans ſpoliavit, dominum ejuſdem rebellem prius ad veniam & obedientiam primam compellens.

Eodem tempore Jacobus rex Arragonum Nycociam civitatem Sarracenorum olim regis Caſtellæ tributariam expugnavit. Item, Odoardus primogenitus regis Angliæ, facto juramento Simoni comiti Montisfortis, de cuſtodia exivit, & poſt dies aliquot inito certamine dictum comitem & filium ejus Henricum cum pluribus baronibus interfecit. Eo tempore ſoldanus Ægypti graviter devaſtavit Armeniam multis inibi peremtis Chriſtianis, cepitque Antiochiam famoſiſſimam civitatem.

Carolus rex Siciliæ Conradinum debellare & perimi jubet.

Anno MCCLXVIII. Carolus rex Siciliæ dum nondum ubique per regnum res eſſet compoſita, bellum quod nuper intulerat alteri ſibi repente illatum eſt. Nam Conrardinus Conradi regis olim filius, nepos Frederici ſecundi, jam adultus paternum regnum recuperaturus cum maxima Alemannorum copia, Romanis etiam faventibus & Henrico eorum ſenatore regis Caſtellæ fratre, uſque ad fines regni pervenit, in quem dum Carolus adverteret animos Siculorum fluctuare, & nonnullas civitates jam in partes ejus defeciſſe, congregatis confeſtim undique viribus, antequam ad intrinſeca regni properaret, illi factus eſt obvius in loco qui vulgo dicitur Tagliacezo, ubi inita pugna magis Alardi ſenis arte quam Francorum robore, victor effectus eſt; Conradinus exinde fugiens Siciliam peraturus cum aliquibus ex primatibus ſuis capitur, & ad eum trahitur vivus. Quem ipſe ut omnis ſpes regni auferretur Suevis, non abſque nota infamiæ, juſſit occidi, dictante ſententiam quodam judice veterano, qui plus voluntatem regiam quam juris ſententiam forte proſecutus eſt. Quam ob cauſam Guido comes Flandriæ, qui tunc aderat, huic judici gradum aſcendenti obvius, cum clava in cerebro percuſſum interemit, dicens: in tam nobile caput tam crudelem numquam dictabis ſententiam. Poſt hæc Siculi qui a Carolo deſciverant, nimia celeritate ſunt ad eum reducti. Sic pace pariter & ſecuritate peracta, glorioſus inter ceteros reges emicuit. Verum huic etiam alios ſuperaddidit prodiga fortuna ſplendores. Nam in ſpem regni Hungariæ obtinendi in poſterum, Carolo claudo filio ſuo Maria Stephani regis unica filia conjugio juncta eſt.

Philippo autem ſecundo genito principiſſa Achaiæ: deinde litigantibus Hugone rege Cypri & Maria domicellâ de jure regni Jeruſalem, ut ejus tempora ſecundo ornarentur diademate, a Clemente quarto ſummo pontifice eidem Carolo regnum Jeroſolymæ conceſſum eſt.

Ei conceditur regnum Jeruſalem.

Eodem anno Philippus, cognomine Cor Leonis, primogenitus ſancti Ludovici regis, genuit filium Philippum, cognomento Formoſum. Ea tempeſtate adverſus nobiles ubique inſurrexit ſevera communitas; in partibus namque Hollandiæ Florentius comes, cum adhuc eſſet juvenilis ætatis, vulgus Kinemarus qui Theutonice nuncupatur *Kermers*, porro tumultuare cœpit, & plurima caſtra nobilium temerario auſu vaſtavit: ita quod omnes fere nobiles ad oppidum dictum *Harlem* anxie confugerent, ut ibidem tumultuanti vulgo ſecure reſiſterent. Decreverant quippe Kynemari cunctos nobiles procul propellere, caſtra ſubvertere, munitiones deſtruere, & totam Trajectenſem dioœceſim in vulgarem communitatem redigere, quibus confeſtim vicini Freſones fortiſſima conſpiratione conjuncti ſunt cum Waterlandris. Itaque Kynemari aggregantes bellatores innumeros, primo occuparunt totam Amſterlandiam. Porro Ghiſelbertus de *Aemſtel* attendens vires ſuas contra tantum exercitum nequaquam poſſe ſufficere, caute conſultus pacem exquiſivit, fidelitatem juravit, & inſultæ plebi cum ſuis armigeris ſe conjunxit, qui ex tunc factus tantæ multitudinis capitaneus, decrevit omnes inimicos ſuos ab epiſcopatu expellere, & in primis caſtrum dictum *Uredelant* aſſultuoſe deſtruere. Cumque idem Ghiſelbertus in expugnatione caſtri prædicti nihil proficeret, ac indomita gens hominibus ſuæ ditionis alimenta violenter abſtraheret, tandem arcano conſilio Kynemaros monuit circa noctis umbraculum caſtra movere, & civitatem Trajectenſem occulte capere; nec mora clam ante ſolis ortum Kynemari ad civitatem pervenerunt, quam ſuis bellatoribus & machinis vallaverunt in gyrum. Excubitores vero nocturnis deputati vigiliis, ſtupefacti de tanta multitudine plebis, excitatis civibus annuntiaverunt hoſtes advenisse, totam civitatem cum armigeris circumſediſſe. Cives autem apprehenſis armis ad defenſionem urbis accelerantes, aſcenderunt turres & mœnia, ſtatueruntque de cacumine murorum primo quædam interloquia. Econtra vir quidam ex Kynemaris eloquenter, facto ſilentio, in hæc verba prorupit: Salutat vos amicos libera gens Kynemariæ, expoſtulans ut omnes nobiles communitatem aggravantes ab urbe veſtra proſcribatis, & eorum facultates egenis diſtribuatis. Vix hic interpres verba finierat, cum inter burgenſes ingens excrevit tumultus. Vulgares igitur de verbis prædicti viri magnanimes effecti, comprehenſis armis, confeſtim ejecerunt tribunitiæ dignitatis illuſtres viros ac nobiles, ſtatueruntque de ſenioribus cujuſlibet officii ſcabinos & conſules, qui juſtitiam in urbe facerent, & ad communem utilitatem civilia jura diſponerent. Expulſis igitur a civitate cunctis nobilibus, vulgus novæ poteſtatis, iniit fœdus cum Kynemaris, quibus extemplo conjuncti ſunt Amerſfordenſes cum inquilinis Aemſterlandiæ. Perpendens hæc omnia JOHANNES DE NASSAU epiſcopus Ultrajectenſis cum comite Gelriæ venit in *Zeiſt*, ut expulſos ad civitatem reduceret, & tumultum inſanientis vulgi ſevere corrigeret: ex adverſo Kynemari ordinaverunt acies ſuas ad prælium, ut in virtute magna diſturbarent epiſcopalem cuneum. Sed comes Gelriæ vir bellicæ pugnæ gnarus, attendens populi multitudinem, recuſavit cum paucis militibus diſcrimen inire certaminis. Quapropter & ipſe ſine mora cum epiſcopo retrocceſſit ad Veluam, ut ad cruentum bellum ſufficientem armigerorum poſſet aggregare copiam. Itaque Ghiſelbertus de *Aemſtel* capitaneus tam indomitæ plebis, cernens ſibi cuncta proſperari, caſtella adverſariorum ſuorum, ſcilicet Wilhelmi de *Reynſeburch*, Ghiſelberti de *Abloude*, & Huberti de *Vianen* deſtruxit, & exinde Kynemaros a belli tumultu per quamdam aſtutiam temperans, in hunc modum locutus eſt eis: Bellatores acerrimi & amici cariſſimi, videtis quomodo totum epiſcopatum hoc anno ſubegimus, & propulſis nobilibus fortia caſtra evertimus; verum ſequenti anno comitem Gelriæ qui ſe nobis oppoſuit proponimus expugnare, totamque ditionem ſuam hoſtili bello depopulari. Nunc autem quia inſtat tempus meſſis, oportet ut omnes tendamus ad propria, & ad ſuſtentationem parvulorum noſtrorum colligamus quævis vitæ noſtræ neceſſaria. Igitur Kynemari, ſuadente Ghiſelberto, poſt hoc congregantes innumerabilem exercitum, cœperunt obſidere oppidum dictum *Harlem*, cumque hinc inde duriſſimæ fierent pugnæ, tandem Johannes *Peterſim* miles inclytus clam exiens oppidum, vehicula Kynemarorum victualibus onuſta comprehendit, & exinde plurimas villas eorum concremavit. Kynemari his viſis, relicta obſidione, feſtinaverunt repedare ad propria, deferentes in papilionibus diverſæ facultatis ſupellectilia. Nec mora, erumpentes oppidani fugitivos hoſtes velociter inſecuti ſunt, & occiſis multis, cum ſpoliis & multitudine captivorum reverſi ſunt. Epiſcopus Trajectenſis & comes Gelriæ gaviſi de confuſione Kynemarorum, congregantes fortem exercitum vallaverunt civitatem Trajectenſem 29. die Auguſti. Poſt quartam vero diem conſiderantes civitatem non poſſe capi, niſi magnis expenſis & ingeniis, relicto Trajecto proceſſerunt obſidere *Amersford*, quam tan-

Communitatum rebellio in nobiles.

Rebellibus ſe opponunt epiſc. Ultraject. & comes Gelriæ.

Rebellibus conſpirantes Trajectenſes.

Rebelles obſident oppidum *Harlem*.

Obſidionem ſolvunt.

dem comes Geldriæ comprehendit, & pro quibuſdam verbis contumelioſis illud omnino deſtruxit. Hiis ita geſtis, comes rediit ad patriam ſuam; epiſcopus vero pertranſiens Yſelam, pervenit in Davantriam. Miles autem quidam imperterritus, dictus Zuederus de *Boſinchen* cum omnibus expulſis, per ſcalas aſcendens mœnia civitatis Trajectenſis, clam introgreſſus eſt, & occiſis ab utraque parte plurimis, idem Zuederus triumphum eſt adeptus, qui vulgares viros mox ab urbe proſcripſit, & antiquos ſcabinos cum magiſtris civium priſtinæ poteſtati reſtauravit. Proceſſu vero temporis quidam ex proſcriptis urbem tacite ſubintraverunt, totumque populum inteſtino bello crudeliſſime vexaverunt; quibus utrimque diſcordantibus, Nicolaus *de Cats* miles habens adhuc tutelam Florentii comitis Hollandiæ cum quingentis dumtaxat armigeris Trajectum venit, malleis & ſecuribus valvas portarum conſregit, in medio civitatis pro tribunali ſedit, deinde mille & quadringentas perſonas ab urbe proſcripſit, & cuncta civilia jura potenter ad voluntatis ſuæ beneplacitum diſpoſuit & ordinavit, ſicque ceſſavit ſeditioſus tumultus in partibus illis periculoſe ſuſcitatus.

Seditioſi damnantur.

Anno Domini MCCLXIX. quamplurima multitudo Sarracenorum ex Africa per anguſtum mare venit in Hiſpaniis, quibus adjuncti ſunt Agareni illuc commorantes, & plagam magnam in Chriſtianos exercuerunt, intendentes recuperare Hiſpaniam, quam Chriſtiani ſub Carolo magno & ſuccedentibus regibus eiſdem abſtulerant; ſed cruce ſignati ex diverſis regionibus illuc properantes, cum maximo ſuorum damno cruentam de Sarracenis obtiuuerunt victoriam.

Sarraceni in Hiſpania victi.

Apud Leodium caſtrum epiſcopi apud portam ſanctæ Walburgis in arcem erectum, per ſubtile ingenium hoc modo deſtructum eſt: nam cum gradus ejuſdem caſtri ſatellites epiſcopi ad civitatem pro libito deſcendentes contra priſtinam libertatem cives perimerent, a caſu contigit cuſtodes caſtri quadam die intereſſe nuptiis, una ſola muliere ad cuſtodiam caſtri derelicta, ponte levato. Rectores civitatis tempus aptum ſuo propoſito conſiderantes, virum quemdam præmittunt, ut caniſtrum uvis refertum cuſtodibus venale præſentaret; ſed muliere non ſinente pontem ſubmitti, portitor, relicto caniſtro ad pedem pontis, juxta pedem pontis ſe latenter abſcondit; mulier uvarum avida ponte dimiſſo caniſtrum rapuit, & abire properavit, ſed portitor uvarum accurrens, alios advocans pontem occupavit. Tunc omnes pariter congregati caſtrum funditus deſtruxerunt, unde guerra gravis exoritur, ſed intermediante domina Margareta matre comitis Flandriæ, quæ tunc a caſu Namurcum venerat; datis epiſcopo tribus millibus marcharum Leodienſium, quibus turrim redimere poterant, ut dicebant, pax noviſſima reformatur.

Caſtrum epiſcopi Leod. deſtructum.

Anno Domini MCCLXX. Chriſtianiſſimus Francorum rex LUDOVICUS, non territus præteritis laboribus & expenſis, cum duobus filiis, adjuncto ſibi Theobaldo rege Navarræ, & aliis quamplurimis eccleſiarum prælatis ac baronibus, pro recuperatione terræ ſanctæ iter aſſumpſit. Verum ut facilius terra ſancta recuperaretur, incidit eis conſilium, ut regnum Thunicii, quod in medio conſiſtens non parvum dabat transfretantibus impedimentum, primitus ſubjicerent Chriſtianorum poteſtati; & cum portum & Carthaginem potenti manu cepiſſent, peſtilentia quæ eo tempore circa maris confinia grallabatur vehementer, inter Chriſtianos nimis invaluit, & primo quidem unum de filiis regis nomine Johannem *Triſtans*, deinde cardinalem Albanenſem ſedis apoſtolicæ legatum, demum ipſummet regem LUDOVICUM cum aliis innumeris de medio ſuſtulit. Cumque de morte regis totus exercitus conſternatus eſſet, & Sarraceni gauderent, dominus Carolus Siciliæ rex, pro quo ſuus frater Ludovicus rex miſerat, navigio cum magna militia advenit, de cujus adventu cunctorum Chriſti fidelium corda reſocillata fuerunt, & quamvis multo plures viderentur Sarraceni quam Chriſtiani, nullatenus tamen audebant bello generali cum Chriſtianis confligere, ſed per quaſdam Punicas calliditates multa eis inferebant incommoda: unde cum regio illa multum ſit fabuloſa, & tempore ſiccitatis pulverulenta, Sarraceni ſtatuerunt multa hominum millia ſuper unum montem Chriſtianis vicinum, ut cum ventus flaret, ad Chriſtianos pulverem ſuſcitarent, ſicque factum eſt, ſed tandem pulvere ſedato Chriſtiani paratis machinis Thunicium per terras & aquam oppugnare cœperunt; unde timore perculſi fœdera pacis inierunt hujuſmodi, videlicet quod Chriſtiani captivi omnes egrederentur liberi, quod ubique eccleſiæ erigerentur, & ſine contradictione fides Chriſtiana per fratres Prædicatores ſpargeretur, & volentes baptiſari non prohiberentur. Item, quod ſolutis abundanter expenſis, quas reges illic fecerant, rex eorum domino Carolo regi Siculorum tributarius fieret, & alia pacta plurima quæ longum eſt enarrare, & cum ex adventu Eduardi regis Angliæ, & multitudine Friſonum, & aliorum peregrinorum in tantum creverit exercitus Chriſtianorum, quod circa ducenta millia æſtimaretur, peccatis exigentibus, abſque ulteriori utilitate diſperſus eſt. Nam legatus ſedis apoſtolicæ & patriarcha Jeruſalem etiam mortui ſunt.

S. Ludovicus iterum tranſfretat & moritur peſtilentia.

Pax cum Sarracenis fit.

Anno MCCLXXI. mortuo ut præfertur ſancto LUDOVICO Francorum rege in expeditione Africana, & relato ejuſdem corpore balſamato ad Franciam, Philippus ejuſdem filius cognomento Cor Leonis, ſuccedit, & coronatus

S. Ludovico ſuccedit Philippus rex.

ronatus eſt ultima Auguſti, & regnavit annis fere quindecim, ſeverus valde juſtitiæ cuſtos. Alfonſus ejus patruus comes Pictavienſis ſine herede deceſſit. Guido comes Flandriæ obſidebat Namurcum, quod tamen comes Hannoniæ ſui juris eſſe dicebat, aſſerens & Lucemborgenſem comitem prædictum Namurcenſem a ſe tenere in feudum, & ob hanc cauſam obſidionem ſolvere præparabat, ſed factis matrimoniis copulatur. Nam comes Flandriæ cum comitatu Namurcenſi filiam comitis Lucemborgenſis accepit in uxorem, cujus inſuper ſoror comiti Hannoniæ copulatur, a quo Guido eumdem comitatum relevavit in feodum. Clemens papa quartus diem clauſit extremum, ſepultus Viterbii ad Prædicatores.

Gregorius papa x. eligitur.

Anno MCCLXXII. circa natale Domini electus eſt in ſummum pontificem GREGORIUS decimus, pridem archidiaconus Leodienſis, vocatus Theobaldus, oriundus de Placentia de nobili domo & progenie vicecomitum, qui cauſa devotionis in partibus tranſmarinis adhuc erat conſtitutus: ſedit annis quatuor, menſibus duobus. Hic papa fuit mire expertus in ſæcularibus negotiis, nec intendebat pecuniarum lucris, ſed pauperum eleemoſynis. Hic GREGORIUS execratus

Leodienſem epiſcopum redarguit.

mores & converſationem domini Henrici Leodienſis epiſcopi, mellifluam ad eum direxit epiſtolam ſatis prolixam, in qua ipſum acerbe reprehendit de gravibus exceſſibus, præſertim de defloratione virginum, ſtupris matronarum & inceſtibus monialium, exactionibus ſubditorum, ſpoliis eccleſiarum, locupletatione ſuorum filiorum naturalium, de ſimonia & aliis plurimis, quæ ſic incipit: *Debet unuſquiſque, cui dominicus grex committitur & cura imminet animarum, ſuper gregem ipſum vigilias adverſus nequitias ſpirituales obſervare;* quam ob ſui prolixitatem hic inſerere ex propoſito dimiſi.

Electio Rodolfi regis Roman.

Anno MCCLXXIII. mortuo Richardo rege Romanorum, Rodulphus comes in *Homkesborch* circa partes Baſileæ fuit electus in regem Romanorum & Alemanniæ, quam electionem GREGORIUS decimus approbavit, in favorem terræ ſanctæ, ad quam plurimum anhelabat, & intendebat illuc perſonaliter proficiſci. Deinde ad petitionem papæ, Rodulphus rex crucem ſuſcepit, & regnavit apud Theutonicos per annos circiter octodecim. Attamen benedictionem papalem & coronam imperialem non habuit, fuitque probus in armis & prudens valde.

Concilium Lugdunense.

Anno MCCLXXIV. Gregorius papa anno tertio ſui pontificatus pro paſſagio terræ ſanctæ quam perſonaliter intendebat viſitare, generale concilium in Lugduno Galliæ ſolemniter celebravit, in quo Græcorum nuntii, patriarcha Antiochenus, archiepiſcopus Nicænus, & magnus Logotheta, ſed & Tartarorum ſolemnes interfuerunt ambaſſiatores. Græci quidem ad unitatem eccleſiæ ſe redire promittentes, Spiritum-ſanctum a Patre & Filio procedere confeſſi ſunt, ſymbolum fidei una cum Latinis decantando. Nuntii vero Tartarorum in eodem concilio baptizati ad propria redierunt. Interfuerunt huic ſacro concilio epiſcopi quingenti, abbates ſexaginta, & alii prælati circiter mille. Ad iſtud concilium vocatus Henricus Leodienſis epiſcopus, perſonaliter affuit, quod conſiderantes Leodienſes, rati ſibi adeſſe tempus opportunum, nuntios illuc miſerunt egregios, ſuum accuſantes epiſcopum ſuper innumeris ejus exceſſibus, præcipue ſuper defloratione virginum, & inceſtu ac adulteriis: cumque papa vellet contra epiſcopum procedere juridice, primo interrogavit eumdem ſi ſponte vellet epiſcopatui cedere, an ſaltem ſententias ſacri concilii expectare. Qui ſperans gratiam obtinere, propter primitivam familiaritatem, annulum ſuum per exfeſtucationis ſpeciem reſignavit; ſed inanem & ſua dignitate ſpoliatum permiſit abire, rememorans, ut quidam referunt, injuriæ violentæ quam idem Henricus papæ, cum eſſet archidiaconus, Leodii reſidentiam faciens perſonalem, intulit pede ſuo pectus ejus impingens, dum eum ſuper exceſſibus ſuis ad capitulum perlatis humane corriperet. De cujus depoſitione quidam verſificator hæc duo compoſuit metra:

Qui fuit antecomes, dux, marchio, præſul, & abbas,
De thalamo papæ tantummodo presbyter exit.

In quo accuſatus de multis deponitur epiſc. Leod.

Rodulphus rex privilegiat familiares cleri, ne per manum laïcalem corrigantur de exceſſibus quibuſcumque.

Anno MCCLXXV. Philippus Cor- leonis Francorum rex defuncta uxore ſua Iſabella, filia regis Arragonum, in conjugem ſibi ſumſit Mariam ſororem ducis Brabantiæ, de qua duas ſuſcepit proles, videlicet Ludovicum comitem & Margaretam, poſtea Eduardo ſeniori traditam Anglorum regi. Eo tempore, durante concilio Lugdunenſi, depoſito Henrico de Gelria, ſucceſſit Johannes de Angia XLII. Leodienſis antiſtes, quondam Tornacenſis epiſcopus, nobilis & honeſtus, & forma conſpicuus, & ſacræ theologiæ profeſſor egregius, corpulentus admodum & craſſus, addita ſibi abbatia Stabulenſi in commendam ac tutelam: hic nobili vallatus comitiva procerum ac baronum in vigilia Omnium-ſanctorum intravit Leodium cum ſummo tripudio ac civium applauſu. Circa eadem tempora gravis oritur diſcordia in terra Leodienſi propter unam vaccam de Cennaco, de qua eſt vulgi fabula uſque in præſentem diem. Nam ut a primis exordiar, dum in villa Andennæ, ubi requieſcit ſancta Begga in monaſterio nobilium Dominarum, torneamentum pergrande celebraretur, convenerunt illuc multi nobiles & comites ex diverſis regionibus, inter ce-

Johannes de Angia epiſc. Leodienſis.

teros negotiatores venalium affuit quidam rusticus oriundus *de Celain* villa sub dominio *de Gonez* constituta, habens ibi venalem vaccam, quam prius furtim prædatus fuerat juxta Cennacum, quam vaccæ dominus recognoscens, intimavit furtum ballivo Condrosii ibidem præsenti: qui callide furem allocutus, cum Andenna foret sub dominio comitis Namurcensis, ad hoc illum induxit, ut sub jurisdictione Condrosii perveniret, ibique fur comprehensus, & factum rapinæ confessus, mox ad furcam damnatus est: quam ob rem indignatus dominus Johannes *de Gonez*, quoniam fur ille sui juris fuisset, incendiis ac rapinis vastare cœpit terram Condrosii, unde offensi Hoienses, castrum prædicti militis funditus everterunt, & quidquid ad eum spectare dinoscebatur, sed & castrum *de Bealfort*, quod ad fratrem ejusdem militis pertinebat obsidione cinxerunt; sed & incassum & sine effectu redierunt. Deinde ballivus castrum *de Falais*, quod ad tertium fratrem spectabat obsedit: dominus autem castri imparem se sentiens, illud in feudum a duce Brabantiæ relevavit. Dux vero congregans exercitum, Leodiensium exercitum compulit discedere ad sua, & deprædata Messia, tandem penitus igne consumsit 13. calendas Maii. At comes Lucemborgensis villam de Cennaco pro libito spoliavit & funditus evertit. Eadem die comes Namurcensis apud *Warnan:* tentoria fixit, & ibidem triduo manens castrum cum villa destruxit. Mense sequenti quinto idus Maii marescallus patriæ Leodiensis, adjunctis sibi Hoiensibus, memor injuriarum illatarum villæ Cennacensi, vastavit partem terræ Lucemborgensis quæ vulgo dicitur Rendarca, abducta præda grandi, & incensis fere triginta villagiis. Eadem tempestate Dyonantenses præmoniti quod Namurcenses eos invadere proponerent, assumto secum fratre domini *de Rochefort*, cum Namurcenses comparuissent in campis, & vidissent hostium numerum fortiorem, retractis loris versus Boviniam, unde venerant revertuntur, quos insequentes adversarii custodes portæ cum quantum ipsis placuisset intromisissent, crate dimissa, residuos excluserunt, inclusos vero Dyonantenses octoginta numero trucidarunt; finaliter in regem Franciæ ambæ partes compromittentes ejusdem arbitrio concordatæ sunt, &c.

Gregorii x. obitus. Innocentius v. Adrianus v. & Johannes xxi. papæ.

Anno Domini MCCLXXVI. mensis Aprilis die decima GREGORIUS decimus viam universæ carnis ingressus est, cui successit INNOCENTIUS quintus natione Burgundus de Tharantasia de ordine Prædicatorum. Sedit mensibus quinque; qui multa bona in ecclesia Dei facere proposuit, sed morte præventus nihil ad effectum perduxit: successit ADRIANUS quintus natione Januensis, nepos domini Innocentii quarti, de comitibus Lavariæ & de Fliſco. Hic formosus valde & magnificus fuit, hic magna similiter inchoavit, sed nihil consummavit, nam præfuit solum mense uno diebus novem. Huic quoque successit JOHANNES XXI. natione Hispanus, de civitate Ulixibona oriundus, pridem vocatus magister Petrus Juliani, diversis scientiis ultra cunctos mortales decoratus, qui præfuit mensibus octo: sic unius anni circulo vix evoluto, quatuor visi sunt summi pontifices.

Juliac. comes Aquis occisus.

Anno MCCLXXVII. XVII. calendas Aprilis comes Juliacensis cum duobus filiis & armigeris plurimis in arte bellandi experientissimis intravit inconsulte urbem Aquensem, quibus omnibus illuc interemtis, pauciſſimi gladios populi evaserunt: monstratur usque hodie locus in quo comes occisus est. Verum Valeranus de Falcomonte paternis cautus periculis, qui simili casu a Colonienſibus fuerat interfectus, cum ceteris dissuadere non posset ingressum, prudenter abcessit, macellum cum eisdem intrare recusans. Unde:

Enses Aquenses senserunt Juliacenses,
Gentes elatæ Gertrudis nocte beatæ,
Anno mille nobis C. cepta septuageno.

Nicolaus papa xxi.

Anno MCCLXXVIII. defuncto JOHANNE papa, successit NICOLAUS tertius, natione Romanus de progenie Ursinorum, sedit anno uno & mensibus novem. Hic papa Carolum regem Siciliæ nobilem ecclesiæ propugnatorem a vicaria Tusciæ certis de causis, quas prætendebat, amovit, ac seipsum in senatorem Urbis ad vitam suam, ut dicitur, eligi procurauit, faciens constitutiones tam de electione prælatorum, quam de electione senatorum Urbis.

Johannis epiſc. Leod. infelix obitus.

Eodem anno cum HENRICUS DE GELRIA amotus ab episcopatu Leodiensi summam pecuniarum satis magnam a successore suo JOHANNE DE ANGIA expeteret, quam se in utilitatem & profectum ecclesiæ convertisse dicebat, & hanc episcopus solvere denegabat, tandem præfixa die apud Hugardis ad tractandum de concordia convenerunt: episcopus vero parcens expensis, cum paucis illic venit inermis, & cum in domo quadam aqua undique circumcluſa nomine *Brule* se putaret esse securum, per clientes Henrici æmuli sui nocte capitur, & in caballo cum stricta sella positus abducitur festinanter, qui cum pinguis esset, angustia sellæ & succussionis inconsueta ventilatione deficiens ante portam monasterii *de Helleschien* equo depositus, aliis recedentibus, remansit ibidem, & in diluculo spiritum exhalavit anno pontificatus sui septimo ipso die Bartholomæi: & quia idem Johannes libertates ecclesiarum dudum conatus fuerat infringere, propter quod contra eum cessatum erat aliquanto tempore a divinis, idcirco in majori ecclesia Leodiensi non permittebatur tumulari, sed in eccleſia

parochiali betæ MARIÆ ad fontes, ſub muro ad latus, ubi pacis indicio præſidere ſolent epiſcopi, collocatur. Hujus tamen oſſa ad preces extremas domini Johannis *de Waldege* ſucceſſoris ſui in poſtmodum tranſlata ſunt, & ante majus altare ſancti Lamberti honorifice tumulata.

Anno Domini MCCLXXIX. pons lapideus apud Trajectum inferius ſuper Moſam verſus *Wyck* ab altera parte Moſæ ſitam factus

S. Magdalenæ corpus. eſt. Eodem anno Carolus comes Provinciæ primus rex Siciliæ fertur inveniſſe corpus Mariæ Magdalenæ apud villam ſancti Maximini, non in tumulo de alabaſtro, ſed de marmore, ex cujus lingua adhuc capiti & gutturi adhærente, radix quædam cum ramuſculo feniculi prominebat, longumque in particulas diviſa, in multis locis pro reliquiis conſervatur. Contrarium aſſerunt Virziliacenſes, qui illud tranſlatum ibi dicunt a Gerardo comite Burgundiæ, tempore Zachariæ papæ.

Fundatio pro infirmis & ſcarbus preſbyteris. Anno Domini MCCLXXX. cantor Leodienſis nomine *Griſcal* in curte dicta *Motte* ſuper Aurotum juxta eccleſiam ſanctæ Veronicæ vel ſancti Martini Tongrenſis epiſcopi coepit fundare eccleſiolam parvam cum habitaculis ad ſuſceptionem octo perſonarum: in quo loco ordinavit nutriri debere de redditibus ad hoc ſufficienter aſſignatis octo ſacerdotes ſenes & impotentes, qui propter debilitatem ſuis forte præbendis non poſſent convenienter & decenter ſuſtentari: quos ob honorem ſacerdotii non deceret oſtiatim mendicare, quibus tamen hanc præfixit legem & conditionem, quod ſi forſitan in futuris temporibus enormiter & diſſolute viverent, dabatur venerabili capitulo Leodienſi auctoritas & poteſtas eoſdem amovendi & excludendi, ac alios religioſos de quacumque regula approbata illuc introducendi, quod & poſtea factum eſt, & introducti ſunt ibi fratres ordinis Wilhelmitarum, ſubrogati de alio monaſterio ejuſdem ordinis dicto Bernhaſagenſi in Ardenna, tempore domini Johannis de Flandria epiſcopi.

Nicolaus III. obiit. Eodem anno NICOLAUS tertius mortuus eſt in quodam caſtro juxta Viterbium, ubi ſuos cardinales & curiales in Viterbio commorantes ad ſuum conſpectum evocare ſolebat. Obiit autem in Septembri, & vacavit ſedes apoſtolica menſibus quinque.

Martinus papa IV. Anno MCCLXXXI. in feſto cathedræ S. Petri electus eſt in ſummum pontificem MARTINUS quartus natione Gallicus Turonenſis. Hic prius dictus eſt Simon, tituli ſanctæ Ceciliæ preſbyter cardinalis, fuitque promotus ad cardinalatum per papam Urbanum quartum; & ab eodem in Franciam legatus: qui confeſtim poſt ſuam electionem a Viterbio recedens, ſe tranſtulit ad Romanam urbem, & ibi coronatus eſt decimo calendas Aprilis. Hic inſuper papa electus in ſenatorem Urbis ad vitam, ſubſtituit ſibi regem Siciliæ, & de domo ſeu familia regis exiſtentis in Urbe-veteri ſumſit milites ad regendum patrimonium eccleſiæ, ſcilicet Campaniam, Marchiam Anchonitanam, & ducatum in Romandiola. Inſuper deſtinavit comitem Johannem de Apia cum ſtipendiariis Francigenis circiter octingentis, contra Guidonem marchionem Montisferrati, qui terras eccleſiæ in partibus illis occupabat. Hic, inquam, Guido de civitate in civitatem malitioſe ſe transferens, inter fortalitia ſe tuebatur, interdum prædam capiens, ut ex ea ſui paſcerentur clientes.

Rebellio Siculorum in Gallos. Eo tempore Carolus Siciliæ rex honoribus multis in cælum levatus, dum celſo reſideret ſolio, & aſſiduis ſucceſſibus putaret ſtabilem ſibi fuiſſe fortunam, ſiniſtro agente ſidere in contrarium repente verſa ſunt omnia. Nam illi primo Philippus filius, nulla ſuperſtite prole, ſubtractus eſt, hinc fabricante fortuna dolos, tam avaritia quam luxuria Francorum incolis regni Siciliæ graviſſimus factus, ad hoc ventum eſt, ut violata pudicitia conjugis nobilis & aſtutiſſimi viri Johannis de Pertica, tam moleſte id ferret, ut ad ſuum intentum omnes ingenii vires excitaret, nec minori labore quam ſagacitate per biennium hinc inde diſcurrens incognitus, optimatum Siciliæ animos, imperatoris Conſtantinopolitani, Petri Arragonum regis, & Nicolai ſummi pontificis, qui ob eam cauſam vicariam Tuſciæ Carolo, ut dictum eſt, abſtulerat, in ſuam deduxit ſententiam: ita ut quadam die præfixa apud Panormam excitato tumultu, omnis regio contra Francos commota, omnes uſque ad unum perimeret ſine differentia ſexus aut ætatis, & quod deteſtabilius eſt, ne veſtigium qualecumque Gallorum remaneret, exenterantes latera mulierum prægnantium, quæ dicebantur ex Francis concepiſſe, partus earum occidebant, priuſquam in lucem prodirent. Deinde Siculi cuncti tunc rebellantes

Petrus rex Arragonum fit rex Siciliæ. Petrum Arragonum regem in ſuum dominum ac defenſorem advocarunt, qui cum ingenti claſſe veniens, omnem ſibi inſulam mox occupavit; ſed quia contra placitum & juſſionem ſummi pontificis id egerat, patrimonium eccleſiæ ſic occupando, MARTINUS quartus excommunicavit eumdem, & ſententialiter regno etiam Arragoniæ quantum in ipſo erat privavit, & contra eum Chriſtianos cruce ſignari per diverſas regiones procuravit, ſiquidem Francorum rex

Philippus rex Franciæ bellum movet Arragonenſibus. Philippus Corbeonis, nepos Caroli, diſſuadentibus tamen filiis Philippo Formoſo & item Carolo juniore, quorum idem Petrus ex linea materna fuerat avunculus, eamdem crucem acceptavit: cumque idem rex in Arragoniam grandem deduxiſſet exercitum, penuria victualium pluribus etiam ſuorum in itinere defunctis, inefficax reverſus eſt,

perdita insuper Sicilia. Confestim etiam Carolo factione barbari regis vectigal sublatum est, & quod mirabile satis est cum sæpius in hostem ingentes apparatus duxisset, continue frustratus discessit. His insuper instantibus malis, portio Jerosolomitani regni, quam possederat pulsis exinde Christicolis, omnis a soldano Ægypti occupata est. Tandem ambo reges ex condicto talem inierunt pactionem, quod eorum quilibet cum centum militibus galeatis in plano Burdegalensi conveniret in calendis Junii, quos sibi de diversis regionibus vellent sociare, & si quis regum vinceretur, perpetuo foret infamis, & omni privatus honore regio ac regno, & de cetero uno serviente contentus esset, & ad præfixam diætam non veniens pœna perjurii plecteretur. Tunc rex Carolus collegit ex diversis provinciis milites in bellicis rebus experitissimos, inter quos fuere de Brabantia dominus Franco *de Wezemael* bastardus, de patria Leodiensi, dominus *de Heimnericourt*, dominus Gerardus *de Haneffe* & dominus Walterus de Momalia, quorum singulis rex singulos electos dextrarios destinavit: at Petrus Arragonum rex prudenter considerans non esse tutum, se suis credere adversariis, Carolo illic comparente, Petrus non venit ad diem statutam, ut promiserat, sed asserunt nonnulli ante diem præfixam Petrum se excusasse præsente seneschallo Burdegalensi, præsertim cum papa pactiones hujusmodi tamquam duella prohibita penitus reprobasset; post hoc infecto negotio, Carolus rex dextrarios suos quos militibus pro eo duellaturis miserat, satis, ut videtur, dedecorose repetivit. Cumque dominus *de Heimnericourt* antefatus datum sibi equum reddere recusaret, comminantibus sibi his qui missi fuerant, quod ostia frangerent, dextrarium exigunt ab invito, quod quidem, salvo prudentiorum judicio, valde ignominia offuscabat majestatem, ut saltem unum jumentum ab eis exigeret, qui pro ejus honore salvando, proprias animas & vitam parati erant periculis exponere.

Bellum indictum inter duos reges.

Electio Leodiensis episc.

Anno Domini MCCLXXXII. vacante sede Leodiensi per mortem Johannis de Angia, assignata die ad tractandum de electione præsulis, duo canonici videlicet Burchardus de Hannonia & Wilhelmus de Alvernia ad præsulatum in discordia eliguntur, quibus supra sua electione in Romana curia contendentibus, ecclesia Leodiensis plus anno integro pastore viduata remansit; tandem per papam Martinum utriusque electione cassata, JOHANNES filius Guidonis comitis Flandriæ pro tunc Metensis episcopus in Leodio ordinatur, Burchardus vero Metensem sortitur præsulatum. Itaque prædictus Johannes vir nobilis, humilis & honestus, decretorum doctor post S. Lambertum XLIII. Leodiensis episcopus, venit Leodium in solemni comitiva magnatum & procerum in vigilia Omnium-sanctorum anni prædicti.

Eo tempore excellentissimus philosophus & theologus, immo omnium scientiarum arca ALBERTUS magnus Ratisbonensis episcopus de ordine Prædicatorum Coloniæ moritur, sepultus ibidem decima octava Novembris.

Albertus magnus obit.

Anno MCCLXXXIII. cum Carolus sæpedictus Siciliæ rex omnes vires suas excitasset, & a Galliis cum classe maxima in hostes iturus, veniret Neapolim, jam propinquans audierat Carolum filium suum claudum cum ingenti suorum numero navali pugna a Rogerio Siculæ classis præfecto superatum atque detentum, & Calabrorum oppida plura ad Siculos defeciisse, & Neapolim fere seditioso tumultu deperditam; quibus eventibus adversis ita perculsus, ut ad mortem adventare precatus sit. Tandem opportunitate cogente, missa Brundusium classe, cum afflictam animam revocasset in vires, Neapolim veniens, & motu pestilenti sedato, ad classem se contulit; ibidem vero instante autumno cum ob penuriam victualium se in vanum diu apud Gallias laborasse cognosceret, afflictus apud Fogiam Apuliæ oppidum ægritudinem incidit, & laceffitam laboribus vitam, ut nonnulli asserunt, sponte linquens, omnia in pendulo terminavit, & sic rex ingens, tot victoriarum inclytus, cui tria regna parebant, unius tantum regni portiuncula, scilicet Calabria, quam solam fortuna senescenti reliquerat, captivo filio derelicta, ex ampliffimo juventutis fulgore senex fere decessit inglorius.

Carolus filius Caroli regis Siciliæ ab hostibus capitur.

Eodem anno, Henricus de Monteforti dudum Leodiensis episcopus obiit, & apud Ruremondam cum suis genitoribus sepelitur. Wilhelmus de *Julemont* reformavit monasterium sancti Jacobi Leodiense.

Henrici episcopi obitus.

Anno MCCLXXXIV. Martinus papa quartus audiens lugubres rumores de morte domini Caroli Siciliæ regis, exequias ejus apud Perusium cum suis cardinalibus debito cum honore celebravit, & paulo post ipso die sacro Paschæ, missa celebrata, ac sumta refectione corporali, arripuit eum infirmitas occulta, & proxima quarta feria debitum exsolvens conditionis humanæ ad Dominum feliciter migravit, ad cujus sacri corporis nondum sepulti contactum cæci, claudi, muti quam plurimi pristinæ sunt sanitati restituti.

Martini IV. obitus.

Eodem anno dominus Warnerus Moguntinus episcopus diem clausit extremum, vacavitque eadem sedes fere annis duobus propter discordiam contendentium de archiepiscopatu. Finaliter Martinus papa contulit eumdem fratri HENRICO de ordine Minorum, quem Rodulphus imperator illuc direxerat pro uno ex duobus contendentibus, scilicet ille callide pro seipso laboravit.

Moguntinus archiepisc.

Anno MCCLXXXV. defuncto, ut præfertur,

Honorius iv. papa.

Martino quarto, HONORIUS quartus, natione Romanus, qui prius dicebatur Jacobus Sabellenſis, eo quod erat de progenie Sabellorum, diaconus cardinalis a cardinalibus in papam electus eſt Peruſii ſecunda die Aprilis. Hic Honorius multum fuerat ſobrius & temperatus, ſed corpore ſatis debilis & podagricus, pacemque ſollicite circumcirca quæſivit & tenuit. Præfuit annis duobus. Hoc

Philippus rex Francorum obit.

anno Francorum rex Philippus Cor-leonis propter ſuam magnitudinem nuncupatus, dum cum armatorum immenſa multitudine in uitionem patrui ſui Caroli regis Siciliæ Cathaloniam advenifſet, dedita ſibi ex pacto civitate Gerunda, cum perſonarum rerumque ſuarum in tranſitu montium Pirenorum maximo revertitur detrimento, & quinto die menſis Octobris apud Perpignianum ſubtractus eſt ab hac luce. Tanta quippe fuerat aëris intemperies, quod duplex exinde fuerat orta peſtilentia. Nam ex multitudine muſcarum graviter affligebatur exercitus, quæ morſu venenoſo ſuis aculeis pungentes, per poſteriora intrabant ad inteſtina jumentorum, & ex corruptione aëris homines extemplo ſuffocabantur. Quo mortuo, Philippus agnomine Formoſus, ejuſdem filius ex Iſabella ſorore prædicti Petri regis Arragonum Remis conſecratur in regem Francorum in epiphania Domini.

Contentio inter nobiles Leod. & cleri ac populum.

Item eodem anno nobiles & progenioſi civitatis Leodienſis contra cleri & populi voluntatem ſupra venalibus aſſiſiam ſive Gabellam ordinare & levare cœperunt. Quam ob rem indignatus epiſcopus cum ſua curia totuſque clerus ad Hoyum ſe tranſtulerunt, illic per annum & menſes decem reſidentes, quo tempore caſtrum Hoyenſe in multis ſuis ædificiis ruinoſis reparatum eſt; ſed poſt biennium inter eos concordia facta eſt in hunc modum, videlicet quod per annos octodecim futuros de ſola cereviſia firmitas ſeu aſſiſia levaretur, nullis aliis uſibus applicanda, quam ad muros, foſſata, calciatas, pontes faciendos ac reparandos: quo tamen tempore dicti inſignes parum de hac exactione in uſus publicos converterunt, niſi quod ſtrato foro civitatis fontes fiſtulis & canalibus plumbeis in medio conduxerunt, curricula ſatis ut apparet venuſta deſuper fabricarunt.

Fictus Fredericus II. creatur.

Anno Domini MCCLXXXVI. in Nuſſia oppido vicino Coloniæ Agrippinæ advenit quidam veteranus, aſſerens ſe eſſe Fredericum ſecundum olim imperatorem, quem Innocentius quartus in Lugduno privavit imperio, qui inſuper per annos plus triginta mortuus fuerat; ſed & verbum iſtud longe lateque diſperſum fuerat, ita ut multi crederent ex aliquantis conjecturis ita eſſe; qui tandem veniens in civitatem Weſtflariam, a Rodulpho Romanorum rege captus & igne crematus eſt: & cum ad mortem duceretur, fatebatur ſe fuiſſe virum pauperem nominatum Theodericum *Calops*, qui pridem in curia imperatoris ſolitus erat converſari, & cauſa queſtus prædicta confinxiſſe.

Sorores de Pœnitentia in Hoio.

Eo tempore religioſæ ſorores de ordine Pœnitentiæ ſanctæ Mariæ Magdalenæ de loco ſancti Martini *Roilhon* ſuper Moſam tranſlatæ ſunt ad ſuburbium in Hoyo ad monaſterium ſancti Quirini, ubi pridem fuerat hoſpitale pauperum, ex auctoritate & conſenſu domini JOHANNIS DE FLANDRIA Leodienſis epiſcopi. Eo quoque tempore defuncto Petro rege Arragoniæ, Alfonſus filius ejus ex Conſtantia conjuge occupavit regna paterna, videlicet Arragoniam, Majoricam, Minoricam, Apuliam & Siciliam, non obſtante inhibitione ſummi pontificis Honorii, qui regnum Arragoniæ contulerat Carolo duci Valeſii, fratri Philippi Formoſi, & regnum Siciliæ heredibus Caroli dudum regis Siciliæ, fratris S. Ludovici.

Alphonſus ſucced t patri Petro Arrag. regi, &c.

Warnerus Chriſtianus a Judæis occiſus.

Anno MCCLXXXVII. Judæi quemdam ſervum nomine Warnerum dictum Bonum, qui eis pro mercede ſervierat, comprehendentes, ipſo die Paraſceves omnia genera tormentorum quæ Chriſto illata fuerunt, demta crucifixione, in eum comprehenderunt. Puto quod hæc acciderint juxta oppidum *Bacherach* ſupra Rhenum: quod poſtquam Chriſtianis innotuit, omnes Judæos quos penes ſe invenire potuerunt, & in villis circa poſitis, exceptis mulieribus & parvulis, interfecerunt, & omnia bona eorum diripuerunt. Deinde circa annum Domini MCCCCXX. hic Warnerus canonizatus eſt, & a terra in ſarcophagum elevatus per dominum BRENDAM de Caſtellione cardinalem & apoſtolicæ ſedis legatum, prædicantem in Germania crucem contra Bohemos ſive Huſſitas hæreticos.

Florentius comes Holl. regnum Scotiæ ambit.

Eodem anno MCCLXXXVII. Florentius comes Hollandiæ, hujus nominis quintus, vehementer exaltari incipiens, transfretavit ad Eduardum primum regem Angliæ, tentans ſi quovis modo pervenire poſſet ad poſſeſſionem regni Scotiæ, quod ſibi hereditario jure competebat, quamquam obſtantibus quibuſdam Scotis id obtinere nequiverit, ubi Eliſabeth ejuſdem Eduardi filia copulata eſt Johanni filio Florentii comitis in uxorem. Interea Guido comes Flandriæ invidens amicitiæ regis & comitis, collegit apud *Cadſant* extemplo navigium, & ad ſubjugandam Walatriam direxit exercitum. E diverſo Florentius ex Anglia feſtinato rediens, claſſem ſuam applicuit in *Uſiling*: cumque Guido in transfretando moram traheret, Johannes de Reniſſa miles Florentii oppidum dictum Sluſa potenter incendit, ſed & Theodericus *de Brederode* totum *Cadſant* favillo tenus concremavit. Porro Flamingi ad tria millia conglobati feſtinaverunt Zelandrinos in unum concludere, & eorum navigia in ponto ſubmergere; ſed ecce Johannes de Reniſſa mi-

Guido comes Flandriæ ei invidēs multa ſuffert damna.

les imperterritus, cum trecentis Zelandrinis tria millia Flamingorum audacter eſt aggreſſus, & occiſis ex eis trecentis, ad comitem Florentium cum multis captivis glorioſe eſt reverſus. Hic, inquam, Florentius comes annis fere quadraginta duobus honeſte regens Hollandiam, princeps erat valde glorioſus, ſtatura procerus, virtute robuſtus, aſpectu decorus, ſermone facundus, corde magnanimus, agilitate ſtrenuus, in dando largiſſuus, peroptimus muſicus, & æquus rectus juſtitiarius, & in hoſtes bellator acerrimus.

Prælium ingens inter Brabantiæ ducē & Geldriæ comitem.

Anno MCCLXXXVIII. quinta Junii bellum apud caſtrum Worone famoſum committitur hac de cauſa: ſiquidem cum dux Brabantiæ Johannes hujus nominis primus, ducatum Limborgenſem pro certa ſumma pecuniæ comparaſſet erga comitem Montenſem, cui ex ſucceſſione legitima competebat: comes vero Gelriæ cum ſuis fautoribus ducatum prædictum cum caſtris violenter detineret, dux multorum ſuffragia ſibi procuravit, & primo quidem cum epiſcopo Leodienſi JOHANNE ſororio ſuo pactum iniit, quod quam cito terram Limborgenſem recuperare poſſet, caſtrum de *Rode* quod ad Leodienſem pertinebat eccleſiam, quodque dux Limborgiæ occupaverat violenter, reddere promiſit epiſcopo, ipſum ad poſſeſſionem pacificam reducendo, donec ipſe dux proprietatem illius evincere potuerit coram judice competente. Dux igitur exercitum collegit multis generoſis viris exornatum, in quo venerant comes ſancti Pauli cum multis Francigenis, Loſſenſibus, Montenſibus, ac tota militia patriæ Leodienſis, quam illuc miſerat epiſcopus ex condicto. Inſuper & communitas civitatis Colonienſis in auxilium ducis properabat, archiepiſcopo eorum parti adverſæ ſuffragante, ſed & comiti Gelriæ ſuccurrere feſtinabant, comes Lucemborgenſis pater Henrici poſtea imperatoris cum ſuis fratribus, & dominus Waleranus de Falcomonte. Tandem inito duriſſimo conflictu, Theutonici Tranſmoſani purantes ſe jam triumphaſſe de adverſariis, confeſtim more ſuo ad ſpolia diripienda verſus tentoria ducis properabant; tandem diutiſſime certantes incerto marte, ſupervenientes ex improviſo hi qui de Colonia auxilium duci ſponderant, dux ex adverſariis triumphat, & de parte comitis Gelriæ peremti ſunt duo millia quingenti, præter captivos & vulneribus confoſſos. Frater comitis Lucemborgenſis Walerannus pulcherrimus hominum, & frater Colonienſis archiepiſcopi in prælio ceciderunt: quo comes Lucemborgenſis devenit, ſciri non potuit uſque hodie. Waleranus de Falcomonte ſolus ex principibus fugæ præſidio ſalvus evaſit. Archiepiſcopus comiti de Monte captivus traditur, comes Gelriæ Lovanium cum ceteris captivis traducitur, ubi per annum & amplius manſit vinculatus; ſed & de parte ducis duo dumtaxat nobiles peremti ſunt, videlicet dominus de *Zelhem* & dominus Bertholdus de Machlinia. Finaliter comes Gelriæ caſtrum ducatus Limborgenſis duci tradidit, cedens omni juri quod in eodem ſe habere prætendebat, atque ſuperaddita magna pecuniæ ſumma de vinculis exiit liber.

Obſidio Falcomontis ſolvitur.

Eodem adhuc anno poſt adeptam victoriam dux caſtrum de Falcomonte obſidione obſedit, Waleranno in rebellione perdurante, ſed & comitiſſa Flandriæ Iſabella ſoror comitis Lucemborgenſis dicto Waleranno comitatum Namurcenſem dotalitium ſuum tradidit gubernandum, ut eo modo ducem gravius infeſtaret. Qui dum in manu valida Brabantiam invaderet, dominus *de Melin* cum aliquantis reſiduis in ducatu cum Waleranno congreditur, vincitur & trucidatur, ſicque dux redit obſidione ſoluta; demum inter filium comitis Lucemborgenſis Henricum & filiam ducis facto matrimonio, per intermedium reginæ Francorum Mariæ pax reformata eſt; caſtrum Hoyenſe a JOHANNE DE FLANDRIA valde melioratum eſt in ſtructura aulæ, turris, baſini, ciſternarum & cellariorum.

Nicolaus papa IV.

Anno MCCLXXXIX. HONORIUS quartus Romæ moritur, cui ſuccedit NICOLAUS quartus natione Lombardus, de Marchia Anchonitana, ex Eſculo civitate, ordinis fratrum Minorum, qui præfuit annis quatuor, menſe uno, olim dictus Jeronymus. Hoc anno monachi Albi Præmonſtratenſis ordinis in Cornelio monte ubi nunc ſunt Carthuſienſes commorantes, ex nimia moleſtia familiarium ducis Limborgenſis pertæſi, ad locum de *Bealrepart* cum conſenſu epiſcopi ſe tranſtulerunt: in quo quidem loco prius morabantur fratres Minores, exinde tranſlati ad Richerfontem juxta forum civitatis.

Tripolis capta a Sarracenis.

Eodem anno Tripolis civitas Syriæ longo tempore a Chriſtianis quiete poſſeſſa per traditionem quorumdam civium ſuorum a ſoldano *Ægypti* capitur, muris, turribus, palatiis, domibus, eccleſiis funditus illic everſis. Inſuper & quinquaginta fere millia hominum promiſcui ſexus & ætatis in ore gladii ceciderunt, & multos abuſus contra jura naturæ a Sarracenis, Deo permittente, ſuſtinuerunt. Idem quoque ſoldanus minabatur excidium civitatis Aconenſis, quæ antiquitus Ptolomaida vocabatur, niſi ſibi civitatem dederint, quam contra voluntatem ſuam illos inhabitare aſſerebat, litteras illis diffidatorias tranſmittens, volens in tempore verno Acconem obſidione vallare. Quamobrem metu conſternati cives Acconenſes, treugas cum Sarracenis inierunt pacificas, intermediantibus donis & exeniis multifariis, ad duos annos duos menſes duos dies duos & duas horas, fide & juramento juxta morem Sarra-

Qui cum Accon. ſibus inducias iniunt.

cenorum partis utriuſque vallatas.

Induciæ a novis peregrinis violatæ.

Anno Domini MCCXC. peregrini ex occidente congregati, durantibus hujuſmodi treugis, circiter mille ſexcenti viri bellatores ex parte ſummi pontificis, ut dicebant, miſſi ad portum Achon applicuerunt, qui cum ſe putarent illuſos, eo quod Aconenſes treugas cum ſoldano initas nolebant infringere, neglecto conſilio capitaneorum & quorumdam civium, quodam mane ſine mortali diſpendio ipſos amplius retinere non valerent, urbem cum armis & vexillis explosis egreſſi, ad caſalia & oppida Sarracenorum verſus montana perrexerunt, quotquot illic reperierunt Sarracenos utriuſque ſexus qui ſe privilegio pacificæ ſecuritatis gaudere credebant, paſſim ſine miſericordia trucidantes, & quæcumque potuerunt ſpolia rapere ad civitatem Achon detulerunt: quod, proh dolor! tripudium converſum eſt in luctum & in terræ ſanctæ diſpendium & lugubre infortunium. Cum autem ad aures perfidi ſoldani res delata fuiſſet, in ſupra modum effectus mandavit civibus Achonenſibus ut treugarum effractores captivatos illos ad ſe plectendos dirigerent, alioquin in omnes pariter deſæviret. Illi perpendentes non eſſe catholicum confratres ſuos occidendos Sarracenis tradere, & de illius ſævitia ſecuri ad diverſos principes chriſtianitatis ſuas lamentabiles litteras deſtinarunt, in tanta tribulatione quæ indubitanter imminebat, auxilium ſibi mitti poſtulantes. Quapropter illic adventans rex Cypri cum trecentis militibus, quos urbes inſulæque maritimæ quæ cum Achone confœderatæ ſibi invicem ſubvenire tenentur, in Achonis ſubſidium tranſmiſerunt, qui cum civibus urbis ad partem mœnium ſibi ex antiquo aſſignatam pro tuitione perrexerunt, portantes illic lapides grandes, & multas baliſtas, quarellos, lanceas, falcaſtra, caſſides & loricas & cetera quorumcumque armorum genera, quibus mœnium propugnacula & portarum antemuralia ordine ſpectabili cum propriis vexillis munierunt, quorum omnium ſumma ad nongentos equites & octodecim millia peditum æſtimata eſt. Ex his ergo quatuor cuſtodias ordinantes, cuilibet ex ipſis duos capitaneos in rebus bellicis magis expertos præfecerunt; diem præterea naturalem qui ex viginti quatuor horis conſtat, in tres partes ad ſecuram cuſtodiam inter ſe diviſerunt: ita ut quatuor cuſtodiarum quatuor rectores cum media parte cuſtodiarum ſibi ſubjecta ab ortu ſolis uſque ad nonam horam diei, alii cum alia parte cuſtodiarum a nona diei uſque ad quintam noctis horam, iterum quatuor primi rectores a quinta noctis hora uſque ad ſolis ortum vigilarent, & ſic deinceps. Harum cuſtodiarum unam tamquam capitaneus communitatis rexit Johannes de Gerliaco in ſubſidium terræ ſanctæ a rege Francorum deputatus, cum Ottone de Granceone; ſecundam rex Cypri gubernavit, qui miniſtrum militiæ Theutonicorum ſibi adjunxit; tertiam rexit miniſter hoſpitalis Jeroſolymitani, qui ſecum miniſtrum Spatæ advocavit; quartam miniſter Templi rexit cum miniſtro militiæ Sancti-Spiritus. Hi fuerunt octo capitanei, quorum providentia & conſilio ac ſollerti vigilantia civitas Achonis tunc temporis regebatur, qui ſi concordes fuiſſent & in conſiliis uniformes, teſte Deo, adhuc Achon ſubſiſteret. Inſuper & patriarcha mitiſſimus divinæ prædicationis officium ſedulus exercens, populum Chriſtianum ad omne quod rectum eſt animabat, &c.

Soldanus inducias violatores petit ſibi puniendos.

Aconenſes ſuum prævidentes excidium auxilium petita a principibus Chriſtianis.

Anno MCCXCI. appropinquante obſidionis tempore immaniſſima Sarracenorum turba Babylonicas latebras ſanguinem Chriſti fidelium ſitiens, exivit, & tremebat terra in eorum adventu præ multitudine ſonitus tubarum, cymbalorum & tympanorum; videbaturque exercitus tamquam ſilva gradiens ſuper terram pro multitudine lanceārum. Erat namque numerus eorum quadringenta millia armatorum. Verum ſoldanus lecto decumbens, & credens de infirmitate convaleſcere, miſit ante faciem ſuam ſeptem amiraldos quorum unuſquiſque ſub ſuo regebat ducatu quatuor millia equitum & peditum viginti millia, qui occupantes planiciem Achon, ad tria milliaria fixerunt illic ſua tentoria, quorum quilibet cum ſibi ſubditis per horas ſtatutas impetum faciebat civitati; ita quod nec die nec nocte cives ullam captare requiem permittebant. Tranſibant ſiquidem per fines cuſtodiarum, alii more bovum mugiendo, alii more canum latrando, alii more leonum rugiendo, percutientes magis tympana cum baculis retortis ad terrorem hoſtibus incutiendum, & duravit hic modus congrediendi a medio Martii uſque ad medium Aprilis, nihil prorſus agentes quod dignum ſit ſcripto commendare. Contigit eo tempore ſoldanum mori & filium ejus patri in omni nequitia conſimilem regium captare diadema, nemine contradicente. Igitur ſepulto patre, ſoldanus novus confeſtim greſſus ſuos verſus Achon direxit, cum decem ammiraldis & machinis, fundibulis, ligonibus, & ſimilibus infinitis inſtrumentis, & pervenit ad exercitum quem pater ſuus ad obſidionem præmiſerat cum magno ſuo tripudio. Quievit igitur tribus diebus cum ammiraldis & prudentibus ſui exercitus, ordinans de modo & forma aggrediendi civitatem. Quarto die aſſultum facere cœperunt fundibulantes, & petrarias jacientes decem diebus continuis in modico damnificantes civitatem. Interim cives per mare omnes ſuos theſauros cum ſacroſanctis reliquiis, ſenes etiam & debiles pueros, & mulieres ſpecioſas in Cyprum procuraverunt navigio tranſportari, multis

Sarraceni ad obſidionem Achon ſe accingunt.

Novus ſoldanus civitatem obſidet.

quoque inde recedentibus propter capitaneorum diſcordiam, vix octingenti equites & pedites circiter duodecim millia illic remanſerunt. Itaque decima quinta die Maii tam gravem impetum fecerunt Agareni cuſtodiis murorum, ut niſi nox ſuperveniens conflictum diremiſſet, civitatem illi violenter ſubintraſſent: nocte vero ſubſecuta, cum miniſter militiæ Theutonicorum ad ſuam rediſſet cuſtodiam gubernandam; rex Cypri nedum cum ſua gente, ſcilicet cum tribus fere millibus gentium, propter eamdem diſcordiam recedentium, per mare turpiter aufugit. In craſtinum ſimili modo facientes impetum, dum in cuſtodia regi Cypri pridem deputata paucos fore adverterent ad defendenda propugnacula, accurrentes undique portantesque ligna, lapides, & cadavera equorum mortuorum per frontis latitudinem centum cubitorum uſque ad ſuperficiem muri foſſata repleverunt, & continue procedentes cum ſcalis pinnam murorum in multitudine maxima conſcenderunt, & tandem murum jure belli obtinuerunt, ac confeſtim lapidem contra lapidem diruentes ipſum per latitudinem fere ſexaginta cubitorum æquantes ſolo, introïtum cunctis paraverunt Sarracenis. Intrantibus igitur eis per fracturam murorum, multi hinc inde proſtrati ſunt; ſed perpendentes Chriſtiani hoc modo tot perire ex ſuis quot ex Sarracenis, hunc modum relinquentes, ſubito cum falcaſtris & fuſtibus magnis, lanceis ac gladiis acutiſſimis Sarracenos feriebant. Econtra illi lancearum mucronibus eorum impetum reprimentes, hinc inde alii ſuper alios ad modum fabrorum ſuper maſſam ferri calidam fabricantes, alterutrum perimebant, tandemque Sarraceni infra civitatem quantum ad jactum baliæ occiſis Chriſtianis ſunt ingreſſi. Dum hæc agerentur miniſter & dominus Wilhelmus mareſcalcus hoſpitalis pedetentim ad arma confugerunt, & ceteros Chriſtianos jam de fuga cogitantes ad certandum animantes in medium proſiliunt, nunc hos nunc illos mutilatos & occiſos ad inferos tranſmittebant domino ſuo perfido Mahometo, ſed & pedites ſe anteriores & equos Sarracenorum mucronibus gladiorum perfodiebant, quibus ruentibus ſimul & eorum ſeſſores occidebantur, quo viſo Sarraceni ad fracturam muri quo irruperant ſe retrahentes, intervenientibus nocturnis tenebris facto ſigno tubarum ad ſua ſe tentoria revocabant. Itaque nocte ſequenti fracturam muri reparare molientes Chriſtiani, ſtruem lignorum & lapidum ex diverſis domibus congregatam, additis fundibulis & baliſtis illic erexerunt, baliſtarios retro ſtruem locantes, qui ingredi volentes prohiberent. In craſtinum facto tubarum & cymbalorum clangore vehementi, iterato renovatur inſultus & dutiſſima hinc inde pugna, & confracta ligno-

A rum ſtrue prædicta, rurſum ingrediuntur pagani, ſed virtute fratris Wilhelmi mareſcalli hoſpitalis, & agilitate ſibi ſubvenientium in plateis, Sarracenos per muri fracturam en altera vice turpiter fugere compulerunt. Renovatis igitur perfidorum cuneis, novi recenteſque venerunt, totis niſibus inſultantes, ut fatigatis fidelibus, poſſent ingredi civitatem, & cum quibus poſſent ingeniis Chriſtianos non permittebant reſpirare. At Chriſtiani conſueto more reſiſtentes, cum falcaſtris, ligonibus & lancearum cuſpidibus & lapidum jactatione Sarracenos repulerunt quamplurimos ex eis proſternendo; deinde
B cum plurimi fideles ad fracturam muri pro ſubſidio deſcendiſſent, interim perfidi ad portam ſancti Anthonii inſultum fecerunt permaximum: tandem violenter introgreſſis eis infinitæ hinc inde factæ ſunt ſtrages, & adjutorio Dei iterum extra portam ſunt propulſi. Tunc equidem videns ſoldanus ſuos vile fugæ præſidium quæſiviſſe, iterum ad fracturam muri primam demoliendam eos revocat cum aliquantis transfugis Chriſtianis in ſuo exercitu & ſub ſuo dominio conſiſtentibus, quibus ſi urbem expugnarent, libertatem; ſin autem, duplum tributum adjecturum eis repromiſit. Renovatur ergo bel-
C lum terribile inter alterutrum populum ſe mutuo trucidantem, ſed milites perfidorum conglobati ex adverſo impetu repentino irruentes fere per jactum lapidis vi preſſuræ ſunt ingreſſi, tantaque ſtrages hinc inde facta eſt ex utroque populo, ut niſi ſupra corpora paſſim cæſa cadaverum jacentia ubi quis calcaret non apparebat. Quid plura? crevit robur perfidorum, fidelium poteſtate diminuta; Sarraceni tandem Achon civitatem obtinentes, perſiſtentibus adhuc circiter mille Chriſtianis ſemper pugnantibus, & uſque ad domum templi deductis, illuc ſunt impulſi.
D In craſtinum fideles qui ad domum militiæ templi confugerant, a perfidis ſunt illic obſeſſi. Verum in prædictis conflictibus miniſter templi lancea transfoſſus, ad defenſionem portæ ſancti Anthonii viriliter occubuit; miniſter hoſpitalis lethaliter vulneratus, equo quo inſidebat interfecto, a ſuis vi ſubtractus, receptus eſt in navi, patriarcha ſimiliter invitus ad portum vi trahitur, queruloſe clamitans, num delirus vobis videor quod me ſic trahitis reluctantem, & gregem mihi commiſſum in tali periculo relinquere cogitis
E trucidandum? Verum Wilhelmus de Claromonte mareſcallus militiæ templi ſæpedictus videns omnem militiam temporalem & ſpiritualem fere corruiſſe, junctis equo calcaribus, ruens per medium cuneorum, furioſo ſimilis, & virtute ſui dextrarii ultra portam ſancti Anthonii pertranſiens, infinitos ad inferos deſtinavit perfidos Mahometi cultores, & rurſum rediens per eamdem equo nimium fatigato, & jam amplius ſaltare non valenti,

ſtetit

ſtetit in medio plateæ quaſi fixum ſimulacrum, & confeſtim ruente dextrario, mucronibus lancearum transfoſſus, animam ſuo reddidit creatori. De his quoque qui in domo templi ſe receperant, multi ſe maris periculis exponentes, ad eos qui naves aſcenderant pervenerunt, de quibus pius patriarcha tot in ſua navi recepit, quod navis fundum petens, periclitata eſt præ pondere perſonarum, ſicque ſubmerſi ſunt univerſi, pauciſſimi vero qui evaſerant in domo templi, pactum cum ſoldano pepigerunt, ut liceret eis libere cum ſuis ab inde recedere: ſed Sarracenis non ſervantibus pactum, & formoſas puellas ac pueros pro ſuis abuſibus in angulis abſtrahentibus, confeſtim ſuos ad exponendas animas morti ſe animaverunt, & illic fere omnes conſumti ſunt. Quo facto, urbs Achon ſolo tenus a Sarracenis perfidis deſtructa, & in favillam eſt redacta.

Eia, quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum, ut digne te deplorem, civitas Achon, & te terra ſancta Jeruſalem, ubi Chriſtus natus eſt, ubi puer luſit, ubi vir docuit, ubi vivificum nobis ſpiritum exhalavit, ubi exanimis jacuit, & reſurrexit; terra, inquam, noſtris majoribus promiſſa, nobis erepta, nobiſque debita ſi viri eſſemus. Hanc ſiquidem ſpei noſtræ ſedem & arcem æternæ patriæ nunc Ægyptiacus canis tenet, nec mirum, quando & noſtri reges nil niſi delicias, & noſtri pontifices niſi divitias amant; populi vero vel ſervi fient, vel liberi inſaniunt, & omnes quæ ſua ſunt quærunt, quæ vero Chriſti ſunt, nullus: cujus peculiare patrimonium nobis ſpectantibus & ocioſe marcentibus laceratur a paganis. Denique dum fratribus inſidiamur, dum cœno luxuriæ involvimur, dum nummos pauperum numeramus, impiis hoſtibus incuſtoditum & inerme latus offerimus, crimen certe grave, & noſtrarum frontium pudor æternus, quibus Chriſti vexillum impudenter affigimus, ut tam magnifice Chriſti injurias ulciſcamur, quas ipſe quidem ſolo nutu poſſet ulciſci, & fortaſſis ulciſcitur occulta juſtitia, ex alto tamen proſpiciens fidem noſtram: ſiquidem noſtri principes clariſſimi hominum, in thalamo leonibus fortiores, in campo cervis timidiores, ora virilia mulieribus animis dehoneſtant, ad nocturna bella promtiſſimi, imbelles ad reliqua, & ad nil aliud animoſi, quam ad luxuriæ ſtudium & odium virtutis. Videamus obſecro quid in partibus Europæ agatur, ſingulas luſtrando provincias, Franci & Angli inceſſanter ſe invicem diſgladiant, ſeptem jam luſtra volvuntur, ex quo non Chriſtus & Maria, ſed Mars & Bellona inter illos reges regnant, & lenteſcente jam ferro, nihil adhuc ferrei animi molliuntur, nec dum imber ſanguineus irarum lenit ardores. Hiſpanus ille major Caſtellæ rex ac Legionis hæret penitus, & per ignaviam inter ſuos fines, proh dolor! anguſto in ſcopulo ſinit majeſtatem Chriſti blaſphemari. Ille vero Arragonum rex cum ſuis Cathaloniis Siculorum & Apulorum regna potenter invadens, inde Renatum expulit, iterum, ut ſpero, renaſciturum & ſanguinem ſitit Venetorum. Cæſar hic noſter ſuis contentus latebris, & nomine contentus imperii, quod recuperaturum perdita ſperabamus, ſuam patitur Germaniam miſere vipereo more laniari. Germania nil aliud ſtudet quam ſtipendiarios latrones in exitium reipublicæ armare, & e ſuis nubibus in Italiam migrans, ferreum imbrem pluit. Italia ſuis ſe viribus conficit, & ſi aliquando reſpirat, auri amor Chriſti amore potentior animos occupat, & per omnes terras ac maria diſtrahit. Græcia vel ſuis erroribus, vel noſtris averſa ſuperbiis, ovile priſtinum & paſcua noſtra contemnit. Cur, quæſo? niſi quia Creatoris ac Liberatoris noſtri gloriam ſpernentes, propriam ſemper quærimus. O, inquam, ſi hodie Julius Cæſar ab inferis remearet, animum illum potentiamque ſuam referens, & Romæ vivens & Chriſti nomen, quod procul dubio faceret, agnoſceret, diutiusne, eum paſſurum credimus, quod Ægyptius latro & peluſiati tam mollis turba Canopi non dicam Jeroſolymam ac Syriam, ſed ipſam Ægyptum atque Alexandriam poſſideret, dum recordaretur olim eam regi ſuo Ptolomæo cum toto regno, conjuge & vita abſtuliſſe, & amaſiæ ac concubinæ ſuæ Cleopatræ illam in dotem tradidiſſe? Non quæro quam juſte hoc fecit, ſed animi vim & acrimoniam illam miror noſtris temporibus neceſſariam. Quam facile enim, ſi Chriſtianus foret, Chriſto ſuum reſtitueret; a quo ſe ſpem accepiſſe & æternam gloriam accepturum crederet, qui illud adulterii pretium donavit concubinæ? An ſi Cæſar Auguſtus, ſi Scipio Affricanus, ſi Pompeius, ſi Carolus, ſi Conſtantinus, ut mille alios taceam, jam reviviſcerent, hoc pati poſſent? Si enim pro Romana republica veræ fidei luce carentes tanta ſunt auſi, quid non auſuros, Chriſto duce, feliciter credi lerim pro æterna? hic ſtili impetum frenabo.

Anno ſupradicto MCCXC. Lymborgenſes noviter Brabantiæ adjuncti, caſtrum Cornelii-montis, ubi olim Præmonſtratenſes, nunc Carthuſienſes domino militant, cum centum viginti equitibus in craſtino aſcenſionis circumcingunt: ex quibus XXXII. ceteris promtiores ſcalas aſcendunt, turrim caſtri latenter intrantes, ut illic complices ſuos tutius expectarent, & portas advenientibus aperirent. At uxor Walteri de Jupilia Caſtellani excitata ſtrepitu armorum, maritum prior excitat, qui feſtinanter abſque bracis & caligis, ſcuto & galea ſe muniens, oſtium conclavis fortiter obſeravit, emittens pediſ-

Lymborgenſes a Leodiēſibus cæſi.

quam per murum, quæ caſum Leodienſibus annuntiet. Accurrens autem populus obvios habuit hoſtes, qui forinſecus remanſerunt, habitoque congreſſu, duobus armigeris illic peremtis, ceteri aufugerunt, reliqui qui turrim aſcenderant capiuntur, & epiſcopo tranſmittuntur; pro quo in lecto ægritudinis decumbente, pater ejuſdem comes Flandriæ Guido tamquam mamburnus patriam gubernabat: qui pauperiores ex captivis quindecim apud Dyonantum capite truncari fecit, nolens in partibus propinquis propter eorum potentes amicos juſtitiam exequi: reliquos vero ditiores in caſtro Namurcenſi vinculis mancipavit.

Adolphus de *Naſſau* imperator.

Anno MCCXCII. Rodulpho Romanorum rege viam univerſæ carnis ingreſſo, Adolphus comes *de Naſſavv* Aquiſgrani in regem Alemanniæ conſecratur, ipſo die beati Johannis-Baptiſtæ. Eodem anno in feſto Calixti JOHANNES DE FLANDRIA Leodienſis epiſcopus, apud *Anheye* prope Namurcum anno pontificatus ſui decimo moritur. Corpus ejus in Flandriam vehitur tumulandum juxta ſuos progenitores in abbatia de Flinis. Collectis igitur præfixa die canonicis ſancti Lamberti ad providendum ſuæ eccleſiæ de paſtore, iterum duo in diſcordia eliguntur, videlicet Guido de Hannonia & Wilhelmus Bertholdi de Machlinia profeſſor theologiæ facultatis, ſed Guidonis electio per archiepiſcopum confirmatur: quapropter Wilhelmus ſedem apoſtolicam appellavit. Guido receptus ab omnibus ſaiſivit caſtra & oppida, & velut epiſcopus in omnibus amminiſtrans, gubernatore pro ſe relicto, Romanam curiam viſitavit. Tunc ambobus coram papa Nicolao quarto ſe præſentantibus, papa indiſcuſſa lite deceſſit. Igitur Adolphus in regem coronatus congregavit exercitum contra Albertum ducem Auſtriæ, qui fuit filius Rodulphi nuper defuncti, & factus eſt utrimque conflictus gravis; in qua pugna Adolphus perimitur, & ſui in fugam vertuntur: qui tamen ſex annis apud Theutonicos regnavit, non adeptus benedictionem papalem & coronam imperialem, hæc per anticipationem hic ſcripta ſunt.

Henricus comes Lucemborgenſis.

Eo tempore Henricus comes Lucemborgenſis poſtmodum imperator filiam Johannis ducis Brabantiæ hujus nominis primi duxit uxorem, & pax inter eos reformata eſt, quæ pridem propter ducatum Lymborgenſem fuerat valde turbata. Filia quoque regis Angliæ Johanni filio ſupradicti ducis matrimonialiter eſt copulata. Hoc tempore Guido comes Flandriæ captivatos in Corneliomonte & in caſtro Namurcenſi compedibus conſtrictos, & per interventum ducis Brabantiæ liberos abire permiſit. Hac etiam

Philippus rex Franc. Burdegalam, &c. ſibi ſubjugat.

tempeſtate rex Franciæ Philippus Formoſus Burdegalam & totam Guaſconiam & fere omnem terram Ciſmarinam Eduardi regis Angliæ ſibi ſubjugavit. Quam ob rem offenſus rex Anglorum terras regis Francorum circa maris littora igne ferroque devaſtat, & in mari cuncta deprædatur, adeo quod præ navium multitudine tunc maris dominus vocabatur. Inter comitem Hannoniæ & oppidum d. Valenchenis orta eſt gravis diſcordia, comite Flandriæ favente ſemper oppidanis: verum Guido Leodienſis electus, Metenſis & Cameracenſis epiſcopi tres fratres comitis Hannoniæ, ſubveniunt eidem. Pluribus hinc inde prædis & incendiis ſubſecutis; tandem primariis oppidi incentoribus hujus diſcidii traditis in manus comitis Hannoniæ, & carceri perpetuo maceratis, ceſſavit quaſſatio.

Anno MCCXCIII. Guidone comite Flandriæ, patre Johannis de Flandria pridem Leodienſis epiſcopi, repetente a Dyonantenſibus promiſſam pecuniæ ſummam pro debitis filii ſui inter ipſum & patriam Leodienſem, & maxime inter Dyonantum & Boviniam oppida ſibi ad tractum *Bilee* vicina, dura exorta eſt guerra, implacabilis & immortalis, nec uſque in præſentem diem plene ſopita. Vacante inſuper, ut præfertur, per mortem Nicolai quarti ſede apoſtolica, Leodienſis electus interim ſua regalia & adminiſtrationem temporalium ac juriſdictionem plenariam principatus ejuſdem eccleſiæ recepit, & impetravit ab Adulpho Romanorum rege pro tunc in Wereflaria reſidente, temporalia ſpiritualibus anteponens, & cauſam ſuam præ pluribus ſatis juſtam in hoc facto nimis offuſcans, ut patebit poſtea.

Anno Domini MCCXCIV. poſt mortem domini Nicolai papæ quarti, CÆLESTINUS quintus converſatione heremita, natione de terra Laboris, inopinate eligitur in Peruſio, ubi cardinales ſedem traſtulerant de Roma, papatu vacante, & fuit coronatus in Aquilea civitate in eccleſia ſanctæ MARIÆ, in decollatione beati Johannis-Baptiſtæ: qui ſedit paucis temporibus. Hic prius & poſterius dictus eſt Petrus de Murrone: cujus famam ſanctitatis & bonæ opinionis odorem nonnulli cardinalium audientes, in eum velut in angularem lapidem ſuos oculos dirigentes, ipſum concorditer elegerunt, mittentes ei ſuæ electionis decretum, cum eſſet in terra Apuliæ reſidens in ſuo heremitorio. Poſtea eum inde reducentes honorifice conſecraverunt. Deinde venit Neapolim, ubi cum cardinalibus ſedit. Hic poſtquam coronatus eſt fecit ſermonem in præſentia cardinalium & ceterorum prælatorum aſſumens pro themate: *Pauper ſum ego & in laboribus a juventute mea. Exaltatus autem humiliatus ſum & conturbatus.* Hic etiam homo Dei in ſæcularibus negotiis minus tritus, theologiæ & orationi ac meditationi magis deditus erat, quin imo in ſupremo rerum culmine conſtitutus, intra papalem thalamum angu-

ſtam ſibi & heremiticam camerulam meditatus, in alto humilis, inter turbas ſolitarius, inter divitias pauper vixit. Adde quod ſtatim in exordio ſuæ electionis tentavit fugam cum dilecto ſuo ROBERTO SALENTINO tunc juvene; ſed inopina & ſubita populi multitudine circumventus, cum evadendi nulla ſpes eſſet, ad diſcipulum converſus, quæſivit an ſe ad excelſa tractum, & coactum ſequi vellet? Ille autem, qui a magiſtro ſuo didicerat mundum ſpernere, Chriſtum vero & quibus ad Chriſtum itur, virtutem, pacem, ſilentium & ſolitudinem amare; quæſo, ait, ut labori & periculo meo parcas, meque potius inopis cellæ & tuti otii ſucceſſorem quam divitiarum ac ſollicitæ gloriæ ſucceſſorem, ac participem velis: quod & factum eſt, ſubſtitit enim in cella, patre Romam abeunte. Hic, inquam, Cælestinus edita a ſe conſtitutione, qua papa Romanus poſſet papatui cedere, ipſe in præſentia ſuorum cardinalium, apud Neapolim reſignatione facta, & deponens papatus honorem & onus, exuens ſe etiam papalibus indumentis & inſignis, exemplum tantæ humilitatis & abjectionis voluntarie relinquens poſteris, a pauciſſimis imitandum, ſed ab omnibus admirandum: unde tam ſuam electionem, quam etiam reſignationem admirati ſunt univerſi, cujus aſcenſus quam mœſtus & quam contra animum ſuum eſſet, lætus & ſpontaneus deſcenſus declaravit. Aſſerunt qui tunc affuerunt & viderunt, cum pontificatu ſummo velut mortifero faſce depoſito, in antiquam ſolitudinem tam cupide repedaſſe, ut hoſtili compede liberatum crederes, nec immerito. Novit enim quid repeteret, nec ignoravit quid dimitteret. Certe a laboribus ad requiem, & ab inſanis diſceptationibus ad divina colloquia remeabat. Quid dignum dicam de hoc cæleſti Cæleſtino. Reliquerunt alii naviculas ſuas ac retia, alii poſſeſſiunculas & theloneum, aliqui etiam regna vel regnorum ſpem, ſecutique Chriſtum facti ſunt apoſtoli, ſervi & amici Dei: papatum vero quo nil eſt altius, rem tam exoptatam, tamque mirabilem, adeo ut ab admirationis interjectione dirivatam dicant, quis ulla ætate, præſertim ex quo in tanto pretio eſſe cœpit, tam mirabili & excelſo animo contemſit, ut Cæleſtinus iſte, priſtinum locum, & nomen, & amicam bonis moribus egeſtatem appetens, ut dum cælum inſpicit, non recordatur terrenorum? Denique advertendum quod hic Petrus poſt ſui papatus renuntiationem fugere voluit & latere, ac in heremo converſari, ſicut prius; ſed per nuntios miſſos a ſucceſſore ſuo comprehenſus eſt, & a fuga reductus, & in cuſtodia non libera tentus, & ſupervixit anno uno, menſibus quatuor, diebus viginti octo, & tandem in caſtro ſucceſſoris ſui moritur, & in monaſterio ſancti Antonii ſepelitur. Hic inſuper Petrus Cæleſtinus tam in vita quam in morte multis floruit miraculis, & fuit poſtmodum canonizatus, atque novum ordinem Cæleſtinorum juxta regulas antiquorum patrum Ægypti inſtituit, qui uſque hodie extendit palmites ſuos uſque ad mare & ultra.

Hoc eodem anno cum Henricus comes Barenſis alteram Eduardi regis Angliæ filiam deſponſaſſet, cujus primam filiam Johannes primogenitus Brabantiæ jam duxerat in uxorem, magna ſolemnitas in terra Barenſi proclamata eſt cum haſtiludiis & torneamentis multimodis. Cui ſimiliter interat dux Brabantiæ jam veteranus Johannes primus, ut famabatur, amore illius virginis inflammatus. Cumque veneris incentivum & deſiderium gloriæ vanæ vexaret eumdem, ille dorſo equi fortis inſidens, ſponſa ſpectante cum ceteris, arrepta lancea dextrarium fortiter urgens, obviat militi cuidam qui tunc de paritate contendebat cum eodem, quibus dextrariorum curſu colliſis ad invicem, laceri ducis muſculo haſta militis perfoſſo, dux lethaliter ſaucius ab equo eſt dejectus, & cum multorum triſtitia in feſto inventionis ſanctæ Crucis diem clauſit extremum. Hic, inquam, dux animoſus nimis fuerat, & in extraneos affluenter largus, immo prodigus. Unde putabatur tantum medium virtutis attigiſſe, ſed exactio quam in ſubditis frequenter agebat, docuit hunc metas largitatis exceſſiſſe; & evenit interdum ut qui ſine menſura debita largiendo cupiunt eſſe liberales, deficientibus donis, in rapacitatis & avaritiæ vitium dilabantur. In his nuptiis dictus comes ſe confœderans regi Anglorum, terras Francorum ſibi confines potenter invaſit, incendiis prædiſque cuncta devaſtans, quod rex Francorum, maximis illi damnis illatis, graviter recompenſavit. Henricus comes Barenſis.

Eodem anno poſt ceſſionem Cæleſtini, electus eſt in papam Bonifacius octavus in vigilia vigiliæ nativitatis Dominicæ, qui primo dictus eſt Benedictus Gayetanus, tituli ſancti Martini in Montibus preſbyter cardinalis, qui ſedit menſibus novem annis octo. Bonifacius papa VIII.

Anno MCCXCV. Bonifacius octavus quadam ſingulari via potentiam ſuam ac papalem magnificentiam cœpit dilatare, & ſicut prædeceſſor ſuus in vita ſua fecit multa miracula, ſic & ipſe in terris multa fecit mirabilia, mirabiliter in fine defectuoſa. Hic fecit per modum conſtitutionis feſta duodecim apoſtolorum, quatuor evangeliſtarum, & quatuor doctorum ſub honore duplicis feſti ab omnibus univerſaliter celebrari.

Eodem anno pons lapideus in Hoyo cœpit exordium, in cujus fundamento poſitus eſt florenus de Florentia. Eodem tempore Bonifacius papa electiones duorum contendentium de epiſcopatu Leodienſi, videlicet Bonifacius papa electionem duorum in eccleſia Leod. nullam declarat.

Guidonis de Hannonia & Wilhelmi Bertoldi ambas irritavit & reprobavit, diligenter examinans cauſam utriuſque. Verum WILHELMO ſupradicto viro nobili & valde litterato, providit de epiſcopatu Ultrajectenſi, & Guidoni, qui contra decretales & ſanctiones patrum ante ſuam confirmationem legitimam, lite pendente, adminiſtraverat tamquam epiſcopus, nihil penitus dedit; ſed quia multas præbendas contulerat, & alia plura egerat, quæ ſine gravi ſcandalo nequiviſſent retractari, omnia rata permanſerunt & inconvulſa. Cumque comes Hannoniæ frater ſuus terram *de Mirevvart* in Ardenna, feodum Leodienſis eccleſiæ, erga vaſſallum de conſenſu electi & capituli comparaſſet, tali conditione prævia, quod eccleſia infra certum tempus illam pro eodem pretio recuperare valeret, & capitulum ad hoc ſummam maximam undique collegiſſet, hanc Guido prædictus mutuo ſumſit ab eccleſia, & conſumſit in litem præfatam, ſicque eccleſiam & terram perdidit & pecuniam. Deinde Bonifacius HUGONI DE CABILONE conſanguineo ducis Burgundiæ, Leodienſis eccleſiæ contulit præſulatum.

Florentius comes Holl. occiditur.

Eadem tempeſtate Florentius comes Hollandiæ a tribus militaribus viris collateralibus & commenſalibus ſuis, ſcilicet Hermanno *de Wourden*, Ghiſelberto *de Aemſtel* & Gherardo *de Weſten* proditorie occiſus eſt extra civitatem Ultrajectenſem, dum aucupio iiſdem ſuadentibus inſiſteret, verum comes Clevenſis conſanguineus comitis Florentii, in traditores graviſſimam exercuit ultionem. Corpus tumulatum eſt in *Reynsberk* monaſterio monialium ordinis ſancti Benedicti.

Bonifacii papæ proceſſus in Columnenſes.

Anno MCCXCVI. Bonifacius papa fulminare cœpit proceſſus graves excommunicationis contra Columnenſes, eo quod Stephanus de Columna theſauros ejus deprædatus eſſet, dans ei maledictionem uſque in quartam generationem, facta ſuper hac re decretali: quæ tamen multis litteratis viris diſplicuiſſe famatur, cum filius non debeat portare iniquitatem patris ſui, niſi fuerit paterni criminis æmulator; ſiquidem Jacobus & Petrus de Columna cardinales, conſiderantes papam contra genus ſuum inc[illegible]luiſſe, libellum famoſum contra eum conficientes, per multas provincias & regiones eumdem deſtinaverunt, aſſerentes in eodem ipſum non eſſe papam, ſed Petrum Cæleſtinum. Unde citati ſuper his a Bonifacio non comparuerunt, & facti ſunt contumaces, & idcirco in conſiſtorio tamquam ſchiſmatici ſunt condemnati, & privati pileis rubris & omnibus beneficiis eccleſiaſticis ac cardinalatus titulo, & commodo ac honore. Inſuper & eorum bona ac carorum ſuorum ſunt omnia confiſcata; prædicti vero Jacobus & Petrus a facie proſequentis fugerunt, ac latuerunt uſque ad mortem papæ. Et ut incidentaliter de probitate dicti Stephani Columnenſis aliqua inſeramus, ſic de eo ſcribit Franciſcus Petrarcha laureatus poëta: » Vidi, inquit, « Romæ Stephanum de Columna ſeniorem « virum, omni ætate mirabilem; qui cum ad « annum octogeſimum propinquaret, & eo « ſpectante fortiſſimi juvenes ludis exercerentur equeſtribus, eſſetque ibi haſta quædam « immanis, quam nullus uſque ad illud tempus non dico fregiſſe, ſed nec flexiſſe poterat, atque ipſe jocans ignaviam juvenibus « exprobraret, & primogenitus ejus vir militaris & ſtrenuus reſpondiſſet: facile quieſcenti eſt e feneſtra de laboribus judicare, & « miranti vetera, more ſenum irridenti præſentia; generoſo impetu deſcendit; numquid & nos viros eſſe creditis? ſecum ipſe « vociferans, & aſcenſo equo qui proximus « ſteterat, ſtimuliſque adacto, haſtam illam manu rigida arreptam in plurima fruſtra comminuit, multo cum ſpectantium ſtupore, filii « ante alios horrore. «

De Stephano de Columna.

Libellus famoſus in eū.

Dux Brabantiæ Trajecti dominium occupat.

Apud Leodium Hugo XLIV. a beato Lamberto Leodium veniens, favorabiliter eſt receptus, & cum dux Brabantiæ Johannes ſecundus in præjudicium Leodienſis eccleſiæ, dominium Trajectenſis oppidi occupaſſet, & propter hoc utrimque guerra ſuſcitaretur, tandem inter arbitratores pactum ſic ordinatum eſt, quod locus antiquæ villæ eſſet de juriſdictione epiſcopi, hoc excepto, quod omnes incolæ loci cenſum capitalem B. Petro Lovanienſi ſolverent cum ſua familia, & cetera ultra villam veterem ampliata ad ducis dominium pertinerent, & eccleſia per hoc arbitrium eſt enormiter læſa: nam habitatores loci communiter ſolvunt cenſum beato Petro. Rex Francorum Philippus Formoſus Ludovicum primogenitum ſuum fecit regem Navarræ, qui Margaretam filiam ducis Burgundiæ duxit uxorem. Alter filius Philippus comes Pictaviæ, matrimonio copulatur Johannæ filiæ comitis Atrebatenſis, relictæ comitis Burgundiæ. Tertius Carolus nomine, alteram filiam ſororem uxoris fratris ſui Blancam nomine, ſibi deſponſavit. Ea tempeſtate comes Flandriæ contra dominum ſuum regem Franciæ regi Anglorum ſe confœderavit, mediante futuro matrimonio quod inter filium regis & filiam comitis fieri proponebatur; ſed rege Franciæ prænomito, ubi ſponſa ad ſponſum ducebatur, inſidiis poſitis captivatur, quæ poſt modicum temporis in captivitate deceſſit. Ob hanc cauſam inter Francos & Flamingos guerra gravis exſurrexit; cumque Flamingi ſatis tepide juvarent comitem, rex oppidum Inſulam & Duacum ſibi ſubjugat. Itaque pace facta, Guido comes ſe reddidit captivum, in qua captivitate poſt aliquot annos diem clauſit extremum. Per idem tempus inter duos reges Francorum & Anglorum concordia reformatur; nam Iſabella matrimonio copulata

Comes Flandrenſis confœderatur Anglis adverſus regē.

Eduardi Angliæ regis filii nuptiæ cū Isabella regis Franciæ filia.

eſt Eduardo filio regis Anglorum, cum maximo utriuſque regni tripudio. Itaque Eduardus rex nobiliſſimo & maximo totius Angliæ comitum, baronum & prælatorum comitatu ad Boloniam ſuper mare transfretans, venit in Franciam, & eidem rex Franciæ cum ingenti apparatu occurrit, in campis invicem ſe illic ſalutantes. Tertio die ſequenti Iſabellam prædictam juvenis Eduardus ante altare ſibi deſponſavit, & duravit ſolemnitas nuptiarum per dies undecim. His nuptiis interfuerunt tres reges, ſcilicet Franciæ, Angliæ & Navarræ, & quatuor reginæ. Duces, principes & comites abſque baronibus quinquaginta ſex, milites vero ultra tria millia numerati, & nobiliſſimarum matronarum & puellarum maxima multitudo; & ſingulis donaria multa ex regis Francorum munificentia ſunt collata. Ex illa Iſabella Eduardus ſecundus genuit tertium Eduardum, qui multorum auxilio ſuum poſtea patrem captivavit & regno privavit, ut poſtea patebit. His temporibus Carolus frater Philippi Formoſi, qui filiam imperatricis Conſtantinopolitanæ uxorem duxerat, ob eamdem cauſam Conſtantinopolitanum repetebat imperium, & cum jam Alpes tranſiſſet cum ingenti armatorum ac nobilium ſtrepitu, pluribus in via defunctis, multiſque magnatibus morbo laborantibus, neceſſitate compulſus ad propria remeavit. Apud Hoyum in loco qui dicitur *At ſtat* nova moneta fabricatur ære commixta, vix valens unum Turonenſem.

S. Ludovicus albo ſanctorum inſcriptus.

Anno MCCXCVII. idibus Auguſti in Dominica die in Urbe-veteri Bonifacius papa anno pontificatus ſui tertio canoniſavit ſanctum Ludovicum, ac ſanctorum confeſſorum Chriſti catalogo annotavit: cujus virtutes, patientiam, bella pro fide catholica, & adverſa quæ pro eadem ſuſtulit, nec non & miracula quæ fecit in vita & in morte, quoniam multis nota ſunt, & ſcriptorum ſtudio in ſcriptis redacta, non eſt neceſſe amplius de eiſdem dubitare aut inquirere.

Eodem anno idem Bonifacius fecit publicari Sextum decretalium, quem per tres magnos & ſolemnes viros fecerat compilari, plura nova ſtatuens in eo. Eo tempore duo pontes Pariſius magnis conſtructi lapidibus & quadratis, ferramentis ex utraque parte recurvis, plumbo interfuſo juncturis, ex impetu Secanæ fluminis corruerunt, nec poſtea pontes de lapidibus, ſed de trabibus & lignis reſtaurati ſunt.

Friſones ab Hollandis cæſi.

Item, Johannes comes Hollandiæ eodem anno bellum acerrimum cum Friſonibus inſtruxit, & adepta victoria ceciderunt de Friſonibus quatuor millia; verum ex parte Hollandinorum occiſus eſt dominus Johannes de *Arkel* miles egregius, & Johannes de *Dorthoghe* armiger inclytus, cum aliis duobus nobilibus; facta eſt hæc cruenta ſtrages ſexto calendas Aprilis in ſpatioſis agris villæ Uro-

A nenſis. Iterato WILHELMUS de Machlinia epiſcopus Trajectenſis, aſſumtis ſecum multis de Oeſtfriſia, properavit ad prælium contra Hollandinos in oppido dicto *Momkendam*, initoque navali certamine, fugerunt Friſones; epiſcopus autem modicam ſcapham introivit, & ad partes Ycelminas feſtinanter navigavit. Igitur Johannes comes Hollandiæ propendens epiſcopum rurſus velle nova bella ſuſcitare, requiſivit Giſbertum de *Yſeltien*; quatenus ad tempus caſtro ſuo cederet, & ad impugnandum Trajectenſem epiſcopum Hollandinos armigeros intromitteret, quod ille facere omnino recuſavit: quam ob rem B comes dictum Ghiſelbertum fecit captivari, & caſtrum ejus violenter obſideri. Verum uxor ejus caſtrum prædictum per integrum annum animoſe defenſavit, quouſque deficientibus victualibus in deditionem venit, ſub hac forma tractatus, ut ipſam medietatem caſtri ſalva vita retineret, & comes de medietate reliqua deſiderium adimpleret. Comes autem Hollandiæ adeptum jam caſtrum cum tota ditione de *Wourde* dedit Wolfardo *Vandervere* tutori ſuo, ut relevaret illud ab eo in feodum; verum dictus Wolfardus totam Hollandiam per novam monetam aggravans, propter hoc in oppido C *Delf* occiſus eſt miſerabiliter.

Albertus fit rex Roman.

Anno MCCXCVIII. Adolphus Romanorum rex in bello contra Albertum ducem Auſtriæ filium Rodulphi quondam regis & monoculum, cum multis nobilibus occiſus eſt ſecundo die menſis Julii. Quo peracto, electores imperii eumdem Albertum elegerunt in regem Romanorum & Alemanniæ, & in feſto beati Bartholomæi Aquiſgrani ſuſcepit regni Alemanniæ diadema.

Eodem anno Bonifacius papa reconciliavit ſibi & eccleſiæ Alphonſum regem Arragonum, & a ſententia excommunicationis cum abſolvit, regnum Arragoniæ ſibi reſtituit, inſuper & regnum Sardiniæ ſibi conceſſit ſub certis conditionibus & pactis. Eodem tempore prædicto Bonifacio cum curia cardinalium reſidente in civitate Reatina, tantus & tam vehemens terræ motus factus eſt, qualem nemo umquam antea viderat, ſubvertens ædificia multa, duravitque multis diebus, ſed non continuis, plerumque per dies & noctes timorem multis incutiens, quam ob rem papa cum cardinalibus fugit ad monaſterium fratrum Prædicatorum, factoque tentorio ſub divo in horto monaſterii, loco altiori & ſecuriori ex aſſeribus ligneis illic conquievit, ſed homines nocturnis horis fugientes ad campos præ timore paſſim ruebant in terra, conjecturantes diem ultimum imminere.

Terræmotus ingens.

Ea tempeſtate inter dominum de *Avvans* & progeniem de *Waroux* cruenta nimis & inteſtina guerra ſuborta eſt toti Haſbaniæ uſque in præſens tempus exitialis & nociva.

Bellum inter D. de *Awans* & progeniē de *Waroux*.

Nam cum quidam armiger nomine *Hancheal* de ſtirpe de *Waroux* quamdam juvenculam Adiliam nomine, filiam Simonis *Pereit de Donmartin*, non generoſam, ſed locupletem in matrimonium ſumſiſſet, dictus dominus *de Avvans*, non tamen dominus ſuperior ſundi illius, ſed quia rector & advocatus *de Avvans* ordinatus erat per dominum abbatem Prumienſem ordinis ſancti Benedicti in diœceſi Trevirenſi, & redditus ejuſdem villæ ab eodem tenebat ad accenſam cum appenditiis ſuis. Hic, inquam, dominus dictum matrimonium caſſare nitebatur, aſſerens ſupradictam ſponſam fuiſſe & eſſe ſervam vel ſervilem ſuam, ſive potius alio nomine aſcriptam glebæ, quæ proprie ſervitus receſſit ab aula, & ob hanc cauſam non poſſe cuiquam nubere abſque ſui principalis domini conſenſu & aſſenſu. Hoc non obſtante, ſponſus prædictus ſponſæ ſuæ mobilia violenta manu ſecum tulit. Quapropter dominus de *Avvans* adverſæ partis braxinas & molendina plura deſtruxit, & plurimæ cædes hominum & incendia caſtrorum hinc inde paſſim inter utramque progeniem ſuccreverunt: deinde cum dominus caſtellanus de *Hozemont*, Gerardus nomine, conſanguineus domini Walteri de *Avvans* rebellaret contra dominum Johannem de Cabilone fratrem domini Hugonis epiſcopi Leodienſis, & rectorem provinciæ, quoniam, ſicut aſſerebat, eum contra legem gravare conabatur, idemque Johannes animoſus & doctus ad prælia, exercitu collecto, caſtrum de *Hozemont* diruere conaretur; caſtellanus eidem obviat cum majori numero bellatorum. Itaque pro tunc Johannes prædictus ſibi conſulens, lora retraxit, deinde elapſo parvo temporis intervallo, idem Johannes mareſcalcus patriæ accinctus grandiori potentia præfatum caſtrum nec non & domum Euſtacii dicti *Franshons* militis, qui erat unus de complicibus domini *de Avvans*, ſuccendit & funditus deſtruxit *Abognoul*. Poſt hoc dominus *de Avvans* congregatis quamplurimis ſuæ factionis fautoribus, turrim *de Selins* ſpectantem ad quemdam dictum Balduinum ex ſtirpe de *Waroux* cum ſeptingentis equitibus conabatur invadere; ſed epiſcopus Hugo ſuffragio ſuorum Leodienſium vallatus, occurrens eidem, compulit hunc ad emendam. Nam idem dominus cum pleriſque ſuæ ſtirpis egregiis viris nudipedes, ſola ſupracincti tunica, nudo capite, ſuperpoſita ſella caballi, proceſſerunt ab eccleſia ſancti Martini Leodienſis in monte uſque ad eccleſiam cathedralem, eo quod mandatum prævaricati fuiſſent epiſcopi, & dictus Euſtacius ſine conſenſu domini campanam banni ad ſolum dominum Leodienſem pertinentem pulſare præſumſiſſet; cum hac populum concitans, & ſeditionem contra epiſcopum & ejus fratrem ſuſcitare prætendens. Plurima vero quæ hinc inde ſuccreverunt inconvenientia, brevitati ſtudens ſponte tranſibo feſtinans ad alia. Itaque cum epiſcopo per emendam ſatisfactum fuiſſet, ut præfatur, per dominum *de Avvans*, utraque progenies in alterutrum graſſari cœpit vehementer, cumque quadam die ſibi occurriſſent juxta dumos de *Lonchins*, duriſſimum ad invicem confligentes prælium, multi hinc inde jugulantur, inter quos dominus Walterus *de Avvans* cum aliis tredecim ſuæ partis viris fortiſſime dimicans trucidatur ipſo ſacro die Pentecoſtes, quæ cum ad aures Leodienſis epiſcopi perlata fuiſſent, pacem inter partes per dies XL. fecit proclamari, præcipiens ſub obtentu gratiæ ſuæ & pœna multæ maximæ, ne quis ex aliqua parte guerram incipere moliretur, ſicque modico tempore ceſſavit quaſſatio.

Anno MCCXCIX. Albertus rex Alemanniæ ſolemnes nuntios miſit ad Bonifacium papam pro confirmatione electionis ſuæ, quam Bonifacius papa tunc multas ob cauſas repulit & penitus annullavit. Inter nobiles Hoyenſes & populares divites ex una parte, & miniſteriales ejuſdem oppidi ex altera, ſeditio gravis ſuborta eſt, & nonnulli ex utraque parte vulnerati ſunt & trucidati: cujus ſeditionis originem explicare nimis eſſet prolixum. Verum ſcabini & nonnulli locupletes ejuſdem oppidi timentes veriſimiliter aliquando incidere in furorem popularium, cum ſuis uxoribus & liberis ad tempus ceſſerunt multitudini, & habentes fœdus cum Leodienſibus apud eos per biennium habitaverunt. Verum Leodienſis epiſcopus favens parti popularium Hoyenſium, ſcabinos novos illic inſtituit, ac civitati Leodienſi ſibi rebelli pro poſſe reſtitit, commorans illo tempore in caſtro Hoyenſi. Conduxit quoque quoſdam bidardos, qui duo miſſilia ſive jacula ſemper ferre ſolebant, qui etiam juxta Oroſium & Vegetium Renatum velites ſive levis armatura vocabantur; quibus capitaneum præfecit Bonifacium, qui per patriam diſcurrentes mercatores victualia Leodium deferentes frequenter ſpoliabant, interdum etiam jugulabant; & cum quodam die duo villagia *Pouſſet* & *Blereit* ad juriſdictionem Leodienſis eccleſiæ ſpectantia invaderent, reſiſtentes ſibi rurales deprædati ſunt, aliquantos etiam peremerunt, qui deportati in Leodio inter majorem eccleſiam & clauſtrum juxta capellam beatæ Mariæ Virginis ſuerunt ſepulti.

Seditio Hoyi.

Item eodem anno Johannes comes Hannoniæ filius Aleydis ſororis Wilhelmi Romanorum regis, Hollandiæ comes factus eſt. Quare ſtatim dominia de *Aemſtel* & *Wourden* Guidoni fratri ſuo largitus eſt, habens in uxorem Philippam filiam comitis de *Lutzemborgh*, de qua genuit Johannem primogenitum, Wilhelmum ſuccedentem Hollandiæ comitem, Johannem *de Beamont* virum fa-

Johannes comes Hannoniæ fit comes Hollandiæ.

mosum, dominum Henricum Cameracen- A sem canonicum, domicellum Walerannum: item, Johannam abbatissam Fontanellæ, Mariam ducissam Borbonii, & Machtildem dominam de *Niele*. Hic Johannes primo dominationis suæ tempore cum magna expeditione remigavit in Zelandriam, ubi contra rebellionem Johannis de Reynissa demum obtinuit cum magna laude victoriam. Igiter Johannes de *Renis* victus transfugit ad Albertum regem Romanorum pro subsidio, asserens quod comitatus Hollandiæ post obitum domicelli Johannis comitis nuper defuncti Romano vacaret imperio. Albertus autem rex gaudenter animadvertens per universam provinciam disseminavit has litteras.

Noverint universi, quod Albertus rex invictus vacantem Hollandiæ principatum Romano potenter incorporabit imperio, quem Carolus Calvus Romanorum imperator & Francorum rex Theodrico primo comiti dedit in feodo. B

Jubilæi indulgentiæ a Bonifacio institutæ.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo trecentesimo BONIFACIUS papa concessit omnibus visitantibus limina beatorum apostolorum Petri & Pauli Romæ, & per quindenam illic remorantibus, plenam omnium suorum peccaminum indulgentiam & remissionem, statuens de cetero de centenario in centenarium hunc ritum debere servari; factusque est Romæ concursus ingens Christi fidelium de universis regnis ac provinciis, de omni ætate, sexu & ordine.

Eodem anno, ex inundatione Mosæ unus arcus lapideus pontis noviter in Hoyo perfecti eversus per trabes ex veteri ponte confractos. Ea tempestate vispiliones Leodienses quosdam asinarios ferentes Hoyensibus annonam pro victu spoliant in monte Erbone, & incisis saccis eorum passim & viliter, quidquid secum ferre non poterant, in terram D effuderunt.

Expugnatio castri Claromontis.

Eodem anno septimo idus Martii Hoyenses expugnantes castrum de Claromonte, dominum ejusdem secum captivum traxerunt, imponentes ei quod vispiliones de Leodio receptasset & hospitasset, quod cum fuisset Leodii nuntiatum, equites laxatis frænis subsequenti peditum frequentia, castrorum Hoyensium extremam partem invaserunt, & multis ex Hoyensibus vulneratis triginta duo trucidantur, præda abducitur, sex E tantum de Leodiensibus ibi perierunt. Quam ob causam tota patria contra Hoyenses & episcopum concitatur: verum clerus Leodiensis, assentiente populo, considerans quod sub suo episcopo & pastore male procedebant negotia, nuntios egregios ad sedem apostolicam destinavit, qui Hugonem epi-

Hugo episc. Leod. transfertur ad sedē Bisuntinam.

scopum de interfectione hominum ecclesiæ apud *Puchey*, de falsa moneta, de spoliatione patriæ accusabant. Quo personaliter ad præsentiam summi pontificis comparente, cum papa vir oculatus & providus esset, videret- que promtum scandalum, hunc ad archiepiscopatum Bisuntinum minoris valoris, sed natali suo solo viciniorem promovit ac transtulit, providens incontinenti de Leodiensi episcopatu domino ADULPHO DE WALDEGE. (Tunc personaliter aderat in curia Romana) viro quidem in corpore despicabili & gibboso, sed zelatori justitiæ permaximo.

Adulphus episc.

Item, Albertus ad subjugandam Hollandiam descendit usque Novimagium, cum tribus archiepiscopis, & pluribus magnatibus Alemanniæ. Econtra Johannes comes Hollandiæ venit in *Bonsvuart*. Cernens igitur rex multitudinem vexillorum, pulchritudinem castrorum, fortitudinemque armigerorum comitis, retrocessit ad castrum dictum *Cronenborch*. Porro archiepiscopus Colonienſis pro regis honore conservando hanc pacis formam tractavit, videlicet quod ipse comes fidelitatis regi homagium præstaret, & ejus fieret vasallus. Quo facto, optimates Alemanniæ cum rege suo reversi sunt ad propria. Johannes autem de Renyssa proscriptus est a patria, & facultates suæ confiscatæ sunt.

Albertus rex Rom. Holl. frustra subjugare tentat.

Discordia inter Bonif. papam & Philipp. regem.

Anno MCCCI. BONIFACIUS papa qui contra Philippum regem Franciæ plura conceperat C provocatus, transmisit bullas eidem regi ad futurorum memoriam, significans eidem, quod cum papa in universo mundo tamquam vicarius Christi dominus esset omnium tam in spiritualibus quam in temporalibus, volebat quod recognosceret regnum Franciæ ab eodem, & sentire, dicere, affirmareque contrarium, hæreticum judicabat: fueruntque hujusmodi papales litteræ in palatio regis coram pluribus concrematæ, & nuntii qui easdem detulerant sine honore & vacui sunt reversi. Cumque rex arctari faceret omnes vias & exitus regni, papa eodem anno excommunicavit eos qui impediebant ad Romanam curiam venientes. Eo tempore prædictus rex Franciæ considerans, quod jacula prævisa minus feriunt ac lædunt, convocavit ad se Parisius omnes prælatos & barones regni personaliter, omnesque communitates per procuratores idoneos, exigens & requirens ab eisdem consilium & auxilium contra omnem hominem, specialiter tamen & præcipue ferebatur ejus intentio contra Bonifacium papam, cui multa sunt objecta crimina; & titulus hæresis, quodque suo prædecessore adhuc vivente, dolose se fecisset intrudi, ejusque ingressus ad papatum foret illegitimus, & consequenter eidem non esse parendum, fitque contra eumdem papam provocatio & appellatio ad concilium generale, fitque rumor maximus in toto regno ac turbatio.

Armanni corpus exhumatum & cōbustum.

Eodem anno, corpus cujusdam Armanni quod XXXI. annis tamquam sanctum in ecclesia Ferrariensi honorifice tumulatum fuerat & veneratum, studio & mandato fratris

Guidonis de ordine Prædicatorum, qui tunc erat hæreticæ pravitatis inquisitor, exhumatum pro tunc extitit atque combustum tamquam cadaver putridum viri hæretici & damnati erroris, ejusque ara satis pretiosa fracta fuit & destructa. Hic dominus Guido propter ejus probitatem postmodum factus est Ferrariensis episcopus.

Eodem tempore post translationem dominì HUGONIS DE CABILONE a Leodiensis ecclesiæ præsulatu ad archiepiscopatum Bisuntinum, dominus ADULPHUS DE WALDEGE successor ejus pridem canonicus Leodiensis veniens Leodium honorifice recipitur ac decenter a clero & populo. Hic inveniens patriam inter se valde discordem, antequam vellet Hoyum accedere, tractavit de pace inter partes reformanda; cumque exigeret ut ambæ partes in eum compromitterent, Leodienses de novi prælati præsentia confidentes, Hoyenses vero acephali facti, defensore suo privati, eum contradicere non auderent, in episcopum ambo compromiserunt sub pœna sex millium librarum Turonensium, promittentes hinc inde firmiter observare quidquid eorum episcopus decrevisset arbitrandum, sicque partibus sub compromisso concordatis, episcopus novos scabinos per Hugonem veteribus suffectos deposuit, primarios vero restituit in gradum & honorem pristinum, hos secum ad Hoyum in jocundo suo adducens adventu, deinde quosdam seditionis incentores ejecit ad tempus ex oppido, ad voluntatem suam postmodum revocandos. Adolphus deinde sub pœna multæ præfixæ pronuntiat, quod Hoyenses tam pro suis excessibus, quam pro ipsius in concordia procuranda sumtibus & laboribus sex millia librarum Turonensium sibi solvere tenerentur, & quoticscumque aliquis partium ejus arbitramentum prævaricaretur, eamdem multam pœnalem incurreret ipso facto. Adjecit insuper quod pro libito suo singulos scabinos posset destituere, & in eorum locum alios subrogare, & insuper quod Hoyenses, vacante sede Leodiensi, ad custodiam castri sui non possent manus apponere. Itemque, quod Hoyenses cum ceteris bannis ad exercitum cum suo episcopo progredi debeant, etiam si aliæ villæ liberæ & oppida suum exercitum non concedant.

Adolphus episc. pacem procurat inter suos.

Wilhelmus de Julemont abbas S. Jacobi.

Eodem anno decessit a sæculo venerabilis, religiosus & generosus vir dominus Wilhelmus *de Julemont* abbas monasterii S. Jacobi in Leodio XXII. qui cooperante Deo & suffragio multorum expertorum & litteratorum, præsertim magistri Godefridi de Fontibus egregii doctoris, religionem in monasterio suo diu desolatam, multis laboribus, renitentibus suis confratribus dissolutioni assuetis, ad statum honestæ conversationis & religiosæ vitæ salubriter revocavit, *& quos enormes doluit quandoque vagari, norma conformes aratro fecit famulari.*

Ea tempestate Adolphus Leodiensis episcopus usurarios odio habens, prohibuit eos infra civitatem fœnerari, qui cum ei obtemperare nollent, sed mediante favore civium & dominorum principalium, quem pecuniis multis acquisierant, illic remanerent; quodam mane episcopus pontificalibus insigniis adornatus, processit e palatio mitram gerens & baculum, & cum suis familiaribus ingressus domos eorumdem violenter, eas effregit, restituens pauperibus vestes & jocalia quæ illic sub fœnore erant reposita, ipsosque civitatem exire compulit indilate, nec fuit qui huic egregio facto auderet obmutire.

Adolphus episc. usurarios urbe ejicit.

Eodem anno WILHELMUS dictus de Machlinia episcopus Ultrajectensis post multos conflictus habitos cum Hollandrinis, tandem in quodam bello animose decertans & sedens in dextrario, transvolans exercitum hostilem, finaliter a prophanis filiis peremtus in campestri planitie, quæ vulgo vocatur *Hogevvort* quarta die mensis Julii rexitque episcopatum dumtaxat annis quinque.

Wilhelmus episc. Ultraject. occisus.

Anno MCCCII. papa BONIFACIUS Romæ celebravit concilium, quod antea per annum & eo amplius convocaverat, omnium prælatorum regni Franciæ omniumque doctorum regnicolarum tam in theologia quam in utroque jure peritorum contrà Philippum Formosum Francorum regem, fulminationibus multarum excommunicationum præviis, e quibus nulla est pluvia subsecuta. Defecerunt que sibi prælati nonnulli magni, quærentes quæ sua sunt, & sibi ipsis ad tempus consulentes. Igitur quoniam rex præfatus non permiserat quempiam de suo regno ad Romanam curiam proficisci, observatis cunctis patriæ finibus, nec sibi pecuniam apportari, papa sibi movit litem, & excommunicavit indirecte, deinde Albertum Rodulphi filium, cujus electionem nuper repulerat, nunc in imperatorem confirmat, subjiciens eidem regnum Francorum sicut & alia mundi regna.

Concilium Romæ adversus regem Franc.

Ea tempestate capto, ut prædictum est, Guidone comite Flandriæ, ac toto comitatu sub jugum Francorum redacto, unicuique oppido singuli præfecti sunt capitanei, qui populum reprimerent, & ab eis tributum exigerent, e quibus Jacobus frater comitis sancti Pauli præfectus Brugensibus, terminos mansuetudinis excedens, tyranni more Brugenses vehementer affligebat. Quamobrem efferati cives, quadam die portis obseratis, & pontibus fractis, seditione commota, multos ex cœtu Francorum generosos viros peremerunt, Jacobo prædicto cum paucis aliis per posticum evadente; unde non immerito offensus rex, congregato exercitu octo millium equitum, comitem Atrebatensem belli ducem constituens, hunc in Flandriam destinavit,

Franci apud Curtracum cæsi.

deſtinavit, reliquias Flamingorum, ut putabatur, conſumturum. Verum cc miſſo prælio apud Cottracum Franci velut lepores aufugientes, ac in foſſatis oppidi fœde ruentes, ab hoſtibus ſunt peremti, inter quos etiam dominus Godefridus frater domini Johannis primi Brabantiæ ducis cum filio ſuo Johanne *Birſon* & aliis innumeris nobilibus extinctus eſt undecima die Julii. Deinde Flamingi quemdam de civibus ſuis textorem pannorum, animoſum nimis ac induſtrium virum, qui Petrus Rex vocabatur, ſuum demagogum ac capitaneum promoverunt, eumque militarem ordinem fecerunt aſſumere, partem quamdam de redditibus ad comitem ſpectantibus eidem pro ſuis ſtipendiariis conferentes, in confuſionem & ignominiam perpetuam tam regis quam regni. Inſuper eodem tempore fere per Europam univerſam populares contra inſignes quaſi generaliter cœperunt inſurgere: verum cum in Francia confeſtim ſint ſupplantati, in Flandria tamen & Leodio diutiſſime reſtiterunt.

Leodii commotio plebis in nobiles.

Apud Leodium appropinquante termino octodecim annorum quo debebat aſſiſia cereviſiæ terminari, ut antea narratum eſt, ſcabini conſiderantes viam per quam expenſas quas de mandato populi fecerant recuperare valerent, ne hi qui prudentes videbantur in æſtimatione hominum pœnas excommunicationis & perjurii viderentur incurrere, adoleſcentes potentiorum civitatis filios inſtigant & inſtruunt, ut illi in ſignum uniformitatis caputia unius coloris deferentes, ſuper omnia venalia exigant gabellam vel maletotam. Hi ſe nominari filios Francos vel de Francia faciebant; quæ cum omnia ferrent moleſte, decanus & capitulum majoris eccleſiæ principaliores ad capitulum advocantes, monent eos a præſumtis deſiſtere, quia clerus hæc diu non poſſet conniventi oculo diſſimulare: quibus tamen non deſiſtentibus, excommunicantur & ſupponitur civitas interdicto. Decanus vero Johannes de Cambis quamvis de nobilibus eſſet natalibus ortus, non tamen nobilibus clero injuriam inferentibus aſſenſum dedit; ſed convocatis gubernatoribus miniſterialium & artificum mechanicorum, inter clerum & populum fœdus facit, ſpondentes alterutrum in neceſſitatibus ſubvenire: quam ob cauſam conſternati magnates, capitulo promittunt a cœptis deſiſtere, & ut organa & cantus reſumantur, poſtulant generoſe: & dum ablatorum reſtitutio repeteretur, unus pro omnibus oblato caputio repromiſit ſatisfactionem pro omnibus velle facere condignam: quod cum non ſuffi eret popularibus, confeſtim de redditibus civitatis per magnates levatis tempore tranſacto exigunt computationem, quibus apud eccleſiam ſancti Bartholomæi congregatis, populares quatuor puncta ſibi requirunt a ſcabinis ſigillari: primo quod de cetero collectam ac aſſiſiam nullam exigerent ac requirerent firmitatem; ſecundo quod penſionem numquam venderent ſine populi conſenſu; tertio, quod nec concedent exercitum; quarto, quod principibus numquam dona largientur. Itaque ſcabinis ſic in arcto poſitis, paulatim & occulte recedentibus, populares properant ad diſtrictum ſive tribunal judiciale, ubi captis ſcabinis illic repertis, reliquos effractis eorum oſtiis pariter abduxerunt, & quod petierant, ſigillare compulerunt.

Foſſenſes in epiſc. rebelles.

Eſt præterea in Leodienſi territorio oppidum parvulum, olim fundus hæreditarius beatæ Gertrudis virginis, Foſſæ nomine, ubi quondam ſanctus Foillanus Chriſti martyr manſionis ſuæ ſedem elegit de Hibernia profectus. Hujus oppidi incolæ dum ptidem inter eos & canonicos loci quædam fuiſſet exorta ſimultas, poſticum per quem canonici ad villam deſcendere ſolebant, lapidibus obturabant, unde non abs re offenſi canonici locum deſerentes ad alias migravere ſedes: quare permotus epiſcopus Leodienſis cauſa ſeditionis ſedandæ, Foſſis properat; cumque clare perpenderet injuriam canonicis illatam, viam poſtici lapidibus obſtruſam ligonibus præcepit aperiri, & lapides per ſuos clientes avelli. Hinc Foſſenſes contra epiſcopum permoti, & impetum in ſuum dominum facientes, ad domum ſuæ manſionis eum fugere compulerunt; ſubſecuti vero Foſſenſes inſultum faciunt ad oſtium epiſcopi, molientes illud etfringere, per familiares epiſcopi abigebantur; deinde quidam de foris arcum tendens ſagittam veſtibus abſque ulteriori læſione præſulis infixit: quod videns epiſcopus cum ira gravi juravit, quod ſagittam illam numquam extraheret, donec tam præſumtam arrogantiam Foſſenſium vindicaret, & confeſtim ad Hoyum deſtinavit nuntium, armatos ſibi poſtulans aliquantos tranſmitti. Hoc attento, cives omnibus relictis, per abdita nemorum aufugerunt; deinde Hoyenſes oppidum ingreſſi, & aliquanto tempore illic victualia conſumentes, tandem reliquias deprædantes redierunt. Foſſenſes vero profugi tandem defalcatis eorum privilegiis, & ejuſdem uſu nemoris privati, ad gratiam epiſcopi per interventum amicorum ſunt reverſi.

Item Tudinenſes.

Apud Tudinum oppidum in confinibus Hannoniæ ſitum dum cuſtodes illic olim tempore Johannis de Flandria per patrem ejuſdem pro tunc mamburnum Leodienſis patriæ deputati caſtrum illius oppidi Adulpho noſtro reddere nollent, ſæpius ſuper hoc requiſiti, epiſcopus illic accelerat, ſed nihil profuit, oppidanis per caſtrenſes nimis ſub jugo poſitis. Tunc epiſcopo recedente, cum pulſaretur campana banni tamquam contra adverſarium, indignatus epiſcopus revertitur, & villæ ſuburbia concre-

mavit, nihilominus de poſt caſtrum cum oppido per comitem Hannoniæ noſtris libere reſignatur.

Adulphi epiſcopi obitus.

Ea tempeſtate cuſtodes caſtri de *Mireſvvaux* pro tunc ſpectantis ad comitem Hannoniæ ſpoliabant terras eccleſiæ de Rivonia & de *Noiſoir* : quam ob cauſam ADULPHUS caſtrum ſubvertit, & terram caſtri ſuo dominio ſubjugavit. Eodem anno idibus Decembris prædictus Adolphus de *Waldege* in lecto ægritudinis decumbens poſtulavit & impetravit, ut oſſa domini Johannis de Angia, quæ, ut præfertur, certas ob cauſas ſepulta erant in eccleſia beatæ Mariæ ad fontes, transferrentur, & una ſecum ante majus altare ſancti Lamberti ſepelirentur, & poſt paululum in Domino requievit. Poſt cujus tanſitum cum duo de præſulatu con-

Electio epiſc. ſucceſſoris.

tenderent, videlicet fratres *de Horne* & præpoſitus Leodienſis, finaliter electus eſt magiſter WILHELMUS DE ATREBATO vir probus & litteratus, ſed de humili ſtirpe progenitus, qui ſe ſentiens tanto imparem oneri, noluit electioni conſentire. Tandem Theobaldus filius comitis de Barro in curia Romana pro tunc exiſtens, communi omnium voto eligitur, & a papa Bonifacio ejuſdem electio confirmatur, quadrageſimus ſextus a beato Lamberto epiſcopus conſecratur.

Boniſacius papa cum dedecore capitur.

Anno MCCCIII. in profeſto nativitatis beatæ MARIÆ Virginis, dum BONIFACIUS papa Anagniæ in ſolio paterno ac civitate propriæ originis cum ſua curia reſideret, æſtimans illuc ſecurius quieſcere inter gentem & cognationem ſuam, conſciis aliquantis domeſticis ſuis, ibi proditus fuit & captus atque detentus per Columnenſes, quorum caſtra paulo prius fecerat deſtrui; ſed & theſaurus ſuus, eo vidente, ſublatus eſt & aſportatus non ſine ignominia & eccleſiæ & dedecore grandi. Cardinales vero fugientes, & ſibi timentes, duobus tantum demtis, videlicet domino Petro Hiſpano & Nicolao Oſtienſi epiſcopis. Hujus captionis & ſceleris vexillifer fuit dominus Wilhelmus de Nongareto miles & legum profeſſor, regis Francorum conſiliarius ſummus, cum multis armigeris de regno Franciæ ſecum adductis, aſſiſtentibus ſibi individue & cooperantibus, ut præfertur, Columnenſibus, quorum duos, ſcilicet Jacobum & Petrum cardinalatu papa pridem privaverat. Itaque, ut quidam dicunt, papa fremitum ſuper ſe irruentium armatorum audiens, timore permotus mox ornamentis papalibus inſulatur. Ad quem dictus Wilhelmus accedens, jubet ut cedat papatui, alioquin mortem minatur ſibi imminere. At papa conſtanter maledixit eidem. Interim populus deceptum ſe pœnitens, clamare cœpit licet tarde. Vivat papa, moriantur Francigenæ & Columnienſes, ſicque confeſtim armati fugerunt. Itaque ſuper Boniſacium, qui reges ac pontifices, monachos & abbates, inſignes & vulgares tremere fecit pluries, ſeptima die timor & tremor irruerunt, aurumque ſitiens aurum perdidit & theſaurum, ut ejus exemplo diſcant prælati non ſuperbe dominari in clero, ſed forma facti gregis ex animo curam gerere ſubditorum, pluſque amari appetant quam timeri. de Anagnia vero Romam perductus, trigeſima quinta die a captione ſua in lecto doloris repoſitus, inter anguſtias ſpiritus cum eſſet magnanimus, obiit quinto idus Octo-

Romæ moritur.

bris. ſequenti die in ſarcophago quod ſibi vivens fecerat excidi, in eccleſia ſancti Petri reclinatus eſt. Succeſſit Boniſacio BENEDICTUS undecimus, natione Lombardus, de ci-

Benedictus XI.

vitate Terviſina, electus Romæ XI. calendas Novembris, qui poſt dictus eſt Nicolaus, ab anno ætatis ſuæ 14° religioſe converſatus in ordine Prædicatorum, & prius in eodem ordine provincialis effectus & poſt cardinalis & epiſcopus Oſtienſis. THEOBALDUS Leodienſis epiſcopus magnis in Romana curia debitis obligatus recedere non poterat, niſi ſe prius a creditoribus exemiſſet: quam ob rem ſtrenuum militem dominum Johannem de Barro & fratres ſuos præmiſit Leodium, ubi tunc idem Johannes præficitur loco fratris *in mamburnum* patriæ ac defenſorem. Rebus itaque ſic ſe habentibus, Trajectum oppidum factione ducis Brabantiæ a juriſdi-

Bellum cum Brabantinis.

ctione Leodienſi ſe voluit prorſus abdicare, quod tamen ad utriuſque ſpectare dominium debet ex conſuetudine præſcripta. Unde non immerito commotus mareſcalcus ſupradictus, cœpit obſidere partem illam Trajecti, quæ Moſa influente ſequeſtrata eſt, vocabulo *Wyck*, & reſpicit terram Falcomontis, ubi incaute progrediens in inſultu murorum, qui ab illa parte firmiſſimi ſunt & foſſata profunda, pluribus de ſuis commilitonibus ſauciatis & nonnullis trucidatis, rediit inglorius. Ex parte ducis Wilhelmus primogenitus D. de *Kuic* ſagitta percuſſus interit. Eadem die cum Petrus de Barro alter frater epiſcopi Leodienſis verſus Trajectum tenderet, ab adverſariis interceptus, ſociis aufugientibus, abducitur captivus, deinde acies quædam militaris de Brabantia directa, verſus Haſbaniam direxit greſſus ſuos, cui duo milites germani fratres, Johannes & Arnoldus *de Harduemont* viriliter occurrentes apud *Latinne*, cæſis & vulneratis Brabantinis, glorioſe ex illis triumpharunt. Itaque cum exercitus manburni nil proficeret circa Trajectum, verſus Hannutum ſe regyrans, ipſum cum adjacentibus villagiis penitus conflagravit. tunc dux, exercitu congregato, inter Holoniam vilaniam & viam regiam caſtrametatus eſt, villaſque vicinas devaſtans incendio, nihil aliud memoria dignum perpetrans lora retraxit.

Eodem anno THEOBALDUS epiſcopus a curia Romana reverſus intravit Leodium circa

Theobaldus epiſc. Leod.

ſolemnitatem Omnium-ſanctorum, magna ſtipatus procerum comitiva. Hic non multo poſt ab Hoyenſibus ſummam ſex millium librarum exegit, in quibus prædeceſſor ſuus Adolphus eoſdem condemnaverat per ſententiam arbitralem, & quoniam eam ſolvere differebant, itinera præcludi fecit omnia, ne ad Hoyenſes victualia deferrentur, & in arcto poſiti collectam facientes epiſcopo debitam ſummam perſolverunt.

Benedictus XI. excommunicat eos qui Bonifacium captivum fecerant.

Anno MCCCIV. BENEDICTUS undecimus publice & in ſcriptis denuntiavit excommunicatos nominatim & expreſſe cunctos prædeceſſoris Bonifacii captivatores, & omnes complices eorum, videlicet Guilhermum de Nongareto Tholoſanum, Fiacrum de Columna, ſiquidem cum iſta fierent, hic Benedictus aderat, ut prædictum eſt, & oculis ſuis proſpexit injurias quæ ſuo prædeceſſori ab illis inferebantur, ſicque ad probationem vel accuſationem ampliori non egebat teſtimonio. Hic etiam reconciliavit eccleſiæ & ad eccleſiaſticam dignitatem Jacobum & Petrum de Columna per prædeceſſorem ſuum depileatos, ſed ad cardinalatum non reſtituit eoſdem, ſed bona ipſis ſublata & per eccleſiam confiſcata liberaliter eis reddi mandavit.

Abſolvit Jacobum & Petrum de Columna.

Regi ſua privilegia reddit.

Eo tempore BENEDICTUS papa recedens a Roma cum tota ſua curia venit Peruſium, ſed & diffidium dudum inter Bonifacium papam & Philippum regem Francorum exortum ſedavit, & privilegia ac libertates quibus regem privaverat Bonifacius, iſte reſtituit regi in hebomada Pentecoſtes, præſentibus Peruſii nuntiis regis ſupradicti. Non multo poſt Benedictus papa in Peruſio moritur nonis Julii, pontificatus ſui anno primo, & ſepultus eſt illic in eccleſia fratrum Prædicatorum, ubi virtus divina per eum facit miracula, præſertim in expellendis dæmoniis ab energumenis, & diverſis morbis ac languoribus curandis, & vacavit ſedes apoſtolica fere per annum integrum, videlicet uſque ad quintam diem menſis Junii, cardinalibus in eorum conclavi incluſis & non valentibus inter ſe concordare, quamvis à Peruſiis multotiens fuerint arctati & reſtricti.

Obit.

Franciſcus Petrarcha.

Eodem anno natus eſt egregius & excellentiſſimus vir Franciſcus Petrarcha civis Florentinus, maximus ſui temporis hiſtoricus & poëta, qui ſicut patebit in conſequentibus, ob ſcientiarum ſuarum prærogativam in urbe Romana laureari meruit & coronâ poëtica honorifice inſigniri, quod ante annos plus mille nulli umquam prædeceſſorum ſuorum fuit conceſſum. Hic, inquam, in quadam epiſtola ad Johannem Bocatium directa ſic ſcribit de ſeipſo: *Milleſimo trigeſimo quarto die Lunæ vigeſima die Julii in urbe Aretina ad auroram, in vico qui vocatur... ortus in lucem prodii, qua dies, inquam, apud noſtros inſignis & nota; ea ſcilicet qua exules Florentini qui ſe ad Aretium Bononiamque contulerant, hinc illinc que contractis in unum exercitibus armati, die prima & ipſa ferme qua naſcebar hora, antequam ſol e jugo montium erumperet ad portas Florentiæ venerunt; & ſi quæ fortuna faviſſet, gladiis exilium ſuum ulturi. Ille tamen adventus licet inefficax fuerit, quia tamen magnis motibus & ingentibus omnia magno terrore concuſſerat, neſcio an adhuc e memoria hoſtium elapſus ſit, ſed uſque ad hos proximos annos vulgi ore percelebris fuit.*

Anno MCCCV. menſis Junii die quinta, videlicet ipſo die Pentecoſtes in civitate Peruſii electus eſt in ſummum pontificem CLEMENS quintus, natione Guaſco, de diœceſi Burdegalenſi, qui poſt hoc in Lugduno apud ſanctum Juſtum decima tertia die Novembris papale ſuſcepit diadema, præſente Philippo Francorum rege cum maxima nobilium comitiva. Hic ante papatum dictus eſt Bertrandus, filius Bernardi comitis *de Goth*, & per Bonifacium octavum factus eſt epiſcopus Convenarum, * etiam ſubſequenter factus eſt archiepiſcopus Burdegalenſis, & tunc temporis apud Pictaviam ſuam provinciam viſitabat; cumque cardinales apud Peruſium reſidentes per menſes undecim in electione concordes eſſe non poſſent, ſed in æquales eſſent partes diviſi, in hunc Burdegalenſem archiepiſcopum ſua vota tranſtulerunt, non ſine cooperatione Spiritus-ſancti, cujus ſolemnitas tunc agebatur. Igitur cum de loco ſuæ coronationis, ut pontifex infulatus procederet cum comitiva papali pariter & regali, concurrentibus & comprimentibus ſe turbis, maceria cujuſdam muri qui declivi montis terram defluam ſuſtentabat, inopinate corruit prope papam, & cecidit corona de capite ejus, in quo caſu avulſus eſt carbunculus cujus pretium æſtimabatur ad ſex millia florenorum; ſed & ipſe papa de equo elapſus eſt, ſed minime læſus: nonnulli tamen proceres illic colliſi ſunt, præſertim dux Britanniæ cum aliis duodecim, ſed & Carolus frater regis obtuſus lapidibus cum multis aliis vix evaſit diſcrimen, unde nonnulli conjecturabant hoc fore præſagium futuri mali. Hic etiam papa in Lugduno decem novos creavit cardinales, ſed & illos duos veteres Jacobum & Petrum de Columna quos Bonifacius depileaverat & Benedictus undecimus ad eccleſiaſticam dignitatem reconciliaverat, iſte repoſuit ad cardinalatum. Hic inſuper erat totus infamatus & infectus de ſimonia, vendens per præſentantes beneficia & eccleſiaſticas dignitates, aſſerens hoc ſibi de jure licere. Coram eo quoque magiſter Wilhelmus de Nongareto, qui dudum papam Bonifacium captivaverat, etiam dictum Bonifacium de hæreſi accuſat, petens ejus memoriam perpetuo condemnari, ſed contradicentibus cardinalibus, ejus petitio turpiter eſt repulſa.

Clemens V. Papa.

* Cominges.

Bellum cum Flandris.

Eo tempore rex Franciæ immenſo exercitu conglobato, apud Vitracum figi fecit tentoria, facta proviſione maxima victualium, ſed fama volante quod ſe rex perditum ſuſpicabatur, omnes aufugiunt, hoſtibus ſua relinquentes. Tunc Flamingis rapta diſpartientibus inter ſe, papiliones regis pervenerunt ad manus comitis de Marka, qui pro tunc partem Flandrenſium adjuvabat. Poſt hæc rex recollectis viribus apud Montes in Pabula, contra Flamingos alterum dirigit exercitum, quibus hinc fortiter dimicantibus, Wilhelmus de Juliaco archidiaconus Leodienſis, electus pro tunc in archiepiſcopum Colonienſem, regem perſonaliter armata manu congrediens, a ſatellitibus regis interceptus, cum aliis pleriſque proceribus trucidatur, rege vero in campis permanente, Flamingi fugientes ſua tentoria perdiderunt; qui tamen reſarcitis vel reparatis novis tentoriis de ſcarleto, poſt decimam tertiam diem ad eumdem locum unde pridem aufugerant, promto animo redierunt, ſed finaliter partes jam fatigatæ per arbitrorum medium paciſcuntur & concordantur, Flamingis tandem regi tributariis pro tunc effectis, & parte Flandriæ quæ ultra fluvium dictum Lis ſita eſt, ad uſum regis addicta.

Flandri ab Hollandis deleti.

Eo tempore Guido Flandriæ comes cum ſuis Flamingis & quodam ſtrenuiſſimo milite Joanne *de Reniſſe* & aliis plurimis Zelandrinis, qui dominum ſuum Florentium comitem Hollandiæ interfecerant, adverſus comitem Hannoniæ nuper etiam aſſumtum in comitem Hollandiæ profectus eſt, & habito inter utramque partem conflictu ſatis acerbo juxta oppidum de *Zurixee*, Flamingi finaliter ſuccubuerunt, maculam qua ante aliquantulum temporis circa eadem loca victi fuerunt ſuperaddentes gloriæ ſuæ.

Michaël abbas S. Jacobi reſignat.

Eodem anno Michaël abbas monaſterii ſancti Jacobi in Leodio pridem ſubrogatus de Gemblaco ſponte & libere in feſto Michaëlis reſignavit, & ceſſit omni juri quod ſibi in prælatura eadem competere poterat, & ad locum ſuæ profeſſionis rediit: cui ſucceſſit dominus Wilhelmus *de Beur* ſupprior ejuſdem loci, totus pius, jocundus & manſuetus, ac zelator religionis, qui dormitorium ejuſdem monaſterii magnis & gravibus expenſis inchoavit, & cooperante Domino eleganter conſummavit. Item, Johannes comes Hannoniæ & Hollandiæ gaviſus de ſua triumphali victoria, pridie idus Septembris quievit in Domino, ſepultuſque eſt in oppido Valencenis honore congruo, cui ſucceſſit Wilhelmus filius ejus decimus octavus comes Hollandiæ; hic duxit in uxorem Johannam de Valeſio ſororem regis Franciæ de qua multas genuit proles magnificas.

Seditio Pariſiis.

Anno MCCCVI. circa epiphaniam Domini ſeditio gravis exorta eſt in civitate Pariſienſi, dum cives cenſum ſortem ſolvere nollent officialibus regis pro domibus ſuis, ſed dumtaxat cenſum communem; & concurrentes ad arma totum pondus belli verſum eſt in quemdam locupletem virum Stephanum *Barbit*, quem auctorem & incentorem hujus facti affirmabant, in quem irruentes, confeſtim occiderunt, domos & poſſeſſiones ejus invaſerunt, effregerunt & combuſſerunt, rapientes & ſpoliantes quæcumque in illis poterant reperiri; nec his contenti fores regalis palatii cœperunt invadere, contumelias & injurias regi & principibus inferendo. Rex autem cedens ad tempus furori populi, per feneſtram dulcibus eos ſermonibus emollit, & ad ſua habitacula ſuadet redire. In craſtinum de popularibus potentiores & principaliores ſeditionis auctores fecit apprehendi, e quibus viginti octo juſſit ad exitum quatuor portarum in patibulis ſuſpendi, & ſic ceſſavit quaſſatio, prout dicitur in Eccleſiaſte, *Peſtilente flagellato, ſtultus ſapientior erit.* Cum autem fieret dicti Stephani bonorum direptio, inter cetera ſpolia reperta eſt in domo ejus quædam capſa, cui incluſa erat una bulla continens privilegia conceſſa domui Bonorum puerorum in Leodio quondam per dominum ALEXANDRUM papam quartum, cujus tenor erat: ALEXANDER *epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis priori eccleſiæ ſanctæ Elizabeth Bonorum puerorum Leodienſium, ejus quoque fratribus tam præſentibus quam futuris regularem vitam inibi profeſſis. Religioſam vitam eligentibus convenit apoſtolicum adeſſe præſidium, &c. Datum Anagniæ anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo pontificatus noſtri anno ſexto.* Qua quidem conſpecta & perlecta, putantes in hoc Leodienſibus complacere, mox eam ad ſuam eccleſiam tranſmiſerunt, quæ ſuſcepta eſt cum jocunditate maxima omnibus ignorantibus quomodo bulla prædicta ad manus Stephani pervenisſet.

Judæi e Gallia expulſi.

Eodem anno in feſto beatæ Mariæ Magdalenæ de mandato regis, omnes per Franciam Judæi capti fuerunt, & bona eorum confiſcata, ſicque eis exactionatis expulſi ſunt a regno numquam illic reverſuri, ſed an ob Judæorum malitiam, an regis avaritiam, hoc factum ſit, non plene conſtat. Utraque enim cauſa concurrere poterat in eodem negotio. Nam rex per guerras contra Flamingos ſuum conſumſerat theſaurum, quem per adverſarios Chriſti recuperare proponebat, ſalva conſcientia & ſana. Item nolebat in ſuo regno chriſtianiſſimo nomen Dei blaſphemari, de quo perſæpe magni exercitus contra Turcos & Saracenos fuerant olim tranſmiſſi.

Eodem tempore Hoſpitalarii cum exercitu Chriſtianorum oppugnare cœperunt inſulam Rhodi cum adjacentibus inſulis quinque, quæ dudum Cicladeſ vocabantur, quas Turci inhabitabant ſub dominio imperatoris

Conſtantinopolitani, & in initio aliquas ceperunt & expugnaverunt obſidentes & obſeſſi, quatuor annis fideliter contra Turcos pugnaverunt, & victoria potiti ſunt.

De Templariis. Anno Domini MCCCVII. tertio idus Octobris poſt captionem Judæorum, fuerunt ſimili modo una die & hora capti per totum regnum Francorum Templarii inordinate, unde quidam excidium templi nimia pinguedine . . . . . ad lilium duo e conſociando doce, dè quibus ſequentia prænotanda ſunt. aiunt veteres poſtquam ſubactum est a Godefrido clariſſimo Lotharingiæ duce regnum Jeruſalem, quoſdam pios homines, & militari diſciplina conſpicuos, eo quod peregrinos ſacra loca cauſa devotionis viſitantes paganorum incurſionibus cernerent infeſtari, Deo ſuam militiam devoviſſe, & apud Jeroſolymam commorantes, peregrinantibus ultro ſua ſubſidja impendebant, his porro . . . . . parvus, & voluntaria paupertas, & magiſter unus, & habitatio in porticibus templi fuit, ex quo etiam ſortiti ſunt cognomen ſucceſſu temporis. cum plurimi pio operi inhærerent ab Honorio ſummo pontifice pallium album pro habitu & vitæ regula conceſſa eſt cum pallio, poſtea ab Eugenio ſucceſſore rubra crux ſuperaddita cum militari clamyde præbita, ſane dum penes eos paupertas noverca libidinum viguit, militiæ votum & vivendi exhibita norma optime obſervata, illos fecere ſanctitate florentes; at dum pio operi undique Chriſtianorum opes affluerent, opem auferunt, ſenſim ſubintrare cœperunt delitiæ atque libidines, & ſicut a principio relictis perituris divitiis, humeros ſacro oneri ſubmittebant; ſic in proceſſu quaſi ad paratos theſauros, cœperunt impatientes inopiæ evolare in caſtris, urbibus & populis, imperare ſibi quietem, ſervis bella committere, magiſtratum oneris vel officium in honorem potiſſimum ſublimare; nec dubium quantum augebatur potentia, tantum minuebatur & ſanctitas, quibus ſic in declivium ac parvitatem labentibus, Jacobus magiſter ordinis, de quo ſermo futurus eſt, Burgundus origine, & ex nobili proſapia genitus, ingentis animi juvenis, cum ex lege Gallicana filio primogenito ceſſerit omnes paternas feodales dignitates, pauper effectus, ut jugum de fratris dominio poſſet excutere, & tandem extolli ad majora, ad præparatum refugium, ſcilicet ad Templariorum contuſit ſe militiam, in qua præfectus prioratu ditiſſimo perſeverans, moriente magiſtro, interventu principum ab his quorum juris erat in magiſterium ſublimatus, emicuit, quod non parvum erat humani ſplendoris inſigne. Tam fulgido igitur in faſtigio junxit ſe fortuna in plurium ruinam; hujus ſaturare livores, actumque eſt ut Philippi regis Francorum, cujus filium ex ſacro fonte ſuſceperat, indignationem incurreret, & arbitratum eſt ob avaritiam eumdem regem non ſolum in Jacobum, verum etiam in omnem militarem ordinem conſpiraſſe, qua ad id ventum eſt, ut permittente Clemente V. ſummo pontifice, Templariorum primates omnes una & eadem die, juſſu Philippi, per omne ejus regnum capti detinerentur, una cum Jacobo ordinis tam ingentis magiſtro, & deinde præſidiis regis occupata oppida, theſauri omnes, ornatus cum omni ſupellectili, in regiam poteſtatem redacti, captivique demum deducti Pariſius, cetera patebunt inferius. His peractis rex requiſivit a papa ordinem totum deſtrui Templariorum, imponens eis facinora graviſſima; videlicet quod poſt aſſumtam profeſſionem confeſtim diabolo ſacrificabant, quod vitio ſodomitico irretiti hoc alterutrum ex profeſſione non audebant denegare. tandem in conſiſtorio quæſtione diutius venti ata, an propter vitia perſonarum poſſet unus ordo approbatus deſtrui, cum petitio regis non procederet, papa cupidus auri propoſuit alteram, videlicet an propter regis potentiam, cujus ſchiſma timendum dicebat veriſimiliter, niſi petitioni ejus conſentiretur, hoc expediret eccleſiæ ad evitandum ſcandalum. Finaliter pro rege concluſum eſt, ut ordo per ſententiam aboleretur in concilio * Lugdunenſi.

* immo Viennenſi.

Clemens V. tractat de pace inter Fran. & Angl.

Eodem anno Clemens papa cum tota curia de Burdegala venit Pictaviam ad tractandum de concordia inter regem Francorum & Anglorum, in qua quidem urbe per annum & amplius commoratus eſt. Quo negotio ſalubriter completo, rex Anglorum Eduardus eodem anno in menſe Julio viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, vir in omni probitate famoſus, cui ſucceſſor factus eſt filius in nomine primi æquivocus, non in probitate & virtute, ſed in rebus bellicis ignavus totus. Hujus uxor erat ſoror Francorum regis, ut præfertur, Iſabella nomine, formoſa admodum & circumſpecta. Hic etiam Eduardus duas habebat ſorores, quarum una copulata eſt duci Brabantiæ Johanni hujus nominis ſecundo, altera comiti Barenſi. In palatio hujus regis ſummus erat architriclinus & diſpenſator Hugo nomine, quem rex eo quod collactaneus ejus fuerat, cunctis baronibus & ducibus regni præfecit in totius regni exterminium & ſuam finalem ignominiam, prout docebitur in ſucceſſu ſcribendi.

Leodii contentio inter populares & ſcabinos.

Apud Leodium dum populares more ſolito ab inſignibus & præcipue ſcabinis diſſiderent, præſertim quoniam, vacante ſede per mortem Adulphi de Waldege, canonici majoris eccleſiæ confœderati, popularibus dederant poteſtatem & auctoritatem faciendi & portandi, dum opportunum videretur, propria vexilla, & creandi unum de burgi-

magiſtris de popularibus, quod antea fuerat invisum. his offensi scabini novum episcopum in suam opinionem reflectunt, asserentes præmissa cedere in præjudicio jurisdictionis & dominii episcopalis, & in initium vel indicium futuræ rebellionis: quamobrem episcopus sede translata ac curia apud Trajectum, & colligens magnam armaturam versus *Vothem* properabat, volens illic per sententias scabinorum principales de populo proscribere, bannire & adjudicare: verum populares oculati locum prædictum sua virtute præoccupantes, episcopo illic attingendi libertatem ademerunt: episcopus vero attendens non esse tutum cum tanto populo conflictum inire, intervenientibus quibusdam sub spe pecuniæ obtinendæ, pace inter partes tractata, recessit, & populo noviter concessa confirmavit.

Machliniēses Leod episc. dominationē optant.

Eodem tempore Machilinienses conquerentes se vehementer opprimi ab exactionibus ducis, mandant episcopo Leodiensi, ut illuc veniat ut dominium oppidi ultro recipiat, quod ab antiquo de jure sibi competere debebat: qui missis illic duobus canonicis, possessionem primariam & omnimodam verbalem recepit per eosdem. Ea tempestate cum dux Lotharingiæ idemque dominus terræ Florinensis castrum *de Monvivoil* in præjudicium patriæ Leodiensis instauraret, ad querimoniam domini *de Hebes*, episcopus castrum prædictum obsedit, & post paululum funditus evertit.

Eodem anno in ipsa sacra die resurrectionis Domini, hora processionis, ante introïtum missæ, congregatis in majori ecclesia Leodii omnibus ecclesiasticis secundariis, astante magna frequentia populi, ingens pecia testitudinis ejusdem ecclesiæ corruit juxta coronam miræ pulchritudinis in navi ecclesiæ dependentem, quæ pavimentum egregio marmore cum interincturis rubeis albis & viridibus eleganti ope elaboratum ipso casu dissipavit, sub quo quatuor Leodiensium episcopi tumulati fuerant, Franco, Henricus, Obertus, Albero, & Alexander, prout scriptura lapidi Indico insculpta protestabatur, cumque innumeræ illic adessent personæ præsertim scholares juvenes circumcirca sedentes, providentia divina quæ neminem vult perire cunctos servavit illæsos sua ineffabili & inscrutabili virtute.

Wilhelmus Hannoniæ comes a Frisonibus susc. pitur.

Ea tempestate cum Frisones paulopost dominum suum Florentium comitem occidissent, & præterea Wilhelmum regem Romanorum fratrem ejus prædictum facinus volentem corrigere similiter occidissent, ac longo tempore omne jugum dominii a se abjecissent, & pro suo voto cuncta tractarent patriæ negotia, ecce disponente Deo inter nobiles eorum grandis est exorta dissensio, ac mutuis se mucronibus jugulabant, spoliabant substantiam, proscribebant, intendebant, & hujusmodi multa contra Deum & legem committebant. Quamobrem populares, sociatis sibi nonnullis ex magnatibus, mandaverunt Wilhelmo comiti Hannoniæ, ut mox in Frisiam veniret, & terram avorum suorum susciperet, quia libenter ei obtemperarent omnes. Quo audito, comes collecto immenso exercitu peditum & equitum ex Hannonia, Hollandia & Zelandia, navim ascendit, & juxta condictum cunctam terram, villas & castra sibi usurpavit, & subsequenter eos qui nolebant eum pridem regnare super se, partim vi, partim precibus & donis inflexit, pacifice deinceps possidens Frisiam totam. Post hoc idem Wilhelmus contra Flamingos, qui Hollandiam & Zelandiam sibi subripere tentabant, expeditionem navalem fecit, & de eis glorioſe pluries triumphavit. Nam pro tunc Flamingi gravioribus bellis contra Francos erant intenti, nec ab omnibus adversariis suis se poterant defensare. Hic fuit comes decimus nonus.

Dulcinus hæreticus.

Anno MCCCVIII. inquisitores hæreticæ pravitatis Lombardiæ superioris de ordine fratrum Prædicatorum cum episcopo Vercellensi cruce cum plena indulgentia peccaminum prædicata, congregaverunt exercitum copiosum contra Dulcinum hæresiarcham, tam veterum quam novorum errorum adinventorem, ac pravorum dogmatum assertorem, qui multos jam suis infecerat erroribus, ac dolose adunarat. Morabatur siquidem cum suis sequacibus in montibus Navarrensibus: ubi propter frigora intensa fame & frigore in suis sectis perierant: contra quos multi Christi fideles conglobati prædictum Dulcinum cum suis complicibus centum quinquaginta captivum abduxerunt; mortui vero præ fame & frigore cum ceteris interfectis gladio reperti sunt circiter quadringenti, hæc captio facta est in hebdomada sancta ipso die cœnæ Dominicæ. Capta est etiam cum Dulcino conjux ejus nomine Margareta malefica & hæretica, consors sceleris & erroris: unde transactis festis paschalibus, facta debita executione justitiæ per curiam secularem, dicta mulier in præsentia mariti sui membratim est incisa, consequenter & idem passus est Dulcinus & amborum ossa pariter & omnia membra igne combusta, cum plurimis eorum complicibus. Nondum tamen, ut audivi, perversum Dulcini dogma penitus extinctum est auctore consumto, sed adhuc in quorumdam mentibus coalescit.

Alberti imperatoris cædes, Henricus comes eligitur imp.

Eodem anno Albertus rex Alemanniæ a quodam nepote suo, cujus invaserat patrimonium, trucidatur, & vacavit imperium mensibus septem. Tandem electores imperii convenientes in Francfordia, communi assensu elegerunt in regem Romanorum Henricum comitem Lucemborgensem, virum in

armis ſtrenuum, juſtum ac religioſum, & ſummum eccleſiæ amatorem & protectorem, qui nuper a Clemente papa pro fratre ſuo Balduino impetraverat archiepiſcopatum Trevirenſem.

Theobaldus epiſc. expugnat caſtrum de Agimont.

Ea tempeſtate THEOBALDUS Leodienſis epiſcopus obſedit caſtrum de *Agimont*, cujus dominus contra patriam rebellabat, confiſus de firmitate loci; cujus oppidum adjacens & ad dominium caſtri ſpectans nomine *Giveez* epiſcopus igne conflagravit. caſtrum tandem, majori turri combuſta, in manus epiſcopi traditur.

Eccleſia Lateran. conflagrat.

Hoc anno in urbe Roma combuſta eſt eccleſia S. Johannis de Laterano, unde in Urbe magna fuit lamentatio, cum omnes timerent judicium Dei ſuper ſe venturum. Quapropter clerus & populus proceſſiones cum litaniis celebravit, pax inter diſcordes ordinatur, virique & mulieres plurimæ lamenta ſumunt, cunctique ad reparationem eccleſiæ dant operam. Clemens papa condolens eccleſiæ, manum ei porrigit adjutricem. Idem papa regi Ruſſiæ miſit fratres de ordine Prædicatorum & Minorum, ut eum in fide catholica inſtruerent, prout ipſe per ſuos ſolemnes poſtulaverat oratores, a quo cum condigno honore recepti ſunt, ſed ſuus intentus non eſt ſubſecutus, quia rex metu matris & fratris nihil audebat attentare circa fidem Chriſtianam ſuſcipiendam.

Miſſi in Ruſſiam Prædicatores.

Caroli II. regis Siciliæ obitus.

Anno MCCCIX. obiit Carolus Claudus rex Siciliæ & Jeruſalem, filius alterius Caroli hujus nominis primi, fratris ſancti Ludovici regis, qui Manfredum vita & regno privavit. Succedit Robertus filius ejus pro eo in regno Apuliæ, Siciliæ, Calabriæ, & comitatu Provinciæ, qui per Clementem papam quintum in Avinione inunctus eſt prima Dominica Auguſti.

Henricus rex Romam. a papa confirmatus.

Eodem anno Henricus Lucemborgenſis in regem Romanorum coronatus eſt Aquiſgrani in epiphania Domini. Quo facto, idem rex miſit ſolemnes ambaſſiatores, videlicet comites tres & epiſcopos duos ad Clementem papam in Avinione tunc reſidentem, petens electionem ſuam confirmari, & coronationem imperii Romæ ſibi dari, qui electionem admiſit & confirmavit, coronationem autem promiſit eidem facere poſt duos annos ad tardius, quia infra terminum præfixum ſperabat ſe illic perſonaliter acceſſurum.

Eodem tempore per totum tempus vernale & æſtivale tanta cecidit pluvia & aquarum inundatio in partibus Tholoſanis & Carcaſſonæ, qualis a memoria hominum numquam viſa fuit, tantaque peſtilentia ſubſecuta eſt, ac cariſtia bladorum & vini, ut nec panis in foro venalis inveniretur, & pauperes ſicut beſtiæ comederent herbas præ fame.

Eodem anno comes Hannoniæ caſtrum & oppidum Tudini valida cinxit obſidione, eo quod Leodienſis epiſcopus caſtrum ejuſdem de *Mirrevvaux* pridem ſubvertiſſet, terramque ejuſdem ſub dominio ſuo ſubjugaſſet. Ex adverſo THEOBALDUS epiſcopus, exercitu conglobato, comitem proponebat invadere, figens ſuos papiliones apud *Perires*. Verum procurantibus amicis ambæ partes in arbitros compromittunt, deinde apud Nivellam oppidum Brabantiæ hæc arbitralis inter eos lata eſt ſententia, quod terra de *Mirrevvaux*, pro qua diſcordia fuerat, comiti adjudicatur, ſed ab epiſcopo in feodum relevatur.

Diſcordia inter comitem Hannoniæ & epiſc. Leod. ſopitur.

Eodem anno quidam gyrovagi ſeu turlupini per Hannoniam & Brabantiam fingentes ſe eſſe nobiles, quoſdam qui apud Cortracum periculum belli evaſerant, & ſeptennalem pœnitentiam facere decreviſſent, quaſdam nobiles matronas quorum mariti putabantur graviter deceperunt, unus præſertim nomine Jacobus *Ghiſtel* mentiebatur ſe fore dominum Johannem *Virſon* filium Godefridi de Brabantia, & ſub tali nomine dominam *de Mortaigne* tali fraude pellexerat, ut eidem mariti nomine aliquamdiu cohabitaret. Hic tandem, fraude detecta, fugatus eſt, & ad Franciam propulſus, ubi terram de *Mortaigne* regi pro pretio vendidit, & ab eodem militarem ordinem & habitum ſuſcepit. Ea quoque tempeſtate quidam ex laſcivia vel fatuitate cruce ſignati de diverſis mundi partibus confluentes, Judæos hinc inde tamquam blaſphemos & æmulos nominis Chriſtiani paſſim trucidabant, quorum magna pars propter eorum inſolentiam apud Genapiam caſtrum Brabantiæ judicialiter ſunt occiſi: ceteri numero fere triginta millium Avinionem pervenerunt, & cum transfretare tentaſſent, diſperſi ſunt, & in magna egeſtate ad propria ſunt reverſi. Anno quo ſupra CLEMENS apud Avinionem excommunicavit Venetos & privavit commercio aliarum civitatum, ac expoſuit perſonas & res eorum valentibus occupare, eo quod civitatem Ferrariam contra eccleſiam occupaverant. Mittitur in aliam cardinalis de Pelangnia, & facta eſt hinc inde magna ſtrages hominum; ſequenti Auguſto legatus recuperat Ferrariam, fuſo multo ſanguine Venetorum in prælio juxta Padum, expulſis Venetis de caſtro Theobaldi juncto civitati, de quo illam graviter impugnabant. Feruntur una die corruiſſe de Venetis amplius quam quinque millia, præter eos qui antea & poſtea perierunt variis eventibus.

Turlupini.

Veneti excommunicati ob occupatam Ferrariam.

Anno MCCCX. cum Templarii jam per triennium in vinculis ſervati fuiſſent, variaque crimina & obſcœna fuiſſent eis objecta, fruſtra cuncta negantibus, pro ſalute ſua ſuaſiones appoſitæ, aſſerentibus quod ſi judicis copia daretur, ſe contrarium probaturos, rex irritatus exarſit, juſſitque, ut quod blan-

Templarii damnati.

ditiis extorqueri non poterat, exigeretur tormentis: quibus in caſſum ingeſtis, magiſtro cum tribus ſociis reſervato, ceteri dum in propoſito perſeverant, damnati incendio addicti ſunt. Erat omnibus ſicut ſanguinis claritas ſic & ætas florida, & robur animi inconcuſſum: verum cum ſinguli eſſent ſingulis palis alligati, & circumcirca lignorum ſtrues appoſita, & ante oculos ſtaret ignis, & carnifex, ac voce præconia confitenti promiſſa ſalus atque libertas, nemini ex omnibus ab amicis ac familiaribus flentibus & exorantibus ſuaderi potuit, ut regi cederet & ſua confeſſione propriæ parceret vitæ potius, quam tam obſtinate in ſuam iret pernitiem: verum cum unanimes ſibi objecta negarent, cœpere tortores uni & ſubſequenter reliquis ungulis prædictum ignem admovere, & inde paulatim aſcendendo per omne corpus deducere, quod quanto cruciatu miſeri voces immo mugitus in cœlum oſtendebant aſtantibus, in quibus ſe veros Chriſtianos aiebant & ſanctiſſimam eorum eſſe ac fuiſſe religionem, etiam omne corpus exuri atque conſumi uſque ad exhalationem ſpiritus permiſerunt, nec unus a tam conſtanti propoſito potuit revocari. Diceres eos tam perverſa animi fortitudine regis avari viciſſe perfidiam, niſi moriendo illic terendiſſent, quo ejus appetitus inexplebilis cupiebat: quamquam non minor idcirco gloria fuerit, ſi recto præligentes judicio, inter tormenta potius maluerunt deficere, quam adverſus veritatem dixiſſe, aut famam juſte quæſitam turpiſſimi ſceleris confeſſione maculaſſe. Hic, inquam, Jacobus cum tædio diuturni carceris eſſet attritus, Lugdunum deductus, exhortationibus variis ſuaſus, aliquid ex impoſitis Clementi papæ confeſſus eſt: quamobrem retractus Pariſius dum coram duobus legatis a latere & rege ſententia legeretur, per quam & ſua liberatio & ordinis ſui damnatio apparebat, ipſe cum uno ex ſociis qui ſibi ſupererat, petiit alta voce ſilentium, quo conceſſo, ſe dignum mori proteſtatus eſt, non quod umquam quæ legebantur perpetraſſet, verum quia regis & ſummi pontificis ſuaſionibus ſe ſeduci permiſiſſet, ut ea in ſui ordinis perditionem confiteretur. Hinc acris in delectionem Templariorum ſubſecuta eſt ſententia, & Jacobus cum fratre Delphino reliquiſque duobus ob deteſtabilem vitam ad ſupplicium illatum ceteris deductus eſt; quod ambo, rege ſpectante, intrepide & conſtanter ſubierunt, nil aliud quouſque eſſet in illis ſpiritus, conteſtantes, quam quod diu illud meruiſſent, &c. qui pridie ſuo fulgore tam maximi regis potuit invidiam irritare, fortunæ atrociſſimæ civis effectus, in ſui compaſſionem miſeros ſæculi provocavit. Qui hæc vidit, ſcriptori teſtimonium perhibuit; ſed quid de his omnibus dicam, cum antiquitas mire commendat Theodorum philoſophum eo quod conſtanti pectore Jheronis Siciliæ regis tyranni candentes laminas extinxerit humore corporeo. Miratur Græcia Anaxarcum qui Metreontis Cypri fatigatus tortoribus, lingua dentibus amputata, ora fœdaverit. Laudat Roma Mutium Scevolam, qui quoniam in occidendo Porſennam regem Etruſcorum erraverat, manum ſuam flammis tradidit exurendam: grandia quippe & admiratione digna ſunt, & diſcolis vix etiam credibilia. Sed in comparatione Templariorum ſtupor eorum ridiculus erit, illi ſiquidem, quos prædixi, nec ſub uno judice nec eodem tempore, ſed diſtanti inter ſe terrarum tractu ex laribus pluribus, laboribus indurati ad ſupplicia venerunt tracti ac coacti, Templarii autem aliter. Nam iſtis dies unus & tortor idem, & ex quadam, ut ita dicam, deliciarum officina tormenta & carceres ſubierunt, & inde defatigati aculeis & carnificibus gregatim pauſantibus incendium ignis pertulerunt. Illi inter hoſtes adverſum eos propter tyrannorum favorem graviter clamitantes, iſti inter amicos & conſanguineos, audientes præcones ſalutem confitentibus promittentes, & deinde lacrymis ac precibus rogati, ne in ſuam ſponte tranſirent perniciem & mortem ultro appeterent, tandem membratim concremati, quod nullis antea ſæculis auditum eſt. poteſt certe unus in ſuo propoſito invictus obſtinate perſiſtere, ſed profecto homines numero quinquaginta ſex, non ſub eodem cœlo genitos, non eiſdem moribus educatos, non eiſdem doctrinis eruditos, non perviſos & ex compoſito deſcriptos, non in uno recluſos carcere, nec in aliquo nec in una opinione conformes, taliter in conſtantia mortis perſtitiſſe, hoc omnem excedit ſtuporem & admirationem. Ite igitur mortales cuncti, diſcite exemplo Templariorum virile robur aſſumere, & levitatem femineam aſpernari, ut ſi ſe caſus offerat, ab iſtorum fortiſſimo agmine veſtrarum mentium gravitas non recedat. His ita peractis, confeſtim *ſummus pontifex* bona Templi vendidit fratribus hoſpitalis de Rhodo, recepto infinito ab eiſdem theſauro, & ſuſpenſis eorum privilegiis, nova recepta pecunia, privilegia renovavit.

Eodem anno rex Bohemiæ viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, relicta unica filia hærede regni, quam Henricus rex Johanni filio ſuo matrimonio copulavit, & uſque ad hanc diem regnum Bohemiæ & ducatus Lucemborgenſis ad invicem inſeparabiliter ſunt connexi. Poſt autumnali tempore prædictus Henricus regnum Alemanniæ Balduino fratri ſuo archiepiſcopo Trevirenſi commendans, cum principibus multis, videlicet Theobaldo Leodienſi epiſcopo, Lupoldo Auſtriæ, Ludovico Bavariæ ducibus, Walerano fratre, Guidone & Henrico comitibus Namurcenſibus, Johanne domino *de Agimont*, & aliis plurimis,

Henricus rex Romam tendit imperii coronam accepturus.

rimis, cum uxore ſua regina tranſalpinat, ut tandem in urbe Roma imperiali diademate coronaretur, & imperii jura ſuſcipiat, & primo quidem veniens Taurinum, deinde in civitatem Aſtenſem, ac Vercellis, conſequenter venit Mediolanum, ubi in epiphania Domini ab archiepiſcopo ejuſdem ſuſcepit argenteam * coronam, qua die de diverſis provinciis multos milites fecit, & exinde progrediens, reliquas Lombardiæ civitates requirit de homagio faciendo. Cremonenſes & Laudenſes paululum reſtiterunt, ſed tandem reniti non valentes conſenſerunt coacti; abinde tendens Brixiam regina conthoralis & dominus Johannes *de Agimont* de medio ſunt ſublati. Progrediens ulterius Brixiam rebellem obſidione cinxit valida, erat vicina civitati rupes altiſſima, ubi civium theſaurus ferebatur eſſe reconditus. Illic exercitus inſultum faciens, fugientibus cuſtodibus, munitio capitur, ac theſaurus aſportatur. Deinde cum diu in vacuum laboraſſent, & Waleranus frater regis prædictam rupem ſpectandi gratia pulchritudinem Brixiæ conſcendiſſet, per baliſtam ſagitta percuſſus in facie, ac telum extrahens cum vulnus perimpenderet, & demum ex ſolis ardore ſanguis ebulliret, lecto decumbens diem clauſit extremum. Tunc commoti obſidentes cum inſultu violento civitatem capiunt, in quo Guido Namurcenſis ubi ſecuri portas invaſerat, lapidibus conquaſſatur, ſepultuſque eſt apud Ticinum quæ nunc Papia vocatur: exinde rex ſe tranſtulit ad Januenſes, a quibus honorifice ſuſceptus, illic uſque ad quadrageſimam moram traxit, inde ad civitatem Piſanam profectus ſimili honore a civibus receptus eſt, nemine ſibi contradicente.

* L. ferream.

Brixiam rebellem obſidet.

Robertus rex Siciliæ ejus inaugurationem impedire curat.

Anno MCCCXI. Henricus rex Romanorum muros Brixiæ diruit, auctores rebellionis faciens decollari. Itaque Robertus rex Siciliæ æmulus Theutonicorum ex Normannorum & Francorum ſanguine procreatus, cum ſentiret adventum Romanorum regis, præmiſit dominum Johannem fratrem ſuum ut coronationem ejus impediret: qui Johannes favens parti Urſinorum, majorem partem Romanæ urbis occupat, Columnenſes autem faventes imperio ſolum pontem Milvium armatorum caſtris vallatum ad regis tranſitum obſervabant. Igitur adveniente rege Urſinorum exercitus diſparuit, & rex pontem præfatum ſine contradictione tranſivit, tunc Johannes frater Roberti regis territus in caſtro Angeli ſe recepit pro tutela trans Tyberim ſituato, majori parte exercitus relicta cis Tyberim, omneſque pontes deſtruxit præter pontem ſancti Petri, ne ad illam eccleſiam, ubi Cæſares ſolent coronari ſitam trans Tyberim rex perveniret: ſiquidem pons ſancti Petri munitus procelſis turribus tranſitum denegabat: Urſini vero vicos ſuos barris ferreis & liciis munierant, ubi Cæſarei milites multis diebus multos fecerunt inſultus. denique cum quadam die ruptis liciis Theobaldus Leodienſis epiſcopus cum Theutonicis adverſus Urſinos fortiſſime dimicaret, proſtratis undique inimicis, cum jam Theutonici de victoria ſecuros ſe putarent, abſque militari diſciplina diſperſi ad ſpolia cæſorum detrahenda concurrerent. More ſolito dominus Bartholomæus de Capua cujuſdam cohortis capitaneus, reſpiciens hos ſic diviſos, dato ſigno ſuis qui ad turres domorum confugerant, omnes pariter deſcenderunt. Videns autem Theobaldum cum paucis adhuc omnes obvios obtruncantem, illum undique circumvallans cum magna cæde ſuorum, tandem epiſcopus multis confoſſus vulneribus reddidit ſe captivum, diſperſi vero Theutones hoſtibus obvii trucidantur. His auditis, Henricus rex ira commotus, ſuos recollegit, & deſtructis hoſtium domibus, & peremtis inhabitatoribus, capto quodam comite conquievit. Epiſcopus autem captivus poſt triduum defunctus eſt, & ſepultus in porticu eccleſiæ ſancti Petri.

Theobaldus epiſc. Leod. captus obit.

Rex perpendens quod regalia inſignia obtinere non poſſet apud ſanctum Petrum propter hoſtilem potentiam, apud eccleſiam S. Petri ad Vincula in regione Columnenſium per cardinales legatos papæ, quos ob id ſecum adduxerat, in imperatorem ſolemniter coronatur. Peractis autem coronationis hujus ſolemniis, cum propter æris intemperiem illic ulterius remanere non auderet, urbem Romanam reliquit, verſus Florentiam iter ſuum dirigens.

Henricus coronatur imp.

Eo tempore CLEMENS papa Philippum Formoſum regem Franciæ in conſiſtorio publico Avinionis excuſat, dicens quod ea quæ contra Bonifacium papam fecerat, animo bono & zelo juſto feciſſet, & recepit papa ſuper ſe totum proceſſum ab utraque parte, ſcilicet accuſantem & defendentem examinandum & per viam pacis terminandum. Item, ibidem abſolvit Guilermum de Nongareto petentem abſolvi a ſententia, quia Bonifacium papam captivaverat, & in ſignum pœnitentiæ injunxit ſibi peregrinationes tranſmarinas, & præcipue quod in primo paſſagio generali mare tranſeat, ibidem uſque ad finem vitæ moraturus, niſi ſecum benigne foret poſtea diſpenſatum.

Philippus rex purgatur.

Nongaretus abſolvitur.

Celebratum eſt hoc anno generale concilium apud Viennam Galliæ, ubi inſtinctu Francorum regis, cui negotium erat cordi, contra deſtructionem ordinis Templariorum multa ſunt propoſita & diffinita. Inter multas quoque conſtitutiones edita fuit declaratoria & interpretantia regulæ fratrum Minorum, videlicet *exivi de paradiſo*. Super qua regula & ejus obſervatione pars fratrum Minorum, qui ſpirituales dicebantur, contra alteram tumultuans, privatim & publice contende-

Concilium Viennenſe.

bat, & judicium ſedis apoſtolicæ poſtulavit. Eodem tempore durante concilio Viennenſi, Philippus rex dans archiepiſcopo Lugdunenſi pro jure quod eccleſia ſibi vendicabat redditus magnos, civitatem integraliter ſub ſuo dominio recepit, ſupra quo Clemens papa requiſitus per archiepiſcopum, nec aſſenſit nec diſſenſit, ſed reliquit in diſpoſitione ſacri concilii, ac deinceps Lugdunum ſubjacuit integraliter juriſdictioni regum Franciæ. Celebrato concilio dominus papa revertitur ad Avinionem.

Lugdunum regi ſubjicitur.

Anno Domini MCCCXII. Henricus Romanorum imperator poſt mortem Theobaldi de Barro, ut præfertur, in conflictu Romæ peremti, obſedit civitatem Florentiam rebellem ſæpe imperio, quam cum quinque menſibus incaſſum obſediſſet, elongatus ab ea per quatuor milliaria, tentoria ſua illic figi juſſit, ubi cum ſacram communionem ſuſcipere devote voluiſſet, primo cuidam fratri ordinis Prædicatorum, qui ſecundum quoſdam dictus eſt frater Bernardus de Valencenis, peccata ſua confeſſus eſt, & audita miſſa, ſacram Euchariſtiam de manu recepit ejuſdem. at vir *Belial*, qui ſub veſte religioſa mentem geſtabat diabolicam, miſcens in calice venenum vino, mitiſſimum virum nefandiſſimo commercio toxicavit, corruptus pecunia, ut famabatur, Engeranni *de Marigny* theſaurarii regis Franciæ. Imperator vero diſſolutis membris in lectum decidit, & intoxicatorem ſuum clam juſſit abire illæſum, ſicque ſexto idus Junii diem clauſit extremum. De cujus morte dictati ſunt verſus ſequentes:

Henricus imp. Florentiam obſidet.

Intoxicatus obit.

Anno milleno centum ter ſimul & duodeno,
Regi Romano fuit in potu male ſano,
Henrico vita privata viro Jacobita,
Mortem per ſidus ſexto Junii ſubit idus.

Cujus corpus aromatibus involutum Papienſes aquilæ æneæ deſuper inauratæ incluſum in medio eccleſiæ dicuntur honorifice ſuſpendiſſe.

Interim eccleſiæ Leodienſis ſede vacante per mortem Theobaldi de Barro, per totam æſtatem continuo ſubſequentem plurima provenerunt incommoda. Nam cognita morte ſui epiſcopi, confeſtim decanus & capitulum ad eligendum mamburnum, id eſt in temporalibus prælidentem, diem brevem præfixerunt: ſed inſignes civitatis Leodienſis infeſti capitulo, eo quod præterito tempore magiſter Johannes de Cambiis decanus cum capitulo populares erexerat contra ipſos, adjunctis ſibi militaribus patriæ electioni faciendæ per ſolum capitulum ſe opponunt, aſſerentes quod ex quo patriæ eis incumberet defenſio, ad minus electioni domini & ductoris eorum intervenire deberent: in contrarium allegante capitulo, quod ſi ad eos ſolos abſque laicorum conſenſu pertineret electio præſulis; a fortiori per ipſos ſolos & in ſolidum mamburnus patriæ defenſor abſque nobilium aſſenſu deberet ſubrogari. quid moror? dominus Arnoldus *de Blankenhem* præpoſitus Leodienſis vir nobilis per capitulum præficitur in mamburnum: nobiles vero moleſte ferentes quod mamburnus populariibus faveret, nec ſuper eos velut olim conſueverant poſſent dominari, facta confœderatione cum Arnoldo comite Loſſenſi ac militibus patriæ & majoribus de oppido Hoyenſi, tandem quarta die Auguſti majoribus in foro congregatis, domunculas in quibus carnes vendebant mangones incendebant. hoc percepto, populares ad arma concurrerunt, quibus contra nobiles tepide confligentibus, præpoſitus cum ſuis fautoribus, abbate Prumenſi fratre ſuo, & quibuſdam canonicis ac ſervitoribus ſuis in eccleſia ſancti Lamberti convenit, & apertis valvis omnes in auxilium populi ad forum concurrerunt, commiſſa pugna, & extinctis cereis ad primum congreſſum dominus Walterus *de Brunshorne* canonicus Leodienſis vir nobilis occiſus eſt, paulatimque populus diſperſus adunatur, inſignes autem timentes multitudinem, quæ ſemper creſcebat, appropinquante die verſus eccleſiam ſancti Martini in Monte-publico aciem direxerunt, ut illuc velut in munitiori loco tuerentur. præpoſitus ſupradictus illos inſequens juxta eccleſiam ſancti Huberti proſtratus eſt, & gravis hinc inde factus eſt conflictus, quouſque multi hullarii & de Votemia venientes in occurſum popularium per viculum ſitum inter portam ſanctæ Margaretæ & eccleſiam ſancti Martini properarent. Unde non immerito inſignes cum multitudini diutius reſiſtere non valerent, ad turrim eccleſiæ ſupradictæ confugerunt, porta vicina firmiter obſerata. Populus autem furore commotus, ſtraminibus in ea congeſtis, ipſam cum omnibus nobilibus concremavit, unde quidam:

Seditio Leodii ob mamburni electionem.

Anno milleno trecenteno duodeno,
Legia turbatur, quare tunc a plebe crematur
Templum Martini, &c.

Eodem tempore, patria defenſore carente, & occiſo, ut præfertur, præpoſito Leodienſi mamburno patriæ, inter progenioſos epiſcopatus capitalibus odiis ſe invicem perſequentes plurimi hinc inde ſunt trucidati. Nam circa initium Septembris caſtellanus Waremiæ, dictus Wilhelmus *de Geneffe*, occaſione cujuſdam inimici ſui, quem dominus Henricus *de Hermal* ſecum duxerat in oppido S. Trudonis, coram dicto caſtellano poſt verba contumelioſa, cum dictus miles extra oppidum abiret, ipſum inſequitur, & proſtratum ſolo multiſque affectum vulneribus, putans eum jam mortuum abſceſſit. hac occaſione progenies de Warfeſeis amica pridem ſtirpi *de Avvans* adverſæ parti *de Waroux* ſe deinceps ſociavit. Poſt pauca di-

ctus Henricus recepta valetudine, quamdam turrim cujusdam consanguinei prædicti castellani, cui nomen erat *Malvoisin*, inferius securi vel serra diruit, & solotenus evertit, duobus in eadem subversione suffocatis. Quamobrem idem castellanus anno sequenti apud *Berlo* octo de suis adversariis interfecit, uno de suis similiter trucidato. Deinde quinta feria post Pentecosten idem Henricus suos coadunans amicos, invadere tentabat castrum adversarii sui de Waremia, plerisque potentibus ac robustis viris præmunitum, quos dictus Wilhelmus de Brabantia, Hasbania, de *Likerke* & *Weesmale* ad sui tuitionem convocaverat: qui audientes dominum *de Hermal* cum suis & fere tota communitate Hoyensis oppidi propius adventantes, relicta munitione processerunt obviam hostibus suis in campis, sed cernentes hostium multitudinem copiosam, trepidantes ad castrum regredi tentabant, & aliquantulum circa licias pugnatum est viriliter, sed ab hostibus per hortos & sepes aggressi a tergo circumsepti sunt, ubi prostrato Henrico bastardo *de Wesmael* armigero strenuo, ac Johanne *Loboscb* cum aliis plerisque, ceteri terga vertentes in castro sunt salvati.

Adolphus de Marka fit episc. Leod.

Igitur vacante sede Leodiensi ADOLPHUS filius comitis de Marka tunc præpositus Wormaciensis studens Aurelianis, residens tamen in civitate Nivernensi, ubi propter injurias clero per cives Aurelianenses illatas studium translatum fuerat, aptum tempus suæ promotioni considerans, subornat amicos, & procuratis per illos Philippi Formosi regis Francorum litteris; papam Clementem quintum ejus visitando curiam salutavit, ac donum episcopatus Leodiensis obtinuit ab eodem, licet tunc quidam Wilhelmus *de Julemont* canonicus Leodiensis, vir valentissimus pro illo spe maxima laborasset. Illic itaque omnes sacros ordines consequenter suscipiens, per BERENGARIUM Tusculanum episcopum cardinalem Dominica Trinitatis in episcopum quadragesimus septimus a beato Lamberto consecratur. Mox oppidum Machiliniense erga comitem Hannoniæ pro quindecim millibus florenorum obligavit de consensu papæ sub conditione tali, quod infra quinquennium illud redimeret. præmissis autem nuntiis ad fabricandas machinas & instrumenta bellica pro excessibus corrigendis, anno sequenti MCCCXII. ante festum Omnium Sanctorum versus Leodium dirigit iter suum.

Clementis V. obitus.

Anno MCCCXII. mensis Martii die vigesima prima in castro de Mondiliis, ubi pro tunc papalis curia residebat, CLEMENS quintus in suo consistorio publicari fecit constitutiones decretales quas in unum volumen compilatas voluit Sextum decretalium appellari, cœpitque ægrotare acriter & obiit post modicum, videlicet XII. calendas Maii, & sic liber ille tunc non erat ad generalia studia missus, nec vulgariter, ut moris est, ad legendum expositus; sed per quadrennium remansit in obscuro, donec per Johannem papam successorem ejus fuerunt publicatæ, & sub bulla ad generalia studia destinatæ.

Adolphus accedit ad suam eccleſiam.

ADOLPHUS DE MARKA Leodiensis episcopus ipsa sacra solemnitate natalis Domini, cum magna comitiva nobilium veniens ad civitatem suam, dum ad gradus ecclesiæ super forum more solito descendere niteretur, equo cui insederat se supra posteriores tibias erigente, ab alto sellam exiliens, erectum terra pedibus absque alterius ammiculo se recepit, multis hoc pro omine reputantibus infausto. Ascendens itaque gradus ecclesiæ, missam ipsa die super altare Sanctorum Cosmæ & Damiani solemniter celebravit & in palatio suo universis adventantibus convivio liberalissimo exhibito, in continenti ad disponendum negotia patriæ se convertit. perpendens vero quod multa restabant necessario corrigenda, quodque propter multitudinem delinquentium circa concremationem ecclesiæ sancti Martini absque gravi periculo non poterat justitiæ severitas exhiberi, remittit populo offensam, injuncta eidem præfatæ ecclesiæ restauratione, sperabat nempe populi suffragio particularia crimina se posse facilius vindicare.

Namurcenſes ſuum comitē obſident.

Eodem tempore oppidani Namurcenses per comitem suum exactione gravati, in castro Namurcensi comitissam cum filiis obsederunt, sed paulo post arctati per comitem, datis octo librarum millibus eidem confœderantur. Verum nobiles de Warfeseis, *de Hermale*, *de Waroux* sentientes se multa corrigenda perpetrasse, suspicantes verisimiliter machinas episcopi in sui perniciem fabricatas, in sui favorem allexerunt comitem Lossensem & Hoyenses, ut conatus episcopi hoc fœdere frustrarent; sed considerantes quod episcopus comitem Hannoniæ virum bellicosum & dominum de Falcomonte, ac alios quamplures attente rogasset, ut in executione justitiæ sibi vellent assistere, quodque dominus de Falcomonte feodum quod tenebat a comite Lossensi ad Johannis filii sui in manibus comitis reportaverat, ut eo tenore liberius episcopo suffragari posset, interveniente comite Hannoniæ, cum magna difficultate treugas usque ad festum purificationis finaliter impetraverunt. Transacto die treugarum, episcopus exercitum congregat, ut propositum exequatur. sentiens attamen comitem Lossensem cum mille sexcentis equitibus paratum ei resistere, tractantibus nonnullis canonicis Leodiensibus, compromittunt partes in quatuor arbitros, qui juraverunt oppidum S. Trudonis se non exituros, donec discordiam terminassent: qui cum diu stetissent & concordare non possent, tandem unus ex eis casu stans juxta

portam oppidi, cum illum tempus urinandi A urgeret, reſpiciens extra portam locum congruentem, exivit pauliſper: cujus occaſione ſodales ipſum perjurium incurriſſe, ſicque cum eis arbitrari non debere aſſerebant; ſed tres qui remanſerant, quorum duo fuerant de favore epiſcopi, negotium concluderent, parte adverſa contrarium affirmante, ſuper quo diu fuit diſceptatum, nihilominus arbitri ſupradicti formam arbitralem pronuntiantes, pacem firmam inter epiſcopum & progenioſos *de Waroux* tractaverunt, Hoyenſibus ab illa forma pacis ſecluſis. quamobrem Hoyenſes ſentientes ſe eſſe deluſos, fortalitium de *Viſeez* cum eccleſia villæ deſtruxerunt in deſpectum ſui præſulis, & per epiſcopum multa ſunt ipſis damna reciprocata.

Adolphus epiſc. accingit ſe adverſus Hoyēſes.

Anno Domini MCCCXIV. circa feſtum beati Johannis-Baptiſtæ dominus Adolphus epiſcopus Leodienſis magnum conglobavit exercitum, cui in ſuccurſum venerant multi militares viri ex partialitate ſtirpis *de Avvans*, præſertim dominus Wilhelmus *de Geneffe* caſtelianus Waremiæ, & Euſtachius dictus *Franshons*. audiens attamen epiſcopus dominum de Balliolo in adjutorium Hoyenſium adventaſſe, terram prædicti domini igne ferroque cœpit devaſtare, quod ægre ferentes Hoyenſes, ſociatis ſibi oppidanis Dyonanti, apud villam *de Hanſivelle* diſtantem per dimidium ab oppido Florienſi, cum ſex millibus peditum, equos garcionibus cuſtodiendos tradentes, conglobantur. Illuc adventans Leodienſis antiſtes cum quingentis electis equitibus, illos circumvolat, & in æſtivo caumate, fame & ſiti afflictos per multas horas non audentes progredi, ſic ſtare coëgit, ſuis auxiliariis in dextrariis fortibus nequaquam aut ſatis parum laſſatis, tandem interventu abbatum Lobienſis & Alneñſis monaſteriorum, quibuſdam intervenientibus pactis, dimiſit eos, in quo tractatu deinceps Dyonantenſes ab Hoyenſibus & ſuorum complicum fœdere ſe ſequeſtrarunt.

Philippus rex a ſuis exigit quin. um denarium.

Eodem anno Philippus Formoſus Francorum rex cum in guerris Flandriæ exhauſto ærario, inſtinctu procuratoris ſui Engerranni *de Marengny* quintum denarium annuorum reddituum a ſuis militaribus exigeret, & a civibus quintam partem omnium facultatum ſuarum pro neceſſitatibus regni poſtularet, cœperunt nobiles terræ ſupra his graviter murmurare, & confœderatione multorum principum contra regem inita, facere poſtulata recuſarunt, in qua confœderatione fuit Ludovicus *Huſtin* primogenitus regis, & Carolus regis frater, necnon & Robertus de Arteſio, ſupra hac re confectis litteris ſigillatis ſeptuaginta ſigillis procerum maximorum regni. Tum rex conſternatus mente, & metuens, a cœpto reſilivit, unde non multo poſt melancoliam cordis ſui per interpoſitionem recreationis abigere ſtudens, cum ad venandum pergeret, inter opaca nemorum ab apro ſilveſtri dejectus interiit morte lamentabili & miſeranda.

Principum uxores adulteræ puniuntur.

Hujus Philippi regis tres filii, Ludovicus cognomento *Huſtin* rex Navarræ, Philippus comes Pictaviæ, & Carolus comes Marchiæ tres habebant uxores juvenes & formoſas. prima erat filia ducis Burgundiæ, aliæ duæ ſimiliter comitis Burgundiæ ſuperioris, & omnes de adulterio fuerant accuſatæ. uxor Ludovici & altera uxor Caroli junioris filii dicebantur commiſceri duobus egregiis militibus & fratribus ducis *de Larnay*. quæ duæ confeſtim B crimen confeſſæ carceri ſunt mancipatæ. Rivales eorumdem apud *Pontoys* excoriati, & deinde ſuſpenſi: & quoniam Ludovicus patri in regno Francorum ſucceſſerat, ne ſine prole decederet, uxor ejus adultera in carcere ſuffocatur, & poſt hæc Clementiam filiam regis Hungarorum traduxit uxorem: & quoniam uxor Philippi ſecundi fratris ſcelus nolebat confiteri, maritus eam multum diligens, habuit excuſatam. verum Carolus junior fratrum uxoris ſuæ pulcherrimæ zelo nimis accenſus, mortem aut noC luit aut non potuit procurare, ſed ſub cuſtodia firma ſervabatur: deinde allegans inter ipſum & uxorem ſuam impedimentum compaternitatis, petiit a papa Clemente divortium celebrari; ſed mortuis rege Ludovico & Philippo fratribus ſucceſſive, procurante ſocru ſua Machtilde comitiſſa *d Artoys* Caroli petitio non eſt ſortita proceſſum: quamobrem cum indignatione graviſſima receſſit a papa, attento quod idem papa cum quodam ditiſſimo regis theſaurario, ut commatrem ſuam in uxorem accipere poſſet, jam pridem diſpenſaſſet. quapropter multi D Pariſiis facta papalia non immerito deriſerunt. hinc confœderatio principum & magnatum regi Francorum renovatur contra regem. nam cum ob zelum uxoris ſuæ matrem ejus comitiſſam Machtildem permitteret habere gubernationem regni, & feciſſet quod proceribus diſpliceret, una die conföederati mille octingenti milites conveniunt domino Roberto de Arteſio capitaneo exiſtente, quare ſcilicet rex comitatum *d Artoys* vaſtavit, vivaria quoque ſilveſtrium tam animalium quam piſcium, caſtra pulcherrima domoſque deſtruxit, ſed non poſt multa E concordia intervenit & pax firma.

Diſcordia in imperio.

Ea tempeſtate electores imperii convenientes in Francfordia, non valentes inter ſe concordare, elegerunt duos reges Alemanniæ ad Romani regni gubernacula deſtruenda potius quam reſtauranda, videlicet Ludovicum ducem Bavariæ, & Fredericum ducem Auſtriæ, filium regis Alberti, de quo ſupra, ea ſcilicet pactione mediante, ut die præfixa ambo electi ad coronam Alemanniæ ſuſcipiendam Aquiſgrani properarent, & qui ſodalem devinceret, potius jus regni poſſi-

deret. Igitur Ludovicus Bavarus cum rege Bohemiæ & aliis principibus multis, videlicet Gelrenſi, Juliacenſi & Loſſenſi comitibus comitatus, urbem Aquenſem violenter intravit, adverſarii vires præſtolans. At dux Auſtriæ pariformiter in ſuo comitatu multorum habens procerum catervam, uſque Bonnam oppidum Colonienſe pervenit, ubi ab archiepiſcopo Colonienſi regni diadema ſuſcepit, non audens ulterius progredi propter Ludovici potentiam, quamvis Adulphus Leodienſis epiſcopus, ad quem jus ſpirituale urbis Aquenſis ſpectare dinoſcitur, ſibi mente & corpore ſemper & tunc fideliter faveret. Porro Ludovicus Bavarus ab archiepiſcopo Trevirenſi in urbe Aquenſi cuncta quæ ad Alemanniæ regnum ſuſcipiendum ſpectabant, nullo contradicente, pro tunc ſuſcepit, ſicque reſpublica ſub duobus capitibus pro tunc gravem patiebatur eclypſim, dum nec Chriſticolis nec religioſis locis in tali procella quomodolibet per imperii fines parceretur, ſed incendiis, rapinis & contumeliis cuncta ſubjacerent. Verum ADULPHUS Leodienſis electus cum adverſario Ludovici Bavari pro tunc prævalentis ſe confœderaſſet, nec ſua regalia fuiſſet adhuc conſecutus, & ſpe conſequendi pro maxima parte fruſtraretur, attendens veteranum imperii decretum, quo cavetur ut Romanorum rege ultra Mogum fluvium Moguntiæ conſtituto, epiſcopi ſubjecti imperio circa dictum fluvium regalia ſua poſſent a ſcabinis Francfordiæ impetrare, Adolphus epiſcopus Leodienſis electus pro tunc in angariis conſtitutus, ſibi confœderat vel potius pecunia ſubornat duos ſcabinos Francfordiæ, quorum unus agnominabatur *Kentvleyſth*, alter *Knoeflaet*, a quibus ſua regalia in habitu ſimulato recepit ſupra pontem civitatis, ſolutis per prius omnibus juribus ſuæ admiſſionis ad regem ſpectantibus ex debito. Quo peracto, ſine mora caballum aſcendens, vix pontem revertendo tranſierat, quando res geſta fautoribus Ludovici innotuit, ſed tarde; ſicque epiſcopus ab imminente periculo, gratia Dei cooperante, pro tunc ſalvatus eſt. Deinde cum prædictus Leodienſis epiſcopus ab oppidanis Hoyenſibus ſex millia librarum in pœnam quam non ſervantes arbitramentum domini Adulphi *de Waldege* prædeceſſoris ſui ante plures annos inciderant, exegiſſet, nec illi perſolvere exacta voluiſſent, confeſtim Hoyum eccleſiaſtico ſupponitur interdicto, quod a feſto Ægidii per quindecim ſeptimanas & dies quinque duravit, & ſub ſpe pacis futuræ poſtea fuit ad tempus relaxatum. Porro dominus Johannes de *Wilhenbringes* canonicus Leodienſis tractaturus de pace, dum Hoyum accederet, & nihil concluſiſſet, reverſus per Condroſium, mox a domino Henrico *de Lonchin* monoculo capitur, ſed ſupervenientibus Hoyenſibus præda excuſſa eſt, & captivus liber relictus cum ſuis: & quoniam advocatus Hoyenſis dominus Walterus prædicti ſceleris conſcius, immo ſodalis inventus eſt; fortalitium ejuſdem de *Barchez* ab Hoyenſibus conflagratum eſt & deſtructum. Non multo poſt inter dominum Leodienſem & progeniem *de Warfeſez* eorumque fautores facta concordia magna, ſub hoc pacto, quod iidem nobiles domino ſuo, cum neceſſitas exigeret, armati propriis ſumtibus per dies quadraginta debeant ſervire, in cujus fœderis robur dominus *de Hermalle* creatus eſt novus patriæ mariſcalcus: quam ob cauſam adverſa pars *de Avvans* ab epiſcopo ſe cœpit elongare. Interim cum per dominum *de Peis* mamburnum terræ, treugæ quadragenæ ſolito more inter partes contendentes clamatæ fuiſſent, & pluries per dictos nobiles violatæ, doluit non immerito tota regio; *erat namque lex Carolina longinquo tempore obſervata*, qua ſtatuebatur, quod ſi quis hominem occideret, videntibus etiam villico & ſcabinis, niſi villicus hoc factum verbaliter committeret cuſtodiæ ſcabinorum, licet etiam occiſor caput interfecti ſub veſte ſua portaret, ad judicium accuſatus nullis probationibus convinci poterat, ſi ſuo juramento ſe inſontem probare vellet; ſed hæc lex contra infimos ſolum & pauperes ſervabatur. Nam quoties potentes in terra contra legem deliquerant, auxilium dictæ legis requirebant, ſicque pleraque homicidia remanſerunt impunita. Interim per querimoniam vulgi dolentis ſuper præmiſſis, lex prædicta conquaſſata eſt & prorſus abolita, & per altum dominium malefactores de cetero ſunt caſtigati. Poſt præmiſſa quidam valens miles Euſtacius, dictus *Franshons*, accuſatus ab uxore domini Henrici *de Warfeſeis* coram epiſcopo Leodienſi, quod equos, currus, & aliam ſupellectilem ſuam cum jocalibus pretioſis eidem violenter rapuerat, factum ille confeſſus eſt, ſed juſto titulo id ſe feciſſe aſſerebat, videlicet guerra durante inter partes, & quia maritus dictæ dominæ conquerentis apud Waremiam eum veſtibus & equis pridem ſpoliaverat. Quo audito, doluit epiſcopus quod idem Euſtacius factum confeſſus fuerit, & mox vigore novæ legis caput ejuſdem per mamburnum præcepit auferri: verum mamburnus volens ſe apud propinquos dicti decollati militis excuſare, totum pondus rei impoſuit epiſcopo ac domino Johanni *de Landris*. Unde indignatus epiſcopus ab officio mamburniæ illum poſtmodum amovit, & pleraque inconvenientia exinde poſt pauca ſunt ſubſecuta, dicto domino *de Peis* inſtigante ſtirpem dicti militis, immo totam patriam in odium ſui præſulis & domini. Nam conſules & magiſtri civitatis erecti contra mareſcallum, præceperunt eidem ut ablata pignora domino *de Peis* reſtitueret, & de delicto competentem

Adolphus epiſc. regalia recipit a ſcabinis Francofurti.

Hoyum ſupponit interdicto.

civigati faceret emendam, quod foret longum per singula describere; illoque renitente & id facere recusante, magnum contra eum & episcopum congregabant exercitum, qui scandalum volens evitare, per duos prælatos mandat populo Leodiensi, quod si quidquid injuste feciſſe repertus foret, ad dictamen capituli & proborum patriæ paratus esset hoc emendare. & quoniam dominus *de Peis* nugis fallacibus populum Leodiensem contra suum episcopum provocaverat, rogat episcopus ut publice cum popularibus loqui posset, quo sed negato, Hoyum se transtulit, volens Hoyenses ab incœpto revocare; nam in succursum Leodiensium se parantes, castrum domini *de Hermalle* evertere proposuerant, quod & fecerunt, & non obstantibus precibus & minis episcopi; quin immo nolentes sibi parere, a suo oppido proscribi jusserunt & banniri. Interea treugis datis, dum apud Tungris de concordia tractaretur, ex improviso iidem Hoyenses castrum de *Muhalt* machinis ac ceteris instrumentis bellicis impugnare cœperunt. Insuper & ecclesiam villæ de *Muhalt*, & monasterium Vallis beatæ Mariæ, ordinis Cistercienſis, treugis pendentibus, violarunt; nec his contenti comitem de *Ciny* principem suæ factionis erigentes, mensæ episcopalis redditus rapuerunt, & galeatis capitibus per patriam incedentes, fautores & fideles episcopi sui in consensum factionis suæ minis gravibus allexerunt. Itemque præconisari fecerunt, ut si quis quemquam de fautoribus sui domini vivum aut mortuum eis captum præsentaret, pro milite centum, pro armigero quinquaginta, pro garcione decem libras Turonenses exsolverent captivanti. Itaque videns episcopus imparem se tantæ multitudini, in castris de *Bulhon*, de *Muhalt*, *Franchemont* & castro abbatiæ Stabulensis dicto *Longue* custodias & munitiones locavit, hostes exinde graviter affligendo, parte canonicorum Leodiensium se ad Namurcum in hoc disturbio, transferente, officialatum & sigillum suum cum omni spirituali jurisdictione juſſit episcopus transferri Dyonantum.

Robertus rex Scotiæ de Anglis triumphat.

Anno Domini MCCCXV, regnante apud Britanniam majorem, quæ nunc Anglia nuncupatur, Eduardo hujus nominis secundo, filio Eduardi regis, qui cum Philippo Formoso Francorum rege multa commisit certamina, Robertus rex Scotiæ, superato hoc rege in bello commisso apud *Struvelin*, & occisis infinitis Anglorum cuneis, famosam reportans victoriam, civitatem sibi olim subreptam nomine *Berwick* feliciter recepit; ac deinde pervadens Angliam itinere ferme quinque dietarum, eam igne & ferro graviter afflixit: quod propter dicti regis ignaviam & consilia cujusdam Hugonis, dispensatoris pro tunc damnati in aula regia, famabatur infauste contigisse.

Engerranni *de Marigny* supplicium.

Eodem tempore dominus Engerannus *de Marengny* dudum thesaurarius Philippi Francorum regis Formosi, accusatus est in præsentia regis Ludovici a domino Carolo *de Lamar* patruo ejusdem regis, & postmodum super gravibus excessibus, quodque de furto regio ditatus fuerit, & dati sunt ei plus quam quadraginta articuli horribiles, quos quoniam in vulgari descripti sunt, ad præsens supersedeo. Is, inquam, Engerannus, cum primum regis prædicti familiaritatem acquisivisset, vix in annuis redditibus triginta libras Turonenses possidebat, ac per suam industriam adeo excrevit, quod terram nobilis domini *de Marengny* sub quo natus fuerat, quia cognomen gerebat ab illa, emere concupivit: quod cum ille more *Naboth* facere renuisset, in tantum eum molestavit, ut quod pridem volens agere noluit, postmodum necessitate constrictus, facere sit inductus, & paulo post idem thesaurarius famabatur dominari mille septingentis villis, & habere in redditibus triginta millia florenorum, & in supellectili ac jocalibus triceſies centena millia florenorum. Hic insuper fratrem suum Philippum per Clementem quintum primo episcopum Cameracensem fieri procuravit: deinde archiepiscopum Rothomagensem, (a) & alium fratrem nihilominus episcopum Belvacensem sublimari; finaliter, isdem plenarie & de plano examinatus Parisiis ad furcam, novam in eminentissimo loco super cunctos suspensus est, circa ascensionem Domini, & cuncta ejus substantia confiscata. [a]

Fames & pestis.

Eodem anno fames maxima partes occidui duas attigit, eo quod post festum beati Baptistæ Johannis usque ad messem pluere non cessasset, sicque grana in aristis, quæ, a foris pulchra apparuerant & plena, deintus vacua sunt reperta; subsecuta est demceps pestis gravissima, quæ multos consumsit mortales; adeo ut in Lovanio ex uno hospitali quotidie viginti aut triginta super bigam efferrentur defuncti, & extra oppidum in novo cimiterio tumularentur.

Adolphus de Monte federatur duci Brabantiæ.

Item ea tempestate circa mensem Octobris dominus Adulphus Leodiensis episcopus dominum Johannem Brabantiæ ducem adolescentem adiit, alliciens muneribus ejusdem consiliarios, ac duci se confœderat, ut subveniant alterutrum contra omnes adversarios, demus Romanorum, Francorum & Anglorum regibus, & comite Flandriæ, sed & in monasterio *Uliderbeeck* dux feodum, quod ab episcopo tenebat, non aliter hoc exprimens innexis manibus junctis episcopi palmis, osculo dato, cum ceteris solemnitatibus relevavit. Episcopus autem in confinio ducatus oppido de *Levvis* se recepit, unde frequenter suos æmulos infestabat, eorum-

[a] Immo Senonensem, fratrem vero habuit Johannem nomine, primo Belvacensem, deinde Rothomagensem antistitem.

dem domos ac molendina ubicumque poterat devaſtans, præſertim in comitatu Loſſenſi, & circa oppidum ſancti Trudonis & locis circumvicinis.

Anno Domini MCCCXVI. circa Natale Domini apparuit cometa vel ſtella caudata communiter aliquid mali præſagiens eventurum, quæ circa polum curſum ſuum faciens, per noctem comam ſuam longam nunc verſus Orientem, nunc verſus Occidentem, nunc ad alias orbis partes protendebat, duravitque uſque ad finem Februarii. Ludovici regis Franc. obitus. Statim infra octavam Pentecoſtes Ludovicus rex Franciæ & Navarræ rebus eſt exemtus humanis nonis Junii anno ſecundo regni ſui, fuitque cadaver ejus cum honore regio in monaſterio ſancti Dionyſii tumulatum, relinquens poſt ſe unicam filiam de prima uxore procreatam, quæ, ut probaretur eſſe vera regis filia, objecta leonibus in famem excitatis, nil mali ab eis perpeſſa eſt, & imo patri ſucceſſit in regno Navarræ, quamvis genitrix ejuſdem in adulterium, ut præfertur, ſit comperta; verum ſecunda uxore dicti regis, cui nomen Clementia, gravida permanente, expectatum eſt de ſubrogatione regis quoad uſque ipſa peperiſſet: non multo poſtea eadem peperit filium ſuum primogenitum, & Johannes vocatum eſt nomen ejus, multique in nativitate ejus gaviſi ſunt, ſed gaudii extrema occupavit luctus: nam ſeptima die infans obiit arte, ut famabatur, Machtildis comitiſſæ Arteſii, abiitque accipere ſibi regnum ſempiternum quod non habet finem.

Johannis papæ XXII. electio. Eodem anno quinta die menſis Junii in papam electus eſt Johannes vigeſimus ſecundus, de Caturcho civitate oriundus ex patre Arnaldo, pridem Jacobus nominatus, de ordine Prædicatorum ac de conventu Lugdunenſi. Hic primo fuit epiſcopus Forojulienſis in provincia Aquenſi annis undecim. Inde tranſlatus eſt in epiſcopatum Avinionenſem, & deinceps promotus in cardinalem epiſcopum Portuenſem, & tandem electus eſt in papam.

Pax inter epiſc. Leod. & ſuos ſubditos. Eodem tempore cum longo tempore dominus Leodienſis epiſcopus ſuos ſubditos graviter tribulaſſet, & pariformiter ipſe damna ab eiſdem reportaſſet innumera, attædiatæ partes in arbitros convenerunt, & pax de *Fexhe* multis involuta contradictoriis eſt ordinata, in cujus ſerie continetur, quod epiſcopus per legem patriæ unumquemque permittat attrectari & judicari. Econtra epiſcopus altum dominium in corrigendis exceſſibus delinquentium ſibi retinebat, quæ duo ſimul ſtare non poſſunt, ſiquidem actor cum a potentiore ſe læſum aut moleſtatum conquereretur, puniri reum ex alto dominio poſtulabat; reus e diverſo per legem patriæ ſe judicari debere aſſerebat, utraque parte ſupra tenore præfatæ pacis ſe fundante, poſt præmiſſa Hoyenſes cum Leodienſi epiſcopo pacem faciunt, & mediantibus ſedecim libris Turonenſibus, ablatas ſibi libertates per dominum ADULPHUM DE WALDEGE recuperarunt, & cum litteras dictæ ſententiæ capitulum Leodienſe nollet reſtituere Hoyenſibus, finaliter per impreſſionem vulgi Leodienſis reddere ſunt arctati.

Philippus rex Francorum. Gubernacula regni Francorum ſuſcepit eo tempore Philippus frater prædicti Ludovici regis, cum uxore ſua Machtilde comitiſſa *d'Artois*. Hic Philippus anhelans etiam ad imperium Romanum conſequendum, amicitiam facere ſtuduit cum Adulpho de Marka Leodienſi epiſcopo, dans ſibi de menſa regia ſingulis annis duo millia librarum Turonenſium: nam ad ſuum propoſitum conſequendum æſtimabat dictum epiſcopum ſibi valde utilem, utpote potentem in armis, amicis, ac viribus, præſertim in Alemannia.

Johannes S. Ludovicum ſanctorum albo inſcribit. Anno MCCCXVII. JOHANNES papa vigeſimus ſecundus canoniſavit ac ſanctorum catalogo annotavit ſanctum LUDOVICUM epiſcopum Toloſanum, quondam filium Caroli regis Siciliæ, cujus patruus fuerat ſanctus LUDOVICUS Francorum rex. Item eodem tempore Hugonem epiſc. Caturcenſem redigit in ordine. idem papa degradavit ac depoſuit a ſacerdotali ac pontificali ordine & dignitate HUGONEM epiſcopum Caturchenſem, ablatis ab eodem omnibus præſularibus inſigniis, videlicet annulo, mitra, cappa cum camiſia Romana & birreto; ſicque relictus primo in habitu clericali, fuit adjudicatus perpetuo carceri quarto die menſis Maii. Prædictam degradationem ſecundum ſeriem juris quæ decuit, fecit quidam cardinalis epiſcopus Tuſculanus, ſicque ultimo degradatus traditus fuit curiæ ſæculari, per cujus judicium tractus erat publice in aliqua parte excoriatus & demum combuſtus in Julio ſubſequenti, eo quod famabatur in mortem ſummi pontificis conſpiraſſe. Idem papa cathedralem eccleſiam Toloſanam erexit in ſedem archiepiſcopalem, eamdemque dioceſim, quoniam rediribus temporalibus abundabat, in ſex diviſit epiſcopatus, quorum epiſcopi eſſent ſuffraganei archiepiſcopi Toloſani, & ſex villas in novas civitates erexit; ſimiliter in archiepiſcopatu Narbonenſi duos fieri epiſcopatus ordinavit; ſimilia multa in epiſcopatibus Albigenſi, Agennenſi, Lemovicenſi, Pitagoricenſi commutavit & firmavit, quæ uſque in hodiernum ſic permanent diem. Item, inſtituit multas canonicorum eccleſias collegiatas in oppidis & villis ubi prius non erant. Novos creat. epiſcopatus.

Lex de homicidiis. Eodem anno tota patria Leodienſis congregata apud *Fexhe*, conniventibus cunctis una cum Leodienſi epiſcopo, decretum eſt illic & ſtatutum, quod ſi quis homicidium fecerit, extra patriam proſcribi & banniri debeat, & per ſolum epiſcopum ejus domicilium & manſio penitus conflagrari, tamen ſubſtantiam ſuam & hereditates non perdat,

nec umquam ad patriam reverti poterit, donec cum amicis occisi tractaverit & reconcilietur eisdem. A

Festum SS. Sacramenti. Eodem anno festum Sacramenti, quod in sola Leodiensi ecclesia celebrabatur, in universo orbe per Johannem papam vigesimum secundum instituitur, & præcipitur celebrari, & processio solemnis eodem die fieri jussa est, eo cum curia sua apud Avinionem residente. Hoc anno in profesto Michaëlis combusti fuerunt in Massilia quatuor fratres Minores propter hæresim de paupertate. Item, cum in ordine Grandimontensi subortæ fuissent multæ controversiæ & dissensiones, prædictus papa ordinavit; quod domus principalis ipsius ordinis, quæ dudum gubernari solebat per priorem, de cetero gubernaretur per abbatem, cujus electio pertineat ad conventum loci; de aliis vero domibus ex potioribus fierent triginta novem prioratus, quibus aliæ domus sint subjectæ & unitæ: aliquantis tamen sine medio reservatis abbati Grandimontensi. Hæc ad reformationem prædicti ordinis salubriter sunt provisa, elapsis circiter annis ducentis & quadraginta ab exordio ordinis computando, quo beatus Stephanus fundator ejus primo venit ad heremum de Mureto, videlicet anno millesimo septuagesimo sexto.

Hæretici combusti. Ordo Grandimontensis. B C

Domini de Falcomonte terra devastata. Anno MCCCXVIII. cum dominus castri de Falcomonte nimis infestus esset civibus Trajectensibus, damna eis multa inferens, commoti supra his dux Brabantiæ & Leodiensis episcopus jam pridem confœderati terram prædicti domini vastare cœperunt, & præcipue turrim de *Haren* fortissimam non longe a Trajecto distantem solotenus destruxerunt, custodibus castri vel turris interfectis; deinde castrum *de Zitter* sponte deditionem faciens duci portas reseravit; & paulo post dictus dominus de Falcomonte misericordiam ducis suppliciter requirens captivatur, & longo tempore apud Genapiam sub custodia detentus est. Eodem tempore cum absque causa Leodienses injurias & damna pertulissent a gubernatoribus terræ Lucemburgensis, ac prædam in confinio a Leodiensibus abegissent impune, commoti supra his suo præcedente episcopo per totum triduum terram illam pervagati sunt incendiis & spoliis cuncta fœdantes in ignominiam perennem domini Johannis regis Bohemiæ, ad quem illa patria de jure spectabat; finaliter treugæ fiunt per biennium. D E

Novæ decretales. Eodem anno in mense Novembri Johannes papa fecit publicari & sub bulla papali ad generalia studia destinari quasdam constitutiones decretales, quæ nunc Clementinæ nuncupantur, quas Clemens quintus prædecessor ejus ediderat tam in concilio Viennensi, quam antea, quæ nondum fuerant studiis utilibus transmissæ, ut præfertur, sed usque ad tempus illud remanserant in suspenso.

Ordo de militia Jesu Christi. Anno Domini MCCCXIX. pridie idus Maii JOHANNES papa vigesimus secundus anno pontificatus sui tertio, de fratrum suorum cardinalium consilio instituit novum ordinem militum in regno Portugaliæ, qui vocaretur de militia JESU CHRISTI, ad resistendum Sarracenis illi regioni satis vicinis, concessitque dicti ordinis militibus, cum pleno jure omnem facultatem & hereditatem, quæ pridem in illa regione spectabat ad milites Templi vel Templarios pridem combustos & penitus auctoritate apostolica deletos. Prædictus autem ordo militiæ JESU CHRISTI vivere jussus est & militare Deo in defensione fidei orthodoxæ & impugnatione Sarracenorum, *juxta regulam & instituta ordinis Calatravensis*, & quoties opus fuerit, debet visitari, corrigi & reformari, tam in capitibus quam in membris, per abbatem monasterii de Altohassia Cisterciensis ordinis ac diœcesis Ulixibonensis. De præmissis vero & de forma juramenti præstanda pro tempore regi Portugaliæ per magistrum ejusdem ordinis, necnon abbati supradicto nomine Romanæ ecclesiæ, ac etiam de aliis conditionibus & circumstantiis appositis & servandis, continetur plenius in litteris apostolicis desuper confectis. Acta sunt hæc in Avinione, papa illic cum curia sua residente.

Discordia inter Dyonantenses & Bovinienses. Ea tempestate inter Dyonantenses & Bovinienses ad tractum fundæ vicinos, gravis & implacabilis est orta discordia usque in præsentem diem nondum plene sopita. Porro comes Namurcensis in succursum Boviniæ multos bellicos transmisit viros & artis pugnæ valde gnaros, qui quadam vice juxta portas Dyonantenses pauci numero sunt egressi, quos videntes Dyonantenses, illuc properant animose; at illi fugam simulantes Boviniam appropinquant, & exeuntes ceteri illic relicti, Dyonantenses concludunt, & pluribus ex eorum numero prostratis, triginta captivi ducti sunt, & in crastino ligatis eorum vulneribus mortui reperti sunt in campis, quos Dyonantenses in carcere asserunt interfectos, sed Namurcenses e diverso dicunt eosdem in prælio & conflictu necatos. Hac immanitate Dyonantenses irritati, Leodienses in adjutorium sui & ultionem flagitii convocabant, ut fratres fratribus, immo patres filiis in angustia subvenirent.

Lolardorum & Beguinarum ordines deleti. Eodem tempore quidam ordo Lolardorum qui saccos pro habitu deferebant, similiter & Beguinarum, præcipiente papa Johanne, deletus est per mundum universum, pro eo quod quidam eorum in insaniam mentis versi de summa Trinitate ac de divina essentia erronee disputarunt, & contra fidei orthodoxæ articulos prædicarunt, opiniones veritati & ecclesiasticæ fidei contrarias introducentes, & plerosque simplices in suam hæresim allicientes, & hæc quidem sub velamen & spem sanctitatis perpetrarunt,

petrarunt, quemadmodum in decretali ſupra his confecta plenarie continetur. Hoc anno Johannes papa veterem abbatiam montis Caſſini beati Benedicti in ſedem epiſcopalem erexit.

S. Thomas epiſc. Erfordienſis. Anno MCCCXX. XV. calendas Maii papa JOHANNES apud Avinionem conſtitutus canoniſavit & cum ſolemnitate debita ſanctorum confeſſorum catalogo annotavit ſanctum Thomam Erfordienſem epiſcopum, poſt annum ab ejus tranſitu trigeſimum octavum. Hic fuit vir nobilis genere, nobilior tamen moribus & vita, magna præditus ſcientia & doctrina, doctor in decretis ac magiſter excellens in theologica facultate. Ejus præclara merita ingens fama virtutum tam præcedentium quam ſequentium miraculorum longe lateque declarat, non ſolum beneficiis & remediis ſanitatum, verum etiam in plurimis mortuis ejus meritis ſuſcitatis, in quibus dominus glorioſe mirificavit ſanctum ſuum, atque digne venerandum & colendum exhibuit univerſis.

S. Thomas de Aquino. Eodem tempore facta ſolerti inquiſitione ex auctoritate apoſtolica, ſicut moris & juris eſt, de vita & miraculis ſancti Thomæ de Aquino de ordine fratrum Prædicatorum, comperta veritate miraculorum, doctor præfatus per papam prænominatum canoniſatus eſt & ſanctorum catalogo annotatus, celebratis per eum miſſarum ſolemniis in majori eccleſia Avinionenſi, aſſiſtentibus eidem quindecim cardinalibus, ſacris veſtibus indutis, a felici tranſitu ejuſdem ſancti ab hoc mundo quinquageſimo inchoante.

Dionantenſes vindictã tugent de Boviniẽſibus. Eodem anno, verno tempore, civitas Leodienſis ex clamore Dyonantenſium confratrum ſuorum provocata, ſuum antiſtitem Adulphum ſatis invitum compellit ad vindicandum injurias & immanitates quas Bovinienſes captivis Dyonantenſibus dudum intulerunt, inhumane illos trucidando contra jus belli: quapropter epiſcopus cum ſuis terram comitis Namurcenſis gladio & igne devaſtabat; ſed mediante ducis Brabantiæ interventu, treugæ dantur in biennium, quibus adhuc nondum finitis, Dyonantenſes turrim fortiſſimam dictam *Montorguelhe* cœperunt erigere, de qua machinis & fundis petrariis domos Bovinienſium commode poſſent diruere ac conquaſſare, quod & facere cœperunt non obſtantibus treugis præmiſſis. Inſuper & hyemali tempore cuncta ſtringente gelu, aqua calida calcem vivam ſabulo commiſcentes inter muros oppidi jaciebant. Bovinienſes hac novitate turbati, ſociatis ſibi multis complicibus de comitatu Namurcenſi, turrim ipſam machinis cœperunt impugnare, treugis nondum, ut præfertur, adhuc finitis.

Pax inter regem & comitem Flandrẽſem. Eodem tempore pax reformata eſt inter Philippum Francorum regem & Robertum comitem Flandriæ jam veteranum, cujus filius Ludovicus comes Nivernenſis erat. In cujus ratificationem pacis filia regis octennis Margareta nomine deſponſata eſt filio Ludovici comitis ſupradicti, eo pacto, ut defuncto Roberto non filius ejus Ludovicus, ſed filius filii ejus in comitatu Flandrenſi ſuccedere deberet. Paulo poſt tam pater quam filius comites, ut famabatur, intoxicati viam univerſæ carnis ſunt ingreſſi. Item ea tempeſtate turris de *Waſege* ad comitem Namurcenſem ſpectans ab Hoyenſibus expugnatur ac ſolo tenus deſtruitur, & campanæ aſportantur ad eccleſiam ſancti Mengoldi in Hoyo.

Eo tempore apud Avinionem duobus pro crimine Sodomiæ ignis incendio adjudicatis, quorum unus veteranus erat, & alter juvenis, ipſis ad columnam ligatis, & igne graſſante, junior ad invocationem beatæ Mariæ Virginis illæſus exivit, ſene uſque ad pulveres concremato; unde Johannes papa capellam in eodem loco conſtrui fecit & dotavit pro perpetuis capellanis, quam vocari voluit capellam de miraculis.

Adolphus epiſc. Boviniã obſidet. Anno Domini MCCCXXI. poſt feſtum beati Baptiſtæ Johannis, ADOLPHUS Leodienſis epiſcopus, adjuncto ſibi comite Montenſi conſanguineo ſuo, cum militibus triginta tribus & peditibus ſuæ terræ ſexaginta millibus, Boviniam quadraginta & uno diebus obſidione vallavit, muros arietibus & catto frequenter conjiciendo: deinde tertia die menſis Auguſti comes Namurcenſis ſentiens Haſbaniam hominibus vacuatam, adjunctis ſibi quingentis equitibus de Scluſa oppido Flandriæ, ſuo patrimonio hereditario, & de locis vicinis, nec non & ſex millibus peditum terræ ſuæ, terram epiſcopi vaſtaturus intravit: quod ſentientes dominus Jacobus *de Lence* & Amelius *de Bovegniſtier* pro tunc ballivus capituli, quos epiſcopus in cuſtodiam terræ reliquerat, cum centum & quadraginta equitibus dumtaxat ac peditibus aliquantis parum armatis viriliter ſuos invadunt hoſtes, & plurimis interfectis, fere omnes reſidui capti ſunt, & victoria beato Lamberto aſcripta eſt. Amelius illic militare cingulum ſuſcepit, & in remunerationem probitatis ſuæ per capitulum Leodienſe quinquaginta modii bladorum ad vitam ei conſignati. In craſtinum cum factum innoteſceret epiſcopo ac toto exercitui ſoluta eſt obſidio, & unuſquiſque ad propria repedavit.

Bellum contra regem Bohemiæ & comitem Namurcenſem. Eodem anno dictus Leodienſis epiſcopus contra regem Bohemiæ necnon & comitem Namurcenſem invicem jam confœderatos cœpit bellum ordiri. Porro comes Namurcenſis properans per Condroſium oppidum, Cennacum male muratum animoſe intravit, ſed oppidanis in ipſum viriliter irruentibus, ex colliſione de caballo cecidit, & quodam ex ſuis armigeris illum erigere & relevare volente confeſtim trucidato, comes per fugam vix ſalvatus eſt.

Philippi reg. Franc. obitus.

Eodem anno Philippus Francorum rex non relicto herede maſculo defunctus eſt, ac in monaſterio ſancti Dionyſii juxta Pariſius ſepultus, cui abſque contradictione ſucceſſit in regno Carolus de Valeſio frater ejuſdem, & filius Philippi Formoſi. Eodem anno cum adverſus ignaviam Eduardi regis Anglorum & iniqua conſilia Hugonis diſpenſatoris regem regentis, & potius incantantis, univerſi fere regni barones frequenter murmurarent, & præcipue Thomas comes Lancaſtriæ, patruus regis, & alii magni proceres, per inſtinctum dicti Hugonis, rex una die XXXII. ex eis advocatos tamquam cum eis conſilium arduum habiturus, illos comprehendi juſſit, & contra omnem juſtitiam & regulam æquitatis, non ventilata cauſa rei, ſed ex ſuſpicione peſſima, ſingulos capite truncari in ignominiam & deſolationem non modicam totius regni ſupradicti, & in odium Hugonis permaximum. Quibus audacter patratis, conſiderans Hugo ſe procerum reliquorum indignationem meritam incurriſſe, nondum adhuc deſiſtens a cœptis, reginam quoque Iſabellam filiam Philippi Formoſi Francorum regis cœpit apud ſuum maritum de crimine adulterii patenter infamare: adeo ut poſt modicum illa veriſimiliter cuti ſuæ timens, cum filio ſuo Eduardo poſtmodum rege, pro tunc fere annorum tredecim, aſſumptis ſecum etiam nonnullis ex magnatibus regni ſimili modo regi ſuo ſuſpectis, & idcirco proſcriptis a regno, ad regem Francorum Carolum *de Valois* fratrem ſuum nuper coronatum compulſa ſit transfretare, ubi ſpatio trium annorum tamquam exul cum ſuis eſt demorata, & a fratre cum omni honore & reverentia per aliquantulum temporis tractata. Porro intermedio tempore Eduardus rex uxorem ſuam apud fratrem ſimiliter cœpit ſuper adulterio graviter accuſare, poſtulans illam ſibi confeſtim remitti, aut certe de regno Francorum expelli, ſicque fraterna ſerenitas ſucceſſu temporis in nubilum mutata eſt, & tanta reginæ abſentia ſibi facta eſt ſuſpecta.

Eduardus rex Angl. nobiles plures capite truncari jubet.

Leproſi combuſti.

Eodem anno per Franciam & Hannoniam multi leproſi cremati ſunt vivi, eo quod fontes & rivos ac puteos corrupti pecuniis & muneribus Judæorum intoxicaſſe in perniciem Chriſtianorum famabantur, procurante illud, ut dicebatur a veridicis, rege Garnatorum Agareno, qui de ſecta Mahometi exiens, quotidie Chriſtianos in Hiſpaniis bellis & contumeliis afficere non deſtitit.

Fridericus dux a Ludovico Bavaro victus.

Anno MCCCXXII. Fredericus dux qui ſe pro rege gerebat, campeſtri bello conflixit cum Ludovico Bavaro Aquiſgrani in regem Romanorum electo, & rege Bohemiæ ſuffragium præſtante regi Ludovico, tandem dux vincitur & captivus abducitur. Tandem pace reformata, ambo ſe reges nominabant. Porro JOHANNES papa plus favit duci quam Bavaro, prout poſtmodum patebit. Nam idem papa graves proceſſus fecit contra Bavarum, ipſum quoque excommunicavit, & quantum in eo fuit ab imperio depoſuit, ac poſtremo tamquam hæreticum, ſchiſmaticum & rebellem eccleſiæ condemnavit. Circa idem tempus dictus papa opinionem de altiſſima paupertate totaliter velut hæreticam & erroneam refutavit, faciendo contra eamdem quatuor decretales, in quibus probat multipliciter, quod Chriſtus & apoſtoli habuerunt aliqua bona temporalia, & præſertim in communi. Inſuper in eiſdem revocat omne dominium quod eccleſia uſque ad tempus illud habere dicebatur in bonis & facultatibus fratrum Minorum, reputans apertum figmentum, quod papa habeat dominium rerum, & ipſi fratres per continuum earumdem uſum conſumant eas, præcipue in talibus ubi uſus eſt conſumtio rerum. Cennacum a ſuis oppidanis contra inſultus Lutzemborgenſium & Namurcenſium muris & turribus in circuitu fortiſſimis muniri cœpit. Eodem tempore papa revocavit ſententiam excommunicationis ac alias pœnas contentas in conſtitutione Nicolai papæ tertii edita ſuper ſecunda fratrum Minorum quæ incipit: *Exiit qui ſeminat, &c.* Exinde de verborum ſign. libro VI. contra gloſantes vel aliter exponentes aut grammaticaliter promulgantes textum regulæ B. Franciſci.

Johannis papæ conſtitutiones de paupertate Minorum.

Anno MCCCXIII. Carolus Francorum rex dum longiturno carcere primam uxorem ſuam de adulterio, ut præfertur, accuſatam maceraſſet, nec uſque ad tempus ſuæ promotionis in regem a ſummo pontifice poſſet obtinere celebrationem divortii, quod tamen fiendum compaternitas expectabat, confeſtim poſt ejus ſublimationem, ex inſtinctu procerum Francorum, qui nolebant ſtirpem regiam tam inſigni nota vitiari, id a ſede apoſtolica abſque dilatione impetravit: quo ſic celebrato divortio, ſororem regis Bohemiæ filiam Henrici quondam imperatoris & ducis Lutzemburgenſis ex ſorore ducis Brabantiæ procreatam ſumſit in uxorem: cumque rex Bohemiæ Johannes ſororis ſuæ nuptiis intereſſe non poſſet, propter conflictum inſtantem inter duos reges Alemanniæ, videlicet ducem Auſtriæ, ac Ludovicum Bavarum cui ſubvenire decreverat, commiſſo negotio archiepiſcopo Treverenſi & aliis nonnullis magnatibus terræ, regina nobilis regi Francorum Pariſius præſentata eſt, & poſt paululum ſolemnitate ſolita & debita Remis inuncta, ac ſequenti tempore Pariſius reginarum more ac ſtemmate decorata.

Caroli regis Franc. divortium cum prima uxore.

Nuptiæ cum ſorore regis Bohemiæ.

Anno MCCCXXIV. Carolus Francorum rex pridem dictus comes Marchiæ, mortua uxore ſua filia regis Bohemiæ, quam duxerat anno præcedenti per diſpenſationem papalem, matrimonialiter ſibi copulavit filiam patrui ſui Ludovici comitis Ebroycenſis, ſo-

rorem uxoris ducis Brabantiæ.

Diſcordia inter epiſcop. Leod. & civitatem renovatur.

Eo quoque tempore Leodienſi epiſcopo multis debitis involuto, cum dominus Johannes *de Landris* ſummus ejuſdem conſiliarius, quadam ſuborta levi occaſione, a ſua curia ſe ſequeſtraret, perpendentibus æmulis tempus ſuæ factionis adeſſe, dominus Wilhelmus *de Geneffe* caſtellanus Waremiæ rurſum ſe jungit lateribus epiſcopi, cujus inſtinctu, proh dolor! quærelæ miſerorum ſubortæ ſunt de negata ſibi vel perverſa libra juſtitiæ tam per ſcabinos, quam per ceteros officiatos dicti præſulis, putantes ſibi licere quicquid liberet, connivente in præmiſſis etiam Leodienſi epiſcopo. Itaque non ferentes civium magiſtri hanc quotidianam ſuorum querimoniam, una cum capitulo, militibus & burgenſibus, tribus ſcilicet ſtatibus patriæ, cœperunt inſtituere viginti viros qui quotieſcumque ſcabini rite requiſiti aut nollent aut differrent contendentium lites expedire, &c. eos rite prænonitos, ut præfertur, auctoritate ſummaria ad juris vel legis civilis executionem arctarent, ac ipſi parti querulanti juſtitiam ferre non differrent, contumaces in his, nonobſtante quacumque appellatione, de patria Leodienſi & comitatu Loſſenſi confeſtim proſcribentur, ſupra quibus dum carta confecta legeretur, & domino Leodienſi & aliquantulis canonicis non placeret, epiſcopus illam renuit ſigillare, præſertim quia inibi continebatur, quod ſi quis ſentiret ſe per epiſcopum vel ſuos officiatos moleſtatum, coram illis viginti judicibus ſuam querelam deponeret, & quicquid illi dictarent, epiſcopus ac ſui parere tenerentur, inter quos multi erant laïci, quod ſatis diſplicebat epiſcopo nolenti a ſuis ſubditis & præcipue laïcis indicari. quamobrem inter epiſcopum & civitatem diſcordia renovatur, & vellens nollens epiſcopus ſuique fautores nihilominus per capitulum Leodienſe, per militares patriæ & burgimagiſtros civitatis Leodienſis, ac ceterorum oppidorum præmiſſa ſunt quantocius ſigillata, & uſque in præſens irrefragabiliter obſervantur.

Interim cum pro quibuſdam manipulis bladorum foreſtariis Hoyenſibus dari ſolitis, inter Hoyenſes & armigeros terræ *de Muhalt* eſſet orta diſſenſio, perpendens epiſcopus tempus ſibi gratum, ſubtiliter procuravit, quod armigeri qui prius dictas gelimas ſolvere renuebant, ſponte de cetero illas dare promiſerunt. ſic igitur Hoyenſibus confœderatis epiſcopo contra Leodienſes ſibi ſemper exoſos, epiſcopus curiam ſuam ſpiritualem cum officiali & ſigillo ad Hoyum tranſtulit, ſupponens Leodium eccleſiaſtico interdicto, unde pleraque ſunt inconvenientia ſubſecuta.

De Judæo fido Chriſtiano.

Per idem tempus in Hannonia ſub comite Guilermo, de quo multa præfati ſumus, erat quidam Judæus corpore admodum robuſtus ac ſtatura procerus, qui non propriæ ſalutis intuitu, ſed ut gratiam & favorem ſui conſequeretur, ſe fecit baptiſari: hic una cum comite præfato quadam vice ad egregium monaſterium Ciſtercienſis ordinis dictum *Camberoen* declinans, vidit illic effigiem pulcherrimam beatæ Dei Genitricis MARIÆ filium in ulnis geſtantis depictam, quæ ſuper omnia Judæis eſt exoſa, coram qua frequenter tranſiens Judæus furia mentis agitatus, dum a nemine conſpici ſe perpenderet, & quotieſcumque id liceret, femorale ſuum immundum ſive alium quempiam pannum fœculentum ac pulveribus ſordidatum ſuper vultum & genas ſupradictæ imaginis quotidie frotabat, & irriſorie pertrahebat. hanc itaque contumeliam ſuæ imagini dedecoroſe illatam, Dei Genitrix moleſte ferens, ac de Judæi perfidia ſe parans ulciſci, per viſum in ſomnis apparuit cuidam pauperi fabro jam veterano ac fere decrepito, pandens illi injurias per Judæum ſuæ factas imagini, monens eum præterea ut illum maleficum Judæum ad ſingulare certamen ac duellum compellaret in præſentia ſui comitis, promittens ſe ſibi in conflictu ſuffragium præbituram ac pro eo viriliter dimicaturam. In craſtinum faber quem prædiximus comitem aggrediens, rem illi totam ſicut erat innotuit, Judæum ſuper perfidia accuſavit; ſed ille factum conſtanter negavit, mox faber cyrothecam de manica producens ante Judæum projecit, eumque ad duellum provocavit, mirantibus univerſis animoſitatem fabri veterani, necnon conſiderantibus Judæi virilem audaciam & ætatem floridam. Mox abſque retractatione comes cælitus inſpiratus duelli diem præfigit, ubi convenientibus ambobus, patrocinante beata Virgine ſuo pugilli veluti promiſerat, Judæus a fabro confeſtim peremtus eſt, & victoria beatæ Dei Genitrici MARIÆ non immerito a cunctis adſcripta, laudantibus ac devote venerantibus, & deinceps ſincerius eam colentibus, quæ ſic ſuas ulciſci ſtudet contumelias & ſibi familiaribus patrocinari, eoſque ſolari in neceſſitatibus non deſiſtit. Eodem anno Ludovicus Bavarus in uxorem duxit filiam Guilermi comitis Hannoniæ, & in Colonia deſponſavit.

Anno MCCCXXV. in craſtino Bartholomæi progenies *de Waroux* & *de Warfeſeez* contra lineam *de Avvans* die præfixa in campis juxta *Dammartin* infauſte pugnarunt, interemtis multis, inter quos erant dominus Henricus *de Hermalle*, Johannes *de Landris*, Johannes de Cervo, Lambertus *de Harduemont*, Johannes dictus *le Polain de Waroux*, & Hellinus *de Lantins*, & alii pluſquam quadraginta numero principales ſui generis, ceteris per fugam ſalvatis. Ex altera parte Arnoldus *de Johaing* & *Butor* fratres & milites

cum aliis armigeris duodecim illic corruerunt, in grave damnum totius Hasbaniæ, quæ tot probis & generosis viris instinctu diabolico una die privata est, treugis tamen inter eos pendentibus: quamobrem juxta legem, facultates & corpora singulorum utriusque partis ad libitum episcopi debebant devolvi, sed parti victæ interventu Hoyensium, & per medium quarumdam pactionum, episcopus delictum indulsit. Leodienses vero qui faverant victoribus, eosdem, ne per episcopum corrigi possent, corde & animo tuebantur: ob hoc in Octobri dominus Leodiensis magnum & copiosum exercitum congregavit, adjuncto sibi rege Bohemiæ & aliis comitibus undecim, sed illis non cordialiter nocere volentibus civitati Leodiensi, infecto negotio, res arbitris est commissa decidenda, ac post pauca domus *de Avvans* pacem cum episcopo conquisivit. Interim Leodienses contra jurisdictionem sui præsulis multos fecerunt abusus, quos tamen pro lege servare volebant, videlicet acceptando & creando sibi multos cives forancos indifferenter, quos, licet plerumque deliquissent in legem episcopalem, nihilominus viribus & armis ne corrigi possent fovebant & protegebant: sed & wareſcapia & pascua communia, vel loca publica sibi usurpabant, insuper & leges ac statuta nova sibi fabricabant, & delinquentes contra easdem in porta sanctæ Walburgis captivos ponebant, episcopo nimirum graviter supra his commoto.

Rebellio in Flandria.

Sub his temporibus vulgares terræ Flandrensis infesti suo comiti, ceterisque nobilibus, quatuor capitaneos sibi de popularibus præfecerunt, videlicet *Collar Glaes*, *Damnekin*; Johannem *le Mort* & Wilhelmum decanum: quorum consiliis tota fere patria devastata est, mansiones & castra nobilium diruta, Repelmunda oppugnata per XVII. hebdomadas, sed non expugnata, facultates fautorum comitis direptæ. Hac rebellione durante, Johannes comes Namurcensis ad quem oppidum de Scluſa hereditario jure pertinebat, quodam die consules & rectores oppidi Brugensis advocavit, cum quibus eorum capitanei cum multis armaturis pariter convenerunt, requirens ut oppidum Scluſa portus Flandriæ nuncuparetur & esset, volens mercimoniis emendis assistam supponere, qua petitione repulsa, comes indignatus Flamingos impugnat fortiter, at illi viriliter resistentes, plerosque peremerunt, villam incenderunt, & comitem captivum abducentes in carcere firmo apud Brugas concluserunt, de quo postmodum subtiliter evadens occulte per subterranea loca, transmissus per fluvium qui lingua eorum dicitur *Denhont* aufugit, & ad Namurcum pervenit, & multiplicata sunt mala in terra. De hac evasione comitis quidam metrista hos ridiculos dictavit versus qui in lingua Theutonica non possunt intellectu capi, In petra Cera de nominibus monumentum ponte, sed inde pulex sesequе canes tulit anser. hæc causa joci interscripta sunt.

Comes Namurcensis captus evadit.

Anno Domini MCCCXXVI. dum Anglicani regni negotia sensim laberentur in pejus ob sui regis ignaviam, & Hugonis dispensatoris proterviam, residui proceres his infensi, scribunt reginæ jam per triennium in regno Franciæ exulis more demoranti, mandantes ut assumtis secum mille armatis, cum filio suo Eduardo redeat secura, nam omnes & singuli magnates præter paucissimos ad recuperationem regni & expulsionem regis ignavi & iniqui suorumque satellitum & consiliariorum cooperari vellent ei indubie & auxilium parare. At regina Isabella fratrem sium Carolum Francorum regem super his consulens, non solum non impetrat petita, sed & ab eodem jussa est e Francorum finibus discedere, & ad mariti thorum reconciliatione præmissa confestim transfretare, unde graviter non immerito contristata, multorum ducum ac nobilium Brabantiæ, Flandriæ, Alemanniæ & ceterorum suffragia requirens, spe sua frustrata est, ponderantibus universis arduitatem negotii & muliebrem volubilitatem, sed paulo post perveniens in partes Hannoniæ, non absque divina providentia, a domino Johanne *de Bealmont* fratre domini Guilhermi comitis Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ desiderium suum regina assequitur, renitente tamen comite, fratremque satis increpante, ac propositum ejus si posset impedire conante. Hic, inquam, Johannes coadunatis sibi plerisque probis & bellicosis militibus ex Hannonia, Brabantia, Hasbania, &c. veniens ad oppidum Dordracum in Hollandia, illic assumta classe navium cum armis & equis circiter quingentis, cum regina & ejus filio versus Angliam festinat, & ad portum non prætentum, sed salubrem tandem applicat, multis tamen obstaculis ventorum & imbrium Dei nutu in mari superatis: ubi dum applicuisset, mox præcipui regni proceres, veluti condixerant, in occursum & succursum reginæ ac sui filii properant, & maturo inter se prohabito consilio; regem suum veteranum cum suis consiliariis in civitate Bristo muris vastis & turribus robustis munita, circumfluentibus maritimis undis, cœperunt obsidere. Consternatis super hac rei novitate civibus, & accrescentibus quotidie obsidentium viribus, post modicam resistentiam, facta deditione civitatis, non castri, in quod rex cum suo Hugone confugerat, illic nonnulli præcipui viri, præsertim genita Hugonis supradicti & genet ejusdem comes Rondelli comprehensi, in quodam eminente monte furcis & stipitibus sunt appensi, cernentibus id rege & suis clara die, qui suis in angustia constitutis succur-

Turbæ in Anglia.

Regina aproximat.

Regem in castro obsidet.

rere non valebant. Facta ſunt hæc eodem anno ipſa ſacra feſtivitate Dionyſii martyris primi Francorum apoſtoli. rex autem in caſtro concluſus nuſquam ſentiens ſibi obſidionis ſolutionem eventuram, rem ponens in deſperato, aſſumta una navi cum ſuo Hugone & familiaribus admodum paucis, verſus Gualiam tentabat aufugere, verum non ſine ordinatione ſummi inſpectoris & ſeveri vindicis impiorum, flantibus ventis adverſis, per dies undecim ſic navigantes nuſquam ad portum valebant pervenire, ſed e diverſo per ſingulos dies nautis reluctantibus juxta civitatem Briſto ad diſtantiam quartæ partis unius leucæ regredi ſunt compulſi. Tandem Hollandrini qui in comitatu reginæ venerant gnari artis nauticæ, ſecuti ſic fluctuantes, comprehenſum regem cum ſuis complicibus ad reginam perduxerunt, de quo eventu proſpero illa nimium exhilarata tamquam primarium intentum adepta, totum quoque regnum ſucceſſive poſſedit, mox de conſilio nobilium regni rex ad caſtrum quoddam cujus nomen excidit cum cuſtodia militum tranſmiſſus eſt, ut illic honorifice & humane tractaretur, donec concluſum foret quod de eo judicaretur agendum. Porro Hugo ad Exoniam civitatem contemtibiliter deductus ſuper equum macilentum per dominum Thomam *Wange* mareſcalcum exercitus, illic ab omnibus regni proceribus ſuper ſuis enormibus facinoribus examinatus, hanc ſententiam judicialem accepit: primo ſiquidem per totam civitatem de vico ad vicum per lictores horrende protractus eſt, deinde ſtante eo ſuper gradus ſcalæ, ut ab omnibus poſſet clare videri, genitalia ejus membra cum teſticulis ſunt deciſa, quoniam infamatus fuerat de vitio ſodomitico commiſſo cum ipſomet rege & aliis nonnullis; inde diſſecto ventre cuncta ejus exta videlicet cor, pulmo, jecur, ſpolii, &c. viliter & terribiliter ſunt ejecta, pro eo quod ſua traditoria ſuaſione regnum fere foret deſolatum, proceres decapitati, regina cum ſua prole proſcripta; ſicque cuncta ejus interiora ablata & igni injecta repente ſunt per flammam conſumta. Subſequenter gladio vertex ejus præciſus eſt, & reſiduus truncus corporis in quatuor particulas diviſus, caput in Londoniam, reliqua quarteria in quatuor præcipuas regni civitates in memoriam futurorum ſunt tranſmiſſa, & ad portas appenſa, altera die ſacræ feſtivitatis Omnium-Sanctorum. His ita perfectis, de licentia reginæ & ejus filii multi nobiles qui cum domino Johanne *de Bealmont* in Angliam profecti ſunt ad terras nativas multis onerati donariis ac ſpoliis reverſi ſunt, ſolo præfato Johanne cum paucis per preces reginæ ac procerum illic ſatis invite remanente.

Deinde in ipſa ſacra ſolemnitate Natalis Domini reprobato rege ignavo, & propter enormes exceſſus ac vitam deformem judicato indigno de cetero regalem deferre coronam, filius ejus primogenitus Eduardus annitentibus & acclamantibus univerſis regnicolis apud Londoniam in regem coronatus eſt, pro tunc vix annis ſedecim, ac cum ingenti omnium tripudio ſublimatus, ſed & prædicto domino Johanni tantus ac talis honor exhibitus, quantum nec qualem vix lingua poſſit humana deprimere. Inſuper & in annuis reditibus aſſignavit ei rex novellus propter ſuam probitatem quadringentas marcas Eſterlinorum ſolvendas ſingulis annis in cambiis oppidi Brugenſis, nec non Philippo ejus ſecretiori ſcutifero centum ejuſdem monetæ marcas ſimili forma annuatim deliberandas in Flandria conſignavit. Mox finita ſolemnitate prædictæ coronationis, dominus Johannes ſæpedictus cum ſuis qui remanſerant, audiens torneamentum maximum proclamatum apud Condetum, ad quod reges Franciæ & Bohemiæ, nec non & comes Hannoniæ frater ejus ac ceteri infiniti diverſarum regionum tirones convenire debebant, ipſe cum quindecim nobilibus & novellis militibus Angliæ navigavit ad ferram nativam cum omni qua decuit comitatus ſolemnitate cunctorum.

Eodem anno diſcordante, ut præmittitur, Leodienſi epiſcopo cum ſua civitate, abbas ſancti Nichaſii Remenſis, in quem partes, hortante papa per litteras, compromiſerant, per plures menſes multis tractatibus pro concordia laboravit, in tantum quod quatuor puncta ſuper quibus tota contentio vertebatur, in ſcedula declaravit. Unum erat quod carcerem portæ ſanctæ Walburgis, in qua magiſtri civium tamquam domini ſuos captivos ponere conſueverant, ad ſolum epiſcopum pertinere debere declaravit. De eivibus foraneis adhibuit aliquale moderamen, wareſcapia ſive loca communia diviſit mediatim inter partes. De faciendis ſtatutis novis pro commoditate civium ſatis rationabiliter ordinavit. Singula hæc in ſcriptis dedit, ſed ſigillare renuit, & nihil concluſit. Sua tamen ordinatio per papam poſtmodum eſt approbata & confirmata. Ea tempeſtate in quodam conflictu comes Flandriæ Ludovicus per ſuos Flamingos capitur, & per biennium cuſtodiæ mancipatus eſt.

Circa eadem tempora JOHANNE papa nimis favente Roberto regi Siciliæ, ac parti Urſinorum, Columnenſes ſive Guibellini velut acephalos ſe conſiderantes, Ludovicum Bavarum regem Alemanniæ ſibi feſtinato ſuccurrere mandant, qui cum paucis ſuperans Alpes, & veniens Mediolanum in die epiphaniæ corona ferrea illic coronatur, dehinc Romam tendens, inventis ibidem quibuſdam privilegiis quibus Romanis videbatur indultum, quod papa mortuo vel abſente, Romanus clerus imperatorem coronare

throno ſublimatur.

Qui fugere nitens capitur cum ſuis.

Hugo confeſſionis ejus auctus ſupplicio addicitur.

Reprobato rege ignavo filius ejus in

Concordia inter epiſc. Leod. & ſuos per abbatem S. Nicaſii facta.

Comes Flandriæ a ſuis captus.

Ludovicus Bavarus imp. coronatur.

poterat, illic Bavarus coronatus est, sed parum proficiens in Alemanniam repedavit. Eapropter Johannes papa ipsum velut hæreticum, schismaticum ac rebellem ecclesiæ condemnavit, imperio & patrocinio scriptis privavit, & electores omnesque proceres ab ejus fidelitate prorsus absolvit; unde idem Ludovicus in Franckfordia se volens expurgare publice coram omnibus nobilibus Alemanniæ, symbolum cum oratione Dominica dixit, & se verum esse Christianum ac catholicum profitebatur: demum succrescentibus malis, Bavarus quemdam fratrem Minorem Petrum de Corbolio in papam, immo verius antipapam erexit, qui ambo, videlicet imperator & suus antipapa in civitate Pisana imaginem sive effigiem Johannis papæ induentes straminibus, papalibus circumsultam indumentis, præsente multitudine populorum, sub hac forma Johannem papam condemnaverunt, degradaverunt, & tandem ejus effigiem igne cremavetunt. Præterea ubicumque Ludovicus dominium habebat temporalium, aut prævalebat armis, antipapa in spiritualibus præsidebat, dignitates ac beneficia conferebat. Tandem cum per annos aliquot res ita se haberet, antipapa Johanni papæ traditur, mediante maxima summa pecuniæ, qui sunte ligato per collum ex condicto principis nil aliud perpessus est mali, quam quod publice se erraſſe prædicans, detinebatur custoditus honeste, & post paululum diem clausit extremum.

Schisma suscitat in ecclesia.

Robertus rex Scotiæ adversus Anglos insurgit.

Anno MCCCXXVII. Robertus rex Scotiæ veteranus admodum sed belligerator maximus, considerans in regno Angliæ multas emersisse novitates, quodque rex adolescentulus in eodem recepisset regni gubernacula, patre repulso & sub custodia recluso: sperans insuper abstergere maculam sibi proavis per Anglos frequenter illatam, & terras suis prædecessoribus ablatas recuperare posse, diffidatione præmissa, circa partes Nortanhymbriæ multos fecit insultus, igne & ferro terram illam devastans graviter, præficiens suo exercitui duos præcipuos & elegantes viros, comitem *de Moret* ac dominum Wilhelmum *de Douglas* militem, qui cum equitibus tribus millibus & aliis equitaturis debilibus ac peditibus fere viginti millibus illuc sunt ingressi, damna maxima, ut præmittitur, partibus illis inferendo. At econtra rex novellus cum Johanne *de Bealmont* iterato in sui succursum de Hannonia evocato, cum octingentis circiter armaturis, una cum magnatibus regni & equitibus plus triginta millibus, & sagittariis viginti quatuor millibus, versus fines regni quos Scothi invaserant, fidenter properavit, intolerabiles imbrium, ventorum, famis ac somni perpessus adversitates; tandem cum ambo exercitus invicem comparuissent, Scothis in excelsa rupe castrametatis, & Anglis circa fluvium *Thien* profundum ac lapidosum, atque non sine periculo transvadabilem, eodem tenore & forma steterunt illuc diebus viginti duobus, nihil rationabile vel famosum interim peragentes, nisi quod omni die singulares & modicos inirent conflictus. Sed & nocte quadam dictus Wilhelmus *de Douglas* clam transvadato rivulo, ingressus tentoria Anglorum, trecentos ex eis peremit, ac tres palos de tentorio in quo rex accubuerat, præcidit; quo peracto, cum pauco suorum damno ad Scothorum castrum reversus est. Expleto numero dierum viginti duorum, Scothi media nocte latenter aufugientes, relictis in rupe victualibus, caldariis de corio bovino plus quam trecentis & amplius quam quingentis bestiis grossis jugulatis, quas deprædari fuerant, nec secum ducere valebant, ne impedirentur in abeundo, ad suam regionem sunt reversi. Similiter & rex Eduardus cum suo exercitu ad Eboracum civitatem post fugam Scothorum gaudenter repedavit, & a matre ceterisque magnatibus honorifice est festivatus.

Eduardus rex filiam comitis Hannoniæ ducit.

Ea tempestate dictus rex Eduardus per dispensationem Johannis papæ pro tunc in Avinione residentis, traduxit in uxorem filiam comitis Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ, propter fidelitatem & probitatem, quas in domino Johanne fratre prædicti comitis repererat, missis ad hoc negotium a rege uno episcopo cum duobus baronibus aliisque litteratis viris & familiis in numero copioso, & facta est solemnitas hæc nuptiarum in Londonia spatio trium hebdomadarum, ubi & regina inuncta est, & reginali diademate adornata.

Seditio Leodii.

Eodem tempore Leodienses mirabiliter circumventi, vel potius incantati per quemdam suum burgimagistrum Petrum *Andreas*, iterato seditiones excitarunt in favorem stirpis *de Avvans*. quo tempore mansio domini Walteri de Momalia combusta & aliorum plurium, qui fautores dicebantur stirpis de *Warous*, quorum magna pars de bello & diffidio se parum intromiserat. Cumque idem Walterus de damnis illatis se pararet ulcisci, villam quamdam juxta oppidum Tungrense spolians, a Tungrensibus captus est, & in vinculis longo tempore detentus. Cumque Leodiensis episcopus furori populi per arma non posset resistere, multos sibi principes, scilicet dominum papam, regem Francorum, & alios potentes conciliat. Hic siquidem episcopus, singulis annis a rege Francorum milie libras Turonenses valentes mille quingentos regales aureos recipere consuevit; per quas rex supradictus favorem episcopi consequenter procurabat ex causis jam antea narratis.

Regis Scoti obitus.

Per idem tempus reformata pace inter Anglos & Scothos, illustris rex Scotiæ decumbens in lecto ægritudinis, ad se accer-

ſiri fecit generoſum ac ſtrenuum militem Guilhermum *de Douglas*, aſſerens ſe votum ſolemne perprius feciſſe Deo & ſanctis ejus, quod quam citò regnum ſuum a bellis tranquillum & quietum foret, ipſe perſonaliter cum comitiva regia glorioſum ſepulchrum Domini in Jeruſalem viſitare deberet, ac ſanguinem Chriſti pro ſe effuſum, ejuſque blaſphemias, quas ab Agarenis, proh dolor! illic quotidie ſuſtinet, pro poſſe vindicare, etiamſi neceſſe foret, pro caſu hujuſmodi illic libenter voluiſſe trucidari; quod quoniam uſque ad diem illum propter urgentes cum bellorum aſperitates adimplere nequiviſſet, intente ſupplicabat dicto Guilhermo ut quam cito ipſe mortis jura ſubiiſſet, cor ejus extractum optimo balſamo conditet, ſumtiſque de theſauro regis pecuniis & jocalibus, quantum ſibi ſufficere judicaret, cum comitiva ac ſi rex ipſe præſens eſſet, illud votum ſuſcipieret adimplendum; & ſi corpore, inquit, illuc perigrinari non poſſim, ſaltem cor meum illuc deferatur. Nam in te velut in fideliſſimo regni mei milite ſpem gero: quod ſi id mihi fide media promiſeris, abſque dubio non tardabis adimplere. Tunc ille, promitto, ait, Deo & tibi domine rex, quod propoſitum tuum & votum quod feciſti, juxta virium poſſibilitatem, ſi voluntas divina permiſerit, irrefragabiliter adimplebo. Jam, inquit rex, lætus moriar, quia quod ſperabam pro majori parte ſum aſſecutus, & mox filium ſuum David adhuc juvenem potentioribus regni ſuppliciter commendans, requievit in Domino. Igitur adveniente verno tempore prædictus Guilhermus memor promiſſi, ſumta decenti comitiva ac theſauro ſufficienti, includens etiam vaſculo gratioſo cor regis balſamo conditum, cum navium claſſe profectus eſt ad oppidum Flandriæ Scluſam, illic inveſtigans diligenter & ſollicite, ſi ſaltem aliqui Chriſtiani principes ad terram ſanctam vellent proficiſci, quorum fretus conſortio votum ſuum commodius exequi valeret, & duodecim dierum ſpatio ibi permanſo, nil certi potuit advertere. Sed audiens regem Caſtellæ & Legionis in brevi cum rege Garnatorum Agarenum habiturum conflictum, illic confidenter properavit, ut expleta illa primitus expeditione contra Sarracenos vicinos, confeſtim, ſi Deus permitteret, ad alteram longiorem proſequendam ſe præcingeret. Congregatis igitur in quadam planitie duobus exercitibus, cum ſe mutuo poſſent eminus contemplari, & putaretur conflictus incontinenti futurus, atque pauliſper Hiſpani ſe movere cœpiſſent, dictus Guilhermus nolens eſſe de poſtremis tamquam pavidus, ſed in fronte ſemper gradi, dextrarium acriter calcaribus urgens, cuneis Agarenorum ſe immiſcuit cum ſuis Scothis, Hiſpanis pro tunc non ſubſequentibus: qui continuo bel-

Guillelmi de *Douglas* obitus.

luino more circumſeptus, cum ſuis omnibus illic peremtus eſt, & votum ſuæ peregrinationis, ſicuti ſperamus, eo modo viriliter complevit, pro morte temporali vitam adeptus ſempiternam.

Philippus rex Carolo regi Francorum ſuccedit.

Anno Domini MCCCXXVIII. Carolus Francorum rex, filius Philippi Formoſi, defunctus eſt, relicta uxore prægnante, quæ cum filiam peperiſſet, proceres in commune Philippum filium patrui ſui Caroli *de Valois*, fratris Philippi Formoſi ſublimant in regem, excluſo Eduardo rege Anglorum, cujus mater, ut præfertur, filia erat ejuſdem Philippi Formoſi, aſſerentes jus regium ad filiam numquam poſſe ac debere devolvi, & nec per conſequens ad filium filiæ: ex quo poſtmodum tota Francia fere igne & ferro deſolata eſt. Poſt pauca, videlicet in feſto Trinitatis ſubſequente, Philippus rex apud Remis inunctus eſt, & regni ſuſcepit gubernacula. Incontinenti poſt hanc ſuam coronationem Philippus rex properat contra Flamingos caſtrametatos in vallibus Caſleti, adjuncto etiam Francis Johanne rege Bohemiæ, & Guillelmo comite Hannoniæ. At Flamingi quadam die circa finem Auguſti, ſedentibus regibus in ſuis tentoriis ac quiete cænantibus, egreſſi fecerunt tres turmas, invadentes ſimul & ſemel exercitum adverſariorum in tres acies diviſum. At Franci ex improviſo ſic invaſi, vix ſe poterant armare, & nili divina majeſtas eis aſſuiſſet, Flamingi de eis triumphaſſent. Idem paſſus eſt rex Bohemiæ cum acie ſua, ſimiliter & comes Hannoniæ. Finaliter Flamingi illic devicti ſunt, & quindecim millia eorum illic ſunt occiſa, & vix mille per fugam ſalvati. De exercitu Francorum duo millia tantum perierunt. Tunc pace facta ac datis obſidibus, tributa Flandrenſibus augmentantur, & Ludovicus eorum comes ſuum recepit dominium, unde primum propulſus fuit.

Flandros debellat.

Confœderatio Leodienſ. adverſus epiſcopum.

Eodem anno poſt pauca Leodienſes litteras confœderationis ſuæ factæ inter oppida totius patriæ miſerunt civibus Hoyenſibus, aſſerentes illos contra promiſſum & fœdus primarium, fovere & ſuſtinere epiſcopum ſuum, & alios quoſdam hoſtes eorum libere per oppidum permittebant incedere. Illis ſe excuſantibus, nuntii Leodienſium litteras eaſdem in concione coram omnibus lacerarunt, ac recedentes dicebant quod Hoyenſes de cetero Leodienſium haberentur inimici capitales. Confeſtim undecimo calendas Junii Leodienſes aſſociatis ſibi Tungrenſibus & oppidanis Sancti-Trudonis, cum vexillis egreſſi, caſtrum apud *Fiet* quod ad Ægidium de Cervo ſpectabat, oppidanum Hoyenſem funditus diruerunt. Exinde verſus Hoyum properantes, ſuburbia verſus Septentrionem, in loco qui dicitur *Le ſtat* impetunt ut comburant. His auditis, Hoyenſes cum Razone de Cantumerula milite ſtre-

nuo, obviam exeunt contra Leodienſes, ac facto impetu gravi ex parte Leodienſium, filius domini Wilhelmi caſtellani Waremiæ cum aliis pleriſque occiſus eſt, ſed & dominus Razo inſidens equo male domito, inter garciones Leodienſes tranſvectus illic eſt peremtus. Interim epiſcopus e caſtro Hoyenſi progrediens, ad montem *Arbone* feſtinat, non ſacerdotis, ſed Hectoris vel Achillis ſpeciem repræſentans. Cernens autem partem ſuam imparem hoſtibus, ad montis *Arbone* paſſum, per quem plana via ducit Leodium, equo relicto, miles pedeſter effi-

De quibus ille reportat victoriam.

citur. Hoc momento Conrardus domini B epiſcopi frater ſupervenit, & præcinctus baltheo militari, fratri epiſcopo cum ceteris ſe junxit, ac cum ſuis hoſtibus in eodem paſſu cœperunt viriliter dimicare. At Leodienſes volentes per declivia montis aſcendere, ut a tergo ferirent Hoyenſes, lapidum jactu ſunt repulſi. Illic gravi facto conflictu, duo præcipui capitanei Leodienſes dominus Johannes *de Haneffe* & Amelius *de Bovingniſtier* perimuntur, & reliqui in fugam verſi ſunt per opaca nemorum latitantes; quos inſequentes cunei epiſcopi, peremerunt ex eis fere trecentos, multis etiam abductis captivis. Videns autem epiſcopus ſuos ferventes C & furentes ad necem hoſtium, miſericordia motus, parcite, inquit, jam ſatis eſt ad præſens, Dominus forſan dabit eis intellectum, ut convertantur & vivant.

Confeſtim poſt hæc, videlicet in ipſa ſolemnitate Sacramenti, eodem tenore ad præfatum montem *Arbone* Leodienſes reverſi ſunt, illic locum ſecundi conflictus ſtatuentes: ſed regreſſo epiſcopo cum fratre ſuo & ceteris Hoyenſibus, de recenti victoria adhuc tumentibus, Leodienſes in primo conflictu fuga elapſi abierunt. Verum oppidani Sancti-Trudonis a fratre epiſcopi præoccupati, juxta D caſtrum Waremiæ centum de ſuis amiſerunt occiſos, & captivos triginta. Reſidui in caſtro Waremiæ ſibi proximo, tranſvadato rivo, per fugam ſalvati ſunt. Exhauſto itaque per hujuſmodi inteſtina bella ærario, Leodienſes neceſſitate compulſi ſunt firmitatem ſive aſſiſiam ſuper vino & ſale exigere, quod graviter obſtat juramentis omnium canonicorum, quoniam in ſua primaria receptione jurant numquam in his ſuum præbere conſenſum. Porro nonnulli canonici de civitate vel patria oriundi, volentes furori multitudinis ad tempus cedere, tacitum præbuere E conſenſum: aliquanti vero verſus Hoyum ſe dirigere molientes ſociandi ceteris, illic, ut præfertur, reſidentibus, in itinere capti ſunt, grangiæ & manſiones eorum igne crematæ ſunt. Facta deſuper proclamatione ad peronem, quod quicumque capere poſſet clerum abeuntem, ipſo & ſpoliis ejus tamquam ſervi captivi libere poſſet uti; ſuper quibus & ſimilibus injuriis eccleſiæ Leodienſes domino papæ regique Francorum & proceribus multis litteras lamentabiles deſtinarunt, omnem rei geſtæ ſeriem indicantes. Perpendentes autem Leodienſes quod adverſarios ſuos in corporibus lædere non valebant, ad domorum ſuarum excidia convertuntur. Nam caſtrum *de Harduemont*, obſidione facta, cum ruſtici illic cum inſignibus incluſi diſcordarent, ad deditionem compulerunt, & illo deſtructo, graviter turres & fortalitia de *Waroux*, de *Velroux*, de *Oborne*, de *Herre*, de Landris ſolo adæquaverunt.

Leod. regem in ſuũ epiſc. exaſperant.

Poſt hæc Francorum regi noviter coronato litteras dirigunt, conquerentes eidem de quibuſdam fautoribus ſui præſulis, qui in territorio Viromandenſi ſuos ambaſſiatores ad curiam apoſtolicam tunc in Avinione conſiſtentem properantes, ſpoliaverant, in Weſtflariam captivos abduxerant: unde prima fronte commotus rex, ſcribit Leodienſi epiſcopo, quod conniventibus oculis hujuſmodi injurias, præſertim in derogationem ſui ac ſedis apoſtolicæ illatas non poterat pertranſire, mandans eidem quod prædictos captivos ſolutos a vinculis ſibi tranſmittat, & ad ſe purgandum de objectis poſt modicum Pariſius ſe repræſentet: cui ſic reſcripſit epiſcopus:

Ejus ad regē epiſtola.

Litteris regiæ majeſtatis non ſine ſtupore nuper acceptis, quod ſuper captionem quorumdam nuntiorum civitatis Leodienſis infra limites regni veſtri meam videretur innocentiam ſuggillare: quare quoad præſens reſponſionem plenam non expetunt, regiæ ſerenitati notifico quod ad diem mihi præfixam comparere ſufficienter intendo, & me taliter ſuper omnibus excuſare, quod merito contentari debeat celſitudo regalis.

Machliniam obligat comiti Flandr.

Igitur Leodienſis epiſcopus Adulphus conſiderans terram ſuam hinc inde devaſtari, & caſtra dirui, auxilium flagitat amicorum ex Alemannia, obteſtans eos ut certa die ſuffragium ſibi allaturi non tardent occurrere. Interim de conſenſu capituli obligat Machliniam comiti Flandriæ pro viginti millibus florenorum regalium, & pariformiter Leodienſe capitulum ſe obligat aliunde ad octo millia regalium. His perpetratis, cives Leodienſes omnes proſcriptos & bannitos ad civitatem revocant, ſtipendiarios conducunt, domos canonicorum abſentium illis ad inhabitandum conſignant, oſtia, feneſtras pariter comburunt eorumdem, plumbum canalium, vitreas & reliquam ſupellectilem domorum diripiunt, viridia deſtruunt ac blada prædantur. His decurſis, præfixa die comites Gelriæ, Juliacenſis, Montenſis, de Marka, & alii multi Alemanni nobiles circa *Hourle* & *Alken* caſtrametantes advenerunt, quorum Leodienſes perſentientes adventum, priuſquam exercitus convenire potuiſſent, ducem Gelriæ cum ſuo cuneo viriliter ſunt aggreſſi, ſed Gelrenſes ſuſtinere primum

Leodienſes debellat.

primum impetum non valentes, terga vertere cœperunt. Quo audito, epiſcopus furibundus qui non longe aberat accurrens, cum paucis Leodienſes invadit, multos obtruncando: quo viſo, Gelrenſes regreſſi, cuneis epiſcopi ſociati, ſtragem magnam in Leodienſes exercere cœperunt; quorum multo plures corruiſſent, niſi nox ſuperveniens fugiendi latibulum præbuiſſet. Acta ſunt hæc ſeptimo calendas Octobris. Deinde advenicnte exercitu de Hoyo & Bullione cum ceteris quibus poterat epiſcopus impe-

Oppidum Tungrenſe obſidet.

B rare, oppidum Tungrenſe obſidione vallavit: comes autem Gelriæ quamvis rogatus abire feſtinavit, & contra jus bellicum abduxit electos octoginta captivos, magnum ab illis extorquens poſt pauca theſaurum. Obſidione facta, ſumtuoſæ nimis machinæ fabricantur, quibus ſperabant oppidum expugnare, ſed attædiatis longa obſidione Alemannis, & Hoyenſibus lente ſuum epiſcopum contra cives Tungrenſes adjuvantibus, per interventum principum epiſcopus flectitur ad tractandum de concordia & unione;

Flectitur ad tractandum de pace.

C & licet graviter huic tractatui obſtitiſſent hinc inde genereſi *de Waroux* & *Avvans*, & præſertim vir factioſus & iniquus burgimagiſter Leodienſis dictus Petrus *Andricas*, nihilominus facta eſt pax quædam, quæ hucuſque nominatur pax de Wihonia, videlicet quod ordinatio abbatis ſancti Nichaſii, de qua præmiſſum eſt, quoad captivitatem, cives francos, wareſcapia, & leges novas inſtituendas, rata maneret & vigoroſa; ſed & pro injuriis ac damnis illatis epiſcopo Leodienſi, ſolverent eidem quinquaginta millia librarum Turonenſium; ſicque epiſcopus obſidione ſoluta receſſit ad caſtrum ſuum de *Muhalt*. Interim durante hoc tractatu, cives

D Dyonantenſes ignorantes quæ geſta fuerant, villas Condroſii pervagantes, undecim ex eis combuſſerunt, & caſtrum *de Hubins* cum eccleſia combuſſerunt; ſed & comes Gelrenſis cum de captivis quos abduxerat infinitam exegiſſet pecuniam, Leodienſes quorum ærarium per guerras longiturnas exhauſtum erat, ſtatuere intendebant firmitatem ſuper vino & ſale, &c. Sed quoniam hoc per omnes erat abjuratum, diſpenſatio a ſede apoſtolica impetratur, & per quinquennium firmitas levari permiſſa eſt, ſicque patria a bellorum

E tumultu pauliſper requievit.

Anno Domini MCCCXXIX. dux Brabantiæ Johannes obſedit caſtrum de Falcomonte, & tandem cuſtodes ejus ad deditionem compulit, ipſumque ſubvertit octavo kalendas Maii. Eodem tempore apud Leodium poſt hujus pacis pronuntiationem, ſcabini novi per epiſcopum noviter creati, multos ex gubernatoribus miniſterialium ſibi conciliaverunt, regentes pro libito cives, & affligentes quos impotentes eſſe cernebant: adeo ut ſibi ſegregatim quinque aut ſex mutua fa-

A cerent colloquia, velut ſuſpecti & murmuratores haberentur ac ſeditionem facere molientes. Interea Petrus *Andricas* videns ſe non poſſe uti libertate ac auctoritate ſuper cives, Petrus Andricas populum Leod. ad ſeditionem excitat.
ſeditionem in populo procurabat, aſſerens eos ſerviles effectos qui pridem liberrimi fuerant, nec debere permittere ſe ſerviles effici, dum vix in tanto temporis tractu, in tot bellorum anfractibus nonniſi octingentos de ſuis amiſiſſent. quod tamen olam practicare niteretur, & animos complicum ſuorum & factioſorum ad ſeditionem emollire, per quamdam matrónam epiſcopo ſupra hac re eſt incuſatus & detectus: unde plerique inſignes & ſcabini hac de cauſa civitatem Leodienſem deſerentes, ad alia ſe domicilia tranſtulerunt. Porro prudentiores ex civibus epiſcopo mandaverunt, quatenus pacem initam & arbitratam omnibus vellent obſervare, & contra illam delinquentes velut perjuros corrigi juxta formam pacis noviter initam debere, ſicque placatus eſt ad tempus epiſcopus, nec tamen ad civitatem reverſus; ſed tractatus univerſi, ſi qui ineundi forent, extra civitatem in caſtro de *Muhalt* apud Hoyum & *Fexhe* concludebant. Juraverat ſiquidem fide ſua media ſolemniter, quod quamdiu Petrus *Andricas* civibus ſuis dominaretur & regimen ſuper eos gereret, numquam ingreſſurus eſſet civitatem: quam ob rem idem epiſcopus magno exercitu tam ſuorum conſanguineorum, quam amicorum in patria conſtitutorum conglobato, apud villam de *Vothem* in ſuburbio Leodii ſitam, ubi dictum Petrum *Andricas* & ſecum accuſatos tamquam factioſos ac ſeditionis incentores coram ſcabinis ad peronem judicialiter fecit evocari pridie idus Maii anno XXX. qui cum ad diem comparere non auderent, auditis contra eos teſtibus triginta novem, finaliter abjudicantur ac proſcribuntur e patria, & omni honore privati ſunt; ſed ad oppidum Namurcenſe omnes ſubito perfugerunt, uno ſolo capto, & pro ſuis exceſſibus in rotam locato. Exinde ceſſavit murmur civium.

Prudentiores ex civibus pacē volunt.

Factioſi citantur & condēnantur.

Eodem tempore Johannes comes Namurcenſis jam veteranus, ad poſtulationem comitis Flandriæ venit Pariſius, ubi dum gra- Comitis Namurcenſis obitus.
viter languere inciperet, poſt paululum defunctus eſt, relictis duobus filiis Johanne & Guidone ex ſorore domini Roberti *d'Artois* procreatis, quorum primus Johannes patri ſucceſſit in comitatu, Guido attamen verſus terram ſanctam profectus illic cingulum militare ſuſcepit.

Anno MCCCXXX. Petrus de Corbario de ordine fratrum Minorum per Ludovicum Bavarum in antipapam creatus, qui ſe Nicolaum quartum appellari fecit, longo tractu temporis in Avinione tentus, graviter pœnitens ac contritus, ut videbatur, in præſentia curiæ papalis ac totius populi talem ſuæ

pœnitentiæ formam publice professus, quæ sequitur :

In nomine Domini, Amen. Quoniam juxta doctrinam Sapientis occultanti scelera sua denegatur directio, pure autem confitenti & ea penitus deserenti est misericordia repromissa : idcirco ego frater Petrus de Corbario de ordine fratrum Minorum, sceleratissimus peccator, hoc considerans & attendens, volens in viam veritatis, quam umquam deserui, dirigi, & misericordiam ac gratiam invenire, quamvis nuper Pisis existens coram reverendis patribus domino SIMONE *archiepiscopo Pisano & domino* GUILLERMO *episcopo Lucano, & discreto viro magistro Raymundo Stephani clerico papalis cameræ & apostolico nuntio, præsentibus multis prælatis, ac aliis religiosis, & nobilibus ac popularibus civitatis Pisanæ, errores meos & scelera spontanee cum ingenti cordis amaritudine confessus fuerim, & a præfatis archiepiscopo & episcopo, recepta prius confessione mea & abjuratione errorum meorum, & præstito juramento de standO & parendo mandatis apostolicis, beneficium absolutionis habuerim ab omnibus sententiis juris & hominis : nihilominus tamen adhuc errores meos & scelera mea in præsentia sanctitatis vestræ domini* JOHANNIS *superna providentia summi pontificis, veri & unici Domini nostri* JESU CHRISTI *in terris vicarii ac ecclesiæ sacrosanctæ catholicæ, & in præsentia vestri sacri collegii dominorum cardinalium constitutus, intendo & volo recognoscere & abjurare errores meos, & alia facere quæ sanctitas vestra duxerit ordinanda. In primis itaque confiteor & cum ingenti amaritudine animi recognosco, quod cum seductor ille schismaticus & hæreticus manifestus Ludovicus de Bavaria, dudum jure, si quod sibi quæsitum fuerat ex electione discordi de ipso in regem Romanorum celebrata, juste privatus fuisset per sedem apostolicam & eamdem sanctitatem vestram, ac ut hæreticus & fautor hæreticorum notorius de multis hæresibus & fautoriis hæreticorum, ac schismatibus condemnatus, ad urbem Romanam imbutus diabolico spiritu pervenisset, religiosus vir minister Romanæ provinciæ ordinis fratrum Minorum, ac dominus* JOHANNES *Dei gratia sancti Theodori diaconus cardinalis, sedis apostolicæ & vestræ sanctitatis legatus, pro majori observatione interdicti, cui tunc erat per vos, sanctissime pater, supposita urbs prædicta, ejusdem Ludovici adventu percepto, mihi & aliis fratribus in eadem urbe morantibus sub virtute obedientiæ & excommunicationis pœnis, quas non parentes ipso facto incurrerent, publice injunxisset, ut dictam urbem nos & singuli exiremus, ego tamen infelix peccator præceptis hujusmodi nonobstantibus, in eadem urbe præsente dicto pessimo hæretico & schismatico Ludovico, & assistentibus ei pluribus aliis schismaticis & hæreticis condemnatis & reprobatis per sanctitatem vestram & ecclesiam sanctam Dei pertinaciter remanere præsumpsi, & in ea, licet esset juste & sancte per vos ecclesiastico interdicto suppositæ celebravi divina sæpius, immo quantum in me fuit verius prophanavi. Deinde cum idem perfidus Ludovicus datus in reprobum sensum, se de facto fecisset imperatorem, & a certis Romanis perfidis coronari, & contra vos, beatissime pater, diabolicam & iniquissimam de ipsis, immo verius abusionis promulgasset sententiam, & processus diversos temerarios, falsos & injustos, meque ad quorumdam infidorum principalium Romanorum clericorum & laïcorum instantiam, ejus sequacium, una cum certis de clero & populo perfidis ejus complicibus & fautoribus, ad hoc secum vocatis in papam & summum pontificem, immo verius antipapam damnatum & pestiferum elegissent : ego miser inductus, immo seductus suis & multorum tam clericorum quam laïcorum ejus fautorum & sequacium dictæ urbis precibus importunis & perniciosis instantiis, ac infestis, falso & erronee asserentium quod papam deponere poterat imperator, & loco depositi alium ordinare, & per quos eidem hæretico & schismatico Ludovico, qui tunc in fictum & falsum imperatorem denuo se coronari de facto fecerat, & vos, pater beatissime, abusive deposuerat, ac mea superbissima electione more luciferi ambitionequE damnabilis exœcatus, hujusmodi electioni tam nephandæ quam reprobæ, immo nulli malitioso consensum meum temerarium & omni pœna dignissimum non erubui adhibere, ac subsequenter consecrari immo exsecrari ab hæretico & schismatico dudum Castellano episcopo excommunicato & deposito & coronari a dicto Ludovico de Bavaria hæretico me permisi, licet ad eum etiam si verus imperator existeret, sicuti revera non est, sed hæreticus & iniquus, nequaquam talis coronatio pertineret. Item, quod cardinales immo verius anticardinales & omnes officiales quos verus papa est habere solitus, de facto ordinare præsumsi, bullamque more papæ, licet essem reprobus & damnatus fieri feci, & habui, eaque falso usus fui temere & inique, & ut statum meum perversissimum & Ludovici prædicti damnati, ac falsas opiniones hæretici & schismatici Michaëlis de Cesana dudum ministri generalis ordinis fratrum Minorum, scilicet quod Christus & ejus apostoli in his quæ habuisse dicantur non habuerint nisi tantum usum facti simplicem, possem fortius ac promtius stabilire, Dei timore postposito, extendens ad omnia illicita manus meas, processus & depositionis sententiam Ludovici prædicti hæretici manifesti contra vos, sanctissime pater, habitam & etiam fulminatam, supplens etiam omnem defectum, si quis esset in ipsis, ex certa scientia & plenitudine potestatis non solum illos confirmare, & mei scripti patrociniis communire non erubui, sed etiam denuo sententiare, pronunciare, declarare & prædicare publice omnia & singula in dictis processibus promulgata præsumsi : in quibus quidem processibus Ludovicus prædictus*

pronuntiabat & declarabat fore hæreticum & scripturæ sacræ contrarium, dicere quod Christus & apostoli in his quæ habuisse dicuntur, habuerint aliud quam simplicem usum facti, & ex qua quidem pronunciatione evidenter concluditur, ipsum & me etiam ex confirmatione, pronunciatione, prædicatione prædictis in damnatam hæresim per constitutionem vestram apostolicam de fratrum vestrorum consilio promulgatam incidisse; & nihilominus ad diversos principes & reges litteras meas destinavi, per quas ad eorum notitiam deducebam quomodo vos, pater beatissime, cui multa falsa, hæretica & erronea in eisdem litteris imponebam, suggerentibus dictis hæreticis Ludovico & Michaële, ac juxta votum ordinantibus per eumdem Ludovicum & per me fueratis depositus, similiter & condemnatus, eosdem reges & principes exhortando nihilominus & rogando, quod vobis tamquam papæ non parerent aliquando, nec favores aliquos exhiberent, sed contra vos potius mihi & Ludovico prædicto præberent auxilium, consilium & favorem: nec his contentus tam in Urbe quam in pluribus civitatibus aliis & locis clericos sæculares & regulares compuli, ut nonobstante interdicto, cui per vos, sanctissime pater, erant supposita loca ipsa, in eisdem celebrarent, immo verius quantum erat in me prophanarent divina: tallias quoque ecclesiasticas imposui tam in Urbe quam alibi; pro quibus calicibus, ornamentis & nonnullis rebus aliis ipsas ecclesias spoliavi. Fideles insuper prælatos nonnullos, & alios clericos in dignitatibus & beneficiis aliis ecclesiasticis constitutos suis privavi prælationibus, dignitatibus & beneficiis aliis ecclesiasticis, in illis præficiendo, vel hæreticos, vel schismaticos, velcorum fautores, & plerumque non absque symoniaca pravitate: quibus etiam illis scilicet, quorum hujusmodi prælatio requirebat, de facto cum de jure non possem, per me vel alium munus consecrationis immo verius exsecrationis impendi. Contra fratres quoque Minores non parentes Michaëli prædicto tamquam generali ministro, qui tamen depositus erat juste & condemnatus de hæresi, hæreticus & schismaticus declaratus, & alius per generale capitulum concorditer in generalem assumtus: & contra servantes interdicta per vos, sanctissime pater, vel legatos seu officiales vestros aliàs promulgata, utroque spirituali videlicet & temporali gladio procedere non expavi, eidem Michaëli & sequacibus suis hæreticis & schismaticis impertiendo injuste & temere auxilium & favorem. insuper indulgentias & dispensationes sedi apostolicæ reservatas, de facto concedendas & etiam faciendas. Nonnullis quoque qui pro pontificibus se gerebant, commisi, ut sacros ordines celebrarent, in quibus ordinationibus plures, ut credo, ad sacros ordines promoverunt temere. cum eis virtute præfatæ licentiæ non liceret. De patrimonio quoque beati Petri in nonnullis locis ad tempus & interdum in perpetuum disponere non expavi. Hæc omnia & plura alia contra Deum & sanctam catholicam ecclesiam ac vos, beatissime pater, verum & unicum Jesu-Christi *vicarium recognosco & confiteor me fecisse, quæ omnia recognosco, nulla fore & cassa & inania, velut ab illo, cui ea faciendi non competebat jus aliquod attentata; quæque quantum ad me spectare potest, quatenus processerint de facto revoco, & nulla fore & fuisse pronuntio & declaro. Confiteor me insuper credere & tenere fidem illam, quam sancta ecclesia Romana ac vos, pater sanctissime, tenetis, prædicatis atque docetis, & me existente in judicio coram vobis, sanctissime pater, abjuro omnes & singulos errores & articulos erroneos supradictos expresse & sigillatim, & juro parere mandatis ecclesiæ & domini papæ & misericordiam & absolutionem a vinculis excommunicationis & reintegrari ecclesiæ unitati a qua deviavi, &c.*

Quibus, ut præfertur, rite ac solemniter peractis, dictus frater Petrus antipapa Aretinus natione, ad pœnitentiam receptus est ac unitati sanctæ matris ecclesiæ restitutus, necnon & sub debita non tamen nimis arta custodia locatus, ubi post pauca defunctus. Hæc quidem facta sunt in Avinione anno Domini MCCCXXX. pontificatus domini Johannis XXII. anno decimo quinto sexta Septembris.

Anno MCCCXXXI. inter Philippum regem & Robertum *d'Artoys* maxima cœpit oriri simultas propter comitatum Artesii, in quo idem Robertus jus successionis sibi competere asserebat, regina contrarium affirmante, & pro fratre suo filio ducis Burgundiæ acerrime laborante. Porro Robertus *d'Artoys* litteras quasdam sigillo comitis in Flandria per prius interfecti produxit sigillatas, quarum virtute seu ex pacto sive ex dono post mortem comitissæ Machtildis, idem Robertus in comitatu prædicto se succedere debere asserebat: quam dum rex inspiceret, & de hoc nil per prius audierat, suspecta sibi videbatur velut falso sigillata. Itaque pro hac re ambo contendentes ad judicium regale vocantur. at regina pro fratre suo nocturnis apud regem ociis insistente, rex inducitur ad acrius & subtilius investigandam veritatem, & vocato Roberto coram regni proceribus & causarum regni auditoribus, quæritur ab eo an litteris hujusmodi ac sigillo tamquam veracibus uti vellet in judicio: qui communicato consilio suorum respondit, quod uti illis vellet pro talibus quales essent, præsertim cum eas non procuraverat sigillari, sed ab alio sibi præsentatæ essent. Ex his amplior materia suspicionis ministræ regi & principibus accrescit. Tandem examinatione legitima præcedente, dictas litteras indices pronuntiant esse falsas. Porro dum nil sit occultum quod non reveletur, detectum est regi quod quædam mulier nobilis & formosa pellex vel concubina domini

Dissidium inter Philippum & Robertum comitem Artesii.

Theodorici, Atrebatenſis pridem comitiſſæ Machtildis ſummi conſiliarii, has litteras ſic fabricaſſet. Quam cum rex captivam ſibi perduci feciſſet, promiſit eidem quod ſi veritatem rei ſibi indicaret, remitteret ſibi culpam: tum illa confeſſa eſt, quod cum magiſter Theodoricus prædictus multas penes ſe litteras haberet diverſorum contractuum, ſigillo regis & comitis defuncti roboratas, ipſa ſubtractis his ſigillis novis litteris ad ſuum placitum factis, ea ingenioſe dictis litteris applicuit. Siquidem cum crine permixto quodam liquore ſigillum ſecabat inter cartam & ceram, & tunc caudæ novæ litteræ ſigilli partes applicans ab una parte liqueſcentes igniculo rejungebat, & ne hoc finxiſſe videretur, ſubtilitatem hanc coram rege pluries dicitur oſtendiſſe. Interim contra dominum Robertum fertur exorta ſuſpicio, quod videlicet regi fratrique & filio venena paraverit, quod præfata mulier procuraſſe ſe confeſſa eſt in tormentis, ſicque quæ ex promiſſo regis primam evaſerat, pro culpa ſecunda ſententiam mortis excepit. Poſt hæc Robertus ad judicium vocatus ſed non comparens, de regno compulſus eſt fugere, nonobſtante priore familiaritate quam cum rege habuerat pridem, & quod ſecretiſſimus ejus fuiſſet conſiliarius, & ſororem regis duxiſſet uxorem. Poſt hanc fugam rex uxorem præfati Roberti ſororem ſuam & filios ejus artiſſimæ mancipari fecit cuſtodiæ, in qua illa defuncta eſt, & filii uſque ad ætatem adultam detenti ſunt, nullis procerum vel amicorum ſuffragantibus precibus aut fletibus. Exinde dictus Robertus verſus Namurcum ſe tranſtulit, quoniam comitis illius ex ſorore ſua procreati avunculus fuerat: ſed ſupervenientibus litteris regis comminatoriis, illic amplius non eſt auſus remanere; quin imo ad Brabantiæ ducem confeſtim aufugit. Cui cum rex mandaſſet, ne in terra ſua hoſtem capitalem ſuum detineret, nec tamen continuo dux mandatis regiis pareret, ſed occulte Robertum ad caſtrum *de Argentiel* tranſmiſiſſet; fremens nimium rex infinitis donariis impetravit, ut hac occaſione maximi principes, videlicet rex Bohemiæ, archiepiſcopus Colonienſis, epiſcopus Leodienſis, comites Gelrenſis, Juliacenſis, Montenſis, Barenſis, dicti ducis tamen in tertio gradu conſanguineus, Namurcenſis filius ſororis Roberti præfati, comes Loſſenſis frater comitis Hannoniæ, dominus Johannes *de Beamont*, & plures alii unanimiter parique voto ducem diffidaverint. Itaque Robertus ſæpedictus neque in Francia neque in Alemannia cernens ſibi ſubterfugii locum ſupereſſe, ad Anglorum regem Eduardum transfretavit: cui rex comitatum *de Richemont*, qui dudum ſpectabat ad ſuos prædeceſſores, pro dono contulit, a quo idem rex de jure quod ad coronam Franciæ habere deberet, plenarie informatus eſt, dictumque Robertum inter amiciſſimos cœpit collocare, ex quo totius regni Francorum diffidatio & deſolatio poſt modicum eſt ſubſecuta, ut patebit.

Diſſenſio inter ducem Brabantiæ & oppidanos S. Trudonis.

Eodem tempore inter ducem Brabantiæ & oppidanos Sancti-Trudonis gravis eſt orta diſſenſio: nam dux quemdam eorum armigerum in terra comitis Loſſenſis commorantem capi fecit, domumque ejus quam a Leodienſi epiſcopo tenebat in feodum, comburi ipſumque decollari. Inſuper & villicus tenens aliquantos negotiatores Sancti-Trudonis, qui pannos multos & bonos habuerant venales, de quadam eccleſia violenter abſtrahi fecit: ſuper quo miſſi certi ambaſſiatores querulantes duci de damno ſuis concivibus illato, pro tunc apud *Rochelar* filiam ſuam naturalem nuptui tradenti. Dux quia tunc ſuos conſiliarios pro tunc penes ſe non habebat, eis diem alium in Bruxella conſignavit, ubi convenientibus Leodienſibus, dux ſe paciſci velle, & tractare velle cum epiſcopo aſſerebat, ſed Sancti-Trudonenſibus treugas dare nequaquam volebat: qui conſiderans hoc Leodienſibus non fore honeſtum; ſed ex altera parte videns inſtantem hyemem, ducis potentiam & ſuos imparatos, reſponſum ducis gratanter accipientes, pro tunc diſceſſerunt, facientes de neceſſitate virtutem. Verum in anno futuro, nacta occaſione, Leodienſes ceteris magnatibus prænominatis adjuncti, maximam de duce expetierunt vindictam, ut clarius exponetur in progreſſu.

De Ruperto ordinis Prædicatorum.

Circa eadem tempora fuit quidam frater ordinis fratrum Prædicatorum, Rupertus nomine, nobilis genere, ſed nobilibr moribus & ſanctitate, qui adeo profecit in religionis obſervantia, quod ſicut pie creditur, ſpiritus angelici corpus ejus detulerunt ad ſepulchrum: nam tumulationi ejus aſſiſtens vir egregius frater Petrus provincialis Provinciæ, clare pro tunc vidit feretrum in quo corpus jacebat in tantum elevari in aëre, quod illud cum cruce quam ſubdiaconi ante feretrum portare ſolent, non valebat attingere, & ſic abſque humano amminiculo pervenit corpus prædictum ad locum ſepulturæ; teſtes erant multi cives Avinionenſes qui tunc affuerant in domo fratrum Prædicatorum, ubi hæc facta ſunt.

Philippus rex ducis Brabantiæ terras inhabet invadit.

Anno Domini MCCCXXXII. Philippus *de Valois* Francorum rex, ut præfertur, nimium iratus duci Brabantiæ Johanni, pro eo quod Robertum *d'Artois* hoſtem ſuum in terra ſua fovebat ac occultabat, ut negotium cordi habere videretur, ſuum conneſtabularium comitem *d'Eu* miſit cum exercitu magno ad principes invicem colligatos, videlicet regem Bohemiæ, archiepiſcopum Colonienſem, epiſcopum Leodienſem & comites præfatos, mandans terram ducis confeſtim

excidio dari : qui ſimul conglobati apud *Fexhe*, verſus Hanutum oppidulum feſtinantes, cum quibuſdam aliis adjacentibus villis combuſſerunt illud ipſo die Georgii martyris. Deinde Leodienſis epiſcopus regreſſus ad civitatem ſuam, a qua per ſeptennium ſe abſentaverat, aſſumtis ſecum peditibus infinitis terræ ſuæ, ſexta die menſis Maii cum ceteris principibus, adjuncto ſibi comite Barenſi, qui in primo equitatu præſens non fuerat, univerſi pari ſententia Brabantiam Gallicanam invaſerunt circa Jachiam fluvium, quotidianis imbribus tumeſcentem; ac tranſitum hoſtibus denegantem, ubi ſpatio octo dierum pervagantes, & quod libebat licenter agentes, ſuburbia Geldoniæ & alias villas uſque ad montem ſancti Wiberti vix per duo milliaria diſtantem a Lovanio, flammis exuſſerunt, duce apud monaſterium de *Helenchins* cum multis reſidente, nec quomodolibet reſiſtente. Demum cadente jugiter pluvia, eques luto ac frigore fatigatus, dum victualia lente bellatoribus miniſtrarentur, interveniente comite Hannoniæ, cujus filiam filius ducis nondum pubes deſponſaverat, eo pacto quod adveniente pubertatis tempore, ſponſalia matrimonio firmarentur, appoſitis pœnis contra non ſervantes contractum, treugæ uſque poſt feſtum Johannis-Baptiſtæ compoſitæ ſunt inter partes, renitente ſatis Leodienſi epiſcopo. Intermedio tempore Francorum rex filiam ſuam filio ducis intendens copulare, & ſponſalia prima ceſſare, procos ad ducem miſit, ut ſi obtinere poſſet quod petebat pro filia, & inſuper Robertus ſæpedictus de terra Brabantiæ pellerctur, dux in amicitiam maximam regis indubie rediret. Quibus dux confeſtim aures inclinans precibus, quamvis pridem idem facere denegaſſet, petitas conceſſit nuptias, & Robertum a ſuis finibus abegit. Igitur partes quæ in regem compromiſerant vocatæ, apud Compendium hoc modo concordatæ ſunt: primo, quod pronuntiavit rex pacem inter partes perpetuo firmiter ſervandam : verum de articulis quinquaginta quos epiſcopus duci dederat, hoc ſolum dictavit rex, quod ſublato interdicto quo terra ducis ſubjecta fuerat, dux illis ſatisfaceret, ad quorum inſtantiam latum erat; quod oppidanis Sancti-Trudonis ducentos quinquaginta regales pro recompenſa damnorum quæ pertulerant dux reſtitueret. Item, quod in terra ducis more ſolito ſpirituali juriſdictione pacifice frueretur, aſſignans poſt hæc partibus diem in Cameraco, ubi ſi quid dubium ac obſcurum in his tractatibus exortum foret, illic poſſet complanari circa menſem Maii, pronuntiaturus de reliquis articulis quod ſibi expediens videretur circa feſtum Nativitatis Chriſti inchoante anno XXXIV. Porro principes colligati de arbitramento regio male contentati, pro eo quod rex duci propter præfata ſponſalia filiæ ſuæ cum filio ducis peperciſſet, indignati receſſerunt ad ſua. Contulit tamen rex archiepiſcopo Colonienſi & fratri ſuo comiti Juliacenſi, nec non & comiti Gelriæ cuilibet eorum centum millia regales aureos, hac pactione, ut famabatur, intermedia, quod ipſi ad recuperationem terræ ſanctæ cum rege opportuno tempore transfretarent : pro cujus efficacia poſtmodum rex crucem fecit prædicari; ſed propter guerras Angliæ negotium penitus eſt impeditum : verum quorumdam erat ſuſpicio, quod iſte rex ſicuti nonnulli prædeceſſores ſui ad imperium anhelabat, in quo negotio adipiſcendo dictos principes ſibi ſumme utiles nuntiabat. Iſto ſic complanato, dux Brabantiæ ſuos miſit ambaſſiatores cum litteris reginæ Francorum ad ſedem apoſtolicam, magnis exeniis ac propinis ſperans impetrare, ut defalcatis Leodienſi & Cameracenſi diœceſibus, novam diœceſim ex omnibus terris ſuis apud Lovanium fieri practicaret, novum illuc epiſcopatum proponens inſtituere, pro eo quod per archidiaconos decanoſque foraneos, ac procuratores dictorum epiſcopatuum ſubditi terrarum ſuarum quotidie nimis moleſtarentur. Verum cardinales in Romana curia pro tunc reſidentes, hanc novitatem intelligentes, quorum multi ex eis pinguiſſimas præbendas in utroque poſſederant epiſcopio, ducis intentum omnino caſſari magnis inſtantiis procurarunt.

Dux Brabantiæ novum epiſcopatum Lovanii erigere cogitat.

Ea tempeſtate Eduardo patre in carcere vel cuſtodia defuncto, immo verius ſecundum quoſdam ſtrangulato, Eduardus ejuſdem filius & heres juxta conſilia matris reginæ, nec non patrui ſui comitis de Cadomo ac domini de *Mortmere* regni gubernacula diſponebat; exinde inter dictum comitem & dominum regem, & dñm *de Mortmere*, inſtinctu diabolico, orta gravi ſimultate, adeo progreſſum eſt, ut miles comitem patruum regis accuſaverit coram rege quaſi eum intoxicare conatus fuerit, ſub ſpe regni conſequendi, præſertim cum frater regis nomine Johannes *d'Altem* admodum juvenculus pridem deceſſiſſet, ſicque ex conſequenti ad patruum regis regni diadema jure hereditario devolvi debebat; quæ dum ſuſpicio regem graviter invaſiſſet, comprehenſum patruum ſuum, nullo ſuffragante excuſationis patrocinio, capitalem juſſit ſubire ſententiam : cum tamen omnes incolæ regni innocentem ac fidelem eumdem comitem acclamaſſent. deinde ſucceſſu temporis famabatur matrem regis occulte impregnatam; & quoniam dictus miles ob nimiam familiaritatem & ſecreta colloquia cunctis ſuſpectus erat, tamquam hujus criminis reus foret, rex memor injuſtæ necis patrui ſui per eum procuratæ, comprehenſum eumdem juſſit Londoniæ deportari, ubi ſuper com-

De Eduardo rege Angliæ.

missis legitime examinatus, eamdem sententiam quam pridem Hugo patris sui dispensator pertulerat, ex dictamine cunctorum procerum Angliæ mox accepit, siquidem amputatis ei primum testiculis & incensis, capiteque detruncato, reliquus truncus corporis in quatuor partes divisus, ad quatuor regni civitates primarias transmissus est, & quælibet pars portis civitatum præmissarum consequenter appensa. Porro regina jussu filii ad castrum quoddam destinata cum comitiva decenti ancillarum & famulorum illic jussa est usque ad finem vitæ suæ regali more custodiri, assignatis sibi reditibus immensis pro familiæ sustentatione; sic tamen ut metas castri nequaquam pertransiret, ibique post multa decessit.

Juliacensis comes obsidet castrum *Mongouwen.*

Eodem tempore comes Juliacensis obsidionem fecit acrem circa castrum de *Mongouwen* spectans pro tunc ad Waleranum dominum *de Valkenborch*, cumque custodes propter firmitatem loci ad deditionem compelli non possent, nisi famis angustia coarctati, dictus comes in aditibus castri phalas (*a*) ligneas construi fecit, ne victualia possent obsessis afferri, quas cum die quadam pro relevamine obsidionis Walerannus aggressus fuisset, quidam sagittarius partis adversæ eum inter caffidem & frontem lethaliter percussit, & de vita subtractus est. Oppidum Fossis quondam proprietas hereditaria sanctæ Gertrudis Nivellensis, igne fortuito crematum est, præter ecclesiam collegiatam, claustrum & capellam episcopi.

[*a*]

Anno MCCCXXXIII. partibus ad diem præfixam Cameraci comparentibus, & regis adventum præstolantibus, rex occasionem simulans, episcopum Morinensem illic pro se misit, qui restantias contractuum concluderet, & obscura quædam ex primario arbitramento suborta dilucidaret, qui nihil magni concludens, nisi quod datis inquisitoribus super quantitate damnorum & quæstionibus hinc inde auscultatis, ad propria repedavit.

Machlinia comiti Flandriæ vendita.

Porro Ludovico comite Flandriæ in Cameraco pro tunc præsente, consiliarii Leodiensis episcopi cum quibusdam canonicis cathedralis ecclesiæ Leodiensis eidem comiti oppidum Machliniæ, si tamen placeret capitulo, pro centum millibus regalium aureorum vendiderunt: quibus reversis, post multos contractus venditio per episcopum & capitulum confirmata est; attento quod in omni tumultu bellorum Machlinienses semper plus fovebant partem ducis Brabantiæ quam sui domini temporalis Leodiensis episcopi, & contra suum dominum primas semper acies eduxerint, in fronte gradientes cum hostibus. Hæc tamen compactio pervenit, quod scilicet dictus comes Machliniam in feudum a Leodiensi episcopo relevaret, nec a suo comitatu in perpetuum alienatione quacumque sequestraret, sicque factio ducis evanuit, & subsequenter decima sexta mensis Octobris in monasterio sancti Adriani apud Geraldimontem præfatus comes Machliniam & Geraldimontem ac *Bernhem* pridem duo occultata feuda ab episcopo relevavit, facto super his fidelitatis juramento, cujus tenor sequitur in hæc verba: *Nos Ludovicus Flandriæ, Nyvernensis ac Reistesiæ comes, notum facimus universis, quod nos anno Domini* MCCCXXXIII. *mensis Octobris die decima sexta, a reverendo in Christo patre & domino nostro & consanguineo* ADULPHO *Dei gratia Leodiensi episcopo oppidum nostrum Machlinienſe cum suis appenditiis & attinentiis quibuscumque in feudo relevavimus, sibique & ecclesiæ suæ Leodiensi debitam fidelitatem & homagium cum juramento & pacis osculo de eisdem præstitimus & fecimus, ut moris est, adhibitis adhibendis, pro ut in talibus fuit & est fieri consuetum, & pro ut facere tenebamur secundum contenta, & non aliter in litteris seu instrumentis supra venditione oppidi Machlinienſis & pertinentiarum ejusdem nobis facta per dictum reverendum patrem & capitulum ecclesiæ suæ Leodiensis: ita tamen quod nec per nos nec per nostros successores dictum oppidum cum suis appenditiis debeat a comitatu Flandriæ ratione terræ imperii in perpetuum separari vel disjungi, secundum solummodo quod in prædictis litteris dicta venditionis est expressum. Actum præsentibus nobilibus & discretis viris dominis, Gerardo de Marka domino de Radikem, Engelberto de Marka, & Henrico Bellì scabinis Leodiensibus, militibus Petro de Hernimsarto Malbodiensi, &c. canonico, & aliis nonnullis publicis & dicti Leodiensis episcopi notariis, ipsius domini episcopi feodalibus seu vassallis, pluribusque aliis ad hoc vocatis specialiter & rogatis, quorum memoriæ & custodiæ præmissa fuerunt ab eodem domino episcopo commendata. In quorum testimonium his litteris sigillum nostrum duximus appendendum. Datum in monasterio sancti Adriani de Geraldimonte ordinis sancti Benedicti Cameracensis diœcesis, anno & die supradictis.* Satisfacto itaque de pretio, missis ex parte capituli Leodiensis nuntiis, cum procuratione comitis Flandriæ, possessio Machliniæ in quantum tunc fieri poterat, eidem traditur. Villicus & scabini deponuntur, gubernatores, ut comiti obediant tamquam domino requiruntur; quibus dilationem petentibus, non obtenta, præfati legati ad propria remearunt decima tertia mensis Julii.

Interim filia regis desponsata filio ducis moritur, & favor erga generum regis & reginæ lectus fiebat. At comes Flandriæ, qui præcedenti anno duci confœderatus fuerat contra episcopum & sibi colligatos, requirit a duce ut contra Machlinienses se in suum dominum recipere recusantes præstaret au-

[*a*] Phalæ sunt turres ligneæ quibus veteres expugnandis urbibus utebantur.

xilium & favorem. Dux vero cui displicebat hujusmodi contractus, pro eo quod Machlinienses ipsum in omnibus & contra omnes juvare consueverant, post multa verborum subterfugia, secum Machlinienses confœderat, eos animans ad rebellionem comiti faciendam. Quo peracto, comes prædictus cum comite Hannoniæ Guilhelmo etiam infesto duci, eo quod sponsalia pacta de filio suo cassaverat, se studuit sociare, sed & principes sæpedicti invicem, ut præfertur, colligati omnes, demtis comitibus de Baro & *d'Eu* regis connestabulario uniformiter ducem diffidarunt.

Eduardus rex expugnat civitatem Berwick.

Ea tempestate Eduardus Angliæ rex cujus sororem desponsaverat rex Scotiæ, volens abstergere maculam, quam per patris sui ignaviam Angli perpessi sunt in *Struvelin* sub rege Roberto, civitatem sui regni **Berwick** nomine, speciosam & opulentam & usque ad tempus illud a Scotis possessam, sibi restitui postulavit: quod cum regi David suisque magnatibus asperum videretur, eo quod regis sororem desponsaverat, & quia tanto tempore illam sui prædecessores possiderant, renuit esse peragendum. ea propter inter ambos reges multi habiti sunt conflictus parvi & magni, sed finaliter obsessam civitatem Eduardus fame compulit ad deditionem. Insuper & Scotis plurimas abstulit villas & castra subvertit.

Philippus rex Franc. legationem Romam mittit aliquam pro sua expeditione.

Per idem tempus Francorum rex Philippus *de Valois* ad papam Johannem pro passagio generali indicendo ad recuperationem Jerusalem & vicinarum regionum misit dominum PETRUM ROGERII archiepiscopum Rothomagensem, postmodum anno XLII. sublimatum ad papatum, qui dictus est CLEMENS sextus. Qui ingressus consistorium apostolicum, elegantem fecit sermonem decima sexta die Julii, supplicando papæ, ut quasi pro themate diceret regi illud Esdræ septimo: *A me decretum est, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Israël, & de sacerdotibus ejus, ac levitis ire in Jerusalem, tecum vadat.* Multa præterea requirens a papa, quæ partim sunt acceptata, & partim refutata; sed rege postmodum circa bellum Anglorum occupato, passagium hoc generale intermissum est, nondum adveniente termino, quo Dominus decrevit suo populo misereri.

Legatus pellitur Bononia fugatus.

Item eodem tempore dominus Ostiensis legatus apostolicæ sedis in Italiam per cives Bononienses de ipsa civitate Bononiæ, quam nomine Romanæ ecclesiæ tenuit, per rumorem seditiosum fugatur, exercitu ecclesiæ tunc Ferrariam obsidente contra Venetos, & ob hoc legato succurrere non valente; venitque Avinionem procurans contra cives Bononiæ fulminari sententias graves, a quibus postmodum per Benedictum XII. non sine pecuniis multis fuerunt absoluti.

Anno MCCCXXXIV. adveniente præfata solemnitate natalis Domini, rex, ut præfertur, nimium duci favens, nihil arbitrando concluſit, sicque infecto negotio circa finem Januarii dominus Conradus frater Leodiensis episcopi, cum oppidanis sancti Trudonis egressus villam parvulam Brabantiæ dictam *Landen*, quam dux munierat, invadit, & habito diro conflictu, tandem pars ducis vincitur, & interfecto illic milite uno, & paucis aliis fere viginti quinque in captivitatem tractis, villa concrematur.

Affligemiense cœnob um combustum.

Eodem tempore Flamingi monasterium Haffligemense ordinis sancti Benedicti, vicinum oppido de *Aolst*, demta ecclesia, combusserunt. Item apud *Alke* quidam cuneus ducis ex improviso Leodienses invadens, fugatur, capto domino de *Cranendonck* & paucis aliis: deinde Flamingi turrim Haffligemensis monasterii de qua clare in forum Alostense perspici poterat quid illic ageretur, destruxerunt. Post præmissa principes confœderati vigesima tertia Februarii apud Aquisgranum convenerunt, ubi Francorum rex archiepiscopum (*a*) Auxitanum, & abbatem sancti Nicasii (*b*) Remensis destinavit, ut pacem firmam vel saltem treugas aliquas inter partes impetrarent; sed negatis treugis, petitiones suas regi principes sigillatim transmittunt scripto, quas si dux observare & adimplere noluerit, ad oppidum sancti Trudonis veniat, ubi una cum comite Flandriæ se venturos spoponderant, nihilominus intermedio tempore terræ ducis parcere non intendebant. Interea Flamingi contra Brabantinos ac sibi confœderatos Barenses insauste pugnarunt: ubi centum & duo de præcipuis Flamingi capti sunt, paucis interemtis. Nam eo tempore dux multos sibi stipendiarios milites conduxit, quorum munitus auxilio Flamingorum arrogantiam, acies viriliter impugnando, prostravit.

Aquisgranenses cōventus.

[a]
[b]

Flandria Brabantinis cæsi.

Eo tempore Visetum oppidulum, in quo collegium sancti Hadelini confessoris, spectans ad Leodiensem patriam, contra insultus hostium ex Alemannia firmatum est portis ligneis, asseribus, ac fossatis. Comes Juliacensis castrum de *Rode* in terra Limborgensi situm, & ad ducem spectans obsidione cinxit, facta pactione cum obsessis, ut libere deditionem faciant, nisi dux infra quindecim dies obsidionem dissolvat. Adveniente die præfixo, dux per Trajectum Mosam transiit magna suorum militia stipatus, & castrametatus in monte Galopiæ, dominum de *Steyne* quem capitaneum de *Zittert* constituit, pulso abinde domino Falcomontis, ad se vocavit. deinde incolæ dicti castri & villæ de *Zittert* antiquo faventes domino, atque timentes obsidionem, quam comes Gelriæ paraverat, revertenti capitaneo portas claudunt. At dux

Obsidio castri de *Rode*.

(*a*) Guillelmum de Flava-curia.
(*b*) Philippum *le Cocque* virum acerrimi ingenii.

cernens communitates oppidorum Leodienſis patriæ paratas ſuo præſuli præbere ſubſidium, cujus contrarium ſe practicaſſe putaverat, conſiderans imminens periculum; nam adverſarii oblatam a duce pugnam in planis caute repudiaverant, mandantes eidem, ut caſtri obſidionem, ſi poſſit, diſſolvat; confeſtim poſt dies quatuor ad Brabantiam repedavit, ac in remeando comitatum Loſſenſem, quem veniens pacifice tranſierat, concremavit. Caſtrum de *Rode* poſt receſſum ducis comiti de Juliaco traditur, caſtrum de *Zittert* comiti Gelriæ; eo tamen pacto, quod filiis domini Renoldi de Falcomonte illud reſtituere teneretur. Sic dux dominium terræ Valkemborgenſis, quod maximis ſumtibus ac ſudoribus acquiſierat, totum eo tempore amiſit. Porro quoniam Trajectenſes ducem pacifice illac tranſire permiſerant armatum, epiſcopus, ad quem media pars temporalis dominii ſpectare dinoſcitur, & ſpiritualis omnimoda, illis infeſtus erat. Et mox cum ceteris principibus Trajectum cœpit obſidere; deinde rebus ſic ſe habentibus, archiepiſcopus Auxitanus & abbas ſancti Nichaſii a rege miſſi, cum domino Philippo de Melduno archidiacono Remenſi ac conſanguineo ducis Brabantiæ, ad dictos principes apud Trajectum ſe tranſtulerunt, de pace vel de treugis iterato tractaturi. Verum poſt multas hinc inde habitas deliberationes, ad preces regum Franciæ & Navarræ, nec non comitum de Stampis & Alenconio, qui in adjutorium ducis venerant, Leodienſis epiſcopus, in quo ſumma rei pendebat, conſenſit in treugis uſque ad tertiam feriam Dominicæ palmarum incundis, omnibus in eodem tenore irrefragabiliter ſine præjudicio partium duraturis.

Traditur Juliacenſi comiti, & caſtrum *Zittert* comiti Gelriæ.

Epiſc. Leod. Trajectum obſidet.

Qui poſtea belli inducias concedit.

Eodem tempore Johannes papa vigeſimus ſecundus prædicavit, & alios prædicare ac docere voluit animas ſanctorum non videre divinam eſſentiam clare ante reſumtionem corporum, & ante diem judicii generalis; nec animas reproborum puniri ante dictam corporum reſumtionem, & quod viſio quam nunc habent animæ de divina eſſentia, evacuabitur in extremo judicio. Porro Dominus DURANDUS epiſcopus de ordine Prædicatorum, contra hunc errorem fecit tractatum egregium; propterea per papam eſt citatus, ſed per regem Franciæ viriliter eſt defenſatus. Item eodem anno nonis Decembris, die Dominica, hora diei prima, Johannes papa vigeſimus ſecundus, anno pontificatus ſui decimo nono, quadam infirmitate depreſſus, cum ſe mortem evadere non poſſe videret, ad exhortationem amicorum ſuorum ſubmiſit ſe & doctrinam ſuam judicio eccleſiæ Romanæ, condens bullam de hac materia hoc modo:

Johan. papæ ſententia de ſtatu animarum.

Bulla revocatoria ſuæ ſententiæ.

JOHANNES *epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ne ſuper his*

A *quæ de animabus ſeparatis a corporibus & purgatis ante reſumtionem corporum, divinam eſſentiam viſione illa videlicet, quam vocat Apoſtolus facialem, videant, tam per nos quam per nonnullos alios in præſentia noſtra, recitando & allegando ſacram ſcripturam, ac originalia dicta ſanctorum, vel alias ruminando ſæpius dicta ſunt aliter per nonnullos quam per nos dicta & intellecta fuerint, intelligantur & dicantur, & auribus fidelium inculcari valeant: ecce noſtram intentionem, quam circa ſtatum animarum ſeparatarum habemus & habuimus, ſerie præſentium, ut ſequitur, declaramus. Fatemur ſiquidem & credimus quod animæ ſeparatæ & purgatæ a corporibus ſint in*

B *cælo, cælorum regno ſeu paradiſo, & cum Chriſto in conſortio angelorum congregatæ, videant Deum & divinam eſſentiam facie ad faciem, clare, in quantum ſtatus & conditio patitur animæ ſeparatæ. Si vero alia contra materiam hujuſmodi per nos dicta, prædicata vel ſcripta fuerint, quoquomodo illa diximus vel ſcripſimus, recitando & conferendo dicta ſacræ ſcripturæ & ſanctorum, nolumus eſſe dicta, prædicata & ſcripta. Inſuper ſi quæ alia ſermocinando, conferendo, dogmatizando, dicendo, ſeu*

C *alias quovis modo diximus, prædicavimus vel ſcripſimus, circa præmiſſa vel alia quæ fidem concernant catholicam, ſacram ſcripturam, ac bonos mores; ea, in quantum ſunt conſona fidei catholicæ, determinationi eccleſiæ, ſacræ ſcripturæ ac bonis moribus approbamus: alias illa habemus & haberi volumus pro non dictis, prædicatis & ſcriptis, eaque revocamus expreſſe, ac prædicta omnia & alia quæcumque prædicata & ſcripta per nos de quacumque materia, ubicumque, & in quocumque loco, ac in quocumque ſtatu, quem habemus vel habuimus hactenus, ſubmittimus determinationi eccleſiæ ac ſucceſſorum noſtrorum. Nulli ergo hominum, &c.*

D *Datum Avinione, &c.*

Hac renuntiatione ſtatim facta, die & hora ſupradictis, expiravit, videlicet in feſto beati Nicolai epiſcopi, & in Avinione eſt ſepultus.

Conſequenter in profeſto beati Thomæ apoſtoli, cardinales concorditer elegerunt in ſummum pontificem Benedictum duodecimum, qui primo dictus eſt Jacobus Furnerii, (a) abbas Ciſtercienſis ordinis, & cardinalis; ſtatimque ſic electum confirmaverunt & coronaverunt. In craſtino idem papa conſiſtorium tenuit, in quo ea quæ ſequuntur decrevit & ſtatuit. Primo quod toto tempore ſuo eccleſia Romana vel alia quævis gladium Martialem non exerceat vel faciat guerras contra quemcumque hominem. Item, quod mareſcalcus curiæ in ſuo officio non remaneat ultra ſex menſes, ne duratione longiturna in ſuperbiam extollatur, & divitias multas accumulet. Item, quod nullus religioſus pro quocumque beneficio impetrando ad curiam venire præſumat;

Electio Benedicti XII. papæ & firmata al. eo condita.

(a) Fontis Frigidi in diœceſi Narbonenſi.

ſed

sed omnes in omnibus dispensationem & ordinationem suorum prælatorum expectent. Item non volebat religiosorum appellationes & fugas venire ad curiam, sed correctionibus suorum prælatorum dimitti. Item, eleemosynam mensæ papalis restituit pauperibus, quæ antea per familiares diripiebatur; unde centum pauperes refici potuissent satis laute. Item, quemlibet hominem in curia arrestatum solvit. Item, omnibus prælatis in curia pro quibuscumque negotiis existentibus generalem dedit licentiam recedendi, & unumquemque volebat in suo beneficio vel ecclesia residere. Item, omnibus clericis in curia ægrotantibus dedit liberam facultatem condendi testamentum, ne bona ab eis relicta per aliquem indebite occuparentur. Deinde collegio cardinalium tradidit centum millia florenorum & amplius, ac pro suo tempore medietatem reditum & proventuum patrimonii ecclesiæ Romanæ, eo proposito, ut dimitterent alia beneficia quæ tenebant per orbem universum. Item, statuit, quod omnes capellani sui horas canonicas dicerent cum nota, & omnes in uno dormirent dormitorio, nec habere possent alios redditus, quam victum mensæ papalis & vestitum; & si qui ex ipsis non haberent sufficientiam, possent a papa requirere, & non recipere aliunde. In crastino Thomæ iterum tenens consistorium ad se venire permisit superiores quatuor ordinum mendicantium cum fratribus suis, quorum quilibet dominum papam encæniavit cum septem missis dicendis a quolibet sacerdote dictorum ordinum mendicantium: deinde sumto themate: *Vidi & ecce quatuor fabri*, idem papa illud applicavit ad præfatos religiosos qui cum sint fabri, deberent deponere scoriam hæreticæ pravitatis, & inferere pulchritudinem honestatis. Affirmabat etiam beatum Dominicum principale caput totius ordinis fratrum Prædicatorum, quo facto, aiebat se nosse aliquos coram se stantes, de quibus certus esset, quod in brevi contra suum statum, contra Deum, contra bonos mores, contra statuta sanctorum, contra sacram scripturam & contra propriam conscientiam tenuissent, prædicassent & scripsissent hæreticas conclusiones turpis lucri gratia; sed propter affectum vel potentiam talia prædicantis, caveant, inquit, hujusmodi, ne in manus meas incidant, cum talibus suis & quantis. Hoc autem dixit de quodam fratre, qui sectam erroneam tenuerat de animabus separatis a corpore, ut per prius declaratum est in revocatione Johannis papæ vigesimi secundi, contra quam novam fecit decretalem, quæ sic incipit.

Benedictus Deus in donis suis, &c. Condidit insuper statuta pro ordine Nigrorum monachorum, & Cisterciensium & Minorum, & omnium seu aliorum ordinum, &c.

Eodem anno in die beati Clementis & nocte sequenti in Zelandia & partibus vicinis mare inopinate intumuit ex tempestate vehementissima, & plures villas submergens & aggeres destruens, plusquam quinque millia hominum absumsit. Tempestas ingens in Zelandia.

Eodem anno post Pascha dux Brabantiæ sperans litem quam contra principes Alemanniæ habuerat, per medium regis sopitam, stipendiarios suos pro parte licentiat, & Flamingos captivos, fide recepta de revertendo in termino, relaxavit: verum appropinquante die per regem partibus assignata, apud Cameracum, rex personaliter interesse volens tractatui, locum assignat apud civitatem Noviomensem, ubi partes necnon duo de cardinalibus a papa similiter ad diætam missi convenerunt; & cum frustra diebus quindecim illic laborassent, finaliter per regem partibus dies præfigitur Ambianis, ubi tunc præsente rege per dies viginti tres, diversis habitis tractatibus, scrutatis damnis quæ dux principibus intulerat, tandem hanc arbitralem sententiam rex pronuntiavit. Primo quidem inter partes volebat pacem firmam perpetuo servari, & principum fœdera dissolvi: deinde dux solvere debebat Johanni regi Bohemiæ centum sexaginta millia regales, archiepiscopo Colonienſi triginta quinque millia, episcopo Leodienſi triginta millia, comiti Juliacensi tandumdem, comiti Gelriæ sexaginta millia, comiti Lossensi octodecim millia regales, & heredibus de Falcomonte terram quam patri dux abstulit, confestim restituit. Promisit denique dux, quod nisi probare posset, quod oppidani sancti Trudonis seu episcopus nomine eorumdem quitassent ei damna quæ pridem pertulerant pro ducentis & quinquaginta libris grossis Turonensibus; tunc damna viginti duorum millium florenorum eisdem solvere teneretur, quæ ex inquisitione facta per dominum Johannem de Aqua ballivum Insulensem, comperta sunt dictis oppidanis per ducem illata. Comitem autem Flandriæ minis ab hoc compulit, quod Machliniam in manibus regiis poneret. Missusque est illic dominus Ferricus de *Pikengny*, qui vice regis illam regendam acceptaret, sicque guerra illa pro tempore sopita. Sententia regis adversus ducem Brabantiæ.

Anno MCCCXXXV. inter insignes patriæ Leodienſis, qui mutuis cædibus & incendiis totam fere terram illam desolaverant per annos triginta octo continuos, nec quovis modo ad concordiam allici potuerant, pax firma miraculose pronuntiata est, hoc perhabito medio: nam per consensum omnium statuum patriæ decretum est, & irrefragabiliter sancitum, quod quicumque hominem occidat, ipse sine remedio debeat occidi. Qua lege lata, timentes singuli pellibus suis, duodecim probos viros sex hinc & sex inde concorditer elegerunt, qui, suffragante Deo, Pax inter insignes patriæ Leodienſis.

pacem firmiſſimam inter eos hucuſque obſervatam ac per multos magnos principes roboratam pronuntiarunt, decima quinta die menſis Maii; quæ PAX DUODECIM nuncupatur: ordinantes certas emendas viagiorum vel pecuniarum, certis exceſſibus ac delictis quæ poſſent aut in verbis aut in vulneribus cuique irrogari: ita ut læſus ſuum lædentem coram illis duodecim perſonis & ſuis ſucceſſoribus in cauſam traheret, & quicquid illi emendandum judicarent, multa ſubſequente appellatione, firmiter deberet expleri. Deinde in remiſſionem peccaminum illorum, qui durante guerra ſupradicta ex utraque parte peremti fuerant, ut omnis alia tolleretur vindicandi occaſio, & ne juxta legem patriæ oporteret maximam partem ſuperſtitum diverſa viagia, ſecundum exigentiam culparum exſolvere, qui forſitan in itineribus morerentur, & propterea nova lis inter propinquos oriri poſſet, decreverunt concorditer unam erigi capellam a fundamentis, in qua majus altare in honore Dei Genitricis MARIÆ, & alia duodecim altaria juxta numerum duodecim tribuum ſuarum in honore totidem apoſtolorum, unicuique altarium ſuum præficientes apoſtolum, deberent dedicari, aſſignato cuilibet altarium proprio rectore, qui perſonalem facere reſidentiam teneretur, ordinatis etiam competentibus reditibus ab utraque parte contribuendis, eſſentque reditus capellæ prædictæ liberi ab omni exactione, tallia, precaria, ſubſidio, ac ſimilibus oneribus; quæ quoniam omnia ſingillatim enumerare longum foret brevitatis cauſa ſuperſedeo; præſertim cum in vulgari univerſa deſcripta ſint, & ad pilarium unum eccleſiæ Leodienſis cum debita clauſura decenter appenſa, ad exemplar & memoriam poſterorum. Quam quidem ordinationem ſeu pacem univerſi principes collaterales, datis ſuper hac re litteris ac ſigillis ſuis, gratuite confirmarunt in favorem partium præfatarum, videlicet dux Brabantiæ, dominus Leodienſis ADULPHUS, capitulum Leodienſe, & oppida univerſa. Similiter & Johannes rex Bohemiæ, pro tunc comes Lutzemborgenſis, & comites Hannoniæ & Namurcenſis, & dominus de Falcomonte & alii quamplures; ſed & ſubſequenti tempore Carolus quartus Romanorum rex, necnon Bohemiæ, filius ſupradicti regis Johannis, eamdem pacem confirmavit ſub hac forma verborum:

A Carolo imperatore cõfirmatur.

CAROLUS *Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus, & Bohemiæ rex, univerſis & ſingulis noſtris & ſacri imperii fidelibus præſentibus & poſteris, ad quos litteræ præſentes pervenerint, gratiam regiam & omne bonum. Etſi regiæ ſublimitas dignitatis miniſtrorum ſaluti dignetur intendere, & ea quæ reipublicæ grata cenſentur aſpicere gratioſa conſideratione prætendit; ad ea tamen procuranda ſingulari quodam favore inclinatur uberius, quæ pacem & concordiam fulciunt, & rancores & mortales inimicitias excludunt & repellunt. Cum igitur pax & concordia de duodecim perſonis cognationum epiſcopatus Leodienſis guerras mortales & inimicitias capitales, & rancores horribiles hactenus excluſerunt, & in anima, Deo propitio, felicius poterunt & valebunt excludere; idcirco hujuſmodi pacem & concordiam ipſius epiſcopatus & patriæ Leodienſis inter cognationes epiſcopatus ejuſdem, & eos qui a militibus earumdem cognationum ſuam originem duxiſſe noſcuntur, ſuper mortalibus guerris, & capitalibus inimicitiis, inter eos habitis & habendis factas, receptas, & obſervatas, & per venerabilem epiſcopum & capitulum Leodienſe, in quantum ad eos ſpectat, approbatas, prout hujuſmodi pax & concordia ex antiqua conſuetudine hucuſque rite pervenerunt, & ſunt ſervata, auctoritate regia, ex certa noſtra ſcientia approbamus, laudamus, ratificamus, & præſentis ſcripti patrocinio confirmamus. Datum &c. anno Domini* MCCCLIV. *indictione* XII. *kal. Septemb. regnorum noſtrorum anno* IX.

Hæc per anticipationem temporis, offerente ſeſe materia, ſcripta ſunt in hoc anno trigeſimo quinto.

Eodem anno bladis propter importunitatem pluviarum ante meſſem putrefactis, modius ſpeltæ vendebatur Leodii pro duobus regalibus aureis, cum pro tunc tres modii pro uno æſtimari poſſent in valore.

De Jacobo Dartevelt factioſo.

Ea tempeſtate erat in Flandria quidam vir factioſus & animoſus oppidanus Gandenſis, dictus Jacobus *Dartevelt*, qui ex braxatore medonis, factus ditiſſimus, in tantam excrevit arrogantiam, potentiam, audaciam, & auctoritatem, ut ejus inſtinctu tota fere Flandria in dominum Ludovicum comitem ſuum inſurgens, rebellionem facere machinaretur; nec abſque dicti Jacobi licentia & permiſſu, vix alicubi ſe iſdem auderet præſentare. Siquidem dictus Jacobus cum per vicos Gandavi ac alibi vellet incedere, quotidie lateri ſuo ſociatos habebat ſatellites ſtipendiarios ſexaginta aut octoginta, quorum cuilibet quatuor groſſos Flandrenſes pro ſtipendio liberaliter tribuebat; & ſi caſu obvium habuiſſet quempiam adverſarium, aut ſibi ſuſpectum, mox ſigno ac nutu facto tribus ac quatuor de ſecreti ſui conſortiis, in illum irruebant, & ſine mora jugulabant. Quamobrem ab omnibus potentiſſimis terræ timebatur, nec erat qui contra eum os aperiret ac mutire auderet. Præterea omnes reditus annuos ad dictum comitem ſpectantes, vectigalia ſcilicet, telonia, emendas, & ſimilia ad uſum vulgi ac ſuorum uſurpabat. Quare ſi quempiam de nobilibus terræ ſuo comiti favere comperiſſet; continuo aut proſcribebat, aut occidi procurabat, totamque ſubſtantiam hæreditariam pro media parte confiſcabat, reſiduam medietatem uxori

& filiis relinquebat, nec puto inter omnes mundi principes unum fuiſſe, cui tanta a ſubditis obedientia præſtabatur, ſicut huic Jacobo ex plebeia fece procreato; de quo non immerito cauſa novitatis inſolitæ cœpimus ordiri.

Pugna inter Lud. Bavarū & regem Bohemiæ.

Anno MCCCXXXVI. Ludovicus Bavarus, qui ſe pro imperatore geſtiebat, habens in exercitu ſuo multa millia Gallicorum, ſiquidem filiam Guilhelmi comitis Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ, ſororem reginæ Anglorum in uxorem ſecundam duxerat; pugnam acerrimam habuit contra Johannem regem Bohemiæ & Pulaniæ, comitem Lutzemborgenſem, qui ſecum habuit Hungariæ regem; in quo conflictu rex Bohemiæ de campis fugere compulſus eſt. Orta eſt autem hæc diſcordia pro provincia Karinthiæ, cujus dux ſine filiis deceſſerat: cujus filia deſponſata erat fratri regis Bohemorum. Quamobrem idem rex Bohemiæ partem fratris defendens, Lodowico ſe oppoſuit, quia terram prædictam hereditario jure ad fratrem hereditaria ſucceſſione devolutam affirmabat. Verum Ludovicus dictam Karinthiæ provinciam ad ſe imperiali jure, cum herede careret, devolutam aſſerens, duci Auſtriæ filiam fratris regis Bohemiæ Henrico pro conjuge imperiali munificentia infeodavit.

Pluvia ſanguinis.

Eodem anno in Erfordia quæ eſt lantgravia Thuringiæ fuit pluvia ſanguinis horrenda, cujus rubicundiſſimas guttas in panno albo collectas multi mortales viderunt & turbati ſunt.

Comes Loſſenſis ſuæ hæredē monet.

Eo inſuper anno menſe Januario, Ludovicus comes Loſſenſis & de Chiny graviter cœpit ægrotari, nullum habens heredem maſculum, ſed quatuor dumtaxat ſorores habebat; quarum prior contra patris & amicorum placitum nupſerat domino de *Orelh*, ex qua procreatus fuerat dominus Arnoldus de *Rummyes*; & alia filia quæ deſponſata poſtmodum fuerat domino Johanni de *Hamelle*; verum dictus comes veriſimiliter timens ſobolem ſororis ſuæ ſenioris ſibi velle ſuccedere in comitatu, dominum Theodricum de *Heinsberch*, filium ſororis ſuæ ſecundogenitæ, per teſtamentum deſcripſit ſibi ſuccedere debere jure legatario. Porro capitulum Leodienſe audiens dictum comitem lethaliter infirmari, revolutis eccleſiæ privilegiis, comperit, comite ſine herede legitimo decedente, ad eccleſiam, a qua dictus comitatus infeodabatur, jure devolvi debere, ac requirit ADULPHUM epiſcopum ſuum, ut quam cito de morte conſtaret ſibi dicti comitis, protinus eumdem comitatum viriliter occuparet. Paulopoſt, videlicet vigeſima prima Januarii dictus Ludovicus naturæ debita perſolvit. Deinde dictus epiſcopus a ſuo capitulo requiſitus ſerioſe per nuntios, ut ad comitatum manus apponeret, ille Theodrico de *Heinsberch*, qui ſororem ſuam deſponſaverat, magis favens quam eccleſiæ ſuæ, quique omnia fere jam oppida & municipia velut propinquior heres occupaverat, aures ſurdas decrevit præbere; ſed epiſcopo frivolas excuſationes allegante, ſcilicet quod ad perſequendum negotium tam arduum pecuniam non haberet, domini capituli de pecunia Machlinienſi, quæ ab eis curioſe cuſtodiebatur, quatuor millia florenorum ſuo epiſcopo contulerunt, præmiſſo ſolemni juramento, quod eamdem numeratam pecuniam in alios non converteret uſus quam in recuperatione poſſeſſionis ſupradictæ. Verum incolæ comitatus timentes veriſimiliter niſi ſe Leodienſibus ſubmitterent totum comitatum igne & ferro debere devaſtari; rogabant comitem Gelriæ vices ſuas interponere, quod poſſeſſio comitatus domino Leodienſi traderetur: ſed & patria tota Leodii ſuper hac re concordata, cordialem aſſiſtentiam pro hujus negotii proſecutione ſollicite offerebat domino vexillis & armis, dicens ſe paratam invadere reſiſtentiam molientes. Interim litteræ exoratoriæ a capitulo diriguntur ſummo pontifici, quibus ſanctitatem ſuam ſuppliciter poſtulabant, ut ſi cauſa ad curiam apoſtolicam decidenda duceretur, ipſe Leodienſi eccleſiæ favorem paternum & aures gratuitas adhiberet, ſicque factum eſt. Nam papa plenarie informatus, attendens ex vacatione imperii per privationem Ludovici Bavari ad deciſionem ſedis apoſtolicæ devolutam cauſam, domino Petro Hiſpano cardinali tituli ſanctæ Praxedis eamdem audiendam commiſit: ſed epiſcopo rem lente, ut præfertur, proſequente, nullus effectus finalis eſt ſubſecutus.

Benedicti papæ litteræ ad Leod. epiſc.

Eodem tempore BENEDICTUS papa litteras clauſas cum bulla reprehenſionem acerrimam continentes, miſit ADULPHO epiſcopo, incuſans eumdem quod propter privatam affectionem eccleſiæ ſuæ jura negligere famabatur; præcipiens eidem, quod circa poſſeſſionem epiſcopatus ſuſcipiendam, quam ſibi patria tota adjudicaverat, talem ſe exhiberet, quod ſuper his non poſſet juſte per ſedem apoſtolicam reprehendi. Quibus litteris dictus epiſcopus non modicum erat conſternatus.

Eodem anno nova capella, quæ clericorum nuncupatur, Leodii inchoata eſt in parochia ſancti Stephani.

Eduardus rex Angl. alios principes ſibi conciliat adverſus regem Francorum.

Eodem tempore & anno Eduardus rex Anglorum informatus plenarie per Robertum *d'Artois*, de jure quod ſibi competere prætendebat in affecutione coronæ Franciæ, miſit ad ſocerum ſuum comitem Hannoniæ in lecto ægritudinis decumbentem, paralyſi & calculo graviter afflictum, dominum epiſcopum Lincolnienſem cum decem baronibus, & quadraginta aliis militibus robuſta juventute florentibus & ſtirpe generoſis. Hi ad oppidum de Valenchenis pervenientes, præ-

fatum comitem de ſibi commiſſis conſulentes, modum expectabant quo rex ſuum poſſet intentum commodius fine debito mancipare: quare nimium lætatus de generi ſui animoſitate, & legatorum ſagacitate, ac ſtatu eleganti, cum juramento affirmabat, nullum ex principibus citramarinis tam efficaciter ſibi poſſe in præmiſſis, ſicut ejus conſanguineum Johannem Brabantiæ ducem ſuffragari, qui ſi debitam vellet diligentiam commodare, incontinenti plurimos auxiliarios Alemannos conciliaret, utpote comitem Gelriæ dicti regis ſororium, comitem Juliacenſem, archiepiſcopum Colonienſem, dominum de Falcomonte, & alios quamplures citra & trans Rhenum elegantes armigeros, qui uſque ad decem millia probos equites ſecum bene allicerent, dummodo eis ſtipendium condecens liberaliter ab eo exſolveretur. Et in primis quidem ducem aggreſſi, illum placabilem & ſibi conſentaneum repererunt: nam totam ſuam patriam ad nutum regis Anglorum quandocumque & quotieſcumque illi placeret illic adventare, cum armis ac ſine armis, paratam gratuite offerebat. Interim progredientes ceteros principes ſupradictos tam promtos invenerunt ad proſecutionem negotii, ut eos perſonaliter ad oppidum Valenchenis, in præſentia comitis ſupradicti & fratris ſui adducerent, paratos, ut aiebant, regem Francorum incontinenti diffidare, ſi ſtipendia magna eis conferrentur. Qui poſt reſponſa melliflua ad propria remearunt, opportuno tempore ad regis mandatum reverſuri. Deinde Flamingos ſimiliter ſic poſſe flectere ſperantes, rectorem eorum vel demagogum præfatum Jacobum *Darteveldt* magnis denariis ac promiſſis majoribus corrumpentes, poſt pauca, quod petierant impetrabant, hoc ſcilicet pacto medio, quod nequaquam auderent propter obligationes vetuſtas regnum Francorum armis inſeſtare ac violentia fatigare, ſed regi Anglorum ingreſſum & regreſſum liberum per portus & oppida Flandriæ, etiam contra quemcumque ſibi adverſarium liberaliter offerebant: rogantes dictos legatos, ut de hujuſmodi reſponſo ad præſens contenti forent, donec uberior materia belli ſe offerret, & dominus de opportuniori medio & remedio diſpoſuiſſet. Quibus *ita* perceptis, legati ad ſuam nativam regionem læti tranfretabant, ſuo regi proſpera nuntiantes. Porro dicti legati de præmiſſis regem Bohemiæ tentare non præſumebant propter affinitatem inter eum & Francorum regem pridem contractam: verum ADULPHUS Leodienſis epiſcopus frequenter & affectuoſe rogatus, propter ſtipendia duorum millium librarum Turonenſium, quæ ſingulis annis, ut prætactum eſt, ex ærario regis Philippi recipere conſueverat, aurem promiſſis ac donariis inclinare numquam volebat.

Contentio de archiepiſc. Moguntino.

Anno MCCCXXXVII. durante rixa inter capitulum Moguntinum & Henricum de *Vernemborch* præpoſitum Bunnenſem, tandem archiepiſcopus Trevirenſis defenſor ac proviſor eccleſiæ Moguntinæ, una cum capitulo ſupradicto ejuſdem eccleſiæ defenſionem, tuitionem & proviſionem domino BENEDICTO papæ duodecimo ſuæque poteſtati & optioni per patentes ſuas litteras reſignavit. Videns autem papa periculum eccleſiæ, duos legatos miſit in Germaniam, ut auctoritate ſua pacem facerent inter clerum: qui venientes in Moguntiam una cum conſilio & auxilio Ludovici Bavari, hanc fecerunt concordiam, ut dominus Henricus de *Vernemborch* de voluntate capituli Moguntini acciperet archiepiſcopatum, eſſetque fidelis imperii & regni coadjutor, juraque & conſtitutiones præfati capituli conſervaret.

Rex Angliæ provocat princip. Alemanniæ ad diffidandum regem Franc.

Eodem anno de conſultu legatorum, quos pridem tranſmiſerat ad Hannoniam, rex Angliæ perſonaliter cum regia comitiva tranſfretavit, & venit in Antuerpiam, ad quem cum dux Brabantiæ ceterique principes Alemanniæ præterito anno confœderati conſtixiſſent, diu inter ſe longos habuere tractatus, volente & requirente rege Anglorum, ut ſtatim Franciæ regnum diffidarent & invaderent; ſed declinante duce & utrique regi complacere nitente, ceteriſque principibus arduitatem rei ponderantibus, præſertim cum Francorum rex in nullo eos læſiſſet ac offendiſſet, tandem hortatu ducis conventum eſt, ut ad Lodewicum Bavarum, qui ſe pro imperatore gerebat, apud Franckfordiam mitterentur comites Gelriæ & Juliacenſis, una cum epiſcopo Lincolnienſi, ut ipſe Ludovicus primo Francorum regem diffidaret, eo quod dictus rex duo caſtra vicina Cameraco, videlicet *Crevecœur* & *Aloer* ad imperium ſpectantia invaſiſſet, ſicque nacta occaſione ſubſequenter præfati principes imperii feodales juſto titulo tamquam ſuo imperatori ſuffragium præſtantes diffidarent eumdem; quod & confeſtim peractum eſt, & univerſa libenter a Ludovico Bavaro qui ſororem reginæ Anglorum in uxorem habuerat, acceptata. Sed & in ſignum confœderationis noviter initæ, comes Gelriæ ab eo factus eſt dux, comes autem Juliaci dictus eſt marchio, & alia multa privilegia eiſdem legatis ac Anglorum regi per Ludovicum ſunt pro tunc conceſſa. Qua reſponſione rex ſatis gratanter accepta, novam fecit monetam fabricari in Antuerpia, ſub nomine imperatoris, tamquam vicarius & tutor imperii conſtitutus, ac in Lovanienſi caſtro per totam hyemem & partem æſtatis ſubſequentis cum regina ad ſe convocata reſedit.

Theodericus de Heinsberch ſe gerit pro comite Loſſenſi.

Eodem anno Theodricus de *Heinsberch* ſcribens ſe comitem Loſſenſem, mandavit univerſis militibus ſcutiferis & oppidis patriæ Leodienſis, ut in craſtino Purificationis in

capitulo Leodienſi comparerent omni tergiverſatione ſepoſita, niſi per ſuas patentes litteras contrarium eis intimaret. Quod indigne ferentes domini capituli Leodienſis, omnes ſe abſentaverunt, nec quiſquam eo die ad capitulum volebat pervenire, mandatore non immerito ſua temeritate deluſo. Porro Leodienſis epiſcopus cordialiter favens Theodrico ſororio ſuo, interm:dio tempore, quo poſſeſſionem comitatus ſupradicti debebat recipere, nihil juſti peragens, verſus Weſtfaliam perrexit. Ea propter multi capitulares ſupra hoc indignati, ſuis amicis cardinalibus in curia Avinionenſi reſidentibus, necnon & domino apoſtolico litteras plurimas direxerunt, acta ſui præſulis in eiſdem lamentabiliter explanantes. Epiſcopus igitur ſæpeditus circa principium menſis Junii tam litteris papalibus, quam aliis amicis ex curia ſibi miſſis excitatus, poſſeſſionem dicti comitatus realiter apprehendit, nemine ſibi reſiſtente, ſaiſiendo caſtrum fortiſſimum Calvum-montem inter oppidum Tongrim & caſtrum Loſſenſe ſitum, omnes officiatos veteres amovendo, & novos qui ſuo nomine judicarent, circumcirca conſtituendo. Quo peracto timens capitulum necnon & ſummus pontifex pridem legitime informatus, ne propter prædictam poſſeſſionem jam altera vice ficte & fucate ſuſceptam, jam tertio poſſet eluſio provenire, papa præſuli iterum novas litteras miſit, exhortans eum, ut ſuper retentionem plenæ cuſtodiæ dicti comitatus ſe exhibeat virum ſtrenuum, verbo utilem & operibus efficacem; ne qualibet affinitate ac affectu carnali ab incœptis deſiſtat.

Epiſc. Leod. juſſu papæ ejuſdem comitatus init poſſeſſionē.

Lud. Bavarus vult invadere regnū Franc.

Hoc tempore circa initium menſis Auguſti Lodewicus Bavarus ſcripſit ſingulis oppidis Brabantiæ, epiſcopo quoque & civitati ſuæ ſub interminatione pœnarum, quatenus ad invadendum ſecum regnum Franciæ, cujus rex occupabat fines imperii, ſe pararent. De qua fama plerique prima facie expaverunt; ſed rebus non ſuccedentibus paulatim terror evanuit.

De Renardo de Argenteal.

Interea dominus Renardus *de Argenteal* gubernator ducatus Limborgenſis, ad Brabantiæ ducem pertinentis, decimas & alia ad capitulum Leodienſe fecit ex mandato ducis arreſtari; ſed & cum Leodienſis epiſcopus tres viros apud Theniſmontem miſiſſet, ut inter quaſdam partiales quarentenas judicarent obſervandas, dux in terra ſua nolens hoc permittere in præjudicium dominii ſui, eoſdem comprehenſos continuo juſſit decollari duos ex ipſis, tertio carceri mancipato. Tunc duodecima menſis Auguſti præſul convocatis communitatibus patriæ ſuæ, conſilium & juvamen requirit ab eis contra ducem. A quibus diffinitum eſt, ut dux perprius ſufficienter & idonee requiratur ablata reſtituere, & de commiſſis emendam facere competentem: quod ſi facere recuſaret, ad ſuffragandum epiſcopo cuncti ſe offerunt præparatos. Igitur terra ducis eccleſiaſtico ſupponitur interdicto, unde maxima poſt hoc commotio eſt ſubſecuta.

Per idem tempus comes Guillelmus Hannoniæ jam ſenio confectus ac paralyſi, debitum naturæ perſolvit: cui ſucceſſit filius patri æquivocus, qui filiam ducis Brabantiæ duxit in uxorem; ſed & comes Namurcenſis eodem anno in partibus ultramarinis ex laſcivia profectus cum ſocietate juvenili deceſſit.

Obitus comitis Hannoniæ & comitis Namurcenſis.

Anno MCCCXXXVIII. in quibuſdam regionibus multitudo locuſtarum inaudita viſa eſt, miram habentes magnitudinem, quæ fruges terræ in pleriſque locis depaſcentes, quaſdam etiam civitates per dies aliquot operuerunt, ut in eis ſol radios ſuos obſcurare videretur.

Item, rex Tartarorum nuntios honorabiles ad papam BENEDICTUM mittens, petiit viros religioſos ſibi tranſmitti, in lege divina ad plenum eruditos, pro ſalutifera gentis ſuæ converſione.

Regis Tartarorum legatio ad papā.

Inſuper Ludovicus Bavarus epiſtolas deſtinavit Leodienſi epiſcopo, hunc modum continentes:

Lud. Bavarus epiſt. ad epiſcop. Leod.

LUDOVICUS *Romanorum imperator Auguſtus, venerabili epiſcopo Leodienſi. Scire te volumus, quod in octava Paſchæ nunc inſtantis in Coloniam convocavimus principes electores, ceteroſque magnates, prælatos, barones, vaſallos noſtros & imperii fideles, cum quibus noſtra majeſtas ſuper arduiſſimis negotiis noſtris & imperii habet loqui, ad quem conventum ipſorum & tuo conſilio ſano ſingulariter indigemus. Unde devotionem tuam ſub fide debita, tuique feodi a nobis & imperio dependentis, hortamur & requirimus & monemus, quatenus dicta diei una cum ceteris noſtris & imperii fidelibus interſis, prout obnoxius fideliter noſceris conſulturus: alioquin juxta jura & leges curiæ noſtræ imperialis de conſilio & ſententia principum noſtrorum, contra te, ſi contumax neglexeris venire, quod tamen noſtræ celſitudini diſpliceret, proceſſus noſtros certitudinaliter extendemus. Ceterum ſi ſecuritatem ad veniendum, ſtandum nobiſcum, & ad propria remeandum habere volueris, quod tamen non indiges, hanc tibi parati ſumus dare, ſi ſuper hoc nos duxeris requirendos. Datum, &c. anno regni noſtri vigeſimo quarto, imperii undecimo.*

Ad has litteras epiſcopus nec venire nec reſcribere curavit. Porro dux confiſus in adjutorio Bavari futuro, & ſtipendiis regis Angliæ communitus, exercitum contra epiſcopum congregat, cujus fuerant adjutores dux Gelriæ, domini de Falcomonte & de *Heinsberch*. Aderant præterea archiepiſcopus Colonienſis & comites Hannoniæ ac Juliaci tamquam neutrales; ſed & epiſcopo ſubvenerat rex Bohemiæ cum mille nongentis equitibus; ſed intervenientibus archiepiſcopo Colonienſi & comite Juliacenſi, pax quæ-

De pace inter ducem & epiſcopum.

dam involuta tractatur, quæ qualis fuerit infra menſem ſequentem non poterat ſciri. Famabatur tamen in populo quod rex prædictus, connivente ſibi Leodienſi epiſcopo & militaribus ejuſdem, comitatum Loſſenſem domino Theodrico de *Heinsberch* dare voluiſſet & permiſiſſet, & quod capitulum Leodienſe emere deberet caſtellaniam de *Montenaken* cum ſuis appenditiis & reditus quoſdam ducentorum modiorum filiginis pro triginta quatuor millibus regalium aureorum, accipiendorum de pecunia Machlinienſi; ſic tamen quod dominus Theodricus prædictus hæc omnia redimere poſſet infra ſpatium viginti quinque annorum, ſi ſibi placeret. Cumque ſupra his capitulum Leodienſe indictum eſſet, maxima pars dominorum, qui verebantur regiam majeſtatem & ſuum epiſcopum offendere, facti ſunt velut canes muti, non valentes latrare; nonnulli tamen publice contradixerunt, aſſerentes abſque decreto papali nihil debere vel poſſe concludi in præmiſſis. Illic ergo tunc publicata eſt forma pacis inter ducem & epiſcopum tractata, ſcilicet: Quod bona clericorum arreſtata per ducem & ſuos ubique dearreſtarentur, & quod ſtatim levata reſtituerentur, & vaſtatorum valor, de quo fidejuſſerunt domini archiepiſcopus Colonienſis, comites Hannoniæ & Juliaci, nec non dominus Johannes de Hannonia, alias *de Beamont*, uſque ad ſummam viginti millium florenorum. Præterea de reſiduo vel ſupplemento pacis, pro parte ducis electi ſunt archiepiſcopus & comes Hannoniæ; pro parte epiſcopi rex Bohemiæ & dominus Theodricus de *Haneffe*, qui juraverant ſe non egreſſuros oppidum de *Haſſelt* donec quæſtio diſſidii plene foret terminata. Epiſcopus vero fingens ſe longius proficiſci oportere, dictum regem mamburnum terræ ſuæ præfecit; qui quidem rex auctoritate ſuæ mamburniæ e veſtigio jubet cuſtodes caſtri de *Coelmont* per epiſcopum pridem deputatos egredi, & alios ex parte domini de *Heinsberch* introduci. Deinde præfati arbitri, videlicet archiepiſcopus Colonienſis & Hannoniæ comes, ſuam ſententiam arbitralem pronuntiarunt, & inter cetera comitatum Loſſenſem adjudicaverunt domino de *Heinsberch*, aſſerentes quod dominus Leodienſis ſupra hoc in eos compromiſerat, non inſpecto proceſſu papali facto in contrarium, &c.

Collegium Cellenſe Viſetum tranſfertur.

Eodem tempore canonici Cellenſes nimium & frequenter a domino temporali de Cellis moleſtati, corpus ſancti Hadelini confeſſoris patroni ſui, de conſenſu domini Leodienſis & patriæ tranſtulerunt ad oppidum Viſetum vicinum Leodio ad duo milliaria, ſtatuentes illic novum collegium, & appropriantes loco illi, omnem juriſdictionem & facultates quas pridem Cellenſis eccleſia conſueverat habere, nemine reſiſtentiam moliente, ſed brachium ſolum corpori defecit, quod in monaſterio Stabulenſi honorifice uſque in præſens conſervatur, ante multa annorum curricula illic tranſlatum.

Per idem tempus BENEDICTUS XII. contra Ludovicum Bavarum, qui vices ſuas regi Anglorum per Alemanniam commiſerat, inflammatus, miſit bullas quamplurimas diverſis perſonis, & præſertim unam capitulo Leodienſi in hæc verba:

Nota iſtud male eſſe ſcriptum, tamen exemplar ita habebat.

LUDOVICUS *Dei gratia Romanorum imperator ſemper auguſtus, honorabilibus viris præpoſito, decano, totique capitulo Leodienſis eccleſiæ devotis ſuis dilectis gratiam ſuam & omne bonum. Cum ex diſſentionibus & diſſidiis diutius jam ſubortis inter nos & papam Johannem defunctum, & ipſius in apoſtolatus apice ſucceſſorem, adverſitates, ſcandala & quamplurima pericul' animarum Chriſti populo, fideique orthodoxæ, perplexis nexibus evenerunt & communiter eveniunt omni die, prout hæc vos & alias Germaniæ provincias & terras non credimus ignorare; nos volentes pro incremento fidei Chriſtianæ, ſtatuſque reipublicæ conſervatione, hujuſmodi perplexitatibus & ſcandalis, quantum in nobis eſt, ſalubriter providere, devotionem veſtram attente requirimus & ſerioſius commonemus, ut aliquas perſonas de capitulo veſtro ſufficienter inſtructas Dominica* Vocem jocunditatis *nunc inſtante, in* Franckenfort *ad noſtram præſentiam deſtinetis, ad deliberandum & conferendum una cum ipſis cathedralium eccleſiarum perſonis, & quamplurimarum civitatum & terrarum hominibus, etiam dicto die coram nobis vocatis, ſupra talibus periculis & nexibus quæ Chriſticolis noſtræ ditioni ſubjectis noſcuntur in partibus Germaniæ imminere. Datum, &c.*

Literæ Lud. Bav. ad capitulum Leod.

Anno MCCCXXXIX. cum rex Anglorum longiturnam moram traxiſſet in Brabantia, tandem poſt medium Septembris ab oppido de Vilvordia movit exercitum, habens ſecum de Anglicis equites fere mille ſexcentos, inter quos erant comites de *Lencaſtre*, *Derby*, Gloceſtria, de *Noventon*, de *Warwic*, de Salleſberia, de *Souffourt*, & de *Stanffort*, necnon & dominus Johannes de Hannonia cum numero copioſo. His cum adjuncti fuiſſent dux Brabantiæ cum mille ducentis equitibus, ceteriqve principes Alemanniæ per Hannoniam, profecti ſunt verſus Cameracum, circumcirca deſtruentes & conflagrantes univerſa. Cumque Anglorum rex portas Cameraci reſerari ſibi poſtulaſſet, utpote vicario imperatoris, illi deintus faventes regi Francorum, ſurdas aures præbuerunt; & cum tempus obſidionis non eſſet propter inſtantem hyemem, mox caſtrametati ſunt in monaſterio ſancti Johannis de ordine Præmonſtratenſi. Porro Francorum rex cum ſuo exercitu apud Peronam in Viromandia pro tunc erat conſtitutus, ſoluſque rivus parvus, ſed profundus, duos regios exercitus dividebat.

Rex Angliæ cum ſuis circa Cameracū & ultra deprædatur.

Illic rex Angliæ cum ſuis & decem millibus ſagittariis audacter Francos expectabat, putans indubie regem Philippum hujuſmodi non poſſe ſuſtinere verecundiam; in cujus præſentia, mirum dictu, tota regio vaſtabatur incendio. Sed cum non ſe conflictum inire velle aperte declararet, confeſtim Eduardus ad profundiora Franciæ tranſiens cum ſuis, nullo reſiſtente, plurima caſtra, villas & fortalitia violenter uſurpavit, ſic quod de præda omnes ditati fuerant, pervagati omnem regionem uſque Laudunum, & regyrantes verſus *le Tyraes*: illic eos ſubſecutus eſt Francorum rex, habens ſecum regem Bohemiæ & Leodienſem epiſcopum, qui in ſuccurſu regis ſexcentos equites adduxerat.

Rex Franc. putaretur vitare conflictum.

Cumque putaretur craſtinus ineundus conflictus, rex Franciæ cum ſuis conſilium habuit ſibi non expedire cum hoſtibus bellare, timens veriſimiliter proditionem ſuorum; & inſuper ſi ipſe ſolus caperetur, totius regni deſolatio ſequeretur; ſicque uſque ad meridiem cuncti ſteterunt armati, fame vehementer afflicti & ſudoribus multis. Verum pariformiter pars adverſa perpendens Francos omnino declinare conflictum, jamque victualia attenuari, & hyemem inſtare, poſt tot confuſiones & damna Francorum regi, hæc clara die videnti, audacter illatas, cœpere tractare de reditu, eis, ut aſſerebant, valde honorifico, qui per dies ſeptem, nemine reſiſtente, totam regionem deſolaſſent, ſicque communi decreto uterque exercitus remeavit ad propria, dicentibus Francis quod hoſtes de ſuis finibus metu ſolo propuliſſent, & damna perpauca adhuc ab eis perpeſſos fore.

Eduardus rex finibus init cū Flandris.

Itaque Eduardus rex per Flandriam tendens ad propria, capitaneum eorumdem Jacobum *Dartevelt* & populum univerſum in ſui favorem & aſſiſtentiam conatus inflectere, promiſit Flamingis ablaturum ſe Francigenis oppida quædam ad Flandrenſes ſpectantia, videlicet Inſulam, Duacum, & Bethuniam, dummodo ſe contra Francos confœderari vellent. At Flamingi aſſerebant hoc difficulter fieri poſſe, maxime cum ſub prægrandi mulcta florenorum juraſſent & promiſiſſent numquam contra Francos ſe bellaturos: nihilominus ſi Eduardus arma Franciæ liliata deferre vellet, & ſe regem Francorum nominando ſcribere, nil contra promiſſa committerent, & optionem ejus univerſi libenter explerent. Quo audito, rex exhilaratus, fœdus cum Flamingis iniit, arma Franciæ ſuſcepit, omnes obligatorias cautiones quittavit; & relinquens eis comites Salleſberienſem & de *Souſſort* ad infeſtandum Francos, transfretavit in Angliam, a regnicolis jocunde receptus.

Porro hi comites poſt receſſum ſui regis, multos facientes conflictus circa muros Inſulæ, una cum Flamingis, poſtremo nimis approximantes foſſatis, comprehenſi regi Francorum ſunt tranſmiſſi, & ſpatio duorum annorum in carcere tenti. Interim Philippus rex piraticam per mare fieri diſpoſuit, ſtatuens præfectum claſſis ſuæ dominum Hugonem *Kyres* una cum alio peſſimo pirata, cui nomen *Barbenair*. Hi frequenter mercatores Anglorum aggreſſi unam præcipuam navem quæ propter ſui magnitudinem nominabatur Chriſtophorus, cum plurimis aliis dromonibus & barkis oneratis lana & pannis in mari comprehenderunt, & ſpolia diviſerunt. E diverſo Anglici Francis & Normannis ceteriſque maritimis naves multas & ſpolia abſtulerunt. Inſuper Franci regreſſum Anglorum perpendentes, ſeque de hoſtibus vicinis ulciſci volentes, terram domini Johannis *de Bealmont* ferro & igne, præſertim juxta *Cimay* graviter vaſtaverunt: unde graviter commotus comes Hannoniæ, adhuc adoleſcens, regem Francorum avunculum ſuum ex linea materna in favorem domini Johannis ſupradicti patrui ſui ex ſtirpe paterna diffidavit, & villam de *Aubeton* funditus deſtruxit; & e diverſo ab eodem patruo ſuo damna & incendia ſuarum villarum juxta Cameraceſium perpeſſus eſt.

Comes Hannoniæ regem Franc. diffidat.

Anno Domini MCCCXL. veniente tempore verno, quo ſolent reges ad bella procedere, Philippus Francorum rex nimis commotus contra nepotem ſuum comitem Hannoniæ, direxit filium ſuum primogenitum Johannem ducem Normanniæ, cum ſuo conneſtabulario & primicerio, & manu valida, ad obſidendum caſtrum de *Scaudœure* fortiſſimum, munitum valde, cui dictus comes duos præfecit capitaneos, videlicet Gerardum de *Saiſſengniez*, & dominum Robertum *Marmions*, qui inſpecto exercitu ſuperveniente, facta reſiſtentia modica, neſcio an metu perculſi, an pecunia corrupti, ſalvis corporibus & rebus, illud expugnari permiſerunt. Ob quam cauſam iidem capitanei in oppido Montenſi Hannoniæ ambo per vicos viliter protracti ſunt, & juſſu comitis ad rotam poſiti. Quo patrato, cum tota Hannonia veriſimiliter metueret excidium terræ imminere, ex inſperato Francorum retroceſſit exercitus, relictis equitibus multis apud Duacum & Cameraceſium, ad expugnandos hoſtes circumjacentes. Per idem tempus comes Hannoniæ arbitratus ſe poſſe in ſui ſubſidium allicere dominum ADULPHUM DE MARKA Leodienſem epiſcopum, venit ad capitulum Leodienſe, relevans illic totum ſuum comitatum Hannonienſem in feudum, factuſque eſt vaſallus epiſcopi & ſuæ eccleſiæ Leodienſis.

Qui caſtrum ejus fortiſſimum *Scaudœure* expugnat.

Comes Hannoniæ fit vaſallus eccleſiæ Leod.

Porro Franci cum equitatu multo obſederant caſtrum de *Thun* circa ripam Scaldæ fluvii poſitum, ſicque faciliter ambo exercitus ſe invicem poſſent ſpeculari. Et in ſocietate comitis ſupradicti fuerant congregati principes ſæpedicti, dudum inter ſe confœ-

Galli caſtrū *Thun* obſident.

derati, videlicet dux Brabantiæ, dux Gelriæ, comites Juliacenſis & Loſſenſis, cum domino de Falcomonte, habentes circiter quinque millia equitum robuſtorum, expectantium nihilominus adventum Flamingorum peditum, qui tamen eo tempore non comparuerunt. Deinde poſt triduum cum Scalda propter ſui profunditatem non præberet iſtis commodum tranſitum, comes clam mandavit cuſtodibus caſtri, ut ſi poſſent nocturno tempore per Scaldam enatarent, omnia ſua ſalvarent, & caſtrum conflagrarent, ſicque factum eſt, & confeſtim uterque exercitus ad propria remeavit.

Pugna navali ceſſit Anglis cruenta victoria.

Eodem anno in vigilia B. Johannis Baptiſtæ rex Anglorum transfretare diſpoſuit pro ſuo propoſito implendo ad Scluſam portum Flandriæ: cui in mari occurrit dominus Hugo *Kires* præfectus claſſis regiæ, cum infinita multitudine Britonum, Normannorum, Januenſium, Gaſconum & Francorum, & navibus roſtratis infinitis, inter quas & illa permaxima quam anno præterito abſtulit Anglicis, Chriſtophorus nomine, de qua maximas adverſitates intulit Anglorum regi. Sed inito acerrimo conflictu, ceſſit Anglis cruenta victoria, trucidatis eorum multis millibus, ſed occulto Dei judicio, capitaneus regis occiſus eſt illic, & fere triginta millia virorum qui ſibi præbuerunt auxilium.

Rex Angl. venit Gandavum & obſidet Tornacū.

Poſt hunc egregium triumphum & Francorum humiliationem, maxime in locis maritimis, Eduardus rex venit ad Gandavum, a civibus receptus tamquam angelus Dei. Illic inito novo fœdere cum Flamingis, præfixa eſt dies qua cuncti principes apud Vilvordiam oppidum Brabantiæ debebant convenire, ubi congregatis magnatibus jam ab antea per triennium Anglorum regi colligatis, nec non Flamingis, concluſum eſt poſt paululum obſideri debere Tornacum, per cujus ſubjectionem alia minora oppida facillime poſſent ad deditionem compelli. Quæ fama perlata ad aures Francorum regis, in ſubſidium obſeſſorum elegantes & fortiſſimos tranſmiſit viros, comites, duces, barones, in numero copioſo. Tandem obſidione perfecta, & citra & ultra Scaldam exercitu civibus intercluſo, tamdiu duravit obſidio, quod victualia pene defecerant in civitate. Quod cum regi nuntiatum fuiſſet, rex perſonaliter una cum regibus Scotiæ, Bohemiæ, Navarræ, ducibus Borbonii & Burgundiæ, & infinitis tam de regno quam imperio convocatis, ad ſuffragandum obſeſſis properavit.

Firmatis treugis, ſolvitur obſidio.

Porro honorabilis domina comitiſſa Hannoniæ, relicta comitis nuper defuncti, abbatiſſa pro tunc in Fontanella, mater comitis pro tunc dominantis, ſororque Francorum regis, cui ſuper humanum modum diſplicebat hæc principum controverſia, ſuis humillimis precibus tantum tractavit inter partes, quod octo arbitri de utroque regio colligerentur exercitu, quatuor hinc & quatuor illinc, qui infra triduum aut pacem firmam aut ſaltem treugas inter eos impetrarent; quod non ſine providentia divina factum eſt. Nam pro parte Francorum arbitri electi ſunt rex Bohemiæ, ADOLPHUS Leodienſis epiſcopus, comes Alenconii frater regis, comites Flandriæ & Arminacenſis. De parte regis Anglorum epiſcopus Lincolnienſis, dux Brabantiæ, dux Gelriæ, comes Juliacenſis & dominus Johannes de *Bealmont*, qui ſimul collecti treugas ad annum integrum duraturas impetrarunt: ita quod omnis pugna & armorum vexatio inter partes ceſſare debeat intermedio tempore, nedum in Francia, ſed & ſimiliter in Scotia, in Gaſconia, & Pictavia, per terras & maria irrefragabiliter. Quo tractatu perfecto ſoluta eſt obſidio. Verum non multopoſt univerſis ad propria reverſis, denudatum eſt duci Brabantiæ, quoſdam ex oppidanis Bruxellenſibus præbuiſſe materiam & cauſam hujus receſſus, ita quod niſi principes de recedendo concluſiſſent, poſt biduum acies Brabantinorum & ſubſequenter communitates Flamingorum ab obſidione receſſiſſent & neceſſario cum confuſione maxima neceſſe fuiſſet regem Anglorum cum principibus ſibi colligatis viliter abire. Siquidem rex Francorum occulte per interpoſitas perſonas, per munera atque promiſſa primarios cives Bruxellenſes, qui primum & ſupremum caput Brabantiæ per arrogantiam eſſe volunt, quamvis Lovanium ſit oppidum primarium terræ & vetuſtius ac principalius, cum ſubtilitate corrupit, rogans ut in ſui favorem confines ſuos reliquorum oppidorum allicerent, ut tumultu facto, ad propria ſtuderent repedare, cauſis frivolis allegatis. quod cum duci ſuo proditorium ſicque verecundum appareret, & ne in poſterum ſibi hæc nota imprimeretur, aliquantos ex ipſis Bruxellenſibus comprehenſos, factumque confitentes tamquam traditores morte damnavit; a ceteris vero, qui ad diverſas regiones pro vita tuenda confugerant, innumerabiles poſtmodum extorſit pecunias.

Nec hoc ſilendum, quod durante obſidione Tornaci, & rege Francorum, ut præfertur, ad duo milliaria propinquo, fluvio Scalda eos interſecante, ut aliquanti nobiles & garciones terræ de *Muhalt*, de Condroſio, de Hannonia & Namurco, qui cauſa ſtipendii in caſtris regis Angliæ militaverant, pro foragiis conquirendis tranſito fluvio ſe diſpergerent, equites circiter ſeptuaginta; & cum aura multum eſſet nebuloſa, ita ut alter alterum vix ad tractum ſagittæ poſſet clare dinoſcere, ex improviſo occurrit eis acies magna de familia domini ADULPHI Leodienſis epiſcopi, qui pro tunc in caſtris regis Francorum magnifice militaverant, & inito acerrimo conflictu repente Hannonienſes & ſui complices

Adolphi epiſcopi copiæ Hannonienſium expeditam manum cædunt.

complices fugam inierunt, & finaliter tres milites trucidati sunt; & alii nonnulli, videlicet Johannes *Wargny*, Gonterus *de Poncelàche* Namurcensis, Wilhelmus *de Pipenpois* Bruxellensis, milites: capti vero Johannes *de Sorre*, Damasus de Bilisia, Ludovicus *de Jupplon*, Razo *de Monchiauz*, & ceteri quorum nomina ignorantur.

Insignis victoria de Sarracenis reportata.

Eodem anno misericors dominus Christianis maximam contulit victoriam de Sarracenis. Siquidem tres reges Agarenorum tenentium sectam Mahometi in Africana regione commorantes, scilicet rex Gornatorum, rex Benamarin, rex Aboemarus cum filio suo rege Tramente obsederant civitatem nobilem de regno Castellæ vocabulo *Tarisse*, habentes in exercitu suo equitum sexaginta, & peditum trecenta millia, præter lixas & calones levis armaturæ, qui solent exercitum comitari. At rex Castellæ & Legionis, nec non & rex Portugalliæ ducentes secum tredecim millia equitum, & peditum fere septuaginta millia, fiduciam habentes in Domino, cui non est difficile in paucis aut in multis salvare, confidenter Sarracenos invadere parati, pro fide catholica pariter, si necesse foret, omnes occumbere proposuerant; & appropinquante hora pugnæ universi pure ac devote sua peccata confitentes, ac sacram communionem suscipientes, una cum rege Castellæ, qui per prius, ut famabatur, numquam confessionem fecerat, nec fidem conjugalem suæ servaverat reginæ; cunctam spem suam figentes in Christo, cujus est & adjuvare & in fugam vertere, viriliter irruerunt in hostes: qui, Domino terrorem eis immittente, terga vertentes usque ad centum millia cæsi sunt, rege Tramente cum infinitis Agarenis illic capto.

Secunda & tertia victoria.

Hæc autem victoria facta est penultima Octobris, cum de Christianis vix sexaginta viri illic comperti sunt periisse, Deo suos præservante. Deinde post dies septem quidam rex Sarracenorum præpotens, ad eosdem campos venit, volens tradere sepulturæ eos qui illic fuerant jugulati: in quos irruentes Christiani peremerunt ex eis equitum duodecim millia & peditum quadraginta duo millia. Tertium bellum factum est in ipsa solemnitate beati Martini, in quo peremti Sarracenorum equitum viginti unum millia & peditum amplius quam sexaginta millia. Quo facto, residui ad propria per mare redire cupientes, cuncti inter marinos fluctus absorpti sunt, Domino solo persequente blasphemos: ubi inter cetera viginti quinque galeæ plenæ omnibus generibus victualium, armorum & thesaurorum captæ sunt, præter alias minutas, quarum non erat numerus; sicque cessavit impetus Sarracenorum, & castra quæ per prius Christiani amiserant, per vim recuperata sunt.

Eodem tempore Scoti, absente David rege suo, sociatis sibi viris militaribus de Suetia ac Norwegia, cunctas villas & castra, quæ pridem ablata fuerant ab Anglicis, viribus & subtilitatibus ingeniosis recuperarunt; pervagantes præterea patriam Nortanhimbriæ, destructaque civitate Anglorum fortissima nomine * *Durèmmez*.

Scoti recuperant amissa castra.

* Dunelmo.

Anno MCCCXLI. Franciscus Petrarcha civis Florentinus, pro tunc agens annum ætatis trigesimum septimum, qui in arte rethorica non inferior erat Tullio ac Demostheni, in poëtica vero non minor Virgilio ac Homero, propter eminentem scientiæ suæ prærogativam in capitolio Romano a gubernatoribus urbis laurea poëtica honorifice decoratus est. Qui quidem honor magnificus citra annos mille ducentos nulli umquam extitit impensus. Copiam autem laureationis ejus hic inserere placuit, quæ talis est.

Franciscus Petrarcha laurea poëtica decoratur.

Ad æternam rei memoriam Ursus Anguillariæ comes, & Jordanus de filiis Ursi miles, almæ Urbis senatores illustres, universis ad quos præsentes litteræ pervenerint. Cum sicut ex anima & corpore constamus, sic duplex querendæ gloriæ via sit aperta mortalibus; quarum altera mentis, altera corporis viribus peragenda est. Utriusque rei principium omnipotens Deus in hac glorioſissima urbe constituit ab æterno, ex quo quidem innumerabiles olim tam ingenii dotibus quam bellicis artibus memorandos hæc eadem Urbs aut ipsa genuit aut alibi genitos erudivit, aluit, illustravit. Inter multa nimirum quæ cum viribus geruntur, ut ad præsens de corporeis actibus taceamus, florentissimum atque omni laude dignum quondam in nostra republica historicorum ac præcipue poëtarum studium fuit; quorum industria ac labore tam sibi ipsis quam aliis claris viris, quos suis dignabantur nobilitare carminibus, nominis immortalitas quærebatur. Horum in primis opera effectum est, ut conditorum hujus Urbis & imperii, atque aliorum omnis ætatis illustrium virorum vitam, mores & nomina teneamus, quæ nullis aliis viis per tot sæculorum lapsum ad nos usque potuerant pervenire.

Sane sicut poëtarum & historicorum copia multis gloriosæ ac diuturnæ memoriæ causa fuit; sic eorum defectum tractu temporis postea succedentem, multis aliis æternitate nominis non indignis oblivionis tenebras non est dubium attulisse. Hinc sæpe contigit, ut laudes eorum hominum, qui nobiscum vixerunt, ignorantes, mira res dictu! vetustissimorum certam notitiam habeamus. Et poëtæ quidem præter gloriam præsentis temporis & futuri, quam, ut diximus, sibi & aliis quærebant, ac præter honores & privilegia, quibus publice donabantur pro præmio quidem & studiorum ornamento coronam lauream merebantur. Tanto enim honore dignos illos censuit respublica, ut unum atque idem laureæ decus assignandum censeret consulibus & poëtis. Siquidem & cæsares, duceſque victores post labores bellorum, & poëtas

similiter post labores studiorum, lauro insignibant, per æternam scilicet viriditatem arboris illius, æternitatem tam bello quam ingenio quæsitam designantes. Atque illud in primis quod sicut arbos hæc sola non fulminari creditur, sic cæsarum & poëtarum gloriam illam, quæ more fulminis cuncta prosternit, sola non metuit vetustatem. Hoc nempe poëticum decus ætate nostra, quod dolenter referimus, incertum quasi seu ingeniorum tarditate seu temporum malitia usque adeo & abolitum videmus, ut etiam quid per ipsum poëtæ nomen importetur pene incognitum nostris hominibus habeatur, opinantibus multis poëtæ officium nihil esse aliud, quam fingere & mentiri: quod si esset, prorsus & laurea & omni honore indignum officium videretur.

Ignorant autem poëtæ officium, sicut ab eruditissimis & sapientissimis viris accepimus, in hoc esse, ut veritatem rerum sub amœnis coloribus absconditam, & decora velut figmentorum nube contectam, altisonis celebrent carminibus, & dulcis eloquii suavitate respergant, quo scilicet quæsitu difficillior magis atque magis inventa dulcescat. Sane cum [illegible]etas egregios in morem triumphantium accepimus in capitolio coronari, usque adeo in dissuetudinem nobis abiit illa solemnitas, ut jam a MCC. annis nullum ibi legamus tali honore decoratum.

Quod secum reputans ingeniosus vir & talium studiorum ab adolescentia scrutator ardentissimus Franciscus PETRARCHA Florentinus, poëta & historicus, atque hac præsertim tempore pereunti scientiæ succurrendum ratus, quo neglecta magis erat ab omnibus & deserta, post veterum volumina diligenti primum indagine cognita & relecta, demum post proprii ingenii opera, historiarum præcipue & poëmatum, quorum partem adhuc habet in manibus, honesto condigna laurea flagrans desiderio, non tantum propter gloriam propriam, sicut ipse in nostra & populi Romani præsentia publice professus est, quam ut ad simile desiderium studiosorum hominum animos excitaret: quamvis ad hunc ipsum honorem alibi suscipiendum, ab aliis sæpe studiis atque urbibus evocatus, tractus tamen memoria antiquorum poëtarum, necnon affectu & reverentia hujus sacrosanctæ urbis, cujus eum semper constat fuisse ferventissimum amatorem, posthabitis aliorum precibus, decrevit huc potissimum, ubi alios laureatos esse meminerat, se conferre. Ante tamen, ne superbe forsitan propriæ scientiæ confisus videretur, statuit de seipso alteri credere potius quam sibi: ideoque circumspiciens, nec ullum toto orbe reperiens digniorem, ad serenissimum dominum Robertum Jerusalem & Siciliæ regem illustrissimum, de Romana curia digressus, qui in Avinione nunc residet, usque Neapolim per ingentes maris & terrarum tractus personaliter accessit, atque illius tanti regis, omni utique scientiarum fulgoribus abundantissime radiantis, sese subjecit examini, ex cunctis mortalibus illum præferens, quia inter omnes dignissimus visus est, maturo sane consilio, ut tanto judicio probatus, posset a nemine reprobari.

Cum itaque rex audito iterum eo, atque operum ejus parte conspecta, dignum profecto tali honore judicasset, ac super ejus sufficientia singulari testimoniales litteras & de latere regio fide dignos nuntios destinasset, eodem tempore & ipse Franciscus pleno capitolio lauream poëticam solemniter postulasset, nos in regio testimonio & fama publica, quæ idem de eo multo ante prælocuta erat, sed multo maxima operum evidentia certissimam fidem dantes, præfatum Franciscum hodierno, scilicet Paschalis solemnitatis die, in capitolio Romano locorum celeberrimo, tam dicti regis quam nostro & populi Romani nomine magistrum poëtam & historicum declarantes, præclaro magisterii nomine insignivimus, & in signum specialiter præfis, nos Ursus comes & senator, pro nobis & pro collega nostro coronam lauream nostris manibus capiti ejus impressimus: dantes eidem tam in arte poëtica atque in historiis, quam in omnibus spectantibus ad easdem, auctoritate domini præfati regis, senatus & populi Romani, tam in hac sacratissima Urbe, quæ omnium urbium ac terrarum caput esse non ambigitur & magistra, quam alibi ubicumque locorum, legendi, disputandi, interpretandi veteres scripturas & novas ex ipsomet omnibus sæculis, auxiliante Deo, mansuros libros ac poëmata componendi liberam tenore præsentium potestatem; necnon & ubi & quoties sibi placuerit, hujusmodi atque alios actus poëticos laureatus seu mirto vel hedera, si id genus elegerit, coronatus, & in actu atque habitu quolibet poëtico privatim & publice solemniter exercere. Adhuc & scripta per eum hactenus velut per hominem in talibus expertum in his scriptis approbamus. Reliqua vero quæ scripturus est in posterum, ex quo ab eodem promulgata, & in lucem edita fuerint, simili ratione approbanda censemus: decernentes eum iisdem privilegiis & immunitatibus, honoribus & insigniis perfrui debere, quibus vel hic, vel usque terrarum uti possunt aut posse sunt soliti liberalium & honestarum artium professores, eumque magis, quia professionis suæ raritas uberioribus eum favoribus & ampliori benevolentia dignum fecit.

Insuper eumdem FRANCISCUM propter insignes ingenii sui laudes, ac propter notissimam devotionem, qua ad hanc urbem nostramque rempublicam affici eum & communis fama & actus ejus & verba testantur, civem Romanum facimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & veteribus & novis civium Romanorum privilegiis, ac nomine frui debere declarantes. De quibus omnibus & singulis interrogatus populus Romanus solemniter, ut mos est, nemine protinus adversante, placere sibi omnia unanimi clamore respondit. In quorum testimonio, præsentes litteras utriusque senatus subscriptione, & nostra aurea bulla sibi concedi

juſſimus, appenſione munitas. Datum Romæ in capitolio præſentibus nobis, & tam alienigenarum quam Romanorum procerum ac populorum multitudine numeroſa, quinto idus Aprilis anno MCCC. *quadrageſimo primo.*

De Roberto rege Siciliæ.

De præfato Roberto rege Siciliæ ſic ſcripſit Johannes Poccacius de Certaldo egregius poëta, quòd dum is rex adhuc puer eſſet, tam torpentis erat ingenii, ut non abſque maxima demonſtrantis difficultate prima litterarum elementa perciperet; & cum fere de eo in hac parte amici deſperarent, omnes pædagogi ingenium ejus ſolerti aſtutia rimantes fabellis Æſopi in tam grande ſtudendi ſciendique deſiderium tractus eſt, ut in brevi non tantum domeſticas nobis has liberales artes didicerit, verum uſque ad ipſa ſacræ philoſophiæ penetralia mira perſpicacitate tranſiret, talemque de ſe feciſſe regem, ut a Salomone citra nullum regem doctiorem mortales cognoverint.

Hic etiam rex clarus olim philoſophus & medicinæ præceptor egregius, atque inter cæteros ejus temporis inſignes theologus, cum uſque in ſexageſimum ſextum ætatis ſuæ annum parvi pendiſſet Virgilium, illumque, ut multi, fabuloſum hominem diceret, & nullius fore pretii, ſubtracto ornatu carminum, quam cito Franciſcum Petrarcham arcanos poëmatum reſerantem ſenſus audivit, ſtupefactus ſeipſum redarguit; & ut ego, eo dicente, auribus meis audivi, aſſeruit ſe numquam arbitratum per prius tam egregios atque ſublimes ſenſus, ſub tam ridiculoſo cortice, ſicuti poëtarum ſunt fictiones, potuiſſe latere, ut advertebat poſt demonſtrationem viri ſolertis, abſconditos eſſe, ſuumque mira compunctione damnabat ingenium & infortunium, quod tam ſero poëticum artificium cognoviſſet.

Opera Petrarchæ.

Porro Franciſci Petrarchæ multa patent opera metrica & proſaïca memoratu digniſſima, certum de celeſti ejus ingenio teſtimonium hinc inde ferentia. Stat equidem poëtica ſua nobiliſſima, quam Africam intitulavit, primi Scipionis Africani narrans magnalia heroïco carmine ſcripta. Stat & Bucolicum carmen jam ubique ſua celebritate cognitum. Stat & liber epiſtolarum ad amicos metrico ſtilo ſcriptarum. Sunt præterea duo ingentia proſaïcarum epiſtolarum juvenilium & ſenilium volumina, tanta ſententiarum, tanta rerum geſtarum copia, tanto ornatu artificii ſplendentia, ut in nullo Ciceronianis poſtponendas eas cenſeat lector diſcretus. Sunt invectivæ in medicum, & liber ſolitariæ vitæ, atque de remediis ad utramque fortunam, & alia infinita opuſcula, quorum non eſt numerus. Hæc de eo ſuus ſcribit Boccacius.

Eodem anno quidam ruſticus in *Eykenhuyſen* concremavit ſe ſponte cum domo ſua.

Poſt reditum duorum regum a Tornaco, contigit ducem Britanniæ Armoricanæ decedere ſine prole. Hic unum habebat uterinum ex patre eodem & matre, qui pridem obierat, relinquens filiam unicam, ad quam poſſeſſio ducatus hereditario jure debebat devolvi. Ea propter dux, homo perſpicax & oculatus, deſponſavit eamdem domino Carolo comiti Bleſenſi, nepoti Philippi regis Francorum ex ſorore, ut hoc medio ab omni invaſione alienigenæ poſſet patria tota defenſari. Habebat præterea dux fratrem alterum ex linea materna, de ſanguine Britannico non procreatum, qui comes fuerat Montisfortis, cui deſponſaverat Mariam ſororem Ludovici comitis Flandriæ, mulierem quidem ſexu ſed virilem habentem animum. Hic, inquam, comes Montisfortis vir animoſus, attendens obiiſſe fratrem, viis omnibus ac modis laborabat, excluſa nepte, ducatum Britonum ſibi uſurpare, & in primis ad urbem Nannetis perveniens, quæ caput eſt terræ totalis, ac civitas primaria, in ſui favorem donis ac muneribus cives alliciens, immo verius inficiens, inſtinctu & factione Hervei, cui cognomen Leo, illic in dominum ſuſceptus eſt ſine mora; deinde veraciter agnoſcens theſaurum fratris ſui nuper defuncti in civitate Lemovicenſi reconditum; illuc pergens, per cautelas ſubtiles tandem totum illum theſaurum ſecum aſportavit, connivente civium multitudine univerſa; quem largiflue diſtribuens, ac ſtipendiarios milites adunans, ſucceſſive totum proponebat ducatum armis & dolis ſubjugare. Aggreſſus igitur caſtra, municipia, villaſque fortiſſimas, pleraſque ex eis ad deditionem compulit violenter, magna ſtipatus armatorum manu, qui ſemper aliena quærebant. Quaſdam vero promiſſis & donis ſibi ſubigi practicavit, videlicet caſtrum dictum *Brart*, villas munitiſſimas *Rennes*, *Vennes*, *Hennebon*, caſtellum regis, *Gon*, *Craas*, in qua eſt ſedes epiſcopalis, & univerſam pene regionem.

Contentio de ducatu Britanniæ.

Poſt quæ comes præfatus, ut eumdem ducatum firmiter ac ſecure in poſterum poſſideret, transfretans in Angliam factus eſt Eduardi regis vaſallus, præſtito homagio ac juramento fidelitatis, relevans ab eodem prædictum ducatum in feudum. Quo gaudenter audito, rex omnem illi promiſit ſe exhibiturum aſſiſtentiam, favorem ac ſubventionem, contra quoſcumque volentes eumdem comitem moleſtare ac violentiam inferre, ſicque jocunde comes cum ſuis repedavit Nannetis unde venerat. His animoſe patratis, dictus Carolus Bleſenſis querelam lacrymoſam propoſuit Francorum regi in præſentiâ ſui avunculi materni cunctorumque procerum & magnatum regni, ſuper injuriis ſibi per comitem Montisfortis illatis, tragœdiam faciens non modicam,

Comes Montisfortis ad regem Angl. confugit.

Carolus Bleſenſis ad regē Francorum.

Citato igitur ac legitime comparente Parisius sæpefacto comite, Philippus rex de præmissis ac commissis indignabunde redarguit, & præsertim quia ducatum Britanniæ, quem fraudulenter usurpaverat, ab hoste suo manifesto Anglorum rege in feudum relevasset, in regis & baronum regni præjudicium non tolerandum. Cumque comes non se aliena invasisse, immo verius propria suscepisse ex successione fraterna proclamaret, & secundum articulum subtiliter declinare putaret; præceptum est ei ex ore regis per spatium dierum quindecim Parisius debere remorari, sub pœnis comminatoriis, quousque barones decrevissent ad quem e duobus ducatus prænominatus juxta leges regni spectare deberet. At comes cernens se labyrinthum inextricabilem incidisse, & rem pro anima esse; metuens item verisimiliter, ne rex plus favoris suo impenderet nepoti quam sibi, clam insalutato rege discessit, castra, villas & oppida quæ usurpaverat victualibus & armis muniens affluenter. Verum præfatus Carolus adjudicato sibi ducatu, confestim gravem convocans militarem manum Francorum & exterorum, associatis sibi illustri duce Normanniæ Johanne regis primogenito, ducibus Burgundiæ ac Borbonii, comitibus insuper ac baronibus usque ad quinque galeatorum millia, & sagittariis in numero copioso, receptis statim aliquantis castris, tandem civitatem Nannetensem in qua comes Montisfortis præsentialiter aderat, obsedit, & post frequentes ac diros conflictus, inita concordia cum civibus & Herveo prænominato, ut comes solus traderetur compeditus, & urbs salva cum suis omnibus dederetur, mox principes ingressi juxta compromissum, comitem in castro comprehensum transmiserunt Philippo regi Parisius tunc moram trahenti, circa omnium sanctorum festivitatem, ubi in carcere missus post aliquantos dies decessit; sicque propter instantis hiemis asperitatem paululum interim terra conquievit a tumultu bellorum.

Benedicti XII. obitus.

Anno Domini MCCCXLII. die vigesima quarta Aprilis BENEDICTUS papa duodecimus moritur & in Avinione sepelitur, de quo versus subsequentes sunt confecti:

[a] *Iste (a) fuit Nero, laïcis mors, vipera clero, Devius a vero, tuba repleta mero.*

Ludovicus Brandeburgius.

Item, Ludovicus marchio Brandeborgensis abstulit filio regis Bohemiæ uxorem suam legitimam, cum qua manserat in matrimonio circiter annis quatuordecim, & idem Ludovicus duxit in uxorem, & cum ipsa totam Karinthiam occupavit.

Clementis VI. creatio.

Mortuo Benedicto, electus est in summum pontificem dominus PETRUS ROGERII quondam niger monachus, & doctor sacræ theologiæ, qui postmodum factus est archiepiscopus Rothomagensis, & deinde sumtus in cardinalem, & tandem papa factus, nominatus est Clemens sextus, ac tertio calendas Junii ipsa festivitate Sacramenti consecratus solemniter. Die præcedenti, scilicet in profesto Sacramenti, ignis vehemens casu a quadam domo transiliens, ecclesiam collegiatam sancti Rumoldi, & alias nonnullas ecclesias & pene majorem partem domorum oppidi Machlinienſis devastavit, in quo hoc mirabile cunctis videntibus apparebat, quoniam ignis ille transiliens de vico ad vicum, domos intermedias relinquens intactas, alias hinc inde apprehendit & destruxit, domos autem usurariorum & aliorum notoriorum sceleratorum, nihil eis nocens pertransivit, ex quo datur intelligi diabolico flatu factum incendium, Domino hoc permittente propter peccata inhabitantium.

Incendium ingens Machliniæ.

Eodem anno transacta hyeme, dominus Carolus DE BLOIS, sociatis sibi belligeratoribus infinitis ex Francia, Hispania, plerisque principibus in succursum sui convenientibus, habita deliberatione gravi, aggressus est expugnare residuam partem oppidorum, castrorum ducatus Britanniæ, quæ quidem singula victualibus & armis comitissa relicta comitis Montisfortis in carcere Francorum regis defuncti, munierat egregie; & primo quidem gravi assultu expugnavit civitatem dictam *Rennes*, deinde aliam nomine *Vennes*, Castellum-regis, & alias quamplures, quarum nomina interserere plerisque fastidium forsitan generaret. Civitatem autem *Hennebon* primariam, ab Anglis illic se viriliter defendentibus, & stipendiariis communitam, post obsidionem dierum & mensium expugnare nequibat: & habitis hinc inde particularibus conflictibus, in quibus nunc una pars victrix, altera victa est, & e converso; tandem in arbitros compromissum est, & treugæ firmæ tractatæ continuandæ usque ad Maium mensem anni quadragesimi tertii futuri, ambabus jam partibus ex diuturna guerra pertæsis.

De Carolo Blesensi.

Mors Caroli regis Siciliæ.

Eodem anno obiit dominus Carolus rex Siciliæ: cui domina Johanna neptis ejus successit in regnum, nubens domino Andreæ fratri regis Hungariæ, qui postea miserabiliter necatus fuit, ut dicetur.

Scoti Northanhimbriam vastant.

Per idem tempus quo Scoti recuperatis terris quas pridem amiserant, peragrantes totam Nortanhimbriam, ac expugnatis castris munitissimis, *Edelborch* & *Rosenborch*, civitate etiam *Durenmez* vastata, contigit ut iidem communi decreto obsederint castrum Salesberiæ, absente comite domino loci, ac in Franciæ partibus sub obsequio Eduardi regis militante: quorum impetum & assultum frequentem dum comitissa nobilis cum suo cognato ceterisque aliquantis illic audacter se defendentibus, sustinere non potuis-

(a) Isti versus compositi sunt haud dubium, a quodam hæretico & perverso homine, nec convenire possunt Benedicto papæ, qui optimus fuit pontifex.

set, misit festinanter ad Anglorum regem, ut ad obsidionem solvendam se præpararet indilate.

Timore regis Angliæ in paludes se recipiunt.

Porro Scoti ex sola fama venturi regis territi, nocte eadem levantes tentoria, ad proprias recessere solitudines, quæ propter paludes circumvicinas se reddunt invias & inaccessibiles. In crastinum festinato rex cum inæstimabili armatorum manu illic perveniens, & Scotos abiisse comperiens, mœrore gravi perculsus est, eo quod sibi facultas cum hoste pugnandi sublata esset. Relicto igitur exercitu secus muros castri, ipse cum paucis nobilibus castrum ingressus, a nobili comitissa Aelide lætabunde ac benigne nimis susceptus est, præparato confestim convivio regiæ comitivæ congruenti. Cujus dum rex sydereum oculorum fulgorem, invisam mortalibus pulchritudinem, insignem faciei candorem, lepidam sonoramque vocis suavitatem, morum elegantiam, nec non & gestus quosdam tam rosei oris quam splendidæ frontis, & eburnei gutturis nitorem petulanter aspiceret, mox venereis stimulis agitatus, cœco carpitur igne, tacitumque latet sub pectore vulnus, actumque est ut ex ejus virtute mulier pudica cruentum consequeretur munus. Cum igitur dispositis mensis, rex cum suis discumberet militibus, solium penes regium latus comitissæ jubetur locari. Inter prandendum autem cum rex intente plus debito cœlestem illam contemplaretur imaginem, nec satiari posset ex aspectu, magis magisque cupidinis urebatur faculis: adeo ut contra sui consuetudinem cogitabundus sedens, omnem sumendi cibi perderet appetitum. Quamobrem mirati proceres, putabant eum de fuga Scotorum vel vastatione patriæ fuisse consternatum; sed aliud quippiam versabat in mente, quod facile non poterat abolere. Finito igitur prandio ac sublevatis mensis, dum fla ma libidinis vehementer regium stimularet pectus, comitissam solam vocatam in thalamo verbis amatoriis aggreditur, omnem quam perpetitur flammam cupidinis exprimit, ac sibi impudice consentire requirit. At pudicissima femina regem exorbitantem refrenare studens, rem hanc regiæ non convenire celsitudini proclamat, & nequaquam in hoc sibi complacere velle asseverat. Eapropter confusus rex gravia sustinens in se passionum luctamina, nunc facinoris ponderans magnitudinem, nunc regii decoris celsitudinem, nunc veneris incentivum vix valens reprimere, tota illic die permansit ac nocte, de suo voto nihil assecutus. In crastino valefaciens comitissæ, ac ut se magis exorabilem præstaret in posterum monens, nil precibus ac minis ab ea valens amplius extorquere, rex abscessit. Emenso deinde aliquanto temporis spatio, rex tamquam visurus provinciam cum paucis equitans, pervenit ad castrum prænominatum,

Edwardi regis impetus amoris comitissam Salisberiensem.

Comitissa cruciatus in pudicitia.

A facibus amoris adhuc vehementer accensus; ubi benigne satis ac jocunde susceptus a nobili comitissa, nihilominus semper quicquam adversi superventuri pertimescente, iteratis precibus, ut pridem, illam sibi consentire dulciter expostulat; sed minime pudicum id pectoris sacrarium pollutæ poterant inclinare vel inquinare preces, non inflectere promissa. Itaque cum inter cænandum rex omnem castri dispositionem sagaci perlustrasset oculo, demum cubitum pergens, conscio solo cubiculario, cui ne scrutaretur facta domini sui jussum erat, intempestæ noctis silentio soporatis universis, cubiculum pudicæ matronæ rex ingreditur, ac minas minis, preces addens precibus non est exauditus, sed renitentem ac reluctantem nimis, obturato gutture, sanguine per nares & os feminæ stillante, vi illata constuprans oppressit, & completo scelere, relinquens semimortuam velut infamis victor ac voti compos scelesti, diluculo discessit. Post aliquantulum temporis contigit Salesberiensem comitem prædictæ dominæ maritum, a Galliis ad Angliam nativum solum redire, ut uxorem & sobolem suamque patriam tandem inviseret; quem dum conjux læte satis, sed contra solitum depresso vultu susciperet, ille pro novitate rei miratus, interrogat quid haberet, sed & thalamum juxta consuetudinem secum ingredi requirebat; at illa tota resoluta in lacrymas, omnem commissæ rei pandit ordinem, illatum stuprum violentum, seque profitetur indignam de cetero tam præcelsi viri connubio sociari. Ille utpote vir perspicax, perpendens celsitudinem, potentiam, magnificentiam, sui imbecillitatem in expetendo vindictam, & ignominiæ gravitatem, sumto secum filio duodenni Londoniam properat, regi quam perpessus est infamiam ac vilipendium explanat, beneficia & obsequia illata improperat, hereditariam & avitam possessionem ad usum filii in regis manus reportat, tandemque mœstus Angliæ valedicens, transfretat in Hispanias, & demum contra cultores Mahometi viriliter pugnans occubuit, & ad cœlestia regna sine fine mansura verus martyr & fidei pugil commigravit.

Invita vim patitur a rege.

Hoc anno unigenitus filius T. *de Heinsberch* nepos Adulphi Leodiensis episcopi ex sorore decessit, in cujus favorem idem episcopus comitatum Lossensem ad suam ecclesiam pertinentem non curabat persequi. Quo defuncto, requiritur episcopus, ut vel nunc quod pridem ficte & lente cœperat, efficacius & cordialius reassumat; quod ille facere pollicitus est, sed in effectu nihil conclusit.

Theod. de *Heinsberch* obitus.

Anno MCCCXLIII. resumuntur & aggravantur processus apostolici contra Theodericum *de Heinsberch*, tamquam usurpatorem dicti comitatus, & invasorem, vel oppressorem Leodiensis ecclesiæ, ac singulis festis & dominicis diebus denuntiatur excommunicatus

Ecclesiæ in eum censuræ.

auctoritate apoſtolica; cumque communitas patriæ voluntariam ſe exhiberet ad recuperandum comitatum violenter, epiſcopus lentum ſe exhibuit.

Diſſentio inter l'eod. epiſc. & Hoiçſes.

Paulo poſt inter dominum epiſcopum & oppidanos Hoyenſes diſſenſio gravis eſt orta propter ſolutionem cenſuum. Siquidem cum olim groſſus Turonenſis ſex Leodienſes denarios valuiſſet juxta inſtitutionem domini HUGONIS DE CABILLONE, propter querimoniam populi qui ſe gravatum aſſerebat, ordinatum eſt de conſenſu patriæ, ut de cetero groſſus Turonenſis pro octo denariis cenſualibus exſolveretur. Verum Hoyenſes pro groſſo octodecim denarios ſolvere nitebantur; epiſcopus autem qui exinde ſe lædi enormiter ſenſerat, de conniventia ſcabinorum ac divitum, quibus cenſus illi ſolvi debebant, aliquantos rebelles numero quadraginta trium proſcribi & banniri fecit ad peronem: unde commoti Hoyenſes confeſtim deſtinarunt quinquaginta viros ex prudentioribus, una cum Godefrido de Hollonia milite, ad Brabantiæ ducem Johannem, promiſſuntque ſe tradere duci ſub pœna quadraginta millium florenorum regalium, dummodo ipſis contra epiſcopum Leodienſem ſuoſque fautores aſſiſtentiam præbeat indilate. Quibus gratanter auditis, dux prædictus promiſit Hoyenſes conſervare in ſuis libertatibus & privilegiis antiquis ſuper ſolutione cenſuum, juxta conſervationem manſionariorum & curiarum; quodque non permitteret Hoyenſes de cetero evocari, proſcribi, præconiſari per ſcabinos Leodienſes, niſi pro facinoribus infra libertates vel terminos Leodienſium perpetrandis. Quæ cum nota fuiſſent epiſcopo, fecit caſtra ſua de *Muhalt*, de *Clermont*, & alia quamplurima municipia victualibus & armis ad nocendum Hoyenſibus & duci communiri. Interim civitas Leodienſis litteras duci deſtinavit offenſo, ſupplicans quatenus diem tractatus ipſis aſſignaret ad quindenam, quia intermedio tempore ſperabant Hoyenſes cum ſuo domino plenarie concordare. Miſerunt inſuper ad Hoyum milites duos id requirentes, qui infecto negotio redierunt inanes. Nam comes Loſſenſis, videlicet T. *de Heinsberch* dicto duci contra Leodienſes fuerat confœderatus. Minabatur etiam dux terram totam Leodienſem igne & ferro ſe vaſtaturum, niſi ſuis per omnia votis obtemperarent. Poſtea circa Septembrem ad partes illas applicuit quidam legatus apoſtolicæ ſedis, qui proceſſus ſuos fulminans contra ducem & Hoyenſes, eos excommunicatos fecit publice denuntiari, inſuper & terram ducis & oppidum Hoyi eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto, a quo dux & Hoyenſes ſedem apoſtolicam confeſtim appellarunt.

Epiſc. Leod. ſuis civibus privilegia reſtituit.

Præterea hoc anno cum Leodienſis epiſcopus communitatem requireret, ut ſibi aſſiſtentiam & armatos præberet ad reſiſtendum duci, cives ſentientes ſe longo tempore ſervitute quadam in pace de *Wihongne* comprehenſa graviter oppreſſos, præſertim ſuper murmurio, ita quod ſi duo aut tres colloquerentur ad invicem, tamquam ſeditionis incentores aut murmuratores corrigerentur, multæque libertates quas olim habere conſueverant, per pacem Wihoniæ ipſis ſublatæ fuerant; nolebant preces epiſcopi ſui exaudire, niſi murmurium prædictum penitus aboleret, & libertates priſtinas de creandis burgimagiſtris & gubernatoribus miniſteriorum, ceteriſque hujuſmodi plenarie reſtitueret. Epiſcopus aliqualiter ſe reddens auſterum in primis, demum præſentibus rege Bohemiæ, ac comitibus de Marka & Montibus, quæ cives poſtulaverant liberaliter conceſſit, data ſuper his littera ſigillis epiſcopi, capituli ac magiſtrorum civitatis communita, quæ uſque hodie nuncupatur LITTERA S. JACOBI; ſicque receptis privilegiis ſupradictis, cives uno animo pariſque ſententia promtos & hilares ad invadendum ducem Brabantiæ ſe præbuerunt, expoſitis in foro vexillis; ſed per interventum comitis Hannoniæ & aliorum procerum, treugæ ad tres hebdomades ſunt protelatæ. & quia per ballivos, marcſcalcos, ceteroſque officiatos epiſcopi frequenter evenerat incolas patriæ contra legem omnem & dictamen rationis graviter & enormiter moleſtari, de communi voto epiſcopi ac trium ſtatuum patriæ decretum eſt, eligi & erigi debere viginti duos probos & egregios viros, quorum quatuor eſſent domini Leodienſis, & quatuor venerabilis capituli, quatuor de militaribus, quatuor de civibus Leodienſibus, de oppidanis autem aliorum oppidorum, duo Hoyenſes, duo Dyonantenſes, duo Tungrenſes, duo Sancti-Trudonenſes, unus Foſſenſis, alter Bullonii, coram quibus prædicti injuriati vel ſpoliati ſuas deponerent querelas, ac cognita injuria perlata, dictos officiatos præfati viri poſſent ſub pœnis proſcriptionis arctare ad damna reſarcienda, & ipſos, etiam invito epiſcopo, niſi reſipiſcant, a ſuis officiis amovere: verum aliqualis inter eos diſceptatio facta eſt, utrum dicti ſic electi perpetui forent, vel annuatim amovendi, prævaluitque ſententia, ut ſingulis annis in feſto Luciæ novi crearentur, cedentibus antiquis.

His ita geſtis, perpendens epiſcopus per inſtitutionem viginti duorum, quod ſuos officiatos corrigere poſſent, ſe multipliciter circumventum, nec tamen ſententiam latam & ſigillatam revocare valeret, confractus eſt corde, & ex melancholia graviſſimam incurrit ægritudinem, ſecedens propterea in Wereſlaria ad aërem nativum, ac tandem ab illa convaluit, & ad ſuam rediit civitatem.

Eduardus rex auxilium implorat contra Montisfortis.

His diebus rex Eduardus precibus comitiſſæ Montisfortis transfretavit in Britanniam Armoricanam, ad ſuccurrendum ſuis, qui

multas illic pertulerunt anguſtias per Carolum Bleſenſem, qui maximam partem ducatus prædicti recuperaverat pridem amiſſam. Statim Anglorum rex tres principales obſedit urbes, videlicet Nannetem, *Vennes* & *Rennes*; ſed parum ſatis proficiens, & occiſo vel mutilato graviter domino Roberto de *Artois*, regreſſus eſt ad propria: nam concordatum hinc inde fuerat in treugas duraturas ſpatio duorum aut trium annorum, quæ intermedio tempore male fuerant obſervatæ.

Adolphus epiſc. revocare tentat quod conſecratus.

Anno Domini MCCCXLIV. in feſto beati Matthæi apoſtoli, cum ADULPHUS Leodienſis epiſcopus graviter pœniteret, quod viginti duos judices, ut præfertur, in præjudicium dominii ſui permiſiſſet & conſenſiſſet inſtitui & eligi, quatuor de majoris eccleſiæ canonicis qui electi fuerant inſtanter requiſivit, quod juri & electioni de ſe factæ confeſtim renuntiarent, intentando eiſdem minas graves; pariformiter quatuor de civitate electos requiſivit, volens ab eis retorquere litteram quam prius diximus tot ſigillis communitam; quam dum ſub quodam pallio mendacii, quaſi in ea aliquid viſurus epiſcopus tenuiſſet, mox dicitur penitus laceraſſe, uno de burgimagiſtris epiſcopo ſupra his connivente, qui dictus Johannes *Jaquemente*, de miniſterio pannificum vel drapariorum, qui totis votis nitebatur caſſare & irritare nundinas, quæ poſt octavas S. Lamberti ſingulis annis celebrari ſolent, ut liberius ad libitum cives pannos ſuos omnibus vendere poſſent, ut pridem fieri conſuevit; promittens inſuper domino Leodienſi ſecum adducturum in forum Leodienſe decem miniſteria, aut ſaltem mille armatos, cum quibus reſiduum civitatis in ſuam indubitanter ſperabat ſententiam inclinare. Quod cum civibus innotuiſſet, illi aſſociatis ſibi inſignibus, contra prædictum burgimagiſtrum necnon & dominum Johannem de Landris militem, ac Johannem dictum *Pollart* juris doctorem procedentes, velut contra periculi vel ſeditionis incentores, omnes exiliaverunt: requirentes inſuper eccleſias, ut ſimili modo contra quatuor canonicos in hujuſmodi reos inqueſtam facerent, quos hujus facti dicebant eſſe participes.

Hoyenſium querelæ de ſuo epiſc.

Eodem anno Hoyenſes in numero copioſo navigio venerunt in Leodium, querimoniam facientes de ſuo præſule, quia ſententiam arbitralem per comitem Hannoniæ latam, ſervare non curaſſet; illo e contrario affirmante, quod Hoyenſes in pœnas appoſitas per rebellionem incidiſſent, cum illi vigeſima ſexta die Octobris ad propria remearent, epiſcopus in caſtro ſuo de *Clermont* lecto decumbens ægrotus, mandavit ſuo ballivo Haſbaniæ Ludovico *Marceal*, ut ſumto ſecum equitatu illos invaderet. At ille juſſum ſui præſulis volens explere, Hoyenſes præmunitos ac prænominatos circa ſilvam dictam *la Mallieu* fidenter invaſit; ſed habito conflictu ſupervenientes equites Hoyenſium, de quibus ballivus ignoraverat, ipſum cum omnibus compulerunt in fugam, tribus viris illic peremtis. Quod cum nuntiaſſet epiſcopo graviter ægrotanti, ille triſti conſternatus nuntio, quia non evenerat, ut putabat, octavo die poſt conflictum, id eſt tertia Novembris diem clauſit extremum in prædicto caſtro de *Clermont*, inteſtatus quia infinitis debitis obligatus. Statim navi impoſitus ac Leodium advectus, ſepultus eſt ante majus altare ſancti Lamberti in excellenti ſarcophago laminis æreis deſuper operto, quibuſdam de morte ejus dolentibus, aliquantis admodum jocundatis. Poſt cujus obitum ordinatus eſt patriæ mamburnus ac tutor cum omni applauſu dominus Ludovicus *de Agimont* vir nobilis, & ab omnibus tam militaribus quam vulgaribus patriæ ſatis dilectus.

Adolphus epiſc. obit.

Gandenſes occidunt Jacobum *d'Artevelt*.

Iiſdem diebus fullones Gandenſes tumultuantes, nec jugum Jacobi *Dartevelt* capitanei eorum æquanimiter ſuſtinere valentes, occiderunt prædictum Jacobum in domo ſua propria, per cujus favorem rex Angliæ ſperabat acquirere Flamingos in auxilium ſui, ad invadendum regnum Franciæ, & filium ſuum primogenitum principem Gualiæ conſtituere comitem Flandriæ; ſed mentita eſt iniquitas ſibi, & fruſtratus eſt ſpe ſua. Poſt pauca Gandenſes alium ſibi crearunt rectorem; ac ſectæ ſuæ conſentaneum pannorum textorem, cui nomen erat Gerardus Dionyſii, comitem ſuum ac dominum expellentes, & juxta votum ſingula tractantes ac diſponentes.

Angliæ rex ſuccurſum mittit civitati Burdegalæ.

Eodem anno in ſuccurſum civitatis Burdegalenſis & Gaſconum rex Anglorum miſit ſuum nepotem comitem *Derby* cum ſexcentis equitibus & totidem ſagittariis, inter quos erant primarii comites de *Paneborc*, *Dokenford*, & nobiles viri dominus Walterus de *Manni*, dominus Franco de *Halen*, dominus temporalis de *Lylloe* non longe ab Antuerpia, & quamplures alii barones & militares de diverſis regionibus agglobati; qui navigio venientes ad civitatem Bajocenſem in Normanniam, abinde ſeceſſerunt verſus Gaſconiam ſecus ripam Gerondæ fluminis, univerſa locuſtarum more depopulantes, caſtra ſubvertentes, aut ſibi partim vi, partim promiſſis ac verbis ſuavibus expugnantes, quouſque pervenirent Burdegalam; caſtrum quoque Blavium, & *Bourg* ſimili modo poſt pauca ad deditionem compulerunt. E diverſo Philippus rex ad ſuccurrendum ſuis miſit ſuum primogenitum Johannem ducem Normanniæ, cum infinita nobilium, ducum, comitum, baronum, ac prælatorum comitiva; qui quamplures civitates, caſtra ac villas ſubreptas ab Anglis recuperarunt, & præſertim civitatem Engoliſmenſem, de qua per ſubti-

litatem ingenioſam Angli cum ſuis omnibus armis ac rebus patienter egreſſi ſunt, nemine eos lædente, & ſic durante hiemis aſperitate uterque requievit exercitus in urbibus & caſtris ſubjugatis.

Eodem anno ſedes Pragenſis epiſcopalis erigitur in metropolitanam.

Engelberrus de Marka fit epiſc. Leod. & pacem facit cum Hoyenſibus.

Anno MCCCXLV. defuncto ADULPHO Leodienſi epiſcopo, tandem in vigilia Matthiæ apoſtoli ex proviſione ſedis apoſtolicæ & ſuffragio litterarum Philippi Francorum regis, dominus ENGELBERTUS DE MARKA pridem præpoſitus Leodienſis, nepos bonæ memoriæ Adulphi epiſcopi ex fratre in epiſcopum Leodienſem eſt ſublimatus, qui cum ingenti comitiva procerum ac nobilium properans verſus Leodium, illic a viris eccleſiaſticis & civibus cum jocunditate magna ſuſceptus eſt duodecima die Aprilis. Is cum litem pridem inter prædeceſſorem ſuum & oppidanos Hoyenſes proſequi tentaret, ſaiſitis caſtris de *Clermont* & *Muhalt*, inſtinctu ſatellitum ſuorum pecora Hoyenſium & blada fecit vice quadam ſpoliari & abduci in caſtra; ſed poſt breve intervenientibus egregiis militibus Waltero de Momalia, Theoderico de Seranio, & Ægidio de Cervo, pax firma pronuntiata eſt: ita quod epiſcopus interdictum auctoritate apoſtolica latum procuraret diſſolvi, & omnes offenſæ priores remitterentur: pro qua gratia Hoyenſes ſedecim millia florenorum aureorum exſolvere non tardarent, quo pacto in adventu organa ſunt reſumta.

Seditio Leodii.

Porro vulgus Leodienſe ſeditione facta, in primarios civitatis milites ac ſcabinos quatuordecim eo tempore inſurrexit, qui dum civitatem gubernarent penſiones vitales in quantitate gravi vendiderant, & in uſus domeſticos, ut fama erat, converterant: unde non immerito populares, aſſumto regimine civitatis indignati, inquiſitione facta, hujus venditionis auctores tam vivos quam heredes ac uxores ſuperſtites requirunt, ut dictas ſolutiones & pecunias exinde levatas facta computatione reſtituant, & deinceps de ſuis facultatibus perſolvant, alioquin infra feſtum beati Baptiſtæ Johannis a civitate recedant proſcripti. Quorum aliqui dum ſummam hanc ſolvere non poſſent, aliquanti non vellent, in vigilia dicti feſti omnes pariter abſceſſerunt; inter quos tres erant ſcabini, Johannes de Lardario & Hubinus Bareti milites, Johannes de Brabantia, magiſter Andreas advocatus curiæ Leodienſis, & ceteri quorum nomina pertranſimus.

His ita geſtis, pro cauſis quibuſdam veniente Johanne rege Bohemiæ apud Namurcum, epiſcopus illum rogavit, ut apud communitatem Leodienſem, cui rex gratus erat, intercedere dignaretur, ut proſcripti vel banniti ab eis poſſent libere ad civitatem remeare. At cives interventu regis & ſui præſulis inclinati bannitos omnes revocarunt, hoc pacto mediante, quod quilibet eorum juxta conſuetudinem & legem patriæ per qualitatem delicti debitam recompenſaret emendam, ſicque ceſſavit tota quaſſatio.

Guillelmus comes Hannoniæ Friſones invadere tentat.

Eodem anno circa initium Junii menſis Wilhermus vigeſimus primus comes Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ, necnon dominus Friſiæ, dum ſub titulo invadendi Friſones ſibi obedire recuſantes, ab Ultrajectenſibus emiſſet victualia & ſagittas, ipſos improviſos obſedit pro modica occaſione ſuborta; pro præpoſitura ſancti Johannis in diſcordia collata. Et quia pars quæ comiti favebat in propoſito ſuccubuerat, idcirco ipſis offenſus erat. Hic habebat in exercitu ſuo fere duo millia ſexcentos milites, comites octodecim, barones triginta ſeptem, ſicque extendebatur numerus obſidentium ad ſexaginta millia. Deinde mille & centum lapides ſperici per fundas infra civitatem projecti ſunt, qui domos multas graviter attriverant, ſed dumtaxat vir unus & mulier una ex eis læſi ſunt, divina eos protegente clementia. Verum de exercitu comitis captivi abducti ſunt milites egregii numero quadraginta, ſed levis armaturæ & vulgi non erat numerus. At comes conſiderans urbem munitam pro biennio, & cives viriliter reſiſtentes, mediante patruo ſuo domino Johanne *de Bealmont*, pactionem hanc ſuſcepit. Damna quidem illata hinc inde ſunt remiſſa, captivi liberati, & partialitates ſedatæ; ſed & quadringenti cives nudo capite ac pedibus veniam a comite poſtulaverunt; ſicque ſoluta obſidione, comes ad propria reverſus eſt. Deinde eodem anno in menſe Septembri ſupra Danis reſarcita nova militia, Friſones navali bello proponebat invadere animo juvenili; cumque portui applicuiſſet, Friſones præmuniti priuſquam ad terram potuiſſent egredi, ſuos invadunt hoſtes & comitem cum ingenti copia nobilium abſque defenſione confeſtim obtruncant, jugulant & dilaniant, paucis ad naves fugientibus pro tunc a cæde ſalvatis, cujus corpus in monaſterio Floridi-campi eccleſiaſticæ traditum eſt ſepulturæ.

Ab eis occiditur.

Bellum inter Colon. archiep. & comites de Montibus & de Marka.

His diebus inter archiepiſcopum Colonienſem ex parte una & comites de Montibus & de Marka gravis facta eſt controverſia. Cumque in campis comparentes pugnam iniſſent, ceſſit victoria comitibus, & aliquanti de parte archiepiſcopi trucidati, aliquanti carceribus ſunt mancipati. Cumque poſt paululum ignominiam illatam archiepiſcopus voluiſſet a fronte ſua detergere, turſum cum præmiſſis comitibus bellum inire propoſuit: ea propter in ſuccurſum dictorum comitum Leodienſis epiſcopus cum multo proceſſit Haſbanorum & Condroſiorum equitatu, ſed per intermedium principum magnorum pax pronuntiata eſt, ſed non diu integraliter obſervata.

Eodem

Peſtis ingens.

Eodem anno ſaturno dominium habente inter planetas, qui infra ſpatium triginta annorum curſum ſuum complet, primo in partibus Orientis, videlicet Aſia majore, Armenia, Syria, Perſide, necnon & in Italia, ac Lombardia, peſtis inguinaria vel aſcellaria, quam vulgares epidimiam nuncupant, graſſari cœpit horrende, in tantum ut vivi vix ſufficerent ad mortuos tumulandos, duravitque peſtis hæc per multos annos continuos: tandem poſt quadriennium pariformiter Germaniam inferiorem citra Rhenum nimium attrivit, infinitos extinguens. De hac peſte lacrymaliter exclamat egregius Franciſcus laureatus poëta ſic inquiens:

Heu mihi! quid patior? quo me violenta retorquent
Fata, retro video pereuntis tempora mundi
Præcipiti tranſire fuga; morientia circum
Agmina conſpicio juvenumque ſenumque, nec uſque
Tuta patet ſtatio, non toto portus in orbe
Panditur, optatæ non ſpes patet ulla ſalubris.
Funera crebra quidem quocumque paventia flecto
Lumina conturbant aciem, perplexa feretris
Templa gemunt, paſſimque ſimul ſine honore cadaver
Nobile plebeiumque jacet, ſubit ultima vitæ
Hora, mali, caſuſque mei meminiſſe coactus.
Heu! caros abiiſſe greges & amica retracto
Colloquia, & dulces ſubito vaneſcere vultus.
Hoc gemit Italiæ populus tot mortibus impar,
Hoc exhauſta viris defectaque Gallia plorat.
Hoc aliæ quocumque jacent ſub ſydere gentes,
Sive ſit ira Dei quod crimina noſtra mereri
Certe crediderim, ſeu ſola injuria cœli.
Natura variante vices hic peſtifer annus
Humano generi incubuit, ſtendumque minatur
Excidium, mortique favet denſiſſimus aër.
Semis ab infecto proſpectat Jupiter axe,
Inde pluit morbos & triſtia funera terris
Nec mare, nec tellus, nec apricis ſaxa cavernis
Oſtendunt profugo, quoniam mors omnia vincit.

De hac peſtilentia quidam frater ordinis Prædicatorum Rupertus nomine, vita & miraculis glorioſus ante annos triginta prophetavit dicens: Sic in me locutus eſt ſpiritus Domini dicens: vade ad illum qui regit columbam meam, vade ad cardines terræ, & dic eis: niſi dimittant pompam ſuam & avaritiam ſuam, ſequetur tanta mortalitas, quod rivi ſanguinum fluent de ſepulchris.

Eodem anno apud urbem Romanam tam grave fuit diluvium, ut per vicos naviculæ ducerentur.

Guillelmus Furioſus comes Hollandiæ.

Anno MCCCXLVI. poſt necem Wilhelmi ſupradicti, qui non reliquit prolem, dominus dictus *Uleminck* tutor Hollandiæ, confeſtim miſit ad Ludovicum Bavarum, qui ex ſorore dicti comitis ſoboles multas genuerat, ut unus ex filiis ejus ſibi mitteretur, qui jure hereditario terram prædictam gubernet & poſſideat; & tandem miſſus eſt Guilhelmus filius ejus cognomine Furioſus. Nam poſtea factus eſt amens, & ſucceſſit eidem Albertus frater ejus.

Turbæ occaſione homicidii.

Item, eodem anno dum quidam oppidanus Hoyenſis in quadam villa Condroſii vim vi repellens, invaſorem ſuum occidiſſet, Leodienſi ſede vacante, iſdem homicida, facta pace cum amicis occiſi, procuravit etiam ſe abſolvi a facinore per dominum Ludovicum *d'Agymont* mamburnum & tutorem patriæ. Verum ſublimato domino ENGELBERTO DE MARKA, ballivus ejuſdem epiſcopi Collinus de *Fraipont* miles, per ſuum ſubſtitutum Johannem de *Merade* dictum homicidam comprehenſum fecit continuo decollari, aſſerens tractatum initum cum mamburno nullius eſſe valoris. Unde commoti Hoyenſes, prima die Martii cum vexillis & armis egreſſi ad villam Condroſii, quæ nova villa dicitur, domum dicti ballivi ſecuribus & malleis diruerunt. Ea recepta contumelia, ballivus conqueſtus ſcabinis Leodienſibus de violentia facta, abſente epiſcopo, practicavit octodecim oppidanos Hoyenſes præconiſari, & a patria proſcribi. De quo cetera oppida patriæ apud Leodium convocata, mox ſe confœderarunt Hoyenſibus, & prædictas querimoniam & proſcriptionem irritas & vanas fuiſſe & eſſe proclamaverunt, attento quod homicida præſens cum mamburno patriæ compoſuiſſet, quodque juxta arbitramentum comitis Hannoniæ oppidani Hoyenſes per ſcabinos Leodienſes proſcribi vel expelli non poſſent, niſi pro forefactis infra immunitatem vel bannileucam eorum communi perpetratis.

Epiſc. conqueritur de Leodienſibus & Hoyenſib.

Porro epiſcopus regreſſus a Weſtphalia, moleſte tulit injuriam illatam ſuo juſticiario: diſſimulabat tamen ſibi aſcribere vel laudare factum ballivi; ſed quantocius omnium conſilium patriæ nobilium & civium apud *Fexhe* convocavit, querimoniam longam texens contra Leodienſes & Hoyenſes ſimul confœderatos contra ſe, quos aſſerebat infregiſſe juriſdictionem ac dominium in effringendo domos ſuorum officiatorum, &c. Econtrario Leodienſes affirmabant dictam colligationem nequaquam cedere in prejudicium juriſdictionis epiſcopalis; ſed in defenſionem ſuarum libertatum & caſtigationem eorum, qui contra fas & legem terræ ſuos confratres & concives infeſtare præſumebant.

Abbas S. Nicaſii tractat de pace inter capit. Leod. & dom. de *Heinsberch*.

In menſe Junio ejuſdem anni abbas ſancti Nicaſii venit Leodium, legatus a ſede apoſtolica, ut inter capitulum Leodienſe & dominum T. de *Heinsberch* quoad comitatum Loſſenſem pacem reformaret, & excommunicatum abſolveret atque comitatum contraderet illi, cui major pars capituli & patriæ ſe concordaret. Cumque dictus abbas diu tractaſſet cum capitulo, tandem communi

voto electi ſunt quinque canonici, qui una cum abbate tractarent de pace inter partes: ita tamen quod non haberent auctoritatem terminandi negotium ſine conſenſu capituli & patriæ univerſæ: ipſi tamen nulla relatione facta capitulo, circa feſtum Johannis-Baptiſtæ apud *Haſſelt* in hoc convenerunt, quod epiſcopus dictum T. de comitatu prædicto inveſtivit, & interdictum relaxavit, & excommunicatum abſolvit. Qua fama relata Leodii, turbatur clerus, & civitas univerſa contra tractatores inſurrexit, illique furorem populi declinantes ab urbe fugerunt. Porro magiſtri communitatis putantes ſe poſſe tumultum ſedare, ſcabinos & eos qui aufugerant reduxerunt; ſed exorta ſeditione graviori in populo, iterato refugium extra civitatem quæſierunt, timentes ſuæ pelli. Quæ cum ad aures epiſcopi perlata fuiſſent, ille volens ſe de Leodienſibus ulciſci, diem præfixit, qua apud villam de *Vothem* ipſis invitis veniret, ſcabinos & alios qui fugerant reduceret, & quos vellet de civibus exularet ac banniret. Is enim locus eſt parum diſtans a Leodio, ubi ſcabini, quando infra civitatem judicare vel legem exequi ob terrorem non audebant, ſolebant ſedere pro tribunali. Quam ob cauſam cives in multo territi manſiones quorumdam ſcabinorum & canonicorum, quos ſcabinis viriliter conjecturabant favere, funditus diruerunt, & die ſtatuto convenientes in *Vothem*, locum illum in quo judicia fieri debebant, vallaverunt foſſatis in circuitu, illic per biduum præſtolantes horam quando veniat dominus. Tandem decima nona die Julii epiſcopus aſſociatis ſibi infinitis principibus, videlicet rege Bohemiæ jam cæco, comitibus Namurcenſi, Viennenſi, de Marka, de *Montibus*, & Loſſenſi, & domino de Falcomonte, dum veloci curſu equorum intraſſet metas foſſatorum ſive vallorum, nullam moram illic fecit; ſed declinans ad alium locum vicinum, in quo non erat ſolitum fieri judicia, illic ſcabini Leodienſes ex mandato epiſcopi quadraginta duos ex civibus primariis proſcripſerunt. Interim aliquanti de exercitu epiſcopi lateraliter equitantes verſus Leodium, quoſdam inermes clericos, matronas, procuratores ad numerum quingentarum perſonarum lupino more ſævientes jugularunt; inter quos erant preſbyteri viginti ſex, & clerici viginti octo. Qua cæde patrata, vindicante Deo, Leodienſes cum Hoyenſibus invadunt exercitum, qui confeſtim terga vertentes turpi fugæ ſe commiſerunt, multis ex militibus & proceribus illic trucidatis. Inter quos erat dominus de Falçomonte & alii amplius quam quadraginta de terra comitis Montenſis, qui ceteris fuerant actores, videlicet Adulphus de *Wolkenborch*, Henricus de *Staenrode*, H. de *Leuvemberch*, dominus de *Piermont*, & alii quorum nomina brevitatis cauſa relinquo. Fertur autem epiſcopus habuiſſe in ſuo comitatu amplius quam ſeptem millia equitum, ſed ait ſapiens: *Cum diſpoſitione initur bellum, Dominus autem ſalutem tribuit.* Hoyenſes eadem nocte venientes in Leodium, hoſpitati ſunt in domibus canonicorum, qui cum epiſcopo aufugerant, quicquid illic invenerant ſecum deportantes.

Quam improbat clerus & populus.

Epiſc. quærit ultionem de Leodienſib.

Seditio Leod.

Eodem anno Johannes dux Normanniæ valida cinxit obſidione caſtrum fortiſſimum nomine *Aguilhon*, ſitum ſuper Garonam fluvium, in quo viri erant fortiſſimi ex Anglia, Brabantia, Hannonia concluſi, ſe viriliter defenſantes, & plurimi ex utraque parte peremti ſunt. Interim rex Anglorum ſuffragium præſtare volens obſeſſis in *Aguilhon*, transfretavit in Normanniam cum filio ſuo primogenito principe Gualiæ, habens in exercitu circiter quatuor millia equitum nobilium & viginti millia ſagittariorum ac peditum levis armaturæ. Cumque applicuiſſent ad portum univerſam depopulantes maritimam ripariam, cunctaque caſtra, villas & oppida, partim dolo, partim vi, partim promiſſa libertate ſubjugaverant, videlicet *Cherebourt*, *Montebourt*, *Avaloingne*, *Quarentin*, civitatem Conſtantienſem, & tandem multis laboribus expugnarunt Cadomum, Gallice *Kaen*, prædam inde abducentes pretioſam. Deinde rex tranſiens Sequanam, plures circumcirca combuſtæ ſunt villæ: adeo ut infra muros Pariſienſes fumus clara die poſſet videri. Vaſtata quoque terra Belvacenſis fere univerſa, nemine Anglis obſiſtente. Interim Philippus rex Franciæ non valens amplius ruborem & confuſionem quam ab Anglis ſuſtinebat, æquanimiter tolerare, coadunato exercitu ſequutus eſt Anglos uſque Abbatis-villam in Pontivo properantes, & in itinere ſtrages, cædes, rapinas & incendia ſine ceſſatione faciens; & ut famabatur pro tunc rex Anglorum in ſuo comitatu vix habebat equitum quatuor millia, ſagittariorum decem millia, & peditum communium circiter decem millia. Porro exercitus Francorum æſtimatus erat ad xx. millia equitum nobilium, & circiter centum millia peditum cum Januenſibus & baliſtariis per ſtipendia conductis. Demum cum ambo exercitus ad ſpatium unius milliaris propinquaſſent, confeſtim Anglorum rex ſuos in tres acies partitus, viriliter & audacter expectans adventum Francorum, cum plurimi Francorum ſine militari diſciplina gradientes, non expectatis ſuis principibus, perveniſſent uſque ad locum certaminis quo Anglici locati fuerant, velletque eos rex per ſuos ſigniferos revocare, illi parvipenſo regis mandato, aggreſſi ſunt Anglicos, quorum ſagittarii tela jacientes in modum nivis equos Francorum cum ſuis ſeſſoribus peremerunt, cumque alii ſequentes primis ſuccurrere vel-

Obſidio caſtri Aguilla-nii.

Rex Anglor. in Normann. plura ſubjugat oppida.

Philipp. rex Franc. ingentem parat exercitum.

Pugna Cadomenſis.

lent periclitantibus, nec possent præ multitudine cadaverum & equorum & calcitrantium ob sagittas, nec præ confusione vellent regredi, infinita illic millia, quibus non dabatur copia cum Anglis cominus manu vel hasta pugnandi, per arrogantiam corruerunt juxta villam *de Cressi* in Pontivo, alias *à la Blanche tache*, non longe ab oppido S. Richarii dicto Abbatis-villa. Illic Bohemiæ rex jam præ senio pene cæcus occisus est, & dominus Johannes *de Bealmont* ceterique plerique, confossis equis quibus insederant, vix Domino eos salvante, fuga lapsi sunt XXVI. die Augusti, & quicquid alii garriant, is qui hanc scripsit historiam in vulgari; ipsam de verbo ad verbum didicit ex ore dicti domini Johannis de Hannonia vel *de Bealmont*, qui præsens aderat in conflictu, & scrutinio facto inter occisos, compertum est illic occubuisse in primis regem Bohemiæ prænominatum, necnon comitem *d'Alençon* fratrem regis Francorum, comitem Blesensem Ludovicum, Carolum nepotem ejusdem ex sorore, ducem Lotharingiæ, comitem Flandriæ, & alios principes insignes novem, barones nobiles circiter LXXX. milites simplices & militares viros mille ducentos, & alios XV. millia. De parte Anglorum tres solum milites, & fere XX. sagittarii peremti fuisse referuntur.

Rex Angl. elicit Calixtum.

Hanc adeptus elegantem & famosissimam victoriam rex Anglorum præparavit se ad obsidendam villam Calisiæ munitissimam; rex autem Francorum mœrore consternatus gravissimo, Parisius repedavit. Sciens autem rex Anglorum villam Calisiæ de facili non posse expugnari, valla fortia & fossata fieri jussit in circuitu sui exercitus, ne forte ex improviso possent hostes irruere eisque nocere, deinde domos multas ex trabibus & lapidibus opertas stramine aut genesta pro statu & decentia sua suorumque procerum fecit extrui, volens illic perendinare tempore hiberno & forsan æstate tota, si opus foret.

Cessũ Clarimontis expugnatum & diruum.

Eodem anno tertia Septembris dum custodes castri de *Claremont* circa ripariam Mosæ nimis infesti essent viatoribus, & præsertim navigantibus inter Leodium & Hoyum, & plerique periclitarentur in hujusmodi divisione, castrum prædictum quod ADULFUS episcopus pridem optime reparaverat, per Leodienses & Hoyenses obsidione vallatur, & supervenientibus concivibus eorum Dyonantensibus, cum diebus XV. illuc perendinassent, custodes castri, salva vita, deditionem fecerunt, castrum solo tenus irreparabiliter demolitum est. Subsequenter dum dominus Hammalia Leodienses plures infestaret, utpote nepos & marescallus episcopi ENGELBERTI, castrum ejus obsessum est, & multis fundis, petrariis, & balistis, mangonalibus oppugnatum. Tandem castri protectores circiter XL. salva vita se captivos hostibus tradiderunt, qui statim castrum subverterunt, cum præda magna revertentes ad sua. Demum appropinquante hyemis tempore, partibus non fatigatis, concordatum est in treugas usque ad festum Omnium sanctorum anni XLVII. duraturas, quæ tamen male servatæ fuerunt.

Item castrum de Hammalia.

Per idem tempus Clemens VI. papa mandando præcepit electoribus imperii, quos absolvit a juramento fidelitatis præstito Ludovico Bavariæ, ut dictum Ludovicum qui se pro imperatore gerebat, condemnatum tamen per duos prædecessores suos, Johannem XXII. & Benedictum XII. relinquerent, & novum sibi confidenter auctoritate apostolica eligere non tardarent. At illi convenientes in Confluentia super ripariam Rheni & Mosellæ situata, illic elegerunt in regem Romanorum dominum Carolum primogenitum Johannis regis Bohemiæ, qui sicut per anticipationem scriptum est, in bello de *Cressi* fuerat interemtus; cumque duo electores, videlicet dux Bavariæ, & marchio Brandeburgensis cum suis obsisterent, protelata est ejus coronatio per aliquanta tempora. Et hanc quidem electionem dictus papa Clemens verbaliter approbavit in hunc modum. In primis pro themate collationis assumsit verbum illud David regis, quo 3. Reg. 1. *Salomon sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me.* Et facta deductione thematis eleganter sic papa concluſit: « Ipsum dominum Carolum declaramus, denuntiamus & nominamus regem Romanorum, & imperatorem, annuente Domino, promovendum, ipsius approbantes personam, decernimusque sibi debere impendi de manibus nostris consecrationem, inunctionem & imperiale diadema loco & tempore opportunis, supplentes nihilominus de plenitudine potestatis omnem defectum, si quis forte in electione prædicta intervenerit, sive ratione personæ, sive ratione electionis: offerentes nos recipere fidelitatis nobis debitæ, & obedientiæ cujuslibet alterius juramentum. »

Electio Caroli IVI imp.

Cujus electionem confirmat Clemens papa.

David rex Scotiæ ab Angl. captus.

His diebus David rex Scotiæ sperans reperisse opportunum tempus invadendi Angliam ob absentiam regis in Francia belligerantis, congregatis secum infinitis Scotis, pervenit usque ad flumen *Thin* ultra fines Northanhymbriæ. At regina Anglorum mulier perspicax & oculata, non muliebriter agens, archiepiscopos & episcopos, comites & barones regni qui remanserant congregavit, qui confestim aggressi Scotos, non sine cæde suorum dictum David regem & comitem de *Moret* captivos abduxerunt apud Londonias, sicque cessavit impugnatio Scotorum; sed & Johannes dux Normanniæ postquam incassum obsedisset castrum de *Aguilhon* mensibus quinque, post initium Septembris, infecto negotio, recessit, audita strage quæ facta

fuerat in exercitu patris ſui apud villam de *Creſſi* in Pontivo. Inſuper & comes Derby egreſſus a Burdigala expugnavit civitatem Pictavienſem & omnem vicinam regionem.

Pictavis expugnata.

Anno Domini MCCCXLVII. quarta die Maii in favorem Leodienſis epiſcopi & ducis Brabantiæ jam confœderatorum, quidam Alemanni de terra Falcomontis & *Dachlem* tranſeuntes Moſam combuſſerunt villulam de *Miremoort* vicinam Leodio, & peremerunt illic homines centum viginti improviſos. Circa medium menſis Junii archiepiſcopus Ravennenſis apoſtolicæ ſedis legatus venit Leodium tractaturus de pace. Eodem fere die cum dominus Renardus de *Arkenteel* borgravius Limburgenſis ex mandato ducis teloneum a navigantibus inter Leodium & Trajectum ab invitis contra ſolitum exegiſſet, & pluries quoque Leodienſes offendiſſet, illi e diverſo caſtrum ſuum *Argenteal* cœperunt obſidere. Sed priuſquam exercitus tranſiſſet Moſam, quæ interfluit juxta villam de *Hermalle*, quidam de hoſtibus occurrerunt Leodienſibus, & in medio fere flumine incœpta pugna, cum hoſtes terga vertiſſent, corruerunt ex eis circiter equites LXXX. & pedites centum, ſicque tranſita Moſa caſtrum machinis & fundis impetitum eſt acriter nimis. Interim epiſcopus Leodienſis, qui duci promiſerat pecuniam magnam, ſi tamen ſubjugatis ſuis adverſariis eam extorqueret a victis, convocat ab Alemannia multos armatos: quod cum Leodii innoteſceret, facto gravi inſultu, jactis lapidibus horrendis, & ferro liquefacto, & ſtercoribus humanis inſta caſtrum, nec tamen eo modo proficerent, tandem ducto cuniculo ſubterraneo murum ſuffoderunt ad longitudinem trium virgatarum, ligniſque ſuppodiabant. Quibus igne appoſito combuſtis, murus corruit. At cuſtodes caſtri numero nonaginta turrim majorem caſtri conſcendentes, & conſiderantes rem eſſe pro anima, viriliter reſtiterunt, & jactis lapidibus aliquos occiderunt. In craſtino dedito caſtro, ſalvis tantum corporibus, ſe Leodienſibus obtulerunt. Inter hos autem erant armigeri triginta, ceteri plebeii. Duobus autem diebus in diruendo caſtro ſudaverunt, & mox ad proprias ſedes redierunt. Subverſo caſtro de *Argenteal* Hoyenſes & Dyonantenſes circa Waleviam & *Thurins* caſtra metati, quos ſubſecuti ſunt Leodienſes. At ENGELBERTUS epiſcopus, ſociatis ſibi Alemannis equitibus, necnon exercitu ducis Brabantiæ & communitatis Loſſenſis, cernens Leodienſes aliquantulum diſperſos, (nam præcedenti die cum illi diu ſatis ſtarent præſtolantes hoſtium inſultum, ac conflictum obtuliſſent, non erat qui ipſos præſumeret aggredi,) mox pars epiſcopi villam de *Thurins* incendit: quo dum concurriſſent Leodienſes non ſervata militari diſciplina, primo quidem impetu multos ex hoſtibus proſtraverunt, ſed dum ad vallem quamdam perveniſſent, & vidiſſent exercitum validiſſimum ad bella ſuccinctum, primo Leodienſes equites fugam arripuerunt. At hoſtes ſuper pedites irruentes infinitam ex eis proſtraverunt multitudinem æſtimatam ad quatuor millia, & de Haſbanienſibus aliquanti nobiles ſimul perierunt. Facta ſunt hæc XXI. Julii, ſcilicet in profeſto Mariæ Magdalenæ. Poſt hanc victoriam dux combuſſit Waleviam, Waremiam, Meſſiam & quamplures domos fortes in confinio Brabantiæ. Oppidum S. Trudonis obſeſſum duci ſe tradidit, recipiens cum eſſe in ſuum advocatum perpetuum, & promittens ei eadem ſervitia quæ oppidum de *Dieſt* & Machlinia duci facere ſoliti ſunt in bellis. Sed factum hoc ſatis epiſcopo diſplicebat, qui licet ab hoſtibus & ſuis ſubditis rebellionem machinantibus triumphaſſet, attamen patriam ſuam æquanimiter inſpicere non poterat ab externis devaſtari. Sed & dux intrans oppidum S. Trudonis ſub umbra advocatiæ, accepit dominium oppidi, omnes oppidanos ſibi jurare fecit, ſcabinos veteres deponens, novos inſtituit, omnes cartas & privilegia civium laceravit; deinde & Leodienſes ſe duci confœderaverunt, promittentes ſe mutuo juvaturos. Finaliter cives Leodienſes electis XII. viris honorabilibus, auctoritatem eiſdem contulerunt pacem firmam componendi cum epiſcopo, quod & egregie compleverunt: ita quod eidem Leodienſes in hoc tractatu fere omnibus renuntiarunt, pro quibus guerra fuerat inchoata. Inſuper ſolvere promiſerunt epiſcopo CXL. millia regalium aureorum; ſed & omnes captivi qui ſub epiſcopi fuerant libertate, debebant relaxari. Duci quoque ipſi Leodienſes ſervitium præbere debebant cum DC. peditibus ſpatio XL. dierum, quoties requiſiti forent.

Oppidum S. Trudonis duci ſe tradit.

Leod. pacem ineunt cum epiſcopo.

Ea tempeſtate filius cujuſdam molendinarii Nicolaus Laurentii nomine, vir factioſus, ſed ſatis facundus, aſſumſit tyrannidem ac dominium urbis Romæ, favente ſibi populo, & ſubſequenter in ſuam obſequelam LX. fere civitates allexit, factuſque eſt miles, in cujus promotione ad militiam pene univerſi tyranni Italiæ miſerunt ad eum ſolemnes nuntios ac donaria magna, populuſque Romanus dedit ſibi hunc titulum novum: *Candidatus Spiritus ſancti miles, Nicolaus Severus & Clemens, liberator urbis, zelator Italiæ, amator, tribunus Auguſtus.* Hic poſt aſſumtam militiam, in arrogantiam indicibilem elatus, citari mandavit ad ſuam præſentiam Ludovicum Bavarum & dominum Carolum de Bohemia, ut per eum decerni deberet, quis eorum potius jus haberet in imperio Romano, & ſacri imperii electores, comminans eiſdem, quod niſi ad præfixum diem comparerent, in eos tamquam contumaces & rebelles procedere deberet.

De Nicolao Laurentii.

Eodem anno poſt cædem Ludovici comi-

Everſio caſtri de *Argenteal* per Leod.

Engelbertus epiſc. victoriam reportat de Leod.

Comitis Flandrensis matrimonium cum filia ducis Brabant.

tis Flandriæ apud *Creſſi*, Ludovicus filius ejus ſucceſſit vix annorum XVI. quem Flamingi in ſui tutelam ſuſcipientes, volebant ut in uxorem aſſumeret filiam Eduardi regis Anglorum, illo ſemper renitente, quin potius expetente conjugium filiæ ducis Brabantiæ: unde graviter efferati Flamingi, eum ſub cuſtodia accurata ac ſatis libera poſuerunt, per hoc eum arctare volentes, ut in conjugium filiæ regis Anglorum conſentiret. Tandem comes attædiatus promiſit ſe velle ſtare arbitrio & decretis ſuorum Flamingorum; qui nimis exhilarati ſuper hoc promiſſo certam diem præfixerunt apud Bergam oppidum S. Winoci, ubi rex Anglorum & regina filiam ſuam ſecum advehentes, eamdem dicto comiti cum omnium tripudio deſponſarunt, aſſignato die quo rurſum ſponſalia ſolemniter deberent celebrari. Interim comes ſæpedictus ſub cuſtodia XX. virorum latus ſuum ambientium ne effugeret locatus, die quadam cum ſuis falconariis aucupandi gratia progreſſus, fortuito caſu vidit univerſos cuſtodes corporis ſui hinc inde diſperſos pro falconibus recipiendis. At ille tunc nacta occaſione, dextrarium cui inſidebat fortiter calcaribus urgens, & multis laboribus cunctos præveniens, tandem ad Philippum Francorum regem lætus pervenit, narrans ei ſingulos quos habuiſſet fortuitos eventus. Quo ille jocunde nimis audito, contra omnium Flamingorum voluntatem & opinionem filiam ſecundogenitam ducis Brabantiæ illum traducere fecit in confuſionem Anglorum & Flamingorum permaximam.

Philippus rex Calexienſibus obſeſſis auxilium parat.

Interea cives Caleſiæ acriter obſeſſi, gravi famis penuria premebantur, volentes domino ſuo fidem illibatam conſervare: initoque conſilio, communi decreto miſerunt ad Philippum Francorum regem, ut ſuis fidelibus egeſtate fameque laborantibus ſubveniret indilate, alioquin ad deditionem infamem neceſſe foret ipſos devenire. At Philippus ſuorum compatiens egeſtati, ſumto exercitu copioſo, omni mora ſemota, pervenit uſque ad montem quemdam vocabulo *Sangate*, vicinum oppido Caliſiæ, quo clare a Caliſienſibus & Anglis poſſet videri: unde gaviſi cives, ſperabant incontinenti longiturnam obſidionem debere diſſolvi. Igitur Francorum rex in cacumine montis figens tentoria pugnam Anglicis obtulit in planitie die ſequenti: quam illi callide declinantes, portum maris & vallum quo cingebantur fortius munientes, omnem aditum Francigenis præcluſerunt. Quo viſo, rex Francorum cum ſuis obſeſſis ſubvenire non poſſet, & hoſtes pugnam oblatam repudiarent, graviter animo conſternatus ſe retraxit, & ad propria remeavit. Cives autem Caliſiæ fruſtrati ſpe ſua, ſalvis dumtaxat corporibus Anglorum regi deditionem obtulerunt: quam cum omnimodis rex recuſaret, nec precibus ſuorum

Caleteníes arrilio fruſtrati dedi-tionem faciunt.

flecti poſſet, tandem ſex de primoribus Caliſiæ poſtulavit ſibi tranſmitti, de quibus ſuam faceret optionem. Cumque ambæ parti placuiſſet regis propoſitum, mox ſex probiſſimi viri communi ſuorum ſaluti conſulentes, ſpontaneos & ultroneos ſe voluntati regis præſentarunt, ſolis induti lineis, funibus adpendentibus, claveſque villæ & caſtri ferentes in manibus viriliter, & animis inconcuſſis mortem vel captivitatem juxta regis voluntatem præſtolantes: quos cum rex indignabunde flammivomis oculis inſpexiſſet, mandavit lictori ut eos decapitaret indilate. Porro quidam nobiles de exercitu ſuper hoc regem aggreſſi, ac ferocitatem animi ejus emollire cupientes, fidelitatemque ſervatam ſuo principi verbis mitibus approbantes, non ſunt exauditi, ſed repulſam paſſi. Tandem regina quæ tum forte præſens aderat, vicina partui, conſiderans mariti pertinaciam, flens largiter, pronam ſe proſtravit ad pedes regis. Cujus mœrori ac periculo prolis compatiens, contra decretum animi ſui, ſex illos viros pro munere donavit reginæ: quæ donum libenter amplexa, confeſtim in proprium eos abduxit tabernaculum, & decenter reveſtitos atque largiſſime refocillatos, illæſos abire permiſit. Statimque univerſi cives Caliſiæ nihil ſecum aſportantes præter camiſias quibus induti fuerant viri pariter ac mulieres per medium caſtrorum egreſſi ſunt, & ad diverſas ſe tranſtulerunt regiones. At Anglici oppidum ingreſſi, prædam illic reportaverunt ingentem in auro & argento, variaque ſupellectili, traditaque cuſtodia caſtri ſub manibus cujuſdam Lombardi, verſus Londoniam navigare cœperunt, & tandem per interventum duorum cardinalium inter duos reges initæ & confirmatæ ſunt treugæ uſque ad feſtum B. Johannis-Baptiſtæ anni ſequentis. Sicque Caliſia in menſe Auguſto anni XLVI. obſeſſa poſt annum revolutum in eodem menſe ſub jugum Anglorum eſt devoluta violenterque redacta.

Ludovici Bavari obitus.

Hoc anno Ludovicus Bavarus per tres ſummos pontifices condemnatus, ex hauſtu veneni per duciſſam Auſtriæ uxorem Alberti ducis, in favorem, ut famabatur, Caroli nuper electi in imperatorem, ſubtiliter ſibi porrecti, moritur. Quæ ſtatim relicto curru aſcendens equum velociter aufugit. Eodem etiam anno inter clerum & populares civitatis Leodienſis pro cenſibus ſolvendis gravis eſt exorta diſcordia; vulgus ſiquidem pro denario bonæ monetæ nolebat ſolvere niſi tres denarios communis pagamenti. Tandem interveniente epiſcopo, concordatum eſt quod pro uno denario bonæ monetæ ſolverentur quatuor denarii communis pagamenti tam infra Leodium, quam per totam bannileucam & non longius, debebatque hæc compactio ſolutionis cenſualis durare ſpatio centum annorum dumtaxat, & ut clerus de di-

Diſſenſio inter clerum & cives Leod.

ctis cenſibus contentaretur, fecit epiſcopus fieri monetam novam dictam vulgariter *Borgoys*, valentem pro tunc duos ſolidos communis pagamenti Leodienſis, qui non poſt multum valuerunt ſolidos ſex, &c.

Carolus imp. coronatur.

Anno MCCCXLVIII. Carolus rex Bohemiæ electus in regem Romanorum coronatus eſt Aquiſgrani cum uxore ſua filia Ludovici Bavari quondam imperatoris, & ab inde profectus eſt verſus Italiam cum comitatu modico. De mandato CLEMENTIS papæ coronatus eſt Mediolani & ſubſequenter Romæ abſque ulla ſanguinis effuſione.

Johanna Siciliæ regina.

Eadem tempeſtate in Sicilia & Apulia regnabat JOHANNA, ſereniſſimi principis Caroli Calabriæ ducis inclyti & primogeniti Roberti Siciliæ & Jeruſalem regis, ac Mariæ Philippi regis Francorum ſororis filia prima, cujus parentum ſi velimus avos proavoſque uſque in finem exquirere, non ſubſiſtemus donec per innumeros aſcendentes reges in Dardanum primum Trojæ fundatorem veniamus, cujus patrem veteres Jovem fuiſſe dixerunt. Ex qua tam antiqua, tamque generoſa proſapia, tot hinc inde præclari manaverunt principes, ut nullus Chriſtianorum ſit, qui hujus non ſit conſanguineus vel affinis. Hæc, inquam, Johanna adhuc infantula, Carolo patre immatura morte ſubtracto, cum nulla eſſet Roberto avo ſpes virilis ſexus, factum eſt eo ſic mandante, ut eidem morienti ſuperſtes regnorum efficeretur & hæres, nupſitque illuſtri principi Andreæ filio domini Caroli inclyti regis Hungariæ. Verum ſuborta iniqua ſuggeſtione quorumdam inter Johannam & Andream, ac vilipenſo Andrea, eo quod Roberto rege vivente, in verbis Johannæ juraſſent proceres regni, Ludovicus Hungariæ rex ægre ferens Andream fratrem ſuum tam indigne a Johanna & complicibus ſuis tractari, impetravit a CLEMENTE ſummo pontifice, datis magnis muneribus, ipſum in regem Jeruſalem & Siciliæ coronari. Porro cum quidam ex proceribus regni jam præcognitam in ſe ſeveritatem regii juvenis & forte meritam indignationem timerent, & ſibi ſi rex fieret, immineret ſupplicium, conjurantes in eum occulte operam dare cœperunt, ne coronaretur. Qui autem fuerunt quove ordine in mortem Andreæ ventum ſit, non eſt præſentis exercitii; quod tamen ad intentionem pertinet, ſatis habemus, videlicet quod dolo conjuratorum noctu apud civitatem Averſam Andreas ex regio thalamo evocatus, ab eiſdem laqueo ſtrangulatus eſt. Erat autem pro tunc in palatio Johannæ reginæ quædam annoſa femina Philippa Cathanenſis, quæ licet in annis adoleſcentiæ lotrix veſtium regiarum extitiſſet; attamen per ſui ſedulam obſequelam in tantam pervenit regis Roberti & Caroli filii ſui familiaritatem, ut quaſi nutrix immo mater reginæ Johannæ, & aliarum dominarum vocaretur: adeo ut & Robertus filius dictæ Philippæ miles effectus, ſeneſcallus totius regni factus, ſic & filia ejuſdem Philippæ Sancia inter primarias regni habita, & Carolo comiti Marconis conjugio juncta. Quæ quidem exaltationes egregiæ non abſque macula labefactatæ pudicitiæ reginæ Johannæ factæ ſunt. Nam ſi fas credere non ſit, non defuere tamen, qui dicerent lenocinio Philippæ Johannam in amplexus deveniſſe Roberti mareſcalli: cui facinori plurimum fidei ſuperjunxit, cernere nihil grave, nihil arduum, nihil magnum agi, niſi a Roberto, Philippa & Sancia approbatum, abjectoſque ceteros a ſecreto conſilio Johannæ præter iſtos. Sed quid? omittenda ſunt hæc, & ventis ſuſpiciones hujuſmodi cohibendæ, cum quantacumque minima familiaritas virorum ſic in fama inficiat facile etiam honeſtiſſimas mulieres. Igitur cum rex Hungariæ de nece fratris ſui Andreæ perdoctus fuiſſet, ſeceſſit apud Beneventanam civitatem. Quod intelligens Johanna regina receſſit a Neapoli, & venit in Aquenſem civitatem Provinciæ cum camerario ſolo ſibi miniſterium exhibente. Poſt hæc dux Duracii & princeps Tarentinus cum XX. equitibus iverunt ad villam Averſam, ubi rex Hungariæ morabatur, qui vultu ſatis hilari, ut extrinſecus apparere poterat, recepit eos, & XXII. die menſis Januarii omnes regales Neapolitani capti ſunt cum duce ſupradicto, res omnes quas habebant Averſæ confiſcatæ ſunt. Hungari cuncta quæ Neapoli repererunt in domibus prædictorum regalium in prædam ſumſerunt. Duciſſa Duracii fugit ad monaſterium S. Crucis, uxor autem & ſorores dicti principis ad monaſterium ſanctæ Claræ. Igitur XXIII. die Januarii rex, finito prandio, juſſit ducem Duracii aſcendere equum, & ſecum procedere, cumque perveniſſent juxta eccleſiam S. Petri Averſæ, rex ait duci: Eamus ad videndum locum ubi frater fuit mortuus. Reſpondit dux: domine, non eſt tempus videndi talia. Cumque rex in ſua perſeveraret intentione, venerunt ad locum ubi occiſus eſt Andreas rex. Statim rex fecit ducem exſpoliari veſtibus uſque ad diploïdem. At dux mortem imminere præſagiens, confeſſionem poſtulavit. Cui rex: Tu, inquit, proditor fratrem meum ſine confeſſione mori feciſti; & ſic quoque tu morieris. Et aſcendentes locum ubi rex Andreas necatus fuerat, quidam Hungarus ducem tertio ictu percuſſit in collum, nec tamen plene decapitaverat eum, & ſic cadavere projecto in terram, præcepit rex ſub interminatione pœnæ capitalis, ne quis illud amoveret a loco, ſtatimque aſcendens equum receſſit Neapolim, relictis reliquis captivis ſub cuſtodia Hugonis comitis Avellini. Sane dum primo impetu in expiatione tam ſceleſtæ necis, quidam juvenes de Calabria olim cubicularii regis Andreæ crucis ſupplicio ac de-

Rex Hungariæ ulciſcitur mortem fratris ſui.

Andreæ regis exedes.

decoroſæ morti traditi eſſent, non acquieſcentibus innocuis, actum eſt ut Hugoni ſupradicto conſenſu omnium procerum commiſſum ſit tanti ſceleris conſcios explorare, & compertos pro arbitrio judicare. Ipſe autem neſcio qua tractus cauſa, comitem Tulicii Robertum de Campaniis, magnum pridem regni Siciliæ ſeneſcallum, Sanciam Marconis comitiſſam & annoſam Philippam Cathanenſem cum aliis quibuſdam traxit in carcerem: nec mora, erecto quippe in navi eculeo in conſpectu urbis Neapolitanæ in medio ſinu maris, ſecundum ritum regionis, inſpectante populo, Philippam torſit, Sanciam & Robertum, incertus tamen an rei necis forent. Attamen hos in mortem Andreæ fuiſſe noxios pro conſtanti habitum eſt. Nam poſt dies aliquos nudis corporibus, tres præfati rei curribus impoſiti, & tribus palis alligati educti ſunt, & per omnem urbem tracti, concurrentibus & conclamantibus in eorum dedecus populatibus, nunc ignitis forcipibus torti, nunc acutis novaculis excarnificati, tandem ad locum pervenerunt in quo miſerrimum vitæ reſiduum flammis erat initiandum. Ibi ſiquidem cum anicula dolores tolerare nequiſſet, inter tortorum manus præmortua, exenterata eſt a carnificibus Philippa, & ejus cor cum omni jecore ad quatuor portas Neapolis appenſum, diu teſtimonium atrocitatis exhibuit, ac deinde cadaver reliquum flammis eſt injectum. Sancia autem de curru depoſita, miſerabiliter palo alligata, viva exuſta eſt; ſic & Robertus. Quod cum non ſuffeciſſet ſpectantibus, ſemiuſta corpora uncis denuo per omnem civitatem tracta, cœno cloaciſque fœdata, & huc illucque diſcerptis partibus ſunt derelicta. Is erat finis eorum qui Andream regem ferebantur peremiſſe.

Flagellantes. Anno MCCCXLIX. quidam viri de ultimis finibus Brabantiæ venerunt Leodium, & ad alias urbes Alemanniæ, qui ſe mutuo flagellabant acerrime uſque ad ſanguinis effuſionem in præſentia multitudinis popularis, cantantes aliquas cantilenas devotas: aſſerenteſque ſe hoc agere in remiſſionem peccaminum ſuorum, & expiationem peſtilentiæ, quam Deus iratus, ut aiebant, ob id in univerſum orbem terrarum immiſiſſet: unde quamplurimi nobiles & plebeii compungebantur, & ſimilem arripuerunt flagellandi formam: duravitque hæc religio, quouſque per CLEMENTEM papam juſſi ſunt deſiſtere ab incœptis.

Judæorum interfectio. Judæi quoque in diverſis provinciis capti ſunt & crudeliter occiſi ſunt, quoniam famabantur plures puteos & fontes ac rivos intoxicaſſe: unde peſtis tam horrenda ferebatur exorta. Illi tamen Judæi in hac perſecutione non multum ſunt exterriti, ſed tamquam choreas ducentes, alacres & læti ad mortem properabant, & primo quidem parvulos, deinde uxores, & finaliter ſeipſos in domibus propriis, vel in locis publicis flammis jecerunt.

Ingens terræ motus. Eodem anno in feſto converſionis Pauli ſæviſſimus terræ motus factus eſt in Carinthia, adeo quod quilibet deſperabat de vita. Durabat autem terræ motus XXIV. diebus & noctibus, & præcipue una noctium tantus fuit impetus, ut XVI. villæ cum inhabitantibus ſunt ſubverſæ, una etiam civitas cum conventu fratrum Minorum fuit hac peſte concuſſa, ſicque pauciſſimi vivi evaſerunt. Similiter XXXVI. caſtra in rupibus cum hominibus perierunt, & circa XX. millia hominum abſorpta ſunt. Duo inſuper montes altiſſimi, inter quos fuit ſtrata regia, ſic ſunt conjuncti, quod juxta opinionem multorum numquam amplius erit via. Item, ignis de cœlo deſcendens conſumſit terram Turcorum ad ſex dietas. Similiter aliquantis diebus per modum pluviæ bufones & ſerpentes de nubibus deſcendentes multos homines interemerunt. Baſilea & octoginta vicina caſtella, teſte Petrarcha, graviſſimo terræ motu ſunt concuſſa, & pars chori cathedralis eccleſiæ collapſus eſt.

Caleti prodicio detecta. Eodem anno nobilis vir Gaufredus *de Chargny* magnis muneribus corrumpens Aymerium Lombardum caſtellanum fortalitii Caliſiæ, præfixa die venit cum multis armatis ut caſtrum ſaiſiret. Quod cum innotuiſſet Eduardo regi Anglorum, ille vocato caſtellano, juſſit ei ut ſummam pecuniæ ſibi promiſſam, ſcilicet XX. millia ſcutorum aureorum reciperet, & Gaufredum ſecurum fore indubitanter affirmaret. Quo, ut præfertur, expleto, rex transfretato mari cum multis Anglicis, ignorantibus tamen civibus Caliſiæ, ſe locavit in inſidiis intus muros ſemirutos caſtri: cumque Gaufredus tamquam ſecurus de promiſſo veniſſet juxta portam caſtri, rex cum ſuis egrediens de latibulis, Francos audacter invaſit, & multis interfectis, captoque Gaufredo, gaudenter ad Londonias remeavit; ſicque fruſtrata eſt factio Francorum, pecunia data deperdita, multitudo proſtrata, & eorum capitaneus captivus abductus. Adhuc peſtis epidemiæ graviſſime affligebat tam Sarracenos quam Chriſtianos, paſſimque per vicos, villas & agros infiniti mortales corruerunt.

Jubilæi indulgentiæ. Anno Domini MCCCL. CLEMENS papa VI. contulit pleniſſimam omnium peccaminum remiſſionem omnibus vere pœnitentibus, contritis & confeſſis, viſitantibus limina apoſtolorum Petri & Pauli. Eapropter ab univerſis mundi finibus turmatim concurrerunt Chriſti fideles, hujus gratiæ volentes effici participes; miſitque papa ad urbem Romam dominum cardinalem de Neapoli, virum magnanimum & audacem, potentem in divitiis & amicis, & quamvis quotidie in ſuo comitatu haberet amplius quam quadrin-

gentos viros, tamen frequenter a Romanis graves perpessus est insultus, & sagitta vulneratus est; sed nihil ei nocuit, cumque palam non possent æmuli ejus Romani sibi prævalere, miserunt quasi sub forma propinæ dolium vini intoxicatum veneno mortifero, de quo tam ipse cardinalis, quam sui familiares qui exinde biberunt, infra triduum mortui sunt.

Johan. rex inungitur & privilegia obtinet a sede apostolica.

Eodem anno Philippus *de Valois* Francorum rex viam universæ carnis ingressus est, cui successit in regno dominus Johannes dux Normanniæ filius ejus primogenitus, qui confestim Remis inunctus est, & *finaliter* coronam regalem sine contradictione suscepit. Nec mora dictus rex versus Avenionem, ubi tunc CLEMENS papa cum sua curia residebat, direxit iter suum: a quo confestim impetravit decimam sibi dari de omnibus substantiis cleri ad sustentandum onera regni per bella paterna nimis attenuati, & alia quoque privilegia multa gratis accipit, non audente papa regi *in quocumque contradicere*. Deinde reversus per Montem-Pessulanum Gasconiam, Lemovicas, &c. vidit & doluit universas illic villas, oppida, castra, mansionesque subversas, ceteraque fortalitia, non diruta ab Anglicis forti manu possideri. Cumque molestissime hoc sustineret, deliberatione habita cum proceribus qui in suo venerant comitatu, misit duos senescallos dominum *de Beatlieu* & dominum Guidonem *de Neel* ad obsidendam villam S. Johannis *de Langelier*. Quæ cum spatio septem mensium obsidionem acerrimam pertulisset, tandem cives artati famis inedia, salvis corporibus & rebus, ei portas aperuerunt. Rexque Francorum expulsis Anglis dominium urbis suscepit indilate.

Urbem Angeriacensem capit.

Buco dux rebellat in Carol. reg. Rom.

Eodem anno Buco dux Sindevicensis potentissimus in provincia Poloniæ adversus Carolum regem Romanorum rebellavit manifeste. Verum rex, commoto exercitu maximo, contra ducem processit, & tanta eidem damna contulit, quod tandem victus tædio, regiam gratiam humiliter requisivit. Quam eo pacto invenit, quod a modo uxorem dux non duceret, nec heredes procrearet, sed post mortem suam totus ducatus cum suis attinentiis integraliter ad dominum pertineret.

Translatio reliquiarum Pragam.

Præterea hoc anno ferrum lanceæ Christi cum clavo uno, mensale quod Christus in habuit cœna novissima, gladius etiam quem Carolus-Magnus suscepit ab angelo cum aliis sacris reliquiis reverenter a Nuremburga ad civitatem Pragensem sunt translata, ubi honorifice a cunctis Alemannis venerantur, & annuente summo pontifice precibus Caroli regis institutum est celebrari festum in honorem clavorum & lanceæ feria VI. post octavas Paschæ per totam Germaniam & imperium, magnis ad id collatis indulgentiis.

Comes de Guines capitalem subit sententiam.

Eo tempore comes *de Ghuynes* olim connestabularius Franciæ sub Philippo rege repatriavit, collecturus pecuniam qua semet redimeret; cumque in urbe Parisiensi coram rege Johanne venisset, putans reditum suum dicto regi fore jocundum & gratum, confestim rex eum in cubiculum suum secretum abduxit, cui cum litteram unam sigillatam ostendisset, & comes exinde expalluisset, ait ei rex: Numquam hanc litteram alibi, ô proditor, vidisti? Quo obmutescente, isdem comes jussus est capitalem subire sententiam, mirantibus universis primatibus ac vulgaribus regis impetum inopinatum, & efferem animi regalis præcipitem violentiam, & faisivit rex castrum *Ghuynes* totumque comitatum, exclusis heredibus comitis decollati.

Treugæ inter Gallos & Anglos.

Anno MCCCLL. Clemens papa ad partes Franciæ legatum misit venerabilem virum dominum cardinalem Bononiensem consanguineum duorum regum Franciæ & Angliæ ad tractandum inter duos reges aut de pace aut de treugis. *Qui* cum septingentis equitibus comitatus multis sudoribus, tandem treugas ad certum terminum duraturas inter duos reges composuit. Verum intermedio tempore castellanus Calisiæ dominus Johannes de Bello-campo datis XXIII. millibus scutorum aureorum, corrupit custodes castri de *Guynes*, quos pro tuitione terræ rex Francorum ibi posuerat, salvis corporibus & armis stipendiariorum, qui illic morabantur. Et quodam mane in aurora, nondum expergefactis stipendiariis, dictus miles ex conducto latenter intromissus est in castrum: quo sasito, juncti stipendiarii juxta conductum egressi sunt cum rubore magno nihil secum præter arma asportantes, quæ cum fama vulgante ad aures Johannis regis Francorum perlata fuissent, ille legatum sedis apostolicæ, cujus interventu treugæ firmatæ fuerant, aggressus, cum tamquam originem & causam factionum acriter culpavit. At ille nullius se criminis in hac re conscium affirmans, dictum militem de restitutione castri alloquutus est, alioquin cum tamquam indecorum perjurum & treugarum fractorem fore coram cunctis proclamaret: qui e diverso se non treugas fregisse dicebat; sed de vulgata & præscripta consuetudine affirmabat, treugis pendentibus unumquemque dominium aut possessionem qualemcumque emere posse & vendere absque nota. Sicque possessio comitatus de *Guynes* ad Anglos est devoluta.

Castrum de Guines proditione acquirunt Ang.

Clemens papa emit civit. Avenion.

Eisdem fere temporibus civitas Avinionensis, quæ est camera imperii, quam Johanna regina Siciliæ ab imperatore in feudum obtinebat, ipsa vendente & imperatore Carolo consentiente, pervenit ad manus CLEMENTIS papæ, qui de domo communi sita apud S. Petrum a juniore removere fecit arma reginæ, & sua illic reponi

&

& collocati in ſignum dominii civitatis quod acquiſierat.

Carolus imp. rebelles ſib: domat.

Anno MCCCLII. plurimi nobiles viri de regno Bohemiæ, ut puta domini de *Michelborch*, de *Landenborch*, de *Roſenborch*, & de Nova-domo aliique domini potentiſſimi ejuſdem regni aperte ſe oppoſuerunt Carolo Romanorum regi. Sed ipſe ſic ſe ab omnibus defendit, quod quilibet eorum ſingillatim gratiam regis humiliter poſtmodum requiſivit & invenit, & in primis caſtra domini *Michelborch* per exercitum regis expugnata ſunt, terra depopulata & dominus de Bello proſtratus. Quo viſo, ceteri omnes uno animo parique ſententia regiæ ſeveritati ſe per omnia ſubdiderunt. Eodem anno idem rex cives Pragenſes ſibi rebelles mirabiliter & miſerabiliter ſubjugavit, & tamquam ſuos emtitios & mancipia ſibi ſervire coëgit, nimium eos humiliando. Contigit eo tempore quemdam nobilem virum a rege propter ſua facinora captivari, quem rex ſtatim juſſit decollari. Cumque multi nobiles pro eo interceſſiſſent, & minime profeciſſent, tandem matronæ Pragenſes indumentis pretioſis ornatæ adierunt regem, ut earum precibus parceret reo condemnato. Quibus viſis, rex nimis incanduit in matronas prædictas, & quia executionem juſtæ ſententiæ conabantur impedire, pro hac culpa injunxit eis talem pœnitentiam, videlicet quod tota die ſederent in pontes qui mediat inter civitatem novam & veterem, ſolutis crinibus ac depoſitis peplis, ſolis indutæ camiſiis in præſentia cunctorum tranſeuntium. Quod cum multis principibus diſplicuiſſet, illi animum regis emollierunt eſſeratum, ut parceret dictis matronis, nihilominus hanc injunxit pœnitentiam, quod infra ſepta domorum ſuarum illæ ſpatio duarum hebdomadarum introïre non præſumerent, dans poſteris exemplum ne juſte condemnato plus auderent interpellare.

Innocentius VI. papa creatur.

Eodem anno CLEMENS papa VI. deceſſit a ſæculo, cui ſubſtitutus eſt INNOCENTIUS papa VI. qui pridem dictus eſt Stephanus epiſcopus Claromontenſis, deinde factus eſt cardinalis & ſummus papæ pœnitentiarius, in quo officio adhuc conſtitutus habuit unum capellanum præ ceteris ſibi dilectis & in ſeptem eccleſiis beneficiatum; cumque factus eſſet ſummus pontifex, acceſſit ad eum dictus capellanus, intercedens familiariter pro ſuo nepotulo, ut aliquod ei beneficium competens impertiret. Cui papa INNOCENTIUS vir juſtus juſtiſſime reſpondit: Tu habes ſeptem bona beneficia, melius inter ea tuo nepotulo reſigna: cumque videret capellanum ex reſponſo contriſtatum, ait ei conſtanter: Adhuc habes alia ſex beneficia bona & pinguia, & ſufficeret tibi pro expenſis tuis pauciora, eligas tibi ergo tria ex his meliora, & alia ſine contradictione reſigna, quæ dabo tribus pauperibus clericis propter Deum cœli & terræ conditorem ac omnium beneficiorum largitorem.

Johannes de Rupe-ſciſſa.

Ejus anno I. inventus eſt in carcere papæ in urbe Avenionenſi quidam frater ordinis Prædicatorum, dictus Johannes de Rupeſciſſa, qui multa mirabilia prædixit de fine ſæculi & adventu antichriſti, quæ utrum vera an falſa ſint prudentiorum relinquo judicio & ejus ſcripta brevitati ſtudens referre ſuperſedeo.

Otto Brunſvicenſis.

Eodem tempore Otto filius ducis *de Brunſvvick* in Saxonia receſſit ab ordine domus Theutonicorum, quem ad præceptum patris invitus, ut aſſerebat, intraverat, & abinde relicto patrio ſolo venit in Franciam: ad quem Johannes Francorum rex propter ſummam ejus ſtrenuitatem, tantam concepit gratiam, quod ei in penſionibus annuis aſſignaverit quatuor millia ſcutorum aureorum. Tradidit quoque ei in uxorem inclytam dominam reginam relictam ſereniſſimi regis Majoricarum, cui conſobrinus ejus rex Aragonum ante breve tempus caput auferri præcepit. Hac igitur uxore aſſumta, prædictus Otto adeo excrevit, ut amplius quam quindecim millia ſcutorum aureorum in reditibus haberet, ſicque patrem & matrem quoad poſſeſſiones adeptas anteibat. Hic pro quibuſdam verbis a duce Lancaſtriæ ſibi improperatis ad ſingulare certamen ſeu duellum in urbe Pariſienſi dictum ducem provocavit: cumque ambo armati in dextrariis ſedentes perveniſſent ad locum duelli, tam viriliter & animoſe ambo ad pugnam ſe diſpoſuerunt, quod rex Franciæ compatiens eiſdem, pacem inter eos compoſuit, & duellum jam dictum intercepit, ſalvo honore utriuſque.

Societas Stellæ.

Ea tempeſtate Johannes Francorum rex ſolemnem inſtituit ſocietatem nobilium & procerum de regno electorum, quæ dicta eſt Societas Stellæ ad inſtar tabulæ rotundæ, quam ante multos annos Arturus rex Britonum inſtinctu Merlini vatis ordinaverat: qui ex condicto juraverant ſibi mutuo in quibuſcumque negotiis bellicis ſubvenire, numquam quacumque neceſſitate de bello fugere, jus debilium defendere, neminem violare, ſe invicem non lædere, pro ſalute amicorum pugnare, pro patria vitam exponere, contingentia omnia ſeu in honore ſeu in dedecus referentis vergentia [tolerare] cum ſumma fide & veritate, quibus annalium cura erat & hiſtoriographis exponere, & hujuſmodi plura laude digna exercere. Cum autem hæc nobilis & ordinata ſocietas fuit, accidit eodem anno bellum graviſſimum fieri in Britannia Armoricana inter nobiles comitiſſas, ſcilicet Bleſenſem & Montis-fortis, quarum ambo mariti captivi ducti ſunt unus in Londoniis, alter Pariſius. Igitur in ſuccurſum comitiſſæ Bleſenſis cum rex Franco-

rum plurimos ex prædicta ſocietate magnates miſiſſet, die quadam Anglici ſurgentes ex inſidiis imparatos invaſerunt, & præter alios occiſos illic nonaginta probiſſimos milites hujus ſocietatis interemerunt, qui niſi juramentum noviter factum obſtitiſſet, ſine dubio commode fugere potuiſſent, de quorum morte contriſtatus rex prædictam ſocietatem amplius non reſarcivit.

Caroli de Hiſpaniis cædes.

Anno MCCCLIII. dictus Francorum rex, quemdam probiſſimum & ſtrenuiſſimum in ſua comitiva comitem habebat, qui ſecum nutritus erat ab infantia, & propter hanc cauſam ceteraque probitatis opera fuerat illi cordialiter dilectus, quem rex provexit in conneſtabularium totius regni, dans ei terram quamdam locupletem ſitam in confinio regnorum Franciæ & Navarræ, propter quam lis pridem orta fuerat inter regem Philippum Franciæ & regem Navarræ: Quapropter rex Navarræ adoleſcens & frater ejuſdem Philippus nocturnis horis dictum militem probiſſimum, qui dictus eſt Carolus de Hiſpaniis in quodam caſtro adhuc in lecto jacentem jugulaverunt inhoneſte; unde offenſus non immerito Johannes rex Francorum decreverat in animo ſe de dicto rege Navarræ ejuſdemque fratre quomodolibet ulciſci tempore opportuno. Tandem quadam die miſit ad eos, ut ſine mora ad colloquium regis feſtinarent. Verum quidam conſiliarii regis ſecretiſſimi mentem regis malivolam ſub titulo confeſſionis apparuerunt domino cardinali Bononienſi, qui confeſtim miſit ad nepotulos ſuos, ne ad diem præfixam venirent, ſed a conſpectu regis Francorum ſibi commoti ſe abſentarent. Igitur cum illi prædicta die non comparuiſſent, rex indignatus graviſſime, quoſdam ex ſuis conſiliariis ſuſpectos habebat, tamquam ſecreti regii revelatores, adeo ut poſt hoc numquam in ſuam

Navarrenſes fœdus ineunt cum rege Angliæ.

eos gratiam vellet admittere. Interim rex Navarræ & frater ſe obſervantes diligenter & caute ab inſidiis regis Francorum, tandem fœdus inierunt cum rege Anglorum, promittentes ei omnem aſſiſtentiam & favorem contra regem Johannem ſupradictum: de quorum promiſſis confiſus Anglorum rex, poſt aliquanta tempora cum ingenti claſſe navium properabat verſus comitatum Ebroïcenſem in Normannia, volens per ſuccurſum regis Navarræ regnum Francorum invadere ac perturbare: quod præcaventes primates Francorum regem ſuum licet aliquatenus renitentem & invitum ad hoc induxerunt, ut dictis fratribus Navarræ offenſam remitteret, terram ablatam cum reſtantiis centum millium ſcutorum aureorum reſtitueret, eoſque in primævam amicitiam reciperet. Quo ſic peracto, fœdus initum cum Anglorum rege diſſipatum eſt, & claſſis præparata ſine effectu revocata.

Eodem anno infra civitatem Romanam igne fortuito concrematæ ſunt amplius quam ſeptingentæ & quinquaginta domus, & uſque in hodiernum diem neſcitur quis illum ignem compoſuerit, aut incendii cauſa fuerit, niſi forte nutu divino gentem iliam civili ſemper diſſidio laborantem inteſtino ſe bello jugulantem, id agitari permiſſum ſit. Nam & tempore Neronis, teſtante Seneca, & aliorum imperatorum plurium frequenter ſimilia facta ſunt in Urbe domorum & vicorum incendia, quæ nullo humano magiſterio poterant extingui ad inſtar quatuor civitatum Pentapolis, Sodomæ & Gomorræ ſimiliter vaſtatarum.

Romæ incendium ingens.

Anno MCCCLIV. rege Scotorum David, comite de *Moret* adhuc exiſtentibus ſub captivitate regis Anglorum, capitaneus regis Scotiæ dominus Guillelmus de *Douglas*, ſociatis ſibi reſiduis Scotis, egreſſus de foreſti *Gedoyrff*, obſidere cœpit civitatem Wervicenſem in Anglia, juxta terminos Northanhymbriæ, quam tandem expugnavit vi armorum, & locatis illic novis officiatis & judicibus devaſtans terras vicinas regreſſus eſt in terra ſua cum præda magna, rege Anglorum pro tunc occupato in finibus Francorum circa S. Audomarum, Ambianis & Caliſiam. At non poſt multum temporis reverſus Eduardus rex, audita animoſitate Scotorum & expugnatione civitatis ſuæ Berwicenſis, commotus animo vehementer, nonobſtante hyberni temporis intemperie, civitatem *Bervvich* a ſe alienatam obſedit per hyemem totam uſque ad initium menſis Februarii, quam tandem poſt graves ſudores, & ſumtus illic factos comprehendit in anno quinquageſimo quinto, & expulſis Scotis uſque ad foreſtem ſuam de *Gedourff*, novos illic Anglos pro cuſtodia loci collocavit. Interjecto tempore, durante obſidione præmiſſa, die quadam dux Lencaſtriæ, ſumtis ſecum aliquantis expeditis equitibus, terram Scotorum prædandi cauſa aggreſſus eſt, & circumſeptus tandem a militibus ſupervenientium hoſtium fugæ præſidio ſe commiſit, & niſi rex Anglorum cum ſuis confeſtim illi ſuccurriſſet mortem aut captivitatem nullatenus evadere potuiſſet. In qua fuga multa Anglorum millia ſunt peremta.

Expugnatio urbis Wavicenſis.

Quomodo reverſus Eduardus rex.

Eodem anno rex Anglorum certas litteras miſit domino INNOCENTIO papæ, volens obtinere quod in regno Anglorum nullus prælatus, abbas, epiſcopus, aut curatus eccleſiarum, neque canonicus, aut beneficiatus, quicquam de ſua præbenda reciperet, niſi ſciens idioma patriæ, & reſidentiam faciens perſonalem, demtis dumtaxat Romanæ eccleſiæ cardinalibus, quos in illo privilegiatos eſſe voluit & tandem vellet nollet ſummus pontifex per longa tempora, hæc forma beneficiorum in Anglia eſt obſervata, & utpote tali forma uſque in præſens irrefragabiliter conſervatur.

In Anglia nulla præbenda datur niſi Anglicum idioma intelligentibus.

Obitus Johannis ducis Brabantiæ.

Anno MCCCLV. deceſſit illuſtris princeps Johannes dux Brabantiæ, Lotharingiæ & Lymburgiæ, qui quoad vixit, terram ſuam ſatis quiete & eleganter gubernavit, & ſepultus eſt in monaſterio Villarienſi, ordinis Ciſtercienſis, indutus habitu monachali. Hic defunctis omnibus filiis ſuis immatura morte, tres filias reliquit, tribus magnis principibus maritatas, ſiquidem Johanna primogenita ejus filia, quæ olim nupſerat Guillelmo comiti Hannoniæ, Hollandiæ, &c. in bello a Friſonibus interemto, ſecundum duxit maritum Wenceſlaum ducem Lucemburgenſem fratrem domini Caroli Romanorum imperatoris. Secunda filia Margarita nomine nupſit Ludovico comiti Flandriæ, de quo dictum eſt, quod in hanc reſutavit nuptias filiæ Eduardi regis Anglorum. Tertia nomine Maria nupſit Renaldo duci Gelriæ. Defuncto igitur duce ſupradicto, Wenceſlaus dux qui dominam Johannam traduxerat, ducatum Brabantiæ ex integro ſibi voluerat vindicare, cui fere omnes magnates & præcipui gubernatores terræ applauſerant, nolentes patriam in aliquo ſeparare vel dividi; ſed ſub uno domino ac dominio permanere; reliquis autem duobus maritis filiarum reditus ingentes & alia dona hereditaria libenter aſſignare volebant, aut certe pecuniæ quotam competentem; cui propoſito cum ſatis placaretur Gelriæ dux, Ludovicus comes Flandriæ confidenter aſſerebat, ſe non indigere pecuniis, quibus Flandria ſatis affluebat; ſed partem tertiam Brabantiæ ſibi aſſignari requirebat indilate. Requiſivit præterea ſupradictus comes dominium oppidi Machlinienſis ex integro ſibi reſtitui, quod ſocer ejus dux, eo, ut aſſerebat, invito, per omnem vitæ ſuæ tempus uſurpaverat. Attento quod Ludovicus pater ejus Machliniam ab eccleſia Leodienſi apud Geraldi-montem pro ſumma centum millium regalium aureorum ante multa tempora juſto titulo comparaſſet. Super quo miratus valde dux Wenceſlaus, & fere univerſi optimates Brabantiæ, infecto negotio diſceſſerunt, nec comitem quovis modo exaudire voluerunt: ſicque Wenceſlaus primo in Lovanio, deinde Bruxellæ, tertio Antuerpiæ, & ſubſequenter apud Buſcum-ducis in dominum ac ducem Brabantiæ ſuſceptus eſt, nemine pro tunc obſiſtente.

Ei ſuccedit Wenceſlaus remittere cremite Fland.

Princeps Waliæ tranſita Garonna omnia depopulatur.

Eodem anno primogenitus regis Anglorum princeps Gualiæ cum duobus millibus equitum & decem millibus peditum egreſſus a Burdegala tranſivit Garonnam, & venit Tholoſam acriter ſpoliis intendens, & devaſtans totam regionem illam, nemine ſibi reſiſtente, licet tamen rex Francorum egregios & illuſtres illic tranſmiſiſſet viros, videlicet dominum Clarimontis mareſcallum, ducem Borbonii, comites Arminiacenſem, de *Foix* & *Foreſte* pro tutamento terræ ſupradictæ. Subſequenter pervenit idem princeps uſque Carcaſſonam, quam ſine magna defenſione civium graviter ſpoliavit, & devaſtavit, ſublato indicibili theſauro, & dominabus ac filiabus viliter ac inhoneſte per ſuos Anglos & Gaſcones oppreſſis in ſuburbio commorantibus. Verum principalis civitas propter robur murorum & audaciam civium muros & portas viriliter defenſantium nequaquam ab Anglis pro tunc eſt expugnata. Poſt quartam diem, incenſis ſuburbiis Carcaſſonæ, ventum eſt ad civitatem Narbonam; cujus ſuccendentes ſuburbia, & perimentes incautos, proceſſit deinceps juxta Montem-Peſſulanum, ferro & igne demolientes univerſa, inde regirantes verſus Burdegalam, tranſiere ſecundo ſine læſione Garonnam fluvium & ſalvi atque incolumes regreſſi ſunt ad ſua domicilia ditati præda magna. Quæ cum fama volitante intellexiſſet Francorum rex, efferatus eſt animo in principes prænominatos, qui hoſtibus tam paucis non auſi fuerant tranſitum impedire, aut cum eis inire conflictum.

Johannes rex Navarræ regē in vincula conjicit.

Interea nondum extincto odio quod dudum Francorum rex Johannes conceperat contra juvenem regem Navarræ & Philippum fratrem ejus ob necem Caroli de Hiſpaniis, quadam die audivit rex regem cum duce Normanniæ, duce Borbonii, comite de *Harcourt* cum aliis egregiis tyronibus numero XXX. convivium celebrantes in caſtro quodam non longe a Rothomago, illic cum paucis veniens Johannes rex, reperit omnes hilariter convivantes, & nihil ſuſpicionis metuentes. Cumque omnes, ut decebat, aſſurrexiſſent regi, & poculum obtuliſſent; ille rugoſa fronte cunctos intuitus, nullus, inquit, hinc ſe moveat, alioquin pœna plectetur capitali. Univerſis itaque conſternatis, ſtatim manu ſua comprehendit regem Navarræ præfatum, & comitem de *Harcourt*, mandans ambos vinculari & in captivitatem duci, una cum alio comite qui dictus eſt *Friket* de *Frikam*: quibus auditis, Philippus frater regis Navarræ, ſingula caſtra per regnum Navarræ & comitatum Ebroïcenſem armis & eſcis munivit; mandans regi Francorum, ne quidquam moliatur fratri ſuo captivato injuſte, alioquin eum hoſtem ſentiret immortalem.

Et comitatū Ebroïcenſem invadit.

Quibus perpenſis rex Francorum Ebroïcenſem invaſit comitatum, & obſedit in eo caſtrum vocabulo *Bertuel*, cujus cuſtodes poſt longiturnam obſidionem ob penuriam victualium ad deditionem compulit. E diverſo Philippus confœderatus Anglis, & advocato duce Lancaſtriæ inter Carnotum & Pariſius, & circa partes Conſtantiæ in Normannia magnam fecit hominum ſtragem, locuſtarum more cuncta devaſtans.

Pax inter comitem Fland. & ducem Brabantiæ.

Anno Domini MCCCLVI. cum inter Wenceſlaum & comitem Flandriæ dieta præfixa

foret juxta monaſterium Affligemienſe ordinis S. Benedicti, ubi de concordia principum tractaretur, aliquanti probi & prudentes viri ordinationem ſalubrem pacis pro patriæ ſalute honorifice concluſerunt: ita quod ambo principes ſatis rationabiliter fuerant contentati. Cumque ſinguli ad ſua remeaſſent, oppidani Bruxellenſes ex eiſdem tractatoribus pacis quotquot invenire poterant, comprehenderunt, & in carceribus poni fecerunt, aſſerentes illos patriæ proditores fore, & indignam ac inhoneſtam pacis formam protuliſſe. Quo audito, Flamingi videntes ſe circumventos, convenerunt armati inter Bruxellam & Affligemium, illicque fixis tentoriis advontum Brabantinorum audacter præſtolati ſunt. At dux Wenceſlaus ſociatis ſibi comitibus de Los & de Montibus, & communitatibus Lovanii & Bruxellæ, confiſus in multitudine ſuorum, Flamingos numero pauciores invaſit, & habito diro conflictu, tandem communitates Brabantiæ terga vertentes, & perditos ſe conclamantes aufugerunt; ſed & dominus de *Scoenwerſt* ſigniſer ducis, projecto vexillo, ſimiliter fugæ ſe commiſit. Quod cernentes ceteri nobiles Alemanni, qui duci ſuffragium præbuerant, mente conſternati lora retraxerunt, & verſus Lovanium cum duce feſtinarunt, non audentes intra Bruxellam propter civium furorem ſeditioſum amplius remorari. Duciſſa Johanna exterrita fugit in Binchium oppidum Hannoniæ. At Flamingi de victoria tumefacti circa ſuburbia Bruxellæ caſtra metati ſunt, circumquaque devaſtantes omnia. Tandem Bruxelleníes in arto poſiti, excluſo duce, comitem Flandriæ in ſuum dominum ſuſceperunt, portas ſuas illi reſerantes, ac fidelitatis juramentum præſtantes eidem; & ſubſequenter ſingula oppida Brabantiæ comiti ſe ſubmiſerunt, excepto oppido cui vocabulum eſt Buſcum-ducis; cujus cives a fidelitate, quam duci fecerant, nullis modis aut promiſſis poterant avelli. Dux autem fugiens a Lovanio pervenit in *Dieſt*, & conſequenter lacrymoſe receſſit ad Alemanniam fratri ſuo imperatori Romanorum de infortunato eventu lugubrem texens tragœdiam. Interea comes Namurcenſis in favorem comitis Flandriæ ſui conſanguinei propinqui, fines Brabantiæ circa Nivellam & Geldoniam graviter igne & gladio affligebat: ſed & ENGELBERTUS DE MARKA Leodienſis epiſcopus, memor contumeliæ ſibi per Brabantinos poſt bellum de Thournis circa oppidum S. Trudonis illatæ, volens ulciſci, copiam armatorum direxit uſque *Landen* oppidum Brabantiæ, diſtans per milliaria duo a Themismonte; præficiens eis in capitaneos dominum Lambertum de *Upees* mareſcallum & Jacobum dictum *Chabot* vallium Haibaniæ, &c. qui cum ſecuros ſe præſentarent in oppidulo præfato, ſupervenit ex improviſo a Brabantia copioſus exercitus, qui primo quidem impetu Leodienſes aggreſſus, exteritos quamplurimos comprehendit, & funibus vinculatos ſuper curus impoſuit. Quo audito, dictus mareſcallus, pro tunc abſens, ſupervenit feſtinato ſuis graviter conſternatis, prædamque excuſſit, captivos liberavit, & circumvicinam regionem acerrime dilaniavit, & cum ingenti gloria ac ſpoliis ad nativum ſolum redire properavit.

His itaque geſtis, contigit imperatorem Romanorum dominum Carolum venire ad civitatem Metenſem, & ab inde nuntium deſtinavit ad Leodienſes, epiſcopum mandans, ut ei ad colloquium illic occurreret feſtinanter: quem dum imperator ſuper præſumtione temeraria graviter culparet, & quia terram fratris ſui infeſtaſſet, ille e diverſo cauſas rationi conſonas allegans, ſe de culpis impoſitis plane purgabat. Succeſſu quoque temporis idem imperator venit ad oppidum Trajectenſe ſuper Moſam fluvium ſituatum. Cui dum ex mandato comes Namurcenſis obvius veniſſet, imperator ipſum ſuper præſumtione redarguit, quærens cauſam cur tanta damna fratris ſui terræ intuliſſet. At ille prudentor reſpondens: Tanta eſt, inquit, propinquitas & conſanguinitas inter comitem Flandrenſem & me, quod de neceſſitate & legibus neceſſe compellor eidem in proſperis & adverſis opem impendere, etſi opus fuerit, pro ejus ſalute occumbere. Et adjecit: Comitatus, inquit, meus non ſubeſt juri imperiali, ſed feudum eſt comitis Handenſis *; ſi quod ille vobis debet obſequium impendere, non curo, quæ juſta ſunt ego proſequor.

Eodem anno princeps Gualiæ in menſe Septembri egreſſus Burdegala cum tribus millibus equitum, ſex millibus peditum & quatuor millibus ſagittariis aggregatis ex Guaſconia & Aquitania, lociſque vicinis, properavit verſus patriam Lovanienſem * & Pictavenſem, quouſque ad diem illum ſuus nondum venerat exercitus, & vaſtatis circumcirca regionibus, aggreſſi ſunt impugnare ducatum Bituricenſem, & illic quoque damnis maximis illatis, & ſpoliis aſportatis, conabantur tranſvadare Ligerim fluvium, aut juxta Aurelianis aut juxta Bleſim civitates. Quibus auditis, rex Francorum innumerabilem adunans exercitum in perſona propria perſecutus eſt Anglos, qui verſus Turonis aciem direxerant, illicque tranſvadato Ligeri flumine, pervenit uterque exercitus juxta Pictavis civitatem: ita ut non ambigeretur infra diem craſtinum, aut ſaltem poſt biduum ineundus conflictus. Mox Johannes rex de ſuo exercitu tres acies ordinavit, primæ aciei præpoſuit Gualterium ducem Athenarum, de quo multa locuturi ſumus in ſequentibus, pro tunc conſtabularium Franciæ, adjungens ſibi mareſcallos duos Johannem de

Flandri de Brabantinis victoriam reportant.

Comes Namurcenſis & epiſc. Leod. Flandris favent.

Inde redarguitur ab imperatore.

* f. Flandrenſis.

Walliæ princeps varias vaſtat regiones Galliæ.

* f. Lemovicenſem.

* Conflictus Pictavienſis in quo rex capitur.

Claromonte & Arnoldum de *Bodenchem*. Secundæ aciei præfecit ducem Aurelianenſem, reliquæ multitudini innumerabili ipſe rex præfuit, cum duce Borbonii & comite de *Naſſou*, ceteriſque baronibus & militaribus viris innumeris. E diverſo princeps Gualiæ, quantum temporis exigebat opportunitas & ſociorum paucitas, acies ſuas ſolerter inſtruxit ac diſtinxit. Tunc forte venerat in exercitu cardinalis Petragoricenſis, ſedis apoſtolicæ legatus, per cujus vivam vocem princeps Gualiæ promiſit regi Francorum reſtituere univerſa fortalitia quæ in illa expeditione expugnaverat, captivos omnes ſolvere, & infra ſeptennium contra regnum Francorum arma non induere. Qua oblatione parvipenſa, rex Francorum cœpit inire conflictum. Et primo quidem impetu Franci deſcendentes de equis, demtis ſuis capitaneis ſolis, Anglicos ferire cœperunt: quibus illi viriliter occurrentes, ducem Athenarum occiderunt, cum uno e duobus mareſcallis & aliis nobilibus viris centum, ſicque acies prima interrupta eſt atque fugata. Confeſtim Anglici cum Guaſconibus ſecundam aciem cui dux Aurelianenſis præfuit, in fugam vertunt; ſed & exercitus Delphini, qui dux erat Normanniæ, terga vertens, magno exercitui regis ſe immiſcuit. Ex hinc animoſi facti reſidui in aciem regis audacter irruerunt, leonino more furentes a dextris & a ſiniſtris Francos terribiliter jugulantes, in quo conflictu dominus Gaufredus de *Chargny* primicerius regis Francorum peremtus eſt, & innumerabiles viri ex terris Pictavenſi, Lemovicenſi, Turonenſi & Alemannia ceciderunt die illa quæ fuit menſis Septembris XVIII. Sed & rex Francorum viriliter pugnans illic captus eſt, cum filio ſuo duodenni Philippo Audaci, necnon & duce Borbonii & comite de *Naſſou* uſque ad ſummam duorum millium, & abducti ſunt verſus Burdegalam civitatem: ceteriſque ſub rationabili taxa taxatis, & infra in Purificatione B. Mariæ Virginis in Londonia ſe præſentare promittentibus, ſolus rex cum filio Philippo ſub honeſta cuſtodia & ſatis libera per hyemem totam ſervatus eſt apud Burdegalam, donec æſtate ſequenti in Angliam tranſvectus eſt, & in caſtro de *Windeſor* carceri mancipatus, ubi fere quatuor annis ſub libera cuſtodia permanſit, quouſque in anno LX. pax firma prolata eſt & confirmata.

Lovanienſes & Bruxellenſ. excutiunt jugum Flamingorum.

Porro Ludovicus comes Flandriæ audita flebili captione regis Francorum ceterorumque optimatum regni, diſpoſitis ſingulis negotiis oppidorum Brabantiæ, properavit verſus Pariſius inviſere & conſolari primogenitum regis cognatum ſuum, qui fuerat Delphinus Viennenſis & dux Normanniæ, & eo illic longam moram protelante, oppidani Lovanienſes pœnitentes ſe ſubjectos fore & homagium feciſſe Flamingis, miſerunt ſecreto honorabiles nuntios ad dominum Winceſlaum, ejuſque uxorem duciſſam Johannam, hortantes eos, ut omni mora ſepoſita, verſus Lovanium properarent, ejuſque dominium occuparent, ejus cives parati forent portas eis reſerare, & jugum Flamingorum a ſuis humeris excutere, ſperantes ſubſequenter ceteras villas Brabantiæ pariformiter inflectendas. At dux de nuntio nimium exhilaratus, aſſociatis ſibi comitibus *de Los* & de Montibus, cum equitibus circiter mille ducentis, indilate verſus Lovanium feſtinavit, oppidum & caſtrum ſaiſivit, & jocunde nimis & hilariter in dominum ſuſceptus eſt vice ſecunda. Quorum exemplum ſecuti ſunt Bruxellenſes, & ceteri comitem Flandriæ deinceps excluſerunt, ejuſque jugum longius ferre recuſarunt, ſola Machlinia demta, in qua comes pro tutela oppidi plurimos probos & elegantes reliquerat militares viros, qui opinioni Brabantinorum conſentire nequaquam voluerunt. Finaliter per interventum illuſtrium multorum virorum inter ducem & comitem ſub eo pacto pax eſt tractata, videlicet quod dux quamdiu viveret cum uxore ſua ducatum Brabantiæ libere poſſideret, demtis Machlinia & Antuerpia, quam jure prælii comes nuper acquiſierat, ipſiſque defunctis ſine legitima ſobole, comes ſupradictus abſque contradictione ducatum totum occuparet, ſicque ceſſavit quaſſatio.

De Gualtetio duce Athen.

De Galterio duce Athenarum nunc ut pauliſper egyremus ad hiſtoriam, conſequenter explicabimus, quis, qualis, quantus fuerit Galterius iſte Athenarum dux pridem conſtabularius Franciæ, ex ſcriptis Johannis Bocacii de Certaldo poëtæ egregii, cujus hæc ſunt verba: Galterius, inquit, Athenarum dux, cujus ſecuri texturi ſumus hiſtoriam, ſi majores ejus intuemur, qui origine fuere Galli, ſicut claritate ſanguinis conſpicuus fuit, ſic & degener moribus; & cum vetus eſſet eis Bremiæ comitatus, inſignem ducatus Athenarum titulum, neſcio quo pacto ſibi etiam acquiſierunt. Ejus dum poſſeſſionem genitor Galterii armis expoſceret, ab hoſtibus captus, capite mulctatus occubuit. At iſte dum maximo bellicoſorum nobilium apparatu parrem conaretur ulciſci, græca fraude deluſus, unicum perdidit filium: quibus agitatus curis, dum hos illoſque ſollicitat principes, & cum Catharina imperatrice CP. in vindictam ſuſceptorum dedecorum apud Neapolim Campaniæ multa pertractat, actum eſt ut obſideretur Luca civitas a Piſanis, quam paulo ante maximo auri pondere perſoluto ſeu promiſſo Florentini ſuæ fecerant ditionis. Quamobrem ad liberandum obſidione ſociam civitatem, collectis a Florentinis undique viribus, actum eſt ut clade ſuſcepta, paucis interpoſitis menſibus, iterum fracti reparavere vires, & facta longe lateque certaminis ac pugnæ fama, cum pluri-

mo ardore belli hinc inde robuſti juvenes A
conveniſſent, actum eſt ut & Galterius, ne-
mine conſcio, peregrinationem fingens, cum
paucis citato greſſu a Neapoli ſeſe Floren-
tiam contulit, & confeſtim pervenit in caſtra.
Verum cum nihil ex tam longinquo veniens
memoratu dignum egiſſet, Luca Piſanis tra-
dita, Florentiam ſeſe retulit. Et cum jam
plurimis ex dicta clade & importabilibus ſum-
tibus Florentinorum eſſent attritæ vires, ſe-
quenti congregatione pro ſalute publica inie-
re conſilium, ut inſtructo bellicoſo viro, qui
ſeditiones civium & hoſtium impetum coër- B
ceret, ampla cum licentia daretur imperium.
Quod poſt multa huic Galterio tamquam
ſpectatæ fidei amico, legibus limitatum con-
ceſſum eſt; nec principio feciſſe pœnituit
ſancitum. Nam jam dudum importabilis ra-
bies quorumdam potentum civium, quos
veteres dixere magnates, in id reliquam mul-
titudinem mercimoniis ſeu artibus vacantem
coëgerat, ut in eos leges acerrimas dictaret,
& omnem reipublicæ ſubriperet magiſtra-
tum, tentatumque fruſtra fuiſſet ab eiſdem,
ut illas infringerent, & ob id tanta injuria C
preſſi, continue in perfidiam ſuam vigila-
rent, cum pro votis tempus videretur ad diſ-
ſolvendas leges oblatum, eo quod in primo-
res ob rem male geſtam odium cernerent
vulgi, & omnes pariter cives, ob graviſſi-
mas pecuniarum exactiones querulos, & ra-
tione ſuſcepti conflictus pavidos atque diffi-
dentes; & (quod longe plus illis ſpei affe-
rebat) habere in civitate ſolicitum cupidum-
que dominii hominem, penes quem foret
omnis publicorum armorum potentia, ſoler-
ter dare operam rei diſpoſuerunt, & igna- D
viter eligentes potius exteri hominis tyran-
nidem, quam ignorabant, quam civilium
legum quarum conſuetudinem noverant, ju-
gum ſuſtinere, minus de ſe confidentes, ci-
ves alieno ære obligatos conjunxere, quo-
rum ea tempeſtate ingens erat copia. Nec
mora, cum ſatis ſibi virium arbitrarentur,
apud iniquum Galterium Florentinæ libertati
tam veteribus quam novis honoribus obli-
gatum de ſubigenda civitate ejuſque domi-
nio habuere ſermonem. Qui honeſtate ſua
atque fide poſtpoſita, ſæva regnandi cupidi-
ne tractus, infauſtas præbens aures, cernenſ-
que, ſi animus eſſet, non defuturum verbis E
effectum, ne armis attentaret, quod grada-
tim incedens per dolum obtinere poſſe ar-
bitratus eſt, firmatis ceteris fide rempubli-
cam gubernatoribus, inquit ſe ardua quæ-
dam imminentia non ſatis poſſe pro com-
modo publico proficere, niſi illi amplius con-
cederetur arbitrium: quod poſtquam con-
ceſſum eſt, ne fruſtra petiſſe videretur, in
quoſdam cœpit deſævire cives, quos pati poſ-
ſet participes, impulſu malignantium excи-
tatus, exitium magiſtratibus imminere mi-
nabatur, niſi majus illi imperium præſtare-

tur. Obſtupuere primates, ſeraque animad-
verſione ſenſerunt quo rurſum tenderet illa
petitio: nam lictorum præfectus nomine Rey-
nerius Jotti, cui magiſtratus ſalutem ſuam
& populi Florentini omnem fere commiſe-
rant, noctu civitatem, ſatellitibus intromiſſis,
in ſubſidium Galterii magnatum domos ar-
mis complevere. Quamobrem quæſitum ne-
gare non valentes, qua potuerunt ſagacitate
conati ſunt ducis frænare nequitiam, ſecum
una quærentes, ut annua illi poteſtas omnes
eſſet in cives. Ipſe vero præconis voce in
concionem vocatis civibus, factus eſt om-
nium concurſus in rempublicam, ſedentibus
jam pro foribus palatii publicis magiſtratibus,
& ecce præmiſſis armatorum equitum tur-
mis, peditumque agminibus, dum ab eiſ-
dem fere locus omnis occupatus eſt, civeſ-
que circumſeſſi, nefarius homo catenis ma-
gnatum ſub veſtibus armatorum ſtipatus ad-
venit, quem cum ſuis omnibus dixiſſes facile
in ſanguinem inermium ruiturum, ſi quid
a quoquam incompoſitum diceretur. Qui
dum locum judicialem conſcenderent, ur-
gente magnatum turba, magiſtratus oppreſſi
ſunt: quibus etiam manus injicere vix abſti-
nuerant. Tandem cum ſediſſet, & indicto ſi-
lentio, pulpitum conſcendiſſet orator, cœ-
piſſetque explicare propoſitum, quam cito de
annuo imperio verbum factum eſt, cœpit
vulgus præmonitum clamitare, illudque exo-
rare perpetuum, & confeſtim ope Reynerii
præfati cum ſuis armatis ſatellitibus palatium
intrat, magiſtratibuſque verbis injurioſis ſi-
lentium indicitur, fracta fide, & jurisjurandi
fabula irriſa, occupataque Florentinæ liber-
tatis arce, quaſi ab optimatibus daretur. Quod
a populo clamabatur ordine quodam violen-
to ſuſceptum eſt, & dictum *durante vita*,
ſicque imperium quod pridem dicebatur an-
nale, jam dictum eſt vitale. Igitur Floren-
tiam quam non ſolum a progenitoribus li-
beram mundum intrantes ſuſcepimus, ſed
nec ullius umquam memoria cuiquam, ex-
ceptis imperatoribus, ſubditam, iis artibus
iniquiſſimi cives exteri ac ſceleſtiſſimi homi-
nis Galterii tyrannidi ſubjecerunt. Cœpit con-
feſtim plebs inferior diſcurrere, undique
ignotum ſibi capitolium conſcendere, rimari
cuncta, ſcommatibus & improperiis ignomi-
nioſis & cantibus diem agere celebrem, &
quia nulli ſit de ea negatus ingreſſus aut clau-
ſæ fores, patebant omnia omnibus, ſibi in-
vicem non tyranno arbitrabantur quæſiſſe
dominium; miſeri magiſtratus, qui ſoliti
erant ſummas tenere ſedes, exauctorati, pri-
vatique lictoribus, in infimam fere palatii
cellulam dimittuntur; tyranno cetera occu-
pante. Sed quid multa? Aretium & Piſtorium
inſignes Tuſciæ civitates, nuper Florentinæ
ditionis, dominam ſequentes, tyrannum ſuſ-
cipiunt; ſicque caſtra omnia, ſic oppida quæ-
que vicique fecerunt. Inſuper & Vulterre ve-

tuſtate celebris civitas, jugum ſubiit. Sic & Geminiani oppidum i. ſigne, ſic Collis-vallis, ſic Elſe regale caſtrum venerunt. Præterea ſponte ſua ex Apennino Alpigenæ nobiles communitates quoque quamplures tyranno obedientiam offerentes. Quibus ille effectus prægrandis & jam cunctis Italis formidandus, ſibique deberi Tuſcorum regnum arbitrabatur, & clarius aiebat, ſe in illum diem veniſſe, in quem ſe ire cantu galli excubitoris avis teſtabatur, quam effigiatam in cunctis veſtibus geſtabat. Hinc gloria perfuſus ingenti, ſepoſitis in privata domo magiſtratibus ſeu ſcabinis, cœpit ritu ſuo cuncta diſponere, & ad jus dicendum cives quoque terrendos truculentiſſimis viris præpoſitis adulatores colere, lenones advocare, & quoſcumque malarum artium imbutos in ſuum conſilium ſumere, civibus graves cenſus exigere, ſubſtantias publicare, in ſe cuncta convertere, miſereri nemini, gratias nullas facere: deinde blanditiis, muneribus, & violentiis in ſuum concubitum virgines & quaſcumque matronas attrahere; adoleſcentes ingenuos proſternere, ſuis nefanda quæque permittere, & univerſaliter ſpurcitiis ſuis humana pariter & divina fœdare: quibus miſeri cives in initio anxii, pavidi & elingues effecti, ingemiſcere, male cognitam dejectamque libertatem capere, mortem dejectionemque tyranni cupere, deſidiam ſuam damnare, & ſi via daretur, ſeſe in libertatem redigere priſtinam exoptare. Verum deſolationis urbium radix diſcordia ex proximo fidem ſumere neminem permittebat. Quamobrem diutius quam oportebat & opportunum fuerat, paſſi jugum, ſtetere tepentes; tandem miſertus Deus indignis, ſicut ad proſpectandas fœditates ſordidæ ſervitutis oculos eorum aperiri permiſerat; ſic & virtute ſua corda trepidantia roboravit, diffidentia copulavit, & ad exitium tyranni animavit, permittens, ut magnates qui adverſus libertatem publicam conjuraverant, ad ſuam ſuo opere teſtificandam nequitiam primi adverſus fidem a ſe tyranno præſtitam devenirent. Hi igitur cernentes nihil promiſſi ſibi ſervari, nihil tyranni munificentia concedi, adoleſcentes ſuos, filias, ſorores, & conjuges ante alias in ejus libidinem trahi, rabiem ſuam præter ſpem arctioribus vinculis plus ſolito coërceri, eumque bilinguem, avarum, detractorem, immanem, inexorabilem, ingratum, ſceleſtum, ſibi ſoli vacantem, nihil ſancti, nihil juſti, nihil boni habentem, Deumque & homines aſpernantem, irritati poſt diutinam patientiam per intermedios caute in confidentiam populariorum deveherunt, & in dejectionem tyranni conjurationis participes juraverunt. Sane dum opportuna tanto facinori ordinantur, tyrannus ſeditionem, ſeu alterius relatione, ſeu ſua animadverſione præſentiens, dum ſævitia cœptis conatur obſiſtere, in ſe maturius contraxit perniciem. Nam percipientes rerum conſcii ex conjuratis quoſdam detentos torqueri, ſed timentes in ſolum ſuæ ſalutis remedium, in publicum redeuntes armati in mortem principis conclamaverunt. O Deus bone, quam mirabilia ſunt judicia tua! pauci conjurati prænoverant, nec ante conclamatum eſt, quin omnis civitas tamquam geſtorum conſcia; concitata, in arma ruens, convenit in mortem tyranni. Fit ergo concurſus civium armatorum undique, & in arce in quam per poſticum jam nobiles & ſtipendiarii milites tyranni, atque quos ipſe in judices erexerat, diffugerant, Galterius cum ceteris obſidetur. Ipſe vero effeminatus homo tanta tamque repentina rerum permutatione perculſus, cum exire hortaretur in populum nondum concordem, & adhuc abſque capitaneo ruentem, neglectum eſt; non equidem Florentinorum meritis, ſed nequitia imperantis, qui cœlum premebat & ſuperos, arbitrabatur ante talia cognoſcentes eum victorem futurum, ſi armatus ad populum exiſſet. Cum igitur obſeſſus cerneret vires animi invalidatas, & in ſe ad obſidendum clamores in cœlum audiſſet, & ſuos introrſum jam fame ſitique periclitari cognoſceret, & in ruinam arcis foſſores adverteret, tot hinc inde malorum anxius, per intermedios obtulit libertatem reſtituere, ſi ſalus ſibi & ſuis daretur. Et ut paululum poſtulantium atrocitas ſedaretur, ſicarium quemdam Guillelmum Aſſiſmontem, quem conſervatorem civium nuncupare ſolebat, omni bellua immaniorem, cum filio patre truculentiore juſſit poſtulantibus exhiberi. Ob cujus meritum paſſus eſt dici, ut qui jam plures parentes orbaverat ſua ſævitia, coram ſe cerneret filium trucidari, poſt quem & ipſe trucidatus. Hanc primam victimam in expiationem facinorum ſuorum in oculis ſuis vidit Galterius, coram quo & Henricus peſſimus quidam Florentinus, cujus demonſtrationibus civium cenſum ſubtrahebat, pedibus ligno appenſus more porci exenteratus eſt, & poſtremo in fruſta diſcerptus. Attamen quod in noxam ejus factum eſt, ſe vertit in commodum: nam his illatis cruciatibus civium mollitus eſt animus; & in id poſt dies paucos ventum eſt, quod ipſe poſcebat. Ecce nondum undecimo menſe perfecto a die qua libertatem Florentinam occupaverat, illam noctu trepidus abiens, in formam priſtinam dereliquit. Sic igitur prægrande dominium & regnum quod auſpicabatur in poſterum homo inſolens perdidit, & ex gloria injuſte aſſumta ignominiam reportavit. Porro ne omnino innocua civitas ex nocuo tyranno tranſiret inulta, Dei judicio, ut arbitror, actum eſt, ut dum in armis adverſus regem Eduardum Angliæ, in ea pugna qua Johannes Francorum rex captus eſt, ipſe Johanni militaret, cerneretque rem aliter agi quam in thalamis

matronarum, & puſillanimis, rege ſuo derelicto, terga verteret, ſiniſtro ſuo omine ſatellitibus Florentinis, qui tunc forte militiam ſtipendiariam Johannæi præſtabant, factus obvius, turpiſſime objurgatus, ab eis in hoſtes relatus eſt, & equo dejectus, & ex adverſo jam vulnere vulneribus exhauſtus, ut fama refert, a Florentino ſatellite filio Eduardi militante cognitus jugulatus eſt. Sic qui in ſanguine Florentinorum ſævierat, Florentina manu vita privatus ſuum ſanguinem effudit. Et hunc quidem dignum finem exitialis, ſceleſtus & doloſus homo Galterius dux fortitus eſt.

Terræ motus. Eodem anno civitas Baſilienſis in die S. Luciæ per terræ motum pro parte maxima circa Rhenum eſt quaſſata; montes & rupes multas aperturas & ſciſſuras paſſæ ſunt, quæ per totum annum non pervenerunt ad clauſuram. Homines quoque in campis manebant, non audentes in civitatibus & domibus commorari.

Pax inter Scotiæ & Angliæ regem. Anno Domini MCCCLVII. David rex Scotiæ pertæſus ex longiturna captivitate, quam jam per decennium toleraverat, cernenſque omnem ſpem redemtionis per captionem regis Francorum ſibi ademtam, licet ſororem regis Anglorum haberet in uxorem, hanc formam pacis cum Eduardo ſuſcepit, videlicet quod regnum Scotiæ in feudum reciperet ab Eduardo rege, homagiumque præſtaret eidem, demtis aliquantis inſulis, quas ſui prædeceſſores vicinis gentibus abſtulerant, in quarum reſignationem Scoti conſenſum præbere nullatenus volebant. Inſuper & quater in anno ad quatuor parlamenta teneri ſolita ſingulis annis apud Londoniam ſe perſonaliter venturum promittebat, dummodo infirmitas aut alia quævis rationabilis excuſandi occaſio non obſiſteret, in quibus caſibus quatuor barones regni cum duobus prælatis eccleſiaſticis deſtinare teneretur vice ſua. Renuntiabat quoque omni juri quod ſibi competere poſſet ad civitatem Werwicenſem in perpetuum, & ſingulis annis obſides novos pro complemento promiſſionis tradere [promiſit] veteribus relaxatis. Quibus ita confirmatis & regiis annulis conſignatis, idem rex David liber ad nativum ſolum gaudens remeavit.

Prædones circa Avinionem. Ea tempeſtate miles quidam cognomine Archipreſbyter, poſt captionem regis Francorum, non habens unde ſuos foveret complices, ſolitos aliena vivere quadra, prædari [a] (a) cœpit comitatum Provinciæ, vicinamque regionem verſus Avinionem, ubi pro tunc curia papalis reſederat, unde nimium papa ſuique cardinales exterriti nocturno tempore ſuos armari fecerant ſatellites, ne forte improviſus ſuperveniret dictus prædonum cuneus; ſed & papa dictum Archipreſbyterum ad ſe venire, ſecuritate promiſſa, mandat, eumque ſatis reverenter & honorifice ſuſcepit, eique ut a civitate recederet, nec partes illas amplius impugnaret, famabatur dediſſe in numerata pecunia ſummam quadraginta florenorum aureorum millia, ſicque peſtis illa prædonum a Avinione ſublata eſt.

Regnum Franciæ per 36. electos regitur. Interea regnum Franciæ diſponebatur per XXXVI. elegantes viros electos de conſenſu trium ſtatuum regni, videlicet cleri, nobilium, & popularium: ita quod de unoquoque ſtatu XII. deputati ſunt, qui reditus regios levare debebant in vectigalibus, decimis, maletotis, amendis & ſimilibus, & requiſitus eſt ab eiſdem deputatis dux Normanniæ, ut cancellarium regis Robertum *de Soris*, Simonem *de Buſſi*, ceteros quoque qui dudum receptores patris ſui regis fuerant, caute cuſtodiret, ne evaderent, quouſque rationem coram dictis deputatis redderent de omnibus per eos levatis & expoſitis in uſum regis & regni. Sed illi furorem novorum gubernatorum veriſimiliter extimeſcentes, ad exteras declinaverunt regiones. Inſuper & cudis veteris monetæ confracta eſt, & novi aurei facti ſunt, qui dicti ſunt mutones, valentes circiter duos florenos Rhenenſes. Sed & eodem tempore regnum Francorum, permittente Deo, datum eſt in direptionem & cunctis prædonibus, præſertim inter fluvios Sequanam & Ligerim, adeo quod nullus tute egredi poſſet a Pariſius uſque Aurelianis aut urbem Vindocinenſem ceteraſque regiones propter metum hujuſmodi prædonum, qui ſibi capitaneum præfecerant quemdam iniquum Ruſinum nomine, qui plus omnibus regiones illas devaſtabat. Inſuper & in ripa-ria Normanniæ alter prædo Alemannus dictus Robertus *Canole*, igne & ferro totam illam maritimam acriter infeſtabat, non parcens ſexui aut ætati; cujus annui reditus æſtimabantur ad XL. millia florenorum aureorum, qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur. Poſt hæc quidam plebeius, ceteris pertæſis, qui ſecum deputati fuerant, ſolus aſſumſit gubernationem reditum regalium, nec auſus ei fuit quiſpiam contradicere ob multitudinem complicum, qui eum in hac ſecta fovebant. Huic conſœderatus eſt dominus Johannes de *Pikengny*, qui contra mentem ducis Normanniæ, carcerem in quo captus jacebat rex Navarræ, violenter infregit, & eum liberum ad Pariſienſem urbem ſecum duxit, unde plerique gaudebant, ignorantes quid intus latebat in pectore virulento. Siquidem tribus his favebant, præcipuæ regni civitates, Pariſius, Rothomagum, Belvagum & Ambianis. Famabatur quoque in populo, quod niſi tres iſti obſtetiſſent, aut ſi diligentiam extremam facere voluiſſent, in brevi rex captivus relaxatus fuiſſet, & pax regni reſarcita: ſed illi de alienis coriis amplas

Prædones in Gallia.

(a) De his prædonibus vide ſi lubet varias Innocentii VI. epiſtolas ad plures principes, quorum implorat auxilium adverſus eos, *tom. 2. Anecdot. pag. 848. & ſeqq.*

plas texentes corrigias, dilatationis vias undique conquirebant, ingentes theſauros ſibi per hoc intervallum cumulantes. Inſuper hi tres ſibi mutuo ſub jurejurando promiſerunt in quocumque articulo proſperi vel adverſi, quocumque tempore contra quamcumque perſonam aſſiſtere, ac ſuffragium exhibere, non excepta perſona domini ſui regis Francorum aut filiorum ejus, unde plerique commoti ſunt.

Terræ motus magnus factus eſt circa Baſileam, Argentinam & Spiram, unde caſtra multa corruerunt.

Ruſticorum rebellio in nobiles.

Anno MCCCLVIII. juxta civitatem Belvacenſem & vicinas regiones ſurrexit quædam ſecta ruſticorum & vulgarium aſſerentium omnes nobiles, barones & milites regni traditores eſſe palam, & propterea omnes eſſe trucidandos. Qui ſimul conglobati primo in milites ſibi vicinos irruentes, caſtra & villas eorum demolientes, ipſos quoque horrenda morte peremerunt, uxores & filias eorum vi illata turpiter conſtuprantes, totamque ſubſtantiam eorumdem ſibi in prædam aſſumentes. Sed & alium quemdam nobilem virum veruto imponentes, & ad ignem more aucæ vel gallinæ torrentes, ignominioſa nece mactaverunt. Inde progreſſi circumcirca cædes, ſtrages, depopulationes agrorum, oppidorum, fortalitiorum, multifarias peragentes non quieverunt, conantes eradicare, ut aſſerebant, omnes inclytos terræ; ſed non poſt multa illuſtres quidam viri, inter quos dominus de *Couchy*, mandaverunt amicos ſuos in Hannonia, Brabantia, Haſbania, ceteriſque regionibus, qui in ruſticos inermes & artis belli ignaros irruentes, porcino more cunctos jugulaverunt, & in arboribus ſuſpenderunt, ſicque peſtis illa ſæviſſima ſublata eſt de terra.

Hannoniæ comes factus amens.

His diebus Guillelmus Hannoniæ, comes Hollandiæ & Zelandiæ, filius Ludovici Bavari quondam imperatoris ex ſorore comitis Guillelmi nuper occiſi a Friſonibus, habens quoque in uxorem filiam ducis Lancaſtriæ, incidit in amentiam, ligabatur funibus & in compedibus ſervabatur uſque in diem mortis ſuæ: cujus rabiei cauſam quidam aſſerunt fuiſſe naturalem, quidam miraculoſam propter ſententiam arbitralem injuſtam, quam inter ducem Brabantiæ & Flandriæ comitem protulerat, ſibimet aſcribens & uſurpans dominium de *Hoſden*, & Brabantiam multis juribus veteranis exſpolians ſine cauſa, gerebatque terras ſuas frater ejus Albertus, primo tamquam tutor & mamburnus, & ſucceſſu temporis ſicut dominus hereſque & ſucceſſor fratris indubitatus.

Ruſtici in urbe Meldenſi cæſi.

Eadem tempeſtate apud civitatem Meldenſem plurimi nobiles viri & illuſtres cum uxoribus & filiabus ſuis propter metum prædictorum ruſticorum confugerant, quibus aſſociati aliquanti cives Pariſienſes uſque ad numerum quinque aut ſex millium, venerunt uſque ad portas Meldenſes. At cives Meldenſes intelligentes illic adeſſe Pariſienſes, non auſi reſiſtere, vel forte ſecreto conſentientes ruſticis, reſeraverunt portas eorum hoſtibus præfatis. Verum dux Aurelianenſis & comes *de Foix*, & fere ducenti equites pro tunc in Meldis aſſiſtentes, animis imperterritis, illis ruſticis in gladio & haſta occurrentes, multos ex his proſtraverunt, ceteris in fugam verſis. Non poſt multum temporis dux Normanniæ primogenitus regis, audiens talia inconvenientia circa Meldenſem civitatem perpetrata per quoſdam cives Pariſienſes in favorem ruſticorum, conglobato nobili armatorum exercitu properavit Pariſienſem civitatem obſidere, volens hujus facinoris reos juxta exigentiam delicti condigne punire. Porro rex Navarræ cum multis ſagittariis & ſtipendiariis quos adunaverat, cum ſuis Navarrenſibus venit ad monaſterium S. Dionyſii, exinde mittens civibus Pariſienſibus obſceſſis circiter trecentos ſagittarios in eorum ſuccurſum. Quamobrem ſtupefactus ſæpedictus dux ignorans quid rex Navarræ per hoc prætenderet, miſit ad eum honorabiles viros, cauſam hujus armaturæ cupiens diligenter agnoſcere. At ille fictitias multas fingens cauſas perſonaliter ad ducem venit, humiliter gratiam ejus implorans, & deinceps fidelem ei futurum ſe promittens, & inter eum ac cives pacem ſe facere veile ſimulabat, & de facinoroſis congruentem expetiturum ultionem, quem dux in quatuor arbitros compromittens libenter auſcultavit, & licentiatis ſtipendiariis inconſulte receſſit. Nam poſt hæc præfatus rex cum præpoſito, mareſcallo, qui pro libito cuncta diſponebat regni negotia, necnon & epiſcopo Laudunenſi viro factioſo, frequenter convenerat infra Pariſius, ignorantibus civibus quid iſta prætenderent frequentata conciliabula, nec audentibus in faciem reſiſtere propter metum & pertinaciam ſæpefati præpoſiti, qui in ſui favorem fere totam Alexandriam civitatem. * Poſt pauca, diſponente Deo, qui *permittit interdum hypocritas regnare propter peccata populi, cives Pariſienſes cum ſuo primicerio Johanne dicto *Maillart*, non ſuſtinentes hanc injurioſam arrogantiam præpoſiti, ſuorumque complicum, ſeditione excitata, ipſum præpoſitum cum octo de ſua clientela aggreſſi trucidaverunt, alioſque decem viros ſuſpectos de favore regis Navarræ comprehenſos in ergaſtulis poſuerunt, mandantes duci, ut feſtinato Pariſius occurreret, ac dominium civitatis acceptaret. Mox denudato conſilio Navarrenſium & Anglicorum, qui apud S. Dionyſium hoſpitati fuerant, illi verſus Noviomum & Compendium direxerunt acies ſuas, univerſam terram locuſtarum more devaſtantes, & caſtrum quoddam cui nomen erat *Malconſeil*, baliſtis &

Rex Navarræ favet Pariſienſibus adverſus ducem Normanniæ.

* videtur hic aliquid deeſſe.

Navarrenſes & Angli omnia vaſtant circa Noviomum.

machinis expugnantes: quod dum dux Normanniæ, ſociatis ſibi epiſcopo Noviomenſi & nobili viro domino de *Couchy* diebus aliquot obſediſſet, ſuperveniens eis improviſus Johannes *de Pikengny* pridem confœderatus regi Navarræ, Francos infinitos illic peremit, & captivos multos abduxit, inter [quos] dictus erat epiſcopus Noviomenſis, dominus de *Couchy* & alii in multitudine copioſa circa menſem Auguſti.

Suburbia Ambianenſis urbis incenſa.

His diebus prædictus Johannes *de Pikengny* confiſus multitudine fautorum, qui ſuæ factionis fuerant conſcii, venit cum exercitu in ſuburbiis civitatis Ambianenſis, & ſuccendit ea igni, de quo fere duæ partes civitatis ſunt exuſtæ, & niſi comes S. Pauli mature civibus ſubveniſſet, tota civitas expugnata fuiſſet. Nam dictus miles audito ſuperventu comitis prænominati, lora retraxit. Igitur infra civitatem detecta factione quorumdam reproborum capti ſunt XIV. cives primarii civitatis Ambianenſis, qui in ſuis cellariis nonnullos armatos latenter abſconderant; qui ſi ad certamen ventum fuiſſet, in cives inſurrexiſſent. Eapropter prædicti factioſi per omnes vicos Ambianenſes horrende diſtracti ſunt, & ad rotas adjudicati, tamquam civium proditores. Pari modo in civitate Laudunenſi, de ſex hujuſmodi ſimilis eſt lata ſententia.

Proditores detecti & puniti.

Prædones in Campania diſſipati.

Anno MCCCLIX. circa feſtum B. Johannis-Baptiſtæ, Delphinus, ſeu dux Normanniæ promiſſa ingenti ſumma pecuniæ, inflexit in ſui favorem dominum Burchardum *de Feneſtrenges*, cum quo & aliis armigeris de comitatu *Reitheſte*, obſeſſum eſt caſtrum forte vocabulo *Hays en Champagne*, in quo prædones fuerant caſtri cuſtodes numero LXXX. qui omnes capti ſunt & abducti. Et ſubſequenter plurima fortalitia, quæ dicti prædones invaſerant, viribus ducis & ſuorum eo tempore ſunt expugnata. Eo tempore dictus Johannes *de Pikengny*, princeps & incentor totius proditionis, vindicante Deo neces innocentium, in furiam verſus eſt, commanducans membra corporis ſui, & inſuper cubicularium ſuum virum nobilem iſdem furioſus ſtrangulavit. Alius quoque miles Urſus nomine ſimiliter in amentiam cecidit. Deinceps dum quidam prædones villam *de Ronay* hora majoris miſſæ ſpoliaſſent, poſt ſacram communionem unus ex illis cancellos ingreſſus chori, calicem & patenam de ſacerdotis manibus abſtulit; quem cum ſacerdos prohibere vellet, chirotheca ferrea percuſſus eſt: quo abeunte lætabunde, cum vix ad quartam partem milliarii ſeceſſiſſet, in conſpectu omnium ab immundo ſpiritu arreptus, & in inſaniam verſus cum equo cui inſidebat, horrenda morte diſcerptus eſt.

Expugnatio caſtri Rouſſiaci.

Eodem anno archiepiſcopus Remenſis cum aliis nobilibus de comitatu *Reitheſte* expugnavit fortalitium dictum *Rouſſi*, in quo comprehenſus fuerat omnium ſcelerum patrator quidam Alemannus dictus *Hannekin le Franchois*, & juxta compromiſſum liber abire permiſſus, reclamante tamen vulgo Remenſi.

Tractatus pacis inter reges Franc. & Angl. reprobatus.

Similiter eodem anno rex Francorum & Anglorum convenientes intra Londoniam, omnibus arbitris ſecluſis, demtis dumtaxat principe Gualiæ, & duce Lencaſtriæ, formam pacis concorditer inierunt, quam in ſcriptis clam redigentes miſerunt duci Normanniæ, ducibus Aurelianenſi, Burgundiæ, ceteriſque baronibus Franciæ, qui tunc captivi non fuerant, quæ in auribus omnium patenter lecta, & tamquam nimis probroſa regno, nimioque rigore plena refutata eſt, & nuntii infecto negotio reverſi. Quamobrem vehementer efferatus rex Anglorum, cum majori expeditione ſuorum, qualem numquam per prius adunaverat, circa finem menſis Octobris pervenerunt Caliſiam, & exinde digreſſus cum curribus & rhedis fere ſex millibus pervagatus eſt omnem regionem uſque Cameracum, indeque progrediens circa Remis, Cabilonem, * Trecas & partes vicinas cuncta devaſtans, abſque domorum incendiis invaſit Burgundiam, ubi ſingulis caſtellis & villulis devaſtatis, ac pro redemtione reſidui receptis ducentis millibus aureis, venit ad civitatem Pariſius, illic præſtolans ſuperventum Francorum, qui illic incluſi fuerant, ſi forte certamen cum ſuis Anglis inire vellent; poſt dies ſex deceſſit verſus Carnotum, filiuſque ejus princeps Gualiæ verſus Rothomagum exercitum direxit, omnia ſpolians ſuburbia, villas & oppida, nemine reſiſtente.

Rex Angliæ omnia vaſtat.

* f. Catalaunum.

Rex Navarræ inſidias parat duci Normanniæ.

Ea tempeſtate Eduardo rege in Francorum partibus conſtituto, rex Navarræ familiaris effectus duci Normanniæ, latenter poſuit ei inſidias, volens eum, ſi commode poſſet, interimere per ſatellites ſuos. Et dum quadam die ſæpedictus dux cum pauciſſima comitiva venatum pergeret, & quidam ſatellites dicti regis duci ſe immiſcuiſſent, volente Deo, detectæ ſunt ei inſidiæ, & captus eſt miles, qui ducem interficere proponebat vocabulo *Baſcoup de Moreel*, qui continue confeſſus omnem proditionis ſeriem, adductus Pariſius in conſpectu populi, ſententiam ſubiit capitalem in vigilia Natalis Domini. Quo cognito, rex Navarræ rurſum confœderatus Anglicis manifeſte, qui prius eiſdem faverat & aſſiſtentiam integraliter præbuerat occulte. Igitur rex Angliæ pervagatis circiter omnibus finibus Francorum, nullo contradicente aut reſiſtentiam moliente, demoratus eſt illic a feſto Omnium-ſanctorum anni quinquageſimi noni uſque ad menſem Maium anni ſexageſimi ſubſequentis.

Abbas Cluniacenſis de pace tractat cum rege Anglorum.

Anno Domini MCCCLX. venerabilis vir dominus abbas Cluniacenſis ex intimis cordis medullis compatiens deſolationi regni Francorum, venit ad Eduardum regem Anglo-

rum, pro tunc residentem & exercitum re- A
focillantem in Carnoto civitate, ubi ex in-
stinctu & gratia sancti Spiritus & B. Mariæ
Virginis, quæ est patrona Carnotensis ecclesiæ,
hanc pacis formam inter reges Francorum &
Anglorum tractavit, quæ confestim ab om-
nibus gratanter & jocunde tam Anglicis,
quam Anglorum proceribus acceptata est &
approbata, cujus series vera hæc erat.

Pacis articuli. *In primis Eduardus rex Anglorum suique successores libere & sine retractatione in perpetuum debet possidere ducatum Aquitaniæ, dominia videlicet de* Bigorre, *d'*Agennes, *de* Kaorst, *Petragoricam, Pictavim, Rupellam, Lemovicas, comitatum Engolismensem, vicecomitatum Thoarcensem, feodum* Belleville, *&c. nec teneatur has terras recognoscere vel relevare in feudum a rege Franciæ, nec alio quocumque domino vivente.* B

Præterea in partibus Picardiæ dictus Anglorum rex pari forma pacifice debet possidere villam & castrum Calisiæ cum suis appenditiis, terram Marchiæ, integrum comitatum de Guines *irrefragabiliter sine obstaculo quocumque. Sed & comitatum de Pontivo, qui datus erat matri suæ, filiæ Philippi Formosi regis in matrimonium, salvo quod illum relevare teneatur in feudum a rege Francorum, prout pater ejusdem Eduardus ipso tempore faciebat.* C

Præter hoc pro expensis sæpedicti principis rex Francorum exsolvere tenebatur tricesies centum millia florenorum aureorum cudis Philippi regis: quam quidem summam prosequendo idem rex sexcenta millia solvere tenetur infra tres hebdomadas post festum B. Johannis.

Idem rex Angliæ ejusdem anni residuum infra spatium trium annorum immediate subsequentium, id est quolibet anno tertiam partem summæ supradictæ accipiet, pro cujus complemento nobiliores regni obsides esse debebunt intra Calisiam, quousque rex Anglorum in dictis dominiis pacificam recipiat vestituram. D

Insuper & ante festum B. Johannis Baptistæ, idem rex Angliæ regem Francorum liberum præsentabit in Calisia, illicque eumdem propriis expensis sustentare debebit cum suis omnibus, quousque pacis forma inita debito fini mancipetur.

Quod si quævis dilatio post quodcumque in præmissis evenerit, & obsides, ut prædictum est, se non præsentaverint & obtulerint apud Calisiam infra tres hebdomadas prælibatas: tunc rex Francorum cum captivis concaptivis per tres menses futuros infra Calisiam residere debebit, cum custodia militum Anglicorum, pro quorum sudoribus & expensis XXX. *millia florenorum idem rex Francorum debebit exsolvere, omnibus fraude ac dolo seclusis.* E

Quæ postquam impleta fuerint, rex sæpedictus cum XVI. *nobilibus, qui secum in bello juxta Pictavim capti fuerant, libere deduci debebit versus Parisius, in quos complacuerit duobus regibus, & quos illi concorditer duxerint eligendos.*

Et ut omnia in tractatu pacis comprehensa commodius exequi possent, initæ sunt inter reges treugæ a Maio usque ad festum sancti Michaëlis proxime secuturi, & ab inde ad annum integrum irrefragabiliter duraturæ. Placuit hæc pacis series duci Normanniæ, cunctisque regni principibus, & post pauca in parlamento Parisius communi lecta est civibus, & accepta ab omnibus. Eduardus rex transfretavit Londoniam, & Francorum regem cum suis concaptivis relaxatum juxta conditum remisit Calisiam; & quamvis propter obsides qui se præsentare distulerant, facta esset illic aliqualiter protelatio, finaliter tamen cuncta compromissa completa sunt. Rex quoque Johannes per civitates & oppida, concurrentibus & applaudentibus regnicolis, reductus est Parisius, & firma pace fruitus est aliquantis temporibus. Quibus ita gestis, mox idem Anglorum rex cessit, & renuntiat armis liliatis, quæ pridem gestare solebat, & plenarie abrenuntiat omne jus quod sibi competere prætendebat in regno Francorum ex successione materna, ipsumque regnum quietum esse de cetero permittebat, nec per suos infestari volebat.

Bononia restituta ecclesiæ Romanæ.

Eodem anno Bononia restituta est ecclesiæ Romanæ per dominum Johannem de Olegio. Inter Barnabovem ducem Mediolanensem & ecclesiam orta est gravis controversia, & fulminati sunt processus apostolici contra Barnabovem tyrannum.

Prædones versus Avenionem.

Anno Domini MCCCLXI. circa partes Burgundiæ conglobatus est ingens cuneus prædonum, qui vocabantur vulgariter *Tardeventi*. Hi cum castrum quoddam munitissimum, ad quod multi confugerant cunei *Jenvilhe* armis cepissent, totamque provinciam illam graviter profligassent, tandem versus Fluionem * & comitatum Provinciæ profecti sunt, omnem circumcirca vastantes regionem; ita ut tam papa quam sui cardinales ab eis exterriti, prædicarent crucem contra prædones prænominatos, qui jam expugnaverant castrum munitissimum, vocabulo Pons Spiritus sancti. His etiam sociati sunt ceteri prædones relicti in regno Francorum, cum ultra promissi sunt non illud infestare. Itaque cum multi cruce signati illic conveniissent, sub spe impetrandæ remissionis omnium peccaminum suorum, necnon & pecuniæ a summo pontifice pro stipendiis acceptandæ; videntes se nihil a papa & suis in pecunia recepturos, ad propria recesserunt, multo majora perpetrantes facinora, quam cuneus prædonum prænominatus. Quo viso, INNOCENTIUS papa ad se venire mandat marchionem Montisferrati de Italia, qui eo tempore bellum gerebat contra Barnabovem ducem Mediolanensem, virum iniquum & sceleratum, ut prædones prædictos ad partes Lombardorum adduceret: quod & fecit, deditque dominus apostolicus præfatis prædonibus immensa

* f. Avinionem.

donaria, eosque a facinoribus quæ commiserant absolvit, sicque pestis illa sublata est a Galliis, & aliquanto tempore terra illa requievit a bellis.

Theod. de Heinsberch obitus. Eodem anno die XVII. Januarii Theodericus *de Heinsberch*, qui conniventibus sibi duobus episcopis Leodiensibus, affinitate conjunctis eidem, in præjudicium sedis Leodiensis usurpaverat & possederat comitatum de *Los*, decessit a sæculo, excommunicatus auctoritate apostolica. Quapropter cum sepulturam suam elegisset in monasterio dominarum de *Herkenrode*, (*a*) refutatus est ab eisdem, sicque tumulatus est in oppido de *Hasselt* apud fratres Augustinienses, in loco profano, qui vicinus erat cimiterio. Sed de post per consensum ENGELBERTI Leodiensis episcopi, cujus amitam habuerat in uxorem, tumulatus est in loco sacro. Quo sic defuncto Godefridus dominus ex *Del Ebroue* (*b*) & de *Heinsberch* dictum comitatum jure propinquitatis & legatorio conabatur usurpare, & de facto jam saisiverat castrum de *Stocke*, villas *Eytre*, *Brede*, Blisiam, &c. Sed & Arnoldus dominus de *Rumminez* asserens se propinquiorem heredem ex latere matris Margaretæ *nomine*, quæ fuerat soror Ludovici comitis Ultrajecti, veri domini dicti comitatus, terram illam Lossensem sibi competere dicebat, & eam in feudum ab episcopo suoque capitulo ut relevaret quæsivit. Sed ENGELBERTUS *episcopus, qui prius lente processit* in ecclesiæ suæ causa, jam animo & cordi illud commendans, causas rationabiles & justas allegabat, quibus comitatus Lossensis juridice ad ecclesiam Leodiensem devolutum comprobabat: sed nec domino de *Dalenbroue*, nec domino de *Rumminez* quicquam juris in ipso competere viriliter manutenebat. Cui confestim consentiens patria tota ad hoc in palatio convocata, vires & arma promtis animis obtulit, quibusdam tamen nobilibus patriæ faventibus occulte domino de *Rumminez*, eo quod essent ejusdem consanguinei. Nihilominus in ipsa solemnitate Sacramenti, cum dominus Leodiensis sacrosanctum corpus Domini *in processione* manibus propriis deportasset, cum ingenti gaudio cleri & populi, finito prandio, secessit Trajectum, subsequentibus cum communitatibus terræ suæ, in crastino, cum suo primicerio domino Everardo de Marka fratre domini Leodiensis, advocato Hasbaniæ, & marescallo exercitus, Ludovico Martello milite, & burgimagistro Leodiensi, Wilhelmo de *Cornu* milite, qui si licuisset & potuisset, negotium propter causam antedictam retardasset. Igitur ad obsidendum castrum de *Stocke*, per dominum de *Dalenbroue* invasum, asseruntur venisse in succursum domini Leodiensis, comites de Clivis & de Marcha, necnon & episcopus Monasteriensis cum ceteris proceribus Alemanniæ, absque comitatibus patriæ, æstimatis pro tunc ad centum millia armatorum. Erectis autem petrariis, mangonabulis, fundibulis, acriter impetitum est castrum, & tandem post XXVIII. dies custodes castri, salvis corporibus & armis, deditionem fecerunt: durante tamen obsidione, aliquanti equites & pedites foragia conquirentes, non servata militari disciplina, dispersis turmis processerunt versus *Eytre*, ubi fuerat statio hostium, qui tempus aptum ad eos invadendum adepti, prostraverunt ex Leodiensibus octoginta viros, unde graviter consternatus est exercitus. Porro facta deditione fortalitii de *Stocke*, & compactione nescio qua facta cum domino de *Dalenbroue*, mox absque obstaculo dominus Leodiensis receptus a singulis oppidis, villagiis, castris terræ Lossensis, gaudentibus & applaudentibus popularibus, qui de cetero sperabant se gaudere libertatibus Leodiensium, & immunes se futuros a talliis, precariis, subsidiis & hujusmodi servitiis, quibus per prius gravabantur per comites & dominos terræ. Oppidani S. Trudonis hoc tempore impetrarunt peronem & duos magistros civium illic singulis annis debere creari ad instar ceterorum oppidorum patriæ, quod satis displicuit abbati S. Trudonis; unde de post aliquanta succreverunt disturbia inter dictum abbatem & oppidanos prælibatos, prout evidentius docebitur in processu historiæ. Eo tempore junior filius ducis Geldriæ vocabulo Eduardus, conserto prælio cum Raynaldo seniore fratre suo jam duce, ipsum cepit, & ducatum obtinuit. Item, hoc anno rex Zutphaniæ vel *Litoulbe* nomine *Trayssad* captus est per fratres ordinis Teutonicorum, & positus in Prussiæ castro vocabulo *Marienborch*, de quo tamen eodem anno fuga elapsus evasit.

Anno Domini MCCCLXII. pestis epidemiæ coepit debacchari in patria Lymborgensi, unde Leodienses vicini eorum postmodum infecti sunt, & perierunt ex hac clade utriusque sexus multa milliaria, nec cessavit donec in anno sequenti superveniens acerrimum gelu, pestem de medio auferret. Ea tempestate propter abusus scabinorum Leodiensium, qui pro sententiis causarum quas judicabant, pro sigillis, pro custodiis & hujusmodi immoderatas exigebant pecunias a civibus, ad requestam rectorum & presbyterorum civitatis, facta est quædam moderatio & restrictio notabilis, ut sciret quis, quantum pro singulis causis tenetur exsolvere, & confectæ sunt desuper litteræ, sigillo domini Leodiensis, suique capituli, & magistrorum civitatis &c. roboratæ ad futuram rei memoriam, quas propter prolixitatem vitandam hic interponere non curavi.

Hoc tempore circa festum sancti Remigii

Contentio pro Lossensi comitatu.

Expugnatio castri Storkensis.

Pestis ingens.

(*a*) Insigne est monasterium ordinis Cisterciensis in Brabantia.

(*b*) Infra dicitur *Dalenbroue*.

Urbani v. papæ creatio.

quæ est prima Octobris, obiit Innocentius papa VI. & vacavit sedes usque ad sextam diem Novembris. Tandem cum cardinales in hoc concordare non possent, quod de collegio eorum eligeretur quisquam in summum pontificem, noviſſime elegerunt in vicarium Petri abbatem S. Victoris juxta Massiliam provinciæ, qui pridem dictus est Grimoardus, virum justum, & providum, & litteratum, pro tunc legatum in Italia, qui eo tempore vocabatur lucerna juris, propter eminentem in eo juris & æquitatis scientiam pariter & doctrinam: qui cum audisset cardinalium de eo concordem & uniformem sententiam & electionem, non consternatus, nec in elationem evectus, sed uniformis & idem in prosperis & adversis, Benedictus, inquit, Deus, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Hic in sua consecratione dictus est URBANUS V. vere urbanus ac totus civilis, qui litteratos viros multum dilexit & nobiles, vix quemquam permisit duo beneficia competentia possidere, nisi graduatum in theologia, aut jure canonico propter sustentanda onera expensarum in his facultatibus prosequendis opportuna. Hic insuper URBANUS publice excommunicavit & excommunicatum denuntiavit ducem Mediolanensem vocabulo Barnabovem tyrannizantem in Liguria & Emilia regionibus, ac per totam fere Italiam, quem in publicis sermonibus affirmabat parem Herodi, pejorem Nerone. Præterea per vivam vocem Francisci Petrarchæ, pro tunc nuntii Venetorum, inductus est transferre sedem apostolicam in urbe Roma, quæ per annos multos ad Avinionem translata fuerat, reclamante tamen aliqua parte cardinalium, qui pro majori parte origine Galli extiterant, & seditiones Romanorum, moresque innatos aut ex scriptis aut ex visis plene noverant. Hæc manifeste patent in epistola continente circiter duos quaternos papyri, missa ad præfatum papam a Francisco Petrarcha laureato poëta, rogato pro tunc a Venetis & Italicis, quorum erat concivis.

Johannes rex proditus suos ejicit.

Eo quoque tempore Johannes Francorum rex regressus a captivitate Anglicorum, plerosque de optimatibus regni sui morte fecit detestabili occidi, quia contra eum & regnum suum Anglicis confœderati fuerant, & corrupti pecuniis eum prodiderant, monstratis sigillis eorum, quæ prædictis litteris proditoriis appenderant, nec valentibus apertæ veritati reluctari. Quæ, inquam, litteræ, quo modo ad ipsius manus pervenerint, audivi pariter & in scriptis legi; sed fidem plenariam eis adhibere non præsumo, nec posterorum memoriæ commendare, ne videar fabricator mendacii. Asseritur tamen vulgata relatione nostrorum, in quadam vigilia epiphaniæ rege Francorum cum filio suo Philippo duodenni in captivitate Anglicorum detento, juxta morem regionis, ob honorem diei festi, sortem mitti quis eorum eo vespere rex ridiculus fieri deberet, & nutu divino, sine quo nec passer volat, nec folium arboris in terra cadit, sorte favente Philippo puero, pater ei jocunde insultans: O, inquit, quam pauperculus, exilis, exul, captivus & ridiculus rex tu es. Quibus auditis, Eduardus Anglorum rex magnanimus supra modum: Quamvis, ait, pauper est hodie, locuplex subito fieri potest. Petat, inquit, a me quod mihi possibile fuerit, & dabo ei, demta corona regni mei & liberatione patris. Porro rex Francorum ponderatis verbis regis Anglorum, quæ non frustra in præsentia tantæ multitudinis procerum, qui tunc aderant, proferri debebant, increpantibus regem suum Anglicanis optimatibus super præcipitatione promissi indiscreti, Philippus puer præmonitus a patre, Volo, inquit, juxta condictum tuæ celsitudinis regiæ, ut in meas statim exhibeas manus omnes & singulas missivas & litteras a maxima usque ad minimam, destinatas a Francia ab inchoatione guerrarum tempore Philippi *de Valois* avi mei, usque ad diem hodiernum. His auditis, rex Anglorum cito pœnitens super promissis, Peroptarem, inquit, ut patrem tuum regem liberum emitti postulasses quam litteras tibi dari quas exigisti. Sic ergo disponente Deo, detectæ sunt insidiæ baronum, & fallaciæ proditorum Franciæ, eorumque factiones sigillis singulorum communitæ, uni arculæ inclusæ ad regias manus pervenerunt, tandemque post reditum regis ad avitam patriam, malitiæ quas contexerant, in capita principum sunt retortæ. Nam singulos qui factiosi reperti sunt evocatos hoc anno, non majestate sua... non præmonitos aut præmeditatos, super temeritate sceleroſa corripuit, proditionisque reos ex patentibus sigillis convictos morti adjudicavit, & sanguinem innocentum, qui machinationibus eorumdem effusus est, ab eis exegit, cum ignominia & dedecore ad perpetuam posterorum memoriam.

Quomodo detecti fuerint.

Anno MCCCLXIII. Francorum rex Johannes ultionem sumere volens de rege Navarræ, qui tempore calamitatis vel captivitatis suæ, regnum ipsum sub prætextu defensionis graviter molestavit cum collegis suis, filios suos Carolum & Philippum cum electa militum expeditione regni transmisit, qui multis damnis illatis illi regioni, castris villisque subversis agrisque depopulatis, salvi reversi sunt. Nihil ad memoriam vel relationem dignum peragentes.

Ultio de rege Navarræ.

Ea tempestate expugnato, ut præfertur, castro *Stocke*, ac domino *Dalenbrouc* lente procedente in facto comitatus Loſſensis, dominus Arnoldus de *Rumignez* affinis ejus, cœpit jus quod sibi competere putabat in dicto comitatu realiter prosequi & instanter,

Arnoldus Rumigneus comitatum Loſſensem repetit.

prælabito, ut famabatur, quodam contractu vel compacto inter eum & dominum de *Dalenbroue*. Et quoniam idem dominus inter Leodienſes potens erat in divitiis & amicis, præſertim de ſtirpe *Albans* procreatus, rogabat dominum Leodienſem, ne ſibi ſuper hereditate ſua vel feudo injuriam aut violentiam aliquam irrogaret, ſed comitatum de *Los* ab eo relevari permitteret, & in feudum teneri juxta morem patriæ & legem feudalem, & in hoc ſe ſubmittere vellet dictamini & judicio vaſſallorum epiſcopalium. Dominus autem Leodienſis prænoſcens majorem turmam nobilium vaſſallorum clam favere dicto domino, nolebat compromittere. Sed ſi, inquit, injuriam tibi in hoc feudo eccleſiæ meæ, quod eſt alterius juris, quam cetera feuda, vel calumniam fecero, me fac citari vel evocari coram Romanorum & Bohemorum rege, qui eſt tuus & meus dominus, eo tibi non differam ſuper his reſpondere & cauſam meæ eccleſiæ juſtam comprobare. Quod & factum eſt, ſiquidem dominus Willelmus de Hamalia miles, nepos dicti Arnoldi ex ſorore, profectus verſus Pragam ad regis præſentiam, factuſque de clientela ejus, querelam depoſuit coram regia majeſtate ſuper injuriis quæ ſuo avunculo inferebantur per dominum ENGELBERTUM DE MARKA Leodienſem epiſcopum. Inſuper & practicavit dictum epiſcopum citari & evocari ad præſentiam regalis celſitudinis, ut ſe purgaret de objectis. Sed & litteræ ſigillo Caroli regis roboratæ miſſæ ſunt ſcabinis Leodienſibus, ut illi monerent & requirerent dominum Leodienſem epiſcopum a cœptis deſiſtere, & comitatum Loſſenſem ad dominum de *Ruminez* pervenire. Alioquin auferret ab eiſdem ſcabinis auctoritatem judicandi & ſententiandi. His auditis, dominus Leodienſis pro defenſione cautæ eccleſiæ ſuæ miſit ad præſentiam regiam abbatem novi monaſterii Hoyenſis, juriſperitum excellentem & grandævum moribus & religione, qui tamen illic parum profecit. Sed reverſus circa feſtum Martini, dixit domino Leodienſi, quod quamquam debilis eſſet pedibus, oportebat tamen eum perſonaliter in præſentia regis comparere. Siquidem Romanorum rex ob certas cauſas animum ſuum ad hoc moventes affectabat cum dicto epiſcopo colloqui, puta propter aſſiſtentiam faciendam fratri ſuo Wenceſlao duci Brabantiæ & Limborgenſi, &c. cui favor Leodienſium vicinorum multum erat opportunus contra Flamingos & Gelrenſes, prout exitus rei comprobavit.

Hamalia defertur ad imp. tribunal.

Anno Domini MCCCLXIV. non obſtante gelu fortiſſimo dominus Engelbertus podagricus, aſſumta pulchra comitiva procerum & clientum circiter LX. equitum, inter quos erat quidam rhetor facundus, magiſter Willelmus *Woelevé* canonicus Leodienſis, doctor legum, tranſivit per Coloniam, Trevirim & Maguntiam & in ſingulis urbibus a primaribus honorifice ſuſceptus eſt; ſed & ab ipſo Romanorum rege intra Pragam cum omni gaudio & feſtivitate tractatus eſt, & quandiu Pragæ fuit, imperator ſibi omnia neceſſaria, per ſuos proviſores fecit adminiſtrari. Verum dominus de *Ruminez* qui aliquanto tempore prævenerat Leodienſem epiſcopum, pretiis & precibus in favorem ſuæ cauſæ quam plures allexit optimates, non parcens ſumtibus & theſauro quem advexerat. Convocatis autem partibus in præſentia regiæ celſitudinis, & juribus ambarum auditis, imperator adjudicavit epiſcopum Leodienſem in poſſeſſione ſæpedicti comitatus debere permanere, donec ipſe ad partes Rheni, prout mente conceperat, perſonaliter adveniret, ibique cum conſilio electorum imperii & optimatum Alemanniæ finem querelis ac litibus imponeret. Ex qua ſententia dictus dominus de *Ruminez* graviter conſtematus & mœſtus ad propria repedavit.

Epiſc. Leod. ad imperat. accedit qui comitatum Loſſenſem ei adjudicat.

Eo tempore contigit archiepiſcopum Colonienſem, cognatum Engelberti de Marka Leodienſis epiſcopi, ex hac vita migrare. In cujus ſucceſſionem poſtulatus eſt capitulariter epiſcopus Monaſterienſis, nepos dicti Engelberti ex fratre; qui cum infra tempus præſcriptum nollet ſacerdotare, ſed aſpiraret ad comitatum Clevenſem, qui ſibi ex hereditaria & avita lege competebat, renuntiavit electioni de ſe factæ Coloniæ, ad opus patrui ſui Leodienſis epiſcopi: at Engelbertus complacere volens ſtirpi ſuæ & electionibus ſuis in Colonia factis, invite renuntiavit Leodienſi ſedi. Sed tandem valedicens magiſtris & primoribus patriæ Leodienſis, per Moſam deſcendit Trajectum navigio, & ivit Coloniam, ubi ſolemniter receptus eſt, prout tanto principi congruebat.

Engelbertus de Marka tranſfertur ad ſedem Colonienſem.

Interim dominus de *Ruminez* putans ſe reperiſſe tempus aptum factioni ſuæ ex morte paſtorum, & Leodienſes acephalos fore, multos conduxit ſtipendiarios, & equites quamplures adunavit, quos ad munimen caſtri de *Ruminez*, & reſiſtendum hoſtibus convocavit. Cujus factioni dum cives & communitates patriæ decreviſſent occurrere, etiam apud *Bruſtemme* caſtra metarentur, rumor ſiniſter eorum aures perculit de receſſu paſtoris ſui, qui poſtremo tam fideliter pro tuitione jurium eccleſiæ ſuæ laboraverat; ad quem adhuc in Trajecto remorantem propter podagram, nuntios deſtinarunt rogantes, ut ſuis filiis acephalis indilate ſuccurrat, quibus nobiles terræ fere omnes adverſabantur, & eum adhuc pro ſuo præſule tenerent, ac propugnatore; qui ſuper hoc requiſitus, ſe excuſans hortabatur, ut ſe viriliter defenſarent: nam in brevi ſperabat novum præſulem & dominum illis adventurum, qui eos fideliter poſſet ab adverſis relevare. Erat eo

Interimam Ruminēs parat.

tempore magiſter civium in Leodio dictus *Waldoreal*, qui non diebus non noctibus ceſſabat a procuranda ſalute civium ac totius patriæ, nunc ad oppida patriæ, nunc ad nobiles terræ, nunc ad dominos capituli præticans, ut Leodienſis eccleſia poſſideret quiete terram, pro qua tot annis laboraverat, & jam omnia oppida & caſtra ei ſubjecta erant. Interea dominus de *Ruminez* conniventibus ſibi primoribus oppidi de *Herke*, ſiti in extremis finibus patriæ Loſſenſis verſus Brabantiam, oppidum intravit & dominium ejus obtinuit. Quo percepto, domini capituli Leodienſis tres ex ſuis canonicis cum armata manu direxerunt ad tuitionem oppidi de *Haſſelt*, quod eſt primum & maximum in eodem comitatu, metuentes veriſimiliter hoſtilem ſuperventum ex improviſo. Erat ea tempeſtate mamburnus patriæ, id eſt temporalium miniſtrator, Johannes dominus de *Rochefort* & *Agimont*, vir probus & elegantis formæ ac cordis magnifici, qui in mareſcalcum ac ductorem exercitus erexit fratrem ſuum Walterium dominum de *Haneff*, *Doxhem*, &c. qui ambo cum præfatis canonicis ingreſſi ſunt oppidum Haſſellenſem. Statim poſt hæc dominus de *Ruminez* cum electa armatorum comitiva, venit ad valla oppidi, & facto aliquanto congreſſu eminus, unus ex improviſo de porta fundam jaciens, unum ex armigeris adverſæ partis occidit, reſiduique fugerunt, & ſic remanſit oppidum ſub dominio Leodienſium uſque in hanc diem. Poſt paululum Leodienſes cum Hoyenſibus egreſſi caſtra metabantur apud villam de *Oreez* ſuper Jecoram fluvium domino loci damna gravia inferentes, qui partem adverſarii eorum favebat corde & opere. Inde profecti ſunt verſus *Bruſtemme*, & illic in eorum præſentia adducti, ſunt duo viri vinculati, qui famabantur oppidum tradidiſſe, & aperuiſſe domino de *Ruminez Herke*, qui tandem auditi & examinati capitalem ſubiere ſententiam. Herkenſes vero ad obedientiam Leodienſium ſunt reverſi.

Herkam oppidum invadit.

Intermedio tempore dominus Johannes de *Erkel*, filius baronis inclyti domini de *Erkel* in Hollandia, cum lites haberet cum capitulo Ultrajectenſi, ubi tunc fuerat epiſcopus, (a) tranſlatus eſt per Urbanum papam v. ad epiſcopatum Leodienſem; vir providus ac bellicoſus. Hic prius, receptis regalibus ſuis ab imperatore Carolo, tandem penultima Julii venit Leodium per pontem Amaricordis, ſociato ſibi domino Renardo de *Scoenboeſt*, & aliis amicis ſuis potentibus numero copioſo, illicque receptus eſt cum ingenti gaudio cleri & populi; & ſubſequenter factis juramentis & ſolemnitatibus conſuetis in hujuſmodi, aſtante ſibi domino Johanne *Blankart* decano Leodienſi, & domino Matthæo Longo archidiacono Hannoniæ in eccleſia Leodienſi, intravit palatium ſuum, liberaliter omnes adventantes feſtivando, prout tanti principis receptioni congruebat.

Johannes de Erkel fit epiſcop. Leod.

[a]

(a) Annis circiter 23. quibus eccleſiam illam prædiis auxerat, ære alieno liberarat, ornamentis eccleſiaſticis ac privilegiis condecorarat, ait Radulphus de Rivo.

Interim quotidie creſcebat tumultus & rumor vulgarium, qui in confiniis S. Trudonis & circumcirca morabantur querulantium ſuper violentiis & rapinis quas ſuſtinebant ex caſtro de *Ruminez*, unde vulgus Leodienſe turbatum ſuis concivibus ſuffragari volebat & ad obſidionem dicti caſtri properare; ſed epiſcopus novus perpendens munitiſſimum fortalitium abſque ſanguinis effuſione & expenſis gravibus non poſſe oppugnari, aliquanto tempore protelabat negotium, experiri volens utrum pacem tractare poſſet cum hoſtibus an non. Verum quotidie ſuccrefcentibus malis, non poterat amplius diſſimulare quin ſe de hoſte ulciſceretur.

Bellum inſtaurat Ruminius.

Item, Urbanus papa miſit ad imperatorem Conſtantinopolitanum duos epiſcopos ad ſciendum utrum eſſet firmus in fide jurata per eum Romæ in manibus prædeceſſorum. cum omnibus magnatibus & populis ſuis. Qui reſponſionem hanc gratioſam dedit eis epiſcopis: Omnes ſuos progenitores in fide catholica vixiſſe & obiiſſe, & ſe ſimiliter agere, & ſemper facturum, in nullo diſcrepando a fide Romanæ eccleſiæ.

Anno Domini MCCCLXV. in ipſa ſacratiſſima ſolemnitate Nativitatis Dominicæ in eccleſia Leodienſi tres miſſæ ſolemnes cum nota celebratæ ſunt per tres doctores ſacræ theologiæ egregios, qui omnes Johannes vocabantur. Primam quidem celebravit decanus eccleſiæ dictus Johannes *Blankart*; ſecundam magiſter Johannes de *Marvilhe* canonicus Leodienſis & abbas ſæcularis B. Mariæ Namurcenſis; tertiam vero ſuffraganeus Leodienſis videlicet magiſter Johannes de ſancto Martino de ordine Carmelitarum, epiſcopus Joppenſis, quæ non recolo me legiſſe aut audiiſſe ſimili modo contigiſſe in eadem eccleſia, & quod rarum erat placuit huic materiæ intermiſceere.

Subſequenti feſto Purificationis B. Mariæ, dictus Leodienſis epiſcopus omnibus pontificalibus cum ſuperhumerali indutus, celebravit miſſam ad majus altare S. Lamberti, & proceſſionem continuavit, comitantibus eum abbate S. Jacobi a dextris, & abbate S. Laurentii a ſiniſtris, quos præcedebat ſuffraganeus præfatus cum diacono domino domino Hermanno de *Xante*. Hos quoque præcedebant abbates S. Ægidii & Bellirciditus, cujus ſimile viſum non fuit Leodii infra annos quinquaginta duos, & ſimili modo fecit in feſto Sacramenti ipſius anni.

Eo tempore dominus de *Ruminez* caſtrum ſuum fortiſſimum armis & eſcis munire cœpit, abducens prædas multas de terra Leodienſi & locis circumvicinis, & quotidie infe-

Rumihius ex arce ſua importune infert hoſtilia.

rebantur damna a dicti militibus, clientibus, A suique sororii domini de Hamalia, qui apud *Gravenbrouc* mansionem habens, inde die quadam insultum fecit villæ de *Bernighen*; sed incolæ viriliter resistentes, ipsum cum suis turpiter fugere compulerunt, nonnullos ex complicibus suis occidentes, quosdam carceribus mancipantes. Interim per interventum ducis Brabantiæ de pace tractatus habiti sunt inter oppida *Herk* & *Halen*. Statim ea hora supervenerunt Sancti-Trudonenses querimoniam gravem deponentes, quod unus de macellariis concivibus suis a complicibus domini de *Ruminez* enormiter esset vulneratus, & postea mortuus ex vulnere. Unde exacerbati Leodienses universi cum ceteris oppidis patriæ, in vigilia B. Laurentii Leodium armati exierunt, domino Leodiensi semper in fronte gradiente, domino Lamberto de *Upeez* vexillum primarium ferente, & confestim castrum sæpedictum obsederunt. Nihilominus obsesso castro dominus Leodiensis obtulit domino de *Ruminez*, si cedere vellet juri quod sibi competere asserebat, licet frivole, in dicto comitatu XL. millium mutonum aureorum cud.... Brabantiæ semel solvendorum & præterea duo millia similis monetæ singulis annis sibi & suis posteris exsolvenda in perpetuum. Qui cum hæc omnia refutasset, erectæ sunt machinæ, petrariæ fundæ, catti, arietes & hujusmodi, quibus post IX. hebdomadas & duos dies expugnatum est castrum, custodesque ejus centum & viginti quatuor captivi abducti ad castrum *Muhalt*. Sicque cum modico damno suorum Leodienses cum magistro suo *Waldoreal*, viro prudenti & animoso, regressi sunt ad propria. Durante quoque præmissa obsidione plerique prædones D spoliaverunt terram de *Bulhon*. Quod cum perlatum esset ad aures exercitus, illuc transmissus est cuneus armatorum cum domino Lamberto de *Upeez*. Verum prædones non expectantes pugnam, abducta præda, sine mora regressi sunt absque læsione.

Arx ejus capitur.

Eodem tempore rex Francorum Johannes perrexit Avenionem, impetrare cupiens decimam a clero regni sibi dari per Urbanum papam, atque pro hoc negotio ad Villamnovam perendinat per annum integrum, sed nihil impetravit. Adhuc siquidem obligabatur regi Anglorum in trecentis millibus scutorum veterum, pro qua etiam causa transfretavit in Angliam, ubi cum aliquanto tempore moram fecisset, quadam die subito defunctus est; sed utrum ex haustu vini, an ex vulnere sibi inflicto per quemdam comitem cum quo ludebat ad scacos, ut quidam garriunt, an ex apoplexia, non satis est mihi notum, &c. Huic successit in regno Carolus filius ejus primogenitus, vir prudens ac timens Deum, protector ac dilector ecclesiæ, quamobrem regnum suum quiete longo tempore gubernat. Hujus uxor filia fuit ducis Borbonii, speciosa nimis & circumspecta, propagata de stirpe Caroli Magni & Ludovici regis Francorum, sanctorum.

Johannes rex Franc. moritur in Angl.

Succedit filius ejus primogenitus.

Hoc anno mense Julii nascebantur in partibus Orientis animalia sine cauda similia gliribus, quæ blada omnia mirabiliter destruebant; & paulo post bruci cum magnis capitibus similes locustarum, in tanta multitudine ab Oriente venerunt, ut omnem viriditatem usque ad radices penitus devorantes, terram sterilem & albam reliquerunt, & solem quodammodo ad terram descendere impediret nubes multitudinis eorum. Nullæ quoque carnes porcinæ erant comestibiles, sed propter esum brucorum tamquam venenatæ prohibebantur. Ova etiam gallinarum quæ eis vescebantur, erant omnia ultra modum rubea, & quodammodo similiter venenata; nec poterant homines quovis remedio quin per ostia & tecta subintrantes, replerent domos & lectos eorum. Hi bruci faciebant foramina in terra, quæ horum sobole replebantur; sed superveniens ventus Occidentalis illos in mare dejecit.

Bruci alique pestes omnem herbam depascebant in Q. ricante.

Anno MCCCLXVI. Arnoldus de *Ruminez*, defuncta uxore sua, sorore naturali comitis Flandriæ, incentrice totius mali & adversi quod successerat, perpendens stultum esse cum qui se fortiori suo opponit; prædoctus ab amicis, comparuit Leodii in præsentia domini Johannis Leodiensis episcopi & multorum prælatorum, ad hoc in capitulo majori convocatorum; ubi, nemine compellente, plene & nude renuntiat & cessit omni juri quod in assecutione comitatus Lossensis hereditaria, legataria vel emptitia sibi posset competere, producens & transportans omnes & singulas litteras, testamenta vel instrumenta, quæ vel quas de dicto comitatu reperire poterat inter capsulas suas, promittens præterea, quod si quas postmodum hujusmodi forte reperiret, ipsas ad manus & usum domini Leodiensis, suique venerabilis capituli libenter apportaret. Igitur dominus Leodiensis condolenter prospiciens humiliationem sero pœnitentis, ejusque penuriam, quam suasu suæ uxoris inciderat; de consilio magnatum suorum famatur illi & suo nepoti domino de *Hamel*, in pensione vitali consignasse singulis annis tria millia florenorum sive mutonum aureorum, in usum expensarum suarum ejusque familiæ. Relictis igitur reliquis mansionibus, quas nondum amiserat, deinceps quieti consulens ac paci suæ, dictus miles secessit Leodium, illucque residuo tempore quo supervixerat commoratus est in parochia S. Huberti, in hospitio quod nunc spectat ad monasterium S. Trudonis.

Fractus malis Ruminæis pacem impetrat.

Ea tempestate Francorum rex Carolus, quamvis haberet uxorem formosam, nobilem & providam, graviter tamen in corde affligebatur,

Carol. Franc. rex veneno peritus, vix evadit.

affligebatur, quia ſterilis erat, nec ſemen aut heredem ex ea ſuſcipere poſſet. Inſuper & fratres ejus Ludovicus & Johannes atque Philippus & ſorores multas proles haberent, & in occulto gaudebant de ſterilitate reginæ, ſperantes regnum infallibiliter ad unum eorum devolvendum. Accidit poſt pauca dictum regem ex hauſtu veneni ſibi porrecti lethaliter infirmatum: ſed gratia Dei & medicorum conſiliis, mortem pro tunc evaſit, duobus foraminibus factis in utroque latere ejus, & uno inter duos digitos manus dextræ, per quod venenum effluebat, magiſtraliter ordinato. Unde licet pro tunc mortem non incurrerit, attamen omnibus diebus vitæ ſuæ propter atrociratem veneni in ipſa manu frigus patiebatur, fomentiſque etiam & chirothecis, in ipſo quoque ferventiſſimo æſtu * fruebatur; & licet ſciret veneni porrectorem, ipſum tamen numquam manifeſtare aut indicare curat, præcavens malum quod exinde potuiſſet oriri.

*forebatur.

Leod. expeditio adverſus inſignem prædonem Aquenſis territorii.

Eodem tempore quidam prædo, ex his qui vulgariter Rutheri nuncupantur, revera autem fures & latrones, habens manſionem ſuam in territorio Aquenſi, cum infeſtaſſet patriam Loſſenſem, capiens & ſpolians quos illic poſſet invenire incautos, dominus Leodienſis equitaturam magnam ſtrenuorum juvenum cum domino Razone de Jemeppia, ſeneſcalco ſuo, miſit ad demoliendam manſionem præfati prædonis. Qui tranſvadato Moſa impræmeditatum ipſum circumcluſerunt in domo ne poſſet evadere. Cum aliquantulum ſe viriliter defendiſſet, quidam adoleſcentes tranſito ſtagno, quod manſionem ipſam circumdederat, & ignem domui ſubſternentes, ipſum ad deditionem compulerunt, & in caſtro de *Muhalt* mancipaverunt carceri quouſque ſe pecunia redimeret.

Urban. papa v. Romam tradit.

Circa finem hujus anni Urbanus v. ſedulis Italorum precibus inflexus, relicta Avenione galeam paratam invenit in portu Maſſiliæ; quam ingreſſus, ſecundis ventis perfectus eſt ad urbem Romam. Ad quem viſendum cum magna devotione convenerunt illic duo imperatores, videlicet Romanorum & Græcorum, quia propter ſuæ ſanctitatis eminentiam habebatur quaſi ſemideus in terris. Hic papa Lateranenſem eccleſiam fere neglectam reſtauravit; abbatiam S. Benedicti in monte Caſſino reædificavit, & in brevi tempore in multis emendavit Italiam. Tota ejus intentio fuit eccleſias & ſtatum cleri reformare, beneficiorum pluralitatem reſtringere, dignioribus majora beneficia tribuere, & zelare juſtitiam ac proſequi ubicumque poterat. Nuntios etiam miſit ad tractandum de pace in regnis Hungariæ & Siciliæ & cum Bernabove duce Mediolanenſi cum poteſtate monendi rebelles ut revocarent gravamina cleri. Huic papæ nuntiavit S. Birgitta devota domina de regno Sueciæ per Nicolaum comitem Nortlandiæ, quod ſi recederet a Roma, inſipienter faceret, & non perficeret iter ſuum. Quod ita contigit. Fertur quod Urbanum papam properantem verſus Romam comitabantur LX. galeæ magnæ cum plurimis aliis navigiis, adeo quod videbatur in mari quaſi una civitas magna. Ipſe autem papa fuit in una galea Anconitana mirabiliter & elegánter fabricata, quæ reputabatur ſingulariſſima inter ceteras galeas mundi. Permenſo mari, ſe fecit deponi ad civitatem Hoſtienſem.

Petrus rex Cypri, capta Alexandria, ab exercitu ſuo deſeritur.

Anno MCCCLXVII. Petrus rex Cypri Alexandriam metropolim Ægypti cepit, magnum opus & memorabile, noſtræque religionis amplificándæ fundamentum ingens, ſi quantum ad capiendam, tantum ad ſervandam urbem animum habuiſſet, qui ſibi certe non defuit, ut fama eſt, niſi quod exercitus ſequens eum, ex tranſalpinis gentibus maxime collectus, melior ſemper ad principia rerum quam ad exitus, illum in medio præclariſſimi operis deſeruiſſet. Namque pium regem non pietate, ſed cupiditate ſequebatur, & collectis ſpoliis voti compotes abierunt. Vicit ſanum conſilium avara barbaries, vicit vilis amor prædæ, vicit interrumpendæ paululum voluptatis metus. Virtus nuda & incomitata ſuccubuit; ita quod onuſti præda, ob quam ſolam venerant, religione ſimulata onerati autem obrutique abierunt, plenique dedecore, neglecto fidei negotio, quo neſcio an ullum glorioſius ab avorum memoria ſit cogitatum.

Urban. papa V. filium Carolo Franc. regi precibus impetrat.

Eo tempore Carolus rex Francorum, nimium mœſtus ſuper ſterilitate ſuæ uxoris, poſtulabat ab Urbano papa celebrari divortium inter eum & reginam, proſpiciens, ut aiebat, ſaluti regni. Quod cum vir ſanctus, nullis cauſis divortii ſubſtantibus præter ſterilitatem, omnimode facere recuſaret, rurſum miſit fratrem ſuum Philippum juniorem, humillimis & ſedulis precibus id ipſum requirens, adjungens, quod niſi exaudiretur ad votum, etiam nolente papa reginam a ſuo thoro repelleret. Cujus importunitati papa condeſcendens, tam clero quam populo Avenionis injunxit, ut intente Dominum deprecarentur, quatenus votum Francorum regis, ſi ſibi expediens foret, exaudire dignaretur. Ipſe etiam ſummus pontifex ob eamdem cauſam ad miſſam celebrandam ſe mox accinxit. Qua devote peracta, fratrem regis blande allocutus, remiſit ad fratrem, cum epiſtola continente hæc verba. » Carole « fili ſincere dilecte: Eo die quo uxorem tuam « deſponſaveras, omnem ei fidelitatem & amo- « rem integerrimum ſpopondiſti, & illa tibi, « ita quod nullo ſuccreſcente caſu, demta « cauſa fornicationis, disjungi poſſetis ab al- « terutro. Ea propter fili cariſſime, poſt hæc « uxorem tuam omni qua potes & debes affe- « ctione cordis amplectere, ei quæ juſta ſunt «

» exhibe, & carnis debitum, juxta Pauli apo-
» ſtoli monitum, exſolve. Deum time, eccle-
» ſiam ejuſque miniſtros venerare. Quod ſi fe-
» ceris, indubie tibi promitto, confiſus de mi-
» ſericordia Dei, quod infra ſpatium ſeptem
» menſium uxor tua filium concipiet, qui tuus
» erit ſucceſſor & heres. « Rex hac epiſtola cum ingenti gaudio & integra fide ſuſcepta, reginam deinceps obſequioſius quo poterat, & in ſinceritate & caritate tractavit, eiſque conjugali more convenientibus, poſt terminum præfixum, videlicet in feſto Greg. quod eſt XII. Martii, regina filium concepit juxta verbum viri Dei, quem quarta Decembris cum ingenti Francorum eſt enixa tripudio, qui ab omnibus regnicolis filius *Urbani* agnominabatur, & in baptiſmate Carolus dictus eſt, patrique ſucceſſit in regno, cum vix eſſet duodennis, dolentibus ſuper hac re fratribus, qui devolvendum ad ſe regnum Francorum ſine obſtaculo auſpicabantur. Verum homo proponit, Deus autem diſponit omnia in cœlo & in terra.

Epiſc. Leod. patriam Juliacenſem vaſtat.

Ea tempeſtate cum quidam nobilis Alemannus de terra Juliacenſi, cum turma prædonum villam de *Jalheal*, quæ ſita eſt in extremis finibus patriæ Leodienſis verſus Lymburgiam, invaſiſſet, & prædam magnam hominum ac jumentorum clara die inde detuliſſet, indignatus ſuper hac re non immerito Leodienſis epiſcopus, ſociatis ſibi multis equitibus, terram ducis Guillelmi Juliacenſis fidenter ingreſſus eſt, quorum capitaneus tunc fuerat egregius miles dominus Lambertus de *Upeez*. Ducebat autem exercitum per loca ignota, ſilvas & invia dominus de *Gronſelt* & de *Ringelbert*. Cumque incendio tradidiſſent villam cui nomen *Aldenhoven*, cum aliis adjacentibus, abſente duce pedetentim ſequebantur a tergo recedentem exercitum aliquanti Juliacenſes. Cumque epiſcopus cum ſuis aliquantulum fugam ſimulaſſet, volens hoſtes e finibus ſuis ſagaciter educere, poſt modicum regyrantes ad hoſtes magnam ex eis fecerunt ſtragem, & plurimos ex eis abduxerunt captivos in ultionem ſanguinis innoxii quem illi prius effuderant, & prædæ quam dudum abegerant ſine cauſa.

Iiſdem etiam diebus peſtis epidimiæ inceſſanter Europæ partes afflixit, præſertim in Germania inferiore trans-Rhenum, erumpentibus quibuſdam puſtulis ſive veſiculis per corpora humana, unde poſt triduum multi moriebantur. Sed & ipſe Carolus hac peſte lethaliter percuſſus eſt: ſed conſilio phyſicorum, auxiliante Deo, pro tunc mortem evaſit. Bohemi tamen ſui graviſſime peſte prædicta minuebantur. Vinorum & bladorum magna erat hoc anno copia: verum herbæ terræ, caules, petrocilinum, olera & hujuſmodi terræ naſcentia inſipidum quemdam guſtum habebant, & omnia pene fetida fuerunt quæ gignebantur in terra.

Comes Flandriæ prædones terram ſuam devaſtantes Leod. ope delet.

Anno Domini MCCCLXVIII. ingens turma prædonum armatorum ſuccrevit in Francia, quæ Normanniam & Britanniam graviter afflixit, ſpoliavit & conflagravit. Quæ quidem rabies prædonum etiam uſque in partes Hanoniæ deſcenderat, & obſedit portas dicti oppidi *Avennes*. Quod cum expugnare non poſſet, rediit cum furore, diffidans Hannoniam, Flandriam & confines regiones. Abeuntes autem invaſerunt comitatum Flandriæ & Arteſii, depopulantes villas & agros. At comes Flandriæ rogavit Leodienſem epiſcopum, ut pro expugnatione perverſæ nationis illius, armatos illi tranſmitteret ſtipendiarios Leodienſes & Haſbanienſes, in quorum roboré & audacia multum confidebat. Qui in præſenti comiti obaudiens, cuneum fortium virorum illi miſit, quibus capitaneum præfecit dominum Valerannum *de Borne*. De quorum adventu gaviſus & animatus dictus comes, prædones invaſit certamine gravi, ipſoſque proſtravit & uſque ad internecionem fere delevit, reliquos in fugam verſos uſque ad vallem Sueſſionis perſecutus eſt. De prædâ autem prædonum onuſti Leodienſes, & a comite muneribus & propinis honorati, cum omni tripudio regreſſi ſunt ad ſolum nativum.

Bocacius floret, ejus opera.

Floruit eo tempore in Italia & Sicilia præcellens hiſtoricus & poëta Johannes cognomento Bocacius de Certaldo Florentinus, qui hiſtoriam Griſeldis patientiſſimæ feminæ primo deſcripſit in vulgari Lombardico: quam tranſtulit Petrus Petrarcha poſtmodum ad idioma Latinum. Scripſit & librum virorum illuſtrium, ſed & alterum de claris mulieribus ad Andream comitiſſam Altævillæ; ſed & librum grandem de genealogia deorum ſcripſit ad preces Hugonis Cypri, & alia hujuſmodi opera, quæ mirandam ingenii ſui pandunt perſpicaciam & acumen.

Pulli gallinacei faciem humanam habentes.

Inſuper eodem anno menſe Septembri, apud Pragam metropolim Bohemiæ, gallina una ex ovis tredecim excubavit pullos quatuordecim, quorum duo de eadem teſta progreſſi, facies habebant humanas, unus maſculinam, alter femellæ faciem repræſentabat, cum omnibus lineamentis & membris ad decorem vultus requiſitis, videlicet oculis, naſo, fronte, palpebris deſtitibus, &c. Capillos inſuper habebant flavos & criſpos, unde plerique conſternati, metuebant monſtruoſa illa portenta præſagire perniciem aliquam ſuæ regioni ſuperventuram. Verum naturales philoſophi qui tunc aderant, cuncta hæc naturalia & curſui naturæ non obſiſtentia putabant, eo quod interdum in teſta una duo reperiuntur vitelli, de quibus poſſunt duo pulli procreari. Sed & ſimilia monſtra apud pleraſque gentes ſatis ſunt uſitata, præſertim in India majore, Æthiopia, & locis Aſiaticis. Pulli autem ſupradicti ad ma-

turum ævum pervenientes, ſpernentes hominum ſocietatem, contra morem ceterorum ad ſilvas & nemora ſtatim cum alas haberent perfectas, avolabant, nec ad nutricis domum redire curabant, & uſque hodie quos pullorum diximus ſoboles famatur adhuc a viatoribus quandoque videri in ſilvis ſupradictis.

Monaſterium S. Jacobi gravi deſolatur incendio.

Anno MCCCLXIX. ex arula carbonum negligenter relicta ſuper cælaturam refectorii S. Jacobi Leodienſis per operarios, qui plumbum liquefacere volebant, ignis egreſſus in vigilia Aſcenſionis Dominicæ combuſſit refectorium pulcherrimum necnon abbatialem manſionem, locum raſuræ & partem dormitorii, damna maxima inferens religioſis illic domino militantibus, quorum quidem damna æſtimata ſunt ad quatuor millia florenorum.

De quodam homine ſylveſtri viſo Jeroſolymis.

Eo tempore in urbe Jeruſalem viſus quidam homo ſylveſter, totus piloſus, quod genus hominum nonnulli nuncupant Satyros & Faunos. Hic nullam proferebat linguam intelligibilem, ſed porcino more grunniebat, libentiſſime poma & pira & cetera legumina quæ jactabantur edebat, eratque maximæ agilitatis & levitatis, ita ut in terra ſedens ſine quovis adminiculo ſaltaret leviſſime ſuper tectum vel murum altitudinis duarum aut trium virgatarum, vel XII. cubitorum, & more cattorum ambulabat per tecta domorum, ſuper ea pauſare ſolebat, ubi alter hærere nequaquam poſſet vel manibus repere. Hoc monſtruoſum portentum a multis longo tempore viſum eſt, & ſicut venerat, ſic & poſt pauca receſſit.

Hoc anno quædam mulieres giganteæ ſtaturæ venerunt de Pannonia ad partes Germaniæ, quæ ad inſtar flagellatorum, de quibus ante mentio habita eſt, veſtibus ſe exſpoliabant, & ſe mutuo cum virgis & flagris acutis percutiebant, cantantes etiam more ſuo cantilenas quaſdam devotas: ſed non diu regnavit hoc genus fœminarum. Nam poſt paululum apud Saxoniam delectæ ſunt & diſperſæ.

Milites divinitus erepti e diſcrimine duelli.

Eo tempore XII. die Octobris apud Franckfordiam duo milites ſtrenui & fortes, quorum unus dictus eſt Zierkinus de Vola, alter Adulphus *Hanche*, quæ duas habebant uxores ſorores, dum poſt mortem ſoceri ſui in partitione facultatum concordari non poſſent, ad monomachiam ſive duellum manuale de communi ſententia ſe provocaverunt. Placuit vero res rectori oppidi ſupradicti, & dies præfixa qua duellare debebant. Qua luceſcente, cum ambo more ſolito in hujuſmodi locum certaminis intraſſent, uxores amborum militum, matronæ devotæ, dolentes ſuper hac re, precibus inſtantiſſimis oraverunt Dominum, ut corda maritorum ſuorum ad concordiam & pacem converteret. Confeſtim ex gratia divina interim emollita ſunt militum corda, ut contra omnium opinionem ambo de dextrariis deſcenderent & ſe invicem complecterentur cum lacrymis, & proclamarent: Frater victum me fateor. Cum ſic confœderati & pacificati ſe mutuo benigne alloquerentur, rector oppidi ſuper his indignatus, exclamavit non eſſe de lege duelli ut ambo abſcederent illæſi, niſi unus eorum qui ſe victum recognoſceret, culpam ſuam fateretur, & capitalem ſubiret ſententiam, juravitque Deum cœli, quod numquam comederet, niſi unus ex eis, qui victus foret, moreretur. Mox unus Zierkinus ait: Ego victus ſum, ego mori non refugio. At Adulphus, ſubjunxit; Non tu, ſed ego victum me fateor, & mortem libenter complectar. Statim divina facta eſt ultio ſuper rectorem virum ſanguinolentum & iniquum. Nam juxta verbum quod protulit, numquam poſt hæc comedit, ſed cadens reſupinus, mox expiravit. At pugiles illi Dominum benedixerunt cum ſuis uxoribus ſuper omnibus mirabilibus quæ facta ſunt in die illa.

Urbanus V. moritur.

Anno MCCCLXX. Urbanus V. per informationem ſuorum cardinalium a Româ venit in Avenionem, ubi ſtatim gravi preſſus ægritudine decidit in lectum, & ait: Merito hoc patior, quia reliquimus ſedem patrum noſtrorum; ſicque deceſſit a ſæculo decima quinta Decembris. Cujus corpus eſt ſepultum in monaſterio S. Victoris Maſſilienſis, ubi primo fuit abbas, & poſt mortem multis claruit ſignis & miraculis. Vacavitque ſedes diebus quindecim.

Succedit Gregorius XI.

Poſtea cardinales in ſummum pontificem elegerunt Gregorium XI. natione Lemovicenſem, qui fuit nepos domini Petri Rogerii, qui dictus eſt Clemens VI. vir quidem debilis complexionis & frequenter languidus. Hic, ut famabatur, erat incorruptus carne: ſed ſatis carnaliter afficiebatur erga propinquos ſuos, quos plus debito fovit, & ad dignitates magnas promovit. Hic Gregorius ſedem papalem tranſtulit ab Avenione in urbem Romam, reclamantibus aliquantis ex cœtu cardinalium. Contra hunc rebellabant Florentini propter quemdam cardinalem ad eos miſſum, qui ſatis inhumane & ferociter tyranniſans, tallias & exactiones inſolitas ab eis exigebat, & alia multa, quæ moleſte ferebant, eis inferebat. Quorum exemplum ſecutæ ceteræ civitates Tuſciæ & Italiæ, quæ fuerant de patrimonio B. Petri, ab ejus obedientia & dominio ſe ſubtraxerunt. Tempore hujus plurá ſancta opera quæ prædeceſſor ejus fecerat, per ſuam mollitiem & negligentiam in ſtatum priſtinum ſunt commutata. Anno ſui pontificatus primo, ſabbato poſt Pentecoſten, creavit duodecim cardinales, quorum quinque erant de ſua domo. Sedit annis VIII. menſibus duobus & diebus XXVIII.

Iiſdem diebus in territorio Moguntinenſi

De puero biformi nato in territorio Mogũtinenſi.

quædam matrona plebeia filium peperit duplicem, id eſt habentem duo capita a ſe invicem ſatis longe ſeparata, naſos duos, frontes duos, & cetera omnia membra duplicata. Et quam cito prodiſſet in lucem infans cœpit loqui & proferre verba Hebræa, dicens pro primo: Avete omnes viri & feminæ, & petens baptiſmum, duo ſibi nomina imponi voluit, ſcilicet Johannes, Laurentius. Æſtimo biformem hunc puerum diviſionem vel ſchiſma quod ſtatim ſupervenit in eccleſia præſagiſſe. Hic, inquam, puer ex ore ſiniſtræ partis ſexties aut pluries in die cibum & alimenta ſumebat, a parte dextra dumtaxat bis in die, & tantæ fuit fortitudinis & roboris in ætate trium annorum, ſicut alii duodennes. Vixit autem uſque ad initium ſchiſmatis quod cœpit pullulare in anno LXXVIII.

Buſones immenſæ magnitudinis in media regione aëris producti.

*In Hungaria coruſcationes imbribus intermixtæ multis perniciem præbuere. Sed & cum nimbis pluvialibus buſones immenſæ multitudinis, in media regione aëris producti, ceciderunt in agris uſque ad ſpiſſitudinem duorum pedum, horrorem maximum non immerito pleriſque incutientes: Verum peſtis hæc volente Deo poſt triduum de medio ſublata eſt, omnibus ipſo tempore morientibus vermibus illis. Sed & apud Maguntiam infinitæ ranæ cum pluviis deſcenderunt, quæ cooperuerunt ſuperficiem terræ. In aliis quibuſdam regionibus Auſtriæ & Bohemiæ diverſarum ſpecierum & modorum beſtiæ, vermeſque de cœlo lapſæ ſunt, & præſertim apud Metas metropolim Lotharingiæ, de nubibus ſanguiſugæ viſæ ſunt corruiſſe.

Et ranæ infinitæ apud Maguntiam, &c.

Inſigne miraculũ B. M. V.

Eo tempore apud Biliſiam oppidum comitatus Loſſenſis, duo meſſores in agro fruges ſecabant, quorum poſtremus incaute progreſſus cum falce quam vibraverat, crus comparis ſui uſque ad os tibiæ enormiter vulneravit. Quo ille vulnere ſuſcepto, corruit in terram tanquam exanimis, & in oppidum amminiculo ſuorum deportatur. Itaque tota nocte illa is qui vulnus invitus inflixerat, vir bonus & devotus, Virginem Mariam Deigenitricem humiliter flagitavit; ut ſocium ſuum, quem incaute læſerat, curaret, & ſe ab imminente periculo liberaret, promittens ſe delaturum imagini B. Deigenitricis, quam omnis populus veneratur Leodii in clauſtro B. Lamberti martyris, cereum ſeu torticium penſi decem librarum ceræ. Cujus preces ex alto Dei genitrix exaudiens, hominem vulneratum perfecte curavit, ipſo tamen ignorante. Cumque die craſtina chirurgus evocatus ligaturas deponeret, invenit eum perfecte ſanatum a læſura. Omnes itaque in communi Deum & ſanctam Dei genitricem laudantes confitebantur Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

Nota quod hic Gregorius papa XI. cum promoveret ad cardinalatum Petrum de Luna, qui poſtea ſe fecit appellari Benedictum XIII. dixit ei: Caveas ne tua luna patiatur eclipſim, audientibus cunctis qui aſtabant, & notantibus verba hæc, quæ poſtmodum impleta fuerunt. Audierat ſiquidem multiplicia eſſe diverſoria & ſemitas animi Petri de Luna ſophiſticis verbis & fallacibus imbuti.

De Petro de Luna.

Anno MCCCLXXI cum Wilhelmus dux Juliaci, Wenceſlao duci Brabantiæ, deſpectum quemdam intuliſſet, ille offenſus contra Juliacenſem, expeditionem parat multorum proborum & nobilium virorum de diverſis partibus accerſitorum. Fuere ſiquidem in ejus exercitu comes S. Pauli princeps nobilis, & in armis ſtrenuiſſimus, necnon infiniti militares de Brabantiæ, Limburgiæ, *Lutzenborch* ducatibus, cum ſuis plebeis conglobati. Sed & Robertus ac Ludovicus fratres comitis Namurcenſis cum domino Lamberto de * *Upey* mareſcalco patriæ Leodienſis in ſuffragium ducis convenerunt. Porro in auxilium ducis Juliacenſis vocati ſunt Eduardus dux Gelriæ, cujus ſoror conthoralis ejus erat, comes de Monte & alii electiſſimi viri citra & trans-Rhenum commorantes Alemanni. His itaque congregatis apud *Baeſvvilre*, inter Juliacum & Ruremundam die XXII. menſis Auguſti. Wenceſlaus dux nimis propere feſtinans in negotio, cum nondum veniſſent ſagittarii & arcubaliſtarii, quos expectare debebat, & qui in fronte certaminis gradi debebant, animo imperterrito & inconcuſſa fronte ducem Juliacenſem invaſit primæ acici præfectum, quem primo impetu cum ſuis fugam inire coëgit, multis de ſua parte nobilibus interemtis. Sed & idem dux Juliaci ſe captivum reddidit domino Wilhelmo de Hamalia, die præfixo promittens ſe ad certum locum comparituram, quem tamen ipſo die, fortuna male cedente, perſonaliter ob eam cauſam juſſit occidi. At dux Gelriæ conſiderans Juliacenſem cum ſua acie terga vertiſſe, mox cum reſidua parte exercitus ad inſtar leonis rugientis ad eſcam, irruit in Brabantiones, qui poſt validam defenſionem laſſi facti, tandem victi ſunt: præſertim cum dux Juliaci pridem fugatus, reſarcitis agminibus in hoſtes acerrime pugnans rediret, eoſque incautos a latere feriret & a tergo. Cecidit in hoc certamine inclytus comes ſancti Pauli. Wenceſlaus dux, vir magni & tumidi cordis, nolens ſuis relictis aufugere, cum tamen potuiſſet, oblato ſibi dextrario velociſſimo, per ſatellitem illic captus eſt cum ſuis baronibus & militaribus viris in numero copioſo. Verum Robertus & Ludovicus de Namurco fratres, cum domino Lamberto mareſcalco patriæ Leodienſis, nihil memoria dignum illic agentes, abſque vulnere vel læſura confeſtim ſe captivos reddiderunt, in perpetuam eorum

Bellum inter ducem Brabantiæ & duces Juliac. & Geldrenſ.

* vel ut ſupra de Upey.

Capitur Wenceſlaus dux Brabantiæ.

Statimque dux Gelriæ occiditur.

ignominiam & dedecus æternum. Cum autem Brabantiæ dux captivus abduceretur, quidam ex collateralibus ſuis ſagittarius Bruxelienſis, habens arcum clam in manica artificioſe cum cordulis complicatum, & videns ducem Gelriæ levata galea cauſa refrigerii parumper denudatum, in vultu, annuente ſibi Wenceſlao, aptata ſagitta, ipſum in fronte percuſſit telo mortifero: qui poſt triduum ex ſuſcepto vulnere interiit, & pro poſſeſſione ſui ducatus graves ſuccreverunt ſimultates & guerræ, in perniciem magnam totius provinciæ. Dux Juliaci graviter turbatus ex morte ſororii, Wenceſlaum ducem apud * *Nydken* caſtrum ſuum fortiſſimum in carcere accurato recludi fecit, in quo per annum permanſit mente ſatis hilari & inconcuſſa. Ceteros autem concaptivos, datis pecuniis immenſis, redimi fecit, & caſtra multa, præſertim in ducatu Lutzenborgenſi eis impignoravit, quorum aliqua uſque in præſens non ſunt redemta.

* Nydecke.

Wenceſlai magnanimitas.

Ut autem ducis hujus Wenceſlai magnificus animus oſtendatur, iſtud ſubnectam, quod ex veredicorum relatione didici. Eo enim in captivitate adhuc immorante, duciſſa Johanna ejus conjux quadam die per hiraldum ſive hiſtrionem tunicam novam pretioſiſſimam ſibi tranſmiſit, quæ tam artificioſe ac decenter erat aptata, ſive complicata, ut propter immenſitatem auri intertexti tunica ipſa ſine quovis ſuſtentaculo mutuato ſtaret erecta, & nil præter aurum videri poſſet ab extra, non pannus aut ars ulla textrina. Porro Wilhelmus dux præveniens nuntium, interrogavit quid illic deferret. Tunicam, ait ille, defero domino meo, quam ſuæ ſerenitati tranſmittit inclyta Brabantiæ duciſſa. Dux mirabunde tunicam contemplans, & opus in cœlum extollens, eam explicavit & induit. Quam ſtatim replicans, ut aptius potuit, reſtituit hiſtrioni. Ille tamquam nihil paſſus, tunicam domino ſuo præſentat; Wenceſlaus tunicam illam intuitus non debite vel apte plicatam, ſuſpicatus quod factum fuerat, Dic, inquit hiſtrioni, quis eam induit? Is rem non audens diffiteri, nemo, ait, vivens præter ducem Juliaci. Indignatus magnificus vir, numquam, inquit, deferam veſtes ducis vetuſtas, vel quas ille prius induit, non enim decent hæc regiam meam parentelam. Dein ad hiſtrionem, tunicam hanc, ait, tibi propino pro munere xenii, fac de ea quod libuerit. At ille regratians liberalitati domini ſui, cum ſumma hilaritate cordis abſceſſit, divulgans per regiones, quæ ſibi fortuna, Domino volente, proveniſſet.

Primogenitus regis Angliæ decedit.

Eodem anno princeps Gualiæ primogenitus regis Anglorum, elephantino morbo, qui & lepra vulgariter nuncupatur, Deo vindice percuſſus eſt, cui parum ſupervixit dux Lancaſtriæ moriens abſque herede. Cujus ducatum rex Eduardus filio ſuo Johanni de Gandavo contulit in poſſeſſionem hereditariam, de cujus femore procreatus eſt Heinricus primo dux Lancaſtriæ, poſtea rex Anglorum, qui Richardum regem, filium patrui ſui, per potentiam & applauſum regnicolarum comprehenſum & incarceratum deinde trucidari fecit.

Wenceſlaus dux Brabant. e carcere ſolvitur.

Anno MCCCLXXII. Carolus imperator audiens & dolens fratrem ſuum Wenceſlaum a duce Juliacenſi captivum detineri, ad eum liberandum cum ingenti nobilium virorum apparatu venit Aquiſgrani. Fuere ſiquidem tunc una die in urbe prædicta magnates maximi congregati, videlicet ipſe imperator prælibatus cum domina Agnete conjuge ſua, filia Ludovici Bavari, quondam imperatoris. Archiepiſcopi Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis & Magdeburgenſis. Epiſcopi vero Leodienſis, Cameracenſis, Metenſis, Ultrajectenſis, Spirenſis, Curienſis, Monaſterienſis. Abbates Prumienſis, S. Cornelii Indenſis & Gladebacenſis. De principibus ſæcularibus imprimis Wenceſlaus filius imperatoris, poſtmodum ſuccedens patri in imperio. Duces Saxoniæ, Bavariæ, Heidelbergenſis; Wenceſlaus dux Brabantiæ frater imperatoris, Albertus dux in Bavaria gubernator Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ pro fratre furioſo. Hic erat frater imperatricis. Item Guillelmus dux Juliacenſis, dux Pulaniæ, marchio de Heiſſia, marchio Brandeborgenſis, marchio Moraviæ, comes Clevenſis, de *Spanehem*, de *Cathenellenboge*, de *Blankenhem*, de *Vianden* & alii barones & principes in numero copioſo. Illic Carolo imperatore regalibus inſigniis induto, Johannes de *Erkel* Leodienſis epiſcopus, perprius inflexus a duciſſa Brabantiæ, per medium ſexdecim millium ſcutatorum veterum, promiſit ſe Leodienſes ſuos educturum contra ducem Juliacenſem, in ultionem contumeliæ factæ duci Brabantiæ, ſi tamen imperatori complaceret. Cui regratians imperator, prius, inquit, attentandum eſt cum benevolentia & modeſtia, ſi ſic noſter germanus liber nobis remittatur; ſin autem, armis proſequendum negotium, in quo tuam aſſiſtentiam nobis multum accommodam ſcimus, & oblatam gratuite non refutamus. Confeſtim igitur advocato duce Juliacenſi, & precibus imperialibus favorabiliter annuente, Wenceſlaus mandatur & abſolvitur, & magno cum tripudio cunctorum fratrem imperatorem veneratur, ſtringit & amplexatur. Sedente tamen imperatore in throno regio magnifice perornato, circumſtantibus undique magnatibus, juxta ſui ſtatus congruentiam, Wenceſlaus dux Brabantiæ deſuper caput imperatoris enſem vibratum tenuit, affirmans ſibi hoc competere de jure præſcripto: contrarium tamen affirmabat quidam alter dux Taſſiliæ, cujus hoc eſſe proprium officium multi approbabant ex avorum ſuorum

lege vetuſta. Turbata igitur aliquantulum concione, concluſum eſt Wenceſlaum ducem enſem ferre debere quandocumque imperialis celſitudo citra Alpes foret conſtituta: ſi quando tranſalpinaret regia celſitudo, mox ad alium ducem legitime foret hæc devoluta poteſtas. His & multis aliis diſſentionibus Alemanniæ cum difficultate complanatis, Carolus imperator ad ſua rediit, Wenceſlaus autem dux ſuam Brabantiam repetivit.

Leodii moritur nobilis vir Johan. de *Mandevilhe.*

Eodem anno apud Leodium obiit quidam nobilis miles de villa S. Albani in Anglia generatus, vocabulo Johannes de *Mandevilhe*, aliter *Cum barba*, vir ſtrenuus in armis, multorum idiomatum peritus, & in arte medicinæ peroptime tritus. Hic in anno 22. natale ſolum deſerens, univerſas pene partes orbis peragravit, & multa quæ vel oculis vidit, vel auribus audivit, in unum libellum compilata reliquit ad notitiam poſterorum.

Seditio Leod. adverſus epiſc. invecta a civibus Tudinii.

Eodem anno cum dominus Ægidius dictus *Cabot* ballivus Tudinienſis, juramentum in ſolita forma facere recuſaſſet, ſerioſe tamen requiſitus a burgimagiſtris & oppidanis Tudinii, illi dictum militem ſuum officium exequi prohibebant; & nihilominus duo magiſtri, qui pro tempore regebant terram illam, videlicet Engelbertus de Turri, & Johannes de *Herchies*, ob cauſam ipſam venerunt Leodium, querelam deponentes gravem coram Leodienſi epiſcopo, eo quod ballivus ejuſdem juramentum conſuetum facere recuſaſſet. Illis autem ſatis aſpere loquentibus, epiſcopus manſuete volens procedere in negotio, diem tertiam illis præfixit, qua dictus ballivus indubie ſuum juramentum facere non omitteret. Quibus ex verbo contentatis ac redeuntibus, ſed ballivo in termino præfixo non comparente, cives ſe ſentientes illuſos, rurſum perturbantur, reverſiqueTudinienſium magiſtri Leodium, vulgus omne in ſui præſulis odium concitant, eo tunc apud urbem Aquenſem cum imperatoria majeſtate conſtituto. Fit nota præſuli Tudinienſium magiſtrorum practicatio, & turbatur non immerito præſul: in cujus favorem repedantibus, juxta Foſſenſe oppidum inſidiæ factæ ſunt a quodam Petro de *Thiens* cum ſuis complicibus, qui irruens ſuper incautos, Johannem de *Herchies*, unum ex magiſtris illis occidit, & alterum lethaliter vulneravit. Quid multis immoror? cadaver exanime reportatum ad civitatem, de vico ad vicum delatum civibus oſtentatur, & populus ob id in ſui præſulis odium animatur: conclamantibus plurimis ſimilia ſibi ſuiſque dictim imminere, ſi conniventibus oculis hæc diſſimulantur & concivium injuriæ non vindicentur, ac principum factionibus non obſiſtatur; civitas in dominum inſurgit, miles prædictus & homicidæ omnes proſcribuntur a patria; ſed & viri xxxiii. ad Tudinium miſſi ſunt, ut inveſtigent totius facti circumſtantias. Epiſcopus commotus ſupellectilem ſuam aſportans, a Leodio ſe abſentat. *(a)* Sed intermedio tempore per interventum domini Bertrandi de *Lyers* apud manſionem ſuam de *Caſtert* inter epiſcopum & patriam pax eſt reformata ſub certis conditionibus, *(b)* quas longum foret hic interſerere. Et præſertim in hoc concordarunt, quod officiati & judices epiſcopi, ſi reperti fuerint in ſuis officiis injurias, calumnias, extorſiones aliquas cuicumque inferre in præjudicium legis patriæ, poterunt & debebunt corrigi & puniri per viginti duos electos ſecundum exigentiam delicti: ita quod de cetero in caſtris patriæ poni debebunt caſtellani de patria Leodienſi oriundi, vel qui ſuas poſſeſſiones vel cognationes habent in eadem, ne forte per extraneos intromiſſos fraus patriæ poſſit pervenire. Ut ergo futuris temporibus hæc & ſimilia firma permanerent & inconvulſa, litteræ ſuper hac re confectæ ſunt multorum ſigillis roboratæ. Quibus peractis epiſcopus conquievit, & ad civitatem reverſus eſt.

[a] Compoſitio apud Caſtert.

[b]

Anno MCCCLXXIII. hi qui deputati fuerant ad corrigendos & caſtigandos officiatos Leodienſis epiſcopi, qui tranſactis temporibus contra jus & æquitatem plurimas pecunias extorſerant ab innocentibus, ſimul procedere cœperunt contra eos, qui ut officia vel gubernationes miniſteriorum acquirerent denariis & pecuniis, multos in ſui favorem pluries allexerunt. Quapropter aliquanti reperti culpabiles a civitate & patria, ſuis culpis exigentibus, ſunt banniti & proſcripti; aliquanti inſuper, qui falſa teſtimonia produxerunt, ſimilem paſſi ſunt pœnam: quorum nomina ne tædium generetur legentibus, hic interſerere non curavi, quamvis in vulgari ſint expreſſe deſcripta.

Leodienſes quoddam epiſc. officiales acquirentes.

Porro Wenceſlaus jam a captivitate ducis Juliacenſis laxatus, cum intellexiſſet dominum Johannem de *Erkel* recepiſſe ab uxore ſua duciſſa Johanna ſexdecim millia ſcutatorum veterum, *eo pacto ut Leodienſes* contra dictum Juliacenſem ducem educeret, nec tamen quicquam ex præmiſſis ad effectum perduxiſſet, modos & nodos cœpit intexere, quibus dictam ſummam ſcutorum poſſet rehabere. Audiens igitur Leodienſes contra ſuum pontificem inflammatos ob homicidium prætactum, perſonaliter venit Leodium, promittens civibus ſuccurſum ſuum & aſſiſtentiam contra dictum epiſcopum, explanans & propalans quomodo tantam ſummam pecuniarum a ſua conjuge duciſſa recepiſſet, & hac forma corruptus, patriam ad expugnationem Juliacenſium educere promiſiſſet. Quo facto detecto, mirati ſunt univerſi. Nihilominus cum jam inter eos &

Wenceſlaus dux Brabant. Leod. fruſtra tentat ab epiſcopo ſuo averterе.

(a) Trajectum ſe recepit.
(b) Has retulit Radulphus de Rivo apud Chapeavil. tom. 3. pag. 24.

ſuum pontificem pax fuerat reſarcita, nihil volebant contra eum novum attentare, ſed duci Brabantiæ de gratuita ſui ſervitii oblatione grates referentes immenſas, in hoc bene conſulti quieverunt. (a)

[a] Dux Juliaci Jeroſolymam profectus, a quibuſdam prædonibus capitur.

Circa eadem tempora Wilhelmus dux Juliaci feriatus a bello, iter Jeroſolymitanum aggreſſus eſt, quod ſe proſecuturum voverat eo tempore quo contra ducem Brabantiæ conflictum inire debebat. Quo in finibus Germaniæ ſuperioris proficiſcente, ſupervenere certi prædones, qui hodie *nobiles* nuncupantur, eumque comprehendentes, carceri vel cuſtodiæ curiali manciparunt. Quo audito, domini ordinis Theutonicorum, quibus in ſuccurſum præbendum contra Sarracenos idem dux profectus fuerat, graviter indignati, dictis Alemannis mandarunt confeſtim ut dictum ducem cruceſignatum, & in ſui ſubſidium venientem, liberum emitterent, alioquin eorum indignationem implacabiliter incurrerent & offenſam. Qui quidem detentores ducis his miſſivis exterriti, ducem ſalvum ad Pruſſiam tranſmiſerunt, & ad emendam condignam exſolvendam pro delicto ſe mox obtulerunt. Dux igitur abſolutus a vinculis cum præmiſſis dominis ordinis Theutonicorum, contra paganos in menſe Novembri profectus eſt, multa illic laudabilia ſuæ probitatis ſigna oſtentans, ſanuſque & ſoſpes ad propria remeavit.

Secta nigrorum.

Anno MCCCLXXIV. in partibus Germaniæ inferioris circa Rhenum, inimicus humani generis multorum hominum corpora pervadens, ad hoc impulit eoſdem, ut altiſonis vocibus clamantes, choriſare inciperent, & circulari more procedere, & poſt geſtus & ſaltus diverſimodos proni labebantur in terram; & niſi ſtatim funibus & mappis circa ventrem fortiſſime conſtricti fuiſſent, ex impetu tortionum ſuarum mox crepuiſſent. Hoc genus choriſatorum primo apparere cœpit in urbe Aquenſi, in ipſa dedicatione eccleſiæ; & deinde venientes Trajectum, ſubſequenter venerunt Leodium, ubi plurimis ex peſte infectis, tandem Dominus populo ſuo compatiens, per ſacerdotes multos infiniti ab hac illuſione diabolica, & præſertim in capella B. Mariæ Virginis curati ſunt, quæ ſita eſt in clauſtro cathedralis eccleſiæ Leodienſis. Hi præſertim exoſos habebant eos qui veſtes rubeas deferebant & calceos roſtratos, in tantum ut etiam prohibiti ſint ſutores hujuſmodi calceos cum roſtris amodo facere in civitate. Dubitabant imprimis aliqui, cum peſtis hæc cœpiſſet oriri, utrum hæc paſſio ſolummodo corporalis eſſet, ſimilis phræneſi, vel epilentiæ aut ſimili morbo, cui beneficio medicinæ poſſet ſubveniri. Verum ſucceſſu temporis liquido claruit diabolicam hanc plagam fuiſſe. Ubicumque ſiquidem illi ſubintrabant, eccleſias & ſuis inconditis clamoribus officium divinum perturbabant. Eapropter apud Leodium celebratæ ſunt miſſæ ſpeciales, & proceſſiones ſolemnes, necnon & ſermones ad populum, inſuper & per ſimplices & parum litteratos ſacerdotes ac capellanos, per exorciſmos & lectiones evangeliorum multa dæmonia Leodii ſunt ejecta, & ab aliis regionibus illuc advehebantur hiſdem paſſionibus vexati, & ſanabantur continuo.

Eodem anno menſe Januario Moſa fluvius nimis inundans & tranſgrediens terminos conſuetos, occupavit vicos & plateas civitatis, ita quod navicula ducebatur per eccleſiam S. Pauli, & oportebat homines aliquanto tempore in ſuis ſolariis demorari; & uſque in præſens tempus hujus diluvii monſtrantur indicia præ rei novitate.

Erkelius a duumviris vocatur in judicium.

Eodem quoque anno XXII. judices, qui, ut præfertur, deputati fuerant ad reprimendos & corrigendos exceſſus & enormitates officiatorum principis terræ, nimis extendentes auctoritatem ſibi commiſſam, contra ipſum quoque dominum & epiſcopum ſuum, a quo ſua procedebat poteſtas, procedere cœperunt, ſuborta occaſione quam ſubtexam. Apud oppidum S. Trudonis erat quidam civis dives admodum vocabulo Hermannus *Viſſeleer* arrogans ſatis & opinioſus. Hic propter crimen quod admiſerat, compulſus eſt exſolvere domino Leodienſi ſummam mille ſeptingentorum aureorum. Sed ne crimen in publicum prodiret, & commodius celaretur, datæ ſunt ei litteræ continentes hanc formam. De crimine quo Hermannus apud nos accuſatus eſt, ipſum innoxium invenimus, & injuſte accuſatum & inculpabilem fore: cum tantum ſcribi debuiſſet; eum de crimine commiſſo abſolutum, non penitus innoxium. Hac littera roboratus dictus Hermannus, coram viginti duobus querelam gravem depoſuit, aſſerens ſe injuſte moleſtatum eſſe ab epiſcopo, & ſine culpa condemnatum ad ingentem pecuniæ ſummam, ut litteræ tenor indicabat. Unde non immerito poſtulabat pecuniam extortam ſibi per epiſcopum reſtitui debere, juxta auctoritatem noviſſime viginti duobus traditam. Auditis his querelis dicti viginti duo ſuum dominum & principem ad reſtitutionem pecuniæ præmiſſæ ſententialiter condemnarunt, reclamantem ſemper & aſſerentem, ſe a ſuis ſubditis non debere aut poſſe quovis modo judicari, vel ad mulctam quamcumque condemnari, ſed nec umquam a mente ſua proceſſiſſe ut dicti judices in ſuam perſonam aut clerum ejus ullam haberent judicandi poteſtatem. Hæc eſt, inquit, gloria mea, quam alteri non dabo. Illis tamen in ſententia perſiſtentibus, & vulgarium partem maximam in ſuam opinionem deflectentibus, videns epiſcopus ſe

Et condemnatur.

(a) Contra Radulphus de Rivo ſcribit dominum Wenceſlaum Leodium de pace tractaſſe cum domino de *Agimont* moxque ea infecta receſſiſſe. Major fides noſtro auctori.

incassum niti, rursus a civitate se absentat, & curiam suam spiritualem partim in Namurcum, partim transfert in Trajectum, ut saltem hoc medio mentes obstinatorum possent emolliri & ad saniorem opinionem reflecti.

Re delata ad papam patria Leod interdicto subjicitur.

Anno MCCCLXXV. cernens dominus Johannes de *Erkel* Leodiensis episcopus prædictos viginti duos judices nolle revocare sententiam quam in suam personam fulminaverant, (a) nuntios misit in Avenione ad dominum Gregorium papam XI. querulose denudans injurias & molestias quas a quibusdam sibi subjectis sustinebat. A quo tandem impetrat, ut nisi prædicti viginti duo sententiam latam revocarent & a cœptis resipiscerent, confestim civitas & patria tota subjaceret interdicto, & organa ecclesiastica mox suspenderentur. Causa autem commissa est cardinali Florentino, qui causam episcopi nimis favorabiliter promovit, & contra plebem Leodii satis acerbe processit. Fulminato tum interdicto, domini majoris ecclesiæ intimaverunt civibus, ne moleste ferrent quod sua organa suspenderent, & a cantando cessarent, ad quod necessitas eos papalis urgeret. Quinimmo consulebant eis quod statim ad eamdem sedem apostolicam melius informandam appellarent a sententia lata, & aliquos viros probos una cum suis legatis ad papam destinarent, si forte hoc medio summus pontifex sententiam interdicti relaxaret, & sui præsulis contumacia ceteræque enormitates perpetratæ collegio dominorum cardinalium innotescerent; sicque factum est, & pro patriæ defensione factus est mamburnus Walterus de Rupesorti dominus temporalis de *Hanneff*. Igitur ad Avenionem missi pro parte capituli magistri Wilhelmus *Boileavve* & Philippus Valcrannus; pro parte civium, dominus Johannes de *Bernalmont* & Johannes cognomento Grecillus, cum aliquantis aliis constanter accusare cœperunt sui præsulis arrogantiam, contumaciam, & alios excessus innumeros. Sed in alia parte cardinalium favente partem causamque Leodiensis episcopi, qui eos per prius diligenter fecit informari, nescio an excœcari, parum aut nihil illic profecerunt. Accusabat autem magistros præfatos quidam nobilis dictus Lambertus de *Fexhe* apud consistorium papale, eo quod anno transacto cives Leodienses mansionem suam apud *Aas* constitutam, violenter effregerant & penitus fucrant demoliti, repetens ab istis damna quæ pro tunc fuerat perpessus. Multis hinc inde diu satisque productis & allegatis, magistri civium de consilio suorum amicorum inopinate recesserunt ad propria, residuum cautæ committentes illis duobus, quos pro tractatu pacis capitulum Leodiense illuc destinarat.

Quæruntur vicissim Leodienses de episcopo suo.

[a]

(a) Scribit Radulphus de Rivo & post eum Fisenius Erkelium Avenionem ad Gregorium contendisse.

A Qui post multa obtinuerunt ut causa committeretur abbati S. Bavonis in Gandavo, cum potestate relaxandi interdictum & ab excommunicatione ipsos absolvendi.

De Gregorio XI.

Gregorius papa indixit celebrare vigiliam Nativitatis B. Mariæ Virginis in ecclesia Dei VII. Septembris. Idem papa condemnat & excommunicat Florentinos & Franciscum de Vico præfectum Urbis, & Baptistam ejus fratrem, propter rebellionem terrarum ecclesiæ, videlicet Perusii, Bononiæ, Romandiolæ, ducatus patrimonii & ceterarum quas isti Francisco procuraverant, usque ad septimam generationem. Carolus quartus imB perator per suas litteras regias dedit huic papæ pleniſſimam potestatem de terris, possessionibus, facultatibus Bernabovis & *Galeaz* vicecomitum Mediolanensium eorum complicum, quas aut nomine vicariatus imperialis aut alio quovis titulo detinebant, vel sibi vendicabant in vicariatum, suo imperiali nomine aliis concedendi usque ad decem annos ex tunc in antea.

De regno Arelatensi.

Item, prædictus imperator venit Parisius peregre, ubi de facto coronavit Carolum filium Caroli tertii puerum duodennem, in regem Arelatensem, ad decennium duntaxat. Et hæc est causa quare rex Francorum C postmodum consensit schismati sub Clemente suo septimo, ne scilicet papa Italicus hanc concessionem refrenaret aut revocaret. Idem etiam Carolus imperator approbat constitutionem Honorii tertii de libertate ecclesiarum & cleri, exprimens XI. hujusmodi libertates, cassans & irritans attentata in contrarium ultra pœnas indictas in Fredericum imperatorem, puniens communitates & banniens judices & infames proclamans, quæ lex Carolina usque hodie nuncupatur.

Mamburnus Leod. ecclesiam habet ratione interdicti.

Anno Domini MCCCLXXI. in sacra solemnitate natalis Domini, mamburnus patriæ D Leodiensis dominus Walterus de Rupesorti, residens in palatio Leodiensi velut princeps ac dominator terræ, contra fas & nefas, non obstante interdicto apostolico, fecit in sua præsentia missam celebrari, seu potius prophanari per quemdam dominum Nicolaum, deservitorem ecclesiæ Heristalli, astantibus domino Ægidio fratre mamburni, canonico Leodiensi, & de vulgaribus multitudine copiosa, ceteris tamen ecclesiis interdictum observantibus ad unguem & fortius quam ratio exposcebat.

Erkelius Eikam arcem munit.

Ipso tempore dominus Johannes de *Erkel* Leodiensis episcopus, cum sua curia apud E Trajectum residens, munire fecit castrum de *Eike*, contra insultum stipendiariorum, quos mamburnus illic locaverat, posito illic castellano, domino Johanne de *Jonchalt* viro potenti & bellicoso, unde nimium infensus est mamburnus suique fautores. Oppidani Hoyenses requisiti a mamburno, ut se ad obsidionem castri de *Eike* pararent, nimis exosum

exoſum habentes caſtrum de *Muhait*, ſuos burgimagiſtros ad dominum Hubertum de *Fanchon* militem caſtellanum miſerunt, requirentes ut claves caſtri in manus eorum traderet ſine mora, aut de quolibet miniſterio quatuor intromitteret, qui una ſecum caſtri cuſtodiam haberent. Alioquin aliquantos ex ſuis cognatis qui jam ob ſecuritatem rei comprehenſi fuerant, necarent; & ſi per violentiam contingeret in poſterum caſtrum expugnari, ſine dubio nec ſuis complicibus illam miſericordiam aut gratiam exhiberent quin mortem ſubirent. Multis igitur precibus vix obtentum eſt, ut negotium poneret in ſuſpenſo ad certos dies.

Abbas S. Bavonis de pace mactat inter epiſc. Leod. & cives.

Poſt hæc viceſima prima Februarii abbas S. Bavonis legatus ſedis apoſtolicæ tractaturus de pace inter dominum & ſuam patriam venit ad oppidum Tungrenſe, in quo comparentibus ambabus partibus & multis hinc inde ventilatis, præſertim circa ſigillationem litteræ aut pacis viginti duorum, finaliter nihil concludi potuit, affirmante epiſcopo, quod numquam ſuam civitatem intraret, quamdiu viginti tres epiſcopi dominarentur in eadem; mamburnum in hoc vero notans, & alios viginti duos electos, & ſic infecto negotio ſinguli redierunt. Rurſum mittuntur legati pacis ad Trajectum honorabiles viri milites & canonici, quibus benigne & favorabiliter reſpondit epiſcopus, quod pacem vel litteram viginti duorum nequaquam vellet infringere aut annullare, nec umquam id ſuo cordi inſederat. Verum ſe ad ſuam primariam juriſdictionem repoſito, juxta conditum plenarie ſe ſubmittere vellet dictamini & arbitrio proborum virorum hinc inde eligendorum, quibus poteſtas daretur & auctoritas ſtatuendi, addendi, minuendi, corrigendi & declarandi omnes & ſingulas clauſulas in ipſa littera contentas, quomodo & per quam formam ipſa pax de cetero foret exequenda & utenda; ſed & in aliis omnibus & ſingulis caſibus dictam controverſiam concernentibus, ipſis arbitris ſe vellet ſubmittere: dummodo tamen ſua ſpecialis juriſdictio, vel liberras cleri in hoc tractatu non enormiter læderetur, neque pendente tractatu dicti XXII. de ſuis officiis interim ſe intromitterent, aut quemquam ſententiarent. Satis placuit hæc reſponſio civibus. Verum mamburnus cernens hoc medio ſe ſuo privandum dominio, cum ſuis fautoribus cenſuit contradicendum oblatis. Prævaluit tamen aliquantiſper opinio prudentum, dicentium quod XXII. tenorem & metas ſuæ litteræ non excederent, quodque contra perſonam ſui domini & epiſcopi nil attentarent aut temere judicarent; nec de cauſis clericorum clericaliter viventium, cum illi ſuum haberent judicem ordinatum, ſe quomodolibet intromitterent. Quod ſi qui ex his bigami forent, aut negotiis ſæcularibus ſe quotidie intromiſcerent, in quo caſu non clerici, ſed laïci puri reputarentur & eſſent, licenter judicare poſſent eoſdem, & ſententias diffinitorias contra eoſdem fulminare.

Item alii nonnulli cū milites, tum canonici.

Interea apud Tudinium caſtrum comprehenſus eſt unus explorator, qui tormentis adactus, confeſſus eſt ſe ſumma ſedecim duplicium mutonum corruptum vel ſubornatum a domino Ægidio de *Chabot*, Roberto de *Erkel*, Johanne de *Ryneſtein* filio epiſcopi, militibus, necnon & Johanne de duabus villis armigero, ut ſuburbium caſtri Tudinienſis incenderet, & civibus ad extinguendum ignem confluentibus, illi ad ſubripiendum caſtrum accurrerent, & Gerardum fratrem mamburni in ipſo impetu necarent. Quo rumore ad aures vulgi Leodienſis perlato, decreto omnium concluſum eſt, manſionem domini Ægidii dicti *le Rattier* confeſtim debere vaſtari, domum etiam Johannis de duabus villis in *Havelangne* ſine mora ſubverti. Sicque factum eſt, & incentores mali per mamburnum & ſuos fautores perpetuis diebus a patria proſcribi, ſed poſtmodum pace proclamata, revocata eſt hæc ſententia.

Conſpiratio de comburendo ſuburbio Tudinii.

Hoyenſes Mohanam arcem obſident, & captam deſtruūt.

Eadem tempeſtate Hoyenſes caſtrum dictum *Muhalt* violenter cœperunt obſidere, & caſtellanum ejus fere ad deditionem compulerunt. Quo cognito, primores civitatis Leodienſis & aliquanti canonici majoris eccleſiæ illic accurrentes, feſtinanter illos reprimere moliebantur a cœptis, id cedere in præjudicium pacis jam inchoatæ tractari. Multis tandem precibus & ſuaſionibus vix obtentum eſt ut dominis capituli, tamquam træfundariis patriæ claves caſtri traderentur. Quibus intrantibus, Hoyenſes quoque violenter ingreſſi ſunt, multa illic pro libito gerentes quæ ratione carebant. His ita geſtis, duo canonici Leodienſes & milites duo una cum Johanne de Profundo rivo, viro perſpicaci, aliiſque nonnullis, condolentes deſolationi terræ, dominum Leodienſem humiliter hortati ſunt, rogantes ut viſis & ponderatis periculis caſtri de *Muhalt*, ad concordiam ſe dignaretur inclinare. Quo ſemper in ſua opinione perdurante, noviſſime rebus ſemper in deteriora labentibus, Hoyenſes caſtrum de *Muhalt* demoliti ſunt; quod factum multis diſplicuit prudentibus, quoniam ipſum erat maximum patriæ munimen contra inſultus Brabantinorum & Namurcenſium.

Tentat Viſtum Arkelius infeliciter.

Interim epiſcopus multos convocans ſtipendiarios ex Alemannia & Hollandia, transMoſam cœpit infeſtare patriam Leodienſem, & præſertim quodam mane Wiſetum oppidulum ſcalis & machinis, & oppugnatum; ſed concurrentibus ad arma his, qui illic pro defenſione ejus miſſi fuerant; Alemanni poſt durum conflictum, pluribus de ſuis trucida-

tis & aliquantis vulneratis, cum confusione ad Trajectum redierunt, episcopo quæ gesta fuerant nuntiantes. Timens enim episcopus obsideri in Trajecto, fecit comburi villam & parochiam S. Petri, quæ est in suburbio Trajectensi, ne forte hostes illic latibulum sibi pararent, in nocumentum oppidi.

Extorquetur tributum a clero.

Succrescentibus autem quotidie malis, tandem decima sexta Maii mamburnus suique commanipulares inter se habuerunt consilium, quod peterent ab ecclesiasticis viris subsidium, ad conducendos stipendiarios qui patriam contra proprium episcopum, suosque amicos possent defendere, siquidem nobiles patriæ mamburno, multa licet comminati, nolebant obedire. Clerus respondit, quod nec posset nec auderet in petitis consentire, quia pro hoc inciderent excommunicationem majorem, fierentque omnes de facto perjuri. Porro quidam dictus Henricus *Frerar* & Renerus de *Bierses* pro tunc burgimagistri, dixerunt clero, quod nonobstantibus his omnibus frivolis excusationibus, vellent nollent, ipsi ratam sibi impositam solvere cogerentur. Congregatis igitur secundo viris ecclesiasticis in capitulo S. Lamberti, decretum est uniformi consensu plebis, quod illic omnes tenerentur inclusi, quousque domini S. Lamberti eis quingentos duplices exsolverent, & quælibet alia secundariarum ecclesiarum ducentos. Quibus sic in arcto positis, domini cathedrales promiserunt ante solis occasum trecentos duplices se persolutos, ceteri quilibet centum, sicque abire permissi sunt ad propria. Usque ad diem illum non est auditum, quod in Leodio talis aut tam detestabilis clero, qui liberrimus illic esse solet, illata fuisset contumelia vel injuria. Sed cedendum est interdum furori multitudinis inconditæ. Coacti sunt ergo viri ecclesiastici, & etiam monachi juxta ratam & æstimationem suarum facultatum solvere quod exigebantur. Nam ab abbate S. Jacobi ducentos susceperunt, ab abbate Bellireditus centum, ab abbate S. Ægidii puto centum; cum autem ad monasterium S. Laurentii pervenerunt, nihil illic repererunt præter campanas. Multi quoque sua jocalia & monstrantias, in quibus corpus Domini deferebatur, vendere compulsi sunt usurariis.

Non multo post viri, quos in adjutorium suum episcopus Leodiensis advocaverat, Trajectum egressi villam de *Wack* & aliquantas alias circa Tungros combusserunt, rogante semper & præcipiente episcopo, ut non quanta possent damna suis subditis, licet obstinatis & rebellibus inferrent, sed ad terrorem ceterorum pejores tantum domos incenderent, præteritis melioribus. Insuper & villas de *Haccourt*, *Hallebay* & vicinas iidem armigeri similiter combusserunt, mamburno parum circa defensionem patriæ velut vecordi intento, sed ad talliationem ecclesiarum & incolarum terræ totis viribus incumbente; quamobrem grave murmur populi contra ipsum est suscitatum.

Pacem init cum suis Arcticis.

Tandem episcopus pertæsus de sumtibus stipendiariorum quos eum necessitas urgebat sustentare, condolens etiam vastationi terræ suæ & occisioni propriæ gentis, quam regendam suscepit & tuendam, per intermedium domini Valeranni de *Borne*, domini Bertrandi de *Liers*, & aliorum multorum honorabilium virorum apud Castris, domum quondam dicti Bertrandi, hanc formam pacis iniit irrefragabiliter servandam. Videlicet quod viginti duo judices contra personas ecclesiasticas, vel eorum facultates seu redditus mensæ episcopalis, non amplius judicarent, nec de his se intromitterent. Episcopus pro damnis sibi illatis sexdecim millia florenorum duplicium haberet; captivos omnes liberos emitteret, ac propriis expensis interdictum relaxari a sede apostolica procuraret. Nam auctoritas abbatis S. Bavonis de relaxando interdicto jam fuerat sopita. Porro de restitutione pecuniæ facienda Hermanno de *Wysseleer*, qui totius mali fuerat incentor & origo, nulla mentio facta est. Insuper & quatuor nobiles viri, qui nuper proscripti fuerant, videlicet dominus Ægidius *Chabot*, Robertus de *Erkel*, Johannes de *Rynerstein* & Johannes de *Dewilhe* de cetero possent ad patriam libere reverti sine omni impetitione criminis sibi impositi.

Et Leodium revertitur.

Hac pace sic proclamata, Johannes de *Erkel* Leodiensis episcopus, ad suam civitatem cum maximo omnium tripudio reversus est 19. Junii mensis, & eadem die legem fecit aperiri ad judicandum. Denique in festo S. Jacobi Majoris relaxatum est interdictum, & organa resumta per abbatem S. Bavonis, cui nova potestas a sede apostolica ad id prosequendum fuerat collata. Et sic deinceps inter episcopum & patriam pax firma perduravit, & remissæ sunt hinc inde offensæ, veniâ postulatâ, & partibus cum fletu reconciliatis.

Wenceslaus rex Romanorum.

Eodem anno sexta Julii Carolus imperator venit Aquisgrani cum multa comitiva nobilium, ubi filium Wenceslaum coronari fecit & inungi in regem Romanorum & Bohemorum, conniventibus & assistentibus electoribus imperii. Hic rex novus parum aut nihil boni fecit in regno, ut dicetur postea.

Gregorius papa Romam redit.

Eodem anno in mense Septembri Gregorius papa invitis cardinalibus, relicta Avenione, venit ad portum Massiliæ, ubi ingressus navim, prosperis ventis navigavit ad urbem Romam.

Leodii quædam juvencula noviter nupta cuidam civi dicto Ægidio *Surlet*, de sero cubitum vadens sospes, in crastino reperta est in lectulo suo strangulata. Quod crimen dum imponeretur marito, ille non territus, sponte se permisit comprehendi, juramentis terri-

bilibus asserens se hujus facti non fuisse conscium. Deinde ancilla comprehensa, necdum addicta tormentis, asseruit se dominam suam strangulasse. Cumque id non sufficisset judicibus, nocte illa tormentis applicata, nihil ab illa poterat extorqueri, mirantibus cunctis cur prius confessa fuerat quæ postea negabat. Illa pridem se fuisse unam ex dansatricibus affirmabat, & ab immundo spiritu diu fuisse possessam, quo instigante facinus fuerat confessa. Crevit igitur suspicio contra dictum Ægidium, unde ipse tormentis excruciatus, ancillam penitus asserebat innoxiam, sed ne suæ parentelæ infamiæ maculam generaret, dicebat se numquam ipsum facinus confessurum. Eadem nocte dictus Ægidius seipsum strangulavit in carcere. In crastino ex communi decreto vulgi, quamvis jam mortuus esset, distractus est per vicos civitatis usque ad locum patibuli, illicque rotatus. In quo hoc mirabile contigit, quod toto tempore quo distrahebatur, niger porcus inseparabiliter eum sequebatur, nec repelli potuit quousque ad locum judicii perveniſſet.

Eduardus rex Angl. moriens successorem designat Richardum nepotem suum.

Anno MCCCLXXVII. 22. die mensis Junii obiit Eduardus rex Anglorum postquam regnasset annis XLIX. & mensibus sex in manu potenti & brachio extento. Hic regnum Francorum, ut præmissum est, plus afflixit quam ullus vivens, & multis præliis Francos fudit, terminos eorum minuit, regem eorum captivavit, pecuniis & facultatibus eos spoliavit, Scotos & omnes vicinos reges tributarios fecit, & in omnibus victoriosus evasit. Hujus filius primogenitus, cui nomen Eduardus princeps Gualiæ, qui regem Francorum Johannem captivavit, & expeditiones multas contra Francos fecit, obiit satis juvenis, percussus lepra, quæ est Anglicorum communis plaga; relinquens filium Richardum nomine, pro quo pater lacrymosis oculis moriens supplicavit suo genitori, ut sine contradictione regnum possideret, quod sibi ratione primogenituræ debebatur; allegans quanta pro defensione paterni honoris & regni dilatatione sustinuerit contra Francos. Quem pater benigne confortans, promisit indubie se facturum quod rogabatur. Eduardus igitur moriens Richardum nepotem suum, memor promissi, regem post se designat, exclusis ceteris filiis suis, Johanne de Gandavo, Ludovico de Antuerpia, Thoma & Amando, &c. quorum primus filium generaverat, Henricum nomine, qui, sicut postea dicetur, nepotem suum Richardum cepit, & regnum usurpavit Anglorum, communitate sibi connivente.

Eudelius vitæ reliquum pie ducit.

Eodem anno Johannes de *Erkel* Leodiensis episcopus, volens residuum vitæ suæ in pace consummare, in suburbio Leodiensi, non longe a riparia Mosæ, cœpit ædificare mansionem juxta fratres Wilhelmitas, quam cum eleganter inchoasset, & plura egregia opera superaddere decrevisset, morte præventus non consummavit. Structuræ initium quod inchoaverat, adhuc apparet in eodem loco.

Initium schismatis.

Anno MCCCLXXVIII. mensis Martii die XXVII. Gregorius papa XI. Romæ de hac luce subtractus est & sepultus apud S. Mariam novam. Quo defuncto, officiales & rectores populi Romani cum aliquantis Italicis prælatis pluribus vicibus & horis suspectis, diversa consilia tenuerunt in capitulo urbis contra collegium cardinalium pro tunc Romæ constitutorum, quorum quatuor erant Italici, ceteri XII. Cisalpini. In quibus quidem tractatibus decretum & conclusum fuit per Romanos, ut cardinales compellerentur eligere papam Romanum vel Italicum, ut sic sedes apostolica de cetero in Italia remaneret. Statim ergo dicti rectores miserunt ad castella, pro sex millibus rusticorum, qui sunt de obedientia & comitatu Romano, & sub dominio Romano gubernantur. Hi sic, ut præfertur, vocati, Romam armati intrarunt, quotidie inconditis vocibus cardinales Gallicos irritantes, ac verbis injuriosis contra ipsos cachinnantes. Intromissis rusticis, mox omnes, qui pridem deputati fuerant ad custodiam portarum, pontium & exituum urbis Romanæ, amoti sunt, & novi custodes illic locati, ne quisquam de cardinalibus clam posset aufugere. Nec cuiquam de satellitibus cardinalium aut exterorum, qui non erant Italici, permissus est cultellos longos aut arma deferre, ut per hoc medium & omnis materia renitendi vel contradicendi cœptis Romanorum tolleretur. Post quæ rectores urbis jusserunt discedere a Roma omnes nobiliores ac notabiliores civitatis, nec quemquam illorum adesse permiserunt pro custodia conclavis, ut ad nutum suum cuncta disponerentur & succederent. Quæ cum omnia & singula cardinalibus innotuissent, illi congregati in ecclesia S. Spiritus infra urbem prope castrum S. Angeli, vocatis rectoribus & officialibus urbis, rogabant eos ut hujusmodi novitatibus & insolentiis abstinerent: sed absque impressione violenta vel tumultu seditioso permitterent eos novum papam eligere & creare. Quod illi cum juramento gravi se facturos pollicebantur. His ita gestis, cum cardinales convenissent ante palatium S. Petri, in quo erat conclave paratum; iterato rectores urbis cum multitudine maxima rusticorum & civium inconditis vocibus perstrepentes, requisierunt eosdem, ut sine retractatione papam Romanum aut Italicum eligerent, alioquin immineret eis scandalum maximum & damnum irreparabile. Porro eodem sero, quo cardinales pro eligendo papa conclave ingressi sunt, dum januæ clausæ fuissent, tredecim Romani, qui capita regionum vocab ntur,

cum multitudine armatorum contra voluntatem custodum conclavis januas etiringentes, violenter sunt ingressi, requirentes inclusos ut papam Romanum vel Italicum nominarent, alioquin corda populi sic erant sublevata, quod non evaderent periculum personarum. Quibus sic egredientibus conclave, Romani qui circumdederant palatium more suo clamare cœperunt cum insultu magno, velut canes rabidi, & lapides super tecta palatii ad terrorem inclusorum indesinenter jactaverunt. Dein effractis foribus & parietibus conclavis cum instrumentis ferreis, irruerunt super cardinales ensibus evaginatis clamantes in suo vulgari: *Par la bodella de Dio vo moriere, o faretti papa Romano.* In quo tumultu dicti cardinales nominarunt Bartholomæum de Prinhano Neapolitanum, pro tunc archiepiscopum Barrensem. Asserunt quidam, quod cardinales volentes populum sedare, primo dixerunt eis: Ecce recipiatis dominum cardinalem S. Petri; qui putantes eum sinceriter electum, exhibuerunt ei reverentiam, petentes ab eo benedictionem; qui renitens clamabat voce magna & ait: Vos estis gens mala, ego nec sum nec volo esse papa; & sic tandem videntes se illusos quieverunt, donec postmodum audiissent designatum archiepiscopum Barrensem. Igitur hac nominatione facta, cardinales omnes latenter e conclavi fugerunt; quidam in suis domibus abscondebantur, aliqui extra urbem, aliqui in castro S. Angeli fugerunt, Bartholomæum solum cum suis Romanis relinquentes, absque solemnitate quacumque in his fieri consueta. Itaque sic dispersis cardinalibus, Bartholomæus in crastino perpendens quod nullus ex cardinalibus mansisset cum eo, dixit rectoribus urbis: Ecce vos fecistis me, isti cardinales contemnunt venire ad me, nisi ergo veniant & obediant mihi, nihil actum est. His auditis rectores urbis miserunt ad cardinales qui in suis hospitiis latuerant, ut ad suum papam venirent, & ei obedientiam præstarent, & consuetas solemnitates ei facerent, alias simili vel majori periculo subjacerent, quo pridie. Idem mandatum missum est ceteris sex in castro S. Angeli conclusis, qui singuli metu corporis inducti, qui potest cadere in constantem vitum, non audentes reluctari, cuncta ad ordinationem & creationem papalem requisita facere processerunt. Nam in die cœnæ Domini processionaliter cum eo a sancto Petro usque ad Lateranum processerunt; & tandem in ipsa sacra paschali solemnitate, post sacra missarum solemnia coronaverunt, & Urbanum VI. appellaverunt, beneficia & rotulos pro se & suis amicis ab eo impetrarunt. Cardinalis Gebennensis Hostiensem episcopatum ab eo postulavit & accepit. Litteras etiam pro eo ad reges, prælatos & principes Christianos destinarunt, absolutiones a

Eligitur Urbanus VI.

Et de more coronatur.

pœna & a culpa pro seipsis, ut mos est, impetrarunt, & insuper mente ficta ad omnia super quibus requisiti fuerant, verbo tenus consenserunt.

At continuo deseritur a plerisque cardinalibus.

Postquam igitur circiter spatio trium mensium cum suo Urbano infra Urbem cardinales resedissent, adveniente tandem mense Junio, Gallici intemperiem aëris & æstivos calores allegantes, licentiam petierunt a papa recedendi ad Anagniam civitatem, refrigerii causa. Qua libenter concessa, postmodum ad civitatem Fundanam, sub dominio Honorati Gaietani comitis Fundorum pervenerunt. Qui eos jocunde nimis & hilariter suscepit, omnem eis libertatem ac securitatem promittens ac permittens. Ex tunc in ecclesia Dei, procurante humani generis inimico, cœpit schisma detestabile, sub quo per annos circiter XXXVI. languebant animæ Christianorum; siquidem cardinales Gallici attendentes se jam in libertate constitutos, scripserunt Urbano, & persuaserunt eidem, ut papatui prætento cederet & renuntiaret, quod electio ejus non fuisset canonica, sed violenta, & per impressionem seditiosam Romanorum facta. Quo in suæ causæ justificatione confiso, & renuntiare nolente, & concilium generale eisdem offerente, ubi res posset decidi; tandem intervenere multi tractatus per medium trium cardinalium Italicorum, videlicet Florentini, Mediolanensis & de Ursinis: nam cardinalis S. Petri ex mœrore vel forte senio jam obierat. His in nullo proficientibus, tandem die IX. Augusti citramontani cardinales sub suis patentibus bullas scripserunt universis pene principibus Christianis per universum orbem, quod electio Bartholomæi Barrensis non esset canonica & vera, sed per comminationem & impressionem populi Romani facta, qui ipsis mortem intentabat, nisi papam Romanum eligerent aut Italicum. Quo metu perculsi, dicebant se hunc Bartholomæum designasse, alias numquam id facturi; quem tamen putaverunt fuisse & esse debuisse tam bonæ conscientiæ, quod numquam illam frivolam & coactam electionem debuisset acceptasse. Ipse tamen propriæ salutis immemor, electioni tali consensit, papam se nominans & apostolicum; qui tamen juxta sacrorum canonum auctoritatem potius antipapa, apostata, anathema, totiusque Christianitatis destructor merito nominari debebat: exorantes per viscera misericordiæ Jesu Christi, & requirentes omnes & singulos, ne ipsi de cætero adhærerent, sed ut antipapam & prophanum evitarent. Admonebant præterea suum electum, ut de fine cogitans ad quem ipsum trahebat plenitudo dierum, beatamque Petri sedem liberam dimitteret, alias indignationem omnipotentis Dei infallibiliter incursurus. Ipsi quoque contra eum divinum & humanum auxilium invocarent, abinde & antea nullam

ſpem de miſericordia habiturus.

Qui alium ſibi pontificem creant.

Verum Urbanus in Domino confidens & in jure ſuo, ſubſequenter in menſe Septembri ſabbato quatuor temporum, cum XII. cardinales Ciſalpini a cœptis nollent ſæpius ammoniti reſipiſcere, illos cardinalatu privavit, & alios novos XXIX. cardinales creavit. Quibus illi in civitate Fundana perceptis, ipſo die S. Michaëlis convocatis aliis tribus Italicis, Robertum Gebennenſem titulo XII. Apoſtolorum in papam elegerunt, quem & Clementem VII. nominaverunt. Verum Italici dictæ novæ electioni nullatenus conſenſerunt. Dein ſequenti menſe duo papæ terribiles ſententias excommunicationum, maledictionum & ſimilium contra ſe mutuo fulminare cœperunt, beneficiis & honoribus privantes ſibi adhærentes; & deinceps multiplicata ſunt mala in terra. Nam unitas eccleſiæ Latinæ ex tunc diviſa eſt in partes, ita ut quidam vocarentur Urbaniſtæ, quidam Clementini. Siquidem regna Alemanniæ, Hungariæ, Angliæ, Bohemiæ, Daciæ, Sueciæ, Norwegiæ, Portugalliæ & major portio regni Siciliæ & Italia tota cum multis provinciis Urbano VI. adhæſerunt. Regna vero Franciæ, Arragoniæ, Hiſpaniæ, Scotiæ, Navarræ, Majoricæ, Sardiniæ & plures aliæ regiones adhærebant Clementi VII. qui anno ſequenti curiam ſuam tranſtulerat in Avenionem, propter favorem quem rex Francorum ad eum gerebat.

Excelius deſingitur Leodii.

Eodem anno dominus Johannes de *Erkel* Leodienſis epiſcopus, nimium conſtipatus in ventre, cum omnia beneficia medicinæ non poſſent alleviare torſiones quas patiebatur, obiit prima Julii. Ejus corpus tumulatum eſt apud Ultrajectum ubi pridem ſuam elegerat ſepulturam, cum adhuc illic eſſet epiſcopus. Cor autem & exta apud Carthuſienſes Leodii in crypta ſunt ſepulta. [a] Hujus exequiæ corpore præſente ſolemniter ſunt celebratæ in eccleſia majori. Nam IX. lectiones vigiliarum legebant totidem canonici S. Lamberti, verſiculos reſponſoriorum cantabant bini & bini canonici ſecundariarum eccleſiarum. In craſtinum miſſa celebrata eſt per dominum Nicolaum de Jardino abbatem S. Jacobi Leodienſis, aſſiſtentibus ſibi in commendatione abbatibus S. Laurentii, Vallis S. Lamberti, Novi monaſterii in Hoyo & Bellireditus in pontificalibus.

Euſtachius Perſon. eccleſiæ Leod.

Peractis funeralibus electus eſt capitulariter per viam S. Spiritus in epiſcopum Leodienſem D. EUSTACHIUS dictus Perſandus de Rupeforti, canonicus majoris eccleſiæ, præmiſſa tamen proteſtatione, quod ſi ſummo pontifici diſpliceret hæc electio, & alteri cuiquam provideret de ipſo epiſcopatu, conſtim electus cedere deberet proviſioni apoſtolicæ. Facta electione, communitas poſtulat creari in mamburnum & defenſorem patriæ dominum Walterum de Rupeforti fratrem electi, contradicentibus dominis capituli & baronibus terræ. Nihilominus unus magiſter civium, dictus Henricus *Frerar*, reſpondit; quod vellent nollent, domini ipſi crearent mamburnum quem prædixi, aliàs omnes & ſinguli canonici violenter comprehenderentur, & in portam S. Margaritæ captivi ponerentur, donec conſentirent creationem mamburni. Sic illi in arcto poſiti, præmiſſa proteſtatione, & ſuper hoc petito inſtrumento notarii quod per vim & impreſſionem conſenſum darent, noviſſime petitionem vulgi ſigillarunt. Igitur poſt confirmationem electi, miſſi ſunt ad Urbanum papam abbas Novi-monaſterii (b) & Scholaſticus Leodienſis dictus Gerlacus de *Monjardin* & Johannes *del Boverie* milites. Interim ſimultas gravis crevit inter electum & mamburnum, volente mamburno ſibimet uſurpare omnes reditus menſæ epiſcopalis, quouſque ſua electio foret approbata a ſede apoſtolica, electo contrarium affirmante. Unde nimirum offenſus electus confœderatus eſt Wenceſlao duci Brabantiæ & Lutzemburgenſis, (c) qui ei plenariam aſſiſtentiam in pecuniis, armis & amicis contra Leodienſes præbere promiſit, prout fecit. Nam incontinenti dux ipſe præoccupavit Trajectum cum novemdecim millibus lanceis armatorum, & exinde per quatuor confinia patriæ factus eſt inſultus hoſtilis; ſed non ceſſit eis proſpere & feliciter. Nam reſiſtentibus viriliter Leodienſibus, hoſtes viriliter ſunt ubique fugati. Unde Hoyenſes oppugnare volentes Marchiam in Famennam magna illic damna ſuſtulerunt, occiſo illic eorum burgimagiſtro Werico *d'Axhelz*. Deinde Leodienſes ex his efferati, terram ducis invaſerunt deſtruentes illic duo oppidula, Hanutum & *Lamden*, & in feſto Catharinæ tranſgreſſi Moſam, combuſſerunt villas 58. (d) in terra *Daelhem*, videnti ſocum aſcendentem ipſo duce, qui pro tunc Trajecti fuerat ſuper pontem de *Wyck*, ſociatis ſibi ad latus archiepiſcopo Colonienſi ac duce Juliaci. Cumque idem dux Juliacenſis inquireret ducem Brabantiæ, cur non invaderet Leodienſes qui ſibi talem inferrent deſpectum & damna, reſpondit, ſe nolle pugnare cum populo ruſticano, qui neminem captivum, ſed omnes hoſtes pecorino more jugularet. Iſti, inquit dux, non ſunt villani, ſed omnes reges & duces, qui prænoſcentes præſentiam & potentiam veſtram in propinquo conſtitutam, tam animoſe terras veſtras devaſtant. Et ſtatim aſcendens equum, relicto duce rediit ad terram ſuam

Diſcordia electi & mamburni.

[a] *Hic additur in margine manu recentiori.* Hoc falſum eſt, ſed ſunt ſepulta apud Wilhelmitas ante oſtium chori.

[b] D. Wilhelmus *Volen* vicedecanus Leodienſis.

(c) Item & archiepiſcopo Colonienſi ac duci Juliæ.

(d) Viginti quatuor ſolum apud Radulphum de Rivo.

una cum archiepiſcopo Colonienſi.

Confirmatur Perſandus a Clem. VII.

Cum igitur ambaſſiatores Perſandi Leodienſis electi, in Italiam perveniſſent, innotuit eis ſchiſma quod tunc coepit in eccleſia; & properantes verſus civitatem Fundanam, illic edocti per cardinales antiquos, quod Robertus de Gebenna, quem illi ſecundo in papam elegerant, eſſet & eſſe deberet unicus & ſolus indubitatus paſtor eccleſiæ catholicæ; conſeſtim per ipſum Clementem confirmata eſt electio Perſandi. Quibus ad notitiam populi Leodienſis perlatis, continuo miſerunt ad dominum Arnoldum de *Horne*, pro tunc Ultrajectenſem epiſcopum, requirentes eum ut indilate properaret, recepturus epiſcopatum Leodienſem, quem audierant cum jam impetraſſe ab Urbano VI. quoniam ſuus electus illo ſe fecerat indignum & immeritum. Arnoldus hæc audiens libenter annuit petitis, pro quibus jam totis viribus laboraverat, aſſerens ſe velle vocari & eſſe interim protectorem & tutorem Leodienſis eccleſiæ, quouſque ſuæ bullæ apoſtolicæ fuiſſent a Roma deportatæ: ſtatim venit Leodium 25. Decembris cum multo nobilium apparatu, & mamburniam Leodienſis eccleſiæ acceptavit: ſed ſuum epiſcopatum Ultrajectenſem nequaquam reſignavit, quouſque de Leodienſi certitudinem haberet integralem. Perſandus igitur rejectus & refutatus eſt, & ſua confirmatio penitus annullata, cum Leodienſes cordialiter adhærerent Urbano.

Eo ejecto ab Urbano VI. promovetur *Arnoldus* Horneus.

Caſtrum de *Petreshem* evertitur funditus & *Caſtart*.

Eodem anno infra octavas Dionyſii, cum quidam Rutheri Alemanniæ, tranſvadato Moſa circa *Hocht* monaſterium damna magna intuliſſent, Leodienſibus, Campanienſibus circa Tungrim commoventibus, oppidani Tungrenſes ſubſecuti ſunt eos uſque ad caſtrum de *Petreshem*, & hos cum confuſione in fugam compulerunt. Fugatis prædonibus, cum Tungrenſes laſſi & famelici ad caſtrum de *Petreshem* pauſandi cauſa divertiſſent, domina caſtri filia domini de *Lyers*, laute ſatis & affluenter paratis offis in brodinio carnium refocillat eoſdem. Quibus lætanter abeuntibus, dominus caſtri latenter a Trajecto convocat armatos multos, qui tres pedites Tungrenſes invaſos occiderunt malo ſuo. Nam cum ſuper his Tungrenſes querimoniam feciſſent confratribus ſuis Leodienſibus, dominus veriſimiliter timens ſubverſioni caſtri ſui, per interventum amicorum veniam poſtulavit, offerens pro ſcelere patrato condignam emendam; videlicet viagia tria tranſmarina ad Compoſtellam & ad Rupem-amatoris, ſeque cum duodecim viris de ſua parentela carcerem Leodienſium ingreſſurum, donec plene foret Tungrenſibus ſatisfactum. Qua quidem emenda refutata, Leodienſes caſtrum demoliti ſunt, nemine illic reperto, qui illud defenderet, & in redeundo manſionem domini Bertrandi de *Lyers* dictum *Caſtart* juxta Trajectum ſimiliter vaſtantes, ad propria incolumes ſunt reverſi.

Hoc anno Carolus imperator defunctus eſt, cui ſucceſſit filius ſuus Wenceſlaus, jam coronam imperialem ad urbem Aquenſem adeptus patre ſuperſtite.

De ſchiſma, &c.

Anno MCCCLXXIX. cardinales utriuſque obedientiæ per univerſum orbem diſpertiti ſunt, in ſuum favorem principes deflectentes. In primis ſiquidem Johanna regina Franciæ per cardinalem Florentinum edocta, favit Clementi VII. Francorum rex ſimiliter favit Clementi multis ex cauſis; videlicet propter cognationem, quia erat conſanguineus ejuſdem Gebennenſis. Secundo, quia curia Romana reſidente in Avenione, tota Francia magnam ſortitur commoditatem & lucrum quoad negotiationes & fora publica. Tertio, quia quiete poſſidere volebat regnum Arelatenſe, quod ei Carolus imperator conceſſit ad decennium, per cujus preces & inſtinctum multi principes inducti ſunt adhærere Clementi, non propter ſinceritatem cauſæ, ſed ob favorem regis Franciæ. Porro Henricus rex Caſtellæ & Legionis quoad vixit, nullis mediis potuit abduci a favore Urbani. Eo tamen ipſo anno moriente, Johannes filius ſucceſſor in regno, ad Clementem ſe deflexit rogatu regis Francorum, cujus amicitiam totis præcordiis inquirebat. Sed & principes Alemanniæ, electores imperii per informationem Pilei vel Tripilei cardinalis Ravennenſis, qui tribus papis ſucceſſive, vere vir inconſtans in omnibus viis ſuis, adhæſit, omnes adhæſerunt Urbano. Quamobrem in diverſis eccleſiis infinitæ factæ ſunt privationes beneficiorum, dignitatum & officiorum propter hujuſmodi colligationes & adhærentias, præſertim in Leodienſi epiſcopatu & vicinis regionibus.

Eo tempore pons ligneus ſuper Moſam factus eſt juxta Viſetum, ut ſi forte improviſe Viſetum invaderetur ab hoſtibus, indilate poſſent ei Leodienſes ſubvenire.

Rodemachius Bolleniosinfeſtis excurrit.

Eodem anno circa finem Januarii, nobilis & generoſus vir Johannes de *Rademache* minus conſulte agens, quaſdam villas campeſtres in ducatu Bullonii conſtitutas, & ad Leodienſem patriam pertinentes, inopinate aggreſſus eſt, eaſque ſuccendit & magnam prædam abduxit. Qua fama perlata Leodii, probi & ſtrenui viri illic miſſi ſunt Theodericus de *Molant* & Barletus Surleti milites, necnon & Johannes de Cornu ſcabinus Leodienſis & armiger valens, qui quæque extra fortalitia dicti domicelli reperire poterant, demoliti ſunt; ſed inſtante hyeme ad propria remearunt. Interjecto tempore rex Franciæ, comes Viennæ & alii nonnulli principes ſuis precibus impetrarunt treugas dari dicto domicello per magiſtros & conſules civitatis, promittentes ipſum debere reſtituere præ-

dam & damna illata uſque ad quadrantem, & deinceps pro emenda ſoluturum quicquid juſtum foret. Cumque magiſtri & conſules Leodienſes, non vocatis conciliis reliquorum oppidorum, in treugas conſenſiſſent, diſplicuit factum multis, ſed propter bonum pacis diſſimulatum eſt.

Moritur Carolus Francorum.

Anno Domini MCCCLXXX. in menſe Maio deceſſit Carolus rex Francorum, filius Johannis regis. Hic propter potionem toxicam quam guſtaverat, quaſi quotidie de poſt languebat, nec perfecte poterat curari. Huic ſucceſſit Carolus filius ejus puer duodennis, quem per preces & merita Urbani V. ſicut præfatum eſt, genuerat ex filia ducis Borbonii. Verum Ludovicus patruus pueri dux Andegavenſis, regnum gubernabat ſpatio duorum annorum & ſeptem menſium.

Eodem anno Wenceſlaus rex Romanorum & Bohemiæ venit Aquiſgrani, ſociatis ſibi multis electoribus imperii & Pileo cardinale Ravennæ, qui animos principum inflectebat ad obedientiam Urbani VI. Illuc quoque venit dominus Arnoldus Leodienſis epiſcopus, qui ſua feuda relevavit a rege, ut moris eſt, & regalia impetravit, & adhærentiam una cum ceteris principibus fecit Urbano, & ab omnibus honorifice ſuſceptus eſt.

Procedit Hinricus adverſus Rodomachum.

Eo quoque tempore ſeptima Septembris, cum innotuiſſet Leodienſibus quod domicellus de *Rodemache* ſpoliaſſet & incendiſſet oppidulum de *Bulhon*, efferati ſuper his, exierunt armati cum ſuo præſule verſus terram Lutzenborgenſem, illic vaſtantes quicquid ad dictum domicellum ſpectare dicebatur. Cumque percepiſſent prædones ad caſtrum de *Chacepire* fortiſſimum confluxiſſe, mox illud obſidere decreverunt, & appoſitis petrariis & machinis bellicis, ipſum funditus diruerunt; deinde aggreſſi aliud fortalitium vocabulo *Lupy* ad eumdem nobilem pertinens, illud quoque demoliti ſunt, cunctis utenſilibus inde ſublatis. His animoſe patratis hortabatur epiſcopus exercitum progredi ad caſtrum primarium dictum *Rodemache*, abinde diſtans circiter ad duas diætas, aſſerens non audere quemquam reſiſtere viribus & potentiæ eorum, prout fama vulgabat: nam omnes metu conſternati, caſtra domoſque & loca munita fugientes reliquerant. At Hoyenſes cauſantes ſuorum victualium ſqualorem, ut puta panem muſcidum, carnes rancidas, pendula vitra, mentes concivium ſuorum revocabant a cœptis. Sicque præſul invite nimis ſuos ſecutus, regreſſus eſt ad propria, nec quiſquam poſtmodum repertus eſt ex prædonibus, qui contra Leodienſes aperiret os & garriret, ſicque ceſſavit quaſſatio. Capitaneus omnium prædonum dictus eſt Gerardus de *Haracourt*, qui per prædam pauperem ſuam putans augere ſubſtantiam, ad extremam pervenit inopiam.

Cœpit his diebus grandis ſuccreſcere controverſia inter comitem Flandriæ & oppidanos Gandenſes, propter certas libertates quas Gandenſes ſibi ſubtractas per ſuum principem cauſabantur. Duravit autem hic tumultus circiter ſex annis, in quibus propter diviſionem infinita ſubſecuta ſunt patriæ diſcrimina, caſtrorum ſubverſiones, domorum incendia, & innocentium ſtrages plurima. Siquidem Gandenſes inſecuti quoſdam homicidas, qui per Aldenardum oppidum tranſierant, portas ejuſdem deſtruxerunt. Et quædam quidem oppida Gandenſibus adhæſerunt, nonnulla vero comiti. Sed & Gandenſes abjurato comite, populari more tumultuantes, quemdam ſibi capitaneum & vicecomitem erexerunt, qui dictus eſt Philippus *Dartevelt*, qui nimis erat perſpicax & animoſus, per quem multa venerunt mala per regiones. Unde nimis efferatus comes, ſuper injuriis illatis conqueſtus eſt Francorum regi, ceteris etiam optimatibus regni, & præſertim genero ſuo Philippo Audaci duci Burgundiæ, per cujus medium initi ſunt certi tractatus, qui comiti non placuerunt. Quam ob rem divertit ad Inſulas oppidum ſuum, de quo frequentes fecit eruptiones in hoſtes ſuos, ſicque negotiatores terræ his bellis ſua perdiderunt, ac inopes effecti ſunt, qui prius fuere ditiſſimi, multuſque ſanguis innoxius effuſus eſt ſuper terram.

Initia belli Gandenſis cruentiſſimi.

Philippus *Dartevelt* Gandenſium dux.

Eodem tempore quidam miles Armenus conqueſtus eſt regibus & principibus Chriſtianitatis, quod rex Armeniæ Chriſtianus, regno ſuo omnimode deſtructo, & tota fere Græcia depopulata, captivus teneretur a ſoldano Ægypti cum uxore & filiis, magnatibuſque terræ. Qui quidem pro regis redemtione non aurum aut argentum expetebat aut munera, ſed dumtaxat preces & ſupplicationes principum Chriſtianitatis. Igitur reges Romanorum, Francorum & Anglorum & alii plerique principes litteras ſoldano direxerunt, ſupplicantes ut eumdem regem a captivitate qua premebatur, dignaretur abſolvere: intuitu precum quarum, * quia fututis temporibus in ſimili caſu ſuis precibus condeſcendere parati forent.

Reges & principes Chriſtiani ſcribunt pro libertate regis Armeniæ.

* Hic aliquid deeſt.

Comes Flandriæ obſedit Gandavum; verum oppidani interim numquam dicuntur ſuas portas clauſiſſe. Tractatus initus eſt, ſed non ſervatus.

Anno MCCCLXXXI. pons ligneus factus eſt ſuper Moſam, inter Gemeppiam & Seranium.

Pons ligneus ſuper Moſã.

Eccleſia Dei graviſſime languebat hoc tempore ſub jugo duorum contendentium de papatu. Porro Urbanus obtulit ſe velle ſubmittere dictamini generalis concilii, in quo hujus rei poſſet fieri deciſio abſque favore partium. Sed collegium antiquorum cardinalium refutavit hanc viam, præſertim cum fere omnes univerſitates determinarent pro Urbano, demta parte doctorum Pariſienſium, qui in favorem vel metum ſui regis & gu-

De ſchiſmate.

bernatorum regni definiebant pro Clemente: ſicque res in nubilo verſabatur longo tempore, ſicut olim in primitiva eccleſia dicebant quidam: ego ſum Pauli, ego autem Apollo, &c. Sic & nunc ego ſum Urbaniſta, ego Clementinus, in dedecus & ignominiam totius Chriſtianæ religionis & tripudium paganorum, qui intermedio tempore Chriſti fideles licenter infeſtabant, nec erat qui reſiſteret, & ſi dominus permiſiſſet, ampliora & graviora præſumſiſſent.

Comes Flandriæ Gandenſibus cõmercium intercludit.

Inter Gandenſes & ſuum comitem adhuc nimium graſſabantur inteſtina bella, dum in quodam conflictu pro parte comitis corruiſſet illuſtris dominus de Augia, (a) ad quem de jure naturali ſpectare dinoſcebatur ducatus Athenienſis. Comes igitur perpendens Gandenſes armis & haſtis non poſſe ſubjugari, penuria victualium ipſos opprimere tentabat, ut ſaltem ſic in arcto poſiti veniam poſtularent. Supplicavit igitur duci Brabantiæ Wenceſlao, ſuiſque comitatibus, necnon & comiti Hannoniæ Alberto, ut omnes aditus per quos ad Gandavum victualia perduci poſſent intercluderent, promittens in ſimili caſu ſimilem eis ſeſe facturum recompenſam. Quod & factum eſt pro magna parte, ſed & portus maris per Scluſam & alias partes ipſis eſt intercluſus, adeo ut mediocres & inopes fame periclitarentur. Cumque comes ſinſiles preces Leodienſibus effunderet, illi pariter in palatio ſuper hac re convocati, vocibus importunis conclamabant, nec comiti nec Gandenſibus victualia ſubtrahenda vel deneganda, ſed cum patria ipſorum libera ſemper fuiſſet & eſſet in hac parte, cunctis qui poſtularent neceſſaria ſalvo pretio numquam denegarent.

[a] Galterus militiæ præfectus, ſeu mareſcalcus, qui nec. dum primam adoleſcentiam egreſſus fuerat.

Favent ipſis Leod.

Johanna regina Siciliæ ab Urbano VI. diſcedit.

Eo tempore Urbanus papa nimis excanduit in Johannam reginam Siciliæ, quæ prima per inſtinctum antiquorum cardinalium Ciſalpinorum Clementi VII. fecit adhæſionem, attento quod ratione vicinitatis, & quia regnum Siciliæ, quod ipſa poſſederat, fuerat & eſt patrimonium S. Petri. Quia etiam dictus Urbanus de eodem regno apud Neapolim oriundus erat, ſibi potius favere & adhærere debebat. Sed ſtat in hoc fixa ſemper poëtæ ſententia:

Varium ſemper & mutabile femina.

Privatur regno quod cõfertur comiti Duracii.

Quam ob cauſam idem Urbanus regnum Siculorum ablatum ſententialiter Johannæ reginæ, poſt multas excommunicationum ſententias contulit Carolo dicto *de la Pais*, aliàs comiti Duracii, qui de ſanguine regum Hungariæ fuerat procreatus, æmulo ſuo potentiſſimo. Hic, inquam, Carolus vallatus auxilio ſtipendiariorum, quibus Urbanus ſuperaddidit lanceas mille quingentas in manu valida certamen habuit contra D. Ottonem fratrem ducis de *Brunſwick* pro tunc maritum dictæ reginæ, eumque comprehenſum incarceravit, & longo tempore graviter afflixit. Neapolis Carolo ſe ſubjecit, & regina ad caſtrum vicinum confugit, ut illic tutamen inveniret. Averſa civitas, Panormum, ceteræque Siciliæ urbes ſimilem deditionis formam ſunt ſubſecutæ. Regina Johanna nimis anguſtata, vocatis tabellionibus, omnium dominiorum & poſſeſſionum ſuarum heredem deſignavit Ludovicum ducem Andegavenſem, gubernatorem Franciæ ſub ſuo nepote Carolo, ſperans per eum relevamen recepturam contra invaſorem terrarum ſuarum: ſed fruſtrata eſt ſpe ſua. Nam priuſquam dux Andegavenſis ſuum exercitum adduceret, regina morti tradita eſt neſcio quali per ducem Carolum ſupradictum, & Siculi ſub ejus jugum redacti.

Contra quem Johanna inceſſorem deſignat Ludov. duc. Andeg.

Interim comes Flandriæ reſidens in oppido Brugenſi, mandavit primoribus Gandavi ut ad ſuum colloquium venirent feſtinato ſub obtentu pacis mutuo tractandæ, dans eis ſalvum conductum veniendi, ſtandi, redeundi & ſua negotia pertractandi uſque ad terminum conſtitutum. Gandenſes licet plenariam in comite non haberent confidentiam, quoſdam ex ſuis concivibus illic deſtinarunt, qui tamen numquam ab inde ſunt reverſi; nam comes perfidus, nonobſtante priore ſalvo conductu, illos, contra juris humani pariter & divini regulam, fecit decollari, in ſuæ majeſtatis & famæ notam & maculam ſempiternam.

Comes Flandriæ Gandenſes doloſe invitat ad pacis tractatus.

Ludov. dux Andeg. in Siciliam contendit ſuaſu avi.

Anno MCCCLXXXII. dux Andegavenſis Ludovicus intelligens ſe ſcriptum regem Siciliæ per teſtamentum Johannæ reginæ, aſſumto ſecum Amedeo comite Sabaudiæ & equitatu viginti quinque millium ad ſuſcipiendum regnum Apuliæ & Siciliæ feſtinabat, prius tamen declinans ad Avenionem, teſtamentum reginæ per Clementem ſuum procuravit approbari. Inde procedens per Italiæ civitates, Bononiam, Aquileiam & Marchiam Anconitanam, in anguſtiis viarum multos equites amiſit, quos montani ruſtici illic commorantes, lapidum & petrarum ictibus conquaſſabant. Sed & peſtis epidemiæ, quæ multum graſſabatur per Italiam, graviſſime invaſit exercitum, & tam fame quam peſte, necnon & ferro plus quam decem millia pro tunc de Francis perierunt. His tandem animoſe tranſcenſis periculis, dux Neapolim obſidere properavit, non tamen de prope, ſed ad diſtantiam duorum milliarium. Porro in ſuccurſum Caroli regis Siciliæ miſit Urbanus papa Anglicum quemdam cum lanceis octingentis & peditibus mille præter ceteros regnicolas, æſtimatos ad lancearios quatuor millia & peditum tria millia. His ita ſe habentibus, cum in exercitu ducis peſte graviſſima graſſante res ſenſim labereturin pejus; tandem 29. Novembris languidus & mœſtus relinquens Neapolim, ſeceſſit verſus Apuliam,

Exercitus ejus partim abſumitur gravi peſtilentia.

Quo ipſe morbo & mœrore confectus obiit.

Apuliam, comparare volens illic caſtrum aliquod aut oppidum in quo perendinaret aut hyemaret quouſque ſuus convaluiſſet exercitus. Verum Siculi tergiverſantes in negotio quod ei pridem obtulerant, jam adverſante fortuna prorſus negabant. Audivit præterea galeas & naves, quas in portu reliquerat, a piratis regiis fuiſſe penitus diſſipatas: quamobrem non immerito mœſtus & anxius, & peſtis epidemiæ attactus, velut alter Antiochus in terra non ſua expiravit. De cujus morte Carolus Francorum rex non multum doluit, ſubſtantibus cauſis quas ante prædixi.

Gandenſes frugas invaſerunt & ſpoliant.

Eodem anno dum comes Flandriæ portus marinos & omnes exitus viarum obſeraſſet, ne Gandenſibus adveherentur victualia, illi in anguſtiis poſiti, viam ferro tentabant aperire, & ſumtis omnibus armatis quos poterant adunare, Brugis oppidum, in quo comes cum ſuis perendinabat, aggreſſi ſunt oppugnare tertia Maii, quando ſolemnis proceſſio cum ſanguine Jeſu Chriſti, qui illic adoratur, fieri conſuevit. Cumque oppidani inermes jam oppidum exiſſent, Gandenſes qui inopinate ſupervenerant, Brugenſes invaſerunt, quibus comes cum ſuis armigeris in occurſum venit. Porro minora miniſteria oppidi, id eſt fullones, textores, pelliparii, alutarii, & horum ſimiles, qui ſe talliis & exactionibus comitis gravari deplangebant, capta occaſione, ad Gandenſes tranſfugerunt, jam clare demonſtrantes vitus, quod diu latebat in eorum pectoribus. Inito igitur diro certamine, comes cum Brugenſibus fugam arripuit, & in domo pauperculæ mulieris delituit, ſicque interruptum eſt oppidum, & infinita ibi ſpolia reperta tam indigenarum, quam Venetorum, Januenſium & uſurariorum, qui illic fœnerari ſunt ſoliti, omneſque Gandenſes de præda ditati ſunt. Verum in portionem capitanei ſui Philippi *Dartevelt* ceſſit libere quicquid ad comitem ſpectare noſcebatur in equis, jocalibus, auro & argento, &c.

Comitem ſuum cum exercitu occumentem profligant.

Scluſam cetteraque oppida rumpunt.

Succeſſive Scluſa & cetera minora oppida Flandriæ partim vi, partim ſuaſionibus in deditionem Gandenſium pervenerunt, præter oppidum Aldenardum, quod ſpatio quinque menſium per Gandenſes obſeſſum eſt; poſt quos obſidio diſſoluta eſt cum damno magno obſidentium, qui illic per armigeros comitis ſunt trucidati.

Terræ motus magnus fuit his diebus in Brabantia, Flandria, Francia locisque vicinis, & ſubſecuta eſt peſtilentia ſatis impetuoſa.

Rex Franc. ſubſidio venit comiti & rebelles fugat.

Igitur rex Francorum adhuc adoleſcens, cum audiſſet quanta adverſitas adveniſſet comiti Flandriæ, immenſum conglobavit exercitum, & pervenit uſque ad pontem de *Commines*. At Gandenſes cum viginti millibus peditum ab altera parte fluvii, Francis tranſitum denegare tentabant, factaque eſt hinc inde gravis colliſio & conflictus, & præſertim per Britones, qui reglam aciem præcedebant. Fugatis tandem Flamingis, & Francigenis prætergreſſis medium pontis, multa millia eorum ſunt trucidata. Reſidui ad ſuos concives non retroſpicientes, amiſſis ſarcinulis, redierunt.

Pugna Roeſbekana in qua delentur

Rurſum XXVI. Novembris Flamingi conglobati in manu valida apud *Roèsbeke* in campis convenerunt, regis exercitum illic fidenter præſtolantes, cum tentoriis & papilionibus immenſis. Numerus autem Flamingorum famabatur fuiſſe centum millia, quorum eſſet capitaneus vir plebeius vocabulo Philippus *Dartevelt*. His ex adverſo venit obvius Francorum exercitus, in quatuor acies ſagaciter partitus. Primæ aciei præfuit dux Britanniæ Armoricanæ cum ſuis Britonibus, in armis experientiſſimus. Secundæ aciei ductor erat comes Flandriæ cum ſuo genero Philippo duce Burgundiæ. Tertiæ præfuit dominus *de Couchi* ſociato ſibi domino Renardo *de Stoenvorſt* cum Alemannis circiter mille quingentis ad valla doctiſſimis. Ultimam duxit Francorum rex cum ſua militia numeroſa & vexillo ſuo nobiliſſimo, ſeu *Oriflambe*. Porro Britones de ſua acie, duas alas more forcipis facere volentes, Flamingos viriliter invaſerunt. Qui ne a Britonibus includerentur, ad alteram ſe partem transferre tentabant, ſed Alemanni poſt terga ferientes, eoſdem in globum unum anguſtari compellebant; ita quod ſe invicem ſuffocabant, per preſſuram eorum qui debiliter armati fuere. In quo conflictu periiſſe dicuntur viginti quinque millia ſexcenti ſeptuaginta Flamingi, cum capitaneo ſuo Philippo *Dartevelt*, qui multo eos tempore dementaverat. Cum ergo victoria ceſſiſſet regi, & ſucceſſu temporis Flandria tota pene ſe comiti ſubdidiſſet, Gandenſes tamen a ſuo propoſito nequibant deflecti. Nam ex villis ruralibus & oppidis parvis populus, qui indignationem comitis metuebat, ad Gandavum venit, illic manere perpetuo proponens. De quibus oppidum ita repletum eſt, ut vix appareret quod aliquem ſuorum in præliis amiſiſſent.

De ſeditione Pariſienſium.

Interim innotuit regi cives Pariſienſes rebellaſſe; & in ſui contumeliam caſtellum, in quo captivi ſervari conſueverunt, confregiſſe, cunctis qui illic compediti fuerant emiſſis. Quamobrem efferatus nimium, relicta Flandria, ſeceſſit illuc. Prius tamen Cortracum oppidum incendit, recolens quod tempore Philippi Formoſi Francorum exercitus maximam illic multitudinem nobilium perdidiſſet. Perveniens igitur juxta Pariſius, omnia ſuburbana civium juſſit demoliri & conflagrari, & ingreſſus civitatem, multos ex primoribus, qui diſſidii fomes fuiſſe famabantur, comprehendit & decol-

lari juſſit; & tres portas munivit ad inſtar trium caſtrorum, e quibus frequentes in cives facientes inſultus, magnæ ipſos ſubjecit ſervituti, nec repertus eſt qui poſtea os aperiret & ganniret. Sed & Anglici, qui tranſfretaverant, ut opem ferrent Gandenſibus, per manum validam Francorum oppreſſi ſunt, & reſidui cum confuſione ad ſolum nativum ſunt regreſſi.

Seditio Lovanii.

Ea tempeſtate factione quorumdam malivolorum ſuccrevit Lovanii ſeditio vulgarium contra Wenceſlaum ducem Brabantiæ, volentibus aliquantis ducem clam in caſtro comprehendere & perimere. Cumque innotuiſſet res duci, fugit ad tempus. Nihilominus factioſi caſtrum ducis intrantes, damna illi plurima & deſpectus abſenti intulerunt. Offenſo igitur ſuper his duce, tandem per intermedium burgimagiſtrorum Leodienſium, pax mediante ingenti ſumma florenorum eſt tractata, & quadraginta viri de primoribus hujus ſeditionis perpetuo ſunt banniti a Brabantia. Sed & hi qui conſiliarii ducis fuerant, pro ſuis laboribus mille florenos recepiſſe famabantur, videlicet domini de *Wittem*, de *Boekhouſt*, de *Cramendonck* & Johannes *Labay*. Pro quibus quidem florenis gravis orta eſt ſimultas Leodii inter duos præcipuos viros, Johannem Gallum & Henricum dictum *Frerart*, qui magiſtri civium & ſuprèmi conſiliarii civitatis fuerant & auctoritatis immenſæ. Siquidem Johannes dictus Gallus invidens felicitati & præeminentiæ dicti Henrici, accuſabat eumdem quaſi mille florenos ex hoc tractatu ſuſcepiſſet, & corruptelam vel proditoriam quamdam compactionem contra cives iniiſſet. Unde & ſucceſſu temporis rumore dilatato in plebe, Henricus a civitate proſcriptus eſt, & in oppido Dieſtenſi aliquanto tempore demoratus, injuſte tamen, ut arbitror. Nam ex regiſtro Lovanii plane compertum eſt dictos florenos non Henrico, ſed conſiliariis præmiſſis fuiſſe diſtributos. Sed ſic ſe habet fortunæ volubilitas, cujus rota rotunda

Semper in ambiguis varie perverſa, redundat,
Vertit & inferius quæ tulit alta prius.

Wenceſlai ducis Brabantiæ obitus.

Eodem anno ſeptima Decembris illuſtris princeps Wenceſlaus dux Brabantiæ, Luxemburgi & Lymburgi, &c. frater Caroli imperatoris & patruus Wenceſlai regis Romanorum & Bohemiæ diem vitæ ſuæ clauſit extremum, & ſepultus eſt in monaſterio Ciſtercienſis ordinis in comitatu *de Chiny*, quod vulgo dicitur Aureavallis.

Nec ſilentio prætereundum eſt, quod fama veredicorum vulgata didicimus, videlicet, quod Wenceſlaus dux ſupradictus, cum in lecto ægritudinis decumberet, plenus lepra totuſque luridus & ſqualore plenus, omnes tam nobiles quam plebeios thalamum ſuum ingredi permiſit, quibus, opertorio lecti amoto, corpus ſuum tabidum lacrymoſe & humiliter oſtendit, dicens: Conſiderate ſinguli, & hoc ſpeculo correpti, omnem arrogantiam & mentis elationem deponite, videntes corpus tam generoſum, ex regali & imperiali ſtirpe propagatum, olim tam formoſum, tam forte, tam robuſtum, lepra tam fœtida, tam ſqualenti, Deo ſic ordinante, meamque ſuperbiam corrigente, percuſſum; ſicque in tam humili pœnitentia & confeſſione defunctus eſt.

Urbanus Romam exgratiatus Neapolim fœdit.

Eodem anno Urbanus papa multas perpeſſus injurias a Romanis, vigente peſte infra urbem, relictâ Româ profectus eſt ad Tiburtum & caſtella vicina, ab inde tandem profectus, Neapolim ſub protectione Caroli, quem in regem Siciliæ fecit ſublimari, ſperans in ejus regno quiete & pacifice reſidere, propter beneficia quæ receperat ab eodem.

Carol. Franc. rex univerſitatem Pariſ. ad Clementis VII. partem attrahit.

Anno MCCCLXXXIV. Carolus Francorum rex adoleſcens quindecim annorum, inſtinctu ſuorum procerum & optimatum, qui Clementi plus debito ratione conſanguinitatis aut affinitatis aut aliis ex cauſis adhærebant, ſuis aſſiduis precibus & requeſtis præcipuos rectores almæ univerſitatis Pariſienſis inflexit, ut Clementem verum & indubitatum papam fore, Urbanum autem per impreſſionem Romanorum intruſum, ſchiſmaticum, antipapam, & hæreticum definirent, & in ſuis diſputationibus determinarent; cum tamen inter doctores aliquanti eſſent viri litterati & conſcientioſi, qui huic opinioni clam in ſuis cordibus contrarium ſentirent: ſed metu regis ſententiæ multitudinis obſtare non audebant, facti velut canes non valentes latrare, muti & elingues. Nec his contentus ſolemnes ambaſſiatores præcipuos & aſſutos ad Wenceſlaum regem Romanorum & Bohemorum apud Pragam pro tunc demorantem direxit, ſuum conſanguineum valde propinquum, ſperans quod per hujuſmodi propinquitatem & fœdus, quod inter utriuſque genitores initum fuerat, ad ſuam eum ſectam alliceret & induceret, multis propoſitis rationibus quibus oſtendere conabatur Clementem a toto collegio cardinalium, nemine reſiſtente, cum libertas loci, in quo confidenter eligere poſſent, oblata fuiſſet, apud civitatem Fundanam fuiſſe in ſummum pontificem electum, & in Gallias metu Romanorum abductum. Affuit autem illic, ut aiunt, fortuito caſu quidam præcipuus utriuſque juris doctor natione Normannus, qui partem Urbani viriliter defenſabat, & litteras nomine univerſitatis deſtinatas, diceret fuiſſe per rectores extortas, & ſic ſigillari practicatas. Quapropter rex Romanorum non continuo conſenſit preci regis Francorum, ſed per ſuam univerſitatem Pragenſem ſuique regni doctores & conſcientioſos viros ſe melius informari velle aſſerebat, illis ſic ad ſua ineffaciter remiſſis.

Ex Wenceſlaum imper. tenuit.

Seditio Leod.

Eodem anno cum quidam procurator curiæ Leodienſis multum & nimis moleſtaret quemdam oppidanum Dionanti, ille coram magiſtris & rectoribus civitatis ſuper his querelam depoſuit lacrymoſam. Quo non ſolum permoti conſules, ſed & populus univerſus, qui ſimilia frequenter ſuſtinebat ab hujuſmodi genere procuratorum & officialium foraneorum, dedignantes in unum virum manum mittere, totam etiam ſectam ipſam conabantur eradicare & a ſimili præſumtione deinceps refrenare. Statimque omnes litteras citatorias, ammonitorias, excommunicatorias & proceſſus hujuſmodi infra oppidum repertos, juſſerunt coram eis deferri & in igne cremari, ipſumque procuratorem extra ſuum diſtrictum perpetuo proſcripſerunt ut ceteris metus incuteretur. Quo peracto, timentes pro delicto vexari per dominum Leodienſem, ierunt Hoyum, poſtulantes ut & cives eis aſſiſterent in hoc negotio. Verum epiſcopus his auditis, metuens ne talis peſtis ulterius graſſaretur, & ſeditio vulgi ſuſcitaretur, cum eſſet vir aſtutus & circumſpectus, perſonaliter receſſit ad Hoium, laudabat & approbabat quod factum fuerat, & ceſſavit tempeſtas.

Obiit Lud. comitis Flandriæ.

Eodem anno deceſſit a ſæculo Ludovicus comes Flandriæ, graviter pœnitens, quod Gandavenſes ob modicam occaſionem tam longiturno bello compreſſiſſet, non ſine cæde ſuorum. Cui ſucceſſit gener ejus Philippus, cognomine nimis Audax, filius Johannis regis Francorum, & dux Burgundiæ. Qui rogatu ſoceri ſui pacem fecit cum Gandenſibus, datis trengis in annum; & relevavit comitatum Flandriæ in feudum a rege Francorum nepote pio. Sicque temporibus ſuis pacifice vigebat negotiatio Flamingorum cum exteris.

Tumultus civium S. Trudonis.

Hoc tempore filii naturales domini de *Hers* quemdam oppidanum S. Trudonis, qui ſuis canibus venaticis deſpectum fecerat, occiderunt. Unde turbati cives ceteri, verſus caſtrum proceſſerunt, comburentes & devaſtantes quidquid ad dominum caſtri ſpectare noſcebatur. Cumque aliquanti caſtrum intrare præſumerent, unus ex ipſis peremtus eſt. Porro miles dominus loci metuens ne caſtrum ſuum amitteret, rogavit dominum Leodienſem & magiſtros civium, quatenus ei in hoc articulo ſubvenirent, promittens emendam condignam pro homicidio ſuorum baſtardorum, quod tamen illis ipſe non juſſerat aut injunxerat. Statim itaque dominus & magiſtri civium illic properaverunt, & tumultum ſedaverunt, multum increpantes Sancti-Trudonenſes, quia domos combuſſerunt, quod ad dominum Leodienſem ſolum & in ſolidum ſpectare dignoſcitur ex alto dominio. Tractatum tamen eſt ut Sancti-Trudonenſes pro ſcelere perpetrato in cooppidanum ſuum duo millia florenorum acciperent, & amici occiſi mille.

Octo cardin. Urban papæ tradunt Carolo regi Siciliæ.

Ea tempeſtate Urbano papa reſidente apud Neapolim, de qua traxit nativitatis originem, & frequenter ad caſtrum Luceriæ cauſa ſpatiamenti & relevaminis tædiorum equitante, octo de cardinalibus, quos ipſe creaverat, relictis veteribus, conſpiraverunt in eum, cujus ſceleris princeps erat cardinalis Aretinus; tantumque practicarunt apud Carolum regem Siciliæ, quod dictus papa ab eodem rege, quem promoverat, captus fuit, & in carcerem curialem poſitus, ignorante papa quod hoc facinus ſui cardinales fieri procuraſſent. Unde unus ex his, videlicet cardinalis de *Manipel*, graviſſime pœnitens de commiſſo, confeſſus eſt Urbano quod ipſe cum ſeptem aliis complicibus ſuis & concardinalibus illam proditionem feciſſet, petens ſibi facinus miſericorditer indulgeri. Quod audiens papa nimis obſtupuit, quod hi, quos in tantum ſublimaverat, in hoc facto tam vecordi conſentire potuiſſent; ſtatimque datis & promiſſis pecuniis regi Carolo, de carcere ſolutus eſt & liber emiſſus, ignorantibus nec vocatis cardinalibus qui hoc practicarant. Aſt papa libertate potitus, animi ſui motus refrænans, & furorem conceptum diſſimulans, vultum inſuper hilarem cardinalibus oſtentans, quaſi nihil adverſi perpeſſus, aut ignorans proditionis factæ ſeriem, quadam die cum valida armatorum manu equitans, ſimulabat ſe velle Romam reverti, propter injurias quas a Carolo rege pertulerat, qui auſu temerario præſumſit mittere manum in Chriſtum Domini, ſuumque ſublimatorem carceri mancipare. Cardinales, his auditis, verbotenus condolentes ſummo pontifici, facinus regis deteſtabantur, & ſe unà cum eo Romam velle proficiſci, relicto tyranno prophano, uniformiter conclamabant, & aſſignata eſt dies qua præmiſſa debebant facto compleri.

Ipſos deprehendit & in profundo ergaſtulo detinet Luceriæ.

Anno MCCCLXXXV. decima Januarii, papa fingens ſe velle cum collegio cardinalium Romam reverti, ſociatis ſibi equitibus multis, egreſſus Neapolim, caſtrum ſuum Luceriam cum omnibus intravit. Caſtro igitur debite obſerato, pontibuſque levatis & cratibus demiſſis, in craſtinum paratum eſt conſiſtorium, quaſi illic tractari deberet, qualiter compendioſius Romanum iter arripiendum foret. Cardinalibus igitur in loco conſiſtorii conſtitutis, dato ſigno papa univerſos fecit comprehendi per ſuos ſtipendiarios milites, in aula laterali latenter incluſos, & in ergaſtulo profundiſſimo demitti, ſcalis ſtatim levatis; de quo uſque ad diem obitus ſui numquam ſunt revocati, pœnam condignam luentes pro ſcelere patrato. Aretinus autem qui præfatæ conſpirationis primicerius fuerat, callidus nimis & dolo plenus, tamquam nullius mali conſcius a collegio confratrum & complicum ſuorum medio

tempore ſe ſequeſtraverat, ſicque captivitatem prædictam evaſit. Porro rex Siciliæ audita captione cardinalium, Luceriam caſtrum in quo Urbanus papa degebat, confeſtim obſedit cum magna copia Siculorum, eo propoſito ut & Urbanum iterato captivaret, & cardinales occaſione ſua vinculatos a carcere liberaret. Tamdiu ſiquidem duravit obſidio, ut papa cum ſuis qui obſidebantur, ciborum penuria premeretur, & quiſquiliæ vel faſciculus feniculi aut herbæ viridis, quibus locus abundabat, ipſis pro grato munere quotidie darentur in eſcam. Tandem poſt obſidionis acerrimæ menſem quintum, erumpens unus e caſtro, nuntiavit capitaneis Francorum, domino Thomæ fratri comitis S. Severini & Edmundo de Nola, qui tamen partem Clementis ex corde fovebant, quanta premerentur angaria qui in Luceria fuerant obſidione vallati; qui ſumta maxima ſumma florenorum aureorum, cum lanceis & haſtis circiter mille octingentis, ad cacumen rupis, cui caſtrum Lucériæ adhærebat, pervenerunt, & per ingenioſa artificia vel cuniculos ſubterraneos papam ſalvum cum omnibus ſuis eduxerunt, & ſalvum & incolumen ad Barrum S. Nicolai, ubi ante papatum archiepiſcopus fuerat, abire fecerunt ſine reſiſtentia qualicumque. Ubi cum aliquanto tempore perendinaſſet, ſtatim XVII. Decembris applicuit ad portum Piſanum, & poſt quartum diem civitatem Januenſem intravit cum magna jocunditate & ſolemnitate receptus a populo & clero univerſo. In ipſa civitate moram trahens anno uno & menſibus tribus, in ſpiritu vehementi excanduit in hoſtes ſuos Clementis fautores, ſingulos dignitatibus, beneficiis & officiis privans, & alios de eiſdem inveſtiens. Inter cetera quæ contra eum practicabantur, edoctus de factione cardinalium de Petramala & de Ravenna, mandavit eis ut accelerarent venire Januam ad ſibi colloquendum feſtinato. Illi ex infortunio confratrum ſuorum lenjter caſtigati, timentes cutibus ſuis, non auſi ſunt illic proficiſci, niſi omnimoda ſecuritate & corporum ſoſpitate repromiſſa. Qua non conceſſa, mox papa pileis rubeis eos privavit & omnibus præbendis & dignitatibus ſpoliavit. Qui ſic dehoneſtati per Urbanum, confeſtim Italiam egreſſi ad Clementem Avinionem ſe tranſtulerunt, indicentes ei cauſam propter quam depileati fuerant. Qui ſtatim eos in ſui gratiam recepit, priſtinis eos honorans dignitatibus in ſua obedientia, ſuperadditis etiam redditibus amplioribus, quam prius apud Urbanum fuerant ampliati.

Rex Siciliæ Luceriam ſidet.

Urbanus ex arce eductus Januam ſe recipit.

Obſidio arcis de Riverſcheit.

Annò eodem cum dominus de *Riverſcheit* damna infinita, cædes & ſpolia ſuis vicinis intuliſſet, nec ceſſare vellet, tres archiepiſcopi electores imperii, videlicet Maguntinus, Colonienſis, & Trevirenſis cum duce Juliacenſi, caſtrum ejus munitiſſimum obſederunt, mandantes Arnoldo de *Horne* Leodienſi epiſcopo, ut in eorum ſubſidium properaret indilate. Quod & fecit ſine mora. Cum autem propter firmitatem loci parum proficiſſent domini qui caſtrum obſederant, mandati ſunt hullarii Leodienſes, ut ipſum per cuniculos ſubterraneos ſuffoderent: nec ſic quoque proſperatum eſt negotium. Verum tractatibus aliquantis interpoſitis, captivis etiam hinc inde liberatis, caſtrum traditum eſt in manus ejus qui regis Romanorum vices ſupplebat in Alemannia, & obſidio ſoluta eſt.

Bullonienſis expeditio adverſus quoſdam prædones Barenſes.

Durante præmiſſa obſidione de *Riverſcheit*, cum quidam prædones de ducatu Barenſi prædam abegiſſent de terra Bullonii, ſita in ultimis finibus patriæ Leodienſis, præpoſitus Bullonii, ſumto ſecum ballivo de *Muhalt* cum octingentis viris tam pedeſtribus quam equeſtribus, perrexit tota die & nocte, quouſque pertingeret terram Virdunenſem, & ulciſci ſe ſtudens de damnis & contumeliis ſuæ præpoſituræ nuper illatis, prædam magnam trecentarum circiter beſtiarum, boum & vaccarum abducere cœpit. At incolæ de *Marvilhe* dicentes aliquantas ex ipſis ad ſe ſpectare, cœperunt obſiſtere & prohibere tranſitum abeuntibus. Quibus cum præpoſitus benigne reſponderet, ut ad caſtrum Bullonii ſe ſe querentur, illicque cum perventum foret, quicquid ad ipſos ſpectaret libenter reſtitueret, illi ſuper his non contenti, gladiis obniti cœperunt, initoque conflictu centum & quinque de parte Barenſium & Virdunenſium illic ceciderunt interfecti, duobus dumtaxat Leodinis ibi trucidatis.

Carolus VI. Francor. rex uxorem ducit filiam ducis Bavariæ.

Eo tempore rex Francorum accepit in conjugem filiam ducis Bavariæ, juvenculam ſpecioſam admodum & moribus ornatam, quam poſtmodum coronari fecit Pariſius, advocatis ab Avenione duobus cardinalibus de obedientia Clementis. Et impoſuit rex talliam magnam toti regno pro cinctura reginæ, velut ex antiqua conſuetudine fieri ſamabatur. Quibus peractis, audiens rex Gandenſes occupaſſe portum quemdam dictum *Dampe*, ſitum inter Brugis & Scluſam, cum maximo exercitu illuc properavit ad ſubripiendum oppidum Gandenſibus, & reſtituendum patruo ſuo Philippo duci Burgundiæ, & habitis aliquantis colloquiis cum capitaneo oppidi, perpendens ille ſibi ſuiſque deeſſe victualia, receſſit verſus Gandavum, & continuo Francigenæ intromiſſi, oppidum totum incenderunt.

Carolus rex Siciliæ Hungariam invadens cum exercitu perit.

Anno MCCCLXXXVI. defuncto rege Hungariæ abſque herede maſculo, ſolaque filia relicta, quam Sigiſmundus frater regis Wenceſlai in uxorem traduxerat, Carolus rex Siciliæ, nepos regis defuncti, tamquam propinquior heres maſculus illud per potentem manum conabatur obtinere, & violenter in-

vadere; jamque in sui favorem multos Hungaros partim muneribus & promissis, partim armis & viribus deflexit, sed tandem cum suis illic interfectus est; de cujus morte non multum doluit Urbanus papa.

Motus Leodadversus scabinos.

Eodem anno circa finem Augusti accidit quoddam singulare factum, non immerito inter novitates describendum. Nam quidam egregius civis Leodiensis ex militari stirpe procreatus, dictus Ægidius de Lavatorio, dum eo tempore litem haberet pro certis hereditatibus contra parvum villicum coram judicio scabinorum Leodiensium: illi, auditis allegationibus partium, finaliter contra dictum Ægidium sententiam dictaverunt, & cessit hereditas suo adversario. Quamobrem dictus Ægidius nimia succensus iracundia, per forum, per tabernas, per compita, per plateas, per oppida, per villas & ubicumque poterat, omnes scabinos diffamabat, tamquam justitiæ venditores, falsos judices & fures pessimos, qui omnium marsupia exhauriebant, & suam substantiam ex his ampliabant. Quod audientes plurimi, similia per prius passi, consenserunt dictis ejus, & inter se pepigerunt, quod quam cito populus civitatis, ut moris est, in palatio episcopali congregatus foret, Ægidius causam perorare, ceteri vero sibi acclamarent, & vitia scabinorum illic speciatim propalarent. Sicut pactum fuit & factum est. Sed & magistri & consules civitatis jam ex hoc rumore concitati sunt, & universi pene contra scabinos animati. Igitur paulo post populo in palatio congregato pro alienis causis, idem Ægidius memor compromissi, locum eminentiorem ascendit, & contra scabinos sic exorsus est: *Viri perspicaces, cives egregii, peroptime nostis & dietim oculata fide conspicitis, quantis heu nostra respublica malis atteratur & damnis afficiatur per scabinos hujus civitatis, qui quotidie justitiam vendunt pro pecunia & iniqua dictant judicia, multosque exheredant, nostraque exhauriant marsupia, velut fures pessimi & prædones scelerati; qui non attendunt merita causarum, sed favores personarum, non jura sed munera, non justitiam sed pecuniam, non quod ratio dictet, sed quod voluntas affectet, non quod lex patriæ contineat, sed quod libet, hoc licere sibi putant. Interdum justitiam in tantum prolongant, quod ligantibus plusquam totum auferunt, quia major est sumtus expensæ, quam fructus sententiæ. Nam quantumquisque suarummorum servat in arca, vel in eorum propinat palma, tantum habet juris in causa, & pro ipso dictatur sententia. Ut autem ad particularia descendam; Vidua, quam hic astare videtis, nuper pro causa suæ justificatione scabinis centum florenos auri propinavit, dum litem ageret cum alio quodam cive opulento, qui cum ampliores ipsis dedisset pecunias, mox pro eo dictata est sententia, cujus causa tamen erat injusta, sicque vidua florenos amisit & item hereditatem pro qua placitavit. Quid multis immorer? Infinita sunt hujusmodi tam in hac civitate, quam in reliquis villis & oppidis patriæ per hos perpetrata. Testis est hujus rei vestra conscientia plenaque scientia. Unde sub pœna capitis offero me, si placet, nedum hæc quæ prædixi, sed multo plura probaturum, dum temporis & loci præbebitur opportunitas. Hæc autem licenter faciunt & impune, dum a sententiis quam promulgant, justæ sint aut injustæ, nusquam posse appellari proclamant, cum tantum sint concives vestri, jurati & officiati domini nostri episcopi, & idcirco ejus & vestræ correctioni, cum delinquunt, noscuntur subjacere. En astat vestris conspectibus Razo de Warous sororius meus, qui dum suam primam conjugem traduceret, vix centum speltæ modios possidebat in annuis reditibus, nunc vero amplius quam duo millia quengentos habet dictæ speltæ modios. Pariformiter dominus Ægidius Chabot, cujus mea conjux est neptis, post susceptum scabinatum magnis cœpit redundare divitiis, qui prius fuit miles pauper & tenuis. Unde hoc quæso, nisi per pauperum oppressiones, & justitiæ venditiones? Deputentur igitur, si sic placet, ex parte domini nostri præsulis, quatuor viri probi cum magistris civitatis, necnon & de unoquoque ministerio vir unus, ac de reliquis patriæ villis aliquanti, coram quibus & per quos fiant scrutinia & inquisitæ super præmissis causarum venditionibus quæ citra viginti annos factæ sunt ab his prædonibus. Profecto comperietis, veracissima fore quæ dico & multa majora.*

Cœpit inter hæc succrescere tumultus in plebe, dicentibus cunctis, similia sibi aut contigisse aut contingere posse successu temporis; prævaluitque tandem Ægidii sententia, omnesque præbuerunt assensum, ut fieret inquisitio festinata juxta modum prætactum. Cessante paulisper rumore, dominus Razo tumida mente ac voce indignabunda respondit: « Nolite, inquit, ô cives, fidem adhibere huic fabuloso fatuo & mendaci: immo si quippiam per vos in præjudicium nostri fuerit attentatum officii, protestamur nullius esse valoris aut momenti, nec nos vestris subjacere decretis. » His magis efferati cives, jusserunt ut fieret inquisitio super præmissis in domo domini Wilhelmi de *Hepretinez* canonici Leodiensis, & auditi sunt singuli scabini separatim a deputatis, & testes multi contra eos examinati diligenter, compertique sunt scabini per suam ipsorum confessionem spontaneam culpabiles in multis, in tantum ut in festo Michaëlis archangeli omnes, suis culpis exigentibus, a suis scabinatibus sunt amoti, & ad pecuniariam mulctam præter hæc taxati, & vix evaserunt mortis periculum, uno solo demto, scilicet domino Wilhelmo *Proost* milite, qui rarissime eorum intererat judiciis ac contuberniis, & confestim novi sunt scabini per episcopum

in primorum locum ſubrogati. Hæc ſunt nomina ſcabinorum qui ſunt amoti : Razo de *Warous*, Ægidius dictus *Chabot*, Bertrandus de *Lyers*, Wilhelmus de *Horion*, Theodericus de *Moylant*, milites. Johannes de *Cornu*, Theodericus de *Berloux*, Wilhelmus *de Graes*, Wilhelmus *de Bierſes*, Lambertus *Roſſeal*, Gerardus de Repagulo, Johannes *de Freris* & Johannes *de Bierſes*.

Urb. Lucam ſe transfert.

Eodem anno menſe Decembri Urbanus papa, relicta Janua ſuam, curiam tranſtulit in Lucam civitatem opulentam.

Anno MCCCLXXXVII. multi vexabantur a tuſſi vehementi & raucedine, adeo ut in uno monaſterio in quo XXV. religioſi fuerant, vix duo poſſent cantare officium divinum propter tuſſis & raucitatis importunitatem. Multi inde moriebantur.

Scabini damnati provocant ad Cæſarem.

Eo tempore apud Leodium ſcabini nuper depoſiti, facta inquiſitione longa & ſolemni contra eos, ut præfertur, ex decreto domini & civitatis, cum aliquanti ex eis ſolvere nollent, aut certe non poſſent ſummam pecuniarum ad quam *mulctati* ſunt, *proſcripti* ſunt perpetuo a patria & banniti. Quamobrem præcipui inter eos Pragæ ad præſentiam Romanorum regis profecti ſunt, querelam longam texentes ſuper injuriis ſibi factis per epiſcopum Leodienſem, & ſuam civitatem, quæ in offenſam regiæ majeſtatis, contra omnem conſuetudinem & legem patriæ, ipſos a ſcabinatu præſumſiſſent amovere, quod numquam per prius viſum aut auditum fuerat, cum ipſi perpetui fore deberent. Qui finaliter a rege prædicto litteras impetrarunt præceptorias ad epiſcopum & populum Leodienſem, quarum ſeries continebat: « Quod viſis ipſis, eoſdem ſcabinos ad priſtinos honores & officia reſtituerent ſine mora, cum recompenſa damnorum quæ per hæc fuerant perpeſſi, alioquin regiam majeſtatem offenderent, quod oculo conniventi diſſimulare nequiret. » Miſſi ſunt ad id exequendum duo milites Bohemi, qui de præmiſſis ſuam diligentiam facerent extremam. Qui cum Leodium perveniſſent, & de multiformibus & enormibus criminibus illorum fuiſſent plane informati, qualiter juſtitiam quotidie pro pecunia vendidiſſent, & multos orphanos, & viduas exheredaſſent, affirmabant quod non plenariam aut condignam pœnam pro ſuis exceſſibus ſuſcepiſſent. Nam ſi hujuſmodi crimina in civitate Pragenſi commiſiſſent, a ſententia mortis nullo medio poſſent evadere vel abſolvi. Sicque veteribus ſcabinis ſpe ſua fruſtratis, milites per viam qua venerant redire feſtinabant.

Lata adverſus eos ſententia confirmatur.

Renaldus Gueldrorum dux bellum indicit regi Franc.

Per idem tempus Renaldus dux Gelriæ, neſcio per quos offenſus, diffidavit regem Francorum Carolum, qui nimis ex auſu præſumtuoſo ducis indignatus, patruum ſuum ducem Burgundiæ, verſus Trajectum, ut omnia caſtra villaſque ſpectantes ad Brabantiam & Limborgiam victualibus & armatis muniret egregie præmiſit, proponens perſonaliter illic anno ſequenti cum exercitu venire, ac ducis temerarii contumaciam retundere ac infrenare. Dux Burgundiæ parens mandatis regiis, cum nobili apparatu venit Trajectum; diligenter adimplens cuncta quæ ſibi fuerant imperata, cooperante ſibi in hoc negotio domino Leodienſi epiſcopo Arnoldo non modice, per cujus patriam neceſſe habebat tranſire. Fecit autem epiſcopus duci convivium ſolemniſſimum cum ferculis exquiſitis & pretioſis. A latere ducis dextro ſedit pater reginæ Francorum, dux Bavariæ; a ſiniſtro filius ducis Barenſis. Porro Guillelmus filius comitis Namurci miniſtrabat ad menſam cum ceteris filiis baronum & nobilium. Stetit idem dux Trajecti per triduum. At dominus Johannes Ægidii cardinalis & præpoſitus Leodienſis, cum eſſet Urbaniſta, audiens ducem Trajecti adventaſſe, qui ſolus erat de favore Clementis papæ, auctoritate apoſtolica in eccleſia qua dux miſſam audierat, poſuit *interdictum* & fecit ceſſari a divinis. De quo deſpectu dux nimium exacerbatus eſt, & paulo poſt regyravit ad Brabantiam.

Dux Burgund. contra cum tendit & regali convivio excipitur ab epiſcopo Leod.

Urbanus papa relicta civitate Lucana, ſeceſſit ad Peruſium, civitatem Tuſciæ, longo tempore illic moram trahens.

Urban. Peruſium migrat.

Item, in fine Julii quidam nobilis D. Gerardus de *Haracourt*, frater Johannis de *Rodemache*, cum multis complicibus prædam magnam acceperant de terra Buſſonii juxta villam dictam *Palliſoul*, ubi tunc erant nundinæ. Quod cum innotuiſſet præpoſito terræ per dominum Leodienſem deputato, juſſit arbores incidi multas & exinde vias obſtrui anguſtas per quas redire debebat. Illic cum ſuis prædones invadens, multos proſtravit, aliquantos captivavit, & prædam omnem excuſſit, Gerardus fugæ conſulens evaſit.

Sed & eo tempore quidam nobilis Alemannus cum trecentis complicibus terram Stabulenſem intravit, violenter tollens prædam magnam circa villam dictam *Lierneus*. Cui cum incolæ loci circiter ducenti prædam vellent abigere & reditum obturare, illic trucidati ſunt 48. capti 36. de parte adverſa tres tantum occiſi ſunt, & præda abducta. Verum S. Remaclus patronus terræ gravem in hoſtes exercuit ultionem: nam anno ſequenti princeps prædonum rabidus factus eſt, manus & aures equi ſui commaſticans, & morte terribili percuſſus. Cujus complices ad monaſterium Stabulenſe venerunt humiliter veniam poſtulantes de commiſſis, & emendam condignam offerentes; metuentes ne ſimile quippiam ipſis eveniret.

Stabulenſium clades a S. Remaclo vindicata.

Eodem quoque tempore quidam cardinalis vir bonus & miræ abſtinentiæ, frater comitis S. Pauli, vulgariter nuncupatus cardinalis Luxemburgenſis, qui erat de obe-

Cardin. Luxemburg. pie moritur.

dientia & favore Clementis VII. apud Avenionem defunctus est, qui sibi sepulchrum elegit in cimiterio communi S. Michaëlis, supplicans illic sine pompa funebri tumulari. Hic post obitum multis claruit miraculis circa curam languidorum.

Leod. expeditio adversus dominos de *Wynarde* & de *Ryneck*.

Anno MCCCLXXXVIII. domini de *Wyenarae* & de *Reverscheis* quosdam mercatores de Trajecto, de S. Trudone & de Hoyo, proficiscentes versus nundinas in Franckfordia, numero XVI. captivos abduxerunt sua mercimonia diripientes, sumta occasione, quod dominus Leodiensis quamdam hereditatem sitam in comitatu Lossensi, quæ debebat esse dotalitium uxoris domini Ludovici de *Riverscheis* ablatam, contulisset cuidam nepoti suo, aut occasione quorumdam jurium quæ sibi deberi asserebat ab episcopo Leodiensi. Quamobrem efferati Leodienses cum suo episcopo per singula ministeria nona Maii profecti sunt cum ceteris compatriotis æstimatis ad XL. millia versus terram ducis Juliacensis, in cujus territorio spoliatio prædicta facta fuerat, & ab inde versus terram domini de *Heinsberch* & *Heilekerke* cum aliis villis succenderunt igni spatio XII. dierum, illic remorantes & damna gravia duci Juliaci

Tractatur de pace.

inferentes. Qui cernens se tantæ multitudini non posse de facili resistere, promisit omnia spolia pridem ablata suis expensis restituere spoliatis, & captivos remittere, mittens ad Leodium sex milites terræ suæ in obsidatum, qui illic captivi manerent quousque præmissa debito fini fuissent mancipata. Sicque pace resarcita, Leodium post XV. diem reversi sunt ad sua.

Brabantini Graviam obsident.

Eodem anno cum dominus de *Cuick* oppidum dictum *Gravia* relevasset in feudum a duce Gelriæ, qui terram quam tenebat in feudum a ducissa Brabantiæ, relicta Wenceslai Brabantini, ob eam causam cum suis turmis obsederunt Graviam oppidum. Igitur cum in vigilia B. Johannis Baptistæ aliquanti cunei Brabantinorum pro foragiis conquirendis terram ducis Gelriæ fuissent ingressi, & præsertim equites nobiles succendissent villas plurimas, ex adverso dux eis occurrit

Turpi clade fundatur.

viriliter invadens Brabantinos. Qui cum inito conflictu terga vertissent, pedites qui hoc audierant, ingressi Mosam fluvium, arbitrabantur se salvos posse ad alteram rivi partem transvadare. Quod quidem sine difficultate fecissent, nisi equites, qui de certamine fugabantur, vadum eis impedissent, & ex impetuositate fluminis natare nescientes præ gravedine armorum oppressissent. Sicque cum modico conflictu Brabantinorum acies illic contritæ sunt, tam equitum quam peditum. Residui vero relictis tentoriis & papilionibus, versus Buscum-ducem profugerunt.

Carol. venit Basconiam.

Eodem anno octava die Septembris Francorum rex Carolus cum innumerabili exercitu & duobus patruis suis ducibus Burgundiæ & Bituricensi venit Bastoniam, quæ est oppidum ducatus Lutzemborgensis pro tunc spectantis ad ducissam Brabantiæ Johannam, relictam ducis Wenceslai. Quo audito, ducissa descendit ad salutandum eum cum curribus & equitibus numerosis. Cum autem ipsa pervenisset ad oppidum Hoyense, & descendisset de curru, aliquanti temulenti potatores obtulerunt ducissæ scyphum vel pottum suum dicentes: Bibatis, domina, de potu nostro. Illa respondit non curare potum eorum: unde illi indignati, præ ebrietate subverterunt currum suum, & pulsabant ad ostium hospitii. Quibus milites & generosi viri, comites ducissæ, fecerunt poni mensam cum ferculis exquisitis. Illis tamen epulantibus, ducissa mandavit primores & consules oppidi, gravem querelam faciens de illatis sibi contumeliis. At consules, ut de scitu vel consensu eorum hujusmodi non processisse testarentur; tres ex illis ebriosis comprehenderunt & linguas eorum præciderunt, nec his contenti super bigam ligatos, ad castrum dictum *Dubruy*, ubi ducissa moram trahebat, transmiserunt, duobusque capita sunt abscissa, tertio, quia juvenis erat, ducissa pepercit.

Insolentia quorumdam Hoyensium punitur.

Igitur rex Francorum profectus a terra Lutzemborgensi, intravit terram Juliacensem, quam igne ferroque vastabat, eo quod dux Juliaci genitor esset ducis Gelriæ. At dux Juliaci, cum tanto regi & ejus turmis se sentiret imparem, misit archiepiscopum Colonienſem ad regem, qui diceret, factum filii patri nimis & multum displicere, qui juvenis erat & inconsultus ac temerarius, quique filium suum contra regem nec adjuvare nec fovere vellet, velut furiosum & paternis consiliis non obtemperantem. Quibus auditis, ira regis paulisper tranquillata est, & retraxit se inter Mosam & Rhenum, cessans a depopulatione terræ. Ubi cum per mensem integrum resideret, tanta pluviarum & imbrium vehementia, Deo volente, de cœlo cecidit, ut fere usque ad genua equi Francorum lutum intrarent, quod satis displicuit regi. Illic venit ad regem Arnoldus Leodiensis episcopus, & cum indicibili solemnitate festivatus est per triduum a rege & optimatibus universis. Sed & dux Juliaci & archiepiscopus Colonienſis ad preces ducis Gelriæ pacem firmam tractaverunt sub conditionibus & pactis subscriptis; videlicet, in primis dux Gelriæ juravit ad sancta Dei evangelia, quod diffidatio facta regi per eum numquam fuerat sigillata, nec per eum transmissa, sed consiliarii qui noviter ex Anglia redierant, illam scribi & mitti procurassent. Promisit itidem dux, quod quamdiu viveret, regi servitium impenderet contra quemcumque viventem, demtis rege Romanorum, cujus erat vasallus, & rege Anglorum, cujus erat consanguineus valde propinquus,

Carolus rex Franc. Juliã vastat.

Ad pacem inclinatur.

cui etiam juramentum fidelitatis ante multos annos præbuerat, & hereditates multas ab eo ſuſceperat. Quod ſi idem dux requiſitus fuerit ſervitium præſtare regi Anglorum contra Francos, hoc faciet, ſi idem rex Anglorum perſonaliter interfuerit, alias non; & in hoc caſu hoc habebit notificare regi Francorum ante annum integrum priuſquam regnum Francorum poſſit impugnare, ac de terra ſua ſe movere. Firmata hac pace, cum rex redire proponeret per partem Alemanniæ, quæ Eiflia dicitur, & aliquanti de exercitu regis lento greſſu ſubſequerentur, abeuntes primores multi comprehenſi ſunt ab Alemannis, videlicet theſaurarius, coquinarius, proviſor exercitus, & tales plures qui graviter exactionati ſunt, & uſque in hodiernum diem de theſauro regis ſolvitur annua quota comiti de *Blanzkenhem*, & ceteris in eadem regione habitantibus.

Scabini iterũ reſtitui ſtudent Cæſaris auctoritate.

Anno MCCCLXXXIX. rurſum rex Romanorum & Bohemiæ litteras deſtinavit epiſcopo Leodienſi, capitulo majori & rectoribus civitatis, mandans ut antiqui ſcabini ad ſua reponerentur officia, ſicut prius erant, & facultates ſuæ ipſis redderentur, id eſt pecunia quam per cives coacti ſunt exſolvere propter ſcelera ſua deteſtanda. Mox epiſcopus cum ceteris appellavit ad ſedem apoſtolicam, & quinque ex ipſis amotis citavit & vocari fecit ad annulum palatii.

Trudonenſ. motus.

Item, oppidani S. Trudonis multa commiſerunt in præjudicium juriſdictionis abbatis & conventus ejuſdem loci, ad quos de jure fundationis ſpectat dominium integrale oppidi præfati. Quamobrem auctoritate domini Leodienſis excommunicati ſunt. In cujus ultionem populares proſcripſerunt & bannierunt ex oppido ſuo ſcabinos omnes quos abbas illic inſtituerat. Nec his contenti, domos & habitationes eorumdem, tam infra oppidum quam extra diruerunt & ſuccenderunt. Sed & manſionem pulcherrimam dicti abbatis dictam *Nuvvenhoven*, non longe ſitam ab oppido contriverunt & ſubverterunt. Religioſi vero cedentes multitudini furenti, monaſterium reliquerunt, & longo tempore remorati ſunt in *Henſden* oppido Hollandiæ, ubi circumcirca multas habent poſſeſſiones. Origo totius mali fuit quidam braxator dictus *Meus* vel Bartholomæus, per ſcabinos adjudicatus, quia vexillum portaverat in foro contra Leodienſem epiſcopum.

Secedunt monachi.

Moritur Arnoldus Hornanus.

Arnoldus de *Horne* epiſcopus Leodienſis cœpit graviter ægrotare ex apoſtemate quod inter ſcapulas habuit, & tandem VIII. Martii circa undecimam noctis defunctus eſt, (a) vir quietus & quærens pacem patriæ ſuæ. Corpus ejus ad terram nativam, (b) ubi ſepulturam elegerat, relatum eſt per decurſum Moſæ; extra vero apud Catthuſienſes in Cornelio-monte ſunt repoſita. Præfuit annis circiter decem. Celebratis autem ejus funeralibus ſatis eleganter, altera Annuntiationis B. Mariæ, cum multi eſſent anhelantes ad epiſcopatum Leodienſem, præſertim dominus Guillelmus de Lecha, archidiaconus, pro quo interceſſerat duciſſa Brabantiæ, ſed & Albertus dux, comes Holiandiæ pro filio ſuo multas inſtantias fecit & preces; ſed per capitulum uniformiter poſtulatus eſt in epiſcopum dominus Theodericus de Marka nepos quondam domini Engelberti de Marka Leodienſis epiſcopi, frater comitis de Marka & Clivis. Qui renuens epiſcopari, renuntiavit poſtulationi de ſe factæ, regratians multum dominis capituli qui eum poſtulaverant, ſuper benevolentia quam ſibi exhibuerant. Vacante ſede Leodienſi de communi conſenſu & capituli & populi creatus eſt mamburnus & protector patriæ Henricus de *Pervveis* nondum miles, nepos epiſcopi tunc defuncti, eo quod ſatis quiete & juſte præfuiſſet & tractaſſet Loſſenſes, dum eſſet feneſcallus comitatus eorum. Porro cum dominus Gerlacus de *Montjardin* multos populares per ſuas popinas inducere vellet, ut filium ſuum dominum Baldewinum eligerent in mamburnum; cum eſſet tempus quadrageſimæ, emit multos piſces cum groſſis capitibus vocabulo *Cabelhau*, quos hinc inde tranſmiſit potatoribus ad tabernas; divulgato propoſito, proſcriptus eſt ad decennium, nemine ſibi valente in hoc ſuffragari.

Eligitur Theodericus a Marka.

Renuntiat electioni.

Urbanus papa audiens regnum Siciliæ a diverſis tam Francis quam Alemannis diſcerpi, relicto Peruſio, venit Florentiam, ea mente ut verſus Neapolim dirigeret abinde greſſus ſuos. Quod audientes Romani, præmiſſa ſatisfactione condigna de moleſtiis ſibi pridem illatis, reduxerunt eum Romam, inde numquam diſceſſurum.

Urbani VI. obitus.

Eodem anno VIII. Septembris Johannes dominus de *Heinsberch* inimicus reconciliatus Leodienſium, violatis treugis & ſecuritatibus per prius datis, ſuccendit igne villam de *Eſden*, non longe diſtantem a Trajecto, ab altera parte ripæ prædam magnam ſecum abducens. Quam cum aliquanti rurales de Viſeto, de Haccuria atque villis vicinis vellent abigere vel excutere, & eſſent male armati, irruerunt ſuper eos Rutheri, & proſtratis aliquantis, ducentos fere captivos abduxerunt. Quæ res cum innotuiſſet civitati, plebs univerſa commota eſt: intervenientibus autem amicis utriuſque partis, tractatum erat, ut captivi univerſi remitterentur illæſi, eo pacto ut ſi interim concordia non fieret, illi infra feſtum Andreæ redirent ad vincula priora. Quæ quidem forma tractatus cum non placeret civibus, præſertim cum in Decembri major ſit aſperitas hyemis, quam in Septembri, adunatis ceteris contribulibus ſuis

Heinsberg. Eſdenium pagum incendit.

Fuſis ab eo Viſetenſibus, &c. Leod. Heinsbergi obſident.

(a) Ætatis ſuæ anno 30.

(b) In monaſterium Kerſebos, virginum ordinis Ciſtercienſis a majoribus ejus fundatum.

suis de reliquis oppidis patriæ, communi decreto ierunt obsidere castrum & oppidum de *Heinsbeych* in profesto Michaëlis, & combusserunt quoddam monasterium religiosarum dominarum, situm in vicinia. Cum autem hi qui inclusi fuerant, viriliter se defendissent, emittentes fundas & jacula, multos inconsulte gradientes lethaliter vulneraverunt, multos etiam peremerunt. Quamobrem ortum est murmur populi, dicentis locum esse munitum & hyemem instare, nec adesse balistas, arietes & cetera bellica instrumenta, quibus ipsum expugnare possent.

Pax componitur.

Sicque per medium ducum Juliaci & Gelriæ pax refarcita est, ea conditione, quod captivi omnes post quintum diem debebant remitti, & infra festum paschæ ordinari de recompensa damnorum per eum factorum domino Balduino de *Montjardin*, & ceteris quorum facultas in pecoribus fuit ablata, statimque soluta est obsidio octava Octobris, & exercitus cum confusione infecto negotio repedavit ad sua.

Urb. mortuo sufficitur Bonifacius IX.

Item, xv. Octobris Urbanus papa subtractus est ab hac luce infra urbem Romam. Qui sedit annis xi. mensibus quinque, diebus 27. Cui mox secunda Septembris subrogatus est D. Bonifacius ix. pridem dictus Petrus de Tomacellis natione Neapolitanus, nonobstantibus precibus regis Francorum, qui cardinales existentes Romæ libenter reduxisset ad obedientiam Clementis residentis in Avenione.

Johan. Bavarus Leod. epūs.

Subsequenter postquam D. Theodericus de Marka renuntiasset & libere cessisset electioni sive postulationi de se factæ quoad Leodiensem episcopatum, & Urbanus papa adhuc vivens illam approbasset & confirmasset, Bonifacius ix. dictum Leodiensem episcopatum contulit domino Johanni de Bavaria, filio illustris ducis Bavariæ Alberti comitis Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ, necnon domini Frisiæ, tunc temporis postulato a capitulo Leodiensi; qui tamen venire tardavit ad possessionem vel receptionem suam usque post festum B. Johannis Baptistæ in anno sequenti. Quæ quidem confirmatio fieri practicata est per Ægidium *Chalet* militem, nuper a scabinatu depositum, qui ante susceptam militiam & initum conjugium, fuerat magister in artibus & canonicus S. Martini Leodiensis.

Bertrandi *de Guesclin* honorifica sepultura.

Eodem tempore Carolus rex solemnissimas exequias fecit fieri probissimo & elegantissimo militi, qui dictus est Bertrandus de *Guesclin*, quem idem rex tumulari fecit apud S. Dionysium in sepulchro regum, quod numquam per prius factum est alicui quantumcumque nobili, qui non esset de sanguine regio, ut ex hoc animaret ceteros ad similia gesta patranda. De cujus probitatibus & gestis militaribus magna descripta sunt volumina in vulgari.

Anno mccexc. Galeas comes Astensis in Lombardia, filiam suam dedit uxorem Ludovico fratri regis Francorum, cum qua inæstimabilem misit thesaurum, quem sibi conglobavit de spoliis ecclesiarum Italiæ & oppressione sibi subjectorum.

Adventus Johannis a Bavaria.

Eodem anno decima Julii per portam S. Walburgis intravit Leodium dominus Johannes de Bavaria, electus in Leodiensem episcopum, quem comitabatur nobilissima comitiva principum ac baronum, prout tam nobilem decebat adolescentem. Equitabat a dextris dux Albertus genitor ejus, comes Hannoniæ, Hollandiæ, &c. A sinistris germanus ejus Guillermus pro tunc comes de *Ostrevant*, quem præcedebant & sequebantur alii innunieri, videlicet Robertus comes Namurcensis, Wilhelmus & Johannes nepotes ejusdem comitis, Henricus comes de Salmis, domini de *Gaesbec*, de Morialmis, de *Seyne*, de *Dieft*, & alii quorum nomina mihi sunt ignota; receptusque est cum ingenti tripudio cleri & populi, gaudentibus universis, quod tam generosum virum in suum dominum ac principem adepti fuissent. Et subsequenter in palatio episcopali, cunctis volentibus, ministrata sunt fercula exquisita, vina rubea & alba in copia maxima. Et licet populus interdum sit inconditis moribus & sermonibus, maxime dum mero redundat; attamen præter solitum, pauca illic gesta sunt correctione digna, excepto quod quidam filius sacerdotis, dum præ ebrietate linguam suam nimium relaxasset, & probra multa quibusdam dominis inculcasset, statim ad forum ductus, dextrum pugnum perdidit, ut ceteri simili castigarentur exemplo, & frenos ponerent ori suo.

Pater ipsi clientelam promittit.

Altera die Albertus dux relevavit in feudum ab ecclesia Leodiensi comitatum Hannoniæ, qui sibi provenerat ex morte fratris sui Guillelmi in furia defuncti, sicque factus est vasallus filii & ecclesiæ Leodiensis, præsentibus principibus universis.

Quarta die adventus sui recessit Leodiensis electus cum sua comitiva versus Hoyum, & subsequenter ad singula oppida, villas & castra patriæ totius ab omnibus hilariter & jocundissime susceptus; sicque genitor & frater ejus abierunt versus Hannoniam. Deinde sabbato post festum Luciæ, dominus Johannes Leodiensis electus susceptit ordinem subdiaconatus, & cum eo abbas S. Trudonis adhuc juvenis, filius domini de *Ordinghen*, ex nobili sanguine de *Duras* & Lintris propagatus.

Franc. clades in Hungaria.

Eodem anno multi de regno Francorum perrexerunt in auxilium Hungarorum, quos nimium infestabant Turci & pagani. At rex Hungariæ prænoscens conditiones suorum, rogabat Francos, ut permitterent Hungaros primos esse in certamine, qui quamdiu cernerent eis auxilium esse a tergo, numquam

fugam inirent. Illi nimium arroganter progressi more suo, Turcorum congressum non poterant sustinere. Quo viso, fugerunt Franci, & tota fere turma Francorum nobilium illic trucidata est, vindicante domino superbiam eorum & elationem sibi innatam.

Flandrens. ad partes Clementis declinant.

Eodem tempore Flamingi volentes complacere suo principi, qui erat patruus regis Francorum & totus Clementinus, relicto Bonifacio IX. obedire cœperunt Clementi, præter Gandenses & Antuerpienses, qui simul confœderati ab obedientia Romanæ sedis non poterant sequestrari, quantiscumque tentarentur minis aut promissis.

Jubilæum a Bonif. reductum ad annos 33.

Bonifacius papa concessit omnibus visitantibus hoc anno limina sanctorum apostolorum Petri & Pauli in urbe Roma plenam remissionem omnium peccaminum suorum, reducens annum jubilæum ad annos XXXIII. propter brevitatem vitæ humanæ, ut aiebat. Qua occasione infiniti Christiani illic profecti sunt, quod satis displicuit Clementi Avenione residenti.

Gravis pestilentia.

Anno MCCCXCI. magna pestilentia depasta est universam fere Europam, præcipue verò Germaniam & Galliam, de qua innumerabiles extincti sunt, aliquanti dissenteria, aliquanti peste inguinaria & ascellaria vexati, post diem tertium obierunt. Aliquanti etiam magni principes hoc anno de hac luce subtracti sunt, videlicet Robertus & frater comitis Namurcensis, quem post pauca idem frater, Guillelmus nomine, subsecutus est, necnon comes Blesensis gener ejusdem, sed & dominus de *Morialmeis* gener comitis S. Pauli, omnes viri strenui & suorum subditorum protectores.

Lud. de *Ryverscheit* Malmundatio infestus, a S. Quirino punitus.

Eodem tempore dominus Ludovicus de *Ryverscheit* factus est hostis Stabulensium, eo quod inimicos ejus per terram suam libere transire permisissent; venientsque Malmundarium, ab incolis exigebat summam 200. florenorum Rhenen. alioquin villam eorum penitus conflagraret. Qui cum non solum hoc præstare nollent, sed viriliter & animose hostes impeterent, dictus miles multas domos circa forum succendit igni. Quod tamen non impune tulit, vindicante injuriam incolarum suorum S. Quirino diacono & consocio martyris Nigasii & Scuyiculi, patrono loci & monasterii. Nam quidam famant ipsum rabidum effectum & furiosum. Nescio si verum sit.

Rex Franc. regnū suum perlustrat.

Ea tempestate rex Francorum juvenili florens ætate, voluit visitare extremos fines regni sui, ut sciret si cuncta recte agerentur, & juste disponerentur regni negotia, & ut Anglicos de terra sua repelleret. Sed & pacem inter comites de *Ermynak* & de Fuxo resarciret. Quibus ex magna parte pro voto perfectis, ad Avenionem, multa illic miscens colloquia cum Clemente papa suo, & nova subministrans fœdera cum eodem, speA rans per hoc regnum suum in cunctis prosperari; sicque per Aquitaniam & alias regiones reversus est Parisius.

Eodem anno decima nona die mensis Augusti jacta sunt fundamenta novæ turris ecclesiæ S. Lamberti versus meridionalem plagam, sub qua est thesauraria ejusdem ecclesiæ, & vix post annos triginta perfecta est.

Jubilæum Leodii.

Per id tempus Bonifacius papa fecit publicari per dominum Willelmum de Vinea episcopum Anconitanum apud Leodium plenam indulgentiam seu remissionem omnium peccaminum posse acquiri a vere con-
B fessis & contritis, qui in anno præcedenti Romanam urbem visitare non potuerant, aut propter debilitatem & senium, aut guerras, aut aliquod quodcumque legitimum impedimentum; dum tamen in truncis imponerent tot pecunias, quot in eodem itinere debuissent expendere, & visitarent quotidie spatio triginta dierum quatnor ecclesias ejusdem civitatis. Sedebant autem in ecclesia S. Crucis Leodii multi pœnitentiarii audientes confessiones peregrinorum, qui in numero copioso de diversis regionibus illic
C convenerant; quibus etiam bis in die, videlicet ante prandium & hora vesperarum dictus episcopus auctoritate apostolica indulgentias a pœna & a culpa liberaliter impertivit & concessit; sicque de oblationibus Christi fidelium ecclesia S. Crucis, quoad structuram, notabiliter est emendata & reparata.

Instaurata fuerunt ædes S. Crucis ex oblationibus fidelium.

Anno MCCCXCII. ex ictibus frequentibus tonitruum & fulminum, intermiscentibus se spiritibus malignis, contritæ sunt multæ turD res & campanilia diversarum ecclesiarum in Leodio, videlicet ambæ turres ecclesiæ S. Lamberti stantes juxta occidentalem plagam juxta chorum antiquum, ubi est altare SS. Cosmæ & Damiani. Item turris S. Johannis Evangelistæ; campanile Carthusiensium; ambæ turres S. Jacobi, quarum unius murum confregit, alterius tectum discooperuit in ipsa vigilia S. Laurentii. Abinde spiritus malignus ingressus refectorium, picturas confricuit & obscuravit, vitreas fregit, & suæ fœditatis vestigia multa reliquit.

Preces pro pace ecclesiæ.

Item duodecima Januarii celebrata est in
E ecclesia Leodiensi specialis missa pro pace & unione S. Matris Ecclesiæ, per dominum episcopum Anconitanum, cui intererant duo alii episcopi, unus de ordine Prædicatorum, alter de ordine Minorum, cum prælatis monasteriorum & conventibus. Et fere in omnibus altaribus ecclesiæ celebratæ sunt ipso die bassæ missæ per ipsos episcopos & prælatos singillatim; & infra missarum solemnia, circa offertorium, idem episcopus Anconitanus fecit sermonem, assumens pro themate: *Rogate, quæ ad pacem sunt Jerusalem*, &c.

De Carolo Franc. regis morbo.

Eodem anno rex Francorum Carolus, cum equitaret in campis ad ulciscendam in-

juriam ſibi factam per quemdam armigerum ducis Britanniæ, qui lethaliter intra civitatem Pariſienſem vulneravit ſeneſcallum regni, & civitatem impunis exivit, una manu tenens frenum equi ſui, verſus eſt in amentiam vel furiam, & ſtatim occidit duos juvenes penes eum equitantes. Quamobrem per ſuos gubernatores ductus eſt ad limina & eccleſias variorum ſanctorum pro valetudine recuperanda, præſertim ad S. Hubertum in Ardenna, ubi per virtutem glorioſi Huberti multi furioſi curantur & ſenſus recuperant amiſſos.

Triſtis interitus Guillelmi de Lecha.

Item ſexta Novembris dominus Guillelmus de Lecha archidiaconus Haſbaniæ in eccleſia Leodienſi facto prandio volens videre ſagittarios, qui ſe in palatio epiſcopali exercebant ad ſignum, cum nimis eſſet vicinus loco quo jacula mittebantur, frater ſuus naturalis fortuito caſu traxit ſagittam, & lethaliter vulneravit eumdem archidiaconum; de quo vulnere eodem die mortuus eſt. Qui ſtatim fratri ſuo naturali mortem ſuam vel necem, quam non ſponte vel deliberate ſibi inflixerat, indulſit & remiſit. De cujus morte magni principes & barones multum doluerunt, præſertim Johanna duciſſa Brabantiæ. Cui in craſtino Epiphaniæ ſubſequentis factæ ſunt pompæ funebres & exequiæ ſolemnes in eccleſia Leodienſi. Interfuerunt ſiquidem dominus Leodienſis electus & tres alii epiſcopi, religioſi abbates novemdecim, milites ſeptuaginta quinque, & dominæ nobiles & militiſſæ in numero copioſo; affuerunt etiam omnes eccleſiæ ſecundariæ cum ſuis crucibus & vexillis.

Comitatus Lutzenborg. devaſtatur.

Per idem tempus comes S. Pauli, filius illius qui interierat in bello de *Boeſvvike*, contra ducem Gelriæ, cum multis equitibus graviter ducatum Lutzeborgenſem vaſtavit, expugnans *Verton* & alia nonnulla, aſſerens patri ſuo multa promiſſa per dominum Wenceſlaum, quæ nondum fuerat aſſecutus.

Comes Marſiciæ fit Trajectenſes.

Anno MCCCXCIII. vigeſima ſexta comes de *Meurs* cum ingenti multitudine Alemannorum, venit juxta Viſetum, æſtimans oppidanos contra ſuam turmam exituros ad pugnam. At illi præmoniti, veriſimiliter timentes eis poſitas inſidias, intra muros ſe recluſerunt. Cernens igitur ſe fruſtratum a propoſito, ſe regyravit verſus terram Lymborgenſem, aliquantas villas illic incendens & ſpolians, præcipue villam ſanctæ Margaretæ. Porro cum fumus videretur in oppido Trajectenſi, nec primores oppidi vellent ſe movere, quidam ſutor, arrepto vexillo, quod caſualiter ſe obtulerat, ad ſe ſequendum circiter quadringentos inflexit parum armatos, & ſine militari diſciplina ſparſim gradientes. Quos Alemanni robuſtis equis incedentes, mox invaſerunt, & fere ducentos peremerunt. Multos quoque ſecum captivos abduxerunt, multos etiam lethaliter vulneraverunt,

Trudonenſes iterum in monachos inſurgunt.

Eodem tempore apud S. Trudonem occiſus eſt, neſcio a quibus, quidam braxator dictus Meeus, id eſt Bartholomæus, quem præfati ſumus alias præbuiſſe materiam diſſidii quod ſubortum fuerat inter religioſos loci & oppidanos. Porro conſocius ſuus burgimagiſter, cadaver occiſi Leodium deferri fecit, & in publicum omnibus monſtrari, volens per hoc animos vulgi in odium dictorum abbatis & conventus inflammare, ſuorumque cauſam juſtificare. Igitur de quolibet miniſterio Leodienſium juſſi ſunt octo vel decem, qui ſimul ſociati ſan-Trudonenſibus, manſiones & turres religioſorum combuſſerunt, necnon & domum de *Ordinghen*, ſpectantem ad matrem abbatis S. Trudonis. Tandem per medium amicorum pax inter eos eſt reformata ſub hoc pacto, quod oppidani ſolverent domino Leodienſi, quia ſuam juriſdictionem infregerant, & contra regulas juris religioſos afflixerant, decem millia florenorum Rhenenſium; ipſis autem religioſis ſex millia, ſicque ceſſavit quaſſatio. Tandem nona die Junii religioſi prædicti ad locum ſuum redierunt, reducentibus eos magnatibus multis, poſtquam ab oppido ſub ditione ſua fundato jam exulaverant fere quatuor annis.

Leod. electi expeditio adverſus Colonienſem archiepiſc.

Eodem anno circa finem Auguſti dominus electus Leodienſis cum Guillermo fratre ſuo & duce Gelriæ ſororio ſuo, expeditionem magnam fecit, contra dominum Fridericum archiepiſcopum Colonienſem. Dux autem Gelriæ præmiſſus ad colloquium archiepiſcopi, ſumta magna ſumma florenorum, fœderavit ſe archiepiſcopo, non timens proditionem facere ſororiis ſuis. At illi præmoniti ab amicis de factione ducis, feſtinanter aufugere ſtuduerunt per medium nemorum & viarum ignotarum, non ſine damno ſuorum jocalium, quæ illic relinqui neceſſitas fugæ cogebat, quouſque Leodium pervenirent. Igitur convocata patria univerſa, dictus Leodienſis electus ſuper proditione ſibi facta per ſororium ſuum ducem, gravem querimoniam fecit, ſupplicans ut in ultionem hujus facinoris exercitus tam peditum quam equitum ſibi præberetur. Cujus precibus confeſtim annuit populus univerſus. Interim Gelrenſes in numero quadraginta quinque lancearum explorabant caſtrum de *Stochem*, arbitrantes per abſentiam Henrici de *Perveis*, caſtellani, illud inopinate ſe comprehenſuros. At hi qui in caſtro relicti fuerant, adjunctis ſibi Loſſenſibus, perſecuti ſunt Gelrenſes ad multa milliaria ultra *Venloe*, & proſtraverunt ex prædonibus multos & LXXV. captivos ſecum abduxerunt habentes ſpolia multa.

Feſtum viſitationis B. Mariæ inſtituitur.

Eodem anno inſtituta eſt per Bonifacium IX. celebrari in eccleſia Dei feſtivitas viſitationis glorioſæ Virginis Mariæ, ſecunda die Julii, ut patet per bullam de-

ſuper cum indulgentiis deſtinatam.

Apud S. Jacobum ex igne ſub aſſulis derelicto per eos qui pulſaverant campanas in ipſa feſtivitate omnium Sanctorum, combuſta eſt antiqua coquina cum loco raſuræ, & quinque cameris familiarum.

Reinald. dux Juliac. mortem obit.

Eodem anno ſubtractus eſt ab hac luce Reinaldus dux Juliacenſis, cui per inſtinctum matris ſuccedere volebat filius ejus junior: ſed ſenior filius, qui jam ducatum Gelriæ poſſidebat, fratrem repulit, & fortalitia quæ jam ſaiſiverat, reſtituere coëgit, duos quoque ducatus ſimul uſurpavit.

Anno MCCCXCIV. octava die Martii apud Leodium ex impetu ventorum & pluviarum, murus cujuſdam capellani S. Martini in Monte, corruens per præcipitium montis, ſeptem pauperculas domos in baſſo ſtabuleto conquaſſavit, & unam vetulam extinxit.

Pax inita inter Traject. & comitem Meurſium.

Circa finem Maii concordia facta eſt inter Trajectenſes ex una parte, & comitem de *Meurs*, qui multos captivos ex eis detinebat, ſolutiſque ſexdecim millibus florenorum, omnes abſoluti ſunt a vinculis & compedibus. Sed & inter archiepiſcopum Colonienſem & comitem prædictum pax apud Trajectum reformata eſt, ſolutis comiti quatuor millibus florenorum.

Mortuo Clementi VII. ſufficitur Bened. XIII.

Eodem anno decima octava Septembris Clemens VII. ſedens in palatio Avenionenſi ſuper cathedram ſuam, hora prandii ſubito defunctus eſt, & confeſtim ventus horriſonus exortus eſt, qui multos graviter conſternavit. Eo ſic mortuo, alma univerſitas Pariſienſis compatiens eccleſiæ deſolatæ, miſſo ſolemni nuntio, ſupplicavit collegio cardinalium Avenionis, ne ad electionem novi papæ procederent; donec alias litteras eis deſtinarent. At illi contemtis ſupplicationibus præmiſſis, & aſſerentes ad ſe ſolos electionem hujuſmodi pertinere, nec quorumcumque mandata ſe ſuper his velle præſtolari, intraverunt conclave, & elegerunt dominum Petrum de Luna, de regione Arragonum, unum de antiquis cardinalibus Gregorii XI. quem appellaverunt Benedictum XIII.

Hortatur eſt rex Franc. & univerſitas Pariſ. ad ceſſionem.

Univerſitas Pariſienſis audiens ſuas requeſtas contemtas fuiſſe, ſubtraxit ſe obedientiis novi papæ, appellans contra electionem factam, ſperans per hoc medium dictum noviter electum compellere ad ceſſionem papatus, ſubtracto membro tam eleganti. Deinde cum poſt tertiam diem celebraretur Pariſius feſtum S. Dionyſii Gallorum apoſtoli, rectores univerſitatis propoſitis multis argumentis juſtis & rationi conſonis, ad opinionem ſuam inflexerunt regem & optimates univerſos, aſſerentes, quod per ſolam viam ceſſionis ſeu renuntiationis poſſet fieri unio in Eccleſia Dei, alias non. Miſſi igitur ſolemnes nuntii *ex parte regis* ſuorumque procerum & almæ univerſitatis, oraverunt collegium cardinalium, ut ipſi unà ſecum ſuum novum papam ad renuntiandum papatui vellent inducere, præſertim cum idem ipſe in ſuis ſermonibus publicis & privatis pluries aſſeruiſſet, numquam poſſe ſchiſma illud extingui, niſi per viam ceſſionis, & inſuper juraſſet ad ſancta Dei evangelia ante ſuam electionem, quod ſi eum contingeret eligi in ſummum pontificem, libentiſſime, propter bonum pacis & unionis, cederet papatui, quotiens fuiſſet requiſitus ſuper illo, & Bonifacius IX. eamdem viam ſimiliter vellet acceptare. Continuo cardinales omnes, uno demto, cum præfatis ambaſſiatoribus dominum Petrum de Luna humiliter & ſerioſe adorſi ſunt, ut propter bonum tam præclarum, ad viam ceſſionis, tamquam ſaluberrimam, deificam & ſumme neceſſariam, ſe vellent penitus inclinare. Quibus auditis, ille poſt aſſumtum tantum honorem mutatus in alterum virum, ex toto contradixit, affirmans hujuſmodi ceſſionem eſſe diabolicam, injuſtam & Deo diſplicentem. De quo reſponſo nimium obſtupefacti præmiſſi viri præcipui, iterato rogaverunt eum, ut melius deliberaret. At ille nimium efferatus, minabatur ſe ablaturum univerſitati Pariſienſi ſuas libertates ac beneficia quæ poſſidebant, ipſiſque cardinalibus præcepit, ne de talibus amplius cum moleſtarent. Sicque, infecto negotio, dicti ambaſſiatores reverſi, nuntiaverunt regi ſuiſque proceribus, induratum eſſe cor Petri de Luna, & ſubterfugia multa ipſum adinvenire & plura diverticula, nec mentem ad ea quæ pacis ſunt inclinare velle. Ex tunc multa ventilata ſunt quoad neutralitatem proſequendam, quæ tamen propter infirmitatem regis longo tempore ſunt intermiſſa.

Seraniorum montes.

Anno MCCCXCV. occaſione nemoris de Seranio ſuborta eſt gravis controverſia inter dominum Leodienſem & ſcabinos, ac incolas villæ de Seranio, dicente domino Leodienſi dictum nemus ſolum ad ſuum dominium ſpectare, nec licere cuiquam arborem abſque ſuo ſcitu & licentia præcidere; dicentibus *incolis* ex antiquiſſima conſuetudine, quam pro lege tenebant, id ſibi licere. Cum igitur aliquanti ex ipſis ligna & arbores pro libito ſuccidiſſent, dominus Leodienſis querimoniam magnam de eiſdem incolis & ſcabinis depoſuit, coram ſcabinis Leodienſibus, afferens ſibi violentiam illatam & contemtum gravem. Scabini Leodienſes, audita querela domini, dictos incolas ad peronem proclamari fecerunt, certa eis injungentes propter violentiam viagia. Illi e diverſo magiſtros civitatis & conſules in ſuum ſuffragium requiſierunt, poſtulantes ut eos tamquam ſuos concives contra dominum defenſarent. At Burgimagiſtri cum ceteris popularibus comminabantur ſcabinis civitatis, ut a cœptis deſiſterent & manda-

tum revocarent, alioquin eos a civitate proſcriberent. Quod & fecerunt indilate. Quamobrem dominus Leodienſis dictos incolas de Seranio ad annulum palatii, necnon & Sancti-Trudonenſes cum Tungrenſibus, qui pridem ei deſpectum quemdam fecerant, proclamari fecit. Vulgares autem excitato tumultu clamoribus inconditis, prohibebant ne forma ſententiæ quovis modo poſſet audiri, Inhibebant inſuper ne campana banni, ut fieri ſolet in hujuſmodi, pulſaretur. Ea propter indignatus dominus Leodienſis civitatem ſuam deſeruit, & ad oppidum de *Dieſt* ſigillum & officialatum cum curia ſua ſpirituali mox transferri fecit. Sed & villam cum caſtro de *Eyke* per ſuos ſaiſiri fecit, ut ſi forte belſum immineret, illic ſe reciperet & ſuos adverſarios impugnaret.

De pecunia dictum. Tandem poſt multas diætas ac tractatus, promiſſum ei ſubſidium, ſive ſumma pecuniarum pro damnis ſuſceptis ſolvenda. De qua dominus Balduinus de *Montjardin* miles, tamquam arbiter & tractator pacis, aſſerebat ſibi promiſſam per commiſſarios capituli Leodienſis ſummam quatuor millium Francorum. Negantibus autem dominis capituli, dictus miles tantum practicavit apud communitatem, quod ab hora majoris miſſæ uſque ad horam ſecundam poſt mediam noctem dicti domini in ſuo capitulo recluderentur, donec in craſtinum vellent nollent, dictam ſummam Francorum ſibi promitterent deliberare. Poſt aliquantulum temporis intervallum dominus Leodienſis reſtituto caſtro de *Eyke* cum oppidulo, reverſus eſt ad civitatem ſuam ante octavas Epiphaniæ anni ſequentis.

Wenceſlai Bohem. regis crudelitas. Per idem tempus cum Wenceſlaus Romanorum & Bohemorum rex nihil laudabile aut memoria dignum ageret, immo verius Neronianæ crudelitatis ſectator eſſe ſtuderet, multos etiam præcipuos viros ſine culpa peremiſſet, plures quoque cruciatibus exquiſitis afflixiſſet, nonnullos etiam propria manu ludibrii cauſa interfeciſſet, ſed & contra ſibi ſubjectos in regno Bohemiæ nimia ſævitia & tyrannide exarſiſſet, tandem anno xv. regni ſui inſurrexit in eum marchio Moraviæ patruelis ejus cum multis optimatibus regni, & cepit eum: at Johannes marchio Brandeborgenſis frater ſuus, eo liberato, pacem inter eos poſt multa reſarcivit. Neque tamen emendatus eſt. Unde graviter indignati ſunt electores imperii, &c.

Capitur a marchione Moraviæ.

Viſetenſes vaſtantur & incenduntur. Anno MCCCXCVI. ultima Januarii, cum oppidani Viſetenſes feriati degerent, & nihil ſuſpicarentur adverſi propter pacem nuper inter dominum & ſuam communitatem reformatam, ducenti circiter prædones ex Alemannia conglobati, oppidulum ipſum per porticum ante ſolis ortum, cum adhuc eſſent tenebræ, clam ingreſſi ſunt, malleis & enſibus infringentes oſtia domorum, rapA tiſque mobilibus quæ illic invenerant, villam incendio tradentes abierunt, habentes ſpolia eorum. Primicerius hujus cunei famabatur fuiſſe advocatus Colonienſis. Cum autem dominus Leodienſis cum aliquibus eſſet ſuſpectus, quaſi conſcius vel promotor præfati ſceleris, per juramentum ſolemne purgavit ſe ab eodem. Statimque cum multis equitibus inſecutus eſt cuneum illum uſque in terram de *Dalem*, nec comprehendit eos, quia jam reſpicientes poſt terga celeriter auſugerunt ad ſua.

Aquarum inundatio. Fames in Germania & Gallia. B Item decima tertia Februatii tanta fuit aquarum inundatio, quanta viſa non fuerat citra centum annos. Fuit etiam eodem anno magna panis penuria in Gallia & Germania. Quamobrem præceptum eſt Leodii & per omnes confines terræ, ne blada permitterentur educi ad alias exteras regiones; & commiſſum eſt negotium duobus, qui diligenter intenderent ut mandatum ſervaretur, videlicet, Renero de Juprelli & Johanni Mathiæ. Hi cum, recepta pecunia, permiſiſſent hoc mandatum infringi, & ſuper hoc fuiſſent accuſati, communi decreto vulgi C proſcripti ſunt cum aliis quatuor complicibus ſuis, quibus idem fuerat negotium commiſſum.

Franc. cædes in Hungaria. Eodem anno multi optimates Francorum profecti ſunt in ſubſidium Hungarorum contra Turcos; qui cum arroganter contra conſilium regis Hungariæ, qui noverat conditiones paganorum, bellum inirent, & primi eſſe vellent in certamine, juſto Dei judicio peremti ſunt, & aliquanti in vincula Turcorum abducti. Prædixerat ſiquidem ipſis dictus rex, quod Turci in primo certamine præmitterent debiles & inermes, qui cum laceſſiſſent D turmas hoſtium, mox robuſtiſſimos milites & ſtrenuos emitterent, qui ſuper jam feſſos irruere ſolent, & eos faciliter opprimere: ſed non eſt auditus a Francis.

Expeditio Alberti comitis adverſus Friſones rebelles. Circa initium Septembris cum gens Friſonum corpore robuſta, ſed animo mollis inermis, inconſtans, perfida & ſemper ad ſeditionem prona, nulliuſque ſuperioris jugum ferre dignata, contra ducem Albertum dominum ſuum legitimum ac comitem Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ, cujus olim avunculum Guillelmum occiderat in bello, E tentaſſet rebellare, ac jura ſibi debita tributaque præſtari ſolita ſubtraxiſſet, nec ad ea quæ ſunt juris & rationis inflecti quoquo modo valuiſſet, iſdem dux ingenti & nobili rogata militia ex Anglia, Francia, Alemannia, Namurco, Leodio, Hannonia, ceteriſque pene provinciis Germaniæ & Galliæ expeditionem validam in eos paravit, portumque Friſiæ circa *Staure* cum ſuis comprehendit. Verum Friſones a diverſo animis imperterritis, portum contra hoſtes defendere conabantur & acceſſum impedire, ſed multitudine militum & ſagittariorum in fugam pulſi

ſunt, cæſis circiter quatuor millibus, qui cum lanceis longis & loricis ſolis procedebant. Reſidui vero cum ſuis oppidis & villis ultro in deditionem venerunt, promittentes ſub jurejurando ſe ſuo principi de cetero parituros, & ea quæ juſta ſunt ei præſtituros, ſed non diu viguit hæc tranquillitas, nam continuo, regreſſis principibus propter penuriam alimentorum, quæ jam fere putruerunt, plebs infida more ſolito rupit jusjurandum, & in rebellionem priſtinam recidivavit terrore ſublato.

Item ultima Septembris dux Juliaci & Gelriæ expugnavit caſtrum de *Scoenvorſt* non longe diſtans ab urbe Aquenſi ſalvis corporibus & rebus inibi obſeſſorum.

Diæta Francofurd. de extinguendo ſchiſmate.

Anno MCCCXCVII. menſis Maii die decima tertia electores imperii & alii principes Alemanniæ convenerunt in Francofordiam, ut tractarent ſollicite pro unione ſanctæ Matris Eccleſiæ, & extinctione deteſtandi ſchiſmatis. Ad quam etiam diætam rex Francorum ſolemnes miſit ambaſſiatores & doctores ex univerſitate Pariſienſi, dominum Amiraldum maris & alios nobiles in numero copioſo; qui tamen illa vice nihil firmi concluſerunt, obſiſtente ſemper inimico humani generis & perturbatore pacis & unitatis Chriſtianæ.

Johanna duciſſa Barbant. bellum movet adverſus Gelrenſes.

Eodem anno ſuborta eſt gravis controverſia inter dominam Johannam duciſſam Brabantiæ, & ducem Gelriæ, propter necem cujuſdam armigeri de territorio Gelrenſi infra Buſcum-ducis oppidum Brabantiæ trucidati. Quam ob cauſam eadem duciſſa ſingula caſtra & oppida terræ ſuæ victualibus & armis ſaiſivit, & per medium domini Renardi de *Scoenvorſt* patriam Leodienſem totam in ſui favorem inflexit. Siquidem dictus miles exoſum habens ducem ſupradictum, eo quod caſtrum ſuum ſibi ſubripuerat & expugnaverat, ſumtis infinitis pecuniis a duciſſa, venit Leodium, & omnes primores, magiſtros, & conſules civitatis magnis denariis corrupit, & præſertim Balduinum de Rupe, pro tunc burgimagiſtrum, qui plus omnibus laboravit in negotio, conſocio ſuo Johanne Gallo ſatis renitente ac lente procedente. Receptuſque eſt idem miles ad miniſterium mangonum ſeu carnificum; & ad captandum gratiam vulgi, ſtabat in foro præcinctus ſaroto, tenens ſecurim & carnes incidens ac

Ixod. in ſuas partes trahit.

dividens; tantumque practicavit, ut & dominus Leodienſis ducem ipſum, qui ſororem ſuam in conjugem habebat, ſatis invitus, cum omni patria ſua diffidaret, & expeditionem pararet. Aſſerebant ſiquidem nonnulli Viſetum oppidulum anno præterito per Gelrenſes incenſum & ſpoliatum, & idcirco non ſolum ad ſuccurrendum Brabantinis, ſed etiam ad ſuas injurias ulciſcendas ſe ducem juſte velle invadere proponebant, nonobſtantibus allegationibus quibus ſe dux ab impoſitis excuſabat & emendam condignam ſolvere promitteret. Demum circa finem Auguſti dux Gelriæ coadunatis ſibi multis equitibus ac nobilibus viris ex Alemannia, venit juxta Buſcum-ducis eo fine & propoſito, ut ipſum expugnaret, ſi poſſet. Præmonitis autem ac præmunitis oppidanis cum ceteris quos ad tuitionem loci duciſſa illuc tranſmiſerat, dux fruſtratus ſpe ſua, ſine conflictu receſſit inanis & inefficax. His offenſa duciſſa ingentem contraxit exercitum ex Brabantia, venitque Trajectum in initio Septembris; & aſſociato ſibi exercitu Leodienſium, intravit ducatum Juliacenſem, incendens, devaſtans, & ſpolians illic villas campeſtres circiter quadraginta. Verum ſuccreſcente fame in exercitu, Brabantini reverſi ſunt ad ſua. Leodienſes vero progreſſi ſunt verſus patriam Gelrenſem, & poſt multa damna quæ hoſtibus intulerunt, villam munitam vocabulo *Echt* funditus deſtruxerunt, campanas eccleſiæ & jocalia multa inde reportantes. Cum autem regredi tentarent, & venirent in villam de *Merſen*, ubi pons erat ligneus & anguſtus, aliquanti de hoſtibus invaſerunt inermes a tergo, & ex eis aliquantos peremerunt. Plures etiam ex preſſura ſe mutuo ſuffocarunt. Unus autem burgimagiſtrorum civitatis vocabulo Johannes Gallus, habens equum pavidum, de porta prolapſus eſt & mortuus illic. Ceteri autem reverſi ſunt in tabernacula ſua. Quievit autem uſque ad vernum tempus dux ipſe ſine belliis.

Dux Gelriæ Buſcum-ducis. conſilia.

Contra voluntatem dominæ Juliac.

Eo tempore in initio Novembris aliquanti Rutheri, immo verius prædones & ſpoliatores pauperum & vaccarum de patria Gelrenſi, partem comitatus Loſſenſis quæ Campania dicitur, ingreſſi ſunt, invaſeruntque oppidulum de *Vernighen*. Cumque incolæ regionis paſſus anguſtos per quos neceſſario redeundum erat, obturaſſent, & cum arcubus & baliſtis, haſtis & contis viriliter hoſtes invaderent, proſtraverunt ex ipſis aliquantos, neminemque ex eis ad veniam recipere voluerunt, cum tamen illi mira ipſis promiſiſſent in emendam ſceleris patrati.

Prædones in comitatu Loſſenſi ab incolis ſuis cæſi.

Anno MCCCXCVIII. Wenceſlaus rex Romanorum & Bohemorum in feſto beati Mathiæ apoſtoli, per ducatum ſuum Lutzemburgenſem cum magno apparatu nobilium & doctorum proceſſit verſus civitatem Rhemenſem, illic habiturus colloquium cum rege Francorum conſanguineo ſuo ſuper diverſis negotiis eccleſiæ & utriuſque regni; illicque convenientes ambo reges, ſe mutuo dulcibus oſculis amplexati ſunt cum gaudio univerſorum qui illic venerant ad diætam. Verum priuſquam iſdem rex Romanorum ad hanc diætam properaſſet, convocavit Pragæ omnes ſuos conſiliarios ſæculares & ſpirituales, poſtulans ut cito conſulerent quid faciendum foret. Inter quos unus e[illegible]us præcipuus inter ceteros, cum propter ægritudinem corporalem intereſſe non poſſet,

Wenceſlaus de pace contractanda cum rege Franc. convenit Rhemis.

hoc conſilium deliberavit in ſcriptis profe-
rendum viva voce per alium quemdam do-
ctorem egregium ſub hac ſerie verborum. (a)

[a] Conſilii ipſi dictum ante-quam proficiſcerentur.

In primis, inquit, *mihi videtur conſultum, quod ſi majeſtas regia, ſalvo honore, facere poteſt, non conveniat cum rege Francorum ad colloquium ſeu quaſcumque colligationes ineundum: ſed omnino declinet & vitet illud parlamentum. Rationes ad id me moventes ſunt hæ. Primo, quod fama ibit per mundum de illo veſtro colloquio, & exinde magnificabitur rex Franciæ, quia dicet mundus: Ecce quam magnus eſt dominus Francorum rex, nuper colloquium habuit cum rege Anglorum, & ad ſuum propoſitum inflexit eum; nunc quoque cum rege Romanorum locutus eſt ad ſuum beneplacitum, traxit eumdem; ſicque ille in vulgo magnificabitur, & veſtræ majeſtatis fama minuetur.*

Secundo, quia coram prudentibus viris generabitur ſuſpicio, quod majeſtas veſtra velit cum dicto rege in omnibus concordare, tam in factis eccleſiæ, quam aliis hujuſmodi, & ex hoc provocabitur eccleſia & papa Romanus, ut non ſumat confidentiam de vobis in factis ſuis & negotiis. Et ſi quicquam ab eis exigendum fuerit, reddent ſe difficiles in concedendo, licet etiam præter hoc talis unio ſit contra honorem & ſtatum veſtrum.

Tertio, quod quia certus ſum quod Franci non quærant loqui vobis propter bonum veſtrum, ſed ſuum commodum. Venient ad dietam cum multis litteratis viris & aſtutis, qui ſuis doloſitatibus conabuntur vos decipere, ut ſic augmentent honorem ſui regis, & veſtrum imminuant quantum fuerit poſſibile, nec video quod ſua majeſtas in ſuo comitatu ducat multos litteratos & callidos viros; ex quo ſequetur, quod ipſi deſpicient ſtatum majeſtatis veſtræ, quodque varios modos explicabunt ad decipiendum vos.

Quod ſi omnino fieri non poteſt cum honore majeſtatis veſtræ quin conveniatis cum eo, hic oportet multipliciter provideri.

Primo, procuret veſtra majeſtas ſecum ducere multos litteratos viros, etiam ſi neceſſe fuerit ob cauſam terminum prorogari in dies longiores, quia hujuſmodi viri facient veſtræ majeſtati honorem, & inſidiari volentibus incutient timorem.

Secundo, ſi de renovatione colligationis dudum factæ per avos vel parentes veſtros fuerit majeſtas veſtra requiſita, reſpondere poteritis quod nunc ſunt alia tempora & aliæ conditiones quam fuerant eo tempore quo ligæ prædictæ fuerunt contractæ: vos autem velle deliberare ſuper his cum principibus regnorum veſtrorum. Ad hoc enim tendunt, ut hoc modo ad ſuum propoſitum vos deflectant, nec hoc eſt novum, quia a tempore atavi veſtri imperatoris Heinrici, ſemper niſi ſunt ad ſe trahere imperium. Sic & nunc in principio ſchiſmatis, quando cardinales Gallici creaverunt antipapam in territorio comitatus Fundorum, miſerunt illi prius ad patrem regis moderni, qui tunc uxore orbatus erat, volentes eum in ſummum pontificem ſublimare, ea mente ut ipſe tunc exiſtens papa, filium ſuum faceret imperatorem, & ſic transferre imperium de Alemannia in Franciam; quod & factum fuiſſet, niſi iſdem rex ex hauſtu veneni adeo debilitatus fuiſſet in brachio ſiniſtro, quod nullatenus potuiſſet miſſam celebrare.

Verum ut Francis in brevi ſilentium imponatis, ſic eis dicere poteritis: Qualem ligam vobiſcum inire potero, qui quotidie mihi & regnis meis novas & reales injurias infertis? Siquidem dux Andegavenſis patruus regis ante annos aliquot intravit territoria mea quæ ſunt in Italia, & tamquam dominus regionis, illic novam fecit cudi monetam; & plures modos oſtendit volentis imperiale dominium uſurpare. Nam, ut mihi nuntiatum eſt, ipſe ſecum deferebat imperiale vexillum, ut ſi proſperatum fuiſſet ejus negotium, mox illud erexiſſet. Item, dominus de Couchy *cum ſuis Francis cepit unam civitatem Tuſciæ, quæ eſt de imperio meo, cui nomen eſt Aretium; & primo quidem exſpoliavit eam, & inde vendidit Florentinis pro ſumma maxima ducatorum, quam nec ille vendere, nec iſti emere potuerunt de jure. Ego tamen huc uſque ſilui. Sed & idem dominus de* Couchy *cepit civitatem Saonam, & longo tempore eam detinuit, licet poſtea dimiſerit eamdem. Nec etiam ipſe rex poteſt inficiari quin acceperit, & etiam teneat de præſenti dominium temporale in civitate Januenſi, quæ multis terris dominatur, tam ultra mare quam citra, ita quod non ſit minor regno. Unde cum mihi & regno Romanorum facta ſint & quotidie fiant injuriæ tam notabiles & reales, non video quomodo vobiſcum fœderabor, niſi prius ſatisfiat mihi de præmiſſis.*

Si objiciatur, quod ſimiliter multi principes uſurparunt ſibi dominia ad imperium ſpectantia, dicite: Non eſt idem per omnia, præſertim cum ipſi eadem relevent in feudum a nobis, & ſerviant imperio in multis; & inſuper confitentur ſe vicarios noſtros. Vos autem Franci, ſpretis omnibus juribus meis, ſoli volentes late regnare, res alienas vindicatis, contemto eo qui eſt earum dominus legitimus & naturalis, ſcientes indubie quod de cetero nolo conniventi oculo diſſimulare ac negligenter deperdere jura imperii, ſicut hucuſque feci, ſed calumniantibus me ſuperbis & injuriam inferentibus juxta poſſibilitatem meam ab adverſo obviare.

Cum vero ſucceſſive de unione eccleſiæ & extirpatione ſchiſmatis ſermonem ingreſſi fuerint, & vos inducere conati fuerint, ut una cum eis ad id opus perficiendum accingi velitis, & totis viribus collaborare; poteritis reſpondere, quod neceſſos nec genitor veſter feciſtis aut induxiſtis ſchiſma in eccleſia Dei, qui potius uni ſummo pontifici, quem ipſi cardinales qui eum elegerant, per litteras ac ſcripta vobis accep-

(a) Vide tom. 2. Anecdot. pag. 1172.

tandum ac venerandam fore ſignificabant, & quem cardinalis Ravennenſis, qui tunc apoſtolicæ ſedis legatus in provincia veſtræ majeſtatis & procerum totius Alemanniæ verum, unicum & indubitatum papam fuiſſe prædicabat, præſente Pariſienſi epiſcopo, qui tamen fuerat de parte Clementis, ſemper adhæſiſtis.

Huic igitur pontifici ſemper adhæſiſtis, nec eum ullo modo deſeruiſtis: verum illi qui fomitem ſchiſmati miniſtrarunt, inſudare tenentur, ut ad viam veritatis redeuntes, illud diſſipent & extinguant. Vult enim prima regula juris canonici, quod omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvatur. Nec dicti cardinales ſchiſmatis incentores poſſunt prætendere aliquam juſtitiam aut rationem in ſe fuiſſe, quia notum eſt toti mundo, quod cum qui erat in poſſeſſione papatus, vel quaſi, propria auctoritate ac temeritate a ſua poſſeſſione in parte expulerunt, quo pacto faciunt quæſtionem de proprietate, priuſquam aliqua reſtitutio facta ſit exſpoliato contra omnia jura tam canonica quam civilia. Unde poteſt veſtra majeſtas concludere, quod circa iſtam materiam per vos non poteſt quidquam agi juridice, niſi prius ipſi deſtruant quod egerunt, & injuriam removeant quam intulerunt; ad quod non eſt neceſſe quod vos eos juvetis, quia id facere poſſunt per ſeipſos. Nec debetis involvi in peccatis eorum.

Quod ſi vobis propoſuerint viam ceſſionis ab utroque recipiendam, ut ſic cooperiatur honor, tam veſtri genitoris, quam etiam patris regis Francorum; dicite, quod memoria veſtri genitoris per Dei gratiam fuit & eſt tam plena virtutibus, fama & gloria, tam in vita quam in morte, quod non neceſſe habeat velari quocumque ficto vel quæſito colore. Quin immo maculam gloriæ paternæ inficeret Romanus pontifex, ſi jam cederet papatui, cui ille quamdiu vixit in humanis obedivit & adhæſit. Non ita de antipapa, cui cedere vel renuntiare ſalubre foret. Quod ſi velari indigeret memoria regis Francorum nuper defuncti, hoc fieri non deberet cum injuria eccleſiæ & veſtra, qui principalis & unicus eſtis protector eccleſiæ Romanæ, per quam & in imperio eſtis confirmatus. Nec eſt juſtum, quod poſtquam ipſi erraverunt, petant ut & vos participetis errori ipſorum. Hoc inſuper in caput veſtrum redundare poſſet: nam & veſtri ſubditi dicere poſſent: Tu non vis obedire illi qui te confirmavit in regem, & nos tibi etiam non intendimus obedire. Poſſent etiam facere hujuſmodi argumentum: Aut tu es vere confirmatus, aut non: ſi non, nolumus tibi obedire, nec tenemur, quia nondum es rex noſter: ſi autem tu es confirmatus & denegas obedientiam confirmanti, juſtum eſt & rationabile, quod nos eam tibi quoque negemus. Unde concludere poteſtis, quod nullomodo proponitis ad hoc inconveniens pervenire, quamvis intendatis omnimode & cum effectu laborare ad tollendum ſchiſma & reducendum unionem eccleſiæ ſanctæ per vias licitas & honeſtas, ac virtute juſtitiæ regulatas. Regula vero juſtitiæ, ſive divinæ ſive humanæ, non habet quod debent fieri mala ut ſequantur bona, aut debet fieri injuria alteri ut juſtitia ſubſequatur. Si autem præmiſſa fierent, ſequeretur quod nullus papa eſſet ſecurus de ſuo papatu, & quemlibet eorum oporteret eſſe ſervum cardinalium. Nam ſi cardinales inter ſe concordes eſſent, poſſent quandocumque vellent papam deponere & novum creare, & propterea allegare, quod propter bonum unionis oporteret ambos renuntiare & papatui cedere, cujus oppoſitum tenet ſancta mater eccleſia uſque hodie.

Nunc igitur, ſereniſſime princeps, attendite a Francigenis, qui venturi ſunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem, &c.

Placuit hæc informatio peroptime regi & optimatibus univerſis; qua circumfultus venit Rhemis, & habitis ſuper unione eccleſiæ multis tractatibus, nihil poterat concludi. Supplicavit tamen rex Francorum, ut rex Romanorum Bonifacium ad hoc inducere feſtinaret, ut papatui cederet pro bono ſecuræ unionis. Cui reſpondit: Quod libentiſſime ſcriberet ei, ut ſi abſque præjudicio cauſæ & honoris ſui hoc facere poſſet, quod hanc viam ceſſionis acceptaret, alias non; ſicque infecto negotio ambo reges ad propria regreſſi ſunt.

Porro univerſitas Pariſienſis attendens regem Romanorum inflexibilem a propoſito, mento conſternata eſt, & per ſuos rectores ſupplicabat regi ſuo, ut papam ſuum, qui non Benedictus, ſed maledictus nuncupari deberet, ad cedendum ſuo juri, quod in papatu prætendebat, aſtringeret; & ſine interpolatione omni die fiebant hujuſmodi poſtulationes apud aures regias. Unde aliquanti ex principibus, qui occulte Benedicto faverant, ejuſque donariis corrupti fuerant, per ſua diverticula regem ſemper averterunt a concluſione negotii.

Rex Franc. Benedi. hortatur ceſſionem.

Igitur rex Francorum victus importunis precibus univerſitatis Pariſienſis cum exercitu magno armatorum venit ad civitatem Avenionem, in qua dominus Benedictus XIII. ſic in ſua obedientia nuncupatus, tunc perſonaliter reſidebat; mandavitque dicto Benedicto, quod incontinenti cederet papatui & omni juri quod in eo ſibi competere affirmabat, alioquin ſi contingeret civitatem expugnari, ſine mora eum juberet occidi. Ille vero ſemper manebat fixus & obſtinatus in propoſito maligno. Finaliter tamen juſſit portas aperiri regi, ceſſitque penitus papatui juxta requeſtam regis. Quo facto ad ceteros principes & communitates Chriſtianorum ſuas litteras & ambaſſiatores deſtinavit rex, poſtulans ut nec uni nec alteri papæ adhærerent, ſed neutrales eſſe dignarentur, quouſque res plene foret deciſa. Inter omnes doctores miſſos Leodii, præcipuus magiſter

Petrus

Petrus *Plaoul*, vir magnæ ſcientiæ & probitatis.

Rellum Geld. inſtauratur. Eodem anno Gheltenſes ingreſſi terram de *Franchimont*, ſpectantem ad dominum Leodienſem, illam igne & ferro vaſtare cœperunt. Quibus e diverſo reſtiterunt habitatores terræ, & multi hinc inde peremti ſunt, & aliquanti lethaliter vulnerati. Quibus exacerbati Leodienſes, confeſtim omnia ſua bellica arma & ingenia præparabant decima octava menſis Junii, volentes terram ducis ſupradicti mox invadere, eamque ferro & igne delere Vexillum autem majus explicatum eſt, & alia conſequenter. Poſt triduum dux ſæpedictus cum epiſcopo Ultrajectenſi & circiter mille equitibus proponebat tranſvadare Moſam juxta monaſterium dominarum de *Hocht*. Quo audito, ſeneſcallus Loſſenſis dominus Henricus de *Perwveys*, ſtatim intimavit domino Leodienſi pericula quæ patriæ imminebant, niſi ſibi ſuccurſum ferret apud *Stockem* indilate. Statim dominus hoc media nocte intimare curavit magiſtris civitatis, qui ſe ſatis lente præcingebant ad invadendum hoſtes, quia in craſtino litteras duas ſigillari procurabant de ſuo perpetuo magiſtratu, donec eis redderetur magna ſumma florenorum, quam pro utilitate reipublicæ ſe dicebant expoſuiſſe. Eadem nocte dux prædictus non inveniens obſtaculum, ingreſſus eſt terram Haſbaniæ & comitatus Loſſenſis, & plurimis villis ſuccenſis & ſpoliatis, ſalvus abſceſſit. In craſtino præſente communitate dominus Leodienſis magiſtros civium de negligentia ſua graviter accuſavit, ob quam damna & ſcandala ſuæ patriæ provenerant. Quibus ſe frivole excuſantibus, mox communi omnium decreto a ſuo magiſtratu ambo dejecti ſunt cum rubore. Unus eorum dictus eſt Balduinus de Rupe, alter *Pyron de Robeir*. Subſecuti ſunt e veſtigio dominus de *Serais* & Jacobus de *Weis*. Igitur decima nona Junii egreſſæ ſunt acies Leodienſium per Viſetum cum peditibus & equitibus copioſis, & ſtatim occurrerunt eis acies Brabantinorum. Cum quibus aggreſſi villam dictam *le Nieuſtat*, habentem vectes & ſeras duplexque foſſatum, neminem illic repererunt, niſi 19. captivos illic in cippo recluſos, quos hoſpes nuper abduxerat de comitatu Loſſenſi, ipſamque ſunditus demolientes, ita ut jam poſſet arari, proceſſerunt conſequenter utræque acies, concorditer obſidentes Ruremondam, oppidum ingens & forte. Ubi cum fere per menſem conſediſſent, baliſtis, fundis & machinis enormiter ipſum contriverunt: ſed & hullarii muros oppidi ad latitudinem fere triginta pedum ſuffoderunt, ita quod de facili potuiſſet illud expugnaſſe, ſi placuiſſet domino Leodienſi, qui ſatis lente laboravit in ſubverſione oppidi. Nam, ſicuti prædictum eſt, dux ipſe ſororem ejus habebat in conjugium. Dux

Vaſtatur Haſbania & comitatus Loſſenſis.

Ninſtaz ſuſpendias ventitur.

Obſidetur Ruremonda.

cernens excidium oppidi imminere, mandavit dominum Leodienſem & aliquantos de primoribus exercitus apud caſtrum Montis-fortis, illicque pax laudabilis inita eſt, quæ ſatis placuit exercitui. Verum comes S. Pauli, qui duxerat aciem Brabantiæ, pridie relicta obſidione, proceſſit verſus Juliacum, terram illam igne & gladio graviſſime devaſtans & multos ſecum captivos cum ſpoliis abducens, itinere quo venerat remeavit ad Brabantiam. Leodini quoque ſalvi redierunt.

Anno MCCCXCIX. rex Francorum indeſinenter laborabat pene apud omnes principes & communitates Chriſtianitatis pro neutralitate inducenda, ut ſcilicet nec uni nec alteri papæ adhærerent; & in ſuam opinionem inflexit ducem Burgundiæ, ducisſam Brabantiæ & alios quamplures. Subſequenter etiam miſit Leodii ad epiſcopum & ſuum clerum, totamque communitatem civitatis & patriæ ſolemnes ambaſſiatores magiſtrum Petrum *Plaoul* doctorem ſacræ paginæ, & Petrum dictum *Blanchet* conſiliarium ſuum, qui multis & variis mediis adinventis, finaliter animos ad conſentiendum neutralitati induxerunt, datis ſuper hac re litteris hinc inde ſigillatis. Et ut in omnibus ad hujuſmodi negotium proſequendum requiſitis dictus rex & Leodienſes ſibi mutuo aſſiſterent contra quoſcumque eos moleſtare volentes, hujus facti medius & procurator omnimodus extitit dominus Balduinus de *Montjardin*, ſociato ſibi domino Ægidio *Surlet* milite, pro tunc burgimagiſtro Leodienſi, quibus dictus rex in propinam dedit duos ſcyphos deauratos plenos florenis aureis, prout ipſimet retulerunt communitati poſt reditum ſuum. Factæ quoque ſunt ſequeſtrationes bonorum & emolumentorum ſpectantium ad menſam papæ & cardinalium utriuſque obedientiæ, per dominum Leodienſem & burgimagiſtros civitatis, quouſque Dominus providiſſet eccleſiæ de unico ſummo, vero & indubitato paſtore, per quem fieret unum ovile & unus paſtor. Facta ſunt præterea certa aviſamenta ſuper regimen Gallicanæ eccleſiæ durante dicta neutralitate, quoad abſolutiones criminum, diſpenſationes beneficiorum & dignitatum, miniſtrationes juſtitiarum, appellationes cauſarum & ſimilium, quæ per papam fieri ſolent, ut ſaltem per hoc medium duo contendentes de papatu ad ea quæ pacis & unitatis ſunt citius compellerentur.

Franc. rex ſchiſmatis expugnator Leod. &c. invitat ad neutralitatem.

Eodem anno cum Richardus rex Anglorum propter ſuas inſolentias ac tyrannides infinitas, quas in populum Anglicanum exercuerat, captus eſſet a fratruele ſuo Henrico duce Lencaſtriæ, & in captivitatem poſitus apud Londonias in turre fortiſſima, iſdem dux penultima Septembris, qua celebratur feſtivitas S. Michaëlis archangeli, convocavit

Henric. dux Lencaſtriæ capto Rich. rege Anglor. regno potitur.

omnes prælatos & nobiles duces, comites, barones & milites totius regni Anglicani apud caſtrum dictum *Weſtmonſter*, non longe ſitum ab urbe Londoniarum, quod caput eſt regni. In quo parlamento publice coram omnibus illic aſtantibus aſſerebat, regnum Anglorum merito ſibi competere ptopter tres cauſas. Prima eſt, quod regnum ipſum contra Richardum regem filium patrui ſui in manu valida & virtute armorum conquiſierat, quem juſtas ob cauſas incarceraverat. Secunda, quia privato vel excluſo dicto Richardo, ipſe erat & eſſe debebat verus heres & ſucceſſor in regno; ſiquidem Eduardus rex Anglorum potentiſſimus, inter ceteros duos habuit filios ſeniores, quorum primus dictus eſt Eduardus primogenitus & princeps Gualiæ, qui obiit ante patrem totus infectus lepra, relinquens filium Richardum, de quo nunc eſt ſermo, quem avus ſucceſſorem regni deſignavit. Alter ſecundogenitus dictus eſt Johannes de Gandavo, cui filius erat hic Henricus, dux Lencaſtriæ, qui per reprobationem Richardi nepotis ſui, aſſerebat jura regni ad ſe devoluta. Tertia, quia dicebat dictum regem Richardum, cum eſſet in captivitate poſitus, pure, libere & ſpontanee ſibi reportaſſe & reſignaſſe regnum Anglicanum in præſentia plurimorum ducum, comitum & baronum regni. Quibus allegatis & propoſitis, iſdem dux requiſivit multitudinem congregatam, ut ſuper hoc negotio ſua vota exprimerent, & quid eis juſtum & rationale videretur explanarent univerſi. Ad hæc populus clamoribus maximis excitatis, palmis in cœlum extenſis, uno animo parique ſententia clamabat, ipſum ſolum optare in regem, nec alium præter eum velle quomodolibet recognoſcere, vel alteri obedire. Quæſivit ſecundo, ſi in hac ſententia omnes perſeverarent; illi rurſum dextris manibus ad cœlum levatis, quaſi fidelitatem & obedientiam ipſi promittentes, fauſta ei acclamabant. Quibus geſtis, idem dux aſcendit cathedram eminentem illic in medio aulæ locatam, pannis aureis decenter ornatam, ita ut ab omnibus clare poſſet & ſine obſtaculo videri. Iterato populus magnis & altiſonis vocibus acclamabat eidem palmas protendens in ſublime, ut prius. Quo facto, deſignavit diem coronationis ſuæ, videlicet 13. Octobris, in qua celebratur apud Anglicos feſtum S. Eduardi regis, requirens univerſos, ut ad ipſam coronationem die præmiſſa apud Londonias non omitterent convenire ſine mora. Deinde adveniente die præfixa, quæ erat Dominica, ſabbato præcedente venit idem dux ad Londonias cum multo equitatu, & in craſtino fecit milites novos 46. Deinceps, prandio finito, ſedens ſuper equum niveum, diſcooperto capite, proceſſit verſus caſtrum ſuum, deinde *Weſtmonſter*, cum filio ſuo primogenito equitante a dextris, cum ſex ducibus, ſex comitibus & baronibus 18. militibus autem fere nongentis. Sequebatur autem eum numerus magnus civium & mercatorum extero um in equis æſtimatis ad ſex millia, præter pedites quorum non erat numerus. Omnes autem vici & plateæ civitatis per quos tranſire debebat, operti fuerunt pannis diverſorum colorum & baldekinis deauratis, & per conductus quoſdam artificioſe compoſitos, defluebat in duobus fontibus abundantia vini albi & rubei.

In craſtino autem dux rite confeſſus, audivit tres miſſas, præſentibus univerſis prælatis, epiſcopis, archiepiſcopis & abbatibus regni, factaque eſt ſolemnis proceſſio, ſequentibus eum ducibus & nobilibus, veſtitis colobiis longis de ſcarleto foderatis. Cum autem ingreſſus eſſet eccleſiam, illic erat locus prominens ultra ceteros & elevatus, ſuper quem erat cathedra ſive thronus regius egregie perornatus pannis deauratis. Quem conſeſtim aſcendit, omnibus veſtibus regiis adornatus, demta ſola corona. Aſcendit etiam locum eminentem archiepiſcopus Cantuarienſis, primas totius Angliæ, exhortans populum ad referendum gratias Deo immenſas, qui talem ac tam egregium virum miſiſſet eis in regem & defenſorem ſuum ac principem, inquirens alta voce, ſi placeret univerſis quod ipſum conſecraret & inungeret in regem. At illi ſolito more magnis clamoribus, palmis in altum levatis, acclamabant ei: Placet, & volumus ut ita fiat. Statim deſcendens dux, proceſſit verſus altare majus, illicque ablatis veſtibus in præſentia duorum archiepiſcoporum & quindecim epiſcoporum, conſecratus & inunctus eſt ad caput, ad pectus & utramque ſcapulam & inter humeros, & in ambabus manibus; deinde poſita eſt cydaris linea ſuper caput ejus, cantante clero lætaniam & orationes ad id conſuetas & pertinentes. Deinde indutus eſt dalmatica more diaconi, calciatus ſandaliis rubeis & uno calcari ſine rota; & poſt hæc gladius juſtitiæ datus eſt in manibus ejus, quem ſtatim repoſuit in vaginam; quo mox præcinxit eum archiepiſcopus Cantuariæ. Deinde coronatus eſt corona S. regis Eduardi arcuata ad inſtar crucis, acclamatumque eſt a cunctis: Vivat rex.

Miſſa cantata, omnibuſque rite celebratis, rex egreſſus eccleſiam, intravit aulam regiam, & paratum eſt prandium ingens & honorabile ſupra modum. Ad menſam regis ſedebant archiepiſcopi Cantuarienſis & Eboracenſis, necnon & epiſcopi 17. ante quem a dextris ſtabat primogenitus ejus tenens gladium eccleſiæ; a ſiniſtris conſtabularius regni, tenens gladium juſtitiæ; & juxta eum alter tenens ſceptrum regium.

Inter prandendum intravit aulam quidam miles cui nomen erat *Dinſoch* bene & de-

center armatus, ſedens ſuper equum altum & procerum, quem præcedebat alter miles, ferens ante eum haſtam & gladium evaginatum, habens ſicam vel daggam ad latus. Iſte præſentabat regi ſchedulam continentem hanc formam verborum: Si quis hic adeſt vir nobilis miles aut militaris, qui præſumat affirmare regem Heinricum non rite ac juſto titulo coronatum in regem Anglorum, veniat & ineat mecum ſingulare certamen, aut aſſignet diem aut locum quo audeat comparere; illic me reperiet rite paratum ad duellum ſubeundum. Subſequenter juſſu regis hyraldus unus ad ſex angulos aulæ ſimilia verba proclamabat, ſed nullus erat qui ſe auderet opponere. Levatis menſis lotiſque manibus & ſpeciebus datis, abiit rex in thalamum ſuum, & omnes lætum duxerunt diem.

Damaſcus populatur a Soldano Tormētilla.

Anno MCCCC. Soldanus Turquiæ Tormentilla ſub certis conventionibus ingreſſus eſt Damaſcum, civitatem opulentiſſimam; de qua ſublatis primo cunctis ingenioſis operariis & artificibus in opere textrino ſerici & pannorum pretioſorum expertiſſimis, ſumtiſque theſauris inæſtimabilibus, reverſus eſt in terram ſuam.

Ejecto Wenceſlao rege Bohem. eligitur Rupertus.

Eodem anno electores imperii perpendentes regem Romanorum Wenceſlaum, dietim committere multa quæ non conveniunt regiæ dignitati, ut præmiſſum eſt, nec reſtare ſpem correctionis vel emendationis, convenerunt apud Bopardiam, & illic, eo reprobato, elegerunt in regem Romanorum ſuum coelectorem Rupertum, ducem Heyldebergenſem & Bavariæ ac comitem palatinum Rheni, virum in armis ſtrenuum, conſiliis providum, ac Deo devotum ac defenſorem eccleſiæ præcipuum. Quam tamen electionem Bonifacius IX. ad tempus confirmare diſtulit certas ob cauſas.

Stabulenſii dicto.

Eo tempore cum nobilis vir Johannes de *Steenvarſt* burgravius de *Montjou* diu nimiſque in territorio S. Remacli fuiſſet infeſtus, prædas abinde frequenter abducens, Stabulenſes quadam die cupientes ſe de injuriis illatis ulciſci, terram ejuſdem nobilis ingreſſi ſunt cum peditibus numeroſis, cum ſuo ſignifero Sandero de Roſmelli, quem Warnerus de Scleida, pro tunc abbas eccleſiæ Stabulenſis, in poeſtaldum patriæ ſubſtituerat vice ſua. Cumque dictus domicellus de *Monjouvven* illis occurriſſet, ex adverſo viriliter hinc inde decertatum eſt. Et primo quidem congreſſu ceſſit victoria Stabulenſibus: poſt paululum autem ſupervenit inopinate dominus de *Heinsberg* cum armatis multis Alemannis, & irruens ſuper jam feſſos, eoſque feriens ſagittis, haſtis & gladiis a tergo multos ex ruricolis maxime de *Ockiers* loricatos trucidavit, aliquantos etiam captivavit, & finaliter ob redemtionem captivorum totam abbatiam lamentabiliter, & irreparabiliter deſolavit, & ad penuriam magnam perduxit.

Res novas moliuntur Hoyenſes.

Per idem tempus Hoyenſes ob ſuos enormes exceſſus frequenter moleſtati & convocati ad annulum palatii, totis viribus inſudabant, ut illam juriſdictionem domino Leodienſi auferrent; & ut id commodius efficerent, aliquanta oppida patriæ apud Waremiam convocarunt, ubi multis perſuaſionibus præmiſſis, Trajectenſes & Dyonenſes in ſuam deflexerunt ſententiam: at Sancti-Trudonenſes, qui per prius ſuum principem offenderant, datis duobus millibus & quingentis florenis Rhenenſibus, animum principis ad pacem emollierunt. Tungrenſes vero cum Haſſelenſibus individue Leodienſibus contra ipſos adhæſerunt. Cum igitur Hoyenſes certa die Leodium conveniſſent, & communitatem in palatio epiſcopali convocaſſent, ſatis humiliter ſe de impoſitis excuſabant, dicentes ſe nolle domino ſuo juriſdictionem, quam ſui prædeceſſores uſque tunc inviolabiliter exercuiſſent, auferre: ſed poſtularent quod illa auctoritas determinaretur & explanaretur, ut ſcirent evidenter, ob quos exceſſus ad ipſum annulum debuiſſent convocari, ac de cetero caverent incidere talem labyrinthum, ac dominum ſuum offendere. Sed, infecto negotio, Hoyenſes ad ſua remearunt, cum animorum perturbatione non modica, ſpe ſua prorſus fruſtrati.

Flagellantiū ſecta reviviſcit.

Iiſdem diebus reviviſcere cœpit ſecta Flagellatorum, quorum aliquanti venerunt apud Trajectum; quos ſtatim primores oppidi volebant expellere; ſed obſtabant eis multi populares & plebei, qui facta eorum laudabant & approbabant, adeo ut burgimagiſtros proſcriberent & pleroſque alios qui deteſtabantur eoſdem. Unde & poſtmodum aliquanti ex eis per dominum Leodienſem appellati ſunt ad annulum palatii & pœnis pecuniariis mulctati. Cum autem dicti ſuperſtitioſi veniſſent apud Viſetum, dominus de *Pervveis* in ergaſtulis recluſit eos. Tungrenſes etiam clauſerunt eis portas, ne ſectis ſuis inficerent cooppidanos eorum, ſicque retuſa eſt eorum intentio per regiones univerſas.

Stephan. dux Bavar. Leod. inde in Franciam contendit.

Item ſexta Novembris venit Leodium Stephanus dux Bavariæ, pater reginæ Francorum; cui venienti occurrit cum magno ſuorum nobilium & equitum apparatu dominus Leodienſis conſanguineus ejuſdem, uſque ad portam S. Walburgis. Sed ut plenius poſſet idem dux civitatem contueri, ductus eſt juxta monaſterium S. Ægidii; cujus ſitum & populoſitatem gratiſſime commendavit. Conabatur autem tota mente dominum Leodienſem & ſibi ſubjectos inducere ut adhærerent Ruperto duci Bavariæ nuper electo in regem Romanorum. Abinde feſtinavit in Franciam inviſere filiam ſuam reginam, quæ propter infirmitatem regis nimium graviter erat afflicta.

Rupertus Coloniæ coronatur.

Anno primo poſt MCCCC. in ipſa ſacra Epiphania Domini, Rupertus in regem Romanorum electus, Coloniæ primæ coronationis ſuſcepit inſignia a Friderico de *Zuarverden* archiepiſcopo. Nam cives Aquiſgrani, ubi locus coronationis eſſe conſuevit, ab ipſo rege electo & a principibus electoribus requiſiti, ipſius coronationem admittere recuſabant, aſſerentes id eis non licere, donec ab obedientia regis Wenceſlai & a juramento fidelitatis ſibi præſtito fuiſſent abſoluti. Ea propter dicti cives a Ruperto rege in perſonis & facultatibus moleſtati, per civitates imperii circumcirca tamquam rebelles plurima ſuſtinuere diſpendia, & banno imperiali ſunt ſubjecti.

Primogenitus regis Francorum veneno tollitur.

Eodem tempore circa finem Januarii primogenitus regis Francorum, qui jam in conjugium ſumſerat Jacobam filiam ducis Guillelmi, comitis Hannoniæ, Hollandiæ, &c. veneno poſito, neſcio per quem, in orificio loricæ ſuæ intoxicatus eſt. Cujus mors repentina Francigenis luctum intolerabilem incuſſit, utpote quem regni ſperabant heredem.

Peſtis magna Leodii.

Eodem anno peſtis epidemiæ graviter debacchabatur per partes Germaniæ & Burgundiæ, &c. præſertim Leodii & in vicinia, quorum numerus ea tempeſtate illic defunctorum æſtimatus eſt ad duodecim millia. Porro in monaſterio S. Jacobi Bertrandus abbas cum duodecim religioſis tunc deceſſit, & vix totidem vivi remanſerunt. Poſt cujus obitum tres ſucceſſive fratres ejuſdem loci in abbates ſunt electi, ſed nemo ex eis voluit vel coactus onus aſſumere. Tandem quartus dictus Johannes *Sordell* eleemoſynarius, cum maxima difficultate & adjuratione inductus eſt ut onus cum honore ſuſciperet; de quo princeps terræ & ceteri peroptime fuerunt ædificati, maxime cum in multis monaſteriis multi ad dignitates hujuſmodi ſolent aſpirare, & interdum multis donariis eas impetrare; quæ tamen tantis non abundant divitiis temporalibus.

Factiones inter Galliæ principes.

Anno MCCCCII. cum Francorum rex Carolus infirmaretur ex phreneſi, ut ante præmiſſum eſt, & interdum lucida haberet intervalla ſine plenaria curatione, dux Aurelianenſis frater regis totis votis anhelabat, ut pro fratre regnum poſſet gubernare, & haberet cuſtodiam corporum regis & filii ſui adhuc pueruli. Verum Johannes dux Burgundiæ, & dux Bituricenſis obſiſtebant ei. Nam imperium regis & regimen regni in ſeipſos contorquere volebant. Quapropter magna partialitas inter optimates & communitates terræ ſuccrevit, in tantum ut dux Burgundiæ circumcirca ſuos mandaret apud Pariſius amicos & conſanguineos convenire

Pariſios venit Johan. Bav.

die præfixa; inter quos venit dominus Johannes de Bavaria Leodienſis electus, non ſpeciem præſulis, ſed Hectoris aut Achillis repræſentans, cum electa comitiva procerum & magnatum terræ ſuæ, una cum fratre ſuo Guillermo duce comite Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, &c. De Flandria quoque & Brabantia equites numeroſi. Illic etiam advenerunt comites S. Pauli & Namurci cum aliis, quorum nomina mihi ſunt ignota. Inter ceteros autem principes præcipue fuit magnificatus Leodienſium epiſcopus, cum ſtupore civium Pariſienſium, qui talem tamque potentem epiſcopum in ſua regione numquam per prius viderant, non infulatum aut cappatum, ſed loricatum & galea indutum, & enſe militari præcinctum ad latus, ut principem decebat terrenum.

Rupertus Mediolanum deinde Romam contendit.

Eodem anno, verno tempore, Rupertus Romanorum rex cum nobili multorum illuſtrium principum apparatu, quos ex Alemannia conglobaverat, tranſalpinare diſpoſuit, ſuſcepturus Mediolani & deinde Romæ cetera inſignia ad imperatoriam majeſtatem requiſita. Cui præ ceteris obſtabat Galeas de vicecomitibus Mediolani comes Aſtenſis, cum ſibi cohærentibus principibus Italiæ & Lombardiæ. Quo viſo rex ſupradictus, timens ſibi meatus anguſtos intercludi per Lombardos, qui cluſæ dicuntur, feſtinato repatriare curavit, non ſine gravi diſpendio vectigalium, curruum & mobilium ſuorum; ſicque inefficax & inglorius rediit ea vice, theſauros paternos illic expendens. Famabatur præterea quod dominus Sigiſmundus rex Hungariæ, multum anhelabat ad imperium pro fratre ſuo Wenceſlao rejecto ab eodem, propter ſuam inſipientiam & inſolentias infinitas: ſed in vanum laboravit, majori parte principum Alemanniæ & electorum imperii favente cordialiter Ruperto, quem ſibi præfeceranr.

Reverti cogitatur.

Quinta die Maii ex impetu tonitrui & operatione ſatanæ graviter detrita eſt turris S. Petri in Leodio.

De ſchiſm.

Adhuc eo tempore grave ſchiſma graſſabatur in eccleſia Dei ſub Bonifacio & Benedicto, immo verius *Malefacto & Maledicto*, vel Beneficto, qui in baptiſmo ambo Petri dicti ſunt, unus de Luna alter de Tornacellis, quorum interpretatio utrique juſte poteſt convenire. Nam, ut notum eſt, luna menſtruis agitationibus immo diurnis circumfertur in tantum, ut ſapiens dicat: Stultus ut luna mutatur. Tornacellus autem, id eſt trocus parvus, in ludo puerorum ſemper eſt in continua circumvolutione: Sic & hi duo circa papatum ſe quotidie circumferebant, & animos Chriſtianorum circumvolvebant. Sed Francorum principes ad neutralitatem tendebant, ita ut nec uni nec alteri eorum adhærerent, ſed æqualiter ambobus diſplicerent, & omnes ab eorum obedientiis ſequeſtrarent.

Guillelmus dux Gelriæ diem obit.

Obiit eodem anno Guillelmus dux Gelriæ magnus belligerator, qui, ſicut præmiſ-

ſum eſt, pluribus vicibus moleſtaverat Brabantinos & Leodienſes, & regiones circumvicinas, multa quoque inſuper intulerat damna, lites & injurias.

Haidrotiorũ conjuratio adverſus electum & electum Leod.

Anno MCCCCIII. quidam filii iniquitatis, Gallice *Haidroits*, id eſt odientes jus & æquum, cives Leodienſes cœperunt rebellare contra dominum Leodienſem electum inclytum Johannem de Bavaria, nitentes contra Deum, juſtitiam & rationem poſſetenus deſtruere juriſdictionem eccleſiaſticam in pleriſque modis & formis, ipſumque dominum electum privare, ac alium intrudere in præſulatum [4] Leodienſem, (a) & ſicut incœperunt contra Bonifacium papam ſuoſque cardinales, ita & contra ſuum electum & omnes eccleſias procedere conati ſunt inconſulte, necnon & omnia bona eccleſiaſtica furripere, & his ſimilia deteſtanda facinora perpetrare moliti ſunt, frangendo videlicet turrim officialis, quæ eſt carcer clericorum; captivos aliquantos ſceleratos liberando, canonicos majoris & ſecundariarum eccleſiarum proſcribendo de civitate & patria, redditus epiſcopales ſibimet uſurpando, & in his & aliis juriſdictionem domini enormiter lædebant & infringebant. Quamobrem idem dominus hæc amplius conniventibus oculis diſſimulare non valens, cum ex juramento ad protectionem libertatum eccleſiæ teneretur, curiam ſuam ſpiritalem a Leodio in Trajectum tranſtulit pro Theutonicis, & in Hoyum pro Gallicis. De quo non immerito indignati qui in talibus lucrari ſolebant, in hoſpitiis & foro venalium, procurantibus dictis malignis viris, cives in palatio congregati de ſubſtituendo mamburno, qui dux belli foret, contra ſuum principem, de facto concordarunt. Fama ſiquidem vulgari percrebuit inſtinctu malignantium, quod dictus electus cives in maximam ſervitutem redigere proponebat, franciſias ac libertates eorum per fas & nefas ſuppeditare, & ante januas domorum ſuarum ſuſpendere, quodque idem dominus, relicto præſulatu, conjugium inire volebat, & hujuſmodi mendacia in odium ſui confingebant.

Hæreſis. Pervulgaretur mamburnus.

Deinde rebus labentibus ſemper in deterius, XII. Julii dominum Henricum de *Horne* dominum temporalem de *Pervveis*, clamore, fremitu, tumultuque ſeditioſo ſuborti, in ſuum mamburnum ſeu patriæ tutorem fieri acclamabant, aſſerentes quod dominus electus patriam ab inimicis viriliter non tutabat, in his omnibus non cauſam pro cauſa ponentes, & quærentes occaſiones in peccatis & calumniis ſtudioſis. Quam quidem creationem mamburni, & ſuam invalidam electionem per capitulum Leodienſe auctoriſatam confirmari & ſigillo ſuo robo-

(a) Urgebant enim ut aut ſacris initiaretur aut certe epiſcopatum abdicaret, &c. quæ prolixius exequitur Suffridus Petri, cap. 4. & Erkſenius poſt eum ad annum 1403.

rari requirebant. Quod cum illi præmiſſis rationibus efficacibus facere recuſarent, maxime cum electio mamburni cauſis juſtis extantibus non ad populum, ſed ad ſolum capitulum ſpectaret de jure & conſuetudine præſcripta, nec hac vice cauſam haberent id attentandi, ſed propter bonum pacis ipſi domini capituli libentiſſime de concordia inter dominum & capitulum facienda ſe vellent intromittere, & ſui principis animum ad manſuetudinem inflectere, nec ſuis ſudoribus aut expenſis omnimodis parcere vellent. Populares ſuper his nimium commoti, terribilibus vocibus perſtrepere cœperunt, clamantes, quod eſſent traditi & venditi, ſtatimque dictos canonicos in loco capitulari congregatos, & habitu clericali ſolemniter ſuperveſtitos per ſuos ſatellites & complices illic obſeraverunt, & per totam illam noctem uſque in craſtinum, hora majoris miſſæ, ſine cibo & potu recluſos cuſtodierunt, cautè præcaventes ne quis effugeret; ſicque coacti darent quod pridem ſpontanee concedere recuſabant. Inſuper & prohibebant ſollicitè ne quis de familiaribus, propinquis aut amicis dominorum intraret aut colloquium cum eis haberet. Parabant ſiquidem dictos dominos in craſtinum producere populo ut decollarentur. Quamobrem non ſatiati tantis injuriis, altera die, quæ fuit ultima Julii, convocatis in palatio civibus univerſis, & his etiam, qui circumcirca infra banni-leucam demorabantur, major pars populi inſtinctu civium proborum & honorabilium, quibus res nimium diſplicebat, dictos dominos injuſte recluſos relaxari debere judicabat, renitentibus tamen burgimagiſtris & ceteris, qui malorum fuerant incentores.

Hunc canonici probare renuunt.

Plebs furibũda in eorum necem conſpirat.

Sed placatur tandem prudentia optimatum.

His igitur ad tempus pacatis, tandem miſſi ſunt aliquanti probi & honorabiles viri ad dominum electum pro tunc in Trajecto reſidentem, quorum precibus & prudentiis, reperta ſunt certa media rationabilia, per quæ hujuſmodi deteſtabilis diſcordia inter dominum electum & ſuam civitatem ſuborta, fuerat tranquillata. Odium tamen quod in cordibus dictorum Haidrotiorum ſuſcitatum fuerat, nondum poterat radicitus extirpari ab eiſdem.

Pace igitur aliquantulum reſarcita, & domino Leodienſi ad ſuam civitatem reverſo, de conſenſu utriuſque partis deputati ſunt ſexdecim viri, qui ſe ad locum certum retraherent, inde non receſſuri, quouſque viſis & examinatis cauſis, ob quas hujuſmodi controverſia ſuborta fuerat, modos & formas ordinarent, per quos tam libertates & franciſiæ civitatis, quam etiam juriſdictio domini temporalis ac ſpiritualis nequaquam imminueretur, & ut ſententialiter per modum inqueſtæ ſcrutarentur nomina eorum qui dicti diſſidii fomes erant & promotores.

Electus revertitur Leodium.

Hi vero deputati libenter onere præmiſſo

ſuſcepto, ad oppidum Tungrenſe profecti ſunt, ubi tandem certos articulos, aviſamenta & moderationes rationabiles & congruos in ſcriptis redactos, præhabita matura deliberatione, concluſerunt & ordinarunt, qui tam per dominum & ſuum clerum, quam per civitatem & patriam viroſque generoſos gratanter & dignanter ſunt acceptati & approbati.

Nomina autem eorum hic libet inſerere. Inprimis ex parte domini electi miſſi ſunt dominus Johannes Ægidii præpoſitus Leodienſis poſtea cardinalis, magiſter Johannes de *Oxen* ſcholaſticus & officialis Leodienſis, Johannes de Rupe, & Johannes de *Clochier* ambo milites & ſcabini Leodienſes. Ex parte capituli Leodienſis dominus Walterus de Momalia archidiaconus Hannoniæ, Oliverius de *Male* cantor, Johannes de *Haccourt* & Robertus de S. Laurentio canonici Leodienſes. De parte nobilium, dominus Wilhelmus de *Horion*, Ægidius *Surlet*, Johannes de Seranio, & Wilhelmus de *Warous* milites. Porro pro parte civium deputati ſunt Ægidius de *Bierſes*, Ludovicus de *Ernau*, Jacobus de Salmis, & *Reynkin* urbani viri, probi & honeſti.

Quæritur in Hadrotios. Præmiſſi pacificatores initis tractatibus, & facta inquiſitione diligenti ſuper incentores diſcordiæ prioris, noviſſime novemdecim compererunt iniquos & ſceleris reos, quos in ſcriptis nominatim redactos, poſt ſuam regreſſionem ad civitatem mox ſeptima die Octobris, populo in palatium more ſolito convocato, de conſenſu civium in præſentia domini & omnium membrorum patriæ, publice & manifeſte nominarunt, qui dicti mali radix fuerant & origo. Qui cum nomina ſua coram cunctis legi audirent, ſtatim timentes cuti ſuæ, clam de palatio receſſerunt, & fugam arripientes amplius in publico comparere non audebant.

Plures exilio mulctantur. Inter hos præcipui fuerant, Balduinus de Rupe armiger, Laurentius Lamberti carnifex, qui eo tempore burgimagiſtrûm fuerat alter; ſed & Jacobus *Baddu* pavimentator calceatæ, vir doloſus & omnium artium malarum & vetitarum ſecutor. Item, Lambertus Gregorii licentiatus in utroque jure, vir conjugatus, reprobus & omni malitiæ deditus, qui etiam juxta famam publicam, magiis & invocationibus dæmonum ſe juvabat, cujus conſilio & ordinatione cuncta diſponebantur iniquorum conſilia. Item, dominus Mathæus de Glano canonicus ſanctæ Crucis Leodienſis, Helias & Mathias de Flemalia latomi fratres. Aliorum nomina brevitatis cauſa [aſcribere] ſuperſedeo. Per hos, inquam, iniquitatis & ſeditionis alumnos ſæpius commota eſt civitas univerſa, & idcirco *tradidit eos in reprobum ſenſum, ut facerent ea quæ non conveniunt.* Hi ſimul una die, tam auctoritate domini Leodienſis, quam per communem deliberationem populi, banniti ſunt & proſcripti in perpetuum extra patriam, ſuis hoc demeritis & culpis exigentibus; ex eo maxime quod comperti ſunt turbationes, commotiones & ſcandala contra ſuum dominum excitaſſe, & conſpirationes peſſimas attentaſſe.

Quibus ita geſtis, mox concurritur ad arma, ne prædicti ſcelerati per ſuos fautores in aliquo poſſent prævalere. Domino autem Leodienſi cum ſuo vexillo procedente ad forum Leodii, confeſtim ſingula miniſteria cum ſuis vexillis circa eum glomerantur, præbentes ſingillatim ſuo principi debitum obſequium fidelitatis & adhæſionis contra rebelles ſupradictos. Et cum uſque ad veſperam diei illic expectaſſent armati, tandem ad propria diſceſſerunt, vigiliis & excubiis nocturnis per civitatem opportune tunc ordinatis.

Hæc autem bannitio ſive proſcriptio dictorum novemdecim impiorum fuit roborata litteris ac ſigillis tam domini Leodienſis, quam ſuæ civitatis, ſub ea conditione, quod una pars ſine conſenſu alterius eoſdem non poſſet revocare. Et deſuper extitit hinc inde fides data ſeu compromiſſio facta de illis numquam revocandis, cum tamquam hoſtes publici, conſpitarores ac ſeditioſi civitatis & patriæ fuiſſent proclamati. Verum cum poſt paululum unus ex prædictis, dictus Collardus de *Blanc-moyne* caſu comprehenſus fuiſſet, confeſtim omnium judicio in foro Leodienſi ſententiam ſubiit capitalem. Sicque pauliſper conquievit illa turbatio, cum peſtilentes de terra fuiſſent eliminati.

De ſchiſm. Eodem anno cardinales, qui ſuo Benedicto ſubtraxerant obedientiam, certis ex cauſis una cum civibus Avenionis 29. die Martii in caſtro Rainardi Avinionenſis diœceſis, ſub certis pactis & conditionibus plenam obedientiam ei reſtituerunt, præſente illic domino Ludovico Siciliæ & Jeruſalem rege, duce Andegavenſi, ac comite Provinciæ cum aliis.

Lidwina virgo admirabilis floret in partibus Hollandiæ. Eodem tempore in partibus Hollandiæ in oppido cui vocabulum eſt *Schiedam*, erat quædam virgo vere admirabilis & Deo digna, cui nomen erat Liedwina. De hac refert liber geſtorum ejus, quod cum eſſet annorum quindecim, & hyemali tempore ſtaret ſuper glaciem cum ceteris coætaneis ſuis virginibus, fortuito caſu una ex eiſdem ſodalibus, ut mos eſt regionis, excitans ſemet ſuper glaciem, habenſque ſoleas ſubtus ferratas, ignoranter præcipitavit dictam Lidwinam ſuper glaciem fortiſſimam, de quo caſu confracta eſt una coſtula lateris ejus, ex qua colliſione juxta coſtam comminutam ſubortum eſt ingens apoſtema, quod nulla medicorum arte poterat curari. Tribus igitur annis in feſtivitate paſchali quando communicari debebat, cum maxima difficultate de-

ferentibus eam parentibus inter brachia, vel cum apodiamentis ligneis ad ecclesiam convenire solebat, potius reptans quam gradiens. Post hæc incidit in diversimodas infirmitates, videlicet febres tertianas atque quartanas, calculum & hydropisim, adeo quod infra spatium annorum triginta trium in lecto jaceret immobilis & resupina, nec terram tangeret. In primordio quidem languoris per annos circiter 19. usa est parvissima portiuncula sucari vel pomi calefacti ad ignem in tenella ad magnitudinem communis hostiæ. Successu temporis prædicta virgo tanto desiderio afficiebatur circa sumtionem Corporis Christi, quod ad minus semel infra quindenam oportebat eam sumere sacram Eucharistiam, nulloque alio corporali utebatur alimento; sicque per annos decem & novem nullum omnino sumserat edulium, præter solum corpus Domini, usque ad diem mortis suæ. Cumque nullum corporalem cibum facile posset ad interiora trajicere, tamen ad trajiciendam sacram Eucharistiam naturalem meatum libere habebat præparatum. Porro cum ejus intestina præ longa inedia & infirmitate fuissent evacuata, attamen ita venusta cernebatur in vultu, ac si deliciarum copia frueretur. Frequenter autem rapiebatur in excelsis, & angelo duce freta, nunc pœnarum loca, nunc beatorum percurrebat gaudia. Ad se vero rediens, quid & cui proferret quæ viderat ponderabat. Cumque per annos 38. sine interpolatione languisset, tandem defuncta est anno Domini MCCCCXXXIII. ætatis suæ anno 53. dominante in Hollandia illustrissimo principe Philippo duce Burgundiæ, Brabantiæ, &c.

Rom. pont. confirmat Ruperti electionem, subinde retractat.

Anno MCCCCIV. reprobato, ut prædictum est, Wenceslao rege, propter suas insolentias & enormitates, cum ante quadriennium principes imperii, & præsertim tres archiepiscopi, videlicet Moguntinus, Trevirensis, & Colonienſis elegissent in regem Romanorum dominum Rupertum ducem Heidelbergensem, Bonifacius papa prædictam electionem hoc anno, victus importunitatibus electorum approbavit & confirmavit, quod adhuc facere distulit certas ob causas. Quo facto, paulo post, videlicet prima Octobris idem papa morte subitanea & infestissima febre & calculo graviter attritus, decessit e sæculo, cum præsedisset annis 14. Porro cardinales illius obedientiæ schismati novum fomitem præbentes, nec ad unionis formam

Sufficiens causa. Bononienſis.

mentes dirigentes, statim elegerunt in summum pontificem dominum Cosmatum cardinalem Bononiensem de regno Neapolitano oriundum, quem Innocentium VII. nuncupare voluerunt, Petro de Luna, qui in sua obedientia Benedictus XIII. est nominatus, in suo primævo errore apud Avenionem cum suo collegio remorante.

Insulæ Leodii.

Eodem anno in insula Leodii ultima Augusti, erectum fuit quoddam castrum ex asseribus & lignis compactum, ad cujus expugnationem non solum cives Leodienses, sed & Hoyenses & Tungrenses convenerunt, blada, flores, rosas, denarios argenteos celebri ludo in illud jacientes. Deinde choræa hominum utriusque sexus inchoata est, quæ ambiens ecclesiam B. Pauli, & juxta domum Carmelitarum abinde usque ad Prædicatores protendebatur in longum, & in angulis uniuscujusque vici vel plateæ tubicines & mimi cum instrumentis musicis illic chorisantes jocundabant. His tidis similes in Leodio per prius numquam fuere visi; quos suspicor aliquid mali futuri præsagisse, quia frequenter extrema gaudii luctus occupat. Siquidem eodem anno in vigilia Omnium-sanctorum, domino Johanne de Bavaria existente in monasterio S. Trudonis, oppidani seditionem tumultuosam in foro venalium contra eum excitare moliebantur, vasis & doliis, curribus ac rhedis circumcingentes aditus fori, ne quis a tergo ipsos posset invadere. Porro dominus electus causam suam omnipotenti Deo committens, assumtis aliquantis de sua familia & amicis quos illic repererat, & quantum temporis expetebat opportunitas, decenter armatis, egressus monasterium confidenter in seditiosos perrexit vulgari more tumultuantes. At tunc famabatur a quibusdam de fautoribus, multos armatos de *Montenak* in subsidium domini per posticum ingressos, & in oppidanos irruituros. Quo nuntio consternati, terga continuo verterunt, sicque cessit victoria principi, & incentores seditionis dignam ultionem pro suo scelere susceperunt.

Trudon. insurgunt in Bavarum & reprimuntur.

Eodem anno decesserunt a sæculo Philippus audax dux Burgundiæ, (*a*) filius Johannis regis Franciæ, necnon & Albertus dux in Bavaria, comes Hannoniæ Hollandiæ & Zelandiæ, filius Ludovici Bavari Romanorum imperatoris. Is, sicut præmissum est, fuerat genitor domini Johannis de Bavaria electi Leodiensis.

Obitus insignium principum. [*a*]

Anno MCCCCV. rursus iteratur seditio Leodii contra dominum Johannem de Bavaria, instinctu malignorum hominum qui nuper proscripti fuerant, culpis eorum exigentibus; quorum fautores & propinqui magistros civitatis cum ceteris primoribus & gubernatoribus ministeriorum inflammabant contra principem, pejora prioribus accumulantes, & ipsum in suis jurisdictionibus, tam temporali quam spirituali enormiter injuriantes, & finaliter ipsum dominio suo privare & alium intrudere molientes.

Iterum tumultus Leod. excitatur adversus electū.

Cumque in primis electus seditiones hujuscemodi non valeret extinguere, curiam spiritualem cum suis pertinentiis universis, sigillo & officialatu, ad Trajectum iterato transtulit, & actus judiciales inibi teneri ple-

Officialis curia Trajectū transfertur.

[*a*] Hallis 26. Aprilis.

narie voluit & exerceri, ut ſaltem hoc medio ipſos a cœptis peſſimis revocaret.

Johan. Ægidii præpoſitus Leod. creatur cardinalis.

Hoc anno venerabilis vir magiſter Johannes Ægidii præpoſitus Leodienſis, natione Normannus, per Innocentium papam ad cardinalatum promovetur, & ad obedientiam plenariam Innocentii, repulſo Petro de Luna, reducuntur Leodienſium electus, clerus & populus patriæ univerſus indilate.

Fruſtra de pace tractatur.

Anno MCCCCVI. aliquanti probi & honorabiles viri quibus Leodienſium diſſentio diſplicebat ex corde, ad Johannem de Bavaria pro tunc Trajecti præſidentem profecti ſunt, ut de pace tractarent inter eum & civitatem ſuam, & curiam ſuam referret ad locum debitum. Sed habitis & tentis pluribus parlamentis & diætis inter partes, quoad concordiam perfectam inefficax fuit eorum labor, procurantibus id fautoribus bannitorum, eo fine, ut diſcordia tali vigente, intermedio tempore factione ſuorum ad civitatem libere poſſent revocari.

Johannes de Rupeforti in mamburnum poſtulatus, honori cedit.

Excreſcentibus igitur hujuſmodi maiis, patria apud Leodium congregata, per univerſos concluſum eſt ſexta die Septembris, præter Trajectenſes & Sancti-Trudonenſes, creari debere mamburnum Johannem dominum de Rupeforti & *Agimont*: qui temere onus ſagaciter recuſans, cum dominis de capitulo majori acceſſit dominum electum apud Trajectum, ſi forte pacem poſſet aliquibus modis reformare: ſed nihil boni concludebatur, vel peragi valebat, niſi prius juriſdictione debita domino electo integraliter & plene reſtituta. Et quamvis pro tunc nihil actum ſit, attamen idem Johannes a Leodienſibus in mamburnum poſtulatus, ad civitatem non curavit reverti, ſed ad terram & dominia ſua ſe contulit, cedens honori & oneri ſibi oblatis.

Deferetur Perweſio nec abnuit.

Interim Johannes de Calceata pro tunc burgimagiſter Leodienſis, fingens ſe proficiſci ad limina B. Mariæ in Hallis, venit ad dominum Henricum de *Horne*, dominum temporalem de *Pervveis*, cujus uxor conthoralis de ſtirpe dominorum de Rupeforti fuerat procreata, cui omne virus quod in pectore ſerpentino delituit evomens, omnem ei ſtatum & eſſe civium Leodienſium denudat, dominum electum in multis falſo nimis incuſat, & finaliter ad ſuſcipiendam mamburniam patriæ, & rebellionem contra ſuum principem arripiendam inducit. Sed & filium ſuum Theodericum archidiaconum Haſbaniæ, eo medio in Leodienſem epiſcopum ſublimandum, excluſo Bavaro, indubitanter affirmat, & animos civium & procerum patriæ ad votum ſuum inflectendos, vellent nollent eccleſiaſtici viri, repromittit. At Henricus his ſibilis venenatis infectus & cupidine regnandi illectus, & ingratitudinis macula nimium reſperſus, non recordans quod tempore ſui patrui domini Arnoldi de *Horne* Leodienſis epiſcopi, de facultatibus Leodienſis eccleſiæ ſuſtentatus, in virum egregium & locupletem excreviſſet, cum jam ſexagenarius foret, & dorſo recurvus validus & ſtrenuus pridem in armis, ſed jam viribus & facultatibus debilitatus, multis debitis involutus, onus mamburniæ ſe libenter ſuſcepturum promiſit, & hoc reſponſo Johannem prædictum lætum ad propria remiſit.

Quanta hinc ingrati animi nota inuſta ſit.

Prænotandum tamen eſt prædictum dominum Henricum famam ſui nominis in hac re ultra quam dici poterit denigraſſe, & ſuo domino, qui tot ei bona contulit, cui etiam juramentum fidelitatis fecerat, nimis extitit ingratus. Siquidem dominus Johannes de Bavaria in omnibus actibus arduis eum, utpote conſiliarium ſuum præcipuum, ceteris nobilibus prætulit; ſuſtentans eum in ſuis expenſis cum ſex equis in ſuo hoſpitio; ſed & ſeneſcallum totius comitatus Loſſenſis eum conſtituit, in quo officio annis 14. præfuit, & divitias exinde multas cumulaſſet, ſi rei familiaris curam ſolertius habere ſciviſſet. Dein filium ſuum Theodericum ad præbendam Leodienſem & archidiaconatum Haſbaniæ benevole, liberaliter & gratioſe promovit. Quibus omnibus nonobſtantibus, perſuaſione prædictorum iniquorum bannitorum, ſuorumque complicum ſe ſeduci permiſit, ita ut contra ſuum principem ſe erigeret, & malo ſuo rebellionem excitaret. Unde, proh dolor! in poſterum in verticem ejus iniquitas deſcendit, & ultio divina longius eum vivere non ſinebat.

Accenſus Leod. ſtatus quæ ejus cura. tur epiſcop.

Igitur rebus in deteriora ſemper & quotidie labentibus, iniquitatis alumni ſæpedicti, ut dominum Johannem de Bavaria a ſuo præſulatu propellerent, & ipſi ad civitatem, de qua banniti fuerant, libere poſſent reverti indeſinenter per ſe ſuoſque complices practicarunt, ut dictus dominus de *Pervveis* & filius ejus ad civitatem venirent; quibus illic venientibus, mox ad ejus adventum dicti banniti civitatem quoque ſunt ingreſſi latenter, & adſtatim in craſtino XXVI. Septembris, populo civitatis ad palatium convocato, multiſque in infamiam & accuſationem ſui principis illic actitatis, tandem ad inſtigationem dictorum proſcriptorum, necnon & Johannis & Henrici de Calceata fratrum, quorum unus magiſter civium, alter villicus erat, Theodericum de *Pervveis*, tumultu & clamore nimio ſuſcitato, in ſuum epiſcopum elegerunt, & Henricum ejus genitorem in patriæ mamburnum ac tutorem, in Dei offenſam perpetuam, eccleſiæ Leodienſis injuriam, damnum & moleſtiam civitatis & patriæ, dominorum eccleſiæ majoris ac totius cleri vilipendium, populi Chriſti fidelis & catholicorum omnium turbationem infeſtiſſimam, & in animarum ſuarum periculum ſempiternum.

Inſuper

Inſuper eadem die prædicti banniti per ſequelam totius communitatis a proſcriptione ſunt abſoluti, & ad civitatem eodem ſero palam & patenter reverſi, non obſtantibus juramentis & ſigillis in contrarium pridem fabricatis.

Favebant ſæpedictis iniquitatis alumnis alii in populo præeminentiores Theodericus de *Ramey*, Henricus dictus *Malchar*, Bartholdus de *Cranhe*, Henricus Anſelmi & Johannes *le Maiſtre*, qui ſociata ſibi multitudine furenti, in craſtino jus epiſcopale, quod provocatio ad annulum palatii dici ſolet, infregerunt; & ne quiſquam propter qualeſcumque enormes exceſſus ad illum appellari poſſet, ex oppidis & villagiis totius patriæ vetuerunt.

Leod. relicto Innocent. deficiunt ad Bened. XIII.

Nec his contenti, ad cumulum ſuæ damnationis Theodericus de *Pervveis* Leodienſium electus, totaque patria ſummo pontifici Innocentio, cui dudum reconciliati fuerant, ſtatim obedientiam ſubtraxerunt, & Petro de Luna, qui Benedictus XIII. in ſua obedientia vocabatur, adhæſerunt. Deinde idem T. Johannem Yſwini epiſcopum Tripolitanum, qui nuper Mechliniæ, fama vulgante, multa commiſerat abſurda, matrimonia diſſolvendo legitima, & alia pleraque contra canones committendo, ſuum ſuffraganeum ſeu vices gerentem in pontificalibus promovit, necnon magiſtrum Henricum de *Loen* inveteratum dierum malorum, & focariam publice tenentem, in officialem ſublimavit.

Capitulum electionem epiſc. & mālium probare renititur urbemque excedit.

Denique non ſatiati tantis injuriis primores civitatis, in dominos capituli majoris inſurrexerunt, requirentes ut ſuæ factioni conſentirent, & electionem ſui Cornuti epiſcopi approbarent cum mamburnia patris ejuſdem, alioquin mortem non evaderent. Qui cum tam deteſtabiles & enormes præſumtiones nollent approbare & ſigillare, ſine mora fugæ præſidium quærentes, uniformiter omnes ad oppidum S. Trudonis ſe tranſtulerunt, uno demto, qui patris ſui Balduini de Rupe monitis & minis contraire non audebat. Quamobrem efferati populares ſuique primores, dominos capituli majoris velut transfugas mox proſcripſerunt, domos clauſtrales diruerunt, bona mobilia ſubtraxerunt, & ad uſum ſui & intruſi in foro vendiderunt plus de his offerenti; fructus & emolumenta præbendarum primo uſurpaverunt, & tandem ſuis eos beneficiis privantes, proles & affines ſuos illis de conſenſu Theoderici prædicti ditaverunt, & nonnulla per ſimoniam vendiderunt.

Neque his contenti omnes decani, prælati, abbates, canonici & monachi ad præſentiam populi in palatio convocati, precibus & minis requiſiti ſunt, ut electionem ſui intruſi, tamquam juſte & rite factam, juxta canonicas ſanctiones approbarent cum juramentis, ac ſigillis roborarent. Quod cum illi facere recuſarent, mox violenter in palatio recluſi ſunt ſpatio 17. horarum, clamante vulgo, quod oporteret cum ſpata nova condere jura, & hujuſmodi probra ac contumelias eis inferentes. Unde nonnulli metu mortis perculſi, contra ſuas conſcientias non ſponte ſubſcripſerunt, & intruſi electionem laudaverunt.

Et maxima pars cleri, & optimus quiſque.

In craſtino maxima pars cleri latenter ſe a civitate ſubtraxit, quos cives locupletes, multi quoque nobiles & generoſi viri, relictis domibus & facultatibus, a civitate digredientes ſubſecuti ſunt. Alii verſus Trajectum, alii verſus Brabantiam, alii verſus Hannoniam aut Namurcum diverterunt.

Sed & ſcabini Leodienſes & feudales, viri generoſi ac timorati, ſentientes ſe præmiſſa cum honore tolerare non poſſe, nolentes etiam juramentum fidelitatis præſtitum domino Johanni de Bavaria abnegare, & intruſo præſtare, ſe ſuoſque cum facultatibus periculis evidentibus ſubmiſerunt, & in manus diripientium cuncta reliquerunt. Qui poſtquam hoc modo receſſiſſent a civitate, ſtatim omnes & ſinguli nominatim, tam clerici quam laïci, voce præconia ad peronem proſcripti ſunt, & a patria banniti, præbendis eorum aut diſtributis aut venditis, aut alio quovis modo diſtractis, velut proditores & conſpiratores, & hoſtes patriæ.

Bavar. bel movet.

Quibus omnibus & ſingulis ad aures illuſtris principis domini Johannis de Bavaria Trajecti perlatis, ille ſuos ex Alemannia & aliunde vocavit amicos, qui uno animo parique conſenſu Leodienſes diffidarunt; quorum princeps & primicerius fuerat dominus Johannes de *Heinsberg* & de *Levvemberg*, vir ſtrenuus & in armis experientiſſimus, qui juxta Viſetum irrumpentes, aliquantas illic villas campeſtres incenderunt.

Perveſius obſidet S. Trudonem & capit.

Quo percepto, mamburnus patriæ dominus de *Pervveis* in vigilia Omnium-ſanctorum cum civium Leodienſium copioſa multitudine verſus Viſetum direxit iter ſuum, tamquam hoſtes invaſurus: verum, mutato conſilio, cum eiſdem armatis ad oppidum S. Trudonis, quod inter cetera domino Johanni de Bavaria magis erat favorabile, ſe reflexit, & inopinatos obſedit, ſciens illic magnam partem dominorum capituli Leodienſis confugiſſe. At oppidani in arcto poſiti, cum longius reſiſtere nequirent obſidentibus, apertis portis, ſalvis rebus & corporibus, Cornutos intromiſerunt, factaque deditione, canonici qui illic confugerant, ad Namurcum & alias partes non ſine metu corporum diſceſſerunt.

Moritur Innocent. VII.

Nec mora, ſexta Novembris Innocentius VII. apoplexia & paralyſi diſſolutus, viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, cum vix annis duobus & uno menſe præſuiſſet; cui mox ſubrogatus eſt Gregorius XII. pridem dictus

Angelus Corrario, natione Venetus, in ſchiſmate poſt hæc obſtinatiſſimus.

Poſt quæ mamburnus audiens caſtrum de *Bulhon* per Bavaros receptum ac ſaiſitum, exercitum adunans, caſtrum obſedit. Quod poſtquam duorum menſium ſpatio cum damnis ſuorum circumvallaſſet, tandem illic incluſi penuria victualium angariati, & caſtro ictibus machinarum petrariarum penitus attrito, ſalvis rebus & corporibus abſceſſerunt illæſi.

Theodoricus Perveſius intruſus confirmatur a Bened. XIII.

Et quoniam, teſte philoſopho, uno inconvenienti dato multa ſequuntur, poſtquam dictus Theodericus de *Perveis* ab obedientia Innocentii VII. & Gregorii XII. ſe cum ſuis fautoribus ſubtraxiſſet, miſſo ſpeciali nuntio Jacobo *Baddu*, totius præſentis malitiæ conſultore, bigamo & doloſo, verſus Avinionem, a Petro de Luna, qui Benedictus XIII. in ſua obedientia vocabatur, obtinuit proviſionem ſedis & epiſcopatus Leodienſis, tamquam vacantis per obitum domini Euſtachii Perſandi, qui olim poſt annos ſexdecim, poſt mortem domini Johannis de *Erkel* confirmatus fuerat in epiſcopum Leodienſem per Robertum Gebennenſem, qui & Clemens VII. prædeceſſorem Benedicti ſupradicti. Qui tamen velut palmes inutilis a patria tota repudiatus eſt, cauſis juſtis ſubſtantibus; & Arnoldus de *Horne* eidem ſubrogatus, immo verius prælatus, qui & decem annis pacifice & quiete dictum præſulatum obtinuit & gubernavit. Deinde per medium domini Guidonis Pictavienſis & Ludovici de Fliſco cardinalium Benedicti ſæpedicti, clam & ſecreto, neſcientibus ceteris cardinalibus, tranſiit hæc expeditio, multa ſibi pecunia promiſſa partim & data. Et poſt hæc idem Theodericus ad obtinendum dictam epiſcopalem dignitatem de plenitudine poteſtatis habilitatus eſt, non obſtante defectu ætatis, impreſſione populari, ſchiſmatis participatione, clericorum expulſione, libertatum eccleſiaſticarum infractione & aliis multis, quæ longum foret hic interſerere. Obtentum eſt inſuper quod idem Theodericus ad omnes ſacros ordines uno die poſſet promoveri, qui nondum erat annorum viginti trium, & quod ſibi ſuoque antipapæ non parentes poſſet juridice compellere, & omnibus dignitatibus, præbendis & facultatibus privare de facto.

Cum autem dominus Jacobus *Baddu* expeditis ad votum cauſis pro quibus Avenionem ierat, rediret; in itinere juxta civitatem Lingonenſem captus eſt, & Pariſios adductus ex mandato ducis Burgundiæ: ſed procuratione ducis Aurelianenſis Ludovici, qui domino Johanni de Bavaria fuerat commotus, pro eo quod in ſuccurſum æmuli ſui ducis Burgundiæ olim cum multo equitatu properaſſet, emiſſus eſt.

Deinde dictus Theodericus intruſus Leodienſis, ſingulos preſbyteros juramentum fidelitatis ſibi præſtare coëgit ſub hac forma verborum: « Ego N. juro fide media ſtare « & firmiter remanere in vera obedientia ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri « domini Benedicti hujus nominis papæ XIII. « una cum reverendo in Chriſto patre & domino domino Theoderico de *Perveis* electo Leodienſi confirmato, & venerabilibus « viris majoris & ſecundariarum eccleſiarum « Leodii, decanis, vicedecanis, & capitulis & « populo civitatis Leodienſis, & totius patriæ « epiſcopatus Leodienſis, ducatus Bullonii & « comitatus Loſſenſis. Quodque ſi prædictum « dominum electum Leodienſem ſeu aliquam « aliam perſonam de majori aut ſecundariis « eccleſiis prædictis propter obedientiam hujuſmodi contigerit in beneficiis vel dignitatibus aut alias quovis modo vexari, turbari « vel gravari; ego illi & illis ſic vexatis, turbatis & gravatis fideliter aſſiſtam in defenſione, conſiliis, auxiliis & favoribus opportunis toto poſſe meo; & nihilominus juro « fidelem, bonam & legalem ac obedientiam « ex nunc in antea eſſe me dicto domino electo Leodienſi, & ejus genitori atque eorum « amicis, fautoribus & complicibus, necnon « civitati & patriæ Leodienſi, contra Johannem de Bavaria & ejus complices. Sic me « Deus adjuvet & hæc ſancta, &c. » Qui autem juxta hanc formam jurare nolebant, continuo beneficiis, dignitatibus & honoribus privabantur tamquam hoſtes reipublicæ & ſeditionis auctores.

Juramenti fidelitatis Theod. intruſo præſtiti.

Prænotandum hoc de electione Gregorii XII. quod mortuo, ut præfertur, Innocentio VII. priuſquam cardinales ad electionem procederent, exiſtentes in conclavi inter ſe magno zelo ſtatuerunt & compromiſerunt ac ſolemniter jurarunt, quod ſi eorum aliquis in papam aſſumeretur, pro unione in eccleſia Dei redeunda, & ſchiſmatis exſtirpatione, renuntiaret papatui & juri quod ſibi competere poſſet in illo; dum tamen dominus Benedictus ſimiliter renuntiaret vel moreretur, dummodo cardinales qui ipſi Benedicto adhæſerant, vellent convenire cum dictis cardinalibus Romæ exiſtentibus, quod ſequeretur electio unius veri & indubitati paſtoris. At Gregorius confeſtim in papam electus idem juramentum renovavit, & manu propria ſub nomine Gregorii iterato ſubſcripſit. Sed & bullas ſuas ad dominum Benedictum, & ad omnes fere principes Chriſtianitatis tranſmiſit, quod ea volebat inviolabiliter obſervare: ſed tamen poſt aliquanta tempora videns Benedictum vocaliter dumtaxat, & non ex animo ad id diſpoſitum, cœpit recalcitrare ex inſtinctu nepotum ſuorum Antonii epiſcopi Mothonenſis & Panli Corrario. Inſuper & omnes qui ſibi de ceſſione mentionem faciebant exoſos habuit ſupra modum. Nam ex condicto cardina-

De ſchiſm.

lium utriuſque partis cum pro unione eccleſiæ adipiſcenda Gregorius in Luca, Benedictus in Portu-Veneris convenissent, poſt multas colluſiones inter ſe factas, videntes cardinales in Luca exiſtentes pertinaciam ſui Gregorii, omnes, uno demto, ab eo receſſerunt verſus Piſanam civitatem. Quorum receſſum Gregorius moleſte ferens, armigeros ſuos miſit, ad comprehendendum vivum vel in fruſta concidendum dominum Johannem Ægidii cardinalem Leodienſem; qui cum, protegente Deo, manus ſicariorum evaſiſſet, domus ejus in Luca exiſtens prædæ eſt expoſita, & omnia mobilia ad manus camerarii papæ comportata.

Præcipui cives Leod. fautores ſcribuntur eſſe Bavari.

Anno MCCCCVII. menſis Junii die ultima inſtinctu ſemper iniquorum, qui Leodium gubernabant, in loco communi ſuper forum decapitati ſunt præcipui viri, videlicet dominus de *Horion* pater, & Wilhelmus ejus filius, ambo milites, necnon Nicolaus Tector dudum burgimagiſter, Johannes de *Corſivarem* & Johannes de S. Martino, pro eo quod Johanni de Bavaria favere famabantur, & facta reproborum deteſtanda non approbabant aut laudabant, ut ſic ceteris major incuteretur metus.

Cives oppriminur.

Deinde ſtatuerunt ut juvenes canonici, qui ad annum 23. non pervenerant, dimidia præbenda contenti eſſe deberent, antiqui vero plenis præbendis fruerentur: ſed eorum quilibet duos equites decenter proviſos de ſuis ſuſtentaret contra dominum de Bavaria & ceteros, qui patriam infeſtabant.

Externa auxilia quærit Bavarus.

Perpendens igitur vir longanimis dictus Johannes de Bavaria ſine ſuffragio amicorum ſuorum non poſſe ſe ſolum machinationibus iniquorum obſiſtere, perſonaliter iter arripuit verſus Franciam, Angliam & Alemanniam, ubi a regibus & principibus, præſertim duce Burgundiæ, & ſuo germano comite de *Nyviers*, quibus omnibus in linea affinitatis & propinquitatis attinebat, non mediocriter, aſſiſtentia & ſubſidio infallibiliter ſibi promiſſis, ſub tali ſpe rediit ad germanum ſuum Guillelmum Hannoniæ, Hollandiæ, &c. comitem, virum bellicoſum & auſterum. Illic conſilium ſumſit de loco & tempore quibus commodius patriam Leodienſem invadere & recuperare poſſet. Et ſtatuta eſt dies certa, qua hæc fieri debebant, videlicet vigilia Michaëlis archangeli in Septembri.

Quæ illi de diffidant Leod.

Quæ cum minime latuiſſent Leodienſes, illi per nuntios mandaverunt Antonio duci Brabantiæ, quod Rupertus rex Romanorum ducatum Brabantiæ ad ſe jure imperiali devolutum, propoſuiſſet invadere, & ipſum abinde vi armorum propulſare; quodque ob eam rem facilius obtinendam dominum Johannem de Bavaria ad Trajectum occupandum præmiſiſſet, quo ei commodior ingreſſus ad Brabantiam abinde pateret; ipſi quoque Leodienſes dicto duci Antonio ſuum exercitum libenter commodare vellent, ne talia per regem prætenta provenirent, & Bavarus de Trajecto pelleretur. Cum autem hæc veriſimilia viderentur, in primis prædictus dux mandavit illico fratres ſuos ducem Burgundiæ & comitem de *Niviers*, & alios quamplures præcipuos magnates Franciæ, ut ſibi in ſuccurſum venirent indilate contra regem Romanorum, qui ſuam patriam invadere proponebat.

Quibus auditis, prædicti principes per occaſionem quæ ſupervenerat impræmeditate, verſus dominum de Bavaria ſe excuſarunt, rogantes ut hac vice patientiam haberet. Nam ſine falſo in ſequenti æſtate nullatenus ei deeſſent, ſed cum gente multa certiſſime ſubvenirent. Sicque fruſtratus ſpe ſua Bavarus, aliquantos auxiliares qui venire debebant, redire fecit ad propria, gratulantibus ſuper hoc Leodienſibus, quia per eorum cavillationes factum Bavari caſſatum fuit penitus & annulatum. Deinde volentes duci complacere Leodienſes, ſimulabant ſe velle procedere ad cuſtodiam paſſuum in territorio Aquenſi contra Alemannos venturos in ſubſidium regis Romanorum; ſub quo prætextu prima die Octobris in vexillis & armis proceſſerunt verſus villam de *Wonck*, illic pernoctantes, & exercitum ducis præſtolantes, credentes firmiter quod Trajectenſes propter metum ducis ipſis portas reſerare deberent; *ſed mentita eſt iniquitas ſibi.* Siquidem Trajectenſes conſulte ſua diſponere cupientes, quatuor ſibi capitaneos delegerunt, quibus honorem & ſalutem ſuam integraliter commiſerunt, ſociatis ſibi duobus burgimagiſtris pro tempore, videlicet Antonio *Iſerman* & Arnoldo de *Heere*. Nomina capitaneorum fuerunt hæc: Godenolus de Eldris, Theodericus de *Mobertinghen*, Johannes de *Cinei* & Henricus *Vovier*.

Trajectum invadere moliuntur.

At dux Brabantiæ poſt ſeptimam diem venit ad duas leucas prope Trajectum; unde perſonaliter inviſens exercitum Leodienſem, gratiarum actiones immenſas de bona affectione & promtitudine obſequii retulit. Et propter hæc famabatur certa pacta cum iiſdem iniiſſe, ut poſtquam Trajecto potiretur, confeſtim expulſo Bavaro illos intromitteret.

Brabant. dux eorum exercitum benigne ſalutat.

His ita geſtis, mandat dux Trajectenſibus, ut ſibi ſuoque comitatui decenter occurrant, portas reſerent, eumque ut dominum temporalem recipiant, & ad caſtrum Falconismontis exercitui tranſitum parent. Reſponderunt cives, ſe gratiſſime ipſum ut dominum mediæ partis temporalis dominii feſtinato recepturos: nec tamen propterea domino Johanni de Bavaria, ad quem media juriſdictio temporalis, & integra ſpiritualis ſpectare dinoſcebatur, cui etiam homagium & fideliratis præſtiterant juramentum, velle

Recipitur Trajectum.

abrenuntiare, donec ipſemet ceſſerit aut de-
Rejecti Leod. ceſſerit, nullam ſibi portionem fore cum
Theoderico de *Pervveis* intruſo, ſupplicantes duci, ut ſe de Leodienſibus nullatenus vellet intromittere.

Tranſ'it igitur exercitus ducis Trajectum non ſimul & ſemel, ſed per cuneos, ſedentibus civibus ad portas cum armis, obſeratis omnibus viculis lateralibus cum vectibus, catenis & repagulis; proc debatque directo itinere de porta dominorum Montium ad portam de *Wick*. Et primo quidem intromiſſi circiter ſexcenti currus & rhedæ victualibus oneratæ & equites aliquanti, deinde circiter ducentæ lanceæ. Altera ſimiliter die cuneus unus intravit. Tandem poſt prandium dux ipſe, ſcilicet nona Octobris, cum ſuis ingreſſus ſuſceptus eſt honorifice cum ſolemnitatibus conſuetis; & facto apud S. Servatium juramento ſolito, in craſtinum profectus eſt ad caſtrum Falco-montis; ſicque toto triduo non ceſſabant cives intromittendo & emittendo ducis exercitum per turmas ſuas.

Qui graviter indignati hoſtilia inferũt Trajectenſ. Audientes igitur Leodienſes ducem pacifice tranſiſſe Trajectum, indignati ſunt vehementer, aſſerentes eum fregiſſe pactum, violaſſe fœdus, mandantque *comiti de Nyviers*, qui in ſuccurſum fratris venerat cum Francis, ne fines ſuos intrare præſumat, alioquin ei occurrerent armati. Qui perpendens non eſſe tutum cum eis confligere, verſus Franciam lora retraxit. At comes S. Pauli cum pacem facere conaretur inter Leodienſes & Trajectenſes, nullatenus eſt exauditus: ſed ut aliquid feciſſe videretur, treugas ſex hebdomadarum ſpatio duraturas, inter eos impetravit, quæ tamen male ſunt obſervatæ. Nam poſt receſſum ducis Leodienſes mox omnia quæ ad oppidanos Trajectenſes circumcirca ſpectabant, arreſtarunt & occuparunt. Unde illi offenſi, ſcripſerunt domino electo pro tunc in Hollandiæ partibus demoranti, ut in adjutorium ipſorum venire
Traject. Bav. adrocant. non tardaret; nam portas ei libenter aperirent, & contra Leodienſium inſolentias & injurias cum totis viribus ſuſtinerent.

Mox Bavarus, his auditis, cum pulchra comitiva proborum & ſtrenuorum virorum 26. Octobris Trajectum ingreſſus eſt, & a civibus jucundiſſime receptus. Venerunt præterea in ejus ſubſidium multi proceres & præcipui viri ex Alemannia ad bella promtiſſimi; e quibus ſex deputati ſunt capitanei & duces belli, videlicet dominus de *Heinſberg*, de *Rey*, de *Zeide*, de *Wienarde*, de *Elpenſtein*, de *Merode*, & de *Milendonk*, omnes milites probatiſſimi. Sed & Trajectenſes veriſimiliter timentes obſidionem futuram, manſiones, quæ in ſuburbio apud S. Petrum erant fabricatæ, incenderunt, ne de eis hoſtes ſibi munimenta & latibula conficerent.

Tandem nonobſtante hyemis aſperitate, nivibus & gelu, patria Leodienſis & Loſſenſis cum ſuo mamburno 24. die Novembris Trajectenſes obſidione cinxerunt, foſſata, valla & repagula lignea componentes contra inſultus hoſtium inopinatos, machinis petrariis, fundiſque & mangonalibus circumcirca ſagaciter ordinatis. In qua quidem obſidione uſque ad ſeptimam diem Januarii ſubſequentis demorati, parum aut nihil deſcriptione dignum peregerunt, nivibus & gelu cogentibus eos ad propria cum confuſione repedare. Et cum infinitos lapides in oppidum cum impetu horriſono projeciſſent, & plurimas domos & tecta comminuiſſent, pauciſſimi exinde homines læſi ſunt, Deo ipſos qui pro juſtitia decertabant præſervante miraculoſe. Obſidetur.

Eodem anno die 23. Novembris inter decimam & undecimam horam noctis Ludovicus dux Aurelianenſis, comeſque Bleſenſis, Valeſii, Aſtenſis in Pedemontium, Sueſſionenſis, Engoliſmenſis, & Bellimontis, ac dominus de *Couchy*, gubernator regni Francorum pro fratre ſuo rege tunc infirmo, & gubernator ducatus Lutzemborgenſis, atque filius ſecundogenitus quondam Caroli v. Francorum regis, dum de domo regia apud S. Paulum Pariſius ſita, aliquantis equitibus aſſociatus, cum facibus & luminibus præcedentibus verſus ſuum hoſpitium, ſitum prope templum, reverteretur, in publica platea Pariſius miſerabiliter fuit interemtus, brachio dextro ſibi amputato: cujus homicidii perpetrator famabatur fuiſſe quidam Radulphus de *Acketonvilhe* Normannus armiger, cum ſuis commanipularibus, & diu jacuit in luto plateæ, proh dolor! obvolutus & ignotus. Tandem clamore vulgi ſuſcitato, & cædis auctoribus libere diſcedentibus, fuit levatus, & in craſtino apud monaſterium Celeſtinorum fuit honorifice tumulatus. De cujus obitu multa jactabantur, quæ non ſunt relatu digna. Quæ quidem cædes fuit radix & origo belli quod per annos circiter 45. in Francia duravit, & regnum fere totum deſolavit, duce Burgundiæ ſe cum Anglis contra Francos confœderante, vel ſaltem malitiis eorumdem connivente. Nam error cui non reſiſtitur approbatur. Cædes duris Aurelian.

Anno MCCCCVIII. regreſſis Leodienſibus ab obſidione Trajecti propter hyemis aſperitatem, Bavari frequentiſſimis vicibus erumpentes, damna intolerabilia finitimis intulerunt. Et primo quidem munitiunculam de *Wonck* cum parte villæ ſuppoſito igne concremarunt; villam quoque de *Millen* populoſam, in qua ſtatio Cornutorum locata fuerat, ſimili modo demoliti ſunt, plurimis illic adverſariis proſtratis, vulneratis & captivatis, eccleſia ſola periculum ignis evadente. Dein villas de *Houten*, Nivellam, *Trexche*, *Herderen*, & alias juxta Baliſiam oppidum Damna Leod. illata a Bav.

conſtitutas, ignis abſumſit. Poſt hæc Tungrenſes 16. Februarii doloſe per ſtratagemata extra portas allecti, cum juxta *Herderen* villam perveniſſent, 140. de ſuis amiſerunt. Præterea cum pro cuſtodia Biliſiæ certi ſtipendiarii Anglici deputati cum oppidanis inconſulte fuiſſent egreſſi, centum & quinquaginta trucidati vel lethaliter vulnerati ſunt ex illis, & aliquanti ad vincula minati.

Clades Leod. Succeſſu temporis, videlicet decima Maii, domino Johanne de Bavaria profecto ad diverſas regiones pro ſubſidio fortiori contra hoſtes conquirendo, domini de *Reide*, de *Mylendonck* & Steifardus de *Merode* cum ſuis equitibus Trajectum egreſſi verſus oram Gallicam, in qua decem miniſteria Leodienſium adeſſe cognoverant, profecti ſunt. Hi leonino more ſuper Cornutos irruentes, plurimos ex fabris & multoribus, fugato mamburno, peremerunt. Unum tamen multorem, virum reprobum & perverſæ conditionis primicerium, vocabulo *Michelot de Preal*, comprehendentes, cujus hortatu nuper duo milites de *Horion*, pater videlicet & filius in Leodio decapitati ſunt, impoſitum dorſo equi juxta domum de *Lichtenborch* abduxerunt, quem nobilis vir Hermannus de *Horion* filius & frater dictorum militum, in ultionem ſanguinis eorum innocenter effuſi, perſonaliter ad arborem illic ſuſpendit. Qua confuſione perlata Leodii ad ceteros comminiſteriales, murmure maximo propter hunc in civitate ſuborto, mamburnus furori populi cedens, cum ſex millibus peditum & trecentis equitibus egreſſus ad locum de *Lichtenborch* cadaver jam triduanum & fœtidum deponi fecit ab arbore, & ſuper bigam locatum ad civitatem reduci, arbitrantibus multoribus per hoc factum notam confuſionis & ignominiæ quam pertulerant a frontibus eorum deterſam.

Secunda Trajecti obſidio. Tandem quotidie ſuccreſcentibus malis, penultima Maii Trajectum per omnia oppida & villas patriæ Leodienſis & Loſſenſis ſecunda obſidione circumvallatum eſt, putantibus cunctis per abſentiam principis cives ad deditionem compellendos, & proceres Alemanniæ receſſuros. Diſtinctis igitur aciebus circumcirca citra & trans Moſam juxta exigentiam pluritatis vel populoſitatis oppidorum, pontes ex navibus compactis ac tabulatis ligneis trans Moſam fabricati ſunt, per quos ambo exercitus ſe mutuo poſſent inviſere, & ſi opus foret, contra inſultus hoſtiles ſubvenire. Jecoram præterea fluviolum per alveos & foſſas illic factas ad alia loca derivantes, Trajectenſibus ſubtraxerunt, unde molendinæ molere conſueverunt. At oppidani, nova practica comperta, molas alias ſuper decurſum Moſæ fabricari fecerunt, cum catenis ferreis illas colligantes, per quod ingeniolum fruſtrati ſunt conatus Leodienſium, nec umquam oppidanis defecit farina.

Subſidio venit Bavarus. Edoctus autem Bavarus de ſecunda ſuorum obſidione, continuo ſeptima Junii per medium cuneorum hoſtilium, qui viderant & inviderant, nec impedire tranſitum poterant, ingreſſus eſt Trajectum. De cujus reditu ſuis maxima ſuccrevit jubilatio, & contra mamburnum Leodienſium murmur invaluit, cauſantium in vacuum tempus conſumi propter firmitatem loci. Crevit autem quotidie numerus ſtipendiariorum procerum ex Alemannia, qui ſupervenerant in ſubſidium obſeſſorum.

Porro die decima Junii cum domini de *Vernenborch*, de *Heinsberch*, de *Huſphalize*, de *Riverſtheit*, de Reida cum mille centum equitibus comitatum Loſſenſem aggreſſi, prædam ingentem boum & ovium reducerent verſus oppidum; ſupervenere Dionantenſes, Hoyenſes, Tungrenſes, Haſſellenſes, tranſitum eis intercludere molientes; habitoque permaximo conflictu, cum magna tandem difficultate per medium unius foſſati profundiſſimi tranſierunt, uno ſolo armigero Zigero de *Deſſelt* ex fautoribus Bavari illic ſpeciatim obtruncato.

Et pacem offert. His ita geſtis, dominus Leodienſis dolens ſuos ſubditos, licet rebelles & obſtinatos, dictim ita perire, nec hoc modo bellum terminari, ſingulis oppidis ſingillatim ſingulas ſcripſit epiſtolas, dulces & deprecatorias, exhortans eos ut ſe melius aviſarent, ipſumque ad juriſdictionem priſtinam vellent reſtituere; ſed & aliquantos iniquitatis alumnos, qui mali totius ac diſſidii fomites erant, a ſuo cœtu propellerent, ac obedientiam debitam ſibi conſulte præſtarent, parato poſt omnes injurias & contumelias ipſos ad veniam recipere & benevolum ſe cunctis exhibere, libertatibus & privilegiis ſemper in primævo robore duraturis, quas quidem ſolvere nolebat, ſed adimplere.

Leod. inſolentia. At Leodienſes malignorum qui inter eos verſabantur inſtinctu, adinſtar leopardorum magis ex oblato crudeſcentes, poſt triduum quo reſponſum expectabatur, corticem arboris ad ſimilitudinem litteræ miſſivæ præciderunt & complicuerunt, cui ſeptem cordulas appendentes, ſeptem ſigilla de ſtercoribus boum impreſſerunt, & tanto principi hoc modo tranſmittere in ſui vilipendium non erubuerunt. Quibus ille non immerito ſuper modum efferatus, præhabita deliberatione cum ſuis optimatibus, pleroſque ex his quos captivos tenebat, in oculis exercitus ad furcas juſſit ſuſpendi, deinde ſex aut ſeptem aliis oculos erui & monoculum unum eos præcedere, qui in ultionem contumeliæ prætactæ ſocios cœcatos ad exercitum ductitaret. Inſuper & cunctis amicis & conſanguineis ſuas litteras, de his omnibus querimoniam faciens, deſtinavit, ſupplicans quatenus ſibi ſubſidium ferre maturarent. Nam *ſuperbia eorum qui oderunt eum aſcendit ſemper.*

Indignatus Bav. auxilia convocat.

Nec hoc prætereundum arbitror, quod quinta die menſis Junii & per menſem totum Leodienſes innumerabiles lapides ſpericos ad conquaſſationem Trajecti ſuis fundis petrariis ac bombardis jactare non ceſſabant, quibus culmina & parietes domorum revera magnum pertulere diſpendium: ſed de hominibus, quod mirum eſt dictu, pauciſſimi ex his interemti ſunt, omnipotentis Dei benignitate ipſos miraculoſe ſemper præſervante. De quibus longum poſſem texere ſermonem, niſi lectoris animum ad tædium per multiloquia me provocare timerem, & tragœdiam potius quam hiſtoriam veraciter enarrare.

His ſuccinctim & vix ſuperficie tenus explicatis, pedetentim reſtat progrediendum. Siquidem vix una dies interfluxit, qua partes utræque non ſe viſitarent, hoſtiliter alterutrum jugulantes; & nunc una, nunc altera pars de ſuis adverſariis triumpharet. Nam juxta dictum Pſalmographi, varius eſt eventus belli, & nunc hos nunc illos conſumit gladius.

Adventus copiarũ & ſubſidiorum.

Noviſſime 16. Auguſti fama volante cunctis innotuit, multos principes regionum, duces, comites, barones & militares viros contra Leodienſes fœdus iniiſſe, paratos ad ſolvendam obſidionem, videlicet Burgundos, Flamingos, Picardos, Arteſios, Hannonienſes, Hollandrinos, Friſones & ceteros præcipuos belligeratores. Unde nimium conſternato Leodienſium exercitu, mox 22. Auguſti Dionantenſes, Tudinenſes, Foſſenſes & Covinienſes ad ſua repedarunt, ſatius ducentes ſua protegere quam aliena invadere. Nam paulo poſt dux Guillelmus comes Hannoniæ, vir acerrimus & bellicoſus, cum infinita ſuorum caterva procedens ab Hannonia, oppida ſuæ terræ vicina *Florin Foſſe*, Covinum ſolo tenus demolitus eſt. Dein progrediens ad Sambram fluvium, Fontanis, *Marchinez*, Jemeppiam in ſpiritu vehementi contrivit, caſtrum Tudinenſe propter loci firmitatem relinquens intactum.

Solvitur obſidio Trajecti.

Interim rem in deſperato ponentes Leodini, quoddam inſtrumentum lignеum ex trabibus immenſæ magnitudinis conſtruentes, quod cattum nuncupabant, ſubſtratis artificioſe rotis ligneis ad diruendum muros Trajecti & oppiduli de *Wick* minare cœperunt. At Trajectenſes machinis & petrariis ſuis frontem catti continuo lapidibus ſpericis omnino contriverunt, aliquantis qui ipſum introrſum cuſtodiebant trucidatis; in quo fruſtrata eſt potiſſima ſpes Cornutorum.

Itaque novis rumoribus de ſuperventu magnorum principum & exercitus innumerabilis ad mamburnum perlatis, ſoluta eſt obſidio 21. Septembris, poſtquam diebus 113. miſerabiliter extitit continuata, ſuccenſo clam igne in caſtris. Sicque Leodienſes cum Hoyenſibus, qui ſibi inſeparabiliter adhærebant, ad Leodium remearunt.

Pugna Othcana.

Subſequenti nocte circa auroram, ſignis tubarum datis, rurſum omnes conglobati portam ſanctæ Walburgis egreſſi, exercitum comitis Hannoniæ circa *Herſtaple* & *Rutthen* cum comite Namurcenſi adunatum ac ſoporatum inopinate decreverunt invadere, priuſquam dux Burgundionum cum ſuis turmis illi poſſet ſociari. Igitur vexillo majori tradito domino Henrico de Salmis, præcedentibus ſagittariis aciebuſque diſerte diſtinctis, in campis juxta villam de *Othey* ſua fixerunt tentoria. Conſeſtim innotuit res ambobus principibus ſeparatim caſtrametatis, & verſus locum prædictum in hoſtes ambo ſimul conglobati proceſſerunt. Porro in comitatu ducis Burgundiæ fuerunt comes de *Marre* princeps Oringiæ, domini de Virgiaco, de Cabilone, de Bellojoco, de S. Georgio, de *Lantremogne*, de *Ghiſtel*, de *Gruthuis*, de *Bealmanoir*, & alii multi viri nobiles, quos hinc interſerere ſingillatim longum foret ac tædioſum, cum ſagittariis circiter quinque millibus. Ex his idem dux tres acies diſtinxit. Primæ aciei præfecit dominum de *Vergy*. Secundam idem dux cum baronibus Franciæ, Normanniæ, Flandriæ, Burgundiæ & Arteſii gubernavit. Tertiæ aciei præfuit dominus de ſancto Georgio, princeps ſtrenuiſſimus & in bellis experientiſſimus. At in exercitu domini Wilhelmi fuere Wilhelmus & Johannes Namurci comites, comites de Salmis, domini de *Ligny*, de Angia, de Egmunda, de Borſalia, de *Hævereche*, de *Jeumont*, de *Halley*, *del Hameyd*, de *Tranſegny*, burgravii de Leidis & de Monſordia cum aliquantis militaribus viris ex patria Leodienſi, qui per mamburnum ſuis facultatibus fuerant ſpoliati & exheredati. Æſtimatus eſt exercitus integralis ad triginta quinque millia virorum electorum.

Leod. acies inſtruunt.

Verum Leodienſes, viſis his in loco eminenti, pene tumbas de *Othey* ſuas acies ſtatuerunt, radios ſolis & deſcenſum monticuli pro ſe nitentes accipere. Sed, ſicut ſcriptum eſt: cum diſponere nititur bellum, dominus autem ſalutem tribuit. Siquidem, Domino contra impios dimicante, nubes obſcura ſuperveniens ſolares radios obumbravit, ita ut oculis intuentium prorſus non noceret. Deſcendentes igitur ab equis ſinguli, factique pedeſtres, præmiſſis ſagittariis, & aciebus ſolerter ordinatis, pedetentim & provide verſus exercitum Leodienſium proceſſerunt. Prius tamen quam bellum inchoaretur, per hiſtrionem mandatum eſt Leodienſibus, ut ſi a cœptis iniquis vellent deſiſtere, & ſeſe domino Johanni de Bavaria ſubdere, ac in ſuum principem & dominum recipere, repulſis tamen & excluſis mamburno & filio ejus intruſo cum ceteris iniquis pridem bannitis, adhuc libenter eos ad miſericordiam acceptarent. Spretis his om-

Pax ipſis oblata.

nibus formis pacis quæ liberaliter offerebantur, in ſua pertinacia permanentibus Leodienſibus, æſtimatis ad numerum quindecim millium cum equitibus fere ſeptingentis, commiſſum eſt prælium. Sed ferientibus a tergo Namurcenſibus, de quibus ſibi non præcaverant, & ſagittariis tela jacientibus a dextro & ſiniſtro, Leodienſes ſe viriliter & animoſe vindicantes, aliquandiu perſtiterunt: verum pauperes, quorum illic copia fuerat, inermes & debiliter loricati cum a dorſis ferirentur, primos oppreſſerunt, & in globum magnum exaggerabant; adeo ut non tam haſtis & ſagittis quam preſſuris ſuorum morerentur. Sicque ceſſit cuncta victoria principibus, & de exercitu Leodienſium & Hoyenſium perierunt illic circiter (a) tredecim millia. Sed & mamburnus cum multis nobilibus in eadem acie cum ſignifero de Salmis illic occubuit. Intruſus etiam Leodienſium epiſcopus mortem non evaſit, impletumque eſt in eis vaticinium propheticum cum dato annorum: IBI CECIDERVNT QVI OPERABANTVR INIQVITATEM, EXPVLSI SVNT NEC POTVERVNT STARE.

Victoriantur.

[a]

Necdum principes exuerant arma, & ecce Tungrenſes ignorantes uſque in eam horam quod ſuis contribulibus evenerat, & quam infauſte ſuccceſſiſſet eiſdem, portas egreſſi cum ſuo capitaneo Johanne de *Pervveis*, filio mamburni ſæpefati, verſus locum certaminis proceſſerunt. Quo viſo, captivi universi qui reſervati fuerant jugulantur pene omnes indifferenter. Sed cum Tungrenſes clare cognoviſſent quod adverſarii victoriam obtinuiſſent, verſus oppidum lora retraxerunt, Johanne prædicto verſus Brabantiam conſulte fugam arripiente.

Nuntiantur eadem nocte quæ miſerabiliter geſta ſunt de ſtrage Leodienſium domino Johanni de Bavaria reſidenti apud Trajectum, & nihil eorum ſperanti. Qui mox die ſequenti, ſociato ſibi fratre ducis Clevenſis, domicello de *Arckel*, & ceteris equitibus, quos adunare poterat ad ſummam 1300. lancearum, venit ad Wihoniam munitiunculam, ad quam principes præfati bello peracto ſe retraxerant, omnipotenti Deo & ipſis de perpetratis referens gratias immenſas. Caput autem mamburni præciſum, & ſuper acumen haſtæ defixum, Bavaro in ſignum victoriæ tunc eſt præſentatum.

Poſt horam vero prandii tres principes cum ſuis baronibus redeunt ad locum certaminis, viſiſque cadaveribus occiſorum, Bavarus quamquam de victoria lætus, pietate tamen victus, ex imo cordis longa trahens ſuſpiria, ſuper tanta ſuorum ſtrage condoluit.

Caſtigatio rebellium.

Poſt pauca tres præcipui totius mali promotores vivi comprehenſi ſunt & Bavaro præſentati; quorum primarius Jacobus dictus *Baddu*, in quatuor portiones apud Trajectum extitit depeciatus & exenteratus, Helias de Flemalia in agro decollatus, Ægidius Lamberti ad arborem ſuſpenſus.

His quoque rumoribus perlatis ad Leodium, mox comprehenſi ſunt Johannes dominus de Rupeforti & *Agimont* craſſus & obeſus nimis, Johannes de Seranio miles, & Arnoldus agnomento Juvenis faber ferrarius, illic relicti eo fine, ut fautores Bavari moleſtarent & caſtigarent. Captus eſt etiam inibi legatus Petri de Luna, ab Avinione illic pro ſubverſione civium tranſmiſſus, necnon & Johannes Iſwini ſuffraganeus intruſi, & alii intruſi in præbendas & officia dominorum abſentium numero 26.

Supplices veniam petunt Leod.

Porro cives reſidui, qui manus gladii evaſerant, arrepto vexillo vetuſto, quod a caſu reperierant, ad principes ſunt profecti, veniam ſuper commiſſis implorantes, & dictamini eorumdem ſemet integraliter offerentes, claves quoque civitatis & portarum in recognitionem ſubjectionis repræſentantes; quorum exemplum ſecuta ſunt cetera oppida patriæ ſigillatim.

Tandem 28. Septembris ex mandato principum clerus civitatis & populus univerſus cum crucibus & vexillis proceſſionaliter ierunt ad præſentiam principum in campis caſtrametantium, inter villas dictas *Graes* & *Bolſees* bini & bini, tam religioſi quam ceteri, nudis capitibus & flexis genibus obedientiam veram & humilem demonſtrantes, & veniam de commiſſis ante principem lacrymoſe flagitantes. Et nihilominus 26. captivos eiſdem præſentarunt, qui omnes illic eadem die ſunt decapitati, ac per prona præcipitati. Præterea eodem veſpere legatus & ſuffraganeus præmiſſi cum aliis 24. de ponte arcarum projecti in Moſam ſunt ſubmerſi. Deinde principibus ingreſſis Hoyum pro complendis tractatibus, qui intervenerant de emenda ſolvenda, collecti ſunt obſides circiter quingenti de principalibus patriæ. Qui partim ex juſſu principum ad Inſulas oppidum Flandriæ, partim ad oppidum Montenſe in Hannonia ſine dilatione ſe tranſtulerunt, illic ſpatio trium annorum & ſex menſium, quouſque compromiſſa fuiſſent adimpleta, demorantes.

Nondum ſatiati ſunt hac cæde ſuorum hi qui pridem expulſi fuerant & ſua amiſerant, quin diſſimulante, immo verius jubente Bavaro, de ſuis adverſariis ſe circumcirca vindicarent. Erat hoc videre miſeria. Nam in omnibus pene villis & oppidis innumerabiles pene occiſi ſunt atque ſubmerſi, bonis & facultatibus eorumdem confiſcatis.

Leod. venit Bavarus.

Paulo poſt dominus Leodienſis ad civi-

(a) Cæſorum numerum, inquit Piſenius, non conſtantes ſcriptores produnt. Johannes Stabulaus affirmat periiſſe octo millia trecentos ſexaginta octo. Zantflictus tredecim millia numerat. Uterque eladem ipſam vidit. Monſtreletus attollit ad viginti & octo millia, Suffridus recentior & heſtornus auctor auget aliis octo millibus.

tatem poſt receſſum fratris & ſororii ſui regreſſus, juſſit ſibi deferri omnes & ſingulas litteras, cartas, inſtrumenta, regiſtra & munimenta confecta ſuper libertatibus, privilegiis & franchiſiis civitatis & miniſteriorum, quæ omnia cum vexillis miniſterialium igne concremata ſunt & annullata. Qui vero Leodium non exierant tempore diſturbii clerici & canonici, tamquam rebelles & fautores ſchiſmatis vel diviſionis ſuis beneficiis vel dignitatibus ſunt privati, & alii in eorum locis ſtatim ſubſtituti auctoritate apoſtolica, omni appellatione ſemota.

Litteras omnes privilegiorum igni tradit, &c.

Eadem tempeſtate cardinales utriuſque obedientiæ, tam Italici quam Gallici, perpendentes Gregorium & Benedictum ultra quam expediret de papatu contendentes, immo verius colludentes, nolle pervenire ad viam mutuæ ceſſionis per eos oblatæ, juratæ & voto multiplici reprobatæ, ac ab omnibus fere Chriſti fidelibus approbatæ, nec in locum concordare in quo fieret partium conjunctio pro pace eccleſiæ danda per viam antedictam; quodque ipſi duo contendentes ſe invicem ex propoſito ſeparabant ad loca valde remota, in tantum ut quantum ex facto ipſorum colligi poterat, de pace eccleſiæ & exſtirpatione ſchiſmatis nulla ſpes de cetero haberetur: ipſi domini cardinales apud Liburnium ſub dominio & epiſcopatu Piſano conſtitutum convenerunt, illic ex communi ſenſu decernentes, ut concilium generale utriuſque partis & obedientiæ ad civitatem Piſanam 25. die Martii proxime futuri convocaretur, ubi prædicti Gregorius & Benedictus de papatu contendentes citarentur, eo fine ut ipſi concilio generali utriuſque partis, tamquam viæ ordinariæ, præbeant conſenſum & opem; quodque dicto concilio duo contendentes perſonaliter interſint, debitum ſuum facturi, & ut alias concordatum extitit, promiſſum exhibituri. Super quibus ita concordatis iidem cardinales ſuas patentes & clauſas epiſtolas direxerunt principibus & prælatis ſingulis utriuſque partis & obedientiæ, notificantes pariter deliberationem prædictam, & convocantes eas ad prædictum concilium in loco & termino antedictis. Ex quo cooperante gratia Spiritus ſancti factum eſt, ut omnes prælati, reges & principes ad quos hæc via pervenerat, ipſam approbabant, laudabant & extollebant, parati illam proſequi illique præſtare conſilium, auxilium & favorem. Igitur prædicti duo de papatu colludentes, cum ſcirent concordiam, deliberationem & ordinationem cardinalium ad invicem jam unitorum, volentes, quantum in ipſis erat, pacem eccleſiæ in deſperationem æternam ponere, & concilium generale poſſe tenus impedire, quadam mutua collatione ad invicem habita, ut veriſimiliter apparet, deliberaverunt ſua particularia celebrare concilia, immo potius conciliabula in locis longe ſeparatis & terminis diverſis. Siquidem Benedictus præfatus in feſto Omnium-ſanctorum proxime ſequenti in regno Arragonum apud Perpignianum ſuum concilium celebrare proponebat; Gregorius autem in feſto Pentecoſtes in Ravennatis exarchatu vel patriarchatu Aquileiæ; per quæ tamen concilia nullatenus ſchiſma prædictum poterat exſtirpari, ſed potius augeri & unitas impediri; præſertim cum multi principes neutri ipſorum adhærentes, & ſub neutralitate viventes, ad eorum vocationem venire recuſarent; ſed nec quæcumque in ipſorum conciliabulis decretarentur obſervare curarent.

Concilium Piſanum indicitur.

Anno MCCCCIX. adveniente 25. Martii in qua celebratur Annuntiatio gloriosæ Virginis Mariæ, prædicti cardinales, omnes prælati quoque & ambaſſiatores principum & communitatum in numero copioſo ad dictam civitatem Piſanam convenerunt in eccleſia S. Michaëlis archangeli, a qua proceſſionaliter, ſervato ordine clericali, receſſerunt uſque ad eccleſiam cathedralem, in qua miſſam de feſto celebravit cardinalis de Tureio, & in ipſo officio miſſæ factus eſt ſermo ſolemnis per unum prædicatorem qui tria puncta introduxit; primo, rationabilitatem proceſſus dominorum cardinalium, extollendo eorum auctoritatem: ſecundo, deteſtatus eſt contendentium obſtinationem & malignitatem; tertio, docuit modum procedendi ad unius paſtoris & ſummi pontificis electionem. Quo facto, quoniam dies feſtus erat, ex deliberatione dominorum extitit ordinatum, quod ponerentur ſchedulæ ad valvas eccleſiæ cathedralis, continentes quod omnes compărerent in craſtino in eodem loco, & tunc fieret prima ſeſſio concilii generalis. Inchoatur.

Prima ſeſſio.

In craſtino convenientibus omnibus ex condicto, & celebrata miſſa de ſancto Spiritu per archiepiſcopum Piſanum, factoque ſermone per cardinalem Mediolanenſem Petrum de Candia, cum ceteris lætaniis & ceremoniis ad idem ſanctum opus requiſitis, unus advocatus concilii aſcendit cathedram eminentem in medio eccleſiæ locatam; qui poſt multa dicta & allegata de auctoritate dominorum cardinalium, de convocatione ſeu citatione dominorum contendentium de papatu, lectis citationibus & munimentis ſuis, accuſabat contendentes de contumacia, & cardinales ipſis adhærentes, requirens ut per ſacrum concilium declararentur contumaces. Quo facto, dominus Præneſtinus, velut decanus cardinalium, petiit deliberari per ſingulos, quid eis videretur utile & expediens in præmiſſis. Quibus placuit generaliter ut dicti contendentes ad valvas eccleſiæ cathedralis vocarentur. Ad cujus executionem ſtatim ſe ſubmiſerunt duo cardinales & tres archiepiſcopi cum ceteris notariis

tariis ad hoc deputatis. Cumque ſic citati nequaquam per ſe vel per nuntium comparuiſſent, rurſum dictus Prænestinus petiit deliberari quid reſtaret faciendum. Et cum primo loco ſibi incumberet reſpondere, ſic dicebat: licet dicti contendentes de papatu ſint veri contumaces, & manifeſte teneant eccleſiam in ſchiſmate: tamen quia melius eſt in judicio Dei reprehendi de nimia manſuetudine, quam de nimia ſecuritate, ſi placeret, expectentur uſque in craſtinum. Cui tota ſynodus conſenſit, ſicque terminata eſt ſeſſio prima.

Cum autem pluries vocati & citati more ſolito, non comparerent, tandem ſecunda feria poſt octavas Paſchæ, concilio congregato, ambaſſiatores domini Ruperti electi & coronati in regem Romanorum, ſupplicaverunt pro habenda audientia, ad explicandum aliqua ſibi commiſſa, quæ per modum dubiorum fuerunt per eos propoſita. Quibus ſic propoſitis, & per eos petita reſponſione, commiſſum eſt eis, quod prædicta dubia traderent in ſcriptis, ut ſuper illis poſſent ad plenum informari. Quod finaliter ſatis invite, ſicut apparebat, fecerunt; allegantes quod materiam diſputationis nolebant intrare. Ipſi autem videntes quod eorum propoſita non multum placuerunt ſacro concilio, & maxime quod petebant loci mutationem & termini prorogationem, quo ſpiritu ducti ignoratur, poſt quartum diem, non recepta reſponſione a generali concilio male congregato, ut dicebant, ad ipſum bene congregandum appellaverunt, & appellationem in valvis eccleſiæ affigi fecerunt, & hoſpite inſalutato, ac ſine licentia receſſerunt. Quæ quidem appellatio & eorum allegata ab omnibus frivola & unionis eccleſiæ impeditiva reputata fuerunt, licet per accidens materiæ principali profuerint, & ut famabatur, ad Carolum de Malateſtis gubernatorem Romandiolæ, profecti ſunt.

Eadem die deputati ſunt aliquanti commiſſarii ad conficiendum articulos contra ambos contendentes de papatu; qui tamen omnes finaliter tendebant ad has conciuſiones, videlicet, quod ipſi contendentes reputarentur merito privandi & dejiciendi ab omni honore & jure papali, quod prætendebant ſe habere in eodem. Item quod proceſſus facti per eos contra perſequentes unionem, declararentur nullius fuiſſe roboris aut valoris. Sed & excommunicationes & ſententiæ factæ contra eos annullarentur. Item quod facta per cardinales utriuſque obedientiæ ratificarentur & approbarentur per ſacrum concilium, & quod auctoritate concilii ſupplerentur ſolemnitates juris ſi quæ fuerunt omiſſæ in proceſſu.

Tandem ipſum ſacrum concilium Piſanum quinta Junii, quæ erat vigilia Sacramenti, præhabita frequenti matura delibe-

A ratione cum multis doctoribus ſacræ Theologiæ & juriſperitis & ambaſſiatoribus regum, prælatorum ac principum, nonobſtante contumacia dictorum contendentium de papatu, pronuntiavit, decrevit ac definivit Angelum de Corrario ac Petrum de Luna fuiſſe notorios ſchiſmaticos ac ejuſdem ſchiſmatis antiquati nutritores, defenſores, fautores, approbatores, incorrigibiles & pertinaces, necnon notorios hæreticos & a catholica fide devios, atque promiſſionum, votorum ac juramentorum ſuorum hujuſmodi tranſgreſſores, & eamdem eccleſiam notorie ſcandalizantes, & propterea omni honore & B dignitate etiam papali ſe reddidiſſe indignos; ipſoſque etiam per ſacros canones ab eadem eccleſia fore abjectos, privatos & præciſos; ac privavit, abjecit & præcidit. Inhibuit inſuper eiſdem Gregorio & Benedicto, olim ſic nuncupatis in ſuis obedientiis, eadem ſacra ſynodus, ne quis eorum ſe pro Romano pontifice gerere aut nominare præſumeret; decrevitque dictam Romanam eccleſiam vacare, & per illos, ad quos hoc pertinet, ad ſummi Romani pontificis electionem procedendum; ac omnes & ſingulos, etiamſi imperiali, regali aut alia quavis dignitate C fulgerent, a juramento & obedientia, quibus forte tenerentur aſtricti, penitus abſolutos. Inhibendo etiam omnibus Chriſti fidelibus, ne alicui duorum parerent, obedirent, & intenderent aut præſtarent conſilium, auxilium vel favorem, ſub excommunicationis, interdicti & aliis cenſuris ſive pœnis in tales a canonibus promulgatis. Illos etiam qui forſan hujuſmodi ſententiæ ſacri concilii parere contemnerent, etiam per ſæculares poteſtates compeſci debere. Inſuper proceſſus excommunicationis, inhabilitationis, privationis ordinum ac dignitatum, beneficiorum & officiorum factos contra cardinales D qui eidem concilio adhæſerunt, nullius eſſe vel fuiſſe roboris, valoris aut momenti.

Subſequenter cardinales utriuſque obedientiæ concorditer elegerunt in ſummum pontificem, unicum, verum & indubitatum paſtorem eccleſiæ dominum Petrum de Candia, pridem de ordine fratrum Minorum, cardinalem Mediolanenſem vulgariter nuncupatum, quem Alexandrum v. vocabant. Sicque duo parietes in hunc unum lapidem angularem reprobatum ab ædificantibus convenerunt, & factum eſt ex duobus gregibus E pridem longe diſtantibus unum ovile & unus paſtor.

Poſt hæc VII. Julii Alexander papa miſſam celebravit in eccleſia Piſana; qua finita, ipſe una cum cardinalibus & prælatis multis venit ante eccleſiam in alto ſcafardo, ubi coronatus fuit per dominum cardinalem de Saluciis, utpote decanum centenorum cardinalium. Deinde omnes prælati mitrati aſcenderunt equos & proceſſionaliter iverunt

per civitatem; ita quod abbates præcedebant, quos immediate ſequebantur archiepiſcopi & epiſcopi; poſt patriarchas veniebant cardinales, ultimo omnium papa indutus pontificalibus & thiara cum tribus coronis exornatus. Poſt modicum cardinalis de Saluciis, relicta proceſſione, receſſit ad quemdam locum cum capitaneo Florentinorum, ubi invenit Judæos, qui ſuam legem Moſaïcam præſentaverunt in rotulo, quam recipiens præſentavit papæ. At ille ſuſceptum rotulum de manu cardinalis projecit poſt tergum ſuum, dicens: *Legem recipio, ſed ceremonialia reſpuo.* Reverſo autem papa ad domum ſuam deſcendit de equo, quem confeſtim uſurpavit capitaneus civitatis cum ornamentis omnibus.

Eodem anno fuit maxima Leodii aquarum inundatio, & ſubſequente gelu, pons arcarum lapideus ex impetu glaciei ſubverſus eſt & omnino confractus. Sed & pro emenda condigna facienda domino Johanni de Bavaria, patria Leodienſis talliata eſt & condemnata ad ſummam ducentarum & viginti millium coronarum Franciæ; adeo ut pro hac ſolvenda neceſſe fuerit Leodii contra conſuetudinem antiquam reponi maletoltam ſive gabellam ſuper venalibus: præhabita tamen ſuper hac re diſpenſatione apoſtolica. Et levata eſt hæc aſſiſia dumtaxat ſpatio viginti menſium & quinque dierum, & mox ſublata debitis ſolutis.

Malæta pecuniaria pro belli expenſis impoſita Leodienſibus.

Item ea tempeſtate penultima Septembris, oppidulum dictum *Herck*, ſitum in confinio Brabantiæ, per aliquantos Cornutos, qui remanſerant, & pro ſalute tuenda fugerant ad exteras regiones, captum eſt, & in craſtino iterum per Godenelum de Eldris ſeneſcallum comitatus Loſſenſis, expugnatum, comprehenſis fere omnibus qui illud invaſerant; e quibus ſeptuaginta duo mox in ſtrata publica illic decollati ſunt & rotati, & alii octodecim Leodium adducti, & illic ſimiliter capitibus amputatis mortui ſunt. Verum unus ex ipſorum cuneo Johannes de *Spaes* vivus in foro Leodienſi extitit quarteriatus; cujus quatuor partes alii quatuor flagitioſi detulerunt cum capite extra portam ſanctæ Walburgis uſque ad locum ſupplicii; & ibi quoque ad rotas ſinguli ſunt alligati.

Herkenſe oppidum expugnatur.

Deinde etiam apud Hoyum triginta burgenſes de rebellione præmiſſa comprehenſi, in Moſa flumine ſunt ſubmerſi.

Inſuper eodem anno deceſſit à ſæculo Rupertus Romanorum rex, vir probus & ſtrenuus ac Deo devotus; cujus uxor regis Anglorum filia nobilis & formoſa.

Ruperti obitus.

Anno MCCCCX. tertia die Maii obiit Alexander papa V. qui anno præterito in concilio Piſano ad papatum fuit aſſumtus. Statim quoque ſubrogatus eſt eidem dominus Balthaſar de Coſſa cardinalis Bononienſis, & in ſua coronatione dictus eſt Johannes XXIII.

Et Alexan. V.

cui in concilio Conſtantienſi impoſitum eſt, quod illicitis mediis ad papatum anhelans, machinatus eſt mortem Alexandri prædeceſſoris ſui, adeo ut tam papa, quam medicus ejus magiſter Daniel de ſancta Synodo doctor in medicinis, veneno ſint extincti.

Præterea eodem anno ſucceſſit peſtilentia gravis, quæ innumerabilem populum Leodii & in vicinia tulit de medio. In campis etiam naſcebantur mures magni & rubei, qui univerſa ſata depaſcebant; ſicque patria Leodienſis variis modis eſt afflicta propter inſolentiam & rebellionem incolarum contra dominum ſuum electum ab anno tertio uſque decimum abſque interpolatione qualicumque.

Graviſſima peſtilentia Leodii aliæque calamitates.

Itaque poſt mortem Ruperti regis electores imperii convenientes apud Francofordiam in Septembri, elegerunt in regem Romanorum dominum Sigiſmundum regem Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ, &c. fratrem domini Wenceſlai regis Bohemiæ pridem per eoſdem dejecti & reprobati, virum ſtrenuum & probum, Chriſtianæ religionis pugilem invictiſſimum & ſolertiſſimum, qui jam de Turcis multos reportaverat triumphos.

Sigiſmundus Roman. rex.

Anno MCCCCXI. cum poſt necem ducis Aurelianenſis, multa mala, ſtrages & partialitates ſubortæ fuiſſent in Francia, Johannes dux Burgundiæ tantum practicavit apud ſuos Flamingos, quod Gandenſes ceterique Flamingi in copioſo exercitu obſederunt & ceperunt oppidum Viromandiæ vocabulo *Ham* in *Vermendois*, & ſubſequenter aliquot alia fortalitia in circumvicinis locis, & tandem reverſi ſunt ad propria. Dux vero cum maximo equitatu proceſſit verſus Pariſius ad regem Francorum non bene compotem ſenſuum ſuorum, ut prædictum eſt.

Hamum oppidum in Vermandois capitur aliaque urbes vicinæ.

Anno MCCCCXIII. Antonius dux Brabantiæ, cui nupta eſt Eliſabeth duciſſa Lutzemborgenſis, filia Wenceſlai, quondam imperatoris ac regis Bohemiæ circa feſtum B. Johannis Baptiſtæ cum manu valida armatorum, ingreſſus eſt ducatum Lutzemborgenſem, eo quod nonnulli nobiles & armigeri ejuſdem terræ nollent eidem obedire, ſubvertitque plurima caſtra & fortalitia eorumdem, & præcipue nobilium *Datheez*, qui fingebant ſe juramentum fidelitatis præſtitiſſe regi Bohemiæ. Cumque pervagatus eſſet omnem illam patriam, tandem circa feſtum Bartholomæi reverſus eſt in Brabantiam.

Anton. dux Brabant. decertat Luxemburg. devaſtat.

Eodem tempore & anno ballivus Hanoniæ obſedit caſtrum de Rupeforti: ſed ſuccurrente incluſis Everardo de Marcha cum multis Alemannis, infecto negotio reverſi ſunt Hannonienſes ad propria.

Obſidio Rupiſortis ſolvitur.

Anno MCCCCXIV. Guillelmus comes Namurcenſis, vir ſatis devotus & zelator religionis, deſiderans reformare monaſterium dictum *Molins*, ſitum in comitatu ſuo, non

Reformatur monaſterium Molinienſe.

longe a Bovinia, in quo erant moniales diſſolute & irreligioſe converſantes, impetravit a capitulo Ciſtercienſi, ut excluſis monialibus reponerentur inibi viri religioſi, datis tamen penſionibus vitalibus monialibus illis, quæ tum ad alia loca tranſmigrabant. Cui etiam monaſterio dictus comes & uxor ejuſdem domina Margareta de *Harcourt*, domina temporalis de *Bethune*, largifluas eleemoſynas contulerunt, præſertim calices, libros, caſulas, cappas & hujuſmodi ornamenta eccleſiaſtica.

Concilium Conſtantienſe.

Anno eodem cum Chriſtiana reſpublica graviſſime langueret, & jam diu, proh dolor! languiſſet in ſchiſmate deteſtabili ſub tribus viris, quorum quilibet ſibi papatus nomen & officium uſurparet, videlicet Angelo Corario, qui in ſua obedientia nuncupatus eſt Gregorius XII. Petro de Luna, qui in ſua obedientia dictus eſt Benedictus XIII. & Balthaſaro de Coſſa, qui in ſua obedientia nuncupabatur Johannes XXIII. deinceps quia in nonnullis regionibus, præſertim in Bohemia & in Anglia pullulaverat hæreſis Huſſitarum, quæ vocabulum & originem ſumſerat a quodam Johanne *Wiclef*, famoſo olim in ſtudio Exonienſi, nec faciliter his morbis medela congrua poſſet apponi, dominus Sigiſmundus Hungariæ rex, &c. nuper in Romanorum regem electus, dominum Johannem XXIII. multis precibus & modis ad hoc inflexit, ut generale concilium indiceretur celebrari in civitate Conſtantia ſuper Rhenum ſita, quæ eſt de provincia Moguntina; eodemque anno, 28. die menſis Octobris dictus Johannes papa civitatem Conſtantienſem cum electa comitiva cardinalium, epiſcoporum, baronum & nobilium ingreſſus eſt, atque prima die Novembris miſſam ſolemniter de S. Spiritu celebravit, veluti Piſanum concilium continuaturus, & novo inchoando maximam auctoritatem traditurus.

Sigiſmundi inauguratio Aquiſgrani.

Eodem anno & menſe, videlicet octava Novembris cum maxima ſolemnitate coronam primam ſuſcepit Aquiſgrani dominus Sigiſmundus rex Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ, &c. a domino Theodorico de *Meurs* archiepiſcopo Colonienſi, qui tunc inibi primam miſſam ſuam celebravit, ac reginam pro tunc inunxit & coronavit, ut fieri ſolitum eſt.

Decor cilio Conſtantienſi.

Anno MCCCCXV. ut multa per anticipationem proferamus, cum dictus Johannes papa & Romanorum rex præſentialiter adeſſent Conſtantiæ, & circa emendationem ſtatus Chriſtiani in aliquantis ſeſſionibus concepta & ordinata fuiſſent multa utilia, præſertim ut tres prædicti papæ nude & pure cederent papatui propter bonum pacis & tranquillitatis ſanctæ matris eccleſiæ, ſuper hac re ſerioſe & humiliter rogatus dominus Johannes papa nomine ſacri concilii per patriarcham Antiochenum, præſente Sigiſmundo rege, tandem his flexus dictus Johannes papa ſchedulam unam, continentem verba ſubſcripta legit, dicens alta voce: *Ego Johannes papa* XXIII. *propter quietem populi Chriſtiani profiteor, ſpondeo, promitto, juro & voveo Deo & eccleſiæ & huic ſacro concilio ſponte & libere dare pacem ipſi eccleſiæ per viam meæ ſimplicis ceſſionis papatus, & eam facere & adimplere cum effectu, juxta deliberationem præſentis concilii, ſi, & in quantum Petrus de Luna Benedictus* XIII. *& Angelus Corario Gregorius* XII. *in ſuis obedientiis nuncupati, papatui quem prætendunt, per ſe vel per procuratores ſuos legitimos ſimiliter cedant, & etiam in quocumque caſu ceſſionis vel deceſſus, aut alio in quo per meam ceſſionem poterit dari unio eccleſiæ Dei ad extirpationem præſentis ſchiſmatis.*

Johan. papa promittit cedere ad votũ concilii.

Cumque altera die celebraretur ſeſſio generalis in eccleſia majori, prædictus Johannes papa ſedens in cathedra ante altare converſus ad ſacrum concilium legit antedictam ſchedulam iterato; & dum legeret illam clauſulam: *Promitto, ſpondeo, juro & voveo Deo, &c.* flexit genua verſus altare, ponendo manum ad pectus, & dixit: *Et ita promitto obſervare.*

His ita peractis, cum jam in foribus putaretur eſſe reformatio totius Chriſtianitatis in capite & in membris, prædictus papa maligno ſpiritu inſtigatus, pœnitens ſuper bono quod promiſerat, voverat & juraverat, tandem 20. die menſis Martii in tenebris nocturnis, habitu indecenti & diſſimulato laïcali modo, a civitate Conſtantienſi aufugit & receſſit, in ſcandalum generalis concilii & totius populi Chriſtiani, ac retraxit ſe ad oppidum *Scaphuſe*, quod erat ſub ditione ducis Auſtriæ Friderici, quem idem papa multis precibus & muneribus in ſui favorem allexit, corrupit & inflexit. Exinde fugit primo in *Loffenbergh*, & deinde in oppidum dictum *Briſack*, ut ſic elongatus a concilio & civitate Conſtantienſi, iret in Burgundiam, ac deinde in Italiam, tali modo ſperans illudere & deridere principes & cardinales ſuper hac materia, jam ante per quatuor menſium ſpatium congregatos.

Furtive diſcedit de concilio.

Itaque patres ſacri concilii in anguſto poſiti, prænoſcentes dominum JOHANNEM papam in *Briſack* reſidentem ſub tuitione ducis ſupradicti, miſerunt ad eum ſolemnes oratores, rogantes eum, quatenus more pii paſtoris, qui animam ſuam ponit pro grege ſuo, ad Conſtantiam dignaretur redire, vel ſaltem ad unum de tribus oppidis vicinis, videlicet Baſileam, Ulmam vel *Mersburg*; ut illic cum omni caritate negotium Chriſtianitatis conceptum debito potuiſſet effectui mancipari. Porro ille in reprobum ſenſum datus, cum in craſtino ſe reſponſurum promitteret nuntiis ſupradictis, per mediam no-

Invitatus ut redeat fugit Nuzemberg.

ctem ante diluculum, non dato reſponſo, ad oppidum *Nuvvemberg* clam aufugit, pejora prioribus mala cumulando.

Sigiſm. mandat burgrav. Nurembergæ vivam ut ſibi adducat.

His nimirum offenſus graviſſime Sigiſmundus rex, convocans ad ſe Fredericum burgravium *Nuremberghe*, mandavit ei exercitum congregare, & omnia dominia prædicti ducis expugnare & ſaiſire. Quod & fecit indilate, adducens manu ſua captivum dictum ducem in præſentia Sigiſmundi regis, prius tamen aſſecuratum de vita. Quem indignabunde reſpiciens rex, & multa ſibi improperans beneficia collata, poſt multas & aſperas increpationes, tandem precibus dicti burgravii & Ludovici ducis Heidelbergenſis aliorumque procerum, ad veniam recepit eum & miſericordiam, hac tamen pollicitatione ſive obligatione præmiſſa in hunc modum:

Nos FRIDERICUS *dux Auſtriæ, &c. recognoſcimus quod cum ſereniſſimi principis Sigiſmundi regis Romanorum & Hungariæ, &c. indignationem inciderimus, venimus in propria perſona ad conſpectum dicti domini regis Conſtantiam, & nos, perſonam noſtram, territoria, homines, civitates, fortalitia & quidquid habemus & tenemus, nihil excepto, ad ſuam regalem gratiam dedimus & poſuimus, damus & ponimus vigore præſentium, taliter quod ipſe nobiſcum & cum eiſdem facere & dimittere poſſit pro ſua regalis libito voluntatis.*

Debemus etiam & volumus procurare papam Johannem ad Conſtantiam, aut alibi, quo dominus rex voluerit, præſentare aut facere præſentari ad manus dicti domini regis & ſacri concilii, quod præſentialiter Conſtantiæ celebratur, ſperando, juxta verbum regium nobis deſuper factum, quod dominus Johannes papa & omnes ſecum exiſtentes, dum ad Conſtantiam aut alium locum deputandum venerint, ſuarum vitæ & rerum ad eos pertinentium, quas ſecum ad locum hujuſmodi duxerint, ſint ſecuri. Et ſi dictus papa Johannes de papatu depoſitus fuerit vel ceſſerit, tunc in voluntate præfati concilii ſtabit, quomodo eidem de ſuo ſtatu provideatur.

Nos etiam volumus & debemus in obſtagio Conſtantiæ remanere, quouſque dictus papa Johannes Conſtantiam aut alibi, quo præfatus dominus rex deputaverit, pervenerit; & alia multa in hunc modum.

Conſtantiam reductus deponitur.

His ita ſuſceptis & fideliter adimpletis, JOHANNES papa Conſtantiam reductus eſt, tremens & timens cuti ſuæ graviter. Cumque per procuratores & promotores ſacri concilii magiſtros Henricum de Piro & Johannem de Scribanis dati eſſent articuli graves plus quam centum, habitis ſuper hac re quamplurimis ſeſſionibus & conſultationibus, dictus papa depoſitus eſt ſententialiter a papatu, tamquam ſimoniacus notorius, bonorum eccleſiæ dilapidator ac notorie ſcandalizans eccleſiam, ac ſchiſmatis inveterati nutritor, &c. Quam quidem depoſitionem idem Johannes exiſtens pro tunc in loco de Cellis Conſtantienſis diœceſis ultima menſis Maii ex ſua certa ſcientia approbavit, ratificavit, & conſenſum dedit.

Deinde ſubſequenter quarta die menſis Julii, Gregorius XII. qui ſe pro papa gerebat, miſit aliquantos ſolemnes viros eccleſiaſticos & ſæculares ad ſacrum concilium, ibique per vivam vocem quidam ex eis nobilis vir dictus Carolus de Malateſtis, procurator & commiſſarius ad infraſcripta peragendum negotia, nomine Gregorii prædicti ceſſit & renuntiavit juri quod in papatu ſe habere prætendebat, legens alta voce ſchedulam hæc verba continentem: *Ego Carolus de Malateſtis Arimini & nonnullarum aliarum terrarum in temporalibus vicarius, necnon provinciæ Romandiolæ rector, pro ſanctiſſimo in Chriſto patre & domino noſtro domino Gregorio divina providentia papa XII. & S. R. Eccleſiæ generalis atque ejuſdem ſanctiſſimi domini noſtri papæ procurator, habens ad infraſcripta plenum, ſpeciale & irrevocabile mandatum, quemadmodum conſtat per bullam authenticam ſanctiſſimi domini noſtri prædicti, nulla oppreſſus aut coactus violentia, atque nullo ductus errore, ut omnibus aperte pateat per effectum, quanta ſinceritate quantaque cordis affectione ſacram unionem ac redintegrationem Chriſtianorum in unione ſanctæ matris eccleſiæ proſecutus fuerit & proſequatur per viam renuntiationis inclusive, pure, libere ac ſincere procuratorio nomine ipſius ſanctiſſimi domini noſtri Gregorii papæ XII. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, amen. Renuntio & cedo expreſſe in his ſcriptis realiter & cum effectu juri, titulo, poſſeſſioni, quod, quem & quam ipſe habet in papatu, & reſigno nomine prædicti domini noſtri papatum & omne jus papatus, titulum & poſſeſſionem, quod, quem & quam habet coram Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui eccleſiæ ſuæ ſanctæ eſt caput & ſponſus in hac ſacroſancta ſynodo & univerſali concilio, ſtatum & univerſalem eccleſiam repreſentante, &c.* Quam quidem renuntiationem cum maximo gaudio ſacrum concilium acceptavit.

Gregor. XII. per procuratorem renuntiat.

Eodem etiam tempore, anno & menſe, quidam hæreſiarcha dictus Johannes Hus, defenſor & publicator errorum Johannis *Wicleff*, de quo præmiſſum eſt, cum ſuis articulis XXXII. a ſacro concilio Conſtantiæ condemnatus eſt, degradatus, & ſubſequenter inibi concrematus.

Obitus Johan. Hus.

Præterea in eodem menſe Julio in dominum Johannem de Bavaria electum Leodienſem, inſurrexerunt aliquanti murmuratores maligni, molientes excitare ſeditionem vulgi Leodienſis contra ſuum principem: ſed diſponente Deo in nihilum redacti ſunt conatus eorum. Nam patefacta ſeditione 19. die ejuſdem menſis, tres ex præmiſſis conſpiratoribus fuere decapitati, ac deinde in Moſam quatuor ſubmerſi, & poſtmodum

Seditio Leodiverſis Bav.

nihilominus quinque ex eis decollati.

Hieron. de Pragacrores Johan. Huss &c. damnat in concilio Conſtant.

Subſequenter 23. menſis Septembris Jeronymus de Praga pridem accuſatus & diffamatus tamquam protector & promulgator hæreſis Huſſitarum, ſive Wicleffiſtarum, & ob hanc cauſam incarceratus Conſtantiæ, in publica ſeſſione præſente ſacro concilio aſcendit ambonem, in quo decreta concilii ſolebant publicari, & facta prius compendioſa collatione atque proteſtatione, ac regratians dominis deputatis & commiſſariis ſuper materia fidei, de eorum bona & ſalubri doctrina, ac de aliis bonis ſibi per eos impenſis, legebat conſequenter unam cartam pergameneam ſua propria manu conſcriptam, dicens alta voce in hunc modum: *Ego Hieronymus de Praga liberalium artium magiſter, cognoſcens veram, catholicam & apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſim, præcipue eam de qua infamatus fui & quam præteritis temporibus dogmatizaverunt Johannes Wicleff & Johannes Hus in ſuis opuſculis ſeu libellis ac ſermonibus ad populum, propter quam etiam prædicti cum ſuis dogmatibus damnati ſunt ab hac ſancta Conſtantienſi ſynodo tamquam hæretici, & ipſorum doctrina prædicta ſimiliter damnata, maxime in nonnullis articulis expreſſis ſententiis per hoc ſacrum concilium contra ipſos latis. Conſentio autem S. R. eccleſiæ & apoſtolicæ ſedi, & huic ſacro concilio, & ore ac corde profiteor in omnibus & per omnia præſertim de clavibus, de ſacramentis, ordinibus, officiis & cenſuris eccleſiaſticis, de indulgentiis & reliquiis ſanctorum & eccleſiaſtica libertate; ac etiam de ceremoniis ac aliis omnibus ad religionem Chriſtianam pertinentibus, prout ipſa ſancta Romana eccleſia & apoſtolica ſedes & hoc concilium profitentur; & ſpecialiter, quod prædictorum articulorum plures ſunt notorie hæretici & dudum a ſanctis patribus reprobati, quidam blaſphemi, alii erronei, alii ſcandaloſi, quidam etiam piarum aurium offenſivi, & ipſorum nonnulli temerarii & ſeditioſi; & pro talibus fuerunt dicti articuli per hoc ſacrum concilium nuper condemnati & inhibiti omnibus & ſingulis catholicis ſub anathematis interminatione, ne de cetero aliquem ipſorum quiſpiam prædicare, dogmatizare vel tenere præſumeret, &c.* Adjunxit præterea dicens: *Inſuper ego Hieronymus juro per ſanctam Trinitatem & per ejus ſacroſancta evangelia, me in veritate eccleſiæ catholicæ ſemper & ſine dubio permanſurum, & omnes qui contra hanc veniunt cum dogmatibus ſuis æterno anathemate dignos eſſe pronuntio. Et ſi ego ipſe aliquando, quod abſit, aliqua contra ſentire vel prædicare præſumſero, canonum ſeveritati ſubjacebo, & æternæ pœnæ obligatus inveniar.* Addidit præterea alia multa in deteſtationem & revocationem hujus erroris, & condemnationem Johannis *Huſſ* magiſtri ſui; ſicque ſub hac pollicitatione & abjuratione hæreſis permiſſus eſt abinde liber diſcedere. Qui tamen ſucceſſu temporis pœnitens de bono quod fecerat, combuſtus eſt.

Sigiſm. Petrũ de Luna convenit Perpin.

Itaque ad complementum ſacræ unionis in eccleſia Dei, reſtabat tertium opus peragendum, videlicet renuntiatio ſpontanea, vel depoſitio judiciaria Petri de Luna, qui Benedictus XIII. in ſua obedientia vocabatur. Pro quo proſequendo devotiſſimus eccleſiæ filius Sigiſmundus Romanorum rex, nullis parcens laboribus aut expenſis, cum aliis ſolemniſſimis ambaſſiatoribus regum & principum Chriſtianorum in numero copioſo, juxta pridem concordata, perſonaliter profectus eſt ad regnum Arragoniæ in civitate Arragoniæ Perpiniani, in quo etiam loco convenerunt dictus Petrus de Luna ſimiliter & rex Arragonum Ferdinandus, valida licet correptus ægritudine: ſed & ambaſſiatores regum Caſtellæ & Navarræ cum comitibus de Fuxo & Arminiaci, qui uſque ad ea tempora erant de obedientia dicti Benedicti. Cumque maturiſſimæ & graviſſimæ deliberationes illic fierent ſuper unione ſanctæ matris eccleſiæ, idemque Petrus dulciſſime rogaretur a regibus & principibus præmiſſis, ut animum applicaret tanto bono; ille ſentiens rem in ſuam depoſitionem agitari, callide receſſit a Perpiniano ad caſtrum dictum *Paniſcole*, in quo ſe cum ſuis cardinalibus & aliquantis armigeris incluſit, fingens multas frivolas & nulla ratione ſuffultas cauſas ſui receſſus ſcandaloſi. Nihilominus per ſacrum concilium deputati ſunt duo egregii decretorum doctores de ordine B. Benedicti, magiſter Lambertus de Stipite prior de Bertreya, ordinis Cluniacenſis in Brabantia, dudum profeſſus S. Laurentii juxta Leodium; necnon & Bernardus de Planchea ſacriſta eccleſiæ S. Crucis Burdegalenſis. Hi nihil trepidantes, ſed animoſe multum & viriliter ad dictum caſtrum Paniſcolæ perſonaliter profecti, dominum Petrum de Luna perſonaliter citaverunt, ſuis cardinalibus & armigeris aſtantibus, præfigentes eis terminum dilatorium vel peremtorium 70. dierum, infra quem terminum dabatur ei facultas veniendi Conſtantiam, & ſuper impoſitis ſibi criminibus hæreſis & notorii ſchiſmatis ſe, ſi vellet, excuſandi. Ille vero Petrus animo indurato confinxit pleraſque allegationes nullius efficaciæ aut virtutis, volens uſque ad mortem, prout & fecit, in opinione ſua perverſa perdurare tamquam papa, quamvis ab initio ſuæ promotionis & de poſt multotiens dixiſſet, juraſſet & promiſiſſet cedere papatui in caſu quo Gregorius XII. & Johannes XXIII. ſic in ſuis obedientiis nuncupati, vellent cedere.

Cui ſuam princip. obedientiã ſubtrahunt.

His ita perlatis ad aures principum præmiſſorum, iidem reges Caſtellæ, Arragonum & Navarræ, comites quoque ſupradicti præfato Petro vel Benedicto obedientiam ſubtraxerunt indilate. Deinde poſt multas

ſeſſiones ſuper hac re Conſtantiæ celebratas cum ſolemnitatibus juris in tam arduo negotio fieri ſolitis, noviſſime per ſententiam diffinitivam dictus Petrus a papatu depoſitus eſt, ejectus anno MCCCCXVII. die 26. Julii tamquam perjurus, univerſalis eccleſiæ Dei ſcandaliſator, fautor & nutritor inveterati ſchiſmatis, unionis & pacis eccleſiæ turbator & impeditor, ſchiſmaticus, hæreticus, pertinax & incorrigibilis; ſicque, Dei gratia ſuccurrente, ceſſavit inveteratum ſchiſma, quod per annos 39. univerſam Chriſtianitatem graviſſime turbavit, ſcandalizavit & impedimenta gravia miniſtravit.

Electio Martini V.

Subſequenter eodem anno die undecima menſis Novembris reverendiſſimus dominus Oddo de Columna, diaconus cardinalis S. Georgii ad Velum-aureum, Conſtantiæ concorditer eſt electus in unum ſolum, verum & indubitatum papam, & a ceteris cardinalibus & electoribus per ſacrum generale concilium deputatis, vocatus eſt Martinus papa quintus.

Et ſciendum quod prædicta electio ſummi pontificis facta eſt per dominos cardinales tunc Conſtantiæ præſentes pene viginti. Inſuper additi ſunt eis contra communem formam eligendi per ſacrum concilium deputati triginta viri ſolemnes, id eſt de qualibet natione ſex, quorum octodecim fuerunt epiſcopi, duo abbates, decem egregii doctores & magiſtri, decani collegiorum & priores conventuum diverſorum, &c. eo quod electio ſummi pontificis pro tunc ad ſacram ſynodum probabatur juridice fuiſſe devoluta.

Præterea eodem tempore 21. Novembris dictus Martinus V. in eccleſia cathedrali Conſtantiæ more Romanorum pontificum ſolemniter extitit coronatus, atque poſtmodum aſſociatus per ſereniſſimum principem Sigiſmundum Romanorum & Hungariæ regem, necnon & illuſtriſſimum principem Ludovicum ducem Bavariæ, Fridericum marchionem Brandeburgenſem, Ludovicum & Ulricum comites de Ottinga, & Guntherum de *Zuartzenborch*, & alios prælatos in numero copioſo, qui de loco coronationis pedites ad eccleſiam fratrum eremitarum S. Auguſtini, & e converſo ad palatium conduxerunt & aſſociaverunt eumdem. Deinde timens Romanorum rex, ne forte dominus Johannes a papatu depoſitus, rebellare poſſet, & novo ſchiſmati fomitem dare, commiſit eumdem domino Ludovico duci Heidelbergenſi, quem ille recluſit in caſtro ſuo ſuper Rhenum ſito, vocabulo *Manheim*, ubi diu ſub curiali cuſtodia ſervatus eſt: ſed noviſſime dominus Martinus papa, de conſenſu fratrum ſuorum, ad cardinalatum eum repoſuit; ſicque in confeſſione bona & obedientia ſanctæ matris Eccleſiæ vitam finiſſe famatur.

Item anno ſupradicto Henricus rex Anglorum miſſa ſolemni ambaſſiata procerum & prælatorum ad Carolum regem Francorum apud Rothomagum, poſtulavit dari ſibi in uxorem ſeniorem filiam regis, quæ jam in monaſterio pauperum dominarum de *Poiſſy*, ſub regula S. Dominici profeſſionem fecerat, & velum ſacrum ſuſceperat: verum Anglici repulſam paſſi, pro eo quod ſponſam Chriſti homini mortali copulari fas non eſſet, cum indignatione maxima reverſi ſunt ad regem ſuum, nuntiantes quid egiſſent, & qualiter eorum poſtulationes non fuiſſent admiſſæ. Qui ſuper præmiſſis nimium efferatus, mox cum claſſe ingenti transfretans, villam Fiſcanenſem cum monaſterio nobiliſſimo oppugnavit & cepit; ac deinde circa medium Auguſti cum exercitu copioſo cepit villam de *Hardefleur* in Normannia, quam capitaneus oppidi pecunia corruptus, poſt paululum in manus tradidit Anglorum, & ſtatim omnes maſculi pueri ad Angliam tranſvecti ſunt, & primores oppidi carceribus mancipati. Quibus ad notitiam Francorum perlatis, optimates regni, videlicet duces Borbonii, Aurelianenſis, Alenconii, Barenſis. Comites de *Nivers*, de *Harcourt*, *d'Eu*, Vindocinenſis & Richemontenſis una cum domino Antonio duce Brabantiæ, qui cum aliquantis nobilibus prænominatis magnatibus inopinate ſubvenit, necnon & Carolo de *Labreit*, conſtabulario regni, unanimi conſenſu decreverunt Anglorum exercitum, qui ab *Hardefleur* profectus, verſus Caliſiam iter pedeſtre fuerat aggreſſus, confidenter & animoſe, ſed nimis arroganter, invadere ac debellare. Sed non in multitudine exercitus victoria belli, quia Dominus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Cum igitur certamen iniri debebat juxta locum dictum *Roſſeauville* menſis Octobris die 25. Franci in multitudine nobilium conſili, præceperunt omnes plebeios & milites, qui non erant militares abſcedere, veluti inhoneſtum arbitrantes cum fece plebeia ſuam inquinare vel miſcere nobilitatem. Solerter itaque diſtributis utrinque aciebus, & ordinate diſtributis ſingulis, Antonius dux Brabantiæ, nimio ſuccenſus bellandi deſiderio, vix armis decentibus indutus, non expectato proprio vexillo, ſed arrepto ſigno hiraldi, ceteris principibus nondum ſubſecutis, cuneos Anglorum fidenter plus debito penetravit. Ubi circumſeptus haſtis & cuſpidibus hoſtium, ſtatim eſt obtruncatus cum ſuis univerſis. Quem reliqui magnates arroganter ſecuti, pari modo pene univerſi proſtrati ſunt & occiſi. Ceſſitque Anglis ea die cruenta victoria, non ſine ſanguine ſuorum. Ceciderunt in eodem conflictu duces Brabantiæ, Alenconii & Barenſis, comes de *Nivers* & Carolus conestabularius. In carcere autem ducti ſunt duces Borbonii & Aurelianis, comites Vindocinenſis, de *Riche-*

Angl. imp. tio in Norm.

Franc. cleſes apud Roſſeauville.

mont & *d'Es* cum aliis nobilibus in numero copioſo.

Armeniac. comes Pariſ. occiditur fraude Burgund. ducis.

Huic certamini non curavit intereſſe Johannes dux Burgundiæ, propter rancores nondum ſopitos inter eum & ducem Aurelianis, ob necem paternam factam in anno ſeptimo; aut quia fortaſſe corde genti favit Anglicanæ. Porro dux Bituricenſis exoſum habens ducem Burgundiæ, propter necem

S. Thynegio. ſui fratris prætactam, una cum Chynegio de Caſtro præpoſito Pariſienſi, alii quoque foventes partem ducis Aurelianenſis, comitem Armeniacenſem confeſtim ſublimarunt in conеſtabulatium Franciæ, ut per illius ſuffragium potentiæ Burgundionum commodius valerent obſiſtere. Ob quam cauſam nimium infenſus dux Burgundiæ, eo quod patriam ſuam quotidie attenderet depopulari, allexit in favorem ſui communitatem Pariſienſem, ac quadam die populari tumultu ſuſcitato, comes Arminiacenſis Pariſius in medio plateæ cum multis aliis a populo peremtus eſt, cadaveribus per triduum, in luto plateæ relictis inhumatis. Quibus fœde perfectis, præpoſitus Pariſienſis veriſimiliter timens cuti ſuæ, delphinum primogenitum regis adhuc adoleſcentem, vix ætatis annorum 14. præfatæ ſubripuit internecioni, quæ dietim fiebat in regno, reſiduos incolas ad reſiſtendum duci per hoc medium animans & inflammans, cum videlicet cernerent filium regis adhuc ſuperſtitem, qui velut heres regni protectorque eorum foret ac propugnator.

Portug. rex Portugaliæ Ceptam expugnat.

Ea quoque tempeſtate Ferdinandus rex Portugaliæ & Algarvii, ſub ſpe & obtentu dilatandi terminos Chriſtianæ fidei, transfretavit in Africam, & valida obſidione circumcinxit civitatem Sarracenorum, cui vocabulum eſt Cepta, de qua ficus, racemi, vina condita, & mala punica ad occiduas diriguntur nationes. Quam tandem expugnavit viriliter & cepit. Hujus regis filiam Iſabellam nomine, Philippus dux Burgundiæ & Brabantiæ traduxit in conjugem.

Sigiſm. Leod. ecclеſiæ.

Anno MCCCCXVI. videlicet in vigilia nativitatis Chriſti, Sigiſmundus Romanorum & Hungariæ, &c. rex cum aliquantis principibus & prælatis, clero ad ſibi occurrendum præmonito, intravit Leodium veſperis fere decantatis: ſed ad preces regis iterato ſunt aliæ veſperæ inchoatæ ac decantatæ. Quem cum condigno honore ſuſcepit in ſuo palatio dominus Johannes de Bavaria Leodienſis electus, atque honeſtiſſime feſtivavit per

Priuil. civit. confirm.

dies octo. At vulgus Leodienſis dolens ſe pridem ſupplantatum per dominum ſuum, libertates, privilegia, franchiſias a rege ſibi poſtulavit & impetravit reſtitui ac renovari, prout anterius fieri conſuevit, ordinatis mox duobus magiſtris civium & vexillis miniſterialium de novo confectis. Deinde predictus rex ſummam circiter quinque millium florenorum Rhenenſium ab eccleſiaſticis ſuſcepit, ſub titulo accommodati, dans ſuper hac præſtatione litteras recognitorias regio ſigillo communitas: ſed præſta verſa eſt in datam, quia poſt hæc nihil reddere curavit.

Cum igitur octo dierum ſpatio Leodii perendinaſſet, continuo die Circumciſionis Dominicæ clam cum parva comitiva civitatem exivit, & ad Rupem oppidum ducatus Lucemborgenſis profectus eſt, & abinde Conſtantiam proceſſit.

Novum regimen ſub Bav.

Subſequenter die 14. menſis Martii creati ſunt Leodii novi burgimagiſtri duo per electionem populi, Walterus de *Fleron* & Walterus *Dathin*, qui tamen non magiſtri, ſed ſupremi conſiliarii debebant nuncupari, juxta tenorem novi regiminis pro tunc per dominum Leodienſem ſuumque venerabile capitulum & ſcabinos civitatis inſtituti.

Obitus Wilhelmi ducis Bavari.

Eodem anno in feſto Pentecoſtes obiit Wilhelmus dux Bavariæ, comes Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ XXIV. illarum partium, frater domini Johannis Leodienſis electi, relinquens poſt ſe unicam filiam, Jacobam nomine, relictam delphini primogeniti regis Francorum veneno peremti. Hæc poſtmodum nupſit Johanni duci Brabantiæ per diſpenſationem apoſtolicam ſuper hoc a domino Martino papa taliter qualiter obtentam, unde multa deteſtanda mala ſunt ſubſecuta.

Johan. elect. Leod. armatur in neptem ſuam.

Subſequenter dominus Johannes de Bavaria electus Leodienſis, audita morte fratris ſui, proceſſit verſus Hollandiam, ſub ſpe ipſam patriam poſſidendi & obtinendi, excluſa nepte ſua Jacoba præfata; ſtatimque intromiſſus eſt per Dordracenſes, & in ſuum dominium temporale tamquam proximior heres maſculus jucunde receptus, reclamante ac renitente alia partialitate, quæ favebat duciſſæ.

Expugnatur oppidum *Gornichem.*

Poſt hæc in menſe Novembri per Bavaros & Geldrenſes captum eſt oppidum Hollandiæ vocabulo *Gornichem*, fortalitio tum ſalvo & impugnato: ſed non longo tempore gaviſi ſunt hac uſurpatione violenta, quia non poteſt eſſe diuturna ſcelere quæſita potentia. Siquidem Jacoba duciſſa adhuc vidua cum maxima claſſe fautorum ſuorum, & ſubſidio Ultrajectenſium per medium præfati fortalitii oppidum de *Gornichem* viriliter irrupit, & cæſis hoſtibus, potenter de iiſdem triumphavit. Ceciderunt in hac irruptione ac conflictu de parte Bavarorum domicellus de *Arckel*, Johannes de *Pietreshem*, Razo de *Ordinghen*, & alii plerique quorum nomina ſubticemus. Captus eſt illic comes de *Wernenborch* & alii nobiles in numero copioſo. De parte duciſſæ cecidit dominus de *Berode*, &c. factus eſt conflictus iſte prima menſis Decembris.

Cæduntur Bavari.

Anno MCCCCXVIII. dominus Johannes de Bavaria electus Leodienſis, pro tunc reſi-

Johan. Bav. abdicat epiſcopatum.

dens in Dordraco, per procuratorem ſuum in concilio generali Conſtantiæ ceſſit & renuntiavit pure ac libere omni juri quod ſibi in epiſcopatu Leodienſi, jam per annos viginti & octo poſſeſſo, poſſet competere. Quo facto, ſtatim matrimonialiter ſibi traduxit in uxorem illuſtrem feminam Elizabetham duciſſam Lutzemborgenſem, relictam Antonii ducis Brabantiæ, filiam quondam Wenceſlai regis Romanorum atque Bohemiæ, cum qua etiam ſuſcepit dominium ducatus Lutzemborgenſis, comitatus de *Chigni*, & marchionatus de *Arlen*, &c. Sicque item dominus Johannes ſuis fautoribus in patria & diœceſi Leodienſi conſtitutis, qui ſe ſuaque periculis extremis pro ſuo jure defendendo ſubmiſerant, parvum ſolatium & flebile reliquit teſtamentum.

Dordraci obſidio.

Eodem anno circa feſtum nativitatis beati Johannis-Baptiſtæ, Dordracum oppidum fortiſſimum, in quo perſonaliter conſtitutus fuerat dominus Johannes de Bavaria, ab una parte per dominum Johannem ducem Brabantiæ ſuoſque commanipulares; ab altera parte per Hollandinos & Zelandinos valida obſidione circumſeſſum eſt. Quæ quidem obſidio uſque ad vigiliam beati Laurentii perduravit, pleriſque hinc inde ſingularibus factis conflictibus. Verum poſt hæc erumpentibus oppidanis, exercitus Brabantinorum relictis illic navibus, tentoriis, vexillis ac papilionibus, multiſque occiſorum cadaveribus, abinde profugit. Subſequenter etiam multa deteſtanda ſubſecuta ſunt facinora, villagiis multis combuſtis & ruricolis interemtis.

Johan. de *Walenrode* a Rigenſi tranſit ad Leod. epiſc.

Eodem quoque anno dominus Johannes de *Walenrode* de partibus Sclavoniæ nationis Germaniæ oriundus, ex proviſione apoſtolica Conſtantiæ per Martinum papam v. ab eccleſia metropolitana Rigenſi ad epiſcopatum Leodienſem, jam, ut præmiſſum eſt, vacantem, tranſlatus eſt, factuſque eſt epiſcopus LII. poſt beatum Lambertum martyrem, & quarta die menſis Auguſti cum nobili & honorabili comitiva procerum multorum intravit Leodium, a clero & univerſo populo decenter & jocunde ſuſceptus in præſulem & dominum. Qui ſubſequenter in feſto Aſſumtionis B. Mariæ Virginis in eccleſia ſua Leodienſi ad majus altare in pontificalibus ſolemniter celebravit, ſe verum antiſtitem ac pium paſtorem, prudentem, circumſpectum, modeſtum & morigeratum in his & ſimilibus actibus indeſinenter exhibens & oſtendens, contra morem prædeceſſorum ſuorum. Nam tonſuras clericales, ſacramenta confirmationis & ordines eccleſiaſticos per ſeipſum digne & benigne miniſtravit; licet tamen ſuffraganeo, ſive viceſgerente in pontificalibus non careret.

Tempore hujus epiſcopi populus Leodienſis, permittente prædicto præſule, franchias & privilegia deperdita per bellum de *Otheez* recepit, triginta duo vexilla juxta totidem miniſteria contexuit; inſuper & in palatio epiſcopali juxta veteres conſuetudines ante dictum bellum populus convocationes fecit, quæ tempore domini Johannis de Bavaria in loco dicto *Werchort* exerceri ſolebant. Sed & pons quidam ligneus, quo de domo ſcabinorum ad Violettam, qui locus eſt magiſtrorum & conſulum civitatis, tranſiri ſolebat ultra plateam, depoſitus eſt & confractus.

Anno MCCCCXIX. præfatus Leodienſis epiſcopus invitatus in villa ſua dicta *Alken*, ad domum cellarii ſui Johannis Bareti, ipſo Aſcenſionis Dominicæ, valde jucundus fuit & hilaris. In craſtino invaſit eum lethalis infirmitas, & Dominica ſequente de hac vita ſubtractus eſt, ordinatis & deputatis certis executoribus teſtamenti ſui. Qui tamen certas ob cauſas onus executionis in ſe recipere recuſabant. Sicque jocalia ejus, veſtes, equi, libri, ceteraque mobilia pretioſa magnique valoris, paſſim & inutiliter diſtracta ſunt & diſpertita. Quamobrem ſui propinqui, præſertim marchio de *Baden*, male fuerunt contenti, & patria Leodienſis per eum alioſque nonnullos eſt diffidata, & mercatores peregrinique ſpoliati. Inter quos capti ſunt honorabiles & nobiles viri de patria Leodienſi dominus Walterus de Momalia archidiaconus in eccleſia Leodienſi. Item nepotes ejus dominus Theodoricus de Momalia, & dominus Theodoricus de Elderis milites, qui rem ignorantes redierant de peregrinatione Hieroſolymitana per decurſum Rheni, & ceciderunt in caſſes quas non præcaverant. Corpus vero præfati epiſcopi in eccleſia majore Leodii tumulatum eſt. Interim ſede vacante, nobilis vir Everardus de Marka, dominus temporalis de *Arenbergh* & Novi-caſtri in mamburnum & protectorem patriæ creatus eſt, campana bannali ſibi deliberata cum ceteris ceremoniis ſolemnibus ad id officium requiſitis.

Mortuus.

Buſcum-ducis oppidum Brabantiæ igne fortuito concrematum eſt.

Johann. de *Los* eligitur epiſc. Leod.

Eodem anno 16. Junii egregius adoleſcens Johannes de *Los* archidiaconus Haſbaniæ in eccleſia Leodienſi, filius illuſtris viri Johannis domini de *Heinsbergh* & de *Leevvembergh*, pro tunc ætatis annorum circiter 23. per capitulum Leodienſe in epiſcopum concorditer eſt electus, & ſubſequenter per Martinum papam eo tempore cum ſua curia Florentiæ reſidentem rite confirmatus, fuitque LIII. in catalogo pontificum poſt beatum Lambertum.

Subſequenter decima die Decembris ejuſdem anni, iſdem Johannes electus cum ſolemni comitiva generoſorum virorum, videlicet ducis Clevenſis, & domini genitoris ſui & aliorum in multitudine copioſa veniens Leodium,

Leodium, a clero atque populo cum ſolemnitatibus & ceremoniis conſuetis eſt receptus, & in palatium ſuum jocunde perductus. vinumque abundantiſſime toto triduo per mamillas ſirenæ defluxit, nemine prohibente volentes ex eodem haurire. Et ſucceſſu temporis idem Johannes in ſacerdotium promotus eſt in ſabbato quatuor temporum poſt Luciæ, & continuo in Dominica *Lætare Jeruſalem*, per tres ſuffraganeos in epiſcopum conſecratus, aſſiſtentibus ibidem abbatibus ſanctorum Jacobi, Laurentii, Ægidii & Vallis S. Lamberti, cum inſigniis abbatialibus.

Johan. ducis Burgund. cædes.

In menſe Septembri ejuſdem anni Johannes dux Burgundiæ & comes Flandriæ, vocatus a primogenito regis Francorum ad caſtrum de *Monſtreal* ſitum ſuper Yonam fluvium, quaſi cupiente ſecum tractare de gubernatione regni & de reſiſtendo regi Anglorum, qui tunc ſubjugatis ſex epiſcopatibus Normanniæ, Rothomagum violenter obſederat, cum jam idem dux caſtrum intraſſet, pontibus firmatis & portis obſeratis, perductus ad præſentiam delphini ſupradicti, mox a quodam truculento viro in capite percuſſus eſt, & poſt multa ſuſcepta vulnera miſerabiliter trucidatus, non obſtantibus ſacramentis terribilibus, & ſacroſancta Euchariſtia Corporis Domini pro majori firmitate ſuſcepta ab ambobus, ſideque media promiſſo ne quis alteri noceret aut quippiam læſionis inferret, in ignominiam & confuſionem totius Chriſtianæ religionis & fidei catholicæ, quæ per hoc facinus lamentabile enormiter fuerat vitiata. Quo viſo, hi qui cum duce venerant, tantam deteſtantes perfidiam, verſus Pariſius iter arripuerunt, regi cunctis quoque regni proceribus de patrato ſcelere querimoniam deponentes lacrymoſam. Confeſtim Philippus filius ducis interemti, audita violenta nece patris, nimium in ultionem paternæ mortis totus efferbuit, & cum Henrico rege Anglorum per Normanniam tunc debacchante, ſe confœderavit. In cujus fœderis munimen ſororem uxoris ſuæ Catharinam filiam regis Francorum idem dux juvenis traduxit in conjugium, præmiſſa, prout famabatur, conditione, quod quicumque duorum primitùs ſoboleſ maſculinam ex ſua ſuſcepiſſet uxore, filius ille regnum Franciæ poſt mortem regis adhuc phrenetici ſine contradictione poſſideret, delphino ſuis culpis ac demeritis exigentibus juſte ſepulto. Verum non diu poſt hanc conventionem uxor ducis migravit a ſæculo, & regina Anglorum filium peperit, cui nomen paternum, ſcilicet Henricus, eſt impoſitum. Denique rex Angliæ totum pene regnum Francorum ſub certis modis & formis quamdiu vixit per medium prædictæ confœderationis, nemine reſiſtente, gubernavit; præficiens regno rectorem ducem de *Beffort*, virum ſtrenuum.

Philipp. ejus filius in ultionem Anglis conſurgunt.

Anno MCCCCXX. quidam nobilis de partibus Hollandiæ, vocabulo Theodericus *Vander Marvvey* caſtellanus fortalitii adjacentis oppido quod vulgariter appellatur *Mons S. Gertrudis*, per ignem Græcum & ſagittas ignitas præfatum oppidum redegit pene in cineres & favillas, concremata inſuper magna porta eccleſiæ collegiatæ ejuſdem oppidi in deſpectum domini Johannis de Bavaria, qui ſe ſcribebat heredem Hollandiæ, necnon in favorem dominæ Jacqueminæ duciſſæ, quæ Johanni duci Brabantiæ per diſpenſationem apoſtolicam fuerat per prius conjugata.

Mons S. Gertrudis igne Græco fere abſumitur.

Anno MCCCCXXI. cum hæreſis Huſſitarum vel Wicleffiſtarum, vel alio nomine Thaboritarum graviſſime multiplicaretur, & jam pene irremediabiliter infeciſſet regnum Bohemiæ & marchionatum Moraviæ, nec ullis mediis poſſent revocari ad unionem & gremium matris eccleſiæ, jamque pene omnes deſolaſſent eccleſias & abbatias, bonis ſuis ſpoliantes clericos ac religioſas perſonas, multoſque crudeliter trucidaſſent, nolentes ſectis & erroribus eorum conſentire. Martinus papa, his conſideratis, fecit prædicari crucem per Alemanniam totam per dominum Brandam de Caſtellione cardinalem, nuncupatum vulgariter Placentinum. Quo veniente ad Leodium, inter ceteros principes Alemanniæ qui crucem ſuſceperant contra præfatos hæreticos, ipſe etiam Johannes de *Heinsberch* Leodienſis epiſcopus annorum circiter XXV. cruce ſignatus eſt.

Bellum ſacrum adverſus Huſſitas.

Sed & de partibus Brabantiæ, Flandriæ, Hannoniæ totiuſque Alemanniæ infinitus populus illuc perrexit, factaque eſt pergrandis deſolatio villarum, incendia domorum, vaſtationes annonarum & frugum in illa regione Bohemiæ. Cumque illic Chriſtiani longo tempore perendinaſſent, nec hæretici ad veram & indubitatam fidem poſſent ab errore deflecti, tandem ſine efficacia debita ad ſuos fines ſunt regreſſi, aſſerentibus aliquantis fide dignis, impedimentum grande præſtitiſſe præmiſſæ expeditioni dominum Sigiſmundum Romanorum regem, ad quem ſpectabat ipſum regnum Bohemiæ jure patrimonii, & ob hoc non rectis oculis ſuſtinebat diſpendium regni præmiſſi; ideoque principes Alemanniæ prædicta perpendentes, ſatis lente ſe præcingebant ad Bohemorum eradicationem & exterminium.

Nec id ſilendum arbitror, quod prædictus cardinalis legatus de latere, auctoritate legationis veniens ad oppidum ſuper Rhenum poſitum vocabulo *Vacherach*, quod ſpectare dinoſcitur ad comitem Palatinum Rheni, canonizavit illic S. Warnerum, qui ante multos annos terribiliter jugulatus fuerat a Judæis commorantibus in villa propinqua, cui nomen eſt Wezalia. Nam ipſo die ſacræ paraſceves Judæi apprehenſum dictum Warnerum, recluſerunt eum in abdito & ſeque-

B. Warnetus ſanctorum albo aſcribitur.

ſtro loco, infligentes eidem omnia genera vulnerum & plagarum, quæ quondam patres eorum inflixerant Domino noſtro Jeſu Chriſto.

Gravis tumultus Bruxellæ.

Contigit eodem anno in oppido Bruxellenſi gravem excitari tumultum. Etenim Johannes dux Brabantiæ, cum non poſſet ad palatium ſuum domare vel refrenare communitates ſuas, ſuggerentibus id quibuſdam malivolis, precibus patriæ ſuæ convocavit multos nobiles & ſtrenuos principes & milites de Alemannia, videlicet comitem de *Meurs*, comitem de *Blankenheim*, dominum de *Heinsberch*, de Huffaliis, & alios multos quos enarrare viritim nimis foret tædioſum, quorum ſuffragio ſperabat ſe obtinere poſſe quod mente tractavit. Cumque præfati principes cum ſatellitibus ſuis per diverſa diſtributi fuiſſent hoſpitia, & circa primam vigiliam noctis cœpiſſent armari, ut ſigno campanæ cujuſdam pulſato, univerſi ſe reciperent ad loca deputata, ancilla cujuſdam hoſpitii, diſponente Altiſſimo, conſpiciens candelas non extingui, ſollicita ne forte per ignem ſuccreſceret aliquod diſpendium, videns etiam ſatellites ſe armare, indicavit rem hoſpiti domus. Qui ſagaciter perpendens diſpoſitionem rei, denudavit rem magiſtris & conſulibus oppidi præfati. At illi perluſtrantes cetera hoſpitia, & comperientes illic ſimilia tractari, excitarunt concives ſuos; qui in unum conglobati, facto ſtrepitu populari, comprehenderunt ſingulos Alemannos & optimates indifferenter, clauſeruntque portas, ita ut nullus eis inſciis poſſet emitti, examinatoque facto diligenter, datæ ſunt induciæ comitibus de *Meurs* & *Blankenheim*, ut die præfixa ſe rurſum reponerent in carcerem Bruxellenſium, ut medio tempore tractaretur quid facto opus eſſet. Nonnulli vero qui ſimplici corde ſigillis ſuis promiſerant fideles ſe futuros domino duci, capti ſunt, & per ſingula oppida Brabantiæ tranſmiſſi, & non poſt multa innocenter, ut puto, decollati. Porro dominus de *Heinſberch* metuens furorem populi, cui nimium fuerat exoſus, die præfixa non curavit redire, juxta condictum, veriſimiliter timens cuti ſuæ.

Multa oppida exundante mare abſorpta cum incolis infinitis.

Eodem anno 19. Novembris, ſcilicet in nocte B. Elizabeth viduæ, in partibus Friſiæ, Hollandiæ, Zelandiæ & Brabantiæ, flante vento ſeptentrionali vehementi tempore plenilunii, mare excreſcens multos effregit aggeres, ſubvertit turres & domos, multoſque ſubmerſit mortales, fecitque in locis ſeptentrionalibus damna infinita. Quamobrem plerique locupletes de veſpere in craſtino ſunt mendicare coacti, præcipue inter Dordracum & Montem S. Gertrudis. Multa villagia propter rupturam aggerum ſunt ſubverſa & ſubmerſa, quæ niſi Deus proviſerit, fortaſſis numquam reparabuntur.

Item eodem anno Johannes comes Namurcenſis, pro certa ſumma pecuniæ vendidit illuſtri principi Philippo duci Burgundiæ totum comitatum Namurcenſem & præpoſituram de *Poelvache*. Ad quem juridice ſuſcipiendum & faiſiendum miſſi ſunt honorandi viri dominus Rotlandus de *Duynkerken*, Robertus de *Mamineez*, Johannes de *Schoonvelt*, Johannes de Berga & alii nonnulli probi & prudentes viri, in quorum manus facta eſt decenter reportatio & effeſtucatio prædicti comitatus menſis Junii die octava.

Burg. dat. comitatum Namurc. comparat, &c.

Anno MCCCCXXII. Henricus rex, qui excluſo & necato, ut prædictum eſt, Richardo filio patrui ſui, regnum Anglorum, conſentiente vulgo, violenter invaſerat; quique etiam Franciam multis plagis affixerat, & annis multis pro libito gubernaverat, finaliter percuſſus lepra, quæ eſt plaga communis regum Angliæ, juxta Pariſius in nemore Vincennarum ab hac luce ſubtractus eſt. Cui ſucceſſit Henricus filius ejus ex filia regis Francorum procreatus. Non multo poſt Carolus rex Francorum, jam diu, ut præfatum eſt, phrænefi gravatus, etiam univerſæ carnis debitum exſolvit.

Henricus rex Angl. vita excedit.

Eodem anno cives Dionanti, excitato tumultu, cooppidanos ſuos, qui penſiones vitales ſuper oppidum emerant, ad hoc compulerunt, ut, vellent nollent, eaſdem quitarent & abjurarent. Inſuper & litteras deſuper confectas igne cremarent. Aliquantos denique, qui id facere recuſabant, publice proſcripſerunt. Quibus contra juris regulam patratis, centum & quadraginta duo principaliores oppidi ad annulum palatii ab epiſcopo legitime ſunt citati, & ſubſequenti tempore duo ex his Leodii decollati, decem quoque exularunt perpetuo, reſidui vero per pecuniam multam ſunt abſoluti.

Dionant. ex citata ſeditione pleſſitur.

Errores Huſſitarum, propter quos exſtirpandos congregati fuerant multi Chriſtiani contra regnum Bohemiæ, ſunt iſti.

Aſſerebant quippe Huſſitæ ſive Thaboritæ hæretici, papam, cardinales ac epiſcopos niſi ſancti fuerint & juſti, non habere poteſtatem conferendi indulgentias, aut excommunicandi, ligandi vel ſolvendi. Quomodo, inquiunt, poſſent aliis dare quod ipſimet non habent? Dicebant ſecundo, non eſſe obediendum papæ & aliis prælatis, neque excommunicationem eorum eſſe nocivam aut timendam. Nam ipſi, quamvis frequenter fuerint a papa excommunicati, tamen arriſit eis ſucceſſus proſperitatis. Tertio dicebant non eſſe curandum expellere ſacerdotes & eccleſiæ miniſtros præſentes & nunc viventes; quia illis expulſis, proviſurus eſſet Deus de aliis miniſtris juſtis & bonis, ſubjungentes quia cum expellitur diabolus datur locus Deo. Quarto dicebant illam conſtitutionem eccleſiæ fore iniquam, qua nemo deberet pro-

moveri ad ſacerdotium, niſi de competentia victus perprius fuerit aſſecuratus. Dicebant quinto, quod a papa & univerſo clero, a maximo uſque ad minimum, deberent auferri divitiæ, deberentque depauperari. Nam & ſancti apoſtoli fuerunt pauperes, non habentes aliquam poſſeſſionem ſuper terram aut ſæcularem poteſtatem. Sexto aſſerebant iniquum fore recipere munera cauſa vel reſpectu orandi pro mortuis, ac celebrandi miſſas pro defunctis, adjungentes quod eccleſiaſtici non poſſent a ſæcularibus recipere poſſeſſiones cauſa orandi pro ſuis benefactoribus, ſed tenentur eas reſtituere, nec tales orationes proſunt ad liberandum animas a purgatorio. Ubi adhuc addunt, quod quia tales poſſeſſiones obtinentes eccleſiaſtici frequenter movent lites, idcirco deberent eiſdem totaliter auferri. Septimo dicebant Huſſitæ eccleſiaſticis perſonis non debere ſolvi decimas, quamvis in lege Moſaïca fuerit inſtitutum quod decimæ dari debebant. Nam aſſerebant per paſſionem Chriſti in nova lege illud præceptum expiraſſe. Octavo dicebant, quod evertendo loca ſignanter religioſorum, & alia monaſteria, non derogatur divino officio; quin immo dicebant, ſe deſtruere nidos diaboli ſcholaſque hæreticorum. Cauſam hujus adjungebant: Nam quia Chriſtus non inſtituit aliquem ordinem, conveniens eſt eos eradicare, juxta illud evangelicum: *Omnis plantatio quam non plantaverit pater meus cœleſtis, eradicabitur.* Nono ſicut non licet papæ, epiſcopis & quibuſcumque eccleſiaſticis viris perſonaliter pugnare, ita non licet eos inſtigare ſæculares ad invadendum eos, vel alios quoſcumque bellicis armis; eo quod eccleſiaſtici ſolo verbo prædicationis debent inſiſtere. Decimo dicebant, quod quia inter homines eccleſiaſticos nonnulla vitia inveniuntur, propter hoc ſtatus ipſe eccleſiaſticus venit redarguendus. Undecimo dicebant, quod ſacrum corpus Chriſti debet miniſtrari cuilibet Chriſtiano ſub utraque ſpecie, cauſam addentes, quia ſic Deus ordinavit, & ſancti Evangeliſtæ ſcripſerunt. Dicebant duodecimo, quod verbum Dei prædicari debet a quolibet ad hoc ordinato, ad quamcumque patriam declinaverit, ſic quod a nemine impediatur palam aut clam prædicare. Decimo tertio, quod omnia peccata mortalia manifeſta tam clericorum quam laïcorum debent prohiberi; addentes rationem; quod ita mandat ſacra ſcriptura & lex evangelica. Dicebant decimo quarto injuſte agi contra eos ex hoc quod ipſis non auditis procederetur in eos per armorum violentiam, addentes quod ſuper controverſia inter Romanam eccleſiam & eos exorta, ſit diſputandum publice etiam coram laïcis. Hujus rationem aſſignabant, quod Dominus Jeſus audivit diabolum, qui erat eis deterior.

Anno MCCCCXXIV. Jaquemina duciſſa, filia Wilhelmi comitis Hollandiæ, &c. quæ pridem nupta fuerat Johanni duci Brabantiæ, Lymburgiæ, &c. eo relicto, transfretavit in Angliam, nubens illic duci Gloceſtriæ, potenti admodum & famoſo, patruo regis Anglorum; allegans primum matrimonium nullius eſſe vel fuiſſe valoris, ob nimiam propinquitatem ſanguinis & cognationis inter eos. Quo muliebriter peracto, ſuadentibus aliquantis nobilibus, qui de favore ſuo exiterant, tam ex Hannonia quam ex Hollandia ſeu Zelandia, dux Gloceſtriæ præfatus, ſumto ſecum armatorum exercitu grandi, venit ad partes Hannoniæ, ubi ab aliquantis baronibus & oppidis, præſertim oppido Montenſi valde munito, ſuſceptus in dominum & comitem, maximam terræ illius partem, partim armis, partim favoribus, partimque muneribus ſucceſſu temporis uſurpavit. Ac dein in extremos terminos Brabantiæ Gallicæ, præcipue verſus Nivellam oppidum frequentes inſultus facere non ceſſavit. Quamobrem nimium offenſi Brabantini cum ſuo duce viriliter & animoſe feſtinabant Anglicis occurrere, parvam fiduciam ſumentes in ſuis nobilibus & militaribus turmis. Congregatis equidem communitatibus terræ, cœperunt obſidere villam vocabulo *Breyne*, parvam quidem, ſed bene muratam valliſque & foſſatis circumſeptam, in qua fuerat ſtatio & præſidium Anglorum. Qui cum aliquanto tempore probiſſime ſe defendiſſent, noviſſime tamen irruptione violenta facta, villa ipſa capta eſt a Brabantinis, & ſolotenus adæquata, atque ſubverſa. Poſt hæc omnia dux Gloceſtriæ confiſus in favoribus magnatum Brabantiæ, quorum nonnullos famabatur jam ſuis donariis & denariis corrupiſſe, ſtatuit die diffinita cum Brabantinis inire conflictum. At illi viriliter ordinatis ſuis aciebus & phalangis per turmas diſpoſitis, ſuccurſum optimatum ſuorum non curantes aut præſtolantes, per multas horas ſtabant ſuper pedes ſuos recti, fiducialiter expectantes Anglicorum ſuperventum. Quod cum duci Gloceſtriæ nuntiatum fuiſſet, Brabantinorum animoſitate conſiderata, valedicens atque maledicens optimatibus Brabantiæ, lora retraxit, & ab illa die non comparuit. Deinde ſequenti tempore, peditibus Brabantiæ regreſſis ad proprium ſolum, dux Brabantiæ aſſumtis dumtaxat ſuis baronibus & feodalibus equitibus, properavit ad obſidendum oppidum Montenſe, pridem, ut diximus, fœderatum domino Gloceſtriæ, abſtulitque civibus omnem conductum fontium qui per canales plumbeos oppidum influunt, potumque dulcem miniſtrant oppidanis. Cumque præciditſet & deſtruxiſſet canales præfatos, confeſtim oppidanos in deditionem ſuſcepit, ſicque hoc modo confuſa gens Anglicana, partes Hannoniæ reliquit cum dedecore.

Duciſſa Brabantiæ duci Gloceſt. copulatur, relicto Brabant.

Exinde Gloceſt. dux Hannon. invadit: ſed Brabant. fines ingreſſus, turpiter ejicitur.

Reformatio regiminis Leod.

Eodem anno in civitate Leodiensi pro salubri statu politiæ per unanimem concordiam trium statuum patriæ, factæ sunt aliquantæ constitutiones & decreta, & continuo sigillata multis sigillis, necnon & reposita sub clausulis ferreis ad pilarium unum ecclesiæ S. Lamberti. Quæ quidem statuta vulgariter nuncupantur NOVUM REGIMEN.

Johan. de Bav. quondã Leod. elect. veneno extinguitur.

Anno MCCCCXXV. in vigilia Epiphaniæ apud Hagam villam Hollandiæ decessit a sæculo illustris princeps dominus Johannes de Bavaria filius Alberti ducis & comitis, &c. qui dum per annos circiter 28. strenue, sed laboriosissime Leodiensem gubernasset ecclesiam, tandem perpendens castitatem periclitari in deliciis, & humilitatem ecclesiasticam in divitiis, & melius esse considerans, juxta apostolicam doctrinam, nubere quam uri, cedens Leodiensi præsulatui post mortem fratris sui Wilhelmi comitis, ad preces & suasiones unius partialitatis terræ paternæ, per sedis apostolicæ dispensationem traduxit in conjugem illustrem feminam Elizabeth ducissam Lutzemborgensem, comitissam de *Chiny*, &c. relictam, ut præmissum est, Antonii quondam ducis Brabantiæ, &c. ante tres annos occisi. Verum ut tragœdia mortis præfati domini Johannis de Bavaria liquide cunctis innotescat, prænoscendum est, quod quidam miles oriundus de comitatu Hollandiæ, cui nomen erat Johannes de *Vliet*, favens Jacqueminæ ducissæ, filiæ Wilhelmi comitis, &c. venit navigio in Angliam super quibusdam negotiis prædictæ ducissæ locuturus; quæ pro tunc in eadem regione pernoctabat cum prætento marito suo duce Gloucestriæ. Is, inquam, miles, tum propter favorem ducissæ, tum propter ingentem summam aureorum, partim datam partim promissam, ut famabatur, corruptus, ad Hollandiam reversus est, & suo domino nobilissimo, cui pro tunc fuerat familiarissimus, & ob hanc causam nequaquam suspectus, venenum paravit, quod non solum in libello, in quo prædictus dominus Johannes oratiunculas peculiares legere consuetus erat, verum etiam in nuce arcus, in quo plerumque exercitii causa delectabatur, callide posuerat, ut eum intoxicaret. Porro quidam mercator Anglicanus astans fortuito casu; immo verius dispositione divina tractatui quo præmissa traditio fieri debebat in Anglia, dolens tam egregium & famosum principem tali tamque detestanda fraude circumveniri, personaliter transfretans mare * Mediterraneum, venit ad præsentiam dicti ducis Bavariæ, nuntians eidem quæ & qualia in præjudicium vitæ suæ corporalis fuerant attentata & machinata; nomen tamen dicti militis traditoris ignorans ad plenum. Quo casualiter comperto, dictus miles comprehensus est, & in vincula conjectus: sed nimis tarde. Nam idem princeps sæpe dictus, tra-

* Oceanum.

A hens sagittam cum arcu in quo virus lethale paratum fuerat, confestim attactus est, & languere cœpit ex vi veneni; de quo tamen subsidio medicinæ convaluit ex parte. Verum miles prænominatus, facinus per tormenta confessus, capite prius detruncato, per quatuor quarteria defectus est; cujus quatuor portiones ad quatuor portas oppidorum Hollandiæ furcis appensæ sunt, & caput ad cacumen portæ castri de Haga sublimatum in ignominiam æternam suæ parentelæ, & eorum quoque, qui suæ parentilitatis & factionis fuere participes & consortes.

B Ægrotans autem aliquanto tempore dominus Johannes illustris princeps, grassante semper in eo vi veneni, pluries exclamasse fertur lacrymose: O nobilis Leodiensis patria, quare te reliqui? cur te deserui? Nemo in te repertus est a tempore quo fundata fuisti, præsul aut dominus, qui veneno perierit. Juste hæc patior, quia contra sanctiones ecclesiasticas quam semel regendam assumsi, deferere non debui; sicque post pauca defunctus est pauper, egenus, inops, alieno ære graviter obligatus, sepultusque est in eadem villa apud fratres Prædicatores, vix uno sarcophago lapideo contectus. Sane nobiles C terræ illius suo viduati principe, ea spe ut partialitates quæ longo tempore terribiliter & fœde alterutrum desolaverant, ex integro sopiuntur, præhabita matura deliberatione, Philippum ducem Burgundiæ & comitem Flandriæ, &c. suaviter aggressi, ad suscipiendam gubernationem vel dominium Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ non reluctantem aut repugnantem induxerunt. Qui *mox* partialitates prædictas ex parte contra spem multorum tandem quietavit, & rebelles pœnis magnis mulctavit, & absque resistentia qualicumque receptus est circumcirca. Nempe D domina Jacoba relinquens Angliam redienſque ad natale solum, nupsit cuidam magno baroni Franconi de Borsalia. Verum ut prædictum matrimonium a domino duce ratificaretur, ipsa nude & plene cessit omni juri quod sibi in præmissis comitatibus competere posset, reservata sibi parva admodum patriæ suæ portiuncula, dicto domino Francone variis angariis propter ipsum conjugium pluries attrito, & frequenter de vita periclitato. Iste dux Burgundiæ, juxta chronica Hollandiæ, factus est vicesimus sextus E comes Hollandiæ & Zelandiæ.

Anno MCCCCXXVI. mortuo, ut præfertur, domino Johanne de Bavaria & domino Philippo duce Burgundiæ occupato in partibus Francorum, Kinemari sive Westfrisones cum oppidanis de Alemannia vulgari more perstrepentes in exercitu copioso, sed incondito, obsederunt oppidum pergrande Hollandiæ, dictum *Harlem*. Porro oppidani inclusi arbitrantes non esse tutum cum suis compatriotis furentibus cominus certamen

Motus in Holl. a Burg. sedati.

inire, promiſſis multis & variis conditionibus, quas tamen propoſuerant numquam ad effectum perducere, illos hoc modo fecerunt ab obſidione fraudulenter recedere. Kynemaris vero ad ſua reverſis, dux Burgundiæ per certos nuntios a proceribus Hollandiæ vocatus, prædictos Alckmarienſes ſub maxima ſervitute redegit, ſubverſis portis oppidi, & inſuper ſoluta ſumma pecuniarum permaxima, per quam ducis iracundiam placabant, & ceſſavit tandem illa periculoſa tempeſtas.

Dux Gloceſt. magna claſſe expulſus ad Holl. iterum fugatur.

Eodem tempore dux Gloceſtriæ repulſus ab Hannonia, inſtigantibus & faventibus eum ſemper & indeſinenter in hac opinione ſiniſtra aliquantis nobilibus ex Hollandia & Zelandia, qui per adverſariorum ſuorum potentiam a propriis finibus expulſi fuerant, inquirere cœpit modos quibus ad poſſidendum Hollandiam commodius poſſet pertingere. Itaque aſſumta claſſe magna cum armatorum millibus multis, transfretans ex Anglia, proſpero vento pervenit ad quemdam portum Zelandiæ, cui vocabulum eſt *Brouvershaven*. Quibus dum ex adverſo magnates & incolæ regionis armipotentes occurriſſent in arcubus & haſtis, mox inito certamine terga vertentes Anglici, & ad ſua navigia ſe recolligentes, ſubterfugium hoc modo quæſierunt. Quo percepto, oppidani de *Uriele* non longe diſtanti a portu prænominato, armatis navibus copioſis fugientes Anglicos abſque mora ſubſequebantur, & immenſam ex eis ſtragem dederunt, nemine ex eis ad veniam vel vitam ſuſcepto. Multi quoque conſiderantes ſe non poſſe mortem evadere, ſponte ſeipſos in marinos vortices præcipitaverunt, & ad inferni profunda deſcenderunt. Itaque dux Gloceſtriæ bis fugatus, numquam de poſt idipſum attentare præſumſit, ſatis ſero pœnitens quod muliebri conſilio paruiſſet.

Philip. Burgdux & Holl. comes Ultrajct. infeſtus.

Ea tempeſtate inſtinctu Hollandinorum Philippus dux Burgundiæ recenter erectus in comitem Hollandiæ, epiſcopatum Ultrajectenſem oppugnare cœpit, conſtituens in quodam anguſto tranſitu maris, non longe ab oppido dicto *Campen*, navem immenſæ molis & magnitudinis, ne merces & victualia ex alienis regionibus ad partes hoſtiles poſſent pervenire. Et non multo poſt ipſe dux perſonaliter cum aliquantis nobilibus viris de Picardia, Flandria & aliunde adductis, villam egregie muratam vocabulo *Amersford*, vix tribus parvis milliaribus diſtantem a civitate Trajectenſi, inopinate cœpit invadere & aſſultum indeſinenter facere. Noviſſime civibus ad mœnia & portas non plene armatis accurrentibus, ſeque viriliter & animoſe defendentibus, necnon & cerviſia calida, quæ tunc illis fortuito caſu braxabatur, perfundentibus ſuper aſſilientes Picardos & Burgundiones, ipſos finaliter cum conAmersfordia obſidet.

fuſione retrocedere compulerunt. Inſuper & quemdam nobilem baronem de Picardia, opponentem ſe confidenter inter ducem & alium qui vibrata lancea cominus ipſum ducem impetebat, illic trucidarunt. Sicque infecto negotio dux cum ſuis lora retraxit. Tandem per interventum amicorum Trajectenſes propinantes duci tentorium unum magni valoris, ad pacem & amicitiam ſunt jocunde & lætabunde ſuſcepti. Præterea oppidum ſitum eſt in initio partium Hollandiæ, cui vocabulum eſt *Senenberghen*: cum dominus ejuſdem adhuc rebellare tentaret contra dominum ducem, obſeſſum eſt per armigeros ducis mari terraque. Cumque primam obſidionem hi qui deintus erant incluſi animoſe & ſine læſione pertuliſſent, tandem ſuperveniente fortiore exercitu, poſt ſecundam obſidionem pervenit in deditionem ducis, ſalvis corporibus & rebus eorum qui illic incluſi fuerunt.

Soluta obſid. & pace compoſita oppidū aliud in deditionem recipit.

Anno Domini MCCCCXXIX. circa carniſprivium in oppido Bruxellenſi Brabantiæ celebrata ſunt haſtiludia, torneamenta ceterique ludi Herculei ſolemniter, præſente Philippo duce Burgundiæ aliiſque principibus ac inſignibus tironibus in numero copioſo. Quibus ſimiliter intererat Johannes Leodienſis epiſcopus, & Johannes comes Namurcenſis, qui comitatum ſuum per prius dicto duci vendiderat. His nondum finitis ludis, quarta die Februarii aliquanti ſatellites prædicti ducis, quorum ſignifer erat Jo. *Blondeal* miles, intempeſta nocte Boviniam oppidum egreſſi, ſcalis & reſticulis turrim Dionanti vocabulo *Montorgueil*, moliti ſunt aſcendere, eamque, ſi poſſent, devaſtare. Quoniam per eamdem infra Boviniam quicquid per forum agebatur clare poterat dinoſci, & ſolus fluvius Moſa turrim & oppidum interſecabat. Et ne forte Dionantenſes ſuis inopinate poſſent ſuccurrere, in medio itineris clavos quoſdam quadrangulos artificioſe fabricatos ſeminaverunt, ut exinde calcei equorum & hominum læderentur. Verum cuſtodes turris nondum ſopiti, ſentientes hæc molimina fraudulenta, confeſtim arripientes petras, ſaxa grandia & trabes, omnibus viis ac modis quibus poterant, in hujuſmodi anguſtia ſtudebant aſcendentes reprimere, & finaliter ex eis quoſdam præcipitantes, cuncti colliſi vel confracti Molam transfretantes, abierunt infecto negotio pro quo venerant. Itaque dominus Leodienſis, qui nondum a Bruxellis receſſerat, ſine mora his auditis, ducem interrogat: ſi facti vel facinoris prædicti conſcius foret. Qui ſuo juſſu hoc perpetratum fuiſſe confeſſus eſt, prætendens hanc rationem: Quoniam Dionantenſes in ſui vilipendium hanc turrim erexerant, & contra ſententiam olim ſuper hac re relatam poſt bellum in *Othei*, nec ſibi ſæpiſſime ſcribenti, minanti vel ſupplicanti quomodolibet pa-

Ludi & haſtiludia Bruxel.

Montem ſuperbiæ invadunt Bovin. & ſtatim repelluntur.

Johann. comes Namurc. obit ceſſitque comitatus duci Brab.

ruissent: immo potius operariis operarios accumulassent. His auditis, dominus Leodiensis super responsis minime contentus, Leodium rediit, narrans & pandens suis omnem rei sinceritatem & factionem ducis. Itaque dominus Jo. comes Namurcensis rediens paulo post, in ægritudinem gravem incidit, & in quadragesima ab hac luce subtractus est. Mox post festa paschalia sæpedictus dux ad quem comitatus per præmtionem Gandensium fuerat devolutus, cum comitiva nobili Namurcum perveniens, illic in dominum & comitem jocunde susceptus est a civibus, occurrente sibi similiter domino nostro Leodiensi ad solemnitatem præfatam cum multis, &c. Deinde pro dirimenda lite præfixa die post multas allegationes ambarum partium, in arbitros de communitate Gandensium & Leodiensium recipiendos, commissum extitit. Qui si forsitan concordare non possent infra terminum certum, deinde totum rei pondus & conclusio facti dependeret in dictamen summi pontificis Martini papæ quinti. Qui quidem tractatus in præsentia vulgi Leodiensis publicatus, valde placuit domino Leodiensi suoque venerabili capitulo, necnon magnatibus patriæ, utpote honorabilis & reipublicæ multum accommodus. Multis tamen de plebe reclamantibus per instinctum & informationem Dionantensium & Hoyensium, cooperante etiam in his inveterato odio quod per annos centum & viginti pene irremediabiliter durat inter Dionantum & Boviniam oppida ad tractum balistæ petrariæ vicina. Porro intermedio tempore ex suggestione diabolica cum in confiniis utriusque patriæ inter quosdam Leodienses ad bella præcipites ac Namurcenses qui per sui ducis potentiam reliquos sperabant opprimere, odia & bella diuma succrescerent, non expectata diffidatione principum contigit utramque patriam rapinis, injuriis & cædibus molestari. Insuper & Hoyenses per quamdam practicam ingressi castrum de *Bealfort*, custodibus castri cum suo castellano Henrico de *Grave* per posticum præ timore fugientibus, ipsum castrum suffodientes, super trabes lignas dumtaxat, remotis aliis fundamentis, stare fecerunt, expectantes mandatum & consilium civitatis Leodiensis & patriæ. Interim a Gandavo missi sunt honorabiles viri pro pace Leodiensibus firmiter tractanda. Quibus adhuc in tractatu non concluso occupatis, Hoyenses, non expectato Leodiensium responso vel mandato præsulis, castrum præoccupatum incenderunt, ac solo tenus irreparabiliter destruxerunt, & subsequenter domino Leodiensi suspecto a suis, propter nimiam familiaritatem quam cum duce habebat, statim multiplicata sunt mala in terra, præsertim cum his intellectis Leodienses nequaquam tractabiles aut inclinabiles ad concordiam possent quibuscumque mediis ac modis reperiri, de injuriis se volentes ulcisci.

Bellofortium ab Hoyens. captum & eversum, cum de pace tractaretur.

Eo tempore & anno quo lis hæc mota est, ex Hispaniis venit in Leodio quidam famosus prædicator re & nomine Raphaël, qui signis & verbis plerosque in suis quotidianis sermonibus ab infinitis & inveteratis retraxit sceleribus, usuris, perjuriis, adulteriis, contentionibus & hujusmodi, & longo tempore illuc demoratus, magnum in clero & populo fructum fecit. Quod quasi a David prænosticatum reperitur in his verbis psalmi, sumendo litteras numerales: ECCE DABIT VOCI SVÆ VOCEM VIRTVTIS. De quodam Hispano cionatore eximio.

Anno MCCCCXXX. illustri principe Philippo Burgundiæ duce circa guerras Francorum in Burgundia & reliquis terris occupato, ab eodem missus est ad comitatum Namurcensem defensandum nobilis miles & baro, immo comes *de Porcheynt*, dominus Antonius *de Croüer* cum plerisque Picardis, Burgundis, Flamingis & ceteris in numero copioso. Qui sociatis sibi incolis terræ, damna plurima intulit patriæ Leodiensi plurimis vicibus, comburendo videlicet oppidum Fossense, abbatiam Florinensem, Messiam quoque versus Hasbaniam & Hanelangiam cum suis pertinentiis versus Condrosium. E diverso Leodienses cum vexillis & signis egressi ad numerum sexaginta millium peditum, domino Leodiensi subsequente cum patre domino *de Heinsbergh*, ac fratre & cognatis Alemannis in comitiva solemni, aggressi sunt terram Namurcensem, funditus moliti destruere. Et primo quidem impetu castrum dictum *Golzin* cum oppidulo irrecuperabiliter subvertentes, multos abinde duxere captivos. Qui aliquantis diebus in tentoriis cum custodia sufficienti servati, dum ad arma conclamatum fuisset, illi clam rebus tumultuatis aufugere volentes, omnes indifferenter peremti sunt. Inde terram totam pervagati, oppida de *Viefvilhe*, de *Valcourt*, *Bajart* & villas campestres omnes pene demoliti sunt. Verum Hoyensibus in obsidione castri de *Poelvache* & oppiduli sedentibus, armigeri in Namurco hospitati cum suo signifero domino *de Croüer* illic equites in itinere circa villam de *Spontin* comperientes, sagittarios Trajectenses circiter ducentos quinquaginta, ex improviso aggressi sunt. Qui rebus & quadrigis in quadam planitie circumcirca contra insultum hostium positis, paulisper restiterunt. Sed confestim priusquam armare se possent, a multitudine electorum equitum circumsepti, universi pene deleti sunt, aliquantis illic occisis, aliquantis in captivitatem abductis. Sed mox Picardi metuentes superventum Leodiensium, ad suas sedes sine mora post hanc cruentam victoriam repedarunt. Interim indignati Leodienses versus *Poelvache* fortissimum, dirigunt iter suum. Unde nimirum custodes perterriti post quin-

Bellum inter ducem Burg. & Leodien.

tum diem obſidionis, ſalvis corporibus & rebus caſtrum dedentes, receſſerunt, & continuo idem deſtructum eſt.

Bovinium obſidetur.

Subſequenter exercitus Leodienſium ſingula locuſtarum more devaſtans, ſpolians & incendens terram opulentam, ad obſidendam Boviniam properat. Sed in ingreſſu Haſbaniæ circa Waſciam exercitus de comitatu Loſſenſi caſtrametatus eſt una cum oppidanis S. Trudonis pro tuitione patriæ Leodienſis contra inſultus Namurci & munitionis fortiſſimæ de *Samſon*. Cumque nonnulli de prædictis Loſſenſibus ad foragia conquirenda ſe late diſperſiſſent, repente equites adverſarii in manu gravi illos aggreſſi ſunt, & facto conflictu acerrimo peremtis hinc inde pleriſque, ſupervenienti reſiduo cuneo Loſſenſium de Namurcenſibus occiſus eſt dominus de *Mamminers*, & pari modo dominus de *Ghiſcel* in Flandria, non parcentibus viris ruſticis tam præcipuis & opulentis. Igitur obſeſſi Bovinienſes ante caſtrum ſuum in ſuperiori parte oppidi ſitum vulgariter dictum *Kyvecourt*, quamdam miræ fortitudinis ſepem dictam *Bolwverek* ex trabibus groſſis & vallo ſtruxerunt, illic eſcas & ſagittas cum defenſoribus collocantes. Ad quod inſultu vehementi facto, venientes Leodienſium acies non ſervato ordine a petrariis & fundibulis aliquanti peremti, nonnulli vero lethaliter ſunt ſauciati. Cumque dominus Leodienſis in hac obſidione cum ſuis equitibus & Alemannis pauliſper lenteſceret, facto ſecundo aſſultu, Bovinienſes viriliter ſe defenderunt ab hora diei prima uſque ad veſperam. Siquidem jam famabatur in caſtris ex relatu fide dignorum, Philippum ducem Brabantiæ, Limburgiæ, &c. ac comitem S. Pauli per ægritudinem longam ab hac luce migraſſe; cui indubie ſuccedere debebat, ut fecit, prædictus illuſtris dux Burgundiæ, cujus terram Leodienſes vaſtabant. Unde nimium conſternatus Leodienſis præſul, ſuadentibus quoque conſulibus & rectoribus Brabantiæ, lora retraxit.

Solvitur obſidio.

Valterii Dathinii caſus & exilium.

Eodem anno cum quidam faber Leodienſis offendiſſet in legem, propter quem exceſſum juxta ritum legis vel ejus rigorem, vix obligari debebat ad viginti octo ſolidos Leodienſes, villicus civitatis Valterus *Dathin*, vir magni cordis, potens in amicis & pecuniæ cupidiſſimus, dictum fabrum ad taxam plus ſolito graviorem nitebatur onerare. Unde nimis offenſi miniſteriales ejuſdem officii fabrilis, exigebant a ſcabinis ut manifeſte declararent per ſententiam judicialem, quantum pro tali exceſſu vel ſimilibus multis civis quilibet obligaretur de rigore juris. Cumque ſuper his ſcabini, neſcio quibus motivis inducti, ſententiare nollent aut forte non auderent, fabri ſociatis ſibi multis de plebe, cucurrerunt ad arma, ſeditionem molientes in ſcabinos, qui confeſtim hinc inde latitantes, veriſimiliter timentes cuti ſuæ, diffugium quæſierunt. Villicus autem in angariis majoribus conſtitutus, vix declinare valens imminens periculum, fugit ad villam de Montigniaco. Complanato autem negotio ſcabinorum, in ſolum villicum, nonnullis propter certas cauſas exoſum, excanduerunt adverſarii ſui infra Leodium commorantes, eumque tandem de civitate proſcribi practicaverunt. Qui dum in civitate multos haberet cognatos fautoreſque & amicos, illicque ad dictum villicum viſitandum & conſolandum frequenter convenirent, adverſariis ejus hoc indignanter & ægre ferentibus, ſucceſſu temporis infinita & lamentabilia ſunt ſubſecuta incommoda, diſſenſiones & odia, quibus fere tota eſt concuſſa provincia, prout in ſequentibus plenius pateſiet, in continuatione hiſtoriæ.

Martinus V. obit.

Anno MCCCCXXXI. Februarii die 20. obiit Martinus papa V. infra urbem Romam, qui præfuit annis fere 13. vir per omnia civilis & urbanus, qui toto tempore vitæ ſuæ totam fere Italiam ab incurſu hoſtili & prædonibus viarum ſalvavit, & idcirco theſaurum magnum in diſpendium & gravamen eccleſiæ cumulavit. Nam eo defuncto, confeſtim nepos ejus princeps Salerniæ, de his pecuniis ingentem copiam ſibimet uſurpavit, ac ſtipendiarios quamplurimos exinde conducens, armata manu, conniventibus aliquantulum Romanis, per portam S. Sebaſtiani Romam ingreſſus eſt; ſed tandem poſt multos inſultus per cortiſanos ſibi reſiſtentiam facientes de diverſis mundi partibus illic conglobatos, ſagittis, gladiis ac lapidibus dedecoroſe repulſus eſt. Quamobrem graviter infenſus, poſt hæc multos ex eis, quos ex urbe recipere potuit comprehendit, mutilavit, jugulavit ac ſpoliavit.

Eugenius VI. ſuccedit.

Defuncto Martino ſubrogatus eſt ei per diſcordiam cardinalium Columnenſium & Urſinorum dominus Eugenius hujus nominis quartus, menſis Maii die tertia, & coronatus in Urbe die 12. ejuſdem menſis. Is per prius dictus eſt Gabriel de Angelis natione Venetus, epiſcopus Senenſis cardinalis, vir procerus ſtatura, ſobrius, caſtus, pudicus & patiens in adverſis, & egens pecuniis. Hic monaſterium S. Pauli extra Romam habens in commendis, multa illic repererat ædificia collapſa, & religioſos illic de obſervantia ſtrictiſſima collocavit, ac per ſuffragium domini Ludovici de Padua abbatis S. Juſtinæ, amplius quam 30. monaſteria S. Benedicti per Italiam reformavit.

Expeditio adverſus Huſſitas.

Eodem anno 12. Junii Julianus de Cæſarinis vulgariter nuncupatus cardinalis ſancti Angeli, legatus ſedis apoſtolicæ primo miſſus a Martino papa, & in eadem legatione confirmatus ab Eugenio, qui pro tunc erat archidiaconus Haſbaniæ in eccleſia Leodienſi, intravit civitatem Leodienſem. Cui totus

clerus in occurſum venit cum crucibus & vexillis. Hic totis viribus nitebatur pacem firmare inter principes Germaniæ, ea intentione ut eos contra Huſſitas & Thaboritas hæreticos animaret & armaret. Qui de victoriis quas de Chriſticolis qui contra eos venerant, habuerunt, nimium elati, Bohemos & Moravienſes vicinos ſuos acriter affligebant, præſertim ſacerdotes & religioſos, bona eorum uſurpando, eccleſias prophanando, caſtra ſubvertendo, & ſimilia horrenda facinora committendo. Cumque plurimos armatos contra dictos hæreticos adduxiſſet, diſſimulantibus aliquantis principibus, præſertim Sigiſmundo rege Romanorum, qui terram ſuam avitam videret & invideret ab exteris devaſtari, prout famabatur, parum aut nihil illic profecit Chriſtianorum exercitus; ſicque infecto negotio reverſus eſt ad propria.

Hæſſitarum litteræ ad reges, principes, &c.

Præterea dicti Huſſitæ ut laïcos in odium cleri concitarent & ſuam ſectam juſtificarent, ad diverſas communitates & civitates Alemanniæ ceterarumque regionum ſubſcriptam deſtinaverunt epiſtolam hanc formam continentem.

» Ut omnipotens Deus per dilectum filium » ſuum dominum Jeſum Chriſtum in Spiritu » ſancto vobis & omnibus Chriſtianis aperiat » intellectum & illuminet corda cum lumine » ſuæ divinæ juſtitiæ, & in eo permanere poſ» ſitis uſque in finem firmiter & ſtabiliter, hoc » deſideramus nos vobis pro ſalute. Vos hono» rabiles, providi, honeſti domini & tota com» munitas, divites & pauperes, audite & con» ſiderate cum ſpirituali diligentia verba præ» ſentis litteræ, quæ vobis de Bohemorum pa» tria tranſmiſſa eſt.

» Apertum & notum eſt vobis & multis aliis » civitatibus & regibus & principibus & domi» nis, quod per aliquot annos inter nos & vos » magna diſcordia fuit, & moti fuerunt & pro» vocati ſunt, qui nos ad debellandum & de» populandum, & proh dolor! pro parte ve» ſtra & etiam de noſtra multi viri nobiles & » ignobiles fatue corpora perdiderunt, nec » tamen umquam aperte. Audiviſtis ac intel» lexiſtis de ore noſtro fidem noſtram, an nos » poſſemus eam probare ex ſcriptura ſacra vel » non. Et reges, principes, domini, & civi» tates magna damna interim perceperunt, » & de hoc miramur valde multum, quod vos » papæ & omni ſacerdotio ſuo tantum confi» datis & credatis, qui vobis dant venenoſum » cetum, inintelligibile conſolamen, in eo » quod ipſi vobis remiſſionem dant omnium » peccatorum veſtrorum, & magnam gratiam » & indulgentiam tribuunt, propter hoc ut » debeatis bellare contra nos & nos depopu» lari; & eorum gratiæ & indulgentiæ non » ſunt aliud quam profunda mendacia & ma» gna ſeductio animæ & corporis omnium qui » credunt & ſe ſuper hoc firmant. Hoc vel» lemus nos eos probare & eos vincere ex ſacra ſcriptura, & vellemus permittere ut audirent quæ deſiderarent, quia papa cum omni ſuo ſacerdotio faciunt vobiſcum in hoc, ſicut diabolus facere volebat Chriſto domino noſtro, ſicut Lucas ſcribit in quarto capitulo, quomodo eum duxit ſuper montem excelſum, & oſtendit ei omnia regna mundi in circuitu terræ & in ictu oculi, & dixit ad eum: *Tibi dabo poteſtatem omnium rerum, &c.* Sic diabolus decepit papam cum omni ſuo ſacerdotio, cum divitiis mundi & ſæculari potentia omnium rerum, &c. & putant ſe poſſe dare gratiam & indulgentiam quando ipſi volunt, & ipſimet numquam invenient gratiam coram omnipotenti Deo, niſi pœnituerint & ſatisfecerint propter magnam deceptionem Chriſtianitatis; & quid poterint dare aliis quod ipſimet non habent? Sic fecit diabolus, qui fuit dives in promittendo & pauper in dando. Et ſicut diabolus non verecundabatur dicere mendacium, ſic nec verecundantur id quod tamen numquam erit verum, & ſcripturis ſacris approbatum, quia cum nihilo movent ipſi reges, principes, dominos & civitates ad bellandum contra nos, ut fides Chriſtiana defenſetur, plus quia ipſi timent, quod latentia vitia & eorum hæreſes aperiantur & manifeſtentur. Quia ſi haberent veram & rectam & divinam caritatem ad fidem Chriſtianam, tunc acciperent libros divinæ ſcripturæ, & venirent ad nos, & debellarent nos cum armis verbi divini. Hoc eſt maximum deſiderium noſtrum, quia ſic fecerunt ſancti apoſtoli Domini noſtri Jeſu Chriſti, & hoc fecerunt in ſpiritu lenitatis. Sic ſcribit apoſtolus ad Galatas cap. VI. *Fratres, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, &c.* & ſic illi facere deberent; & ſi invenirent vos juſtos eſſe & nos injuſtos, & ſi non vellemus pati inſtructionem, tunc ipſi poſſent capere in adjutorium reges & principes, dominos ac civitates imperiales & reſiſtere nobis ſecundum mandata divinæ ſcripturæ: ſed iſta eſt callida defenſio omnium epiſcoporum & ſacerdotum, eo quod dicunt, *Meyſter Hayſſet* & Hieronymus, qui fuerunt Conſtantiæ combuſti, victi fuerunt a ſancto patre papa & toto concilio. Sed ſcire debetis, quod ipſi non fuerunt victi cum ſancto Spiritu, ſed injurioſe cum injuſta violentia, quod Deus adhuc graviter poterit vindicare, in omnibus qui conſilium & auxilium præſtiterunt. Et dicunt quod non debeat permitti, quod nos exaudiamur in noſtra fide. Quomodo hoc probabunt cum ſacra ſcriptura, quod non debemus exaudiri, cum tamen diu deſideravimus; tamen Chriſtus audivit diabolum, ut habetur Matthæi quarto cap. & ipſi non ſunt meliores Chriſto, nec nos pejores diabolo; ſi ſunt juſti habentes veritatem in eis, ſicut dicunt, & nos injuſti, quid nos timet,

» timet, cum tamen veritas non habet timentes mendacium, ſicut ſcribitur in Eſdra: Zorobabel expoſuit veritatem eſſe fortiſſimam, » omnia vincentem, quia Chriſtus eſt veritas, » Johan. 13. Ego ſum via, veritas & vita. Diabolus autem principium mendacii. Johan. 8. » Ipſe eſt mendax a principio, & in veritate » non ſtetit, & veritas in eo non eſt. Propter » hoc ſi papa cum omni ſuo ſacerdotio habet » veritatem, vincet nos Deo. Si autem habuerint mendacium, ſine dubio non poterunt in » omni præſumtione eorum. Propter hoc, dilecti, honeſti domini, divites & pauperes, » nos exhortamur & rogamus vos omnes imperiales civitates, reges, principes & domi- B » nos propter Deum & divinam juſtitiam, ut » alter alteri ſcribat & manifeſtet, quomodo » nos vobiſcum poſſemus convenire ad diem » certum amicabiliter, & rite nobis & vobis » convenientibus, adducite vobiſcum epiſcopos & doctores, & nos adducemus noſtros » doctores, & faciamus eos invicem bellare » verbo Dei, & audiamus nos & vos, & nullus » vincet alium cum violentia aut falſa aſtutia, » ſed ſolum cum verbo Dei. Et ſi veſtri epiſcopi & doctores vincentur a noſtris per ſacram ſcripturam, pœnitentiam agite & ac- » cedite ad nos, & tenete nobiſcum. Et ſi tunc C » veſtri epiſcopi & ſacerdotes nolunt ceſſare » a ſpirituali ſuperbia, ſcilicet pœnitentes & » ſatisfacientes, tunc volumus nos vobis adjutorium præſtare, juxta noſtrum poſſe, & volumus eos ad hoc cogere ut ſe convertant, » vel expellemus eos extra Chriſtianitatem. Et » ſi epiſcopi & doctores dicerent quod non » decet laïcos adeſſe & non audire hoc, non » aliter intelligite, quam quod ipſi vincantur, » & ſcandalizentur in conſpectu omnium; quia » ſi ſcirent ſe victores, ſine dubio deſiderarent » ut quiſque audiret, & gloria eorum major » fieret & fama, & laudes ſuper terram dilatarentur. » D

Hæc & ſimilia blaſphema & injurioſa verba ſcripſerunt & protulerunt prophani hæretici, volentes laïcos contra clerum concitare, & ſuam opinionem juſtificare. Sed contrarium apparebit in ſequentibus, cum eiſdem plena audientia ſit exhibita in concilio Baſileenſi & utriuſque fides diligenter audita.

Pax componitur inter Burgund. & Leod.

Eodem anno plerique perſpicaces & oculati viri de Leodio, præſertim eccleſiaſtici, E perpendentes ducem Burgundiæ poſt mortem Philippi ducis Brabantiæ ſucceſſiſſe nepoti ſuo in dominio ducatuum Brabantiæ & Limborgiæ ceterorumque dominiorum ad eamdem patriam ſpectantium, ſeque ex omni parte fere circumſeptos & intercluſos a terris ejuſdem ducis, ſolertem præbuere diligentiam, ut ducem, quem pridem graviſſime offenderant in comitatu Namurcenſi, placarent precibus & muneribus, & cum eo pacem inirent & offenſam ipſis remittere

A dignaretur. Itaque ſervatis utrimque pluribus dictis tum apud Machliniam, tum apud Gandavum, finaliter per inſtinctum Spiritus-ſancti & principum quorumdam poſt multos labores & ſudores ventum eſt ad hanc pacis formam: in primis quidem, quod turris Dionanti vocabulo *Montorgueil*, quæ fuit fomes & primaria cauſa totius mali ſubſecuti, funditus debebat demoliri poſt diem quadrageſimum pacis proclamatæ ſine mora; quodque pro animabus eorum qui primitus necati fuerant juxta *Golzin*, una capella vel altare novum erigi debebat, ubi quotidie miſſa una celebraretur ad perpetuam rei memoriam. Item, quod reſarciendis damnis comitatui præfato illatis, in deſtructione oppidorum, fortalitiorum & domorum ruralium, ſolvere debebant eidem duci centum millia floren. & decem millia nobilium, uno nobili pro duobus florenis Rhen. computato. Item, pro contumelia expianda dominus Leodienſis & ejuſdem genitor dominus de *Heinsberch*, cum aliquantis aliis nobilibus patriæ veniam peterent flexis genibus a domino duce præfato apud Machliniam. Quod quamvis abſurdum ſatis appareret, ut ſcilicet epiſcopus coram principe ſæculari hoc modo ſe humiliaret ac proſterneret, nihilominus dictus Leodienſis epiſcopus propter bonum pacis, quod totis niſibus exquirebat, & ſalute terræ ſuæ, non renuit hanc formam humiliandi ſuſcipere & implere. Sicque poſt multa, reclamantibus tamen nonnullis pacis hoſtibus, quibus non eſt audientia præſtita, tenor pacis ſupraſcriptæ debito fini mancipatus eſt, & terra quievit a bellis pauliſper.

Item, eodem anno MCCCCXXXI. indictione nona, ſeptima die menſis Decembris, pontificatus domini Eugenii papæ IV. anno primo, reſidente in civitate Baſilea, quæ eſt de natione Germanica ſub provincia Biſuntina reverendiſſimo patre domino Juliano diacono cardinali, vulgariter nuncupato S. Angeli, apoſtolicæ ſedis legato, de conſenſu omninm prælatorum illic aſſiſtentium, in aula monaſterii S. Leonardi, concluſum eſt primam ſeſſionem ſacri concilii celebrandi in majori eccleſia 14. menſis ejuſdem, die quæ erat ſexta feria, ad honorem & laudem omnipotentis Dei. Concilium Baſileenſe.

Porro ex decreto ſacri concilii Conſtantienſis ſtatutum fuerat poſt finem dicti concilii, primum ſequens concilium celebrari debere in urbe Papienſi poſt quinquennium; ſecundum vero in urbe Senenſi poſt ſeptennium, & deinceps de decennio in decennium ſacra concilia generalia deberent continuari, propter caſus quotidie emergentes in populo Chriſtiano. Sicque ex ordinatione dictorum conciliorum Papienſis & Senenſis erat civitas Baſileenſis accommoda pro ſacro concilio illic celebrando, ita quod ex mandato domini Martini papæ ad hoc ſacrum

opus peragendum missus est dictus cardinalis S. Angeli, ut eidem sacro concilio auctoritate apostolica præsideret, & cetera ad id opportuna prosequeretur. Defuncto autem Martino papa, successor ejus Eugenius dictam legationem roboravit & authenticavit suis bullis & sigiliis, prout evidenter patet in bullis super hac re confectis, quarum copiæ apud multas ecclesias diligenter conservantur.

Erat autem hæc finalis intentio prælatorum illic congregatorum primaria, ut hæreses subortæ de medio tollerentur, præsertim Hussitarum vel Taboritarum, quæ magnam plagam dudum in populo Christiano fecerant & stragem, præsertim in Bohemia & Moravia. Secunda, ut pax inter principes Christianos, præsertim in regno Francorum tractaretur. Tertia, ut ecclesia Dei, tam in capite quam in membris reformaretur. Ad quod sacrum opus perficiendum serenissimus Romanorum rex Sigismundus totis viribus operam dabat, dans eidem concilio in tutorem & defensorem illustrem principem Wilhelmum ducem Bavariæ, cujus uxor erat filia ducis Clevensis.

Sigism. coronatur Mediolani.

Eodem tempore ipso festo Catharinæ virginis Sigismundus Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, Croatiæ, Dalmatiæ &c. rex secundam coronam, quæ ferrea est, suscepit Mediolani ab archiepiscopo ejusdem civitatis, nemine resistente.

Hussitarum clades.

Item eodem anno Albertus dux Austriæ postmodum Romanorum rex, qui filiam unigenitam Sigismundi habuerat in uxorem, in publico certamine superavit Hussitas hæreticos, maximos eorum capitaneos illic occidens.

Gravis seditio Leod. occasione novi regiminis.

Anno MCCCCXXXII. secunda die mensis Julii, qua celebratur festum Visitationis beatæ Mariæ Virginis, facta est ingens quædam civilis commotio infra Leodium, & cunctis ad arma concurrentibus, perpaucis notum erat quid ille rumor subitaneus significaret. At pannorum factores infra hallam suam seipsos recludentes, omnia ad resistendum hostibus necessaria illic comportaverunt, timentes verisimiliter ab adversariis suæ intentionis se posse circumveniri. Verum aliquantulum sedato tumultu, & plerisque conclamantibus in destructionem novi regiminis ante annos octo solemniter ordinati, & juramento trium statuum patriæ roborati ac confirmati, omnes fere ad monasterium S. Jacobi, in quo sigilla ac privilegia civitatis conservantur, concurrerunt; scrinium, cui illæ libertates inclusæ sunt, secum usque ad forum apportantes, ubi visitatis litteris singulis, præsertim de pace nuper facta cum duce Brabantiæ, eodem die ipsam arculam & scrinium ad idem monasterium reportaverunt. Nihilominus inter quosdam ministeriales definitum est in præjudicium novi regiminis magistros civium de cetero debere creari secundum pluralitatem vocum vel suppositorum, non secundum electionem vel ordinationem sexdecim commissariorum, qui alios XXXII. eligere debebant, quibus cura creandorum magistrorum complenarie committi solebat. Sicque in mense sequenti, videlicet in festo beati Jacobi majoris, juxta pluralitatem vocum creati sunt in Leodio duo novi burgimagistri, (a) secundum ordinationem supradictam, quibus postea non bene cessit, scilicet in vigilia Epiphaniæ sequenti. Nam & ordinatio illa satis multumque displicuit domino Leodiensi suoque venerabili capitulo, in tantum, ut ejectis suis nobilibus e palatio, se a civitate absentaverit usque ad festum beatæ Mariæ dictus episcopus, nec curaret ad civitatem reverti.

[a]

Eodem anno cum Everardus de Marka, nobilis domicellus, multis annis gubernasset terram de *Bulhon*, spectantem ad patrimonium S. Lamberti, multique famarent terram illam invadiatam fuisse dicto nobili viro, ut evidenter contrarium appareret, dominus Leodiensis cum electa procerum & equitum comitiva illuc properavit. Cui confestim hilariter obvius factus est dictus domicellus, deferens domino suo claves castri & oppidi. Itaque dominus Leodiensis aliquantis diebus in castro suo locatus est & refocillatus, sæpefacto Everardo cum filiis ac familia sua in oppido inferiori hospitato omni tempore quo dominus ibi præsens fuerat. Cumque omnes vasalli terræ ejusdem singula feuda sua ab eodem relevassent ac renovassent, juxta morem solitum, post paululum commissa custodia castri ac patriæ sæpedicto domicello, isdem dominus episcopus ad Leodium repedavit, assumens & ascribens novum titulum & nomen ducis de *Bulhon*, quod usque ad illud tempus facere distulerat.

Bellonium sibi vindicat Heinsberg.

Eodem anno, cum, ut præfertur, Hussitæ querimonias magnas facerent quotidie apud principes Christianos & communitates, quasi eis negaretur audientia, pro secta sua defendenda aut proponenda, Basileenses illis salvum conductum liberrime obtulerunt, usque ad numerum ducentarum personarum, ac libertatem veniendi Basileam, illic standi, conversandi & cetera faciendi quæ ad complementum tantæ rei & declarationem fidei spectare noscuntur. Ejus tenor subscribitur in hunc modum.

Patres Basil. communicem concordiæ Hussitis.

« Sacrosancta synodus, &c. universis & singulis sacerdotibus, nobilibus, militaribus, popularibus & aliis quibuscumque viris cujuscumque status, conditionis aut qualitatis existant de regno Bohemiæ & marchionatu Moraviæ, de Praga & civitatibus, &c. qui vel quæ una cum ipsis ad generale concilium Basileense mittentur, &c. tenore præsentium, «

(a) Guillelmus Dathinius, frater Walteri, & Johannes Leuverius.

& cetera ſimilia privilegia, quæ ſalvo conductui neceſſaria ſunt, Huſſitis per Baſileenſes conceſſa ſunt, quæ brevitati ſtudens, hic interſerere non curavi.

Qui audiuntur in concilio. Porro Huſſitæ ad Baſileam venientes cum duce ſuo Procopio & alio quodam, qui dictus eſt magiſter Petrus de Anglia, multas & longas fecerunt diſputationes profecta ſua defendenda in conſpectu omnium qui adeſſe volebant, præſertim de communione ſub utraque ſpecie, quas Baſilienſes patienter audierunt, & ſatis humane tractaverunt. Finaliter permiſſum eſt eis in regno Bohemiæ & marchionatu Moraviæ, ut communicarent, ſi placeret, ſub utraque ſpecie panis & vini, cum hoc non ſit hæreticum: ſed promoniti ſunt ut ſollicite præcaverent negligentias, quæ ſub tali forma communicandi poterant evenire, ne ſcilicet ſanguis Domini paſſim effunderetur inter manus communicantium, maxime cum interdum maxima multitudo rudium & indiſciplinatorum ad ſacram communionem concurrit, ſicque Huſſitæ ſatis bene contenti abierunt ad propria, de cetero non ita feroces in effuſione ſanguinis Chriſtiani.

[Concilium diſſolvit Eugenius IV. Eodem anno cum dominus Eugenius papa perpendiſſet Baſileenſes in ſeſſione ſua tertia decretaſſe, quod eorum ſacroſancta ſynodus immediate poteſtatem haberet a Chriſto, cui quilibet cujuſcumque dignitatis vel ſtatus, etiamſi papalis exiſtat, obedire teneretur in his quæ pertinent ad fidem & exſtirpationem ſchiſmatis & reformationem morum, &c. & quicumque eorum decretis obedire contemſerit dignæ pœnitentiæ ſubjici deberet, cujuſcumque ſtatus foret; pœnituit eum, quod tantam eis auctoritatem contuliſſet, & de plenitudine poteſtatis ad diſſolutionem & revocationem dicti concilii totis præcordiis anhelabat, & de facto id fieri mandabat. Quam ob cauſam cum ex parte eorum miſſi fuiſſent oratores dominus Henricus de Palude epiſcopus Lauſanenſis, & Henricus *Scotter* decanus Leodienſis, ad ſupplicandum ſanctitati ſuæ, quatenus dictam prætenſam diſſolutionem caſſare dignaretur, nec exauditi fuiſſent ſuper his; indignati, dictum ſummum pontificem ſuoſque confratres cardinales citare auſi ſunt, requirere, exhortari & admonere, ut infra trium menſium ſpatium in cauſa tam legitima ſubſtante perſonaliter comparerent Baſilcæ pro complemento piorum operum ob quæ fuerant illic congregati, alioquin contra eos tamquam contumaces & rebelles procedendum foret ſucceſſu temporis, &c.

Indignantibus patribus, citatur.

Motus civilis in foro Leodiano dirimitur. Anno MCCCCXXXIII. quinta die Januarii in civitate Leodienſi facta eſt deteſtanda civilis commotio ſive contentio in foro civitatis juxta gradus eccleſiæ S. Lamberti, occurrentibus ſibi partibus ambabus quæ tunc proh dolor inibi ſuccreverant. Et facto utriuſque ſæviſſimo certamine, tandem pars ipſa quæ Waltero *Dathin*, pridem villico Leodienſi, ſed tunc proſcripto faverat, victa fuit, aliquantis ea tempeſtate peremtis, aliquantis ad eccleſiam S. Lamberti vicinam, vel tutiora loca ſubterfugium quærentibus. Pars vero victrix fugientes inſequens, perpaucos comprehendit, & inquiſitione facta ſuper his qui certamini interfuerant, vel conſilium, auxilium aut favorem præbuerant, ingentem multitudinem ex eis ſubſequenti tempore proſcribi & banniri practicavit, bonis eorum mobilibus & immobilibus, qui notarii vocabantur apud eos, confiſcatis: ſcabinis tamen hanc confiſcationem juxta legem patriæ nolentibus approbare. Aliquantis autem qui ante certamini non interfuerant, ſed tamen favorabiliter eoſdem foverant, aut certe verba nonnulla favori vel aſſiſtentiæ conſentanea protulerant, pecuniaria mulcta correctis, aut certe per aliquot annos a civitate bannitis, ea præcipue de cauſa, quia famabantur velle practicare, quod ſupradictus Walterus *Dathin* ob ſua demerita, prout aſſerebant, proſcriptus a civitate ad eamdem deberet revocari. Deinceps de conſenſu omnium miniſteriorum civitatis decretum eſt eligi de quolibet eorum decemviros fortes & animoſos, qui ſicas vel cultellos longos ad latera continue deferrent, eo fine, ut ſi contingeret ſimilem vel majorem caſum in civitate ſuboriri, illi confeſtim vocarentur, & promtos ſe ad ſuccurrendum civitati & civibus deberent oſferre, ipſiſque burgimagiſtris in omni neceſſitatis articulo, quotieſcumque opus foret ſubvenire. Cujus eventus data liquido patet & quaſi prophetice prænoſticata eſt a David rege in ſeptimo verſu 77. pſalmi qui talis eſt: QVANTA MANDAVIT PATRIBVS NOSTRIS NOTA FACERE EA FILIIS VIS VT COGNOSCAT GENERATIO ALTERA computando dumtaxat litteras numerales, & non alias.

Victi factioſi exilio damnantur.

Eadem tempeſtate ſuborta eſt gravis altercatio inter dominum Rabanum quondam epiſcopum Spirenſem & Udalricum de *Manderſcheit*, quondam decanum Colonienſem, contendentes de archiepiſcopatu Trevirenſi. Cumque interdictum in civitate Trevirenſi latum fuiſſet, ſeptem religioſi S. Matthiæ Trevirenſis, monaſterium ſuum de licentia ſui [abbatis] egreſſi, ad S. Jacobum in Leodio ejuſdem ordinis S. Benedicti cauſa hoſpitalitatis migraverunt, & in eodem per ſeptem fere menſes ſub regularitate ſunt converſati quouſque interdictum prædictum auctoritate apoſtolica relaxaretur.

Septem mon. S. Matthiæ Trev. Leod. ſecedunt ad S. Jacobum.

Eodem anno 25. die Februarii prædones multi egreſſi de finibus Francorum Covinum oppidulum ſitum in extremis finibus patriæ Leodienſis modice muratum, feriatis oppidanis ingreſſi ſunt, exſpoliantes & deprædantes illud, & aliquantas domos incendentes,

Covinum diripitur.

tes & pro reſidui conſervatione ſummam quadragintorum ſcutorum auri recipientes, abductis dumtaxat octo captivis. Quibus poſt facinus ad ſua repedantibus, ballivus terræ cum Gerardo de *Tylhy* & Oſtone *Dablen* nobilibus viris, magnaque populari multitudine ſubſequens per novem milliaria pedetentim prædones prædictos ignorantes a tergo contingebat. Subſiſtente autem exercitu in loco deputato, dictus Gerardus hoſtium potentiam & numerum volens explorare, cum eis villam vocabulo *Hanappe* circa conticinium noctis ingreſſus eſt; cumque didiciſſet magnam prædonum copiam ultra rivum hoſpitatam, regyrans ad ſuos eoſque ad pugnam animans, repente irruit ſuper eos qui in præfata villa ſopiti jacebant. Subito cunctis ad arma impræmeditate convolantibus, circiter nonaginta prædones eo tumultu trucidati ſunt, & reductis ſpoliis quæ ſublata fuerant, Leodienſes ad propria gaudenter remeabant.

Et ultio ſumitur.

Sigiſm. rex Romæ coronatur.

Eodem anno in die aſcenſionis Domini Sigiſmundus Romanorum rex duas perpridem coronas adeptus, pro ſuſcipienda tertia intravit urbem Romanam circa horam majoris miſſæ, habens in ſua comitiva dumtaxat ſuos ſatellites & quotidianos ſervientes, videlicet quingentos aut ſexcentos equites, pedites autem octingentos. Poſt miſſam autem locatus fuit ad gradus S. Petri in domo cardinalis Arelatenſis; miniſtri autem ejus & familiares in Sancto-Spiritu & per burgum S. Petri. Et ne tumultus civilis inter cives Romanos forſitan oriretur ſolito more, deputati ſunt armati multi qui præcaverent. Intrante ipſo Urbem, ſummus pontifex Eugenius pontificalibus inſigniis indutus, venit ei obviam uſque ad gradus ſancti Petri, ibique recepit dictum regem ad oſculum pedis, manus & faciei. Cumque ſimul ingreſſi fuiſſent porticum eccleſiæ, ubi fuerat altare paratum, & rex obtulit illic ſe velle facere ſolitum juramentum: ſed de communi conſenſu amborum hæc dilata ſunt uſque ad diem coronationis ejuſdem. Intravit autem idem rex Urbem, deferens coronam, cum ſuis portantibus ſceptrum, gladium & pomum ante eum.

Igitur ipſa ſacra ſolemnitate Pentecoſtes ſummo mane papa ſuique cardinales deſcenderunt uſque ad primam porticum S. Petri, induti veſtibus pontificalibus, ibique rex cum corona præſtitit juramentum domino papæ & eccleſiæ. Poſt hæc papa proceſſit ad altare majus, & tres cardinales, videlicet de Urſinis, Arelatenſis, & ſancti Sixti cum clero S. Petri, duxerunt regem proceſſionaliter ad eccleſiam Lateranenſem ante altare S. Mauritii, & ibi conſecraverunt eum. Quo facto, in principio miſſæ duxerunt eum ante altare majus, & ibi venit ad oſculum papæ, & obtulit aliquantos aureos ad altare. Poſt hoc ſe retraxit ad aliam partem chori verſus baptiſterium, ad unum receptaculum ibidem præparatum. Inde lecta epiſtola, antequam inchoaretur evangelium, iterato venit ad altare. Tunc papa propriis manibus coronavit eum, imponendo ſibi mitram albam ſimplicem, & cornua mitræ, quæ ponuntur epiſcopis ad utraſque aures, poſitæ ſunt ei ante verticem unum, & retro caput alterum, & ſupra mitram corona aurea eſt collocata. Poſtea papa ſuſcipiens gladium de altari, tradidit in manibus ſuis, ſimiliter ſceptrum & pomum. Finita miſſa, imperator abſcedens, deſcendit ad gradus S. Petri; quem papa ſubſequens, confeſtim aſcendit mulam, cujus frenum tenuit imperator, ducens eum fere per tres paſſus. Poſtea quoque ipſe equum ſuum ſimiliter aſcendit, & ſimul ambo equitaverunt juxta muros Urbis verſus pontem S. Angeli. Cumque veniſſent ad eccleſiam quæ ſita eſt juxta pontem, ubi ſunt duo pilaria ad quæ flagellati apoſtoli Petrus & Paulus, imperator manum papæ oſculatus eſt, & equitavit verſus pontem, papa autem reverſus eſt ad ſuum palatium. In pontis medio creavit aliquantos novos milites, & inde proceſſit cum corona ad S. Johannem, ubi pranſus eſt, & hora veſperorum per trans Tiberim reverſus eſt ad S. Petrum.

Eugenius parum Baſilee. ſum conatus pro reductione Græcorum.

Iiſdem temporibus tam papa quam Baſileenſes operam extremam dare coeperunt pro reductione Græcorum ad obedientiam Romanæ eccleſiæ, licet diverſis annis & contrariis formis; & ex utraque parte directi ſunt ambaſſiatores ad urbem Conſtantinopolitanam ad imperatorem, ad patriarcham eorum & ceteros quibus id opus votivum fore putabatur. Sed epiſtolæ & bullæ aureæ utrimque miſſæ ſunt & receptæ, quarum unam placuit hic interſerere quam Græcorum imperator ad Baſileam tranſmiſit, cujus tenor talis erat: » Johannes in Chriſto Deo « fidelis imperator & moderator Romanorum « Palæologus ſemper auguſtus ſacroſanctæ ge- « nerali ſynodo Baſileenſi, ſalutem in omnium « redemtorem. Ambaſſiatores veſtrarum pa- « ternitatum venerunt ad nos, & attulerunt ve- « ſtras litteras, ex quibus etiam & relationibus « eorumdem oratorum cognovimus bonam « diſpoſitionem & intentionem quam habetis « pro bonitate omnium Chriſtianorum, & « etiam pro unione eccleſiarum Chriſti, & po- « ſtulaverunt nos, ut mittere vellemus noſtros « ambaſſiatores ad reverendas paternitates ve- « ſtras pro iſto negotio ſanctæ unionis. Nos « igitur illos & dicta per illos gratiſſime acce- « pimus & audivimus, quia unionem prædi- « ctam jamdiu deſideramus & petimus, & pro « iſta multoties miſimus noſtros ambaſſiatores « ad ſanctam Romanam eccleſiam, & iſtius « ſummum pontificem, ſicut manifeſtum eſt « omni mundo. Et nunc quoniam veſtræ re- « verendæ paternitates pro unione fienda mi- «

Litteræ ſolid. Græcor. imp. ad patres Baſil.

» ſerunt, & placuit vobis ut mitteremus no- A
» ſtros ambaſſiatores ſuper tale propoſitum di-
» cturos, facturos & audituros, quæ & quanta
» ad hanc pertinent; lætati ſumus valde & ma-
» gnum habuimus gaudium, & ſecundum ve-
» ſtram voluntatem & petitionem elegimus
» & miſimus noſtros ambaſſiatores excellentes.
» Qui cum receſſiſſent a noſtra civitate cum
» navi ſimul cum veſtris ambaſſiatoribus, re-
» verſi fuerunt inviti, & cum magno periculo
» a procellis & turbatione maris. Et poſtea no-
» bis viſum fuit, propter cauſas veras & neceſ-
» ſarias, ut unus ex veſtris ambaſſiatoribus ve-
» niat ad veſtras reverendas paternitates pro B
» oſtendendo omnia iſta, reliquus vero rema-
» neat hic, & vere inchoato veniet & ille cum
» noſtris ambaſſiatoribus prædictis, quod ſic
» factum eſt. Et nunc ad veſtras reverendas
» paternitates reverendus Antonius epiſcopus
» Sudenſis veſter ambaſſiator, ex quo de om-
» nibus latius & particulariter ſcietis; poſtea
» vero venient & prædicti ambaſſiatores no-
» ſtri cum fratre Alberto de Criſpis, ſacræ
» paginæ profeſſore. Tunc etiam clarius & per-
» fectius de omnibus veſtræ reverendæ pater-
» nitates ſcient. Datum in noſtra civitate Con-
» ſtantinopoli die decima octava Novembris C
» anno MCCCXXXIII.

Huſſit. exules Pragæ, &c.

Anno MCCCCXXXIV. dominus Meyardus & alii barones Bohemiæ, qui non erant ex parte Huſſitarum, validam congregationem in campis fecerunt, & venerunt ad hortum ferarum prope Pragam, & cives antiquæ civitatis intromiſerunt eos ad ſe, & armati inſultum cum telis fecerunt in novam civitatem, per duas portas intrantes, & multos ex eis occiderunt, & aliquantos captivaverunt: aliquanti autem fugæ remedium quærentes, inter undas aquis ſubmerſi ſunt ipſo Dominicæ aſcenſionis die. Quod autem au- D
dientes Huſſitæ conſodales eorum, qui civitatem Philznam obſederant, incenſis papilionibus ſuis ac tentoriis, ibant verſus Pragam novam, volentes ſuis ferre ſubſidium.

Poſt hæc Dominica infra octavas ſecum Philznenſes cum ceteris baronibus regni Bohemiæ animoſe pugnam habuerunt contra eoſdem Thaboritas vel Huſſitas inter oppidum Burſim, & inter Brodam in quadam planitie, ubi ſubveniente ſuis Altiſſimo, pluſquam XIII. millia de Huſſitis peremta ſunt cum principe & capitaneo eorum Procopio. E
Capti ſunt fere ſeptingenti. De Catholicis dumtaxat ducenti peremti ſunt, vere martyres Chriſti, ut ſperamus. Duravit hæc pugna per totam diem Dominicam & noctem ſequentem, & uſque ad horam tertiam alterius diei ſubſecuti, prout Sigiſmundus imperator Baſileenſibus intimavit.

Fernandus Portug. rex civit. Tingim obſidet.

Eodem tempore illuſtris Portugalliæ & Algarvii rex ac dominus Septæ, Fernandus nomine, cupiens extendere & dilatare terminos Chriſtianitatis in Africana regione, cum exercitu fere duodecim millium hominum obſidere cœpit civitatem *Tangar*, in qua erant circiter totidem millia hominum incluſa. Facto circumcirca vallo ligneo, ac foſſatis, ne faciliter ad eos hoſtibus pateret aggreſſus; & cum in procinctu videretur fore deditio, oppidani lamentabiliter petierunt ſibi concedi inducias 12. dierum, quibus de ſua ſalute & forma ſe ſuaque dedendi tractare poſſent. Qua liberaliter illis data, illi Punica fraude repleti, clam per nuntium mandaverunt Sarracenorum regem *Fehe* ſibi præberi auxilium, intimantes eidem anguſtias quas deintus a Chriſtianis tolerabant, ac ſupplicantes ut properaret indilate. Quibus auditis, rex præfatus venit cum centum viginti millibus paganorum, Maurorum, Numidarum, quorum facies ſuper carbones erant denigratæ, circumcingens obſidentes. Cumque Chriſtiani jam inter valla circumſepti, duplicem paterentur obſidionem, valida famis premebantur penuria, quæ ſævior eſt omni gladio bicipiti, adeo ut ſanguinem & urinam ſuorum biberent jumentorum. Quamobrem ſic in arcto poſiti poſtulabant ſibi dep. . . . . dari, præhabitis aliquantis conditionibus & pactis, præſertim ut ante omnia civitas Septæ redderetur, quam prædeceſſor dicti regis Portugalliæ dudum in manu violenta dominio paganorum ſubtraxerat. At rex Fernandus Chriſtianiſſimus perpendens Septam toti occiduo orbi nimis eſſe accommodam, utpote de qua ficus, racemi, malogranata & hujuſmodi Punica commercia ad iſtas devehuntur provincias, habito cum ſuis conſilio, deliberavit petitionibus paganorum debere conſenſum præberi ſuperficie tenus, ut ſic ſaltem populus Domini ſalvus & illæſus abiret. Porro ad ſuos, quidquid, inquit, promiſeritis paganis, numquam illam nobilem Septam ad manus infidelium colentium legem Mahometi reverti permittatis. Ego pro vobis obſes manebo in vinculis paganorum, paratus potius ſuſtinere mille mortis genera, quam effeſtucationi Septæ conſentire. Sicque factum & pactum eſt, relictuſque eſt rex in arctiſſima cuſtodia, & populus Chriſtianus ad ſua navigia, quæ in riparia *Tangar* oppidi locata fuerunt, receſſit incolumis. Nihilominus Sarraceni contra pactum abeuntes, Chriſtianos a tergo interdum percuſſerunt, dolentes quod ita ſine ſtrage permittebantur abſcedere. Itaque cum poſt aliquantos dies peteretur adimpleri promiſſio ſive compactio de tradenda Septa, rex ſæpedictus nullis minis aut tormentis induci potuit, ut illi redditioni conſenſum applicaret. Quam ob cauſam pagani efferati, poſt longam regis macerationem, & frequenter illata convitia, ignominioſa eum morte peremerunt, ut arbitror verum Dei martyrem ac pugilem fidei Chriſtianæ. Et qui certamini vel obſidioni

A Mauris circumvectus obſeſque receptus, miſereperit.

interfuit, ſcribenti teſtimonium perhibuit. Ejus morte audita, ſoror ejus domina Iſabella, ducissa Burgundiæ & Brabantiæ, in oppido Bruxellenſi ſolemnes ei fecit exequias celebrari.

Gravis tempeſtas Leod. Metis, &c.

Eodem anno ſeptimo die Octobris de nocte ventus Favonius ab Occidente ſuſcitatus, mixtus imbribus, impetuoſiſſime ſe reddidit regionibus noſtris, ſubvertens faſtigia & caminos domorum ac culmina turrium intra Coloniam, Leodium, Metis & ceteras Germaniæ inferioris civitates, infinita damna inferens, arbores etiam infinitas radicitus evertens. In qua quidem procella cecidit turris eccleſiæ S. Leonardi in ſuburbio Leodienſi, quæ in eadem ruina fere dimidiam partem eccleſiæ ejuſdem confregit, nemine tamen in eadem corporaliter læſo. Non eſt repertus homo vivens, qui huic ſimilem flatum viderit ventorum, aut audierit enarrari.

Diæta Attrebatenſis.

Anno MCCCCXXXV. in menſe Auguſto facta eſt famoſa diæta illa Attrebatenſis, pro qua fienda longo tempore vigilantiſſime laboravit reverendiſſimus pater dominus cardinalis S. Crucis, de ordine Carthuſienſium, ad quam ex parte ſummi pontificis & concilii Baſileenſis venerunt cardinalis prædictus & cardinalis Cypri, epiſcopi quinque, abbas Virziliacenſis præſidens nigrorum monachorum in Baſilea, multique doctores tam in ſacra theologia quam in utroque jure, ceteriſque facultatibus eminentes. Pro parte Francorum archiepiſcopus Rhemenſis, dux Borbonii, comes de *Richemont* conneſtabularius regni, comes Vindocinenſis, magiſter Chriſtophorus de *Harcourt*, ceterique principes ſæculares ac prælati eccleſiaſtici æſtimati ad numerum quingentorum equitum. De parte Anglorum cardinalis Angliæ, patruus regis & epiſcopus Wintonienſis, archiepiſcopus Eboracenſis, epiſcopi Norwicenſis & Menevenſis, comites duo, ceteri in apparatu magno ad numerum ſexcentorum equitum. Inter ceteros præcellebat ambaſſiata illuſtris ducis Burgundiæ, Brabantiæ, &c. qui perſonaliter interfuit, habens in ſuo comitatu & expenſis providiſſimum & reverendiſſimum virum Johannem de *Heinsberg* Leodienſem epiſcopum, cujus ſola comitiva prælatorum, litteratorum & nobilium æſtimabatur ad ſummam centum & ſexaginta equitum albis libratis indutorum. Affuit & dux Gelriæ, comites de *Lyngin*, de S. Paulo, de *Stampes*, de *Naſſou*, de *Meurs*, de *Wademont*, & alii principes nobiles ad numerum quingentorum ferentium calcaria deaurata. Cumque dux Burgundiæ Attrebato appropinquaſſet, dux Borbonii & comes de *Richemont*, qui eum prævenerant, occurrerunt ei foris civitatem ad ſpatium unius milliarii. Quos cum dux Burgundiæ conſpexiſſet, mox de ſuo ſonipede deſcendit, & illi pariformiter ſalutantes ſe mutuo in oſculo pacis, tamquam amicitiam abolitam renovantes, ſicque reaſcenſis equis cum ingenti omnium tripudio Atrebatum introierunt, & factum eſt gaudium magnum in illa civitate.

Principibus ergo convenientibus & multa hinc inde allegantibus inconvenientia, & præſertim duce Burgundiæ proponente necem injuſtam genitoris ſui, & ultionem juſte propter hanc expetiiſſe in regem & regnum, & ſe idcirco cum Anglicis hoſtibus eorum fœderaſſe; Francis e diverſo necem ducis Aurelianenſis allegantibus, & cetera id genus; Anglicis in ſua pertinacia frivole multa differentibus, finaliter factis aliquantis collatiunculis & declarationibus ſuaviſſimis per reverendum & doctiſſimum virum dominum Thomam, poſtea papam, pro tunc commenſalem & collateralem individuum domini cardinalis S. Crucis, præſertim de non expetenda vindicta & ſimilibus multis; mox, inſpirante gratia Dei, emollita ſunt corda principum dudum adamante duriora; & poſt multos tractatus facta eſt pax firma inter regem Francorum Carolum & Philippum ducem Burgundiæ, ſigilliſque utriuſque partis communita, ſecluſis Anglicis, qui ad concordiam & pacem nullis potuerunt mediis flecti. Quapropter, diſponente Deo, inglorii facti ſunt, multiſque plagis, ſtragibus & damnis afflicti, & a limitibus prorſus expulſi, quos pridem in manu forti invaſerant, & poſſederant annis plus quam triginta. Qualis autem pacis forma fuerit ignoro.

Monachi S. Trud. canonicalem vitam ambiunt.

Eodem tempore religioſi ordinis S. Benedicti, ad quos ex integro ſpectare debet dominium oppidi S. Trudonis, cernentes canonicos de eorum permiſſu noviter inſtitutos, in eodem oppido velle præcedere eos in proceſſionibus, qui domini eorum ſunt ab antiquo, indignatione graviſſima non immerito commoti, practicaverunt apud dominum Eugenium papam ut de monaſterio fieret de cetero eccleſia collegiata, & poſt mortem religioſorum ſuperſtitum reliqui ſuſcipiendi canonici dicerentur & eſſent; & ſicut famabatur, jam de facto aliquæ bullæ apoſtolicæ ſuper hoc negotio confectæ fuerant & impetratæ. Sed interponentibus ſe quibuſdam ſacræ religionis zelatoribus, caſſatum eſt & irritatum quidquid per pravos fuerat attentatum.

Corvini oppidi aggreſſatur.

Anno MCCCCXXXVI. quidam nobilis armiger Francigenæ dictus Philippus de *Savengny*, connivente ſibi viro bellicoſiſſimo domino Johanne de *Lutzemborg* comite de *Ligny*, confœderato etiam ſibi Johanne de *Bealrain* acerrimo prædone, neſcio quibus offenſus, de terra Leodienſi, circa oppidum Covinum in extremis patriæ confiniis ſitum, prædam abduxit ingentem. Quam ob cauſam efferati Leodienſes, illic aliquantos probos ac electos equites deſtinarunt, qui quadam die inconſulte, non ſervata militari diſciplina

progreſſi, occurrentibus eis prædonibus præmiſſis, a ſagittariis eorum damna gravia pertulerunt. Emenſo dehinc aliquanto temporis ſpatio, ex ſingulis oppidis & ſuburbanis patriæ Leodienſis multus convenit exercitus, obſidionem faciens circa caſtrum de *Boſſenho*, quod erat ſubterfugium & velut arx inexpugnabilis prædonum præfatorum, domino Leodienſi ſemper in fronte certaminis gradiente. Quadam die aliquanti parvi ludi cauſa juxta caſtrum euntes, faſciculos lignorum quos collegerant, intra rimas fortalitii ponentes, cuſtodes ejuſdem tamquam ſomno phantaſtico depreſſos, & quaſi crapulatos a vino, neſcio quo Dei judicio conſpicientes, ceteri de exercitu fortalitium ex improviſo aggreſſi ſunt, non præmonitis capitaneis exercitus, & appoſitis ſcalis ac machinis cum ſagittis & arcubus, aſcenderunt aliquanti ſuper muros leonino more frementes, & nonnullos ex obſeſſis trucidantes. Tandem abſque gravi pugna vel damno exercitus, ſuſcepto caſtro, comprehenſus eſt illic capitaneus prædonum ſacerdos Robertus nomine, cum ſuis complicibus triginta duobus. Porro prædictus ſacerdos ſperans ſe mortem ſub pactis evaſurum, videlicet ſi ſuos complices vellet perimere, cunctos ſodales ſuos ad arbores ſuſpendit manibus ſuis; ipſe vero poſt hæc flammis injectus, deteſtabilem vitam hoc modo terminavit. Fortalitium vero funditus demoliti ſunt, & cuncta illic inventa prædæ diripientium patuerunt. Quibus peractis, aliud fortalitium vocabulo *Abigny*, cujus capitaneus villam de Covino pridem prædatus fuerat, ſubverſum eſt. Tertium quoque nomine Altum-caſtelletum, quod nuper ad capitulum Remenſe pertinebat, ſed violentia prædonum his ſubreptum, depopulati ſunt. Sed & oppidani de Moſato veriſimiliter metuentes, fortalitium de Vilari propinquum eis debere obſideri, proprio motu præcaventes propriis periculis, ipſum ſubverterunt. Sicque poſt elapſum quinque hebdomadarum ſpatium dominus Leodienſis cum ſuis equitibus integris numero remeavit ad propria, quinque dumtaxat fortuito caſu de peditibus jugulatis.

Boſſenova capta.

Et ſolo æquata.

Item Aubinii Altum caſtellum & Vilarium.

Eodem anno dux Burgundiæ Philippus cum ſuis Flamingis obſedit Caliſiam juxta condictum in diæta Atrebatenſi comprehenſum, ſubrepto Anglicis portu quo per mare ad Londonias navigatur. Porro dux Cloceſtriæ quadam die egreſſus Caliſiam cum ſuis cohortibus, pedites Flamingos incurſare cœpit & invadere incautos. Quibus mox terga præbentibus, ingens ex ipſis ſtrages facta eſt, reclamante & ſemper revocante eos duce ſuo cum Picardis & Burgundionibus. At illi putantes ſe circumſeptos ac proditos, nulla potuerunt arte revocari. Unde graviter efferatus dux præfatus, obſidione relicta, retroceſſit, Flamingis ſuis inculcans notam hanc

Fland. clades in obſidione Caliſiæ.

A uſque in ſæcula ſæculorum indelebilem. Cum autem ita aufugerent, occurrentes a caſu domino Johanni de *Montcornet* alias de *Horne* capitaneo domini ſui, ipſum velut traditorem exercitus ac fugæ conſcium, confeſtim peremerunt, quod eis non ceſſit in bonum.

Inſuper eodem tempore Leodienſes revertentes a ſubverſione fortalitii de *Boſſenho*, fortalitium quoque dictum *Bealrain*, quorum capitaneus præmiſſis prædonibus, malo ſuo confœderatus erat, everterunt, & villam adjacentem incenderunt.

Belloramum oppidum cū arce incenditur & everti-tur.

Hoc etiam anno deceſſit a ſæculo vir in-
B duſtrius & oculatus valde dominus Reynerus de ſancta Margareta abbas S. Jacobi Leodienſis, vir per omnia venerandus, qui infra annos 28. quibus præfuit, multis bonis tam corporalibus quam ſpiritualibus ſuum monaſterium locupletavit. Cui ſubrogatus eſt unanimi concordantia fratrum, dominus Rogerus cognomento de *Blomendale*, annorum minus triginta.

Moritur Reyn. de S. Marg. abbas S. Jacobi, ſuccedit Rogerus de *Blomendale*.

Caſtrum dictum *Orchimont*, olim famo-
C ſiſſimum & inexpugnabile, ſitum in ducatu Lutzemborgenſi, hoc anno levi occaſione & abſque reſiſtentia ſubverſum eſt. Nam circa finem menſis Julii prædones circiter 40. emiſſi a capitaneo ſuo Bernardo de Porceto, ut depopularentur terram Leodienſium circa Dionantum, & ſimiliter terram de *Lompré* & *Vilhante*, ſpectantem pro tunc ad nobilem virum & potentem Everardum de Marcha. Cum res innotuiſſet Leodienſibus, cœperunt illos veſpiliones audacter invadere, prædam excutere, fugare & trucidare. Quorum aliquanti impetum declinantes, ingreſſi ſunt oppidum Boviniam, æmulam Leodienſium immortalem. Unde ex mandato ballivi Namurcenſes juſſi ſunt confeſtim
D abire, nec illic amplius remorari. Omnes tamen uno demto pro tunc evaſerunt. His rumoribus auditis, dictus Everardus ſciens pauciſſimos in caſtro remanſiſſe, conglobatis circumcirca ſubditis ſuis & amicis, cœpit illud obſidere, comminans illis Leodienſes omnes adventare, & caſtrum everſuros, omneſque illuc reperiendos occiſuros more ſuo. Bernardus his territus & exemplo prædonum de *Boſſenho* noviter edoctus, ſalvis rebus & corporibus ſuis ac ſuorum caſtrum tradidit in manus Everardi ſupradicti. Qui cum illud
E ſibimet vellet uſurpare & appropriare, Leodienſes ei per nuntium mandaverunt, quod niſi illud ſubverteret, indignationem eorum mox implacabiliter incurreret, filiumque ejus primogenitum in Leodium caſualiter venientem arreſtari fecerunt. Quo ille percepto, timens Leodienſes offendere, ceſſit propoſito. Statimque illic miſſi ſunt hullarii & foſſores 29. qui factis cuniculis ſubterraneis, infra ſpatium octo dierum muros caſtri ac villæ ſubjacentis prorſus demoliti ſunt, facientes ex his tumulum ſempiternum. Unde

Orchimont. capit Everardus de Marka.

Et ſolo æquat.

gaviſi ſunt omnes incolæ regionis, quia ſublatus eſt hoſtis eorum aſperrimus, qui conculcabat terram, & quotidie vaſtabat provinciam, depauperabatque vicinos.

Hoc eodem anno inſtante ultima ſolutione talliæ ducis Burgundiæ, quæ circiter ad ſexaginta millia florenorum Rhenenſium aſcenderat, aliquanti malivoli, præſertim Hoyenſes, qui quotam ſibi deſignatam nondum ſolverant, difficiles immo rebelles ſe reddebant ad contribuendum, exigentes computationem fieri de ſingulis levatis per deputatos; ſicque per hunc modum, niſi viri prudentes ex Leodio futurorum providi præcaviſſent, & medium bonum inveniſſent, tota patria labyrinthum incidiſſet inextricabilem & noxium perpetuis temporibus, nec non & notam indelebilem a ſuis frontibus in æternum. Siquidem omnes præteritæ ſolutiones caſſæ fuiſſent nulliuſque valoris, & deinde mulctam concordatam incurriſſent poſt tranſgreſſionem termini aſſignati, quæ quolibet die aſcenderat ad decem millia nobilia Angliæ, beneque multiplicatus fuiſſet numerus, ut nec poſteri eorum ſuffeciſſent ſummam exſolvere in futurum. Quam ob cauſam hoſtes juſto titulo terram Leodienſem infeſtare potuiſſent, nec iſti cauſam repugnandi habuiſſent. Sed per inſtinctum Spiritus-ſancti viri eccleſiaſtici civeſque Leodienſes de ſuo proprio hanc ſummam reſtantem a ſeipſis exigebant; & ne defectus in ſolutione talliæ contingeret, patriæ toti ipſam mutuaverant vel præſtiterant, donec tempore congruo, poſtquam hi qui inconſulte nondum aliquid ſolverant, melius aviſati forent. Ob hanc quoque cauſam aliquanti viri compulſi ſunt ſua vendere jocalia, aliquanti penſiones vitales aut ſua invadiare, malentes ad tempus ſuſtinere diſpendium in facultatibus ſuis, quam tota regio damna vel guerras inde ſuſtinere debuiſſet & infamiam immortalem; ſicque Dei gratia mediante negotium, mirantibus duce ſuiſque conſiliariis, qui neceſſitates Leodienſium prænoverant, confeſtim eſt complanatum, & pœnæ quas incurrerant remiſſæ.

Capitulum generale monachorum S. Bened. celebratur Baſil.

Eodem anno poſt feſtum Aſſumtionis glorioſæ Virginis Mariæ in civitate Baſileenſi celebratum eſt capitulum generale religioſorum ordinis S. Benedicti de provinciis Colonienſi & Trevirenſi, cui perſonaliter præerat dominus Julianus cardinalis S. Angeli legatus in Germania, & aſſidebant duo epiſcopi ejuſdem ordinis, videlicet Dignenſis & Lauſanenſis, abbates quoque, priores & præpoſiti in numero copioſo. In quo quidem loco multa ſalubria ſunt ordinata pro obſervantia religionis, & præſertim de celebrandis capitulis provincialibus de termino in terminum, quæ quidem in Colonia & Treviris ſingulis annis hucuſque continuata ſunt. Sed dominus Leodienſis, qui domino Eugenio papæ plus faveret quam Baſileenſibus, in ſua diœceſi nolebat ea admittere.

Burgund. introdit Brug. & reputat.

Anno MCCCCXXXVII. feria quarta infra octavas Pentecoſtes, Philippo duce Burgundiæ ingreſſo Brugis oppidum Flandriæ cum ingenti armatorum manu, eo prætextu & colore, ut per Scluſam navigaret verſus Hollandiam, ad pacificandum partialitates illic pro tunc tumultuantes, ſatellites ejus oppidanos incautos cœperunt invadere, percutere & jugulare, & oppidum, ſi forte potuiſſent, ditiſſimum ad nutum ſuum ſubjugare. Verum multitudine ad arma currente, repulſus eſt dux cum ſuis complicibus omnibus, & extra portam fortuito caſu reſeratam fugatus. Cecidit tamen illic quidam nobilis baro dominus de *Lyledam* cum aliquantis complicibus, qui ceteris fortius & animoſius reſtiterat Flamingorum impetuoſitati. Quam quidem præcipitatam audaciam poſtmodum graviter exſolverunt Brugenſes, duce eorum precibus & pecuniis placato, & aliquantis ex oppidanis in foro publico decapitatis.

Gravis diſcordia inter canonicos Leod.

Eodem anno xi. Februarii orta eſt gravis controverſia inter cathedralem & ſecundarias eccleſias Leodienſes, occaſione duorum choralium eccleſiæ collegiatæ S. Petri in Lovanio, quæ eſt de fraternitate ſecundariarum eccleſiarum. Siquidem magiſter Leonius de *Baeſt* archidiaconus Brabantiæ in eccleſia Leodienſi, dictos chorales propter ſuas exorbitantias & enormes exceſſus in cauſam traxit, & de facto corrigere voluit, juxta exigentiam delicti. Cui ſe opponentes decanus & capitulum Lovanienſe, aſſerebant dictos chorales non ſubeſſe correctioni dicti archidiaconi, ſed dumtaxat capituli ratione libertatum, franciſiarum, privilegiorum, & exemtionum eorumdem, quas vel quæ habebant & habere debebant ex jure præſcripto ſecundariæ eccleſiæ Leodienſes, quibus in fraternitate fuerant a longo tempore ſociati. E diverſo dictus archidiaconus, connivente ſibi capitulo majori, affirmabat ſe nolle privilegiis ſecundariarum eccleſiarum in aliquo derogare, aut earum conſuetudines præſcriptas infringere; ſed non putabat præſcriptum fore ut chorales eccleſiæ Lovanienſis gauderent his privilegiis & exemtionibus, quibus chorales eccleſiarum Leodienſium gaudere conſueverunt, aliis aſſerentibus ſimilium eamdem eſſe diſciplinam, & confratrum confraternalem, & uniformem eſſe debere auctoritatem. Partibus autem ambabus in ſua opinione perſeverantibus, domini eccleſiæ Lovanienſis ceſſaverunt a divinis Dominica poſt octavas Paſchæ, & organa ſuſpenderunt, quæ tamen confeſtim arctati per dominum ducem compulſi ſunt reſumere. Eccleſiæ autem ſecundariæ cum ſibi confœderatis ceſſaverunt a divinis longo tempore propter injurias, ut aſſerebant, ſuis confratribus Lovanienſibus illatas, in tantum ut contra ſoli-

tum

tum morem in Rogationibus quæ fiunt ante Aſcenſionem Domini, proceſſionaliter ire renuerent cum dominis eccleſiæ majoris. Unde plerique viri graves valde ſcandalizati ſunt, videntes inter columnas eccleſiæ ob tam levem occaſionem tam validam commotionem ſubortam. Inſuper & domini ſecundariarum eccleſiarum in ſuam ſententiam flexerunt magiſtros & conſules civitatis, veluti concives & convicaneos, quibus in proſperis & adverſis conſilium, auxilium & favorem de lege naturæ & civilitatis tenerentur impendere. Cum autem dictus ceſſus ſive ſuſpenſio organorum per tres continuas duraſſet ſeptimanas, ſub certis pactis eadem organa ſunt reſumta. Verum domini canonici ſancti Servatii Trajectenſis, confœderati integraliter eccleſiæ majori, perdurante hujuſmodi contentione, neutrales fore velle aſſerebant, ac prædictum archidiaconum in ſuis domibus clauſtralibus & eccleſia, contra decretum ſecundariarum eccleſiarum per totum fere menſem Junium converſari & remorari permiſerunt; canonicis S. Mariæ ejuſdem oppidi ceſſum contra ipſum proſequentibus, donec penultima ejuſdem menſis, qua celebratur martyrium apoſtolorum Petri & Pauli, dictus archidiaconus ex gravi mœrore & afflictione ſpiritus de medio ſublatus eſt, & vitans terminavit. Poſt cujus mortem ſublata eſt præfata contentionis materia nimis ſcandaloſa.

Conc. generale Ferrariæ celebratum.

Eodem tempore Eugenius papa celebravit concilium œcumenicum in civitate Ferrarienſi pro reductione Græcorum & aliarum Orientalium eccleſiarum, ad unionem ſacroſanctæ eccleſiæ matris Romanæ, pro qua Veneti multum laboraverant, & eos ad portum expenſis propriis ducere debebant; mandabatque ſummus pontifex Baſileenſe concilium penitus annullari, caſſari & diſſipari debere, & contra rebellantes procedi juxta formam juris, &c. demta cauſa Bohemorum, pro cujus terminatione indulſit eis ſpatium 30. dierum & non amplius, infra quos ſi materia ipſa fidei deciſa non foret, ipſos Bohemos ad ſuam Ferrariam invitabat pro felici rerum ſucceſſu, &c. Nihilominus Baſileenſes, in ſuo propoſito perdurantes, contra dominum Eugenium & ſuos cardinales horrendas fulminaverunt pœnas, ipſum primo ſuſpendentes ab omni adminiſtratione papatus tam in temporalibus quam in ſpiritualibus, & demum quantum in eis erat, ipſum a papatu deponentes, prout in ſequentibus declarabitur. Poſt multas tandem & varias diſceptationes verbales & quæſtiones ventilatas Ferrariæ inter Latinos & Græcos, præcipue de proceſſu Spiritus-ſancti a Patre & Filio, & ſimilibus, Græci ſe penitus & ex integro ſubmiſerunt ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ & ſummo pontifici Eugenio, prout famabatur, ſperantes ſe per hæc relevamen & ſubſidium ſuſcepturos contra potentiam Turcorum, qui eos dietim acerrime impugnabant, & jam fere uſque ad Conſtantinopolim terminos ſuæ ditionis protelaverant. Sed quid? barbara Græca genus retinent quod habere ſolebant.

Sigiſmundus imp. obit.

Eodem anno ſeptimo die Decembris Sigiſmundus imperator viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, anno ab electione ſua in regem Romanorum 27. imperii quarto, regni Hungariæ circiter quinquageſimo, regnorum autem Bohemiæ, Dalmatiæ, Croaciæ, Serviæ, Bulgariæ, Comaniæ circiter 17. Hic pro unione eccleſiæ & exſtirpatione ſchiſmatis, quod per annos 38. eccleſiam catholicam graviter fœderaverat, ſed & pro pace ac concordia principum Chriſtianitatis fideliſſime laboravit omni tempore vitæ ſuæ. Hoc anno poſt factam concordiam inter Carolum Francorum regem & Philippum Burgundiæ ducem, idem rex abſque obſtaculo ingreſſus eſt ad civitatem ſuam Pariſienſem, quam a longe retroactis annis non intraverat, & cum omni tripudio receptus eſt, multis illi propinatis encæniis ac jocalibus pretioſis.

Albertus dux Auſtriæ electus rex Romanorum.

Anno MCCCCXXXVIII. in menſe Februario poſt mortem Sigiſmundi imperatoris convenientibus electoribus imperii apud Francfordiam, concordi omnium ſententia electus eſt in regem Alemanniæ Albertus dux Auſtriæ, Stiriæ, &c. marchio Moraviæ, qui cum uxore ſua Elizabeth una filia Sigiſmundi prædicti, factus eſt etiam rex Hungariæ, Bohemiæ, Croaciæ, Dalmatiæ & omnium regnorum quæ dictus ſocer ejus pridem jam poſſederat. Hic propter guerras continuas quas geſſit contra regem Poloniæ, qui cum uxore ſua relicta Sigiſmundi regnum Hungariæ pro majori parte uſurpaverat, & inſuper contra Turcos necnon Huſſitas in regno ſuo Bohemiæ nondum a ſtrage ceſſantes, morte quoque præventus, nullam coronam imperialem ſuſceperat Aquiſgrani.

Treviros adminiſtrat Heinsberg. epiſc. Leod.

Eodem anno Johannes de *Heinsberch* Leodienſis epiſcopus rogatu multorum principum Alemanniæ cœpit gubernare Trevirenſem archiepiſcopatum, quia jamdiu ſub duobus contendentibus de primatu graviter languerat, datuſque eſt ei in commendis a ſede apoſtolica propter ſuam excellentem induſtriam & ſagacitatem; unde Leodienſes non immerito murmurare cœperunt & querulari, aſſerentes eum minime propter hæc poſſe intendere gubernationi patriæ propriæ. Cumque res hæc ſatis diſpliceret aliquantis optimatibus patriæ, qui de coriis alienis largas & amplas aſſueti fuerant incidere corrigias, pertæſus tandem ex onere, ad ſuam primariam cum gaudio remeavit Leodienſem eccleſiam, malens in ea poſſidere buccellam panis cum gaudio, quam domum plenam victimis cum jurgio.

Complanato vero diſturbio, ſuſcepit archiepiſcopatum præfatum dominus Jacobus

de *Syrck* pridem ſcholaſticus Trevirenſis ecclеſiæ, vir multum practicus, perſpicax & activus, ſtatura puſillus, ſed animo procerus.

Fames. Omnium frugum terræ, vinorum & bladorum per totam pene Europam ingens penuria, adeo ut modius ſpeltæ menſuræ Leodienſis venderetur pretio 45. boddiſerorum, quorum triginta ſex valebant florenum Rhenenſem, cum præcedentibus annis vix 18. boddiſeris vendi ſolebat. Sed & carrata virii Rhenenſis aut Moſellani, quæ communibus annis 15. aut 16. florenis vendi ſolet, hoc anno pro 36. & amplius emebatur. Quamobrem multi de populo leguminibus & avena interdum ſe farciebant, & multi fame peribant. Unde magiſtri civium Leodienſium viſitatis & ſcrutatis horreis per Haſbaniam, & ſolariis ſingulis per patriam, præconiſari fecerunt publice ſub pœnis adjectis, ne quis blada ad exteras deferret aut venderet regiones, providentes civium calamitati.

Regnum Bohemiæ Caſimiro Polon. regi defertur. Hoc anno Caſimirus frater regis Poloniæ a quatuor baronibus & aliquantis nobilibus regni Bohemiæ, contra omnem juris ordinem & regni ipſius conſuetudinem eligitur in regem Bohemiæ, contra Albertum regem Romanorum, cui ex duplici ſucceſſione, videlicet legataria & hereditaria regnum ipſum debebatur & competebat, prout in epiſtola directa ad Eugenium papam plene & plane declaratur. Quapropter inter Hungaros & Bohemos, necnon & Polonos & Zutphanienſes deteſtanda ſunt homicidia ſubſecuta, Thaboritis ſive Huſſitis dicto Polonorum regi ex odio inveterato, quod contra dictum Albertum gerebant, faventibus & ſuccurrentibus.

Peſtis per univerſam Europam. Anno MCCCCXXXIX. peſtis epidimiæ totam pene debacchabatur Europam, innumeros extinguens Chriſtianos infra tempus quo vigebat, demtis paucíſſimis locis ab hac plaga Dei gratia cuſtoditis. Intra Leodium namque & bannileucam pluſquam viginti millia hominum utriuſque ſexus hac peſte perierunt.

Henricus de *Merode* abbas Stabulienſis. Item, dominus Henricus de *Merode* ex canonico Aquenſi factus eſt abbas Stabulenſis & Malmundarienſis, & in monaſterio S. Jacobi Leodienſis munus benedictionis ſuſcepit, & ex commiſſione domini Eugenii papæ per abbatem S. Jacobi ad profeſſionem ſacræ religionis B. Benedicti admiſſus eſt, præſentibus ibidem conſanguineis ſuis comite de Salmis, domino de Huſaliis, Henrico de *Gronſelt*, domino de *Ringberch* & aliis multis.

Eugenius papa IV. depenitur in concilio Baſileenſi. Baſileenſes hoc anno 25. Julii poſt graves proceſſus quos in Eugenium papam fulminaverant, ipſum, quantum in eis erat, a papatu depoſuerunt in ſeſſione ſua publica, » ſub hac forma verborum quæ ſequitur. » Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, &c. per hanc ſententiam diffinitivam pronuntiat, decernit & declarat Gabrielem primo « nominatum Eugenium papam IV. fuiſſe & « eſſe notorium & manifeſtum contumacem, « mandatis ſeu præceptis eccleſiæ univerſalis « inobedientem, & in aperta rebellione perſiſtentem, violatorem aſſiduum atque con- « temtorem ſacrorum canonum ſynodalium, « pacis & unitatis eccleſiæ perturbatorem, no- « torium univerſalis eccleſiæ ſcandalizatorem, « notorium ſimoniacum, perjurum, incorrigibi- « lem, ſchiſmaticum, a fide devium, pertina- « cem, hæreticum, dilapidatorem jurium & « bonorum eccleſiæ, inutilem ac damnoſum « adminiſtratorem Romani pontificii, omni « titulo, gradu & honore & dignitate ſe red- « didiſſe indignum. Quem propterea hæc ſan- « cta ſynodus a papatu & Romano pontificio « ipſo jure privatum eſſe declarat & pronuntiat, ac ipſum ab eiſdem amovet, deponit, « privat & abjicit. « Et multa in hunc modum.

Albertus ex Rom. obit. Anno MCCCCXL. Albertus electus in regem Romanorum nondum coronatus Aquiſgrani ex diſſenteria defunctus eſt, relinquens uxorem ſuam gravidam, quæ poſtea filium peperit paternorum regnorum ſucceſſorem, cui nomen impoſitum eſt LADISLAUS. Cumque aliquanti Hungari putarent ipſum eſſe regem fictitium, non ex regina generatum, mater filium in ulnas ſuſcipiens, videntibus cunctis qui aſtabant lactavit, & ubera illi fugenda præbuit, ſicque omnis ambiguitas de cordibus Hungarorum rudium eſt ſublata.

Villa dicta *Pontoys* inter Pariſius & Rothomagum ſita ſuper ripam Sequanæ, diu poſſeſſa ab Anglis hoc anno recuperata eſt a Francis per longiturnam obſidionem ibi factam.

Amedeus dux Sab. in pontificem electus Baſil. ex. Eodem anno Baſileenſes aſſerentes ad ſe de jure devolutam electionem ſummi pontificis, poſt depoſitionem domini Eugenii a papatu, tandem ne viderentur acephali, elegerunt in papam Amedeum ducem Sabaudiæ, veteranæ militiæ virum, quem Felicem quintum in ſua obedientia nuncupari voluerunt, & per bullas mandaverunt domino duci Burgundiæ ac domino Leodienſi fideliter, ſemper & cordialiter adhærentibus pontifici Romano Eugenio; & ſic ſchiſma quod per annos 25. ſublatum fuerat ab eccleſia, ſub duobus papis rurſum paululum reviviſcere cœpit, conniventibus in hoc negotio univerſitatibus Cracovienſi & Viennenſi Auſtriæ, quæ Baſileenſes in hoc facto rite proceſſiſſe diffiniebant, ceteris contrarium affirmantibus, & per ſacros canones id probantibus.

In urbe Aquenſi decima quinta die Julii cum populo ſacræ monſtrarentur reliquiæ, prout ſeptennium ſemel conſuevit fieri, ſolarium domus unius quæ in foro ſita erat, corruens, homines amplius 17. extinxit. Item Theodericus dominus de *Bollant* eo tunc burgravius Lymborgenſis duos potentes ac di-

vites viros de Anglia profectos inter Trajectum & Aquensem urbem comprehensos, in strata publica captivos adduxit, primo in castro de *Reynarstein*, & de post in *Ronenborch*, quod est de ditione domicellæ de *Rodemach*. Quæ cum percrebuissent ad aures ducis Burgundiæ, confestim evocatum dictum Theodericum apud villam S. Audomari, jussit apud castrum *Reppelmundam* custodiri, de quo postmodum non sine gravibus expensis exire est permissus. Sed & Anglici prædicti per industriam & interventum domini Ruperti comitis de *Vernenborg* dimissi sunt sub certis pactis abire Coloniam, sed prædam quam amiserant non rehabuerunt.

Fridericus rex Roman.

Anno MCCCCXLII. Fridericus dux Austriæ, Stiriæ, Karintiæ, Tremolæ, &c. electus concorditer in regem Romanorum, cum magna comitiva procerum & optimatum Alemanniæ, associato sibi domino Ludovico duce Heydelbergensi, comite Palatino Rheni, cum multis etiam comitibus ac baronibus, ac præsidente concilii Basileensis domino Ludovico cardinali Arelatensi, consecratus est Aquisgrani in Romanorum & Alemanniæ regem per Theodericum de *Meurs* archiepiscopum Colonien sem. Verum Leodiensis episcopus ad cujus diœcesim spectat urbs Aquensis, fovens partem domini Eugenii papæ IV. in eumdem dominum Arelatensem fautorem Felicis V. sic in sua obedientia nuncupatum, duras satis & graves imposuit invectivas, quibus ille consternatus post paululum hospite insalutato recessit ab urbe.

Conradus de *Horion* invadere tentat arcem de *Momau*.

Eodem anno Conrardus de *Horion* vir nobilis, qui jure hereditario asserebat ad se spectare dominium castri de *Momau*, non longe siti a civitate Aquensi, a quo tamen exclusus fuerat per ducem Montensem & Juliaci, sociata sibi cognatorum suorum & amicorum comitiva non parva, videlicet de *Huffalize* & *Argenteal*, cœpit castrum invadere, & insultum gravem in illud facere; sed resistentibus custodibus castri, infecto negotio, rediit ad propria.

Burgundiæ dux ab Eugenio IV. impetrat medietatem decimæ detrahendam.

Præterea Eugenius papa volens remunerare fidelitatem domini Philippi ducis Burgundiæ, concessit ei semidecimam de facultatibus & redditibus cleri, qui sub dominiis suis fuerat constitutus. Cumque clerus Leodiensis, qui in terris prædicti ducis multas haberet possessiones, super his appellasset a gravamine ad prædictum papam, attento quod similem fidelitatem, obedientiam & favorabilitatem præstitisset Eugenio, sicut ipse dux, Eugenius papa per bullam declaravit, numquam de mente sua processisse, quod clerus Leodiensis sub hujus semidecimæ solutione includeretur, nihilominus prævaluit potentia ducis, & violenta manu compulsus clerus duci in his obtemperare.

Magna Turcorum cædes.

Eodem tempore inclytus Christianus vocabulo Jo. de Romania, adunatis sibi Hungaris & vicinis nationibus, transiit Danubium, & venit cum impetu vehementi in terras Turcorum, & Asiam minorem, occidens ex paganis occurrentibus circiter octoginta millia, plerosque secum abducens captivos. Cepit & duas Turcorum civitates, quarum uni Andronopolis nomen extitit, alterius nomen excidit; & dilatatis finibus fidei nostræ, cum ingenti pompa rediit ad locum unde profectus erat.

Philipp. Burgundiæ dux Lutzemburg. in ditionem recipit.

Anno MCCCCXLIII. Philippus dux Burgundiæ facta conventione cum domina Elizabeth notabili ducissa Lutzemburgensi, sub certa pensione vitali, receptis & saisitis in primordio minoribus oppidis ejusdem terræ, videlicet Marchia, Bastonia, Yvus, * *Arle*, &c. nocte quadam feriatis Saxonibus ad custodiam oppidi & castri Lutzemburgensis deputatis, per posticum ingressi Burgundi, clam civibus ad forum pervenerunt; sicque suscepto oppido in deditionem, & Saxonibus in castro circumseptis, tandem præ penuria victualium, salvis corporibus & rebus, illic inclusi cum mœrore & confusione discesserunt una cum comite de *Ghelyck* qui terræ prædictæ protector constitutus est per ducem Saxoniæ, ad quem per testamentum Alberti Romanorum regis electi, cujus filiam in conjugium traduxerat, dictus ducatus spectare debebat post mortem Elizabeth ducissæ supradictæ. Cooperabatur multum & nimis in hoc negotio Rupertus comes de *Vernemborch* & Jacobus de Marka, dominus Novi-castri, de *Lompreit*, *Vilhante*, &c. qui tamen post breve taliter qualiter, Domino vindicante, interierunt. Hæc, inquam, Elizabeth de illustri Bohemorum regum prosapia generata, primo habuit maritum Antonium ducem Brabantiæ, Limburgiæ, &c. Quo defuncto, secundo nupsit domino Johanni de Bavaria, filio domini Alberti ducis in Bavaria, comitis Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ ac domini Frisiæ. Qui quidem Johannes, relicto Leodiensi episcopio, per dispensationem sedis apostolicæ, cum esset per prius subdiaconus, & compater dominæ Elizabeth putativus, præfatam ducissam duxit uxorem, cum qua dominium Hollandiæ, Zelandiæ & *Lutzemborch* aliquanto tempore possedit, satis tamen turbulente. Hæc, inquam, ducissa secundo viduata marito, dum patriam suam ab hostili incursione, utpote mulier, tueri ac defensare non prævaleret, videlicet domicello de *Rodemake*, qui Epternacum oppidum in ejus despectum conflagraverat, & domino Alexandro de Seranio, qui oppidanis de Marchia & toti fere ducatui infestus fuerat, licet tamen capitaneum suæ terræ præfeciisset virum bellicosum dominum Rupertum comitem de *Vernenborch*, sperans per hunc modum suis adversariis silentium & quietem imponere, vicariam suam duci Bur-

De Elizabetha ducissa Lutzemburg.

gundiæ & Brabantiæ potentiſſimo vendidit A indilate. At dux præfatus filium ſuum naturalem Cornelium, tutorem & rectorem ducatus præfati ſubſtituit; qui aliquanto tempore ipſam terram ſatis egregie & legaliter gubernavit, reclamantibus tamen & rebellantibus magnatibus, qui ſub jugo ferreo incolas regionis ſubigere ſolebant, & ſi pretioſum invenerant, nacta occaſione auferre & deprædari.

De Eugenio papa IV.

Eodem anno Eugenius papa volens a Florentia redire Romam audiens dominum Nicolaum *Pitzmini*, capitaneum ducis Mediolanenſis, in via ſibi inſidias tetendiſſe, remanſit apud Senenſem urbem, ubi ante papatum epiſcopus fuerat, veriſimiliter timens cuti ſuæ. B

Eo etiam tempore collatores beneficiorum per gratiam domini Eugenii papæ cœperunt alternatis vicibus ſua beneficia conferre, ut ſub eo prætextu favorem cordialem præſtarent ei[em] papæ contra Baſileenſes, qui graviter cum ſuis incorporatis ipſum perſequebantur, & quantum in eis erat, a papatu depoſuerunt.

Haſſelenſium & Tungrenſium motus.

Sed & communitates patriæ Leodienſis eo tempore in confines & vicinos ſuos acriter inſanire & debacchari cœperunt. Siquidem Haſſelenſes cum ſibi colligatis, ratione paſcuorum, mericatum, & wereſcapiorum violenta manu terram domini de *Horne* pervaſerunt, gravia magna inferentes nobilibus dominabus de *Thore* ac dominis capituli majoris Leodienſis, quæ tamen poſtmodum ſatis dure ſunt recompenſata. Tungrenſes quoque ſimilem ob cauſam in dominum de Eldris inſurrexerunt, civili more frementes, ac manſionem ejus egregiam ſubvertere & demoliri proponentes. Sed interponentibus ſe prudentibus terræ, lis ſopita eſt. C

Heinsbergius abit in Syriam.

Anno MCCCCXLIV. dominus Johannes de *Heinsberch* Leodienſis epiſcopus, in remiſſionem ſuorum peccaminum glorioſum ſepulchrum Domini in Jeruſalem aggreſſus eſt viſitare, ſubſtitutis providis & circumſpectis viris, qui terram ſuam gubernare debebant ipſo abſente, videlicet Gerardo comite de *Blankenhem* filio fratris ſui, (*a*) domino Razone *de Varoux* milite, necnon & domino & magiſtro Henrico *Scatter* decano S. Lamberti, cum aliis aliquantis, habito per prius colloquio cum domino duce Burgundiæ, ſpondente quod ipſo abſente nihil in detrimentum vel perniciem patriæ Leodienſis attentare deberet. Parcat ſibi Deus ſuiſque conſiliariis, qui medio tempore multa quæſierunt diverticula in contrarium vergentia. D

[*a*]

Revertitur & in ſigni apparatu excipitur.

Ingreſſus itaque navim unam Venetorum 17. Aprilis, in itinere multimodas paſſus eſt adverſitates. Veniens in inſulam Candiæ, quæ antiquitus Creta vel Centopolis vocitata eſt, ſub dominio Venetorum conſtitutam, illic aliquanto tempore perendinavit, expectans auram ſibi gratam. Intermedio ſpatio percipientes Sarraceni tam inclytum & potentem virum ad terram ſanctam velle proficiſci, per mare illi non paucas inſidias tetenderunt; quod a peregrinis abinde revertentibus certiſſime cognoſcens, idem epiſcopus, relicto prædicto paſſagio, ad terram propriam cum multa ſollicitudine mentis & ægritudine corporis repedavit penultima Auguſti menſis. Cui revertenti tota obviam ruit civitas. In ſignum jocunditatis tympana & campanas cum ceteris inſtrumentis organicis adaptans, & innumera donaria, ſingula pene miniſteria, villæ quoque & oppida ipſi pro tunc propinaverunt diem illum ſerialem in celebrem & feſtivum commutantes. E

Caſtrum Lompreit ſubvertunt Namurcenſes.

Eo tempore Namurcenſes offenſi a nobili adoleſcente Everardo de Marka, caſtrum de *Lompreit* cum oppidulo adjacente ſubverterunt, quod ipſe in pignus vel vadium tenebat a domino Lutzemburgenſi, quouſque certa ſumma pecuniæ per ſuum genitorem accommodata perſolveretur.

Obſidio Metenſis civitatis.

Eodem anno Renatus Siciliæ, Apuliæ, Calabriæ, &c. rex, necnon Lotharingiæ, Barrenſis, Andegavenſis, &c. dux, ob cauſas neſcio quas offenſus a civibus Metenſibus, Carolum Francorum regem qui ſuam ſororem habebat in conjugem, Ludovicum etiam primogenitum ejuſdem regis, delphinum Viennenſem, necnon ducem Britanniæ Armoricanæ, inflexit, ut una ſecum civitatem Metenſem, primariam olim regni Lotharingiæ, quæ olim Mediomatrix vocabatur, obſiderent. Hæc civitas multis annis antequam Romani per conſules regerentur, fundata eſt a rege Romanorum Metio Suffetio. Igitur Metenſes de imminente obſidione prædocti, monaſterium S. Arnulphi ordinis S. Benedicti, pro tunc in ſtructuris egregium, & in ſuburbio Metis ſitum, ea tempeſtate demoliti ſunt, præcaventes ne regis exercitus illic forte caſtrametati ſuæ nocerent civitati. Dein de ſuis pecuniis, quibus abundabant, multos ex Alemannia conduxerunt ſtipendiarios, quorum auxilio ſulti, frequenter erumpebant, & obſidentium phalangis plurima nocumenta, cædes & ſtrages inferebant, in tantum ut amplius quam ſeptingentos captivos diverſis vicibus ſecum abducerent, nec redemtionem pecuniariam quærentes, circa conticinium noctis civibus ſoporatis naviculis impoſitos omnes fere in Moſellam quæ præterfluit ſubmerſerunt. Verum eos qui huic ſpectaculo intereſſe volebant, ſub juramento compellabant, ne quamdiu regis exercitus in obſidione permaneret, factum divulgarent. Sed & Franci cum Brito-

(*a*) Publicæ rei adminiſtrationem Gerardo comiti Blankenhæmio commiſit; ſacrorum vero curam omnem Razoni Waroufio decano, & Guillelmo Gaverano Campiniæ archidiacono commiſit, ait Fiſenius.

nibus e diverſo totam vicinam regionem depopulantes, ſuburbana civium ſubvertentes, vineta exſtirpantes radicibus, perniciem magnam incluſis inferebant, cum captivis eorum curialibus procedentes. Nam die quadam feminæ plus quam centum, neſcio quibus furiis agitatæ, inter quas nonnullæ vetulæ, plures etiam aderant juvenculæ ſpecioſæ, civitatem egreſſæ, velut ad palmites vincarum colligendas, a ſuperveniente hoſtium cuneo comprehenſæ ſunt. Mox Franci juvenculas ſibi laſciviæ cauſa detinentes, & ad regiones varias abducentes, vetulas manibus ad dorſa ligatis, pudendis diſcoopertis ad civitatem remiſerunt cum ignominia & dedecore grandi.

Frideric. dux Auſtriæ nõnum Belligaricum & fines Elizatiæ devaſtat.

Interea Fridericus dux Auſtriæ citerioris, qui filiam regis Francorum gibboſam in conjugium poſtulaverat, nimium infeſtabatur a Suevis qui omne jugum dominii ab humeris ſuis abjicere cupientes, nonnullos etiam reges ſuos ob hanc peremerant, & jam in ſuperbiam elati, cum exercitu copioſo *Zurbel* oppidum Auſtriæ obſidebant. Is cum pro ſuccurſu contra Suevos legatos deſtinaſſet ad regem Francorum, delphinus de conſenſu patris, ſociatis ſibi equitibus plus quam viginti millibus, cum *Thalepoth* magiſtro militiæ Anglicanæ, ceteriſque Francis & Alemannis multis totum pene comitatum de *Montbeliant* & confines Elizatiæ, uſque ad Argentinam civitatem prægrandem devaſtavit. Et ab inde retrogreſſus verſus *Briſag* oppidum Auſtriæ, pervenit juxta muros Baſileæ, quæ tunc Suevis erat confœderata. Porro Suevi his auditis, ſtrenuiſſimos ac giganteæ ſtaturæ viros ad numerum mille quingentorum de ſuo exercitu ſelectos ad ſuccurrendum Baſilcenſibus deſtinaverunt. Qui pauciſſimi, reſpectu tantæ multitudinis, incaute progreſſi, in ſuo robore ſtulte confidentes, primo quidem impetu Francos per campos & prata palantes aggreſſi, trucidaverunt ex eis circiter ducentos. Quod cum delphino nuntiatum foret, ille conglobatis agminibus Suevos invadens, circumcinxit, ne quiſpiam ex his poſſet evadere. At Suevi in arcto poſiti, ſub tuitione cujuſdam muri ruinoſi confugerunt, ne poſſent a dorſis invadi per ſagittas. Franci vero ſecum habentes fundas, petrarias & machinas bellicas, quas in caſtris a ſe expugnatis repererant, ipſum murum lapidum ictibus demoliti ſunt, & Suevos illic repertos omnes in ore gladii percuſſerunt, Baſilienſibus rem de muro contemplantibus, nec Suevis ſuis valentibus ſuffragari ob hoſtium multitudinem & ſuorum paucitatem. Delphinus tamen in ipſo conflictu telo percuſſus eſt in crure, ita ut crus ſellæ equi cui inſidebat configeretur. Poſt præmiſſa, depopulatis vicinis regionibus, cum Franci etiam ſuos fautores ac amicos injuriis, prædis, violentiis ac ſtupris matronarum more ſuo offendiſſent, & præſertim comitem de *Latzelſteyne*, recedentibus duabus aciebus Francorum, pars tertia, quæ prædæ cauſa remanſerat, ab Alemannis & duce Heidelbergenſi invaſa, fere uſque ad internecionem deleta, adeo ut plerique ex morſibus urſorum, luporum canumque & famis penuria perirent, præter eos quos gladius abſumſerat militaris. Nam de Anglicis præter ceteros octingenti viri fortes prædæ cupidi, in ipſa tempeſtate ſunt abſorpti, ceteris qui evaſerant Deum collaudantibus, qui de manibus hoſtium ferocium ipſos eruiſſet.

Solvitur obſidio ab urbe Metenſi.

His igitur ad obſidionem Metenſium reverſis, Francorum rex Carolus conſiderans ob levem occaſionem cives obſideri, manſuete procedens in omnibus, permiſit & voluit tractatum pacis iniri hoc pacto, ut cives pro regis expenſis ac damnis centum ac triginta mille floren. ſibi perſolverent, & captivi hinc inde ſoluti libere permitterentur abire. Renatus autem rex, qui in certa ſumma pecuniæ civibus obligatus erat titulo accommodati, per hoc medium quittaretur a ſolutione. Quæ cum ſingula ſigillis utriuſque partis roborata fuiſſent & pax proclamata, rex Carolus ſperans ſe ſeptingentos fere captivos accepturum, vix ſeptuaginta recepit. Nam, uti præmiſſum eſt, ceteri factione capitaneorum nocturnis horis clam in undis ſubmerſi fuerant & extincti. Quapropter circumventum dolo ſe videns, nec tamen paci ſigillatæ valens obſiſtere, cum indignatione receſſit ad ſua, comminans Metenſibus contumeliam & injuriam ſibi factas poſt paululum illis digna vindicta recompenſandas.

Bellum inter duces Montenſem & Gelrenſem.

Eodem anno tertia Novembris cum implacabilis controverſia inter ducem Montenſem & inter ducem Gelriæ Arnoldum propter principatum terræ Juliacenſis fuiſſet exorta, & jam infinita utrique parti damna fuiſſent irrogata, tandem hac die concurrentes ad certamen, acerrime cœperunt exercitus præmoniti invadere alteruttrum. Erat quippe pro parte Montenſium Gerardus comes de *Blanckenheim*, domini de Palat... de *Merode*, necnon Nitardus de *Bilgrem* ſignifer. Pro parte Gelrenſium dux ipſe præfatus cum Wilhelmo de Egmunda fratre Johannis de *Bronchuyſen* & ceteri nobiles ac militares viri in numero copioſo cum populo vulgari de Ruremunda. Inito igitur certamine, dux Gelriæ cum ſuis terga vertens, fugam iniit. Frater autem ipſius cum prædicto Johanne de *Brouchuyſen* & aliquantis aliis illic captus eſt. Juliacenſes autem potiti victoria, cum pompa & præda grandi reverſi ſunt gaudentes & alacres.

Vincitur Gelrenſis.

Pons arcuum Leodii abſolvitur.

Eodem anno 24. die Octobris ad perfectum deducta teſtitudo pontis arcarum, in Leodio, qui per vehementiam undarum Moſæ dudum lapſus fuerat, & comminutus anno nono, & incœptus eſt reparari in anno

vigeſimo quarto. Tunc igitur abjectus eſt pons ligneus, qui illic propter tranſeuntes factus fuerat.

In Burgundia Markanus bellum movet.

Anno MCCCCXLV. egregius & probus vir Everardus ex illuſtri proſapia comitum de Marka trahens originem & nomen, juvenili ductus conſilio, fortalitia ſua *Rochefort* & *Agimont* baliſtis, machinis, petrariis, eſcis & viris bellicoſis de regno Francorum advocatis communivit, frequenter per hæc infeſtans comitatus Namurcenſem & Hannoniæ. Quibus offenſus & exacerbatus potentiſſimus Burgundiæ & Brabantiæ dux Philippus, eadem fortalitia per dominum Philibertum de *Wandry* ſeneſcallum Burgundionum juſſit obſideri. Verum dominus Leodienſis futurorum providus & timens ne forte Franci ſtipendiis conducti, pecuniis & promiſſis ducis corrupti, in exterorum manus caſtra traderent, quæ ſub Leodienſis patriæ fuerant dominio conſtituta, ſimul & ipſe cum potenti manu nobilium & popularium cœpit eadem obſidere, & primo per aliquantos menſes obſeſſo caſtro *Rochefort* per ſubtiles practicas, Franci datis ſibi ſeptem millibus florenorum Rhenenſium, ſalvis corporibus & rebus abierunt. Porro capitaneus d'*Agimont*, vocabulo *Pierrenot*, caſtrum ſibi commiſſum nullatenus dedere voluit, nec ullis promiſſis ad id potuit inflecti quouſque dictus Everardus illic perſonaliter ſub ſalvo conductu perveniens, ipſum a juramento præſtito abſolviſſet, & domino Leodienſi ſuæque patriæ ſponte reſignaret jus ſuum, ſub ſpe recuperandi ſuam avitam poſſeſſionem, cum domino ſuo, cujus vaſallus erat, placeret. Statim ſaiſito caſtro & epiſcopo intromiſſo, ceteri ad propria repedaverunt poſt duorum menſium ſpatium, quibus illis fuerant obſidionibus intenti. Durante obſidione prædicta, juxta morem obſervari ſolitum, duo novi burgimagiſtri in civitate electi, valentes viri, Johannes de *Straile* & Ægidius de Metis, qui ambo in expeditione præmiſſa fuerant conſtituti. Qui confeſtim in ipſo exercitu per certos ad hoc deputatos juramentum fidelitatis præſtare compulſi ſunt, contra conſuetudinem generalem, ne per eorum abſentiam intermedio tempore exercitus detrimentum aliquod poſſet incurrere, & civitas interim per quoſdam ſuſpectos uſque reditum eorum extitit fideliter gubernata. Clerus Leodienſis poſt regreſſum exercitus, antiſtiti ſuo in relevamen expenſarum quas in ipſa ſuſtinuit expeditione, aſcendentes, ut aiebat, ad ſummam viginti millium florenorum Rhenenſium, ſubſidium fecit gratioſum, ut unaquæque eccleſia juxta ſuarum facultatum exigentiam liberaliter condeſcenderet. Pro reſidua vero parte patria tota perſonaliter gratioſe eſt talliata, rebellantibus tamen aliquantis de comitatu Loſſenſi, præſertim oppidanis Haſſellenſibus & incolis de *Diepenbeke*; unde poſtmodum multa ſunt ſuborta mala, prout latius in ſequentibus explanabitur. Interim Leodienſis præſul magnam ſummam florenorum ab archiepiſcopo Trevirenſi cœpit exigere, quam pridem, dum dictum archiepiſcopatum gubernaret & in commendis haberet, pro negotiis & commoditatibus patriæ ſe dicebat expoſuiſſe. Unde dictus archiepiſcopus aliqualiter ſe reddens difficilem & renitentem, metu tamen Leodienſium, quos ſibi ſuperventuros metuebat, dictas pecunias ſine mora perſolvit, de quo dominus Leodienſis ſuo populo gratias referebat immenſas.

In ipſum Leodienſes, qui Rupeſortium capiunt.

Et Agimontium.

Eodem anno 18. Octobris dominus Leodienſis pontificalibus ornamentis indutus, in eccleſia beatæ Mariæ ad fontes, aſſiſtentibus ſibi ſuffraganeo ſuo & abbatibus ſanctorum Jacobi & Laurentii, ſynodum generalem celebravit, aliquas conſtitutiones illic renovans, & novas aliquantas inſtituens. Synodus generalis Leod.

Anno MCCCCXLVI. cum ante aliquot annos cives de Ruremunda oppido Ghelriæ, ſpectante tamen ad dioeceſim Leodienſem, quemdam nuntium, deferentem ad eos mandatum domini Leodienſis eorum antiſtitis, ac domini ſpiritualis, concernens ſuam juriſdictionem eccleſiaſticam, in Moſa ſubmerſiſſent, offenſus non immerito dominus Leodienſis, in ultionem ſanguinis innoxii certum numerum de primoribus oppidi, ad pacem Leodii fecit proclamari, juxta privilegium ſpeciale ſuis prædeceſſoribus ab antiquo ſuper his conceſſum tempore Friderici primi, qui Mediolanum expugnavit, præſertim contra rebelles omnes ſub dioeceſi Leodienſi conſtitutos, demtis & exemtis ab hac lege dumtaxat incolis & habitatoribus comitatus de Rupe in Ardenna, certas ob cauſas. Hos igitur Ruremundenſes in obſtinatione calloſa perdurantes juxta tenorem pacis ſupradictæ, in eccleſia beatæ Mariæ ad fontes loco ſolito, campanis pulſatis, candelis extinctis, & ſimilibus ceremoniis proſecutis, dictus dominus Leodienſis lacrymoſe condolens obſtinationi ſuorum ſubditorum, excommunicatos & maledictos conſequenter fecit juridice per juſtitiam ſæcularem proſcribi & banniri. Quibus patratis, cum ſucceſſu temporis unus ex principalioribus vocabulo Henricus de Lovanio, pro quibuſdam debitis ſuis exigendis malo ſuo Leodium perveniſſet, tertia Aprilis a ſatellitibus ſigilliferi comprehenſus eſt & in carcerem recluſus, in quo per dies 79. detentus eſt, & tandem tumultuante populo, & in mortem ejus terribiliter acclamante, ſæculari juſtitiæ traditus, juxta pontem arcarum in inſula quæ illic excreſcit, inter fluctus Moſæ primo decapitatus eſt, ac conſequenter cadaver ejus dolio vini injectum, ſtraminibus aggeſtis, una cum capite flammis abſumtum uſque ad cineres, in loco prophano quo equi Lead. epiſt. a Ruremundanis graviter offenſis petita.

mortui & pecora cetera decoriari ſolebant, conglobatis ad hoc ſpectaculum fere decem millibus utriuſque ſexus perſonis. Quibus patratis, cum filius dicti occiſi necem ſui patris ulciſci cupiens, dominum Leodienſem militari more diffidaſſet, & fortuito caſu veniſſet Trajectum, in ipſa immunitate beati Servatii, iſdem dominus fecit eum comprehendi & compeditum abduci. Qui cum diffidationem præfatam revocaſſet, & homagium fidelitatis & ſecuritatis domino Leodienſi fide media feciſſet, ad propria redire permiſſus eſt.

Scaldis inundatio aliæque calamitates.

Eodem anno in ipſa Dominica Palmarum, quæ erat decima Aprilis, ventorum & imbrium gravis eſt exorta tempeſtas, adeo ut multæ arbores ex vi ventorum radicitus ſint evulſæ. Et cum plenilunium tunc inſtaret, vento ſuperveniente ſeptentrionali, Scalda fluvius in tantum excrevit, ut cimiterium B. Mariæ Virginis de Antuerpia aſcenderet, & multas domos aquis fluvialibus hora miſſæ majoris impleret. Subſequenter in menſe Maio in ipſis Rogationibus gelu duriſſimo per triduum ſuperveniente, adeo ut tota terra ex frigore concreta ſoret, & nives denſæ ſuccederent, vineæ cunctæ ſteriles fuerunt; nam eodem anno ama vini Leodienſis, quæ pro duobus florenis Rhenenſibus comparari ſolet, ipſo anno pro quinque florenis vendebatur. Sed & carata vini pro 30. aut 40. Rhenenſibus pro tunc vendebatur, quæ ſæpe pro 15. aut 16. vendi conſuevit.

Hungari e patria Leodiuindi, Aquas veniunt & Leodium.

Anno Domini MCCCCXLVII. ſeptem peregrini ex Hungaria venientes & de Aquenſi diœceſi oriundi, viſitatis ſacris & famoſis reliquiis in urbe Aquenſi, conſequenter pervenerunt ad Leodium. Audierant ſiquidem a ſuis progenitoribus eorumdem prædeceſſores de patria Leodienſi ante multos annorum circulos egreſſos præ victualium penuria in Hungariam commigraſſe, illicque loca habitationum ſuarum collocaſſe, eaſque ſedes, ſervato ſemper natalium ſuorum primævo & originali idiomate delegiſſe. Quod cum pleriſque frivolum videretur, examinati tandem fere ab univerſis, reperti ſunt in eodem materno idiomate cum Leodienſibus per omnia concordare. Et ut omnis de hac idiomatis ſervati ſerie tolleretur ambiguitas, aſſerebant hanc cauſam ratione plenam, quod licet viri propter ſua commercia exercenda per diverſas & vicinas regiones quotidie ſe transferant, & Hungarorum linguam idcirco omnes addiſcant, tamen quia ſemper & continuo feminæ in ſuis domiciliis reſidentes, filiorum educationibus intentæ, nuſquam vadunt aut evagantur, nativum propterea conſervantes idioma & in eodem ſoboles ſuas inſtruentes. In hujus rei ratificationibus ex præfatis peregrinis ad terram Hungariæ repedare volentibus, burgimagiſtri Leodienſes commendatitias litteras ſigillo civitatis communitas ad ſuos primarios deferendas contulerunt, eoſdem exhortantes ut fraternaliter & humane ſui generis & patriæ homines tractare non ceſſarent, ſimilem in ſuos comprovinciales afferentes ſe velle reddere recompenſam, ſi temporis & rerum neceſſitas in poſterum id poſtularet. Poſtmodum revolutis annalibus & antiquitatum hiſtoriis compertum eſt, annos circiter centum & triginta decurſos quod dictorum peregrinorum proavi ab avitis ſedibus ad Agrienſem provinciam commigrarunt.

Leod. Montfortiam arcē capiunt.

Eodem anno quidam ſervitor ducis Calabriæ, filii domini Renati, Siciliæ & Apuliæ regis, necnon Barenſis & Lotharingiæ ducis, cum in oppido Trajectenſi ad uſum domini ſui comperiſſet palefridum unum peroptimum, & ad partes Barenſes redire tentaſſet, equitans juxta caſtrum dictum *Montfort*, ſitum ſuper ripam Ortæ fluvii in rupe præcelſa, mox quidam prædones caſtri egreſſi, comprehendentes eumdem, necnon equo, pecuniis & ceteris quæ habebat deſpoliantes, pedes ejus inſuper cippo & compedibus conſtrinxerunt in domuncula, quæ caſtro fuerat ſatis vicina, ac poſt paucos dies ſolutum a vinculis, velantes oculos ejus, ut prius dum caperetur, per ſilvas & abdita loca, ne caſtrum recognoſceret ad iter rectum ipſum deduxerunt ut abiret. Ille vero regyrans verſus Leodium, coram burgimagiſtris Johanne dicto *del Baer* & Ægidio de *Lens* ſuper his quæ perpeſſus fuerat depoſuit querelam, ignorans tamen locum ac nomen caſtri quo damna illi fuerant illata. Porro ſupradicti magiſtri civium ſubtiliter & per induſtrias multas comperto loco, cum armatis multis properantes, illic caſtrum ſaiſierunt. Caſtellanus vero dictus Henricus de *Chantrain*, veriſimiliter timens pelli ſuæ, paulo poſt abinde fugerat cum ſuis complicibus; ſicque de ſpoliis caſtri & ſupellectili dicti caſtellani quam in Leodio reperierant reſtituta ſunt damna viro pridem ſpoliato, aſcendentia ad centum viginti florenos Rhenenſes & ultra. Verum dominus Renardus *d'Argental* dominus temporalis de *Huffalize*, ad quem proprietas caſtri ſpectare videbatur, non conſcius forefacti, ut aſſerebat, dum lacrymoſe caſtrum ſibi reddi multis inſtantiis poſtularet, promittens perpetuis temporibus fidelem ſe futurum civitati & patriæ, & quotieſcumque exigeretur, prædictum caſtrum ad uſum Leodienſium reſerandum, flexi cives ſalvum & integrum id ſibi reſtituere decreverunt.

Caſtellani Rupefortii & Agimontis hominium præſtant D. capituli Leod.

Eodem etiam tempore cum dominus noſter Leodienſis epiſcopus, duo caſtra, videlicet *Rochefort* & *Agimont*, excluſo, ut præfertur, herede eorumdem legitimo Everardo de Marka adoleſcente, velut patrimonium hereditarium poſſideret, caſtellani eorumdem, videlicet Johannes *de la Vaux*, & Jaco-

bus de *Morealmeis* ſerioſe requiſiti ſunt, ut dominis capituli Leodienſis, tamquam treſſundariis patriæ, juramentum fidelitatis, ſicut ceterorum caſtrorum caſtellani facere conſueverant, publice præſtarent. Cui requeſtæ, quamquam aliquantiſper, ut puto, inſtinctu domini Leodienſis reniterentur, tandem importunitate coacti poſtea * præſtiterunt.

* *ſupple*, conſenſum.

Eugenii papæ IV. obitus.

Eodem anno deceſſit a ſæculo Eugenius papa IV. 23. Februarii, qui præfuit annis 15. menſibus undecim, diebus 21. & vacavit ſedes papalis diebus ſexdecim. Hic in ſuo papatu multa perpeſſus eſt adverſa, tum per principem Salerniæ nepotem prædeceſſoris ſui Martini papæ, ob cujus metum fugit in Marchiam Anconitanam, tum per Baſileenſes & eorum fautores, qui ſibi ſubtraxerant obedientiam, tum frequenter quoque per Romanos, naturaliter factioſos & ſeditionum continuos ſuſcitatores & indefeſſos. Huic ſucceſſit Nicolaus hujus nominis papa V. Romæ a cardinalibus concorditer electus, die ſexta menſis Martii, reclamantibus ſemper Baſileenſibus, & Felicem ſuum aliter dictum Amedeum ducem Sabaudiæ, pro papa ſolemniter honorantibus. Hic, inquam, Nicolaus primo dictus eſt Thomas cognomento de Sarzano, de provincia Januenſi, ſtatura puſillus, ſed animo procerus, qui in adoleſcentia de mediocribus parentibus procreatus, gratiam domini cardinalis S. Crucis prioris Carthuſienſis in Bononia conſecutus, per eum ad diverſa ſtudia generalia tranſmiſſus eſt, ubi multum profecit, & ſacræ theologiæ profeſſor effectus eſt, & paulo poſt aſſumtus ad regimen hoſpitii dicti cardinalis; cum quo etiam pro concordia regum Franciæ & Angliæ, necnon & ducis Burgundiæ Attrebatum veniens, ſuis egregiis ſermonibus & hortamentis animos principum delinivit, & ad pacem dulciter animavit. Poſt quæ ſimiliter in gratiam domini Eugenii papæ ſuſceptus, infra triennium ſucceſſive ad tres maximas pervenit dignitates eccleſiaſticas. In uno ſiquidem anno factus eſt epiſcopus, in ſecundo cardinalis, in tertio ſummus pontifex.

Nicolaus V. papa.

Stochemianæ arcis inſtauratio inchoatur.

Caſtrum comitatus Loſſenſis olim fortiſſimum vocabulo *Stochem* ex impetu Moſæ decurrentis in præceps ſemirutum & fere collapſum ab una parte, hoc anno per communitates patriæ Loſſenſis cœpit reſtaurari, factis ibi aggeribus ex ſabulo illic advecto & ſudibus ac palis ligneis terræ infixis, ut ſic fluxus Moſæ ad ripam adverſam poſſet rederivari. Cooperabantur multum in hoc negotio burgimagiſtri civitatis prædicti, quorum unus perſonaliter aderat inſtigans & inducens pigros & rebelles ad ſerioſe laborandum. Sed proh dolor! quoniam nullus eſt qui opus ejus laudabiliter inchoatum perficere velit, non dominus terræ, non capitulum majus, non populus terræ, timeo ne fruſtra ſit deſudatum in eo quod per incuriam labentibus annis utique diſſolvetur.

In extremis finibus comitatus Loſſenſis inter incolas duarum villarum campeſtrium, quarum una *Borchout*, altera dicta eſt *Kaiaevelill*, gravis orta eſt ſimultas & diſſenſio propter paſcua mericarum, quarum illic ingens eſt copia, dubitantibus multis ubi pali ſeu termini utriuſque partis antiquitus erant conſtituti. Super quo negotio complanando ventum eſt ad præſentiam feodalium domini Leodienſis tamquam comitis de *Los* in villa de *Curinghen* ultra *Uliedermael*, ubi ex communi decreto feodalium terræ termini, quos præterire licitum non eſſet, fixi ſunt. Sed incolis *Cauvvelill* non bene grati, ipſi ſiquidem a ſententia lata appellabant ad 22. judices terræ, qui in quibuſdam rebus vel judiciis ſententiandis interdum etiam ſuper ſcabinos majores primariam habent auctoritatem. Ceteris illis judicio ſtare recuſantibus, præſertim cum hujuſmodi negotiorum complanationem ad feodales terræ Loſſenſis ex jure præſcripto ſpectare manuteneret, non ad 22. de poſt inſtitutos, domino Leodienſi in hac re favente Johanni de *Bunde* domino temporali villæ de *Borchout*, qui ſororem ſuam naturalem in conjugium habebat. Tandem ſequenti anno per interventum proborum virorum pax eſt reſarcita.

Eodem tempore defuncto cardinali Angliæ ditiſſimo, fratre Henrici regis Anglorum, Johannes de *Heinsberg* Leodienſis epiſcopus navigare voluit in Angliam. Neſcio ſi qua ſibi legata fuerant a prædicto cardinali, propter propinquitatem ſanguinis. Cumque ob id in Brugis oppidum Flandriæ perveniſſet, putans ſe ſolito more favorabiliter recipiendum & feſtivandum a familiaribus domini ducis, audivit pro certo inſidias ſibi poſitas in itinere, prout famabatur, a quodam milite dicto Carolo *de la Tumbe*, familiari ducis Burgundiæ. Unde non immerito timens pelli ſuæ, feſtinanter paucis conſciis aufugere properavit nocte ac die, uno ſolo comite cum ſubſequente, nec ceſſavit donec veniret in oppidum Brabantiæ, cui nomen *Dieſt*, in quo ſe ſecurum fore ſciebat. Nam pro tunc illius oppidi regimen in manus habebat, tamquam mamburnus neptis ſuæ, & ſic deinceps a familiaritate quorumdam ſe ſequeſtravit, cum quibus hactenus individue ſolebat converſari.

Heinsberg in Angliam proficiſcitur, moxque revertitur.

Anno Domini MCCCCXLVIII. Suſatum oppidum Weſtphaliæ per dominum Theodericum de *Meurs* archiepiſcopum Colonienſem, longa obſidione vallatum eſt. Siquidem primarii oppidi rebellantes domino ſuo archiepiſcopo, ad quem ſolum & in ſolidum dominium oppidi in ſpiritualibus & in temporalibus ſpectare dinoſcitur, propter certas, ut aſſerebat, exactiones ac tallias continuas aut

Suſati oppidi longa obſidio.

aut ſimilia his gravamina, transfugerunt ad dominum Adulphum ducem Clevenſem, qui ſororem ducis Burgundiæ ac Brabantiæ habebat in uxorem, per cujus ſuffragium & potentiam viriliter reſtiterunt, & interdum ſtrages magnæ ac ſingulares conflictus hinc inde contigerunt. Sed tandem depopulatis agris ac villis circumvicinis, exercitus archiepiſcopi pertæſus ex longa obſidione, regreſſus eſt infecto negotio. Defuncto tandem duce Clevenſi veterano, filius ejus primogenitus egregiæ indolis adoleſcens, nepos ducis Burgundiæ ex ſorore, patri ſucceſſit, qui ſimiliter aliquanto tempore Suſatenſibus auxilium præſtitit, donec treugis initis in anno ſequenti pax reformata eſt.

Solvitur.

Eodem anno apud Leodium unus ex gubernatoribus miniſterii candidatorum, id eſt eorum qui telas dealbant, vocabulo Johannes de Vereſcapio, corruptus pecuniis paucis, occaſione cujuſdam matronæ, quæ famabatur furtum commiſiſſe, & ea cauſa compedibus aſtricta fuerat in villa dicta *Brouck*, ſpectante ad dominium & juriſdictionem capituli Leodienſis, ſermonibus blandis ac frivolis ad hoc induxit omnes comminiſteriales ſuos, ut ſumto vexillo ſuo, pedetentim invaderent domum in qua mulier ipſa compedita fuerat, & effractis vinculis, quibus conſtricta erat, liberam eam abduxerunt in Leodium, committentes eam carcerario domus civium, in qua cives rei compediri ſolent, debitis aut aliunde obligati. Affirmabant ſiquidem ipſam fuiſſe & eſſe concivem ſuam, & ſine cauſa rationabili captam fuiſſe, & velut unam de civibus, juxta legem patriæ debere tractari, ſed nec aliunde debere judicari vel incarcerari, donec de furto, quod ei imponebatur, convicta foret. Quod quia graviter cedebat in præjudicium juriſdictionis dominorum capituli majoris, illi ſuper violentia & injuriis ſibi factis querelam depoſuerunt coram burgimagiſtris & conſiliariis reliquorum miniſteriorum. Quibus confeſtim exauditis ad votum, decretum eſt ſine mora, ut Johannes præfatus gubernator officii, perpetuo proſcriptus foret extra patriam Leodienſem & Loſſenſem comitatum, ſocio ſuo ſuper exceſſu ſe legitime purgante & excuſante; ſed & hi qui mulierem abduxerant ad locum & carcerem unde eam abſtraxerant, ſtatim reducerent; quod & factum eſt ſine mora. Reliqui vero comminiſteriales, qui ſuum gubernatorem ſecuti fuerant, humiliter petentes a dominis capituli, remitti ſibi delictum & offenſam in eos contractam, miſericorditer & gratioſe recepti, veniam meruerunt accipere. Sicque ceſſavit illa tempeſtas tumultuoſa.

Capituli Leod. juriſdictio injuſte petita in villa Brouck.

Sed mox iſti ſatisfactum.

Ea tempeſtate receptis, ut præfertur, caſtris *Rochefort* & *Agimont* de manibus Franchigenarum prædonum, illic per Everardum de Marka intromiſſorum, prælabita pactione ſex aut ſeptem millium florenorum Rhenenſium, cum dominus Leodienſis pro ſolutione prætactæ ſummæ, necnon & expenſarum, quas in ipſorum caſtrorum obſidione pertulerat, talliare cœpiſſet villas & oppida, juxta exigentiam & qualitatem taxæ ſive ſummæ unicuique eorum aſſignatæ, & veniſſet cum aliquantis equitibus ad villam de *Dypenbeke* pro eadem tallia levanda, inhabitatores loci rebellare cœperunt, ſeque violenter opponere domino terræ; pulſatiſque campanis, prout in ſuperventu hoſtili fieri ſolitum eſt, & in eorum ſubſidium adventantibus civibus Haſſelenſibus, dominum ſuum prædictum propellere & fugare non veriti ſunt uſque ad portas manſionis ſuæ de *Curinghen*, acclamantes nonnulla probroſa verba in vilipendium ſui principis tam præcellentis, & ruſticano more & incondito. Cumque propter hunc exceſſum juxta morem patriæ, 13. ex præfatis rebellibus ad annulum palatii pro crimine læſæ majeſtatis fuiſſent evocati, ac de facto ex patria proſcripti, ſive banniti; poſt multos tandem tractatus, ſolutis pro contumelia & emenda mille ducentis florenis Rhenenſibus, pax eſt reſarcita, ſecluſo uno a cœtu ceterorum, qui totius mali ac ſeditionis dicebatur & incentor & origo; cui nomen Ludovicus de *Tylle*, de ſtirpe militum procreatus. Is ſuper præmiſſis ulciſci ſe cupiens, modos & formas cœpit inquirere, quibus domino Leodienſi per ſuas ac ſuorum complicium manus mortem poſſet inferre. Et facta conſpiratione reali, præmiſſa tum, ut aiebat, militari more, diffidatione, ribaldos & caupones, leccatores, lixas, tabernarios, promiſſis multis denariis, ad facinus patrandum corrupit & allexit; & de facto aliqua, prout fama vulgaverat, fuerant ineffi caciter attentata, quæ necem domini Leodienſis i.præ ..ditate equitantis cum comitiva grandi pro tunc concernebant. Super qua re nonnulli de cuneo ſupradicto comprehenſi & conceptum facinus pœnis applicitis, confeſſi, in diverſis locis morti ſunt adjudicati, & ad rotas condemnati; adeo ut germanus dicti Ludovici, Heribertus nomine, vir fortis robore, proceræque ſtaturæ, accuſatus de his, in quatuor portiones deſectus ſit, per prius tamen vertice amputato. Inter ceteros cives, quidam Trajectenſis Rogerus nomine, pridem aurifaber, vulgariter agnominatus de *Spaevvin*, accuſatus eſt a nonnullis de cuneo conſpiratorum, quos præfati ſumus, quaſi in domo habitationis ſuæ, ipſo nedum conſcio, ſed etiam totius conſpirationis tractatore vel actore, facinus præmiſſum debebat actitari. Qui tandem a caſu vel propoſito Leodium veniens, illic arreſtatus eſt per officiatos domini Leodienſis pro tali: ſed quia civis Leodienſis erat de miniſterio aurifabrorum, ſub firma ſeu cuſtodia ſatis curiali poſitus eſt in carcere, quo cives ſer-

Et conjuratio.

Reſpiuntur.

Seditio adverſus Heinsbergium.

vari ſolent quouſque ſanguinis aut mortis rei ſint comprobati & condemnati. His intellectis, in ipſa ſacra cœna Domini ante Paſchalem celebritatem anni MCCCCXLIX. gubernatores miniſterii aurifabrorum apud monaſterium S. Jacobi, ubi pro tunc magiſtri civium prandebant, ſimili more furentes, rogati ut ſacro tempore quadrageſimali parcerent, & a temerariis præſumtionibus abſtinerent, contra dictamen & aſſenſum magiſtrorum ipſum Rogerum effractis & elimatis compedibus ferreis abſolverunt & liberum eduxerunt, in præjudicium domini ſuæque civitatis. Quamobrem offenſus dominus Leodienſis, & cauſa ſua vulgo propoſita & explicata, decretum eſt contra dictos aurifabros, ut eodem ſero dictum Rupertum in loco a quo ſublatus fuerat reponerent, aut ipſi decretum judicium expectantes in Violettam, quæ domus eſt civium, ſe repræſentarent. Ubi cum longo tempore ſub expenſis gravibus perendinarent, tandem per intermedium proborum virorum ad multam octogintorum florenorum Rhenenſium condemnati ſunt; & niſi dominus manſuete procedens arbitratus fuiſſet cedendum & parcendum fuiſſe multitudini delinquenti, pro certo gravioribus pœnis plectendi fuerant. At Rogerus per adjutorium duorum amicorum naviculam ingreſſus, per decurſum Moſæ pervenit Ruremondam, hoc modo evadens manus eorum qui quærebant animam ſuam. Hæc per anticipationem pro continuatione geſtorum ſcripta ſunt, ne ſit neceſſe ſecundo idipſum repetere vel replicare.

De quodam linteo habito pro vero Chriſti ſudario.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCCCXLIX. quædam generoſa matrona de territorio Triccaſſino venit ad oppidum Hannoniæ dictum *Cimai*, deferens ſecum quoddam linteum, in quo egregie miro artificio depicta fuerat forma corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum omnibus lineamentis ſingulorum membrorum, tamquam ex recentibus vulneribus & ſtigmatibus Chriſti pedes & manus & latus videbantur rubore ſanguinolento intincti. Aſſerebatur autem a quibuſdam ob devotionem populi augmentandam & multiplicis lucri gratiam, hoc linteum eſſe ſudarium cui involutum erat pretioſum corpus Domini noſtri, dum reclinatum fuerat in ſepulchro per Nicodemum & Joſeph de Arimathia, & cetera talia. Cumque id veriſimile videretur, fiebat illic ingens concurſus hominum utriuſque ſexus de circumjacentibus provinciis. Tandem etiam fama volitante per ora multorum, dumque diverſimode inde opinantibus, dominus Johannes de *Heinsberch* venerabilis Leodienſis epiſcopus, in cujus diœceſi prædictum oppidum ſitum eſt, volens de hac materia certitudinem habere pleniſſimam, nec patiens ſui juris Chriſti fideles in hujus rei credulitate longius fluctuare, duos illic deſtinavit egregios ſacræ paginæ profeſſores, videlicet dominum abbatem de Alna Ciſtercienſis ordinis, & magiſtrum Henricum *Bakel* canonicum Leodienſem, qui ſuper ſibi commiſſis diligentes facientes inveſtigationes, & ſcrutinium debitum, petierunt a ſupradicta matrona & ſuis auctoritate domini Leodienſis exhiberi ſibi litteras aut bullas, ſi quas haberent, quarum auctoritate prædictam audebant effigiem aut linteum oſtendere, & vera eſſe quæ prædicabant comprobarent. Illa ſe in arcto comperiens, nec tamen valens reniti, oſtendit eiſdem tres bullas a domino Clemente VII. pro tunc in Avinione reſidente, necnon & Petro de Luna, pro tunc cardinali & legato ſedis apoſtolicæ ſuis prædeceſſoribus conceſſas, in quibus continebatur expreſſe, dictum linteum non eſſe verum ſudarium Jeſu Chriſti, ſed ejus dumtaxat repræſentationem aut figuram; quarum unam ex tribus hinc inſerere curavi de verbo ad verbum, ut rei geſtæ veritas comprobetur. » Clemens epiſcopus « ſervus ſervorum Dei dilecto filio nobili viro « *Gaufrido domino* loci de Lireio Trecenſis « diœceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictio- « nem. Tuæ devotionis ſinceritas, quam erga « Deum & nos, ac Romanam eccleſiam ge- « rere noſceris, promeretur ut petitionibus tuis, « illis præſertim quæ divini nominis honorem « & gloriam reſpicere dinoſcuntur, favorabi- « liter annuamus. Exhibitæ ſiquidem tuæ pe- « tionis ſeries continebat, quod nuper dilecto « filio noſtro tituli ſanctæ Suſannæ preſbytero « cardinali pro parte ſua expoſito, quod olim « genitor tuus zelo devotionis accenſus, quam- « dam figuram, ſive repræſentationem ſudarii « Domini noſtri Jeſu Chriſti ſibi liberaliter « oblatam, B. Mariæ de Lireio Trecenſis diœ- « ceſis, cujus fundator extitit, venerabiliter « collocari fecerat; & quia demum, Domino « permittente, partes illas in guerris & morta- « lium peſtibus graviter concuti, figura ſive « repræſentatio hujuſmodi, etiam ad manda- « tum ordinarii loci, & ex aliis ceteris cauſis « de dicta eccleſia B. Mariæ ad alium tutio- « rem locum tranſlata, & decenter uſque tunc « recondita extiterat, & venerabiliter cuſto- « dita; & quod tu ad eccleſiæ prædictæ deco- « rem devotionemque populi, & cultus divini « augmentum, cupiebas præfatam figuram ſive « repræſentationem in eccleſia prædicta repo- « nere; idem cardinalis, quem tunc ad Chri- « ſtianiſſimum in Chriſto filium noſtrum Ca- « rolum regem Francorum illuſtrem, pro ce- « teris noſtris & Romanæ eccleſiæ negotiis de- « ſtinaveramus, quique faciendo, gerendo, « exercendo, hujuſmodi negotiorum profecu- « tione durante, in civitatibus & diœceſibus « ac provinciis, per quas eundo & redeundo « tranſire, & in quibus moram trahere ipſum « contingeret, omnia & ſingula, quæ Roma- « næ eccleſiæ cardinalis legationis fungens of- « ficio, infra legationis ſuæ terminos facere, «

» gerere & exercere poteſt, a nobis facultatem
» habebat. Quique per Senonenſem provin-
» ciam, de qua dicta diœceſis Trecenſis exi-
» ſtit, tranſitum fecerat, tibi, hujuſmodi nego-
» tiorum proſecutione durante, ut figuram
» ſeu repræſentationem prædictam in præfata
» eccleſia S. Mariæ, congruo honore & de-
» centi loco poni & collocari facere poſſes,
» diœceſani vel alterius cujuſcumque non pe-
» tita vel obtenta licentia, per litteras ſuas in-
» dulſit; quodque dicta figura ſive repræſenta-
» tio hujus indulti vigore, in eccleſia dicta B.
» Mariæ repoſita fuit decenter; & quod poſt-
» modum venerabilis frater noſter Petrus, epi-
» ſcopus Trecenſis, ex hujuſmodi indulto com-
» motus, in ſua ſynodo ultimò celebrata, re-
» ctoribus parochialium eccleſiarum, ac illis
» quos proponere contingeret verbum Dei,
» ne de ſudario Jeſu Chriſti, figura ſive repræ-
» ſentatione ipſius in ſuis eccleſiis aut ſermo-
» nibus, ſive in bono ſive in malo, aliquam
» mentionem facerent. Ac demum dilecto fi-
» lio decano eccleſiæ B. Mariæ prædictæ, ne
» ſub excommunicationis pœna dictam figu-
» ram ſeu repræſentationem alicui oſtenderet,
» inhibuit. A qua quidem inhibitione eidem
» decano facta, pro parte dicti decani fuit ad
» ſedem apoſtolicam appellatum. Et quia di-
» cta figura ſive repræſentatio poſt appellatio-
» nem hujuſmodi populo publice exhibita ex-
» titit & oſtenſa; nos igitur tuis in hac parte
» ſupplicationibus inclinati, indultum præfa-
» tum ratum & gratum habentes, illud, prout
» ſuperius enarratur, ex certa ſcientia, auctori-
» tate apoſtolica confirmamus, & præſentis
» ſcripti patrocinio communimus; & nihilo-
» minus eidem decano & dilectis filiis capitulo
» dictæ eccleſiæ B. Mariæ, præſentium tenore
» concedimus, quod, inhibitione hujuſmodi
» non obſtante, figuram ſeu repræſentationem
» eamdem publice oſtendere & oſtendi facere
» valeant, quoties fuerit opportunum; eidem
» epiſcopo ſuper inhibitione prædicta perpe-
» tuum ſilentium imponentes. Nulli ergo ho-
» minum liceat, &c.

De ſacro Chriſti ſudario.

Sed ut incidentaliter aliqua inſeramus prædictæ materiæ ſimilia, ſic ſcriptum reperi in quibuſdam chronicis; Quod cum Dominus ac Redemtor noſter exutus veſtimentis propriis in cruce penderet, accedens Joſeph ab Arimathia ad Mariam matrem Domini & ceteras mulieres, quæ ſecutæ fuerant Dominum a Galilea, dixit eis: » O vos feminæ, quanto amore huic juſto tenebamini ex ipſo rerum eventu perpendi poteſt. Quem enim in cruce nudum pendere videtis, non operitis. « Quo caſtigationis eloquio commonitæ, emerunt linteum mundiſſimum tam amplum & extenſum, quod totum crucifixi Jeſu corpus exinde velabatur. Cumque deponeretur Chriſtus a cruce, apparuit totius corporis effigies in linteo expreſſa; ad cujus ſimilitudinem & exemplar Nicodemus vultum Lucanum effigiavit, in cujus medio linteum incluſit & ampullam ſanguinis Domini, & unum ex tribus clavis, partemque coronæ ſpineæ & ſpongiæ, & alias quamplures reliquias. Illud ſane non eſt omittendum, quod vultus Lucanus oculos habet apertos, & eos terribiles oſtendit, quod non vacat a myſterio. Nam ſicut leo rex omnium ferarum cum dormit oculos aperit, ut intuentibus in eum numquam dormire, vel ſuæ poteſtatis vigilantiam intermittere videatur; ita Chriſtus ſuæ poteſtatis numquam intermittit virtutem, ſed ſe reprobis terribilem ſemper oſtendit. Qualiter autem prædictus vultus ad tranſmarinas noſtras pervenerit regiones, advertendum eſt ipſum tempore Caroli Martelli & Pipini a quodam præſule tranſalpino reverendo Gulfredo repertum Hieroſolymis in domo Seleutii in abſcondito poſitum. Quem extrahens, & in navi bituminata deſuper clauſa tabulatu operta reconditum, ſine remige ac remigio a portu Joppe dimiſit. Sicque divina virtute prævia navi per mare advecta ad plagam pelagi Lunenſis applicuit. Sane Lunenſes quibus piratica vita in uſu erat, prædandi animo accedentes, ſpe ſua fruſtrati, miraculo divino tanti theſauri indigni judicati, dum navim fugant & fugientem inſequuntur, magis ipſi fugantur. Itaque dum ſic inſecutionem parant, navis fugit, ſtat cum ſtantibus, redit cum redeuntibus. Tanta novitate attoniti vicini, ad Lucenſem epiſcopum Johannem hæc referunt. Nec mora præfatus antiſtes navigia diſponens, remos ordinum aptat, pſalmorumque uſus remigio, navim quam non perſequuntur, debita veneratione recepit. Indignati Lunenſes quod Lucenſibus inſecuta dudum navis occurrit, quæſtionem movent de acquiſitis, proponunt quæ ad ſui quæſtus commodum eis videbatur accommoda. Tandem pace reformata, vultus ſacratiſſimus cum reliquiis inſutis parti Lucenſium cedit, Lunenſibus autem ad ſuæ miſeriæ remedium una ampulla ſanguinem Domini continens traditur, quæ etiam nunc ad proximum caſtrum tranſlata eſt, epiſcopali etiam ſede in maledictionem Lunenſium illic collocata.

De Veronica.

Porro ſunt alii vultus Divini, ſicut eſt Veronica, quam quidem Romæ delatam a Veronica aſſerunt. Hanc ſiquidem mulierem ex antiquiſſimis ſcriptis comprobamus fuiſſe Martham ſororem Lazari & Magdalenæ, hoſpitam Chriſti, quæ fluxum ſanguinis paſſa annos 12. tactu fimbriæ Dominicæ ſanata fuit, propter diutinam paſſionem fluxus curva incedens. Hanc ex traditione veterum novimus in linteo impreſſam Dominici vultus effigiem, quam Voluſianus amicus Tiberii Cæſaris, ab eodem apud Hieroſolymam tranſmiſſus, ut de geſtis & miraculis Chriſti certa ſigna referret, unde de morbo ſuo citius curaretur, ab ipſa Martha licet renitente

& invita quorumdam suggestione abstraxit. In cujus direptione contristata Martha, vultumque hospitis sui subsecuta, traditur Romam venisse, & Tiberium in primo conspectu picturæ Veronicæ curasse. Est ergo Veronica pictura Domini veram secundum carnem repræsentans effigiem a pectore superius, in basilica S. Petri juxta valvam a parte dextra introitus recondita.

Alia vultus Christi effigies.

Est & alia *Dominici* vultus effigies, in tabula æque depicta, in oratorio S. Laurentii in palatio Lateranensi, quam Alexander papa tertius multiplici serico panno operuit, eo quod attentius intuentibus tremorem cum mortis periculo inferret. Unum quidem procul dubio compertum est, quod si diligenter vultum Dominicum quem Judæus in palatio Lateranensi, intra oratorium S. Laurentii vulneravit, inspicias, cujus vulneris cruore tamquam recenti faciem dexteram operuit, non dissimilem Veronicæ basilicæ S. Petri, eique picturæ quæ est in oratorio S. Laurentii & vultui Lucano invenies.

Pax composita inter Coloniensem antistitem & ducem Clevensem.

Hoc eodem anno MCCCCXLIX. apud Trajectum supra Mosam per intermedium legati sedis apostolicæ, dicti *Keruyal* natione Hispani, pax reformata est inter dominum Theodericum de *Meurs* archiepiscopum Coloniensem & ducem Clevensem adhuc juvenem, quem idem archiepiscopus de sacro fonte levaverat. Quæ quidem propter oppidum Susatum in Westphalia situatum, occisis proh dolor hinc inde innumeris viris, & villis incendio conflagratis, per aliquantos annos fuerat obnubilata, cooperantibus supra modum in eodem negotio viris egregiis hujus rei experientissimis domino Leodiensi & Friderico comite de *Meurs*, fratre dicti archiepiscopi, qui insuper amitam præfati ducis habuit in uxorem.

Ager Nurembergensis & oppida devastantur.

Item eodem anno marchio Brandeborgensis, burgravius Nurembergæ, invidens, ut putabatur, felici successui & divitiis communitatis Nuremburgensis, quæ fere universa castra & dominia vicinorum militarium aut emerat aut impignoraverat, associatis sibi domino de *Wirtzem* & aliis quamplurimis optimatibus Alemanniæ, connivente etiam, uti famabatur, Romanorum rege Friderico, vastare cœpit, incendere & deprædari villas campestres & loca vicina Nurembergæ. At ceteræ civitates & oppida Sueviæ, Olma, *Friburg*, Constantia, &c. verisimiliter metuentes ne simile quid paterentur a suis juxta poëtam. *Tunc tua res agitur paries cum proximus ardet*; sponte sua incenderunt suburbia & villagia, ne forte nobiles terræ, si forte obsidionem attentarent, victualia vel domos invenirent ibidem, quibus suos possent fovere & operire satellites, & saltem sub divo jacerent. Porro Nuremburgenses, conductis plurimis stipendiariis egressi, omnem fere terram inclyti domini de *Wirtzem* & cunctorum sibi lateralium procerum, simili modo destruxerunt, devastantes omnia & usque ad internecionem singula fere consumentes, in maximum detrimentum & incommodum totius pene Germaniæ. Adeo quod in anno futuro pauciſſimi peregrini, qui propter annum jubileum limina beatorum apostolorum Petri & Pauli visitare cœperant, per illam regionem ausi sint commeare, tum propter guerram & rapinam prædonum, tum propter victualium penuriam. Sed Alemanniam & Sueviam declinantes, per Franciam & Sabaudiam iter arripuerunt.

Discordia inter D. Leod. & D. de Argia.

Eodem anno nobilis baro Engelbertus *d'Anguien*, dominus temporalis de Morealmeis de *Rammereux*, &c. appellatus est ad annulum palatii per dominum Leodiensem, eo quod domum cujusdam homicidæ, sub dominio de Morealmeis sitam, nolentis secum componere super facinore admisso, comburi fecisset, asserens hoc sibi ex alto dominio competere. Verum dominus Leodiensis contrarium affirmans, sententiam suorum feodalium & vasallorum super his auditurus, omnes convocavit. Qui visis & investigatis rationibus utriusque partis, nullo discrepante, concordarunt in hoc, quod infra patriam Leodiensem, nullus, quantumcumque præcellens miles aut baro habet aut habere debet auctoritatem & potestatem comburendi domum aut mansionem cujusquam homicidæ, aut alterius sceleratæ personæ, præter dominum Leodiensem, cui soli & in solidum ratione alti dominii hæc sola auctoritas est permissa. Cumque dictus miles contra sententiam per feudales latam frivole sedem apostolicam appellasset, tandem domino Leodiensi suam causam indesinenter prosequente, tamquam contumax miles dominio suo de *Morialmeiz* juridice privatus est, & sua castra *Satour*, *Han*, *Morialmeiz* per dominum violenter saisita ac detenta, quousque post biennium, per interventum amicorum emenda condigna promissa, pax utrimque est resarcita cum gaudio multorum.

Amedeus a Basileensibus papa electus abdicat.

Insuper anno MCCCCXLIX. Christianissimi principes & illustrissimi domini, videlicet Carolus Francorum rex, Ludovicus filius ejusdem regis primogenitus delphinus Viennensis, Henricus quoque Anglorum, Renatus Siciliæ & Apuliæ rex, necnon Barrensis & Lotharingiæ dux, &c. ex intimis animi penetralibus compatientes statui Christianitatis, quæ sibi duo capita sive duos papas præfecerat, benigne aggressi sunt dominum Amedeum ducem illustrem Sabaudiæ, qui per Basileenses electus & erectus in sua obedientia Felix V. nuncupabatur, supplicantes eidem humiliter & instantibus precibus, ut ad ea quæ pacis sunt & unionis animum suum dignaretur inflectere, ac renuntiaret papatui ob animæ suæ salutem & totius Chri-

ſtiani populi commodum & utilitatem, ut ſic fieret ex eis unum ovile & unus paſtor. Quorum monitis & ſuaſionibus continuis inclinatus, pertæſus quoque laborum priſtinorum, tandem aures diu ſurdas accomodare diſpoſuit, ſperans ac proteſtatus, imo conteſtans eoſdem reges & omnes Chriſtianæ legis cultores & amatores, ut futuris temporibus hujus rei memores, auctoritatem ſacrorum conciliorum generalium pro viribus tueantur ac defendant, intervenientibus etiam certis pactis & conventionibus cum domino Nicolao per medium & interventum præfatorum regum initis ac contractis; requirens præterea, ut decreta omnia & ſingula, quæ in ſacro Baſileenſi concilio ſalubriter & diſcrete fuerant ordinata ac promulgata, per eumdem Nicolaum approbari & ratificari deberent, revocarentur item omnes proceſſus in ſuppoſita prædicti concilii facti, necnon excommunicationes & beneficiorum privationes in eoſdem fulminatæ. Quibus ſic, ut præfertur, obtentis, mox prædictus Felix tranſlato ſacro concilio a Baſilea in Lauſanam Sabaudiæ, plenarie, ſpontanee & integraliter abrenuntiavit papatui & omni juri quod in eodem ſibi competere prætendebat, data ſuper his bulla cujus tenor ſubſcribitur in hac forma.

[a] (a) FELIX epiſcopus, ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Litteræ Amedei quibus pugnum abdicat.

» Quas ob cauſas evocati & emoti curam » apoſtolici regiminis ſuſcepimus, toti ſæpe» numero manifeſtavimus orbi. Quamquam » enim imparitatem noſtrarum virium ad ſu» ſtinendam hujuſmodi oneris gravitatem ſen» tiremus; nihilominus, ubi univerſalis eccleſiæ » Baſileæ in Spiritu ſancto legitime congregatæ » pias exhortationes ſimul ac ſanctas miſſiones » accepimus, quibus ad ſuccurrendum auctoritati eccleſiæ ſuppreſſæ nimium inceſſanter » commonebamur, concaluit introrſum cor » noſtrum pietate, quæ ad omnia valet, & » caritate, quæ omnia ſuſtinet, animum frau» duloſum congeminantibus, atque confiden» tes in illo qui omnia poteſt, & de cujus age» batur negotio, tranquillam ſolitudinem re» liquimus, laborioſum & immenſum opus » aggrediendo. Namque immortali Deo nihil » placentius offerri exiſtimamus poſſe, quam » conatus noſtros in obſequium eccleſiæ, gran» dibus & inſuetis oppugnationibus conturba» tæ. Quid nempe condignum reddi poteſt ab » homine illi inclytæ matri noſtræ, cujus in » gremio fidelis quiſque ſalutem conſequitur, » propter quam unigenitus Filius Dei Deus » noſter & Dominus Jeſus Chriſtus de ſinu Pa» tris ad terras deſcenderat, & proprium ſan» guinem effundere dignatus eſt. Cumque ip» ſam videremus tantis perplexam anxietati» bus, ut nullus mortalium ab exhibitione poſſibilis auxilii deberet excuſari, profecto, cogente fide, excitante devotione, ſpe denique in finem optime ducendarum rerum freti, perſonam, operas, facultateſque noſtras ex integro devovimus.

Aderat namque tempus quo ab omnibus vehemens debebat reſtingui incendium, & tanto validiori fortiorique præſidio opus erat, quanto ſacrorum conciliorum generalium auctoritas fortius agitata, non modo fluctuaret, ſed quaſi conculcata proſtrataque jaceret. Non enim exciderat a memoria noſtra ſacri Conſtantienſis concilii nulla umquam oblivione delenda definitio, quæ videlicet ſancta ſynodus in Spiritu-ſancto legitime congregata, concilium generale faciens, eccleſiamque catholicam militantem repræſentans, poteſtatem immediate a Chriſto habet, cui quilibet, cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi papalis exiſtat, obedire tenetur, in his quæ pertinent ad fidem, exſtirpationemque ſchiſmatis, & ad generalem reformationem eccleſiæ Dei in capite & membris. Satis etiam & recenter editum decretum ſacri concilii Baſileenſis audiebamus, hanc veritatem reſumendo confirmans, conſpiciebamus non minus eamdem ab eccleſia catholica ſuſceptam & practicatam eſſe.

Proinde ſatagentes graviſſimis & abhorrendis periculis poſſe tenus obviare, ac oſtendere cunctis fidelibus rectitudinem noſtræ, Deo inſpirante, voluntatis, quod non caducorum futiliumque bonorum, ſed communis ſalutis affectu commoti, eamdem ſedem apoſtolicam teneremus; non præeſſe, ſed prodeſſe cupientes, in ſancta ſynodo Baſileenſi perſonaliter comparere voluimus, ſubireque communes pro ſalute publica labores.

Cumque nobis in temporis proceſſu luculenter exploratum foret, diſſenſionis & differentiæ materiam in eccleſia ſancta Dei magis ac magis obdurare; dubitantes ne a quovis hominum de ſcandalo notari poſſemus; oblationes multas & grandes regibus ac principibus orbis deſtinare curavimus; ex quibus quidem animadvertere potuerunt, nos propria non quærere, ſed quæ Jeſu Chriſti, ac publicam pacem; neque umquam a formis modiſque a patribus, dum ſchiſmata vigerent, pro unitatis & pacis obtentu traditis, & practicatis divertere, liberiori apertoque animo ſemper acquievi omnibus & ſingulis, quæ ad ſerenitatem redintegrationemque eccleſiæ judicata fuerant quomodolibet opportuna: atque longe ferventiori ſtudio laboravimus & invigilavimus per noſtrarum ceſſionis & renuntiationis medium, diſſectos, diſtantes animos Chriſti fidelium counire, quam in ſede potentiæ, manente ſchiſmate, diutius immorari. Non enim ignoramus ſchiſmatis incommoda mortifera. Scimus etiam Chriſtianam religionem a pacis auctore fundatam, ſine pacis vinculo damnoſæ

(a) Has Felicis V. ſive Amedei litteras fere integras edidit Reinaldus.

» confuſioni ſubjacere. Cumque pax omnium
» rerum tranquillitas ſit, & ea nihil gratius
» ſoleat audiri, nihil deſiderabilius concupiſci,
» nihil poſtremo melius inveniri, debito filia-
» lis aſtringebamur pietatis, ipſi matri eccle-
» ſiæ luctuoſæ venuſtatem, jucunditatem, in-
» tegritatem, unionem & pacem extrema poſ-
» ſibilitate curare; quantumque pro hujuſmodi
» excelſi & deſideratiſſimi boni conſecutione
» perſeveranter ac indefeſſe laboravimus apud
» ipſos reges & principes, ceteroſque fidelés,
» & noſtris accuratiſſimis diligentiis, multi-
» pliciumque litterarum tenoribus totus fere
» cognovit orbis.

» Nunc igitur ut ſemper conſtituti ſub ineſ-
» fabili incomprehenſibilique providentia Dei
» omnia diſponentis & dirigentis in melius,
» poſt acerrimos continuoſque labores, quos
» ſolius veritatis manifeſtandæ auctoritatiſque
» generalium conciliorum conſervandæ gra-
» tia voluimus amplecti, maxime poſt cariſſi-
» morum in Chriſto filiorum Francorum, An-
» gliæ & Siciliæ regum, necnon delphini Vien-
» nenſis, primogeniti Francorum regis illu-
» ſtriſſimi, ſupplices frequenteſque inſtantias,
» quorum ſaluberrimis ſuaſionibus intentas
» ſemper commodavimus aures noſtras, om-
» nes cogitatus per orbem diſperſos in arcem
» unicæ conſiderationis reducimus, deſideran-
» tes namque toto corde, in hoc dierum no-
» ſtrorum reſiduo, beatam pacem in eccleſia
» Dei diſſeminari, quæ veluti a noſtris egreſſa
» manibus, in corda omnium fidelium dila-
» batur, ſinceritatem noſtræ intentionis per
» ævum reſtauratam, exemplo Domini noſtri
» Jeſu Chriſti, qui ſic dilexit eccleſiam, ut
» pro ea non modo formam ſervi acciperet, ſed
» traderet ſemetipſum; in hac ſancta ſynodo
» Lauſanenſi in Spiritu legitime congregata,
» univerſalem eccleſiam repræſentante, pure,
» libere, ſimpliciter, ſincere & realiter cum
» effectu; in nomine Patris & Filii, & Spiritus-
» ſancti, papatui, ejuſdem oneri, honori, di-
» gnitati, titulo & poſſeſſioni cedimus & renun-
» tiamus per præſentes, ſperantes quod in fu-
» turum præfati ceterique reges ac principes,
» prælati & alii catholici, quibus hujuſmodi
» noſtram renuntiationem acceptiſſimam fore
» judicamus, auctoritatem ſacrorum concilio-
» rum generalium, eaque tuebuntur & defen-
» dent, quodque univerſalis eccleſia, pro cujus
» dignitate, ſuperominentia, & auctoritate to-
» tis viribus pugnavimus, nos apud clemen-
» tiam primi & æterni paſtoris, noſtræ hujus
» pacificæ humilitatis contemplatione, ſuis de-
» votionibus jugibuſque orationibus commen-
» dabit. Datum Lauſanæ VIII. idus Aprilis,
» anno a Nativitate Domini MCCCCXLIX. pon-
» tificatus noſtri anno nono.

Facta autem hac renuntiatione per domi-
num Felicem V. in ſua obedientia nuncupa-
tum, dominus Nicolaus V. volens adimplere
conventiones, quas per interventum ſupradi-
ctorum principum inierat, revocavit omnes
cenſuras eccleſiaſticas per ſe & prædeceſſo-
rem ſuum Eugenium in Baſileenſes fulmina-
tas, ratificans & approbans ſingula & omnia
decreta pridem in Baſileenſi concilio ordi-
nata, per hæc verba.

Nicolaus epiſcopus, &c. Ad perpetuam «
rei memoriam. «

Ut pacis, qua nihil deſiderabilius, in uni- «
verſali eccleſia ampliſſime diffundatur, & «
perduret ſerenitas, &c. *uti apud Bzovium.* «

Sacroſancta ſynodus Lauſanenſis, &c. ad «
perpetuam rei memoriam. «

Multis ab annis circumſpiciens eccleſiam «
catholicam graviſſimis impetibus & contur- «
bationibus infeſtari, cum conſurgentibus «
erroribus, &c. *uti in Spicilegio & apud Lab-* «
beum. Datum Luſanæ in ſeſſione publica ſo- «
lemniter celebrata 13. cal. Maii anno Domini «
milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo «
nono. «

Igitur ad inſtantiam regum præfatorum
complanato negotio, cedente Felice, unio
ſanctæ matris eccleſiæ per univerſa mundi
climata cum maxima jocunditate ſubſecuta
eſt. Hi qui utrique concilio, Baſileenſi ſcili-
cet & Lauſanenſi intererant, ad propria
redierunt, Nicolaus autem papa V. unicus,
ſolus & indubitatus, in urbe Romana tran-
quille commoratus, apud S. Petrum ſolium
& manſionem ſibi elegit.

Anno Domini MCCCCL. quia juxta legem Carolus VII. Francor. rex Anglos pellit Normannia.
Moſaïcam, per ſepties ſeptem revolutos an-
nos jubilæus nuncupari juſſus eſt, regnum
Francorum, quod jam per annos circiter 34.
graviſſimo Anglorum premebatur dominio,
diſpoſitione divina pauliſper reſpirare cœpit.
Nam Carolus Francorum rex humilis ac Deo
devotus, ſtipatus auxilio baronum Armori-
canorum, cum exercitu magno ingreſſus du-
catum Normanniæ, ſubjugatis primum non-
nullis oppidis, cœpit obſidere Rothomagum, civitatem primariam ejuſdem ducatus, & opulentam nimis, ex frequenti duorum regnorum commercio. In qua pro tunc ſtatio Anglorum fortiſſima fuerat conſtituta, una cum principe militiæ ejuſdem gentis, cui nomen erat *Tallepot*, crudeli nimis & belligeratore experientiſſimo. Extemplo Francorum proceres ſine ſanguinis effuſione per favorem civium, qui jugum Anglorum duriſſimum diutius æquanimiter tolerare non poterant, intromiſſi ſunt ex inſperato, fugientibus Anglicis in munitionem, de qua tandem ſub certis conditionibus ac pactis abire permiſſi ſunt. Conſequenter & abſque mora ceteræ civitates & oppidula præfati ducatus, *Hondefleur*, Cadomum, & ceteræ, quædam violenter, quædam favorabiliter & gratioſe regis gratiæ ſe tradiderunt, in tantum quod infra unius anni circulum quicquid citra mare Britannicum Angli per multos annos in manu forti ſine contradictione poſſe-

derant, fere ex integro irrecuperabiliter amiserunt, quod non ſine providentia Dei contigiſſe putandum eſt, qui in veteri teſtamento per Moyſen ſtatuit in anno jubilæo unumquemque ad ſuas avitas redire debere poſſeſſiones.

Cruenta Francorũ victoria de Anglis.

Verum apud *Froungni* Francis cruenta valde ſucceſſit eo tempore victoria, ubi in quodam acerrimo conflictu corruerunt ex Anglis tria millia ſeptingenti ſeptuaginta quatuor; armati vix mille turpi ſe fugæ commiſerunt, captivi ducti ſunt circiter mille ducenti, quorum capitanei dicti ſunt dominus Thomas *Kyriel*, Henricus *Norberi*, Thomas *Druc*, Thomas *Cricqueby*, Laurentius *Rameſort*, Chriſtophorus *Abretton*, Helias *Alaricourt* & ceteri complures. Interfuerunt huic certamini proceres Francorum conneſtabularius dominus de *Laval*, dominus Clarimontis, dominus admiraldus, ſeneſcallus Pictavienſis, Jacobus comes S. Pauli de *Montgaſcon* & frater ejuſdem, & alii in numero copioſo. Et quia juxta ſermonem evangelicum, *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet*, non eſt mirandum ſi Anglici, dudum Francorum victores, ab eis nunc victi ſunt, cum inter eos de primatu regni tunc diſceptatum ſit, aſſerentibus quibuſdam regem eorum Henricum merito depellendum a regimine, utpote inertem & imbellem, ceteris erigere volentibus in regem ducem Eboracenſem, qui verus ſucceſſor & propinquior heres fuerat regis Richardi, dudum ab Henrico rege, pridem duce Lencaſtriæ violenter & injurioſe peremti. In quo quidem diſſidio Anglorum cum ita ſint immutati & vires attritæ, ut qui nuper exterorum fines tollere & invadere conſueverant, jam regionis propriæ fines ab exterorum invaſione tutare nequaquam voluerint. Nam hoc eodem anno rex Scotorum, hoſtis Anglorum perpetuus & immortalis, ſicuti & prædeceſſores ejus, regnum eorum cum multo comitatu pervadens, prædam ex eis hominum & pecorum ſecum traxit ingentem, cæſis & peremtis ex eis multis millenariis.

Eodem anno ſupradictus Scotiæ rex duxit in uxorem filiam ducis Ghelriæ, formoſam juvenculam, cujus erat avia duciſſa Clevenſis, ſoror Philippi ducis Burgundiæ & Brabantiæ.

Comitatus de Salmis incendium & vaſtatus.

Comitatus de Salmis per comitem *Blanckenheim*, dominum de *Riverſteit*, dominum Nitardum de *Bilgrem* mareſcallum terræ Juliacenſis & alios quamplures, totus fere combuſtus eſt & devaſtatus, exceptis caſtro & oppidulo, 24. die Septembris.

Florinenſis eccleſia, quæ præ nimia vetuſtate minabatur ruinam, hoc anno de novo reparata eſt uſque ad medium chori, ſub abbate ejuſdem monaſterii Carolo de *Crehen* jam veterano.

A Eodem anno præ multitudine peregrinorum confluentium ad urbem Romam ab extremis finibus terræ, graviſſima peſtis epidemiæ afflixit totam Italiam & aliquas regiones tranſalpinas, ita quod paſſim per agros & compita viarum neceſſe erat eoſdem foſſa modica terra tumulari. Quamobrem aër circumcirca ex cadaverum fœtore non parum corruptus eſt. Plures etiam de familia domini papæ, & aliquanti cubicularii eadem peſte percuſſi interierunt, unde papa nimium exterritus, aliquanto tempore aufugit ab Urbe, nunc unam nunc aliam quærens civitatem, qua peſtem vitaret. Peſtis graviſſima in Italia graſſatur.

B Eodem anno, menſe Julio, ingens tempeſtas fulminis, grandinis & imbrium, veniens a plaga meridionali, circa initium Hannoniæ & Brabantiæ Gallicæ cœpit, & intermiſcentibus ſe ſpiritibus ſatanæ, certavit omnem fere comitatum Namurcenſem circa Sambram, indeque progrediens uſque Haſbaniam, & circa fluvium Jecoram, maxima intulit damna, quaſſatis frugibus, quæ jam fere ad maturitatem pervenerant, & nullo uſui amplius profuerant, niſi forte porcinæ, ovinæ & beſtiarum reliquarum impinguationi. Nihilominus eodem anno modius ſpeltæ menſuræ Leodienſis vix vendebatur pro ſeptem albis denariis Flandriæ, dictis *aydans*, quorum viginti vix valent unum florenum Rhenenſem. Gravis tempeſtas.

C Eodem anno Nicolaus papa V. ſuorum prædeceſſorum ſummorum pontificum Clementis VI. & Gregorii XII. inhærens veſtigiis, ab omni jam tumultu quietus, Romæ reſidentiam faciens perſonalem, per univerſa Chriſtianorum regna bullas & litteras deſtinavit ſpeciales, invitans omnes ad indulgentiam plenariam omnium peccaminum in urbe Roma conſequendam, in anno jubilæo ſcilicet dumtaxat ſolitas publicari. Quam ob cauſam de extremis Chriſtianorum finibus innumerabiles illuc, velut arena quæ eſt in littore maris, [confluebant;] adeo ut ex fœtore morientium, nedum per Italiam, verum etiam trans Alpes, tanta mortalitas ac peſtis ſubſecuta ſit, ut per compita & itinera ſuperjecto permodico pulvere, relinquerentur cadavera mortuorum inhumata. Præſertim intra Romana mœnia plerique cardinales & egregii viri de familia ſummi pontificis ex hac clade percuſſi ſunt; ipſomet papa in locis ſalubribus nunc hinc nunc inde per caſtella fugiente, vix valente ſalvari, Domino eum præſervante, ad totius Chriſtiani populi commodum ac ſalutem. Quarum quidem litterarum tenor hic excerptus eſt de verbo ad verbum, & inferius plenarie annotatus in hunc modum: Jubilæum.

D Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Immenſa & innumerabilia ſunt Dei miſericordiæ munera, &c. Datum Romæ apud

ſanctum Petrum, anno Nativitatis Dominicæ MCCCCXLIX. 14. cal. Februarii, pontificatus noſtri anno ſecundo.

Anno MCCCCLI. feſtum Paſchæ evenit ipſo die Marci evangeliſtæ, & ſic conſequenter feſtum Sacramenti in ipſa feſtivitate S. Johannis-Baptiſtæ; ſicque de neceſſitate tranſlatum eſt feſtum B. Johannis-Baptiſtæ ad ſextam feriam ſubſequentem, & jejunatum eſt in profeſto Sacramenti, quod a die inſtitutionis feſti Sacramenti uſque in annum illum numquam viſum eſt, ut aliquando patere poteſt in compoto cyrometrali plenius inſtirutis & expertis.

Tempus vernale hujus anni minus erat pluvioſum, unde veriſimiliter timebatur frugibus terræ ne poſſent ad maturitatem pervenire.

Indulgentiæ Burgundo & ſuis datæ.

Eodem anno Philippus dux Burgundiæ & Brabantiæ, &c. impetravit a ſede apoſtolica eamdem gratiam ſeu remiſſionem peccaminum poſſe obtineri in Machlinia, qualis in præcedenti anno concedebatur peregrinis in urbe Roma, duraturam ſpatio quatuor menſium, videlicet a fine menſis Aprilis uſque ad finem Auguſti menſis, [& ab inde uſque ad calendas Novembris ſunt prolongatæ.] & hoc dumtaxat pro ſe & ſua familia, necnon & incolis omnibus ſub ſuo dominio vel protectione commorantibus, vel illuc aliqua ex cauſa interim ſua domicilia transferentibus, qui tranſacto anno aut per ſenium, aut corporum debilitatem, aut aëris intemperiem, aut itineris longitudinem, aut aliam quamlibet legitimam excuſationem Romæ peregrinari non valebant, dum in truncis Machliniæ reponerent quartam partem expenſarum, quas in ipſa peregrinatione Romana, ſecundum exigentiam ſtatus ſui expendere debuiſſent. Poſtmodum hæc taxa expenſarum moderata eſt, & conſcientiis omnium commiſſum, quantum quilibet de ſua voluntate conferre vellet; ſicque infinitus illic populus dicitur conveniſſe.

Baronia de *Horne* comitatus titulo inſignitur.

Eo tempore nobilis vir Jacobus dominus terræ de *Horne*, regreſſus a peregrinatione Jeroſolymitana, impetravit a Friderico Romanorum rege, ut patria ſua de *Horne*, quæ uſque ad tempus illud tantummodo baronia fuerat, de cetero foret comitatus, & ex hinc & deinceps nuncupatus eſt comes de *Horne*.

Blaviã capiũt Franci & Ebromagum.

Per idem tempus Franci obſidentes Burdigalam, duo fortiſſima ceperunt in Gaſconia ſatis vicina loco ſupradicto oppida, quorum unum dicebatur Blavium, alterum *Berch*. Paulo poſt Britones Armoricani & Normanni jam confœderati, ſumtis circiter 60. navibus onerariis, omni armorum & armatorum genere farcitis, ingreſſi ſunt Angliam per ſpatium duodecim leucarum, terram illam penitus ferro & gladio devaſtantes, prædamque magnam exinde reportantes, nemine prorſus eis obſiſtente.

Eodem anno in menſe Junio caſtra de *Hierge* & *Wierff*, quæ parum diſtant a Dionanto, coruſcis & tempeſtatibus graviter ſunt attrita, turres & aulæ conquaſſatæ. Sed & Valenchenis oppidum Hannoniæ, interruptis & confractis aggeribus Scaldæ fluminis ex impetu & vehementia aquarum, infinita ſuſtulit damna, domibus multis graviter, tam ex tonitruo quam aquis Scaldæ confractis. In Brugis oppido Flandriæ, ex ictibus grandinis omnes fere feneſtræ vitreæ contritæ ſunt & confractæ: quarum valor ad multa millia florenorum poterat æſtimari. Similiter in *Schiedamme* oppido Hollandiæ ex coruſcis & fulgure combuſta eſt turris hoſpitalis & porta una oppidi. Tempeſtates variæ & fulgura, Scaldis inundatio.

Eodem anno in menſe Auguſto deceſſit a ſæculo illuſtris femina Elizabeth duciſſa Lutzemburgenſis, filia domini Wenceſlai quondam Romanorum regis, quæ duos illuſtriſſimos habuit ſucceſſive maritos, videlicet Antonium ducem Brabantiæ, Lymburgiæ, &c. Secundo, dominum Johannem de Bavaria ex illuſtri ſcilicet Romanorum, Bavarorum, Bohemorum, Francorum & Anglorum regum ſanguine procreatum, quondam in Leodienſem epiſcopum electum; quæ poſt mortem ſecundi mariti patriam ſuam ab hoſtili incurſu, utpote mulier, non valens defenſare, vicariam ſuæ terræ, pro certa penſione vitali vendidit illuſtri principi Philippo duci Burgundiæ, Brabantiæ &c. Elizabeth duciſſa Luxemburgenſis obiit.

Burdegala civitas Aquitaniæ poſt longiturnam obſidionem præhabitis certis pactis & tractatibus, tradita eſt regi Francorum, poſtquam ab Anglicis poſſeſſa eſt per annos centum circiter & ſexaginta. Burdegalæ civitatis Franci recipiunt.

Hoc anno in menſe Auguſto exercitus regis Francorum obſedit Bayonam civitatem rebellem, & cum in craſtinum fieri debebat inſultus ad oppugnandam eam, ecce nubes obſcura circumvallâvit civitatem totam, in cujus medio viſa eſt clara die crux candida magnæ quantitatis, & in cruce imago hominis palmis extentis & pedibus affixis, ita ut non dubitaretur eſſe Jeſus pro noſtra ſalute in cruce appenſus. Diſparente cruce & crucifixo poſt ſpatium dimidiæ horæ viſum eſt ſcutum de azuro vel blavii coloris, in quo viſa ſunt lilia pulcherrimi coloris, immo omnem pulchritudinem ceterorum liliorum tranſcendentia. Quo viſo miraculo, confeſtim cives humiliter ſe regi Francorum ſubdiderunt, veniam de rebellione poſtulantes. Quos rex benigne & miſericorditer ſuſcepit, agens Domino gratias ſuper mirabilibus quæ oſtendit ei. Et Bayonam.

Autumnus hujus anni calidior fuit æſtate, Julius totus pluvioſus; quapropter meſſis tarda, vindemia vix in fine Octobris. Nix altera Lucæ evangeliſtæ cecidit ſuper botros, vindemia vix incœpta.

Eodem anno a ſede apoſtolica directus eſt ad

Cardinalis de Cusa legatus in Germania monasteria passim reformat.

ad partes Germaniæ quidam cardinalis titulo S. Petri ad vincula, cui nomen de Cusa, supra Mosellam ex territorio Trevirensi oriundus. Hic circata maxima parte Alemanniæ, videlicet Austria, Saxonia, Franconia, Westphalia usque ad Daventriam, multis circumcirca monachis & sacerdotibus sæcularibus ac canonicis ad regularem tramitem reductis, venit Ultrajectum, ubi similiter reformato monasterio S. Pauli ordinis S. Benedicti, abbate deposito, & novo de ordine regularium substituto; emendato quoque in multis egregio monasterio Egmondensi, & salutaribus ordinationibus inibi statutis; subsequenter per Ghelriam venit ad Trajectum supra Mosam; abinde processit ad monasterium S. Trudonis, in quo religiosos ad observandum tria vota substantialia compulit, & abstinentiam carnium, quarum tamen ministrationem conscientiæ ac discretioni sui superioris per omnia submisit.

S. Trudonem visitat.

Linnis, Herkenrodam, Milenii, &c.

Consequenter monasteria dominarum de Linnis, de *Herkenrode*, de *Milen* &c. visitavit, ipsisque ultra tria vota necessario requisita, clausuram perpetuam sub pœnis & censuris gravibus injunxit, reclamantibus semper & reluctantibus muliebri more monialibus, utpote aliter a pueritia educatis.

Venit Leodium.

Demum 13. Octobris, quæ erat quarta feria, per Tungrim venit Leodium, cui ad portam S. Crucis occurrit clerus Leodiensis, exclusis religiosis, a quo satis honorifice receptus est & hospitatus in palatio episcopali. In crastino missam celebravit in ecclesia majori reverenter & devote, convocans ad sextam feriam omnes canonicos & capellanos civitatis in sacris ordinibus constitutos, ut interessent collationi per eum faciendæ. Porro summo mane diei illius, dum dominus Leodiensis suumque venerabile capitulum una cum decanis secundariarum ecclesiarum colloquia multa & longa cum eodem domino legato miscuissent, vertebant in dubium an sua legatio se protenderet ad ecclesiam & civitatem Leodiensem, attento quod non haberent idioma Teutonicum. Illo affirmante Leodienses a sua legatione non exclusos, sine concordia discesserunt ea vice, & fermo est intermissus, asserentibus tamen omnibus, quod libenter & non coacte seipsos reformare vellent, adeo ut multi suas focarias ac pellices ex tunc rejicerent indilate in signum correctionis repromissæ. Videns autem legatus se pro voto non admissum Leodii, ubi mira circa reformationem cleri & populi facere prætendebat, sabbato sequenti, relicta civitate, secessit ad domum Carthusiensium, illic per triduum remoratus. Cumque intermedio tempore dominus Leodiensis & aliquanti viri ecclesiastici secum colloquia miscerent de diversis negotiis ecclesiæ, suaque legatione, nec tunc quoque possent convenire in parilitate opinionum, inflignatus nimium, tertia feria sequente versus *Lutzemborch* iter arripuit, ubi ad quintam feriam subsequentem Philippus dux Burgundiæ omnes militares & consules ac primores oppidorum terræ ipsius, de negotiis patriæ cum eis contracturus, fecit convocari.

In Saxoniam.

Nec prætereundum reor quod sæpedictus legatus veniens in partibus Saxoniæ ad oppidum dictum *Wilznake*, ubi a longe retroactis temporibus venerabatur celebriter Sanguis Jesu Christi, quem incolæ loci in tribus guttis sanguineis peregrinis illic confluentibus soliti erant ostendere quæstus & lucri causa, ipse, facto scrutinio diligenti, comperit totum esse fictitium, vel potius, juxta quorumdam assertionem, primum Sanguinem miraculosum ex lapsu temporis evanuisse; sed ne concursus & quæstus eorum deperiret, renovatum vel per cruorem leporinum, vel de digitis humanis elicitum; mandavitque statim sub pœnis & censuris terribilibus incolis loci, ut monstrantiam illam recluderent, nec cuiquam de cetero ostendere præsumerent, quem eo tenore quasi idolatrare facerent. Omnes vero qui se devoverant peregrinationis causa locum ipsum visitaturos, absolvit a voto, aliis pro hoc pœnitentiis aut viagiis injunctis, ut ecclesiæ parochiali sub qua degerent unum aureum, pauperibus quoque similiter unum in eleemosynam contribuerent.

Ejus eruditio & industria in agendo.

Prænotandum est etiam quod hic legatus in adolescentia præter linguam maternam & Italicam plene & perfecte didicit idioma Græcum, Hebraïcum & Latinum. Cum igitur esset vir industrius & activus valde, in primis factus est canonicus & decanus S. Florini in Confluentia. Inde cum longa simultas & concertatio detestanda succrevisset inter dominum Eugenium & Basileenses, quibus aliquantæ provinciæ Alemanniæ cum electoribus imperii multo tempore cohæserant, iste ascendens ad diætam Nuremburgensem, ad quam Fridericus nuper electus in regem Romanorum, cum ambassiata utrarumque partium convenerat, facta collatione in vulgari, principes universos pene in favorem & adhæsionem Eugenii reflexit. Quamobrem adeptus non immerito gratiam ejusdem papæ, in recompensam laborum suorum præbendas & dignitates multas ab eo suscepit, factusque est præter cetera archidiaconus Brabantiæ in ecclesia Leodiensi, subsequenter per Nicolaum v. factus est cardinalis & episcopus Brixiensis, & deinde legatus in Alemanniam, ut præmisi.

Pestis Colonia.

Eodem anno MCCCCLI. pestis gravissima grassata est intra Coloniam Agrippinam, unde in eadem civitate, ut famabatur, veridice defuncti sunt utriusque sexus plus quam triginta millia hominum, parvulorum, mulierum & virginum.

Item apud Gandavum oppidum Flandriæ

Conjuratio Gandavi detecta.

pergrande in vigilia Omnium-Sanctorum comprehenſi ſunt duo viri, qui tormentis addicti, tandem faſſi ſunt, ſe oppidum ipſum cum aliquantis complicibus debuiſſe incendere vel conflagrare in quatuor angulis ejuſdem, in profeſto Martini ſequenti, quando omnis populus jocundam agit celebritatem: ita ut concurrentibus oppidanis ad extinguendum ignem, quicumque ſignum vel clamorem ſtatutum ignoraret, mox aut caperetur aut jugularetur. Sed omnipotens Deus malignorum non permiſit propoſitum prævalere: quin immo nonnulli factionis conſcii de his accuſati ex primoribus civibus ſententiam capitalem ſubierunt. Quis autem fuerit primarius ejuſdem factionis promotor vel inſtigator, multis vertitur in dubium. Affirmant nonnulli cauſam vel originem factionis fuiſſe ſalinam vel tributum ſalis, quod dux Burgundiæ a Gandenſibus exigebat, qui tamen in hanc nullis viis aut modis, precibus aut minis potuerunt ſolvendam induci, quod proceribus nonnullis ex aliena vivere quadra ſolitis graviter diſplicebat; aliis alias origines & cauſas hujus rei aſſignantibus. Sed Dominus ſolus novit corda filiorum hominum.

Synodus Colonienſis.

Anno MCCCCLII. legatus ſupradictus apud Coloniam Agrippinam ſynodum epiſcoporum, qui ſub metropoli Colonienſi degunt, convocavit. Miſſis autem ex diverſis epiſcopatibus quamplurimis egregiis viris, circa capitula concernentia ſtatus eccleſiaſtici reformationem, decreta ſunt ordinata, eorumdemque executio diœceſanis epiſcopis commiſſa: ſed modicus fructus ex hinc eſt ſubſecutus, inimico generis humani ſemper opera virtuoſa prohibente & impediente.

Fridericus Roman. rex ſecundam & tertiam coronam Romæ accipit.

Item eodem anno Fridericus Romanorum rex aſſociatis ſibi multis optimatibus imperii procedens verſus urbem Romam, aſpiravit ad ſuſcipiendam coronam imperialem. Inter quos optimates erat Landiſlaus Hungariæ, Bohemiæ, &c. rex, pulcherrimus adoleſcens, necnon & Albertus dux Auſtriæ, frater domini Friderici regis, dux Sleſiæ, dominus de *Meidenburch*, potens & dives multum. Venit inſuper in ejus comitatu domina Leonina, filia regis Portugalliæ, conjux imperatoris futura, cum comitiva decenti. Numerus autem omnium æſtimatus eſt ad quinque vel ſex millia hominum. Cum igitur feria quarta poſt *Reminiſcere*, dominus Fridericus cum ſua comitiva circa crepuſculum noctis appropinquaſſet ad urbem Romam, iverunt ei obviam ſenator urbis & ſoldanus una cum nobilibus & conſulibus & electis urbis primo. Subſequenter omnes cardinales cum epiſcopis prælatis & doctoribus circiter ad unum milliare. A quibus magnifice & honorifice ſuſceptus eſt, & ductus ante Urbem, retro palatium S. Petri, juxta viam communem in campis in quibus dominus Nicolaus papa figi fecit decem tentoria, in quibus hoſpitati ſunt omnes fere magnates & ſatellites regis. Porro rex & regina, necnon & rex Hungariæ prædicti, hoſpitati ſunt illic in domo una nova cujuſdam Florentini recenter conſtructa. In craſtino præfatus Romanorum rex cum omni ſua comitiva ductus eſt in Urbem per portam S. Angeli per viam papæ uſque ad eccleſiam S. Petri, a clero univerſo cum crucibus, vexillis & ſanctorum reliquiis ſenatuque & populo Romano, ſanctiſſimo domino noſtro papa una cum toto collegio cardinalium eum ante januas eccleſiæ S. Petri expectante. In primis autem ad conſpectum ſummi pontificis perductus eſt inclytus adoleſcens Hungariæ rex, & ab eodem ob inſignem memoriam progenitorum ſuorum honorifice receptus. Subſequenter Fridericus Romanorum rex, & tertio regina, ſolemniſſime, prout moris eſt. Qui ſic, ut præfertur, recepti, ſucceſſive tamen a dicto domino papa & collegio cardinalium ad eccleſiam S. Petri ducebantur, & in palatio apoſtolico ſunt hoſpitati, in tribus tamen diſtinctis locis, ipſiſque quotidie neceſſaria vitæ in pane, piſcibus & vino, & ceteris requiſitis per papam juſſa ſunt miniſtrari. Deinde quinta feria poſt Dominicam *Oculi* prædictus Romanorum rex a domino papa in eccleſia S. Petri ſecundam recepit coronam, quam, ut puto, dux Mediolani ſibi præberi negavit. Mox idem ſummus pontifex regem & reginam illic deſponſavit & matrimonialiter copulavit, non obſtante tempore quadrageſimali. Tandem in ipſa Dominica *Lætare Jeruſalem*, rex & regina inunctionem ſacri Chriſmatis, ut moris eſt, a domino Hoſtienſi receperunt. Subſequenter idem rex imperium & coronam tertiam, adhibitis ſolemnitatibus ſolitis, quas interſerere longum foret, recepit a ſanctiſſimo domino noſtro papa. Inſuper & papa dedit imperatori roſam, quæ eo die nobiliſſimo principi, pro tunc præſenti, per ſummum pontificem dari ſolita eſt ante gradus eccleſiæ S. Petri. Abinde papa duxit imperatorem uſque ad caſtrum S. Angeli. Deinceps inter caſtrum prædictum & pontem Tyberis imperator novos milites creavit ducentos & octoginta unum. Quibus rite peractis, in ſtatu imperiali, cum inſignibus imperialibus quæ ante eum referebantur, videlicet pomo, ſceptro, &c. equitavit ad S. Johannem Lateranenſem cum tota comitiva, ſola imperatrice in palatio apoſtolico remanente. Illic quoque pranſus eſt, & circa noctem rediit ad palatium. Poſt aliquantulum temporis imperator greſſus ſuos verſus Neapolim direxit, volens ſuper quibuſdam negotiis imperii regem Arragonum pro tunc illic degentem, perſonaliter illic convenire.

Gandenſes bellum ſuo principi inferunt.

Ea tempeſtate Gandenſes, guerram contra ſuum ducem exercentes, ut præmiſſum

eſt, obſidere cœperunt oppidum Aldenardum, ſibi ad quinque milliaria vicinum, in quo fautores ducis incluſi fuerant. Cum autem non ſatis proſpere res ſucceſſiſſet, relicta obſidione, cum confuſione remearunt ad propria, aliquantis eorum in receſſu & quadam villa campeſtri locatis, peremtis. Deinde regreſſis eis in oppidum, ſuis capitaneis quatuor notam proditionis inculcare cœperunt, quos & ultima Aprilis omnes decollari fecerunt, ſubſtitutis aliis quinque de novo. Deinde prima Maii circa quoddam molendinum, non longe diſtans a Gandavo, durus conflictus habitus eſt inter armigeros ducis & oppidanos ſupradictos, ubi de utraque parte multi corruerunt interfecti. Item decima quinta Maii oppidum Zelandiæ cui nomen *Tölens*, prima die Rogationum fortuito penitus periit incendio, ſola eccleſia collegiata in eo remanſit intacta.

Obitus Everardi de Marka.

Eodem anno Everardus de Marka, de quo multa præfati ſumus, cum videret ſibi difficultates multas fieri de rehabendis fortalitiis ſuis *Rochefort* & *Agimont*, connivente ſibi tamen maxima parte popularium, præ nimia triſtitia decidit in ægritudinem, & mortuus eſt ſexto cal. Julii.

De bello Gandenſium.

Item in territorio de *Vaes*, quod eſt de extremis finibus Flandriæ verſus Antuerpiam, per ſpatium duorum menſium quamplurima facta ſunt certamina inter partes ducis & Gandenſium, in quorum uno peremtus eſt baſtardus ducis, nomine Cornelius, qui pridem ducatum Lutzemburgenſem ſtrenue & eleganter gubernaverat. Tandem circa initium menſis Julii prædictum territorium ex integro deditum eſt in manus ducis, non valens amplius tolerare inſultus hoſtiles tam frequentes, & tota illa regio igne ferroque devaſtata eſt. Sed & Gandenſes ex adverſo erumpentes in Hannoniam & Angiam, plurima damna finitimis intulerunt, incenderuntque villam dictam *Leſſin* & oppidum Geraldimontis; pridem ſpoliatum per Picardos; necnon & monaſterium ſolemne Ciſtercienſis ordinis, vocabulo *Bouwveloe*. Reſidua villagia combuſſerunt fautores ducis, videlicet *Axele*, *Moerbeke*, Borchus, & alia multa valde. Demum cum per interventum duorum oratorum regis Franciæ ambæ partes apud Inſulas oppidum Flandriæ ad tractandum de pace convenirent, & quædam conditiones pacis conceptæ fuiſſent, inſuper & ipſa res terminata pene videretur, dum conditiones præmiſſæ Gandenſibus nimis acerbæ & inhoneſtæ apparerent, quarum una erat, quod ipſi ſe faterentur peſſime & traditorie rebellaſſe & oppoſuiſſe domino ſuo ac principi, præmiſſis etiam humiliationibus & genuflexionibus fiendis per principales oppidanos eorum, &c. mox efferati ruperunt omnia quæ per arbitros fuerant ventilata. Deinde ipſa die exaltationis S. Crucis, exeuntes ſigniferi Gandenſium villam dictam *Hulſt*, quam fautores ducis intactam reliquerant, in favillas redegerunt, & poſt eadem facinora perpetrata, multa enormia perpetrarunt in diverſis locis.

Burdegala Anglis tradita.

Eodem anno Burdegala civitas primaria Aquitaniæ, quæ præterito anno redacta fuerat ſub jugo Francorum, cum cives quererentur ſe graviter opprimi *talliis* & exactionibus officiatorum regis, intromiſſo capitaneo Anglorum vocabulo *Tallepot*, iterum ſe reddiderunt ſub dominio Anglorum, multas cædes & enormia facinora committentes in capitaneos regis Francorum.

Gandenſes monaſterium *Eynam* comburunt.

Eadem tempeſtate in ſubſidium regis ſupradicti accerſitus eſt mareſcalcus Burgundiæ dominus de *Vergy*, deformis quidem corpore, ſed gnarus rei bellicæ & animoſus valde, cum equitatu circiter duorum millium, qui per ſingula oppida Flandriæ diſtributi ſunt & ordinati ad reprimendos inſultus Gandenſium, qui multa mala & damna inferebant finitimis. Horum aliquanti, præſertim in Aldenardo, deputati volentes ſibi facere nomen glorioſum, inter ceteros cum turma ſua venerunt uſque ad portas Gandavi: unde tamen fugere compulſi, cum retroceſſiſſent terga dantes in quoddam monaſterium ordinis S. Benedicti, vocabulo *Eynam*, vallo ſatis forti munitum, Gandenſes eos perſecuti, monaſterium præfatum incenderunt & plurimam ſtragem hoſtium inibi fecerunt, ceteris per fugam in Aldenardo vix ſalvatis. In aliquibus regionibus Europæ peſtilentia graviſſima multos conſumſit mortales, præſertim in oppido Trajectenſi ſupra modum, & in locis circumvicinis. Hyems nimium pluvioſa, gelu fere nulluma.

Conſpiratio adverſus papam, cardinales & Romanam curiam.

Anno MCCCCLIII. in urbe Romana nonnulli factioſi cum capitaneo ſuo Stephano porcario, contra papam & omnem cœtum eccleſiaſticum conſpirarunt. Propoſuerant ſiquidem in ipſa ſacra feſtivitate Epiphaniæ Domini, hora qua ſummus pontifex cum toto cœtu cardinalium & epiſcoporum præſentium miſſam celebraturus erat in eccleſia S. Petri, pariter conglobati cum mille & amplius armatis circumvallare eccleſiam ipſam, & pecorino more jugulare tam papam quam cardinales & epiſcopos, cunctoſque cortiſanos aut ſpoliare aut occidere, omneſque pariter conclamare debebant: Vivat populus & libertas; ac cum tali impetuoſo furore irrumpere eccleſiam ipſam, & quæ præmiſſa ſunt perpetrare. Verum omnipotente Domino fruſtrante factiones eorumdem, pleriqueex ſeditioſis comprehenſi ſunt, & incontinenti denudatis ſecretis eorum cavillationibus, ſeptem ex eis furcis appenſi ſunt & ad patibula condemnati.

Inſignis victoria Francorum in Aquitania.

Eodem anno 17. die Julii dum exercitus Francorum obſidere cœpiſſet Caſtellionem, oppidum ſitum in regione Burdegalæ, ſu-

pervenit capitaneus Anglorum, nomine *Talbot*, cum filio, viro potente & bellicoſo, ceteriſque magnatibus regni Angliæani, habentibus vexillum regis ſui & bannerium S. Georgii, &c. qui conabantur ſolvere obſidionem, & fautores ſuos incluſos liberare ab anguſtia. Cumque hinc inde circa horam nonam dici duriſſimum factum fuiſſet certamen per horam integram, finaliter ſuccubuerunt Angli, *Talbot* & filius ejus occiſi ſunt cum aliis 6876. Nepos *Talbot* captus eſt vivus cum aliis circiter ducentis. Vix duo millia fugæ præſidio ſe tradiderunt & ſalvati ſunt. Nonnulli in oppidum obſeſſum, aliquanti ad ſua navigia pervenerunt.

Conſtantinopolis expugnatur a Turcis.

Eodem tempore 29. die Maii rex Turcorum Machometus nomine, heres ſectæ & nominis illius primi perfidi Machometi, civitatem nobiliſſimam Conſtantinopolim, quæ olim dicta eſt Biſantium, expugnat, multoſque illic Chriſtianos Græcos, Latinos, Armenios, & Judæos trucidans, nonnullos vendidit in ſervos & ancillos. In eccleſiam quoque S. Sophiæ Turci deteſtanda commiſerunt flagitia. Primo crucem, quæ in faſtigio templi poſita fuerat dejicientes, deinde imagines ſacras & reliquias ſanctorum pedibus conculcantes, deinde per civitatem debacchantes, totam deſpoliaverunt, matronas & virgines Deo conſecratas ſtupraverunt, pecudum more eis abutentes. Quibus fœde peractis, eodem fere die ſubjugaverunt civitatem vicinam, quæ erat portus Januenſium, illic ſimilia committentes facinora; ibique conſtituto rectore civitatis & provinciæ, ad alias inſulas Græciæ ſe tranſtulerunt, exterminandi Chriſtiani nominis gratia, & tributa gravia terræ illi impoſuerunt. Denique præparat ſe idem Turcus cum infinito exercitu, ad ſubigendas ſibi tres urbes magnas, ſitas juxta Danubium, quarum unam nuncupamus *Peuſtern*, alteram Frendorobium, tertiam Bellogradum; & ſic proponit totam percurrere Hungariam; qua ſubverſa & vaſtata, decrevit intrare Italiam & occupare urbem Romam. Ad quod quidem opus præparat galeas parvas & magnas trecentas, naves magnas viginti pedeſtrium & equeſtrium plus 100000. Verum, ut ſperamus, Deus juſtus judex omnium mortalium, qui quos diligit caſtigat, nec relinquet virgam peccatorum, ſuper ſortem juſtorum, impediet omnes ejus conatus.

Et Pera.

Gravis ſtrages Gandenſium.

Item eodem menſe Julio dum dux Burgundiæ Philippus obſideret caſtrum dictum *Gaure*, per pridem occupatum & uſurpatum a fautoribus Gandenſium, conſeſtim oppidani Gandenſes conantes obſidionem ſolvere, ſuiſque complicibus afflictis ſubvenire, apum more oppidum exeunt, vexillis expoſis cum multitudine gravi, ſed indiſciplinata & artis bellicæ ignara. Tandem inito certamine, Gandenſes terga vertere cœperunt, & ab hoſtibus circumſepti, paſſim necabantur & in flumine vicino ſubmerſi ſunt ſperantes evadere manum hoſtilem. Eodem quoque die perierunt Gandenſium circiter decem millia. Quo rumore ad oppidum perlato, reſidui, præmiſſis nonnullis ceremoniis & genuflexionibus, pacem ſibi dari a duce poſtularunt & impetrarunt, intercedentibus religioſis viris circa & intra Gandavum commorantibus; ſicque intermediis pactis & conventionibus certis, pax ſine mora data eſt & recepta, ceſſavitque gravis illa patriæ Flandrenſis diruptio & deſolatio, quæ per menſes fere viginti continuata, regiones vicinas graviſſimæ ſubdiderat afflictioni.

Pacem imperatam dedit Burgundiæ.

Eodem quoque tempore dum præfatus dux Burgundiæ, ut præmiſſum eſt, ducatum Lutzemburgenſem manu valida gubernaret, aliquanti militares terræ præfatæ, faventes inconſulte plus regi Landiſlao, cui ex ſucceſſione materna ducatus ille competebat, rebellare cœperunt contra ducem, munientes aliquanta oppida & caſtra ducatus ſupradicti, ut puta, Rupem, Theodonis-villam, *Haſſalize*, Salmis, &c. Quibus dum ex adverſo ſuperveniſſet dominus Antonius de *Croner* cum Burgundis & Picardis & incolis regionis ejuſdem, dictos militares fruſtra ſuccurſum a rege Landiſlao præſtolantes, veniam poſtulare coëgit, ſubverſo tamen caſtro uno dicto *Wols*.

A quo deficiunt Lutzeburgenſes.

Eo tempore Florentini hoſtiles guerras habentes contra regem Arragonum & Bremenſes, mandaverunt ex Francia dominum Renatum ducem Barenſem & Provinciæ, &c. ſolo titulo quoque regem Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ; quæ quidem regiones per dictum regem Arragonum fuerant pridem occupatæ & aliquandiu poſſeſſæ, multaque damna tam Florentinis quam Senenſibus ex his guerris illata ſunt, & pleraque caſtella expugnata, nonnulla demolita. Terræ motus his diebus factus eſt Florentiæ, ex quo aliquantæ turres ſublimes & domus excelſæ paſſæ ſunt ſciſſuras irreparabiles. Camini domorum ultra duorum millia aut ſciſſi ſunt aut corruerunt. Duravit hic tremor 7. horis.

Bellum Florentinorum adverſus regem Arragonum.

Terræmotus Florentiæ.

Soldanus Turquiæ de quo præfati ſumus, nondum ſatiatus præmiſſis malis, cum ſcriptum ſit: *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper*. Hic, inquam, Turcus, expugnata Conſtantinopoli, ſubſequenter ſubjugavit ſuo imperio inſulam dictam *Chio*. Quam ob cauſam ſummus pontifex Nicolaus v. penultima Septembr. celebrans Romæ in pontificalibus conceſſit publicas indulgentias ſummas omnibus volentibus ſuccurrere Chriſtianis in angaria poſitis, videlicet pleniſſimam remiſſionem omnium peccaminum, induxitque omnibus habentibus beneficia, officia vel redditus eccleſiaſticos, ad hoc opus peragendum decimam partem omnium dictorum redditnum exſolvere.

Burdigala iterũ capiunt Franci.

Burdegala civitas Aquitaniæ eo tempore, post longiturnam obſidionem, rurſum recepta eſt a Francis, præmiſſis certis conditionibus & pactis.

Ladiſlaus rex Hungariæ.

Item Landiſlaus rex Hungarorum coronatus eſt Pragæ in regem Bohemorum. Vina hoc anno multum aggreſtia fuerunt & aſpera, vindemia vix facta circa feſtum ſancti Martini.

Philippus Burgundiæ dux, expedire vovet adverſus Turcas.

Anno Domini MCCCCLV. menſis Februarii die.... inclytus dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Philippus, condolens Chriſtianitati nimis per Turcos oppreſſæ, volens etiam ceteros reges & principes Chriſti fideles ad id negotium aſſumendum animare, poſt cœnam ſumptuoſiſſimam & ampliſſimam, exhibitam magiſtratibus qui apud Inſulas oppidum Flandriæ tunc convenerant, promiſit palam & claræ vocis oraculo vovit omnipotenti Deo quæ ſequuntur: In primis vovit quod in caſu quo placeret Chriſtianiſſimo Francorum regi Carolo tranſmarinare, ad ulciſcendum ſanguinem Chriſtianum, nuper injurioſe effuſum ab odioſis Deo Turcis, ipſe tamquam conſanguineus & vaſſallus ejuſdem regis, una ſecum pergeret, cum ſuorum armigerorum potentia pergrandi. Item in caſu, quo dictus rex præpeditus circa guerras Anglorum, nollet aut non commode poſſet regnum ſuum in tali articulo deſerere, vellet cum vice ſua mittere de latere ſuo aliquem principem egregium, delphinum videlicet, aut alium ejuſmodi regis vicarium belli ducem. Præterea in caſu quo nec hoc nec illud animo regis inſideret, ipſe tamen, ſuffragante Deo, proponebat opus conceptum adimplere; &, ſi facultas daretur, manu ad manum, tamquam verus Chriſti pugil, cum Turcorum ſoldano vel admiraldo confligere vel dimicare. Quo ſilente, unigenitus ejuſdem Carolus, vovit ſe patrem indilate comitaturum, & eamdem profectionem bellicam, Deo dante, ſe aggreſſurum. Pariformiter Gerardus dux Clevenſis, domini ducis Philippi ex ſorore nepos, comes quoque *d'Eſtampes*, nepos ex patruo & ſubſequenter aliquanti barones & magnates idem Deo promiſerunt, vita comite, ſe facturos. Sicque cum tripudio ingenti ſolutum eſt collegium illud nobilium tam famoſum.

Minorita ingreſſus oratur.

Eodem anno tempore quadrageſimali quidam de ordine fratrum Minorum, Geneſius nomine, Italicus natione circatis prædicationis gratia diverſis provinciis & regionibus, divertit Leodium, publicans ibidem certas indulgentias, datas auctoritate apoſtolica omnibus quicumque ſubvenirent regi Cypri graviter afflicto a Sarracenis. Poſt ſermones autem prædicti religioſi, burgimagiſtri & conſules civitatis ad hoc allecti ſunt, ut communi decreto proclamaretur ad peronem, quatenus uſurarii, tamquam prædones reipublicæ, a civitate repellerentur ante feſtum B. Johannis Baptiſtæ. Meretrices autem publicæ ex bipertito panno deferrent ſignum in veſte ſuperiori, ut a probis dominabus poſſent diſcerni. Roſſiani vero, qui in alias regiones ducentes puellas, illic eas vendunt, a patria proſcriberentur, illinc in perpetuum numquam redituri; & ſimilia multa contra adulteros, perjuros & copulatrices, &c. concepta fuerunt, quæ ſucceſſu temporis abolita ſunt, & in priſtinos mores revocata.

Nicolaus papa & cardinales pacem Italiæ conciliant.

Item, ea tempeſtate per medium domini papæ & cardinalium contra communem ſtylum & conſuetudinem per totam Italiam pax firmata eſt inter principes & communitates, Venetos, Januenſes, Florentinos, Senenſes, Mediolanenſes, & regem Arragonum cum gaudio omnium Chriſtianorum, ut ſic commodius occurrere poſſent & reſiſtere Turcis & Saracenis, qui multa jam loca Chriſtianorum occupaverant, tam in Aſia quam in Europa.

Johannes de *Glimes* illatã ſibi a ſubditis injuriam ulciſcitur.

Item, cum Johannes de *Glimes*, dominus temporalis de Bergis ſupra Zoniam in Brabantia, offenſus eſſet a nonnullis civibus dicti oppidi, aſſociatis ſibi peditibus & equitibus multis, ſecunda die menſis Junii violenter incubuit ſuper oppidum, invadenſque inpræmeditatos & in lectis ſuis dormientes, aliquantos captivavit, quos ſibi rebelles, ſuiſque ſcabinis & officiatis inobedientes fuiſſe compererat, & mox quatuor ex primoribus gubernatores miniſteriorum juſſit decapitari. Aliquanti per preces proborum virorum a carceribus ſunt relaxati, & ducenti fere per fugam elapſi, de violentia hujuſmodi conqueſti ſunt principalibus oppidis Brabantiæ, poſtulantes ſibi ſubſidium contra dominum ſuum præſtari, & de remediis opportunis in poſterum ſibi provideri, ſed parum aut nihil profecerunt, eo quod dominus Bergenſis domino duci intimus & amiciſſimus foret.

Preces Leodii pro ſerenitate aëris.

Item, eodem anno cum menſis Maius & Junius intemperatiſſimi forent & pluvioſi, & veriſimiliter timeretur vineis & frugibus a corruptione, quæ nec ad florem poterant pervenire. Tandem communi omnium eccleſiaſticorum & popularium decreto, 17. die menſis Junii indicta eſt celebrari miſſa ſpecialis in eccleſia Leodienſi cum proceſſione ſolemni, & præceptum ſub pœna excommunicationis, ut omnes artifices ab opere mechanico ceſſarent, & jejuni adeſſent, quouſque divina peracta fuiſſent myſteria. *Statimque ob* preces devotas placatus eſt Dominus terræ, & facta eſt poſt hæc aura gratiſſima & ſerena, quæ longo duravit tempore, ita ut omnia ad debitam pervenirent maturitatem.

Haberdinius Leodienſibus infeſtus.

Item, eodem anno quidam baſtardus comitis S. Pauli, dominus temporalis de *Haberdin*, aſſerens Leodienſes ſibi obnoxios in certa ſumma pecuniæ ſibi promiſſa, &c. captivavit tres cives Leodienſes, quorum unus

erat filius domicelli de *Argenteal*, alter aurifaber, tertius procurator curiæ. Super quo facto exasperatus episcopus Leodiensis, misit epistolas ad principes & communitates nonnullas spectantes ad dominium ducis Burgundiæ & Brabantiæ, cupiens certificari, an de eorum consensu vel conniventia facinus præfatum commissum foret, attento quod dominus dux eo tempore ad partes Alemanniæ pro certis negotiis profectus erat. Filius autem ducis, informatus per nuntios & epistolas domini Leodiensis, rescripsit se valde turbatum super facinore tam enormi, & velle se omnimode observare amicitiam & favorem cum domino & patria Leodiensi. Immo promisit se compulsurum dictum bastardum ad restitutionem liberrimam dictorum captivorum. Bruxellenses præcipue tantum practicaverunt, quod dicti captivi remissi sunt indemnes, & omnia eis prius ablata usque ad novissimum quadrantem sunt restituta. Nihilominus prædictus dominus de *Haberdin* de regno Francorum adduxit usque ad partes Hannoniæ stipendiarios equites circiter 4000. Ex adverso quoque præparati fuerant Tudinenses & qui morantur super ripariam Sambræ, fidenter expectantes adventum hostium. Verum ballivus Hannoniæ dominus Johannes de *Croyer* & frater ejusdem Antonius, rector comitatus Namurcensis, verisimiliter timentes destructioni terrarum sibi commissarum, non permiserunt hostes transire fines suos: immo comminabantur eisdem, quod nisi recederent a regione sua, ipsimet hostiliter invaderent eosdem cum auxilio Leodiensium. Sicque cum indignatione maxima & expensis gravibus exercitus ille hostilis recessit inefficax & inglorius, & terra quievit a præliis.

Facta sunt eo tempore fossata amplissima per totam Hasbaniam & comitatum Lossensem, ne forte inimici quicumque possent invadere in Leodienses in confiniis Hannoniæ, Namurci & Brabantiæ demorantes inpræmeditate; aut si forte hostes inopinate intrarent regionem, de facili non possent abire cum præda.

Duo competitores sedis Monasteriensis cruento prælio litem diriment.

Eodem anno mense Julio dum propter episcopatum Monasteriensem in Westphalia duo contenderent, videlicet Valerannus de *Meurs* frater archiepiscopi Colonensis, & alter nobilis ex sanguine dominorum *Vander Hoyen*, nec quovis modo ad concordiam possent induci; præsertim quia dux de *Brunswvick*, potentissimus in Saxonia, fovebat partem unius, & archiepiscopus Colonensis partem alterius; tandem utræque partes præfixo die comparuerunt in campo, & inito conflictu gravi, prævaluit pars Valeranni, & nobilis ille dux de *Brunswvick* cum multis aliis nobilibus captus est in bello, & multi ex utraque parte sunt occisi, &c.

Item, altera Magdalenæ in oppido Cymaco & locis vicinis in confiniis Hannoniæ ceciderunt lapides grandinis permaximi, continentes in rotundum amplitudinem decem aut duodecim pollicum, ex quibus segetes & domus infinitæ fenestræque vitreæ sunt contritæ. Testimonium scribenti præbuerunt qui viderunt.

Arx Scolenbrechtiana terræ æquatur.

Præterea circa partes Lutzemburgenses castrum munitissimum dictum *Scoltenberch* furtive usurpatum est per quosdam prædones Alemanniæ. Quod percipiens domicellus de *Nessou*, senescalcus Brabantiæ, ad quem una portio castri spectabat, cœpit illud obsidere cum adjutorio comitis de *Bervenborch*, & post aliquantulam obsidionem, cepit illud, & funditus subvertit ac destruxit.

Colloquium de pace habitum inter Dionantenm & Boviniam.

Eodem tempore in mense Septembri ad complanandas plurimas controversias & simultates a longe retroactis temporibus ortas inter terras domini ducis, & præsertim Brabantiam, Hannoniam & Namurcum, ex una parte, & patriam Leodiensem ex altera, servata est solemnis diæta inter Dionantum & Boviniam sub tentoriis, præsentibus ibidem egregiis viris domino Antonio de *Croyer*, rectore comitatus Namurcensis ejusque fratre domino Johanne de *Croyer*, rectore comitatus Hannoniæ, necnon & quodam bastardo comitis *S.* Pauli domino de *Haberdin*; & finaliter multa illic sunt complanata, & in arbitros quoad nonnulla compromiserunt ambæ partes, domino Leodiensi in oppido Dionantensi pro tunc existente. Sed quia dux Burgundiæ personaliter non aderat, non curabat se intermittere; sed successu temporis nihil boni ex illa diæta subsecutum, domino de *Haberdin* in primæva sua pertinacia perseverante.

Rascaniæ retici renunciatio contra Ladislaum re-

Eodem anno serenissimus rex Landislaus, annorum circiter 13. cum permaxima comitiva baronum & nobilium venit ad civitatem suam Pragam primariam totius regni Bohemiæ; factaque est solemnis processio ibidem secunda Julii, qua celebratur festum Visitationis B. M. Virginis. Cui processioni intererat rex cum baronibus & sacerdotibus usque ad numerum quingentorum tenentium fidem catholicam. In crastino quidam hæresiarcha dictus magister Rakesanus, per prius sectator hæresis Wicleffistarum & Hussitarum, propria sponte ascendit ambonem, & revocavit plures articulos malæ fidei. Deinde de mandato regis statuta sunt quæ sequuntur, cunctis consentientibus. Primo præceptum est & mandatum sub pœna excommunicationis, quod a modo non deberent legi epistolæ & evangelia in idiomate Bohemico, sed in Latino. Item, quod nullus deberet sumere Corpus Christi non confessus & contritus. Item, quod sacerdotes non deberent porrigere laïcis Corpus Christi omnibus Dominicis diebus sine confessione sicut prius solebant; sed secundum statuta eccle-

liæ ſuæ. Item, quod pueri non deberent amplius communicari, niſi ad hoc parati. Item, quod ſacerdotes non admitterentur ad celebrationem, niſi haberent litteras quod eſſent veri ſacerdotes. Item, quod ſacerdotes non deberent conjungere matrimonium, niſi prius fierent proclamationes in facie eccleſiæ. Item, quod nullus ſacerdos aut laicus deberet arguere aut probroſa verba dicere aut aſtringere quempiam ad fidem ſanam, ſed tenere decretata & compactata in concilio Baſileenſi. Item, quod Sanguis Chriſti non deberet portari extra eccleſiam, propter pericula. Dixit præterea dictus Rakezanus univerſis aſtantibus contra errorem ſuum priſtinum, quod quamvis, inquit, in ſacra ſcriptura invenimus de communione calicis, tamen ſcimus quod in multis locis aliter diſpoſitum eſt, propter pericula quæ omni die proveniebant, & hodiernis temporibus eveniunt. Et ſimilia multa ſalubria illic ſunt ordinata. Deinde ex parte baronum intimatum eſt decano Pragenſi & clero ſub hac forma: « Regia majeſtas & dominus gubernator & totum conſilium regiæ majeſtatis propter hanc neceſſitatem miſerunt pro vobis, ut hæc vobis proponerentur, qualiter in hoc regno & alibi, magnæ moleſtiæ & perturbationes ſuccreverunt, ita quod hoc regnum magna excepit damna in perſonis & rebus, quæ per Dei gratiam & ſacrum concilium Baſileenſe ſopita ſunt, & cum regno iſto Bohemiæ compactata & pacata. Quapropter petimus, monemus & optamus, ut vos ipſos & populum ad concordiam & pacem caritatemque inducatis, informetis & contineatis in confeſſionibus, prædicationibus, ſermonibus, in conciliiſque veſtris, aut alibi ubicumque poſſit aliqua de factis veſtris occaſio ad guerram & diviſionem ſuboriri, ut talia fugiatis omnibus modis. »

Morussia Pruſiæ conniti rege Poloniæ.

Item, eodem anno communitates & oppida Pruſiæ & fere tota provincia illa rebellavit contra dominos ſuos, qui ſunt milites de ordine Theutonicorum, & confœderaverunt ſe regi Poloniæ, cujus auxilio vix duo caſtra remanſerant ſub dominjo dominorum præfatorum. Siquidem dolebat vulgus ſe nimis gravari talliis, exactionibus & tributis dominorum, ut fama erat. Verum præfati milites, convocato in præſidium ſuum marchione de *Brandeborch*, & aliis principibus circumvicinis, quadam die invaſerunt tentoria & caſtra regis præfati & Pruthenorum, & fugaverunt univerſos, multique ex adverſariis peremti ſunt ibidem in conflictu. Quid vero de rege Poloniæ factum fuerit ignoramus. Verum inventus eſt equus cui rex inſidere ſolebat, & arma ejuſdem in campis; ſicque de morte ejus præſumebatur. Alii conjecturabant eum occulte in captivitatem deductum, & ſpolia in argumentum mortis ſuæ ad cautelam relicta. Fama eſt in hoc certamine Polonorum cccidiſſe 8000. & totidem in fuga ſubmerſos & oppreſſos. Capti ſunt currus 1600. cum præda inæſtimabili; fundæ petrariæ ſexdecim, quarum unam trahebant equi 14. Poſt hanc victoriam præceptor Lufflandiæ frater ejuſdem ordinis, cum maxima comitiva equitum & peditum ingreſſus hoſtiliter regnum Poloniæ, expugnavit quinque aut ſex caſtra, & reſtituit ditioni Theutonicorum omnem terram quam Polonorum reges pridem violenter ordini ſubtraxerunt.

Quibi perit cum ſuis.

Calixtus III. Nicolao V. ſuccedit.

Anno MCCCCLV. menſis Martii die 20. obiit Nicolaus papa V. qui præfuit annis octo diebus quatuordecim. Cui ſucceſſit Calixtus tertius, Cathalanus, pridem epiſcopus Valentiæ & cardinalis tituli quatuor Coronatorum. Hic fuit veteranus admodum, fere octoginta quinque annorum, ſemper nutritor & amator pauperum, primus de conſilio regis Aragonum Alphonſi. Facta autem electione 8. die Aprilis, dum ducebatur ad S. Petrum, & ſuper altare ponebatur, interim domus ejus a Saccemannis omnibus bonis miſerabiliter ſpoliata & dilacerata fuit, ita quod nihil remanſit quod portari potuit, non oſtium non feneſtra. Equos tamen multos non perdidit, quia pauper Chriſti non habuit unum tantum equum, & tres mulas amiſit, &c. Confeſtim acceptavit in capitaneum eccleſiæ comitem civitatis Auriſæ cum mille quingentis equis. Incontinenti papa poſt electionem ſuam promiſit ſe velle Chriſtianitatem, præſertim contra Turcos, cum facultatibus ſuis & corpus ſuum, ſi opus fuerit, ad id exponens, cordialiter defendere. Romani impetraverunt ab eo, ut pro monachis quos inſtituit dominus Eugenius papa in eccleſia Lateranenſi, reponerentur canonici ſæculares, dicentibus eccleſiam illam, quæ eſt prima & principalis totius Chriſtianitatis, non debere regi per monachos, ſed potius canonicos & nobiles filios Romanorum.

Canonici ſæculares in eccleſia Lateranenſi.

Eodem anno obiit Radulphus de *Diepholt* epiſcopus Ultrajectenſis. Poſt cujus mortem totus clerus concorditer elegit in præſulem ſuum dominum Ghiſbertum de *Broerode* præpoſitum majoris eccleſiæ, virum nobilem & manſuetum. Sed huic electioni oppoſuit ſe Philippus dux Burgundiæ, volens illi eccleſiæ præficere filium ſuum naturalem David nomine, pro tunc epiſcopum Morinenſem; & ob hanc cauſam tranſtulit totam curiam ſuam Hagam comitis in Hollandia, quæ vicina eſt patriæ Trajectenſis.

Mortuo Radulpho epiſc. Ultraject. ſedem ambit dux Burgundiæ pro filio ſuo.

Item eodem anno Johannes de *Heinsberch*, qui epiſcopatum Leodienſem prudenter & magnifice rexerat annis circiter 36. neſcio quo tactus inſtinctu, an ſponte vel coacte, pertæſus, ut aiebat, curarum quas in præſulatu ſuſtinebat, & quod populus Leodienſis in multis nolebat obtemperare, reſignavit & reportavit in manus domini Ludovici de

Heinsberg. reſignat epiſcopatum Lud. Borbonio.

Borbon, pro tunc præpoſiti ſancti Donatiani Brugenſis, ætatis pro tunc circiter annorum 28. præſulatum ſuum, admirantibus multis. Cui tamen reſignationi ſummus pontifex prima facie præbere nolebat aſſenſum. Tandem per medium regis Arragonum, ut famabatur, pro tunc reſidentis apud Neapolim, approbavit quod factum fuerat. Prædictus autem adoleſcens Ludovicus deſcendit de recta linea Francorum, filius ducis Borbonii. Mater autem ejuſdem ſoror erat *Philippi* ducis Burgundionum, pro tunc potentiſſime & latiſſime dominantis in Europa. Habebat inſuper fratrem idem Ludovicus, qui tunc erat archiepiſcopus Lugdunenſis; ſecundus frater habebat in conjugem filiam Caroli regis Franciæ, qui tunc quietiſſime poſſidebat totum regnum ſuum, ſecluſis ubique Anglicis, præter Caliſiam.

Eodem anno fuerunt in his regionibus vina pauciſſima, blada etiam modica, ſed bona, vendebaturque modius Leodienſis fere pro uno floreno Rhenenſi. Quamobrem piſtores plerique intermiſcentes furfures pene univerſis panibus ſuis, multos fecerunt paupercs ægrotare; multique anno eodem & ſequenti mortui ſunt Leodii ex infectione peſtilenti.

Ludovicus Borbonius inauguratur.

Anno Domini MCCCCLVI. menſis Julii die 13. quæ eſt feſtum Margaretæ, præfatus Ludovicus de *Borbon* venit de Trajecto ad civitatem ſuam Leodienſem, ut reciperetur in epiſcopum & dominum civitatis & patriæ. In cujus comitatu venerunt duo epiſcopi, ſcilicet Cameracenſis & Attrebatenſis, necnon & comites quatuor, ſcilicet comes de *Meurs*, de *Horn*, de *Naſſou*, & de Salmis, pluresque nobiles viri de partibus Brabantiæ, Hannoniæ, Namurci &c. Cui occurrerunt militares & nobiles patriæ Leodienſis & Loſenſis in copia grandi nobiliſſime phalerati, necnon & burgimagiſtri civitatis. Cumque veniſſet ad portam S. Leonardi duo burgimagiſtri civitatis, videlicet Johannes dictus *le Ruyt* filius domicelli Bertrandi de Bavaria, & Amelius de *Velleroux* aſſociaverunt eum a dextris & a ſiniſtris per forum civitatis, uſque ad gradus S. Lamberti; ubi deſcendens de equo, mox aſcendit diſtrictum, id eſt domum ſcabinorum, ibi comedit ceraſa, & potavit ſemel aut bis. Incontinenti poſtquam deſcendit de equo, cantor eccleſiæ S. Lamberti, filius domini de *Eldren*, uſurpavit ſibi equum domini Leodienſis. Poſt hæc ductus eſt ad majus altare, ubi poſtquam feciſſet juramenta conſueta, mox ductus eſt ad campanam banni, quam cœpit fortiter trahere, tamquam pulſaturus. Deinde ductus eſt ad palatium ſuum, in quo facta eſt cœna grandis & inclyta, cibaria quoque & pocula miniſtrata ſunt omnibus illic cœnare volentibus in abundantia. Inſuper inter portam palatii & curiam officialis, artificialiter poſitus erat angelus, in manu tenens pottulum parvulum, de quo effluebat vinum in cuppa ſubtus poſita in medio plateæ, illicque venerunt plurimi, haurientes & abunde bibentes ex eo. Nec illud prætermittendum, quod omnes juxta diſtinctiones miniſteriorum & artificiorum ſuorum, a porta S. Leonardi, uſque ad gradus S. Lamberti, ſtabant ab utraque parte plateæ, armati egregiæ, tenentes gladios & lanceas in manibus, ſuſcipientes dominum ſuum decenter, hilariter & reverenter. Poſt biduum videlicet ipſo die diviſionis apoſtolorum, dominus Leodienſis noviter, ut præfertur, receptus, venit ad eccleſiam majorem cum duobus epiſcopis præfatis, & comitiva magna baronum, militum, nobilium & popularium; celebrataque eſt illic miſſa ſpecialis de Sancto-Spiritu per dominum Dionyſium ſuffraganeum Leodienſem. Convenerunt etiam ad illam miſſam omnes canonici ſecundariarum eccleſiarum induti cappis, ſedentes ſupra ſcamna in medio eccleſiæ. Porro in choro ſedebant monachi S. Jacobi & S. Laurentii dumtaxat. Sed & ipſe dominus Leodienſis indutus eſt cappa ſua, ſedens in ſuperiori ſcamno cum epiſcopis præmiſſis. Affuerunt etiam cantores capellæ domini ducis Burgundiæ in numero copioſo.

Eodem anno 20. die menſis Maii apud Anchonam multi nautæ viri probi & fide digni viderunt in nocte duas lunas, in quarum medio ſpatio apparuit crux rubea, quaſi per horam. Poſt hæc mutato colore videbatur nigra, ſtetitque per mediam horam. Poſtremo ſtella quidem cum maxima claritate & radiis videbatur, quæ cecidit in mare. Romæ quoque tunc temporis apparuit cometa magnus de ſero ſimiliter & mane. Similiter & apud Leodium eodem tempore per multos dies viſa eſt ſtella magna emittens radios longos tamquam flammam ſcintillantem, aſcendentem de fornace, ſtetitque multis diebus poſt mediam noctem uſque boream, qui ventus Theutonice dicitur... Variæ phænomena.

Eadem æſtate obiit Jacobus de *Zierck* archiepiſcopus Trevirenſis, ex veneno ſibi propinato. Eodem anno dux Burgundiæ impetravit a ſede apoſtolica pro filio ſuo naturali David nomine, proviſionem de epiſcopatu Ultrajectenſi, caſſata electione quæ primitus uniformiter, ut præmiſſum eſt, facta erat de domino Ghiſberto de *Brederode*. Cum Trajectenſes nollent præfatum David recipere in dominum & epiſcopum ſuum, eo quod eſſet naturalis, & quia elegerant dominum Ghiſbertum, dux Burgundiæ induxit magnam armatam virorum fortium in regionem illam. Verum poſt aliquantulum temporis ſpatium, interponente ſe duce Clevenſi, dictus dominus Ghiſbertus ceſſit electioni de ſe factæ, & introductus eſt David in ſedem Trajectenſem; præmiſſis tamen conditionibus, David fit epiſc. Ultraject. reniitentibus civibus.

ditionibus, videlicet quod dominus David solveret domino Ghisberto singulis annis ad vitam pensionem quatuor millium florenorum Rhenensium & ducentorum. Insuper pro expensis factis per dominum Ghisbertum tam in curia Romana, quam in sustentatione armigerorum, levaret dictus Ghisbertus semel solvenda quinquaginta millia aureorum qui dicuntur leones. Qui quidem solverentur eidem de precaria danda domino David in jocundo adventu suo, ut moris est. Item, dictus Ghisbertus ultra præposituras quas pridem habuerat ante electionem suam, nihilominus haberet præposituram S. Donatiani in Brugis. Præterea dominus dux expensis suis deberet procurare apud sedem apostolicam, quod admissio filii sui naturalis in episcopum Trajectensem, futuris temporibus non cederet in præjudicium libertatum & privilegiorum ecclesiæ præfatæ, quæ non consuevit recipere quemcumque bastardum in canonicum vel capellanum, &c.

Burgundus infauste pugnat juxta Daventriam.

Item, 26. Augusti hora secunda post mediam noctem factus est terræ motus Leodii. Eodem mense Philippus dux Burgundiæ procedens ad residua oppida episcopatus Trajectensis subjuganda, infauste pugnavit juxta Daventriam, amisitque de exercitu suo quamplurimos, quorum summam ignoro. Ea tempestate captæ sunt apud Coloniam Agrippinam duæ mulieres sortilegæ & igni combustæ, quarum una fatebatur se veneno necasse virum quemdam; altera oriunda erat de civitate Metensi. Hæc cum sodalibus suis famabatur excitare posse ventos, pluvias, grandines & hujusmodi tempestates. Confitebatur etenim se in mense Maio suscitasse grandinem & gelu tanta vehementia, quod in circuitu civitatis Metensis ad duo milliaria tam vineæ quam reliqui fructus omnimode perierint, nec erat spes ulterius repullulandi. Porro villicus Colonienſis desiderans experiri an hæc vera essent, requisivit dictam sortilegam, ut si quam artem sortilegam nosset, ei ostenderet in manifesto. Cumque illa fecisset apportari cupam plenam aqua, illa mox factis conjurationibus & magiis suis, infra spatium duorum *Pater noster*, fecit illam aquam in mense Maio tam fortiter & condense congelari, quod cum acumine fortissimi cultelli vel pugionis vix poterat perforari.

Sortilegæ duæ Coloniæ.

Turci ab Hungaris devicti juxta Bellogradam, obsidet Albam-Græcam.

Eodem anno Turci & Christiani plurimos & acres inter se habuere conflictus, & præsertim unum juxta Bellogradum, in quo Hungari prostratis innumeris Turcis obtinuerunt victoriam, non tamen sine damno proprio: nam in eodem certamine perierunt circiter viginti millia Hungarorum in ipsa die B. *Gregorii martyris. Post hæc soldanus Turcorum obsedit castrum & villam sitam in ultimis finibus Hungariæ vocabulo (a) *Grixſ-*

*f. Georgii.

fen-loin-borch per spatium trium mensium & dimidii. Cumque moleste ferret tam longiturnam obsidionem, tandem solemniter juravit per Deum suum Mahometum, quod expugnaret civitatem illam, aut certe ipse cum toto exercitu suo illic occideretur. Quo audito quidam Christianus qui erat in exercitu Turcorum, intimavit hæc cuidam magno principi Hungarorum, cui nomen erat Houvedanus. Qui mox assumtis equitibus mille & centum, peditibusque ministerialibus quadraginta millibus, secrete transfretavit Danubium, & furtive ignorantibus Turcis, qui jacebant in campis planis, ingressus est civitatem supradictam in nocturnis tenebris 20. die mensis Julii. In crastina quæ erat vigilia B. Mariæ Magdalenæ, prout intimatum erat Christianis perprius, circa mediam noctem, hora scilicet 12. Turci cœperunt oppugnare civitatem, & duravit assultus usque horam 7. diei. Quibus devictis atque prostratis adjutorio divino, alia pars Turcorum inchoavit assultum, qui similiter duravit usque quartam horam post meridiem. Cumque de illis pariformiter triumphassent Christiani, & infinitos occidissent, novissime soldanus vehementer perturbatus ex amissione suorum, in persona propria cum residuo exercitu aggressus est oppugnare civitatem. Jamque Christiani obsessi vehementer erant lassati ex pugna tam longiturna, in tantum quod etiam plurimi Turci jam ingressi fuerant muros civitatis. Porro nutu divino in urbe ipsa præsentialiter adfuit quidam sanctus vir de ordine Minorum, nomine Fr. Johannes de Capistrano. Hic videns imminere civitati periculum, ascendit arcem fortalitii, & accepta imagine crucifixi in manibus, cœpit altisona & flebili voce exclamare: Deus, Deus meus, ô altissime Pater, veni in adjutorium, veni & libera populum tuum, quem redemisti pretioso sanguine tuo. Deus meus veni & noli tardare. Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine? Veni & libera nos, ne dicant Turci & increduli; Ubi est Deus eorum? Hæc audientes Christi fideles, qui jam lassi fuerant, resumserunt vires integraliter ac si hucusque nihil laborassent, invaseruntque Turcos qui introgressi fuerant civitatem, & trucidarunt universos. Quo viso soldanus retraxit lora & fugam arripuit cum suis: quos insecuti sunt Christiani usque ad spatium octo milliarium, & infinitos in illa fuga passim per agros occiderunt. Nec poterat relator horum æstimare numerum occisorum in ipsa fuga. Porro in tribus assultibus præmissis perierunt in summa diligenter computata plus quam centum millia infidelium. Reliquerunt autem illic Turci undecim fundas grossas seu bombardas, quarum sex continebant in longitudine 33. spangas manuales & septem in altitudine. Similiter & alias fundas ducentas illic reliquæ-

Horribilis cædes Turcarum.

(a) Albam Græcam Germanis *Griechiſch-Weiſſemburg.*

runt, & alia jocalia in numero copioſo. Hæc omnia & ſingula in hac forma ſcripſit prædictus Houvedanus princeps domino ſuo Ladiſlao regi Hungariæ & Bohemiæ, &c.

Corruit eodem anno turris altiſſima eccleſiæ oppidi dicti *Briele*, quod in Zelandiæ partibus eſt conſtitutum. Item, fecerat dux Burgundiæ ædificari turrim proceram in Haga villa Hollandiæ, ad munimentum caſtri quod ibi eſt. Hæc ſimiliter iſto anno corruit, ſuper fragile poſita fundamentum.

Dux Burgundiæ ſolvit obſidionem Daventriæ.

Item, 21. die Septembris dux Burgundiæ receſſit cum exercitu ſuo ab obſidione Daventriæ, relictis circiter trecentis captivis. Porro Daventrienſes valde modica ſuſtinuerant damna ex fundis & jaculis, eo quod in defenſionem ſuam aſciverant ſtipendiarios multos ex Weſtwalia & aliis partibus, quorum capitaneus erat quidam domicellus maximæ potentiæ dominus de *Ghemen*. Verum Picardi & Hollandrini atque Brabantini, qui tempore obſidionis locati fuerant in regione Ghelriæ, negaverunt & renuerunt præbere victualia exercitui ducis. Fuitque in ipſa obſidione magna illic panis & victualium cariſtia. Noviſſime Daventrienſes & ceteri Zuollenſes, Campenſes receperunt filium ducis in epiſcopum & dominum ſuum, ſalvis omnibus privilegiis & libertatibus, quas per pridem habuerant.

Obitus multorum inſignium virorum.

Eodem anno deceſſit dominus Jacobus de *Zirch* archiepiſcopus Trevirenſis. Poſt cujus obitum Trevirenſes electi ſunt in diſcordia tres potentes viri, quorum unus erat filius marchionis de *Baden*, alter filius ducis Bavariæ, tertius filius domini de *Iſenborch*. Obierunt inſuper archiepiſcopus Biſuntinus & Walerannus de *Meurs* electus in epiſcopum Monaſterienſem, abſque ſacramentis eccleſiæ. Item, Ludovicus de *Valois*, primogenitus regis Franciæ, dum pluribus modis moleſtaſſet eccleſias & eccleſiaſticos viros tam in Delphinatu quam in Sabaudia, & ſuper hæc omnia nonnulla feralia perpetraſſet facinora, eſſetque frequenter tam per nuntios quam per litteras precatorias patris increpatus, & nec dignaretur reſpondere aut reſcribere regi patri ſuo quippiam, tandem metuens indignationem patris quem implacabiliter offenderat, cum modica familia, tamquam profugus pervenit ad terram Lutzemborgenſem. Mox nullam faciens morulam, viſitavit cum devotione limina S. Huberti in Ardenna, cum ingenti oblatione venerans ſacras ejus reliquias. Subſequenter devenit Bruxellam oppidum Brabantiæ, ubi dominus dux Philippus humaniſſime & magnificentiſſime tractavit eumdem, prout decebat filium tanti regis, & conſanguineum ejus prædilectum. Porro rex incontinenti fecit ſaiſiri omnia oppida, caſtra, civitates & villas totius Delphinatus.

Eodem anno quinta Decembris in regno Apuliæ & partibus Campaniæ, Neapolis & Capuæ, & in circumjacentibus locis factus eſt terræ motus terribilis, ex quo multæ villæ, caſtra & munitiones cum habitatoribus univerſis corruerunt, & vivi abſorpti ſunt mortales infiniti, ut fama erat vulgata, fere ad ſexaginta millia, peccatis eorum hoc demerentibus, qui repulſo rege ſuo Renato, ſuſceperunt regem Arragonum cum ſuis Cathalanis, viris crudelibus & inhumanis. Terræ motus in regno Apuliæ, & ceteris locis.

Anno MCCCCLVII. undecima die Januarii dominus Ludovicus electus Leodienſis fecit celebrari ſolemniſſimas exequias pro patre ſuo recenter defuncto duce Borbonii. Nempe in medio eccleſiæ ordinatum erat monumentum adinſtar domunculæ, cui ſuperpoſitæ fuerant candelæ cereæ circiter trecentæ & viginti; & ſimiliter tam in choro quam in navi erant ardentes candelæ in numero copioſo, celebrante in pontificalibus ſuffraganeo ſuo, &c. Canonicis vero omnium eccleſiarum in navi eccleſiæ reſidentibus more ſolito. Cumque inſtaret hora oblationis, univerſæ fuerant centum & duodecim. Noviſſime multum humiliter & devote dominus Leodienſis cum cappa canonicali nigra, proceſſit ad oblationem, quem præcedebant duo hyraldi ſuperinduti tunicalibus, in quibus depicta vel inſuta fuerant arma ejuſdem domini electi tam ex linea paterna quam ex materna. Subſequebatur eumdem magna comitiva nobilium & generoſorum virorum, ſcabinorum quoque & burgimagiſtrorum & civium quamplurium. Noviſſime familia ejuſdem univerſa. Exequiæ ſolemnes in eccleſia Leod. pro duce Borbonii.

Eodem anno 24. die menſis Auguſti Francigenæ reſumtis animis & viribus, feriati a bellis in regione ſua, decreverunt transfretare in Angliam, ut ſemel Anglos invaderent; a quibus fuerant pluries dudum confuſibiliter expugnati. Sumta igitur claſſe LX. navium bellicarum, quarum 13. erant turritæ, ceteræ mediocres, pervenerunt ad portum oppidi vocabulo *Zantvvich*, diſtantis a Londoniis circiter ad viginti milliaria. In quod viriliter inſultum facientes, noviſſime illud non ſine difficultate irruperunt, occiſis circiter ex inhabitatoribus, qui ſe fortiſſime defenderant, quingentis viris. Demorantes autem in eodem oppido per ſpatium quindecim aut ſexdecim horarum, aſportaverunt ſecum omnem ſubſtantiam quam inibi reperire potuerunt. Multa tamen reliquerunt, quia naves ſufficientes non habebant, quæ prædam poterant deferre. Poſt hæc redeuntes ad portum cum ſpoliis & captivis multis, ceperunt inſuper naves Anglicorum illic repertas circiter 24. quarum tres erant ingentes, & inſigne caſtrorum habentes; reliquæ communis magnitudinis, unam vero maximam dictam *Crake*, quæ fluctuare nequibat propter paucitatem aquæ invite illic reliquerunt, ſed patronum ejus ſecum ab- Francorum irruptio in Angliam.

duxere captivum. Nec ipſis contenti, cum receſſiſſent ad navigia ſua per totum triduum illic permanſerunt, non longe a portu, ſi forte Anglici præſumerent ſe aliquatenus de injuriis ulciſci, aut ſpolia recuperare ſublata. Sed nemine comparente, noviſſime redierunt ad Normanniam in jocunditate & lætitia magna. Nec hoc prætermittendum, quod Francigenæ ipſo tempore inter ſe condixerant nullum inferre debere nocumentum aut violentiam eccleſiis aut feminis, nec facere incendia domorum. Quod firmiſſime ſervaverunt, & proſperati ſunt.

Ladiſlaus rex Hungariæ obiit.

Item eodem anno obiit Ladiſlaus rex Hungariæ, Bohemiæ, Croatiæ, Dalmatiæ, dux Auſtriæ, &c. pro tunc habens ætatis annos circiter 18. & ut famabatur, veneno periit. Hic egregius & formoſiſſimus, potentiſſimus atque nobiliſſimus adoleſcens debebat traducere in uxorem filiam regis Francorum, & jam omnes pene tractatus matrimonii fuerant concluſi per medium excellentiſſimorum ambaſſiatorum quos pro hac re illuc direxerat. Promiſerat nempe dictus rex ſe daturum in dotem futuræ uxori ſuæ ducatum Lutzemburgenſem, quem dux Burgundiæ tenebat impignoratum. Hujus obitus toti Chriſtianitati valde fuit nocivus propter Turcos vicinos regno Hungariæ, quos ipſe pluribus vicibus per ſuos proſtravit.

Alenconii ducis judicii & condemnatio.

Anno Domini MCCCCLVIII. cum dux *d'Alenchon* conſanguineus regis Francorum, infinita corruptus pecunia, confœderaſſet ſe Anglicis hoſtibus regni, promiſiſſetque reſeraturum eis omnia caſtra, villas & munitiones ducatus ſui; ſtatim perfidia hujuſcemodi, favente clementia divina, ad aures Francorum regis perlata eſt. Qui tantæ rei novitate attonitus, juſſit eum comprehendi & in carcerem apud Pariſius recludi. Verum ne rex proprio ſentimento videretur inniti, aut injuſto illum condemnare judicio, mandavit duodecim pares & primores regni, cum ceteris primatibus regni, ut illi inter ſe decernerent, ſemoto omnium favore vel odio, qualiter perfidus dux & proditor patriæ ſubdi deberet ſententiæ. Porro dux Burgundiæ cum huic parlamento intereſſe nequiret, alias rationabiliter intentus, miſit pro ſe tres egregios viros, qui eum de præſentia corporali notabiliter excuſarunt. Ceteri vero ibidem præſentialiter comparentes, conſiderato & ponderato tam horrendo facinore tanti ducis & conſanguinei regis, condemnaverunt eum morti, ut videlicet primo capitalem ſuſtineret ultionem, & poſt hæc in quatuor particulas divideretur. Cumque ſæpedictus dux in conſpectu regis & principum productus eſſet, ſtatim privatus eſt inſigniis & ornamentis nobilitatis, & inſuper ſpoliatus omni hereditate paterna. Deinde rex de benignitate ſua filio prædicti ducis reſtituit omnem hereditatem avitam, & de prædicto ducatu eumdem inveſtivit, necnon & in loco patris juſſus eſt reſidere. Cumque pater tremebundus expectaret ſententiam in eum latam, procidens de ſolio ſuo filius ducis, petiit a rege quatenus de ſolita clementia patri ſuo miſericorditer commiſſum ſcelus dignaretur indulgere. Qui condeſcendens humilibus precibus ejus & procerum illic aſſiſtentium, veniam & vitam duci conceſſit, eumque velut exulem in loco ſequeſtro ducatus juſſit uſque ad mortem reſidere. Sciendum autem quod ex antiquo privilegio & decreto regum & principum Franciæ iſta ſunt nomina 12. parium & judicum Franciæ, qui in arduis cauſis concernentibus utilitatem regni, de jure & conſuetudine habent præſidere: videlicet archiepiſcopus Remenſis, epiſcopi Lingonenſis, Laudunenſis, Noviomenſis, Cathalaunenſis & Belvacenſis. Item dux Normanniæ, dux Aquitaniæ, dux Burgundiæ, comes Flandriæ, comes Campaniæ & comes Tholoſanus, qui ſub his verſibus compendioſe comprehenduntur.

Lingo, Remis, Laudu, Nor, Aqui, Burgundia ſunt du.
Nov, Catha, Bel, Tholo, Campania, Flandria ſunt com.

Porro hoc tempore rex Francorum ex prædictis ſæcularibus dominis obtinebat ducatum Normanniæ & Aquitaniæ, necnon & comitatum Tholoſanum & Campaniæ. Philippus autem dux obtinebat Burgundiam & Flandriam.

Leodienſis principis conſiliarii conſulatu excluduntur.

Eodem anno nonnulli ſeditioſi in civitate Leodienſi induſtrioſe practicarunt, ut de cetero nemo eligeretur in burgimagiſtrum, niſi prius præſtaret juramentum, quod ex tunc in antea numquam acceptaret ſcabinatum vel qualecumque officium epiſcopi Leodienſis, quia per talia officia videbatur ſe alienare a favore civium, & applaudere domino in ſuam læſionem & præjudicium communitatis. Igitur adveniente feſtivitate S. Jacobi majoris, qua conſuetum eſt eligere magiſtros civitatis per 32. electores deputatos a totidem miniſteriis, mox omnium decreto electi ſunt duo honorabiles viri Ægidius de Metis, & Mathias cognomento *Haveal*. Quorum primus ex induſtria abſentavit ſe a civitate, ſecundus autem magiſtratum, præponderans rei gravitatem, acceptare refutavit, niſi ſodalis ſuus primo acceptaſſet prædictum magiſtratum, maluitque in præſenti taxam 20. florenorum Rhenenſium, quæ refutantibus hujuſmodi magiſterium infligitur, quam intolerabile onus ſubire. Cumque tractaretur de eligendo tertio viro probo, cui nomen erat Henricus *Sol* vel de Solis-hoſpitio; ille mox aſcenſo equo fugam paravit, & non eſt inventus. Igitur electores in anguſtiis locati, quoniam non permittebatur exire de loco electionis, donec concorditer elegiſſent duos burgimagiſtros, mox

illi deſignarunt & elegerunt duos viros qui per prius numquam fuerant civium magiſtri. Qui requiſiti præſtiterunt prædictum juramentum, ſub tali tamen conditione, quod ſi in poſterum aliter ordinaretur per decretum univerſitatis civium, ipſi ex tunc a juramento forent immunes & abſoluti, ſicque poſtea contigit.

Moritur Alphonſus rex Arragonum.

Obiit eodem anno Alfonſus rex Arragonum, Siciliæ, Valentiæ, Majoricarum, Sardiniæ & Corſicæ, comes Barcinonæ, dux Athenarum & Neopatriæ, ac etiam comes Roſſilionis & Ceritaniæ. Cui ſucceſſit in regnis principalibus rex Navarræ. Porro filio ſuo naturali ſed per papam legitimato, dedit regnum Neapolitanum & omnes confines. Huic tamen confeſtim ſe oppoſuit dux Calabriæ filius Renati regis, qui pridem ſibi confœderaverat Januenſes & Florentinos.

Et Calixtus III.

Item eodem anno ſexto Auguſti deceſſit a ſæculo Calixtus tertius hujus nominis papa, natione Arragonus, qui ſedit annis tribus, menſibus quatuor, diebus.... Huic ſucceſſit Pius ſecundus olim vocatus Æneas cardinalis & epiſcopus Senenſis.

Bellum inteſtinum in Gelria inter ducem & filium ejus.

Anno MCCCCLIX. in ducatu Ghelriæ filius ducis inſurrexit contra patrem, inſtigante eum ad hoc matre, filia ducis Clevenſis ex ſorore Philippi ducis Burgundiæ, voluitque filius privare patrem regimine ducatus, ſtatimque ſaiſivit oppidum ſatis parvum, vocabulo *Venloe*, ſitum ſuper Moſam, in quo ſociatis ſibi nobilibus terræ aliquantis, conductiſque ſtipendiariis plurimis, propoſuit patrem infeſtare; favitque etiam filio oppidum ingens dictum Novomagum ſuper fluvium dictum *Wale*. Porro patri favit Ruremunda oppidum populoſum & forte per tria milliaria diſtans a *Venloe*; vocavitque & locavit ſtipendiarios & auxiliarios in numero copioſo, & multiplicata ſunt mala in terra. Deinde filius cum ſuis in menſe Auguſto quadam die egreſſus eſt ad prædandum jumenta Ruremundenſium, quæ paſcebantur in inſula vicina, præmiſſiſque aliquantis ſagittariis & ceteris qui raperent prædam, poſuit etiam aliquantos in inſidiis, qui impræmeditate cives, qui forte defendere vellent jumenta ne abigerentur, invaderent. Quibus ſine ordine progreſſis, cives Ruremundæ cum vellent obſiſtere, percuſſi ſunt ab inſidiantibus, plurimique captivi abducti ſunt, & plerique interfecti. Poſt hæc multa villagia terræ combuſta ſunt; ſed interponentibus ſe nonnullis generoſis viris, qui condolebant exterminio terræ, pax reſerata eſt in medio menſis Octobris ſequentis.

Eodem anno altera Laurentii, ſcilicet undecima Auguſti, tempeſtas horribilis cum tonitruis & fulminibus grandineque vehementi percuſſit blada quæ jam erant matura in partibus Haſbaniæ, deſcendendo verſus occidentalem plagam ad *Platain*, & ad ſpatium circa octo leucarum, fecitque damna permaxima colonis terræ, & precipue eccleſiis & monaſteriis patriæ & civitatis Leodienſis. Nam monaſterium S. Jacobi Leodienſis damnificatum eſt in duobus millibus modiis ſpeltæ, & cetera monaſteria ſimiliter. Verum in hoc anno creverunt vina in maxima abundantia, quæ fecerunt aliquantulam recompenſam bladorum.

Moritur Johannes de Heinsberch.

Eodem anno decima octava die menſis Octobris deceſſit a ſæculo dominus Johannes de *Heinsberch*, qui ante triennium reſignaverat epiſcopatum Leodienſem in manus domini Ludovici de *Bourbon*, ut prætactum eſt in anno MCCCCLV.

Item eodem anno Pius papa relicta Roma pervenit ad Mantuam civitatem Lombardiæ, convocans illic omnes fere principes Alemanniæ, per quorum ſuffragium ſperabat ſe poſſe retundere infeſtationes Turcorum, qui miſerabiliter affligebant Chriſtianos, miſeruntque principes ambaſſiatores & oratores ſuos ſolemnes, ſed in effectu nihil eſt concluſum. Infecto igitur negotio papa in menſe Octobri rediit ad urbem Romam, ceterique reverſi ſunt in regionem ſuam.

Eodem anno dedicata eſt eccleſia ſororum ordinis S. Mariæ de Monte-Carmeli in ſuburbio Leodienſi, extra portam S. Leonardi.

Dux Eboraci regē Angliæ de ſolio movere tentat.

Item, eodem anno dux Eboracenſis de ſanguine regum Anglicanorum procreatus, conſiderans regem Angliæ conſanguineum ſuum ignavum & inertem, aſpiravit ad regimen regni, vel fortaſſis ad coronam regni perſonaliter acquirendam. Cujus votis conſentiebant filius ejuſdem ducis, jam egregius & acer juvenis, necnon & comes de *Werwick*, gubernator Caliſiæ, & alii quamplurimi de proceribus prædicti regni, dolentes quod tota fere gubernatio & auctoritas regni fiebat per comitem de *Samboruſet*, & de *Salesberch* &c. Comparente igitur duce Eboracenſi in campis juxta villam S. Albani, regina virilem animum induens, præceſſit cum aliquantis optimatibus & ceteris armatis nondum diſpoſitis ad incundum certamen. Quibus pars ducis occurrens & bene armata, cœpit fundas & jacula infinita mittere, & maximam multitudinem de exercitu reginæ proſtravit. Incontinenti proceſſit exercitus regalis, præcedente principali vexillo regio. Quo appropinquante, videntes ſtipendiarii Caliſiæ vexillum regium, dixerunt duci & ſuis complicibus, nolle ſe pugnare contra regem proprium, cujus ſtipendia propria perceperant jam longo tempore. Facto igitur utrimque inſultu & pugna inita, dux lora retraxit, ſtipendiarii Caliſiæ ad partem regis tranſierunt; omneſque adverſarii diſperſi ſunt per fugam. Dux Eboraci fugit in Hiberniam. Porro filius ejus & comes de *Werwich* fugientes uſque mane, reperta in portu navi ſatis vetuſta, non ſine gravi ti-

Fugatur & proſcribitur.

more transfretaverunt ad Calisiam, illic sibi habitationem eligentes, & ad repugnandum regi se disponentes. Non post multa rex Angliæ aliquantas naves ad saisiendam Calisiam transmisit cum magna armatura. Sed prævenerat eum dictus comes de *Wervvich* cum filio ducis Eboracensis ceterisque complicibus. His ita peractis, de mandato regis & optimatum suorum omnes prænominati hostes cum duce suo eliminati & proscripti sunt, atque banniti perpetuo de regno Angliæ.

Leodiensis electus pacē componit cū civitate.

Ea tempestate complanata est controversia quæ prius suborta fuerat inter dominum Leodiensem electum & suam civitatem, quibusdam factiosis practicantibus ut imminuerentur libertates & franchisiæ quas cives habere se affirmabant, & ut insuper tollerentur aliquantæ consuetudines, hactenus a civibus observatæ, quas alii reputabant inter abusus, asserente domino Leodiensi se velle conservare omnes libertates, privilegia & franchisias civium, necnon & consuetudines eorum in quantum essent laudabiles. Super quo termino magna & longa fuit disceptatio. Compromissum quoque fuerat utrimque in regem Francorum, tamquam arbitrum unicum & indubitatum, ut si in privilegiis civium essent aliqui termini qui possent reflecti ad duplicem intellectum, illi per regem interpretari deberent & declarari juxta suum beneplacitum. Cui dictamini ambæ partes obtemperare se promittebant. Deinde successu temporis post multas diætas & expensas hinc inde factas, oppidum Hoyense & nonnulla oppida Gallicæ patriæ favebant domino Leodiensi. Verum Tungrenses, Sancti-Trudonenses, Hasselenses, cum omnibus Theutonicis, & comitatus Lossensis adhærebant civibus Leodiensibus. Accidit interea aliquantos ex incentoribus hujus simultatis, quorum unus dictus est Johannes Faber, vir eloquens & formosus, alter Wilhelmus de *Belfroid*, scabinus Leodiensis, utrique elegantes oratores languore biformi, videlicet hydropisi & apoplexia vitam finire, quod plerique ascribebant ultioni cœlesti in illos fulminatæ. Nos autem de occultis Dei judiciis nolumus perscrutari. Videns autem dominus Leodiensis cives in suo proposito firmissime perdurare, & pro suis libertatibus defendendis velle usque ad mortem perdurare, cessit ab incœptis, sentiens periculosum fore tantæ se opponere multitudini, rediitque pacifice ad suam civitatem, & deinceps concordia inter eum & cives fuit integralis.

Legatio Leodiensium ad regem Franciæ.

Anno MCCCCLX. vulgares civitatis Leodiensis miserunt solemnem ambassiatam equitum circiter 30. ad Carolum Francorum regem, inter quos erant milites duo, ceteri autem erant viri circumspecti ac prudentes nimis. Qui hilarissime recepti sunt a rege, & a gubernatoribus regni, ac per dies aliquantos honorifice tractati. Sentiens quippe prædictus Christianissimus rex cives Leodienses a longe retroactis temporibus fervidissimum affectum gessisse erga se & prædecessores suos, etiam tempore quo regnum suum miserabiliter affligebatur ab æmulis suis, omnesque pauperes a regno profugos propter inopiam liberalissime sustentasse juxta facultates suas; his, inquam, & aliis justissimis causis præponderatis, rex civitatem & totam patriam Leodiensem, comitatum Lossensem in suam suscepit specialem salvam-gardiam, affirmans se in omnibus necessitatibus & guerris Leodiensibus velle subvenire, & etiam si facultas se obtulerit, in propria persona & propriis expensis, nihil servitii ab Leodiensibus expetens. Contulit insuper eisdem hanc gratiam spatio novem annorum duraturam, ut si quisquam oriundus de patria Leodiensi mortuus fuerit in aliquo loco sui regni, propinquiores heredes defuncti succedent eidem, & asportabunt facultates ejusdem ita libere ac si in regno commoraretur. Quod quidem privilegium ceteris hominibus aliarum regionum non solet permitti. Dedit præterea universis Leodiensibus hanc gratiam, ut licenter & libere possent evehere & emere blada pro suis civibus sustentandis, dummodo emtores bladorum deferrent secum litteram per burgimagistros & consules civitatis sigillatam; sub ea etiam conditione, quod non venderent prædicta blada extra patriam Leodiensem: siquidem omnia blada eodem anno cara nimis erant, & modius speltæ vendebatur paulo minus uno floreno Rhenensi. Nec est omittendum, quod dictus liberalissimus rex solvit de sua benignitate quas dicti ambassiatores faciebant infra terminos regni, omnes expensas tam pro se quam pro equis eorum.

Horenda tempestas Dionanti.

Eodem anno res accidit terribilis in Dionanto, nempe præcedentibus fragore tonitruorum & fulminum, successit pluvia impetuosissima, quæ subito descendens in torrentem defluentem extra oppidum, subvertit integraliter monasterium ordinis Præmonstratensis, situm in suburbio præfato, vocabulo *Less*. Solum campanile ecclesiæ, quod ex lapidibus grossis constructum fuerat, vix mansit illæsum. Abbas loci videns imminere periculum cœnobio, retrocessit ad cubiculum suum, ut ad minus aliquantulum efferret thesaurum, aut litteras, aut pecuniam; sed aquis interceptus vehementibus, submersus est, & post paucos dies repertus in Mosa & extractus. Ceteri religiosi nihil passi sunt in corporibus, sed omnis supellex ecclesiæ & thesaurus in jocalibus, calicibus, libris, &c. periit. Insuper & domus vicinæ dicto cœnobio, ex præmissa alluvione cum inhabitatoribus earumdem devectæ sunt in Mosam, & submersi sunt cum mulieribus & infantibus.

Eodem anno prædictus rex Francorum ſumto veneno, pene deſperatus de vita eſt; ſed ſuffragante ſibi divina clementia, poſt modicum tempus convaluit. Hoc anno bladа noſtræ regionis multa fuerunt & optima. Supplevit penuriam & defectum anni præcedentis annus iſte fertilis.

Item eodem anno multiplicata eſt valde ſecta nefandiſſimorum hominum ſortilegorum ac ſacrilegorum, & præcipue in Picardia, Metis & locis vicinis, e quorum numero ſeptem comprehenſi fuerunt apud civitatem Atrebatenſem & morti adjudicati. Inter quos etiam erat unus ordinis Ciſtercienſis doctor ſacræ theologiæ. Hi in primis abrenuntiabant Deo, catholicæ fidei & individuæ Trinitati, beatæ Dei genitrici Mariæ & ſocietati omnium ſupernorum civium. Deinde faciebant homagium diabolo præſenti in ſpecie humana, & oſculabantur quemdam dæmonem, transfiguratum in forma canis nigerrimi ſub cauda. Faciebant etiam crucem in terra, quam calcabant pedibus, & ſpuebant in eam, in deſpectum crucifixi. Nudabant inſuper poſteriora ſua, & oſtendebant ea cœlo in contumeliam & irriſionem conditoris cœli & terræ. Sacram Euchariſtiam ſimulate ſuſceptam dabant buſonibus, quos poſtmodum pulveriſabant, & additis aliis materiis, confecerant quoſdam pulveres, quos quandocumque ſpargebant ſuper agros & vineas, conſeſtim fiebant ſteriles. Excitabant arte diabolica tempeſtates & grandines; promittebant ſe numquam intraturos eccleſias, nec accepturos aquam benedictam, niſi ficte, & propter evitandum ſcandalum & notam aſtantium. Præterea per maleficia diabolica convenire ſolebant nocturnis horis ſubito & ſine mora tranſportati in aliquod nemus vel loca deſerta in magna multitudine 40. vel 50. perſonarum utriuſque ſexus. Sedebat ibidem velut rex in throno diabolus proceræ ſtaturæ, tum omnes cum adoratione inclinabant; aſſerens omnia vana eſſe & mendacia quæ dicebantur a clericis & prædicatoribus, nec eſſe aliam vitam niſi iſtam præſentem, in qua debebant uti deliciis & voluptatibus corporis, & hujuſmodi multa docebat eos in deteſtationem Chriſtianæ fidei & promotionem ſuorum errorum. Faciebat maleficio ſuo in percuſſione baculi, ſtatim ibi parari menſas refertas omni genere ferculorum & poculorum: refectione peracta, mox evaneſcentibus omnibus illic paratis, dicente præcone: Faciat unuſquiſque debitum ſuum; ſtatim ſe amplexabantur, & commiſcebantur ad invicem. Et ſi plures illic eſſent feminæ quam maſculi, diaboli ſupplebant vices virorum, quod nonnullæ iſtarum faſſæ ſunt ſibimetipſis proveniſſe, aſſerentes dæmones incubos eſſe frigidiſſimi ſeminis, & alia ſimilia quæ horror eſſet tam audire quam ſcribere. Homines hujus ſectæ a vulgaribus nuncupantur Waldenſes, gallice *Waudois*, quorum ſecta ante annos plus quam ducentos cepit ortum apud Lugdunum Galliæ ſuper Rhodanum, a quodam cive laïco, qui vocabatur Valdenſis, ſub archiepiſcopo illius urbis dicto Johanne *Beleſmans*. Sed ſecta iſtorum abominabilior & deteſtandior eſt ſecta Waldenſium in centuplo. Nam quamvis illi habebant errores peſſimos & a fide devios, præcipue Manichæorum, attamen non ita exorbitabant ſicut iſti maledici, neque faciebant patenter homagium diabolo, cujus tamen erant membra. Immo in odium cleri falſificabant & perverſe interpretabantur ſcripturas, & aſſerebant maledictos fore omnes qui habebant poſſeſſiones terrenas, neque confiteri volebant, & cetera plura.

Item eodem anno dux Eboracenſis, qui, ut dictum eſt anno præterito, proſcriptus fuerat a regno Angliæ, reſumtis viribus, armis & animis, armipotenter ingreſſus eſt Angliam cum ſuis fautoribus quos illic habebat innumeros, occupavit civitatem Londoniarum, quæ primaria eſt regni Anglicani; regem bello victum victorioſe ſubjugavit, moderamina regni ad libitum diſpoſuit, quos volebat ex adverſariis ſuis occidebat, & quos volebat ad vitam conſervabat, intendens præcipue ne negotiatoribus & mercatoribus terræ ulla fierent obſtacula.

Item eodem anno in menſe Octobri rex Perſarum & Medorum miſit ambaſſiatores ſuos ſolemnes, videlicet Macedonicum, Alexandrinum & Hibernium ad Fridericum imperatorem Romanorum, promittens ei omnimodo aſſiſtentiam contra Turcos & perfidos Mahometi cultores, ſi vellet eos invadere, promittens infallibiliter, quod quandocumque ipſe vellet invadere Turcos & eis parare bellum in Europa, mox nullo medio indicaret ſibi diem & menſem, ipſe rex Trapiſontius invaderet Saracenos in Aſia commorantes, & ſubſequenter his expugnatis, feſtinaret ad ſubveniendum eidem imperatori in Europa cum centum & quinquaginta millibus armatorum, qui ſunt viri cordiati & animoſi. Dicebat præterea prophetatum fore, quod ipſe rex & noſter imperator aſſociari deberent, & uno animo parique ſententia tendere Jeroſolymam, & Saracenos illic habitantes locaque ſancta prophanantes expugnare, & Chriſti cultum per totum orbem ampliare. Præterea rex Perſarum commiſerat & præceperat duci uni præcipuo inter ſuos legatos, quod vice ſui humiliter oſcularetur pedes imperatoris. Quod cum imperator ſibi fieri refutaſſet, ille e diverſo affirmabat, hoc ſibi omnino fuiſſe mandatum, ſubjungens quod ſi hoc non faceret, amodo ad dominum ſuum regem non auderet reverti, &c.

Anno Domini MCCCCLXI. in feſto S. Ste-

phani protomartyris, rursum grave bellum factum est in Anglia, inter regem Anglorum & ducem Eboracensem, ubi occisis ab utraque parte multis egregiis ducibus, comitibus, baronibus & militibus; tandem pars regis Henrici prævaluit victoriose, & occisus est in eodem certamine dux Eboracensis. Paulo post aliud factum est bellum, in quo regina Angliæ virilem animum induens, suffragantibus sibi Francis & Scotis, triumphum similiter obtinuit. In tertio autem conflictu invalescentibus rebellibus regis, contra partem reginæ nondum paratam ad certandum, prævaluit pars adversa; statimque assumto seniore filio ducis Eboracensis, nuper, ut præfertur, occisi, Londonienses cum ceteris fautoribus suis coronaverunt eum in regem, repulso Henrico rege, qui cum regina & filio cedens furori multitudinis infrunitæ, fugit ad regem Scotiæ, illic perendinare volens quousque cerneret exitum rei. Vocatur autem rex ille noviter intrusus Eduardus, in quo potestas sive auctoritas regalis regyravit ad posteros Richardi primogeniti illius Eduardi cognomento Fortunati, qui, sicut præmissum est, totam sibi pene subjugavit Franciam, & expugnavit Calisiam. Cepit autem præfatus Richardus Johannem Francorum regem in bello, cum filio suo duodenni Philippo Audaci anno MCCCCLVI. &c.

Carolus VII. Francorum rex obiit.

Eodem anno migravit a sæculo Christianissimus & clementissimus rex Carolus, qui in principio regnationis suæ pene spoliatus fuerat maxima parte regni. Sed, suffragante Domino, recuperavit fere regnum integraliter, repulsis & debellatis Anglicis, qui in partibus cismarinis nihil quiete possederant præter Calisiam & comitatum de *Guines*, & modicam portiunculam circa fines Flandriæ. Rex iste reliquit filios duos, quorum primogenitus dictus est Ludovicus; junior autem dicebatur Carolus, cui pater contulerat ducatum Bituricensem.

Sumsit Ludovicus XI.

Eodem anno cum maxima solemnitate principum ducum & baronum sublimatus est in regnum Francorum Ludovicus apud Parisius civitatem. Porro inter principes illic congregatos, summus & principalissimus erat Philippus dux Burgundiæ & Brabantiæ, cum ingenti comitiva; apud quem jam per aliquot annos, tamquam exul a patria propulsus, deguerat præscriptus novus rex.

Philippus Burgundiæ omnes sibi infensos in gratiam recipit.

Eodem anno præmissus dux Burgundiæ Philippus, habito colloquio nobilium apud Yvodium, oppidum ducatus Lutzemburgensis, omnes sibi dudum rebellantes recepit in gratiam, & juramentum fidelitatis ab omnibus præstitum est ei, non tamquam duci & domino nativo, sed tamquam in pignus terram illam tenenti, quousque ei reddatur ingens summa pecuniarum pro qua patriam illam emerat.

Huc usque scripsit pater Cornelius decanus Stabulensis noster quondam monachus.

BREVE CHRONICON BREMENSE

Ex mſ. Bodecensi.

Sanctus Willehadus prædicavit in Fresonia post mortem sancti Bonifacii annis *xxviii.* in Saxonia septem, tandem Bremæ ordinatus episcopus, sedit annos duos, menses tres, dies xxvi.

S. Willericus episcopus sedit annos l. menses v. dies xxvi. Anno ejus xlii. S. Ansgarius archiepiscoqus ordinatus est apud *Hammaburg*.

Witricus episcopus sedit annos viii. menses iii. dies v. hujus anno iii. Ludovicus imperator pius obiit. Eodem anno *Hammaburg* a barbaris devastata est, & S. Ansgarius expulsus est.

S. Ansgarius episcopus antequam reciperet Bremensem episcopatum, sedit in *Hammaburg* annos xvii. recepto Bremensi episcopatu, sedit annos xviii. menses quatuor, dies decem, & anno post acceptam Bremam xii. conjunctus est Bremensis & Hammaburgensis episcopatus a papa Nicolao, & post hæc supervixit sanctus Ansgarius annos septem, & cum triumpho majori quam regum pervenit ad Christum.

S. Reinbertus sedit annos xxiii. menses quatuor, dies octo. Anno ejus vi. Dani cum novem regibus occeani Frisiam & Saxoniam impugnantes a Ludovico juniore victi sunt oratione sancti Reimberti, anno ejus xii. Ludovicus Cæsar obiit, Romanum imperium cecidit.

S. Adalgarius sedit annos xviii. menses xi. dies duos. Hujus anno primo Arnulfus imperator Saxoniam debellavit. Anno ejus viii. Hungari egressi sunt. Arnulfus imperator obiit.

Ogerus sedit annos septem, menses vii. dies xii. Hujus anno secundo Hungari, Sclavi, Dani & Normanni, devastato imperio, Bremam destruxerunt, & totam Saxoniam consumpserunt; Ludovicus rex obiit.

Eginwardus sedit menses novem, dies tredecim.

Virni sedit annos xvi. menses xi. dies xvii. Conradus rex obiit. Hujus anno primo Henricus rex Hungros a Saxonia depulit, & Sclavorum centum viginti millia secus Albiam occidit. Danos etiam & Normannos subjecit sanctus Virni archiepiscopus. Danos & Normannos evangelizando apud Brecam obiit.

Adaldagus archiepiscopus sedit annos quinquaginta quatuor, menses septem, dies undecim. Hujus anno primo magnus Otto

imperator regnavit, & ipſe Danos triumphavit, Sclavos, Hungaros & Italos tributarios reddidit. Ipſe primus ordinavit epiſcopos in Daniam anno ſedis prædicti archiepiſcopi XI. Horedum *Sleſwvic*, Liafdagum ripam, Reginbrodum *Haruſan*. Anno Adalgiſi XLII. ſecundus Otto triceſimus nonus imperator obiit.

. . . WIZO ſenior ſedit annos XXV. menſes X. dies VII. hujus anno XII. M. Incarnationis Domini anno tertius Otto obiit. XXII. Bernardus dux & Lutgerus frater ejus obierunt.

... WANUS ſedit annos XVI. dies XXIV. Iſte *Alaph* regem Normannorum & *Chutun* Danorum familiares reddidit. X. hujus; XIV. anno Henricus imperator obiit.

YAWIZO junior ſedit annos tres, menſes VI. dies II.

HERMIANUS ſedit annum I. dies XIV.

ALEBRANDUS ſedit annos VIII. menſes VI. dies XXVII. Hujus anno IV. piiſſima ſenatrix Emma obiit: anno ejuſdem octavo eccleſia S. Petri Bremæ concremata eſt, anno poſtquam facta eſt a ſancto Willehado CCXLIV.

ADELBERTUS ſedit annos XXVIII. Hujus anno XXII. Brema devaſtata eſt. XXIV. epiſcopatus conſumptus eſt, XXVI. præpoſitura mortua eſt, XXIX. præbenda ſepulta eſt.

EKKEHARDI ABBATIS LIBELLUS

DE EXPUGNATIONE JEROSOLYMITANA

Ex mſ. bibliothecæ regis Chriſtianiſſimi.

OBSERVATIO PRÆVIA.

GESTA Dei per Francos, hoc eſt, ſcriptores eos, qui de ſacra expeditione Jeroſolymitana tractaverunt, multo perquiſitos labore, unum in corpus collegit ediditque duobus majoris formæ voluminibus, vir de litteraria republica benemeritus Jacobus Bongartius anno MDCXI. cujus editionem eo lubentius exceperunt homines antiquæ hiſtoriæ ſtudioſi, quod nihil hoc in genere ſcribendi poſt tantam eruditi viri viri diligentiam deſiderari poſſe exiſtimabant. His tamen, Andreas Ducheſne, ſeu potius Franciſcus ejus filius, tres ejuſdem argumenti non contemnendos auctores addidit, Petrum Teutboldum, Fulcherium Carnotenſem, a Bongartio quidem editum, ſed longe auctiorem; & Gilonem Pariſienſem. Johannes etiam Mabillonius in Muſæi Italici tomo I. Belli ſacri hiſtoriam tribus libris ab auctore anonymo conſcriptam e veteri Caſinenſi codice eruit & publici juris fecit. Sed & nos tom. III. Theſauri Anecdotorum Tancredi principis, eo in bello præclaris facinoribus inſignis, geſta a Radulpho Cadomenſi ejus magiſtro litteris commendata edidimus, uſque ſubjecimus Gilonis Pariſienſis opus olim a Cheſnio editum, ſed tot mendis ac lacunis deturpatum, ut vix poſſet intelligi. Menda correximus, lacunas ad minimum ducentas explevimus, addidimus & libri quarti partem & quintum ſextumque libros integros a Cheſnio prætermiſſos, ſicque novum auctorem aut ſaltem innovatum eruditis viris exhibuimus. Quis autem fuerit ille Gilo Pariſienſis nullus hactenus ſcriptor indicavit; ſed neque ii qui auctorum bibiothecas ex profeſſo conſcripſere, Poſſevinus, Geſnerus, Bellarminus, Caveus & alii vel levem illius aliquando mentionem feciſſe reperiuntur. Patriam autem ſuam ipſe in fine libri ſexti haud obſcure declarat his verſibus:

Hæc ego compoſui Gilo nomine, Pariſienſis
Incola, Tociaci non inficiandus alumnus.

prætereaque nihil. Verum magnam in tanta caligine lucem nobis attulit vetuſtiſſimus codex Marchianenſis, plures belli ſacri ſcriptores complectens,

quos inter extat & ipſum Gilonis opus, cui hic præfigitur titulus, Hiſtoria Gilonis cardinalis de via Jeroſolymitana, *& in fine legitur*: Explicit libellus Gilonis Pariſienſis clerici, poſtea Cluniacenſis monachi, inde cardinalis epiſcopi de via Jeroſolymitana, quando expulſis & occiſis paganis devictæ ſunt Nicæa, Antiochia, Jeruſalem a Chriſtianis. *Giloni itaque patria fuit Tociacus, Pariſienſis incola & clericus dictus eſt, propter aliquod haud dubie beneficium quod in eccleſia Pariſienſi obtinebat. Eo dimiſſo, ac ſæculi divitiis monaſticam paupertatem longe anteponens, ad celeberrimum toto orbe monaſterium Cluniacenſe confugit, ibique factus monachus, Romana non multo poſt purpura decoratus eſt. Et ni me mea fallit opinio, ipſe eſt Gilo ille cardinalis, qui S. Hugonis abbatis Cluniacenſis vitam ſcriptis ſuis exornavit. Giloni etiam in noſtro Anecdotorum theſauro ſubjecimus Jacobi de Victoriaco epiſcopi Acconenſis opuſculum quoddam nondum editum, cum quatuor ejus epiſtolis ad Honorium papam III. de expugnatione Damiatæ.*

Poſt tantam auctorum illorum ſegetem, poſt toties collectas a ſtrenuis & ſedulis viris ſpicas, quæ ſpes ſupereſſe poterat aliquid hujuſmodi in poſterum metendi? Et ecce nobis varias bibliothecas perluſtrantibus, nihilque tale ſperantibus occurrerunt duo novi ſcriptores hactenus inediti. Primum ſuppeditavit bibliotheca regis Chriſtianiſſimi codex antiquiſſimus, ipſo auctoris ævo fere conſcriptus, in quo Ekkehardi abbatis S. Laurentii Uraugienſis chronicon ampliſſimum & eximium continetur, quod ille, rogante Erchemberto Corbeiæ novæ abbate, quinque libris digeſtum compoſuit, eique libellum, qui dicitur Jeroſolymita, de oppreſſione, liberatione, & reſtauratione Jeroſolymitanæ eccleſiæ *ſubjunxit, ad levamen ſacræ peregrinationis ab illo ſuſceptæ. Hæc diſcimus ex nuncupatoria ad Erkembertum abbatem epiſtola Ekkehardi, ipſius chronico præmiſſa. Hinc colliges prædictum ejus libellum quem hic exhibemus anno* MCXVII. *fuiſſe conſcriptum, quo* abbas Corbeienſis Erkembertus pluresque de Saxonia Jeroſolymam vadunt, *teſtante chronographo Saxonico.*

Hic autem libellus ab auctore coævo conſcriptus eo majoris debet eſſe pretii, quòd ſingularia nonnulla atque hactenus inaudita refert, quæ eruditorum virorum animos mirum in modum recreare poſſunt. Hujuſmodi eſt illud quod de duplici urbis Jeroſolymitanæ uno eodemque anno expugnatione narrat, primo a Babyloniis, ſecundo a Chriſtianis, quod fruſtra apud alios ſcriptores quæras. Singulare eſt etiam illud quod de ſuſcepta a Teutonicis ſacra expeditione apud eum legimus. Nam etſi Germaniæ populi ſub Henrici imperatoris ſchiſmatici gravi jugo gementes, vocem Urbani ſummi pontificis ad bellum ſacrum fideles exhortantis audire neglexerunt, vulgante tamen publica fama Francorum in expugnatione Nicææ, Antiochiæ, & Jeruſalem præclara facinora, tanta gloriæ voluerunt & ipſi eſſe participes, collectoque numeroſo exercitu, ad ſimile opus ſe accinxerunt, ſed non eodem ſucceſſu. Nam perfidi imperatoris Conſtantinopolitani proditione totus ille exercitus ita diſſipatus eſt, ut ex eo vix mille milites patrios lares reviſerint: quin ipſe Salisburgenſis archiepiſcopus variis cruciatus tormentis præclara morte martyrii palmam ſit conſequutus.

Porro de auctore hujus libelli hæc ſcribit Johannes Trithemius: Eckardus primus abbas monaſterii S. Laurentii, quod Uraugia dicitur, in diœceſi Herbipolenſi, in Hercinia ſilva, ordinis S. Benedicti, natione Teutonicus, vir in divinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſæcularibus litteris nulli inter Germanos ſuo tempore doctorum inferior, metro excellens & proſa, &c. *Et Gerardus Voſſius lib. 2. de ſcriptoribus latinis cap.* 49. Eckardus primus abbas Uraugienſis monaſterii, in diœceſi Herbipolenſi, ordinis

S. Benedicti floruit ſub Conrado III. anno MCXXX. ac præter monachorum Laternam, cujus ſolius meminit Trithemius, præterque ſermones & epiſtolas, etiam & chronicon reliquit. *Erunt fortaſſe, qui chronicon ejus, eximium prorſus opus, quod præ manibus habemus, hic a nobis non exhiberi conquirantur. Verum ab hoc onere liberavit nos inſignis plagiarius Conradus abbas Urſpergenſis, qui illud ſibi ipſi attribuere non eſt veritus, debitamque Ekkehardo gloriam ingenti furto totam in ſe tranſmovit. Nam ſi decem forte primas paginas excipias, & ea quæ Ekkehardi noſtri ætatem ſequuntur, atque breviſſima quædam eaque rariſſima aſſumenta, integrum abbatis Urſpergenſis chronicon, ne vel minimo quidem apice prætermiſſo, parentem habuit Ekkehardum.*

Præter hunc libellum reperimus etiam in celeberrimo diœceſis Trevirenſis monaſterio Himerodenſi, ordinis Ciſtercienſis, novam hiſtoriam ſacræ expeditionis ſub nomine Patriarchæ, epiſcoporum & totius eccleſiæ Jeroſolymitanæ, ab anonymo conſcriptam, cujus auctor, quiſquis ille eſt, ſcribebat anno III. *Balduini regis, filii Fulconis Andegavenſis, uti ipſe indicat in præfatione, hoc eſt anno* MCXLV. *Repertum codicem, annuente reverendiſſimo abbate, ſtatim exſcripſimus, quem in Gallias reverſi examinantes, animadvertimus Roberti monachi S. Remigii Remenſis eo de argumento opus majori ex parte verbotenus in illo repræſentari, nonnulla etiam ex Fulcherio Carnotenſi. Quapropter licet ex nova illa hiſtoria auctoritatem accipiat Roberti monachi lucubratio, quam approbatione ſua confirmat tota Jeroſolymitana eccleſia; ſat nobis erit illius hic proferre præfationem, integram alias edituris hiſtoriam, ſi virorum eruditorum vota eam a nobis exigere viderimus.*

Huic ſubjungemus ex mſ. Florinenſi brevem narrationem belli ſacri. Cui accedit ex mſ. Chauveliniano breve carmen de viris illuſtribus diœceſis Tarvanenſis, qui in ſacra fuerunt expeditione, *& ex codice Aquicinctenſi* Lamentum lacrymabile ſuper his, qui in expeditione Jeroſolymitana diverſis mortibus, juſto quidem, ſed occulto & inſcrutabili Dei judicio interierunt.

INCIPIT PROLOGUS.

CHriſti familiæ fideli prudentique diſpenſatori ERKENBERTO, necnon ejuſdem formoſo gregi ſub tam elegante paſtore Chriſti martyrum Stephani atque Viti excubias celebranti, frater EKKEHARDUS cum ceteris S. Laurenti pauperibus, ſi quid valet caritas non ficta tantis preſſa ponderibus.

En ſarcinis propriis media interim via relictis, impoſitum nobis ab auctoritate veſtra grande videlicet onus, Deo gratias, Chriſto laudes, ad metam uſque detulimus, ſoli tantum caritati, quæ cum Deus ſit, nihil nimirum nequit utrimque, digne aſcribentes, quod ipſa ſemper manum porrigente tanta tantilli potuimus. Ecce enim diverſorum chronologia factorum ſeries ab exordio mundi hiemando decurſas noſtrorum temporum fecibus etiam per noſtri ſtili ſupplevimus officium, per hoc ipſum præcepti veſtri voto, quamvis non abſque famæ noſtræ periculo, volentes jam eſſe ſatisfactum. Igitur ob faſtidii remedium quinque libellis opus ipſum diſtinguitur. Primus conditione urbis Romæ, ſecundus Chriſti nativitate, tertius imperio Caroli, quartus illius qui adhuc ſupereſt, quintus Henricus imperator appellatus eſt, terminatur. Cujus enim nomine quintum non incongrue librum videbatur inſcribi, quem ad arbitrium uniuſcujuſque ſcriptoris conſtituimus finiri. Addidimus quoque in fine cedulæ libellum quem *Hieroſolymitam* dicimus, & peregrinationis tibimet, ô pater venerande, jam divinitus inſpiratæ, levamen ſpeciale futurum non ambigimus. Unum eſt ergo quod votis omnibus exoptamus, quod etiam noſtri laboris compenſationem ſummopere poſtulamus, quatenus volumen præſens noſtræ ſervitutis debitum in cœnobio Corbeienſi perpetualiter perſolvat, ac renovatæ per ſe priſtinæ ſocietatis, quam ſub ſanctæ memoriæ patreque dilectiſſimo MARCWARDO conſequuti ſumus monimentum in armario S. Viti pro pauperibus S. Laurentii poſteris prætendat. Ad hæc nimio nec immerito erga reverentiam veſtram faventes affectu caritatis direximus unanimem noſtrum vobiſque per omnia nihilominus devotum Amelium priorem noſtræ congregationis, qui & tibi, pater, ad veſti-

gia Salvatoris tendenti præſentialiter noſtra vice intimum vale faciat, ac inter utramque congregationem mediator notiſſimus ac teſtis idoneus optatæ fraternitatis noſtræ ore ad os confirmare ſufficiat, & ſi qua ſunt litteris neglecta hinc inde reſponſa ſubinferat. Valere vos ſemper & in æternum vivere nos oramus unanimes & ſine intermiſſione.

IN CHRISTI NOMINE incipit libellus qui dicitur Jeroſolymita, de oppreſſione, liberatione, ac reſtauratione Jeroſolymitanæ eccleſiæ.

Prologus. DE militiæ vel expeditionis cauſa, quæ temporibus noſtris non tam humanitus quam divinitus ordinata eſt, Jeroſolymam ex omnibus pene mundi, ſed maxime Occidentalium regnorum partibus tendentium, fert animus æſtuans aliqua præſcriptis adjicere, & per hoc auctoritati tuæ, paſtor venerande, univerſoque gregi ſanctorum Stephani (a) atque Viti ſub virga tua trementi [æ] ſatisfacere. Non enim fas arbitror, his quibus me ipſum totum debeo, cum jam in majoribus obedierim, id eſt ab initio temporum uſque ad noſtrorum temporum feces diverſorum chronicorum traditiones memorabiliores pro poſſe & noſſe digeſſerim, etiam hæc quæ minora ſunt caritati veſtræ denegare, quod eſſet omnino in holocauſto Domini caudam cum capite non offerre. Impellit etiam in idipſum, me quorumdam imprudentium, immo impudentium neceſſaria nimis redargutio, qui vetuſto ſemper errore contenti, novitatem hanc jam ſeneſcenti & prope intereunti mundo pernecceſſariam ore temerario præſumunt reprehendere, ipſi Epicureo more voluptatum magis latam quam artam divinæ ſervitutis viam amplectentes, appetitum mundi prudentiam, contemtum ejus ſtultitiam, hoc eſt carcerem patriam, tenebras lucem, malum bonum, mortem vitam, proh pudor! corde cæciſſimo prave diſcernentes. Lenocinatur eis in hoc, & audaciam hujuſmodi ſubminiſtrat depravata jam undique, ſed maxime partibus in iſtis rerum vertigo, ubi ſapientia præ omnibus inviſa, virtus omnis eſt odioſa, religio deſpicitur, humilitas conculcatur, aſtutia primatum præſtat, vitium amorem conciliat, crudelitas extorquet amorem, ſuperbia imperat honorem. Nos autem in Domino tantum confidentes, nec præſentibus, ſed futuris inhiantes, ac licet ſpectatores pigri, fautores tamen benevoli laudemus alios quoſdam noſtri temporis glorioſos, qui vicerunt regna mundi, qui relictis propter pium ovis centeſimæ quæſitorem conjugibus ac liberis, regnis ac divitiis, poſuerunt animas ſuas, zelo zelantes pro Domino Deo exercituum, utraque ornati fortitudine, regis ſui cœleſtis incuntes ſervitium, excitati ſcilicet in zelum frequentibus nuntiis ſuper oppreſſionem Dominici ſepulchri, ac deſolatione omnium Orientalium eccleſiarum, quas gens ferociſſima Turcorum per aliquot annos ſuo ſubactas dominio, inauditis calamitatibus jamjamque deleverat, quibus, ut dictum eſt, ſubvenire ſtatuentes, ſicut diverſis agminibus, ita diverſis & incertis plerique ducibus properabant. Primi namque Petrum (b) [b] quemdam monachum ſequentes ad quindecim millia æſtimati, per Germaniam, indeque per Bajoariam atque Pannoniam pacifice tranſibant, quamplurimi vero navali per Danubium, vel per Alemanniam pedeſtri itinere, aliique ad duodecim millia per Saxoniam atque Bohemiam a quodam preſbytero Folemaro, itemque nonnulli a Goteſcalco preſbytero per orientalem Franciam ducti ſunt. Sed enim de his altius replicemus.

2. Tempore HENRICI IV. imperatoris Romani, & ALEXII Conſtantinopolitani, juxta præſagium evangelicum ſurrexit undique gens contra gentem, & regnum adverſus regnum, & terræ motus magni erant per loca, & peſtilentiæ & fames, terroreſque de cœlo, & ſigna magna, & quia jam in omnes gentes evangelica tuba juſti judicis adventum præconabatur, ecce jam totum circumquaque mundum ſigna prophetata portendentem univerſalis eccleſia contemplatur. Jam Jeroſolyma Sarracenis civibus poſſeſſa, Babyloniæ quæ nunc ſedes eſt regni Ægyptii ſerviebat, jam tenuis in ea Chriſtianæ profeſſionis religio quotidiano ſe tributo redimebat. Bethleem domus panis angelorum ſtabulum factum eſt Armeniorum, univerſæque circumcirca eccleſiæ per omnia ludibriis numeroſo annorum circuitu ſubjacebant paganorum. Orto inteſtæ bello forte miſerabili inter Chriſtianos orientales, id eſt Græcos & Armenios; Armenii utpote regnis & numero pauciores, affines aſciſcunt ſibi de Perſia bellatores inclytæ famæ Turcos, quorum auxilio ſedata juxta placitum ſuum ſeditione, dimiſerunt eos ad propria, nimis allectos terrarum ipſarum copia & fertilitate. Qua de re, inito per annos aliquos conſilio, emerſerunt ab aquilonari plaga de terra Gorizana, quæ plus hominum quam victuum fertilis eſſe narratur, præſcriptorum paganorum copiæ multæ, quæ ſub quatuor ſultanis diviſæ (ſic enim ſatrapas ſuos nominare ſolent,) uni tantum Perſico imperatori pene divini cultus more ſubjecti, per Armeniam indeque Cappadociam totamque Romaniam atque Syriam diffuſi ſunt.

Turcæ abſque meniis vocati Terram ſanctam ſibi ſub quatuor ſoldanis ſubjiciunt.

(a) Id eſt Corbeiæ novæ, cujus eccleſia S. Stephano primum conſecrata, adjunctum habuit patronum S. Vitum, poſtquam in illam corpus ejus tranſlatum eſt.

(b) Vulgo dictus eſt Petrus eremita, dux belli ſacri.

Primo Nicæā expugnant.

3. Primo quippe Nicæam catholicæ quondam fidei turrim firmiſſimam expugnant, trucidatis in ea Chriſtianis quos ceperant; Solomanum quemdam de ſuis tyrannum cum præſidiis locant, univerſas circumquaque regiones uſque ad paludem ſive ſinum matris, * qui brachium S. Georgii dicitur, funditus devaſtantes, nulli animæ Chriſtianæ, nulli eccleſiæ vel monaſterio, immo nec ipſis ſanctorum imaginibus parcentes. Vidimus enim & adhuc videre eſt miſerabile ſpectaculum in ſemidirutis partium illarum oratoriis, ipſam Salvatoris noſtri, ejuſdemque glorioſiſſimæ genitricis, ſeu quorumlibet electorum picturas truncatis naribus vel auribus, manibus vel pedibus deſolatarum eccleſiarum quodammodo luctum viſibiliter prætendere, divinique judicii ſuper ſe vigilantem virgam plagis quaſi ſemper recentibus oſtentare. His te gladiis, ô nobiliſſima Conſtantinopolis, nec regis tui tutavit milleformis aſtutia, nec civium populoſitas innumera, non te frequentia nundinarum, vel infinita congerics auri redemit, non te Waringorum, non te Turcopolorum tuorum, vel Pincinatorum claſſium multitudo defendit; ſolum tibi ſtagni prædicti interſtitium præſidio fuit: immo ſola te creatoris operatio munivit. Subjacuit furoribus iſtis præpotens quondam Antiochia, & ne multis morer dexteras dederunt tota ſimul Syria atque Palæſtina.

* maris.

Jeruſalem duplici jugo gravata.

4. Igitur terra repromiſſionis ſubacta, mater noſtræ redemtionis & fidei Jeruſalem duplici captivitatis jugo gravatur. Solamen tamen erat utique perparvulum, quod opprimentium ſe Sarracenorum Turcis multo turpior plebs æqua ſorte multatur. Poſito inibi ſultano, militibuſque numeroſis, ad inſtaurandum antemurale quod hactenus cernitur, aliave quælibet ædificia deſtruuntur, illa quæ extra civitatem erant monaſteria, Domini vero ſepulchrum quæſtus dumtaxat gratia intemeratum relinquitur. Templum Domini famoſiſſimum nulli, ut arbitror, humani operis ſtructuræ comparandum, ſacrilegæ paganorum religioni reſervatur, tantæque ſemper apud illos habebatur venera-

Nota.

tioni, ut numquam illud niſi nudis & lotis pedibus intrarent; nullum vero de Chriſtianis, quos utique maxime immundos judicabant, per tot annorum curricula, tam Sarracenorum quam Turcorum tempore, vel intra atrium ingredi permitterent. Cum vero victores iidem, nunc armis, ut res poſcebat, inſudarent; nunc luſibus & deliciis, utpote a glarea jejuna in terram maxime fructiferam tranſplantati ſibimet indulgerent, in illorum ſervitio quæ tormenta, quas cruces, quaſve per omnia miſerias ſuperſtites Chriſticolæ paterentur, vix cuilibet experto credibile eſt, per legationes tamen frequentiſſimas & epiſtolas etiam a nobis viſas univerſalem eccleſiam eccleſiæ Jeroſolymitanæ in præſidium lugubriter inclamantes, advocati facile non poteſt. Prædictus etiam ALEXIUS imperator Conſtantinopolitanus ſuper eiſdem barbaris prædonibus per majorem jam regni ſui partem diffuſis, non paucas epiſtolas URBANO papæ direxit, quibus in defenſionem orientalium eccleſiarum ſe non ſufficere deploravit; obteſtans totum, ſi fieri poſſet, occidentem, qui jam ex integro Chriſtiana religione cenſeretur, ſibi in adjutorium advocari, promittens per ſe cuncta neceſſaria præliaturis terta marique miniſtrari.

Alexius C. P. imperator ab Urbano II. auxilium implorat.

5. Inde commotus apoſtolicus & omnis eccleſia anno Dominicæ Incarnationis MXCVI. generale concilium in Hiſpaniæ (a) confinio congregari fecit, quo etiam ipſe laborioſo nimis itinere perveniens, innumeris qui ibidem convenerant, populis diverſorumque regnorum legatis, univerſa, quæ præſcripta ſunt multo ampliora, ore facundiſſimo declamavit. Mox tot millibus in lacrymas reſolutis, variarum quoque linguarum planetibus in altum levatis, in hoc eis doctor egregius remiſſionem omnium donat peccatorum, ſi renuntiatis omnibus quæ poſſidebant, crucem poſt Chriſtum unanimiter portantes, periclitantibus cum Chriſtianis ferrent auxilium. Qua ſponſione arrectis animis omnium, deſignata ſunt ad præſens in Domini militiam circiter centum millia virorum ex Aquitania ſcilicet atque Normannia, Anglia, Scothia, & Hibernia, Britannia, Gallicia, Waſconia, Gallia, Flandria, Lotharingia, ceteriſque gentibus Chriſtianis, quarum nunc minime occurrunt vocabula, crucis ſignaculum in veſtibus ferentes. Idem vere crucifer exercitus ob mortificationis præferebat admonitorium, credens in hoc juxta viſionem magno quondam Conſtantino revelatam ab inimicis Crucifixi ſe triumphaturum.

Qui concilii generale cōgregat, in quo decreta expeditio. [a]

6. Mira autem & inæſtimabili divinitatis diſpenſatione tot Chriſti membra, linguis, tribubus & nationibus differentia, ſubito in unum Chriſti caritate conglutinati coaluerunt corpus, uno omnes Chriſto rege, ſed ſingulis ſingulæ gentes procuratæ ducibus, GOTHEFRIDO ſcilicet Lotharingienſi, ſuiſque fratribus BALDEWINO & EUSTACHIO, RUOTPERTO Flandrenſi, item RUOTPERTO Normannico, RAGIMUNDO comite de S. Ægidio, HUGONE fratre Philippi regis Galliæ, ceteriſque ejuſdem induſtriæ, nobilitatis atque fortitudinis bellatoribus, quibus omnibus venerandæ ſanctitatis & ſapientiæ viris HADEMARUM epiſcopum præfatus apoſtolicus præfecit, cui & ligandi ſolvendique poteſtatem a beato Petro Romanæ ſedi hereditatam ſua vice ſemper exercendam conceſſit, inſignitumque cœleſtis militiæ ſtigmate exercitum apoſtolica benedictione conſignans,

Expeditionis duces præcipui.

(a) Immo in Galliæ civitate Clatomontana.

condigno ab universis tempore profectionis, ipse cum non modica ejusdem expeditionis turma Italiam rediit.

Cruce signatorum crescit numerus.

7. Legatis denique singulis ad propria reversis, pervagata eis citraque mox orbem cunctum hæc fama commovit. Insuper, quod dictu mirabile est, ipsum oceani limitem velocitate consueta supervolans, insulanorum etiam classibus maria ipsa in cœlestis regis militiam redundare fecit. Nam ut verissime comperimus, tam ignotos effudit oceanus populos, cujus non dicam mores & habitus, sed ne loquelam quisquam hujus littoris habitator vel de ipsis marinariis agnosceret, rursumque alios, quibus nihil præter panem & aquam in usu victus esset, itemque quosdam quibus argentum pro ferro in omnibus suis utensilibus esset. Hinc & undecumque augebatur quotidie circumcirca signatorum numerus, &, ut prælibavimus, in hujusmodi expeditionem totus fervet, totus concutitur, vel potius transformari videbatur mundus.

Gallia tunc fame & mortalitate afflicta.

8. Francigenis occidentalibus facile persuaderi poterat sua rura relinquere. Nam Gallias per annos aliquot nunc seditio civilis, nunc fames, nunc mortalitas nimis afflixerat. Postremo plaga illa quæ circa Nivellensem S. Gertrudis ecclesiam orta est, ad vitæ desperationem terrucrat. Erat autem hujusmodi tactus quisquam igne invisibili, quacumque corporis parte tamdiu sensibili, immo incomparabili tormento etiam irremediabiliter ardebat, quousque vel spiritum cum cruciatu, vel cruciatum cum ipso tacto membro amitteret. Testantur hoc hactenus nonnulli manibus & pedibus hac pœna truncati. Reliquarum nationum plebes vel personæ aliæ præter apostolicum edictum, prophetis quibusdam inter se nuper exortis seu signis cœlestibus ac revelationibus ad terram se repromissionis vocatas, aliæ se quibusvis incommoditatibus ad talia vota compulsos fatebantur. Magna quippe pars eorum cum conjugibus ac prole totaque re familiari onusti proficiscebantur.

Apud Alemannos propter schisma crux non fuit prædicata.

9. Orientalibus autem Francis, Saxonibus & Thuringis, Bajoariis & Alemannis hæc buccina minime insonuit, propter illud maxime schisma, quod inter regnum & sacerdotium a tempore ALEXANDRI papæ usque hodie tam nos Romanis, quam Romanos nobis invisos & infestos jam heu! firmavit. Inde est quod omnis pene populus Theutonicus in principio profectionis hujus causam ignorantes, per terram suam transeuntes tot legiones equitum, tot turmas peditum, totque catervas ruricolarum, feminarum ac parvulorum, quasi inaudita stultitia delirantes subsannabant, utpote qui pro certis incerta captantes, terram nativitatis vane relinquerent, terram repromissionis incertam certo discrimine appeterent, renuntiarent facultatibus propriis, inhiarent alienis. Sed quamvis nostra gens ceteris multo sit insolentior, respectu tamen miserationis divinæ inclinatur tandem ad verbum ejusdem remunerationis furor Theutonicus, a commeantium scilicet turbis rem ad integrum edoctus. Præterea signum in sole quod præscriptum est visum, multaque quæ tam in aëre, quam in terris portenta apparuerunt, ad hujusmodi exercitia non paucos antea torpidos excitaverunt, e quibus aliqua hic interseri duximus utilissimum, cuncta vero longissimum. Nam & nos cometam in plaga meridiana stantem, suumque splendorem in obliquum gladii more protendentem tunc circa nonas Octobris vidimus; anno vero post hæc tertio stellam aliam in oriente locum suum longo interstitio saltibus mutantem VI. calendas Martii conspeximus. Nubes quoque sanguineas tam ab Occidente, quam ab Oriente surgentes, sibique invicem in cœli centro concurrentes, rursumque mediis noctibus a Septentrione igneos exsurgere splendores, plerumque etiam faculas per aërem volitantes vidisse nos testibus plerisque comprobamus.

Varia prodigia Teutonicos ad bellum sacrum excitant.

10. Non multo ante hos annos quidam venerabilis vitæ presbyter nomine SUIGGERUS, cujusdam dici hora fere IX. duos equites conspexit concurrentes in aëre, diuque concertantes, alterum qui & crucem non modicam ferebat, qua & percutere videbatur, in altero victorem existere. Eodem tempore G. presbyter qui nunc sub monachica professione nobiscum pro primogenitis asini debitum ovinum Christo persolvit, hora quadam * mediana cum duobus comitibus in silva deambulans, gladium miræ longitudinis venti vertigine, ignotum unde levaretur, in sublime deferri vidit, & quousque visum altitudo celaret, tam fragorem auribus, quam metallum oculis discrevit. Referebant aliqui, qui in equorum pastibus vigilabant, civitatis se speciem in aëre vidisse, diversas etiam turbas diversis ad eam partibus tam equestri quam pedestri itinere properantes perspexisse. Nonnulli etiam crucis signaculum sibimet in frontibus vel vestibus seu in quolibet corporis loco divinitus impressum ostendebant, ipsoque se stigmate ad eamdem Domini militiam præscriptos credebant. Item, aliis subita mentis mutatione compunctis, vel visione nocturna edoctis, prædia resque familiares distrahere, signumque mortificationis vestibus assuere placuit. In his omnibus ultra quam credi potest catervatim currentibus ad ecclesias populis, novo ritu gladios cum fustibus & capsellis sacerdotalis benedictio dispertivit. Quid referam temporibus ipsis mulierem quamdam duobus annis continuis imprægnatam, tandemque disrupto utero filium loquentem fudisse. Itemque infantulum per omnia bimem-

* f. mediana.

brem, alterum vero capite bino, agnellos quoque aliquos binis capitibus exortos fuisse, pullos etiam equarum dentes majores, quos equinos appellant, quosque nonnisi trimis caballis natura concedit, in ipso partu protulisse. His & hujusmodi signis tota creatura in creatoris se militia cohortante, nihil moratur inimicus ille, ceteris etiam dormientibus semper pervigil, bono illi semini zizania sua superseminante, pseudoprophetas suscitare Dominicis exercitibus falsos fratres & inhonestas feminei sexus personas sub specie religionis intermiscere; sicque per aliorum hypocrisim atque mendacia, per aliorum vero nefarias pollutiones Christi greges adeo turpabantur, ut juxta pastoris vaticinium, etiam electi in errorem ducerentur. Inde fabulosum illud confictum est de Carolo Magno quasi de mortuo in idipsum resuscitato, & alio nescio quo nihilominus redivivo, frivolum quoque illud de anscre quasi dominam suam deducente, multaque id genus.

Seductores sub pelle ovina.

11. Iidem tamen seductores quemadmodum singuli a suis fructibus sint cogniti, quomodo veste sub ovina lupi sunt denotati, hi potissime qui ex illis adhuc supersunt, licet ut perquirantur; scilicet * quo partu, juxta promissum suum, absque navigio mare transierunt, quibus præliis vel locis multos paganos parva manu straverint, quas eorum munitiones illico ceperint, qua postremo parte murorum Jerusalem castra posuerint, & cetera; nihil habentes quid respondeant, tam de oblationibus fidelium per hypocrisim susceptis, quam de cæsis ob rapinam, quas seduxerant, turbis, propriaque maxime apostasia, necesse est ut pœnitentiam agere cogantur. Nam, ut prælibatum est*, plebs Folcmarum per Bohemiam sequens, eum apud Nuram Pannoniæ civitatem seditione concitata, partim captivitate, partim ferro disperiisset, pauciſſimi qui remanserant adhuc testari solent, quod crucis signum super se cœlitus apparens ab imminente eos nece liberasset. Godescalcus vero non verus, sed falsus Dei servus, postquam non sine damno orientalis Noricæ Hungariam cum suis intravit, ammiranda falsæ religionis specie munitionem in arce quadam constituere, & in ipsis locatis præsidiis, per reliquum vulgus Pannonias circumcirca vastare cœpit. Quo nimirum oppido ab indigenis sine dilatione capto, & turba multa trucidata atque captivata, grex reliquus dispersus, ipseque mercenarius non pastor turpiter fugatus est.

* Supra.

Emico comes.

12. Surrexit etiam diebus ipsis quidam vir militaris comes tum partium illarum quæ circa Rhenum sunt, Emicho nomine dudum tyrannica conversatione nimis infamis, tunc vero velut alter Saulus revelationibus, ut fatebatur, divinis in hujusmodi religionem advocatus, fere quatuordecim millium signatorum per civitates Rheni, Mœni quoque, atque Danubii deducti, execrabilem Judæorum quacumque repertam plebem, zelo Christianitatis etiam in hoc deservientes, aut omnino delere, aut etiam inter ecclesiæ fatagebant compellere sinum. Ad confinia quoque Pannoniorum innumeris jam utriusque sexus copiis cum pervenissent, multiplicati, regnum ipsum, quod scilicet partim paludibus, partim silvis cingitur, per obfirmata præsidia vetantur ingredi. Fama quippe Colomanni regis jam præmonuerat aures, inter paganorum & Hungariorum necem nihil apud Theutonicas differre mentes, qua de re munitionem *Misenburg* per sex hebdomadas expugnantes, plura inibi patiuntur incommoda, inter quæ etiam quis illorum sub nomine regis Pannoniarum potiretur terris, civili stultissimaque quatiuntur discordia. Itaque oppugnatione insudantes ultima, jam muris interruptis, jam fugientibus oppidanis, jamque indigenarum exercitu vastante propria flammis, miro Dei omnipotentis nutu, victor peregrinorum exercitus terga nihilominus vertit, relictisque suppellectilibus, nihil quisque præter miseram animam emolumenti reportavit. Sic nimirum sic nostræ gentis homines zelum Dei, sed non secundum scientiam habentes, quippe qui in militia quam in liberandis Christianis Christus præviderat, alios vicissim Christianos persequi cœperant, miseratione divina fraterno sanguine repressi, Hungarii quoque liberati sunt. Hæcque est causa qua quidam simpliciores fratres, utpote rem ignorantes scandalizati, totum hujus profectionis conatum vacuum & frivolum ipsi nimis præproperi judices interpretati sunt.

In Pannonis negatur peregrinis transitus.

Eorum exercitus fugatus.

13. Paleis tamen ex area Dominica hujusmodi ventilabro discussis, vidimus grana triticea naturalis soliditatis gravitate perdurantia, Godefridum scilicet, ceterosque prænominatos veræ Dominicæ militiæ duces cum suis singuli super omnem stellarum dispositionem, speciosis castris ab universis quas pertransibant gentium principibus pacem ac favorem humilitatis atque caritatis exemplo, ut vere Christi disciplinam sequentes, donec diversis itinerum difficultatibus Bulgaria permeata, Constantinopolitanas attigerant arces. Legimus Jerosolymæ libellum, a loco præsenti totam hujus historiæ seriem diligentissime prosequentem, plurimos populo Dei per triennium labores in captæ Jerusalem lætissima victoria concludentem. Quapropter nos hinc jam pauca de pluribus assignamus, videlicet quod fictis omnino beneficiis Alexius imperator cantos sibimet heroas amicaverit, postea vero sacramentis extortis, ne regno suo vim inferrent, constrixerit, quamvis constet quod dum moram ibidem primæ quæque cohortes, alias

Veræ dominicæ militiæ duces.

Alexii imper. C. P. ficta beneficia.

adventantes expectando, facerent, dolis eos interfeciſſent, niſi GODEFRIDI ducis ſolertia ſupra gregem Domini cautius vigilaſſet. Teſtantur ſeditionem ipſam ſuburbana quætunc deſtruxit, pons quem expugnavit. Quid multa? per duorum fere menſium ſpatium novicios in dies ſuſcepit exercitus Biſantium, e quibus tandem, abſque vulgi, parvulorum ac mulierum incredibili multitudine, recenſita ſunt trecenta millia pugnatorum. Porro cohortes Petrum ſequutæ juſſu Alexii dudum tranſpoſitæ, paganis facerant jam ludibrio factæ.

Niceæ expugnata ipſi traditur.

14. Motis itaque caſtris, Niceam appli- B cuerunt, quam fugato prædicto Solomanno principe expugnantes, captam imperatoris præſidiis tradunt. Sic enim ſacramento firmaverant, ut urbes quaſque imperio ſuo detractas, priſtinæ ditioni, ſi vincerent redderent, ipſique viciſſim tam armis quam ſtipendiis regiis infra metam eamdem ſe foveri non dubitarent. Inde per regnum Conſtantini, terram utique opulentiſſimam progredientes, mare contingunt Ruſciæ, ſicque, ut epiſtola docet a RUODBERTO comite delata, cum tanta alimentorum abundantia militiam ſuam Chriſtus deduxit, ut aries nummo, boſque ſiclo væniſſet. Præterea, inquit, quoties reges vel principes Saracenorum conſurrexerunt in nos, Deo volente facile victi & conculcati ſunt. Ob hæc itaque feliciter acta, quia quidam intumuerant, oppoſuit eis Deus Antiochiam, urbem humanis viribus inexpugnabilem, ubi per novem menſes eos detentos in obſidione ejuſdem, ita humiliavit, ut omnis ſuperbiæ illorum tumor deſideret.

Expugnata Antiochia multa Chriſtiani a Saracenis patiuntur.

15. Igitur eis ſic humiliatis, ut in toto exercitu vix centum equi boni reperirentur, aperuit illis Deus copiam ſuæ benedictionis & miſericordiæ, & induxit illos in civitatem, atque Turcos & omnia eorum poteſtati horum tradidit. Cumque & hoc quaſi viribus ſuis acquiſita obtinerent, nec Deum qui hæc contulerat digne magnificarent, tanta Sarracenorum multitudine obſeſſi ſunt, ut de civitate nullus ex tanta turba egredi auderet. Præterea fames in civitate ita convaluerat, ut vix ab humanis dapibus ſe aliqui continerent. Longum eſt enarrare miſerias quæ in civitate fuere. Reſpiciens autem Dominus populum, quem tamdiu flagellaverat, benigne conſolatur, ac primo quaſi pro ſatisfa- E ctione tribulationis, lanceam ſuam qua in cruce vulneratus eſt, munus non viſum a tempore apoſtolorum pignus victoriæ illis obtulit. Deinde corda illorum adeo animavit, ut etiam quibus ægritudo vel fames ambulandi vires denegaverat, arma ſumendi & viriliter contra hoſtes dimicandi virtutem infunderet. Triumphatis itaque hoſtibus, cum fame & tædio exercitus deficerent Antiochiæ, maxime propter diſcordias principum, in Syriam profecti Barbam & Marram urbes Saracenorum expugnaverunt, & caſtella regionis obtinuerunt; ubi cum moram diſpoſuiſſent, tanta fames in exercitu fuit, ut corpora Sarracenorum jam fœtentium a populo Chriſtiano comeſta ſunt. Inde cum divino nutu in interiora Hiſpaniæ progrederentur, largiſſimam atque miſericordiæ victorioſiſſimam manum omnipotentis patris ſecum habuerunt. Etenim cives & caſtellani regionis illius per quam procedebant, ad eos cum multis denariis legatos præmittebant, parati ſervire & oppida ſua reddere. Et quia exercitus non multus erat, & in Jeruſalem unanimiter feſtinabant, acceptis ſecuritatibus tributarios eos fecerunt; quippe cum una de multis civitatibus, quæ in maritimis illis ſunt, plures homines haberet, quam in exercitu Chriſtianorum fuiſſent. Cumque auditum eſſet Antiochiæ atque Laodiciæ, & Rohan, quia manus Domini eſſet cum eis, plures de exercitu, qui ibi remanſerant, conſecuti ſunt eos apud Tyrum. Sic itaque Deo conviatore & cooperatore uſque ad Jeruſalem pervenerunt. Cujus in obſidione cum laborarent, maxime propter aquæ inopiam, habito conſilio, epiſcopi & principes circi- C nandam eſſe civitatem nudis pedibus prædicabant, ut ille qui pro nobis in humilitate eam ingreſſus eſt, per humilitatem iſtorum pro ſe ad judicium de ſuis hoſtibus faciendum illis eam aperiret. Placatus itaque hac humilitate Dominus, octavo poſt humiliationem illorum civitatem eis tradidit, eo videlicet die, quo primitiva eccleſia inde abjecta fuit, cum feſtum de diſperſione apoſtolorum a multis fidelibus celebratur.

Jeruſalem obſidetur & capitur.

16. Inter hæc minime prætereundum videtur, quod dum exercitus in obſidione Antiochiæ moraretur, pavore perculſis univerſis per Orientem nationibus, diſcurren- D tibus ab omni parte orbis terrarum miſſis exploratoribus, aliis pacem, aliis bella machinantibus, etiam Babylonici regis legati conventui principum ſe præſentes exhibent, inter alia pollicentes, quod ſi victis Antiochenis, etiam Turcos de Jeroſolyma pepulerint, dominum ſuum fratrem & amicum cum univerſis Sarracenis habebunt. Ut enim præſcriptum eſt, Judæam cum Jeruſalem totaque Palæſtina jam olim Turci Sarracenis abſtulerant. Hac de cauſa, ſecuritate accepta, non pauci lectiſſimorum militum Babyloniam diriguntur, quorum fortitudine, proceritate, habitu & inceſſu, omnique elegantia attoniti Barbari, Francos, ſic enim univerſos Occidentales populos nominare ſolent, plus quam homines, id eſt deos eſſe fatebantur: affirmantes omnino non eſſe mirum, quod hujuſmodi bellatores totum affectarent ſibi ſubjicere mundum. Inito denique conſilio rex Babyloniæ Jeruſalem obſidet, oſtenſiſque legatis Francis ſe fœderatum affirmat, quorum gladiis, ſi ſibi civi-

Quæ prius Babylonia capta, præmissa ex adversis Christianis.

Barba & Marra urbes Sarracenorũ expugnatæ.

tatem

tatem non traderent, ipſos tradendos minitat. His itaque dolis rex barbarus, non ſuo, ſed Francorum timore civitatem, dimiſſis cum ſuis omnibus Turcis, omni conatu, machinis atque militibus, contra Chriſtianorum adventum præmunivit, ſicque factum eſt ut Jeruſalem bis uno caperetur anno, primo a Sarracenis, deinde a Francis. De hoſtibus vero ibi repertis quid actum ſit, ſi quis noſſe quærit, ſciat quod in porticu, quæ dicitur Salomonis, & in templo ejus, victores equitabant in ſanguine Sarracenorum uſque ad genua equorum.

Babyloniæ rex multa Chriſtianis minitatur.

17. Deinde cum ordinatum eſſet, qui civitatem retinere deberent, & alii amore patriæ, & pietate parentum ſuorum redire voluiſſent, nuntiatum eſt illis, quod rex Babyloniorum Aſcalonam veniſſet, cum innumerabili multitudine paganorum, ducturus Francos qui Jeroſolymis erant in captivitatem, & expugnaturus Antiochiam, ſicut ipſe dixerat. Aliter autem Dominus de his ſtatuerat. Itaque cum in veritate comperiſſent hi qui Jeroſolymis erant, exercitum Babyloniorum Aſcalone eſſe, contenderunt obviam illis, relictis ſarcinis & infirmis ſuis in Jeruſalem cum præſidio; cumque hoſtium exercitum conſpexiſſent innumerabilem, genibus flexis Deum invocaverunt, ut qui in aliis ſibi neceſſitatibus ſemper affuerat, in præſenti bello confractis viribus paganorum & diaboli, regnum Chriſti & eccleſiæ a mari uſque ad mare uſquequaque dilataret. Nec mora, clamantibus ad ſe Deus affuit, atque tantas audaciæ vires miniſtravit, ut qui eos in hoſtem currere videret, fontem aquæ vivæ ſitientem cervum ſegnem adjudicaret. Miro videlicet modo cum in exercitu Chriſtiano non plus quam quinque millia equitum & quindecim millia peditum fuiſſent, in exercitu hoſtium centum millia equitum & quater centum millia peditum eſſe potuiſſent; tunc mirabilis in ſervis ſuis Deus apparuit, cum antequam confligerent, pro ſolo impetu eorum hanc multitudinem in fugam convertit, & omnia eorum arma diripuit: ita ut ſi deinceps iſtis repugnare vellent, non haberent arma in quibus ſperarent. De ſpoliis vero non eſt quærendum quantum captum ſit, ubi theſauri regis Babyloniæ occupati ſunt. Ceciderunt ibi plus quam centum millia Maurorum gladio: timor autem illis tantus erat, ut in porta civitatis ad duo millia ſuffocati ſint. De his vero qui in mari interierunt, non eſt numerus. Spineta etiam ex ipſis multos obtinuerunt. Pugnabat certe orbis terrarum pro Chriſtianis, & niſi ſpolia caſtrorum de ipſis multos detinuiſſent, pauci de tanta multitudine hoſtium eſſent, qui de bello renuntiare potuiſſent.

A qubus fugantur & vincuntur.

Animalium greges exercitum ſequuntur Chriſtianorum.

18. Pridie autem quam bellum fieret, multa millia camelorum & boum & ovium cepit exercitus; cumque juſſu principum populus hæc dimiſiſſet, ad pugnam progrediens, mirabile dictu! multipliciter turmas eadem fecerunt animalia, & comitabantur exercitum, ita ut cum currentibus currerent, & cum ſtantibus ſtarent. Nubes etiam ab æſtu ſolis Chriſtianos defendebat & refrigerabat. Celebrata itaque victoria, reverſus eſt exercitus Jeruſalem, & relicto ibi duce GODEFRIDO, REGIMUNT de S. Ægidio comes, RUOTPERTUS comes Flandriæ, & RUOTPERTUS comes Normanniæ Laodiciam reverſi ſunt. Ibi claſſem Piſanorum & BOÏMUNDUM cum ſuis invenerunt. Non modica quippe multitudo præter eos qui cum eodem Boïmundo Antiochiæ conſederant, vel cum BALDEWINO Rohas abierat, Tyroque remanſerant, ac per diverſas circumquaque regiones diſperſi fuerant, ibidem conventum faciebant. Cumque archiepiſcopus Piſanus dudum diſcordantes concordare feciſſet, maxima multitudo repatriare contendit. GODEFRIDUS vero, ut dictum eſt, populo qui Jeroſolymæ remanſerant præfuit.

Godefridus res Chriſtianas reſtaurat.

19. Igitur idem dux magnanimus & cui vix quiſquam in religione comparabilis inveniatur, parva licet manu fultus, magna quæque cœpit in Domino attentare, reliquias gentilium quocumque remanentes proſequi, præſidia locis opportunis inſtruere, Joppen diu deſtructam, portumque ibi jam diu deſolutum *renovare, eccleſias clerumque quantum potuit reparare, cœnobitas alibi congregare, donaria multa tam monaſteriis quam hoſpitali, quod numquam defecerat in Jeruſalem, devotiſſime conferre. Pacem firmiſſimam cum Aſcaloniis atque Damaſcenis gratia commerciorum habuit, noſtræ gentis milites præ cunctis bellatoribus honoravit, & feritatem illorum ſuaviſſima urbanitate Gallicis caballariis commendans, invidiamque quæ inter utroſque naturaliter quodammodo verſatur, per innatam ſibi utriuſque linguæ peritiam mitigavit.

*f. diſſoluit.

Conventus peregrinorum Jeroſolymis.

20. Anno ab Incarnatione MC. ſub GODEFRIDO duce Jeroſolymitanam eccleſiam defenſante, conventus ingens factus in Jeruſalem ab omnibus qui ſunt in Oriente Chriſticolis, maximeque, qui vel Antiochiæ vel in Syria, Rohas, vel Palæſtina reſederant peregrinis, in tantum ut in ipſis Nativitatis Dominicæ feſtis quamplures regionibus adjacentibus conſecrarentur epiſcopi, verſis in hiſtorias viſibiles eatenus myſticis prophetiis, *Surge illuminare Jeruſalem*, & *Lætare Jeruſalem, & diem feſtum agite qui diligitis eam*, &c. incaleſcente poſt hæc æſtate, corrumpitur per Palæſtinam aër cadaverum fœtore. Sunt etiam qui dicant fontes a Barbaris infectos veneno, vel ciſternas occiſorum ſanie: unde exorta peſtilentia multos ex noſtris, utpote ſub aëre peregrino militantes occi-

Godefridus pestilentia sublatus.

dit, inter quos ipsum totius ecclesiæ catholicæ lacrymis plangendum, GODEFRIDUM populo Dei, quem paterna sollicitudine curabat, materna pietate fovebat, nimis immature subtraxit. Uno tantum anno populo Dei præfuit, languore superatus producto in XV. calendas Augusti, plena fide, bonisque operibus præsentem in Christo vitam finivit, exceptis sive tacitis cunctis quibus pollebat virtutibus, tanta se mansuetudine conjunxerat tam indigenis, quam comperegrinis, ut vix adverteretur, Francisne plus plangeretur quam Syris vel Græcis: ante montem Calvariæ in vestibulo Golgotanæ ecclesiæ extat ejus mausolæum lapide pario constructum.

Cui succedit Balduinus.

21. Hoc tempore BALDUINUS comes in Rohas, quæ & Rages civitas Medorum putatur, quæ est civitas inclyta, immo regia & pars Armeniæ, confederat, principatum jam gentis illius consecutus, defuncto scilicet interim grandævo seniore illo Christianissimo, qui se ab Antiochia sibi in propugnatorem asciverat, multaque prælia naviter gerentem, etiam in filium & heredem adoptaverat. A diebus quippe antiquis semper impugnata numquam manum dederat urbs illa ampla paganis, eo quod muris ultra humani operis qualitatem firmis, fluvio quoque intra ebulliente, omni etiam situ naturali, populique & victuum muniatur fertilitate. Non est operis hujus vel temporis litteris tradere quotiens ibidem parva manu vir prædictus grandem multitudinem barbarorum straverit, nonnumquam victus vicerit, amisso exercitu alium ab Antiochiæ obsidio conduxerit, postremo falso sibi fœderati cujusdam Turci Baldrici nomine dolis semet expedierit, ipsumque comprehensum necaverit, quæ omnia scribere volentem prius tempus deseret quam materia.

Qui veniens Jerosolymã a legato rex coronatur.

22. Audito autem obitu fratris Godefridi, BALDUINO minori cognato suo civitatem & populum committit. Ipseque cum trecentis fere viris Jerosolymam tendit. Insidiantium sibi paganorum millia delusit, congreditur, vicit, onustusque spoliis cum triumpho Jerusalem intratur, & rogatus & collaudatus ab omnibus ut princeps esset eorum, consensit, nec multo post inclinavit caput suum super Dominici sepulchri tumbam, ipsius se servituti perpetualiter subjugavit. Post hæc quo major paganis Christianorum timor incuteretur, per legatum apostolicæ sedis, accepta legali benedictione coronatur. Deinde Assur & Cæsaream civitates maritimas debellavit, cæsisque qui inerant Sarracenis, regnum suum regis Babyloniæ damno dilatavit.

Novus exercitus ex Teutonicis, Longobardis & Aquitanis.

23. Sequenti anno MCI. visus est a nostro quodam familiari ab Occidente in Orientem, volans ignis ad instar modicæ civitatis; vermiculorum quoque quos papiliones a similitudine tabernaculorum vocant, exercitus incredibilis multitudinis per tres continuos dies, quasi a Saxoniæ finibus in Bajoariam volabat. Mox profectio populosa, & quæ pene priori posset numero dumtaxat æquari, subsequitur, quæ post auditas ultra spem res Jerosolymæ prospere gestas, a residuis totius Occidentis gentibus, maxime ab his quorum prius mors regis, vel diffidentia, inopia, imbecillitas obstiterat, denuo parabatur, primum ab episcopis Mediolanensi, Papiensi, ceterisque Longobardorum populis ad quinquaginta millia signatis, deinde a diversarum provinciarum Teutonicis, postremo ab Aquitanicis, quibus WILHELMUS Pictaviensis præerat, præter vulgus ad XXV. millia, loricatas Longobardorum plebes permissu illorum ducis, Carinthia permeata, dum per Hungros tergo relictos in Bulgariæ civitatibus hiemarent, numero rarescere cœperunt. Tandem Constantinopolim pervenientes in alteram ripam, illud enim beneficium maledictus A. peregrinis accelerare solet, transpositæ sunt, immo paganorum sagittis expositæ. Turci enim explorata Longobardorum inertia, stipularum eos terebant more, in tantum, ut exercitus Teutonicus, qui eadem via subsecutus circa Junii calendas ad eamdem metropolim pervenit quid de præcedentibus se gestum sit nullo modo, utpote nullo superstite de Romania redeunte, posset investigare: ab ingressu quippe vel prima civitate Bulgariæ usque ad sedem illam semper nobis pacifici ejus nuntii occurrebant, iniqui tamen aliquando nos præcedentes vel comitantes favillarum evanescentium more disparebant. Militum etiam suorum quos Pincinatos vocitant, exercitus nunc nobis a tergo damnum multum, nunc a latere vim inferre; nunc a fronte directa acie manum conferre, nunc per noctes castra irrumpere disposuit. Semper tamen nobis per viginti dies vicinus & infestus fuit, donec statione fruentes prænominata cum turma Welfonis ducis exercituque Wilhelmi. Diversis quoque quotidie viis affluentibus copiis per XV. dies ad centum millia congregabantur. E quibus omnibus singularum turmarum principes A. more suo sub appellatione filiorum suscepit, eisdemque post manus acceptas, sacramentaque firmata, sicuti prioribus exercitibus munera dispertivit, pauperibus vero extra civitatem eleemosynam largiri, mercatumque parari præcepit. Nam obsistente suspicione pauciſſimis personis, & ipsis pretio furtimque cujusquam urbis vel castri sive munitionis per totum imperium ejus permittebatur ingressus. Qua etiam causa, cum Wilhelmus cum exercitu per mediam Adrianopolim, qua regia strata ducit, transire prohiberetur, Aquitani genitali tumescentes fastu symbola clamant, suburbia succendunt, civitatem invadunt, cu-

A grecis Alexio mox excipitur.

jus oppugnationi dum acriter reſiſtunt, Pinciniarum exercitum, qui ſemper ut præmiſſum eſt, iter ipſum juſſu Cæſaris obſervat, a tergo ſuſcipiunt: quibus congreſſi multos ſternunt, multos amittunt, tandem via dudum contemta vadunt.

24. Igitur omnis ille tantuſque populus per Romaniam iter dirigere diſponebat, neceſſaria ſibi quiſque per deſerta coëmebat, ultra brachium illud maris, quod S. Georgii dicitur, tam compulſi quam voluntarii tranſvehimur. Sed quotidiani principum conventus, quotidiana etiam cum imperatore colloquia, quem finem ſint habituri penduli nimis operimur. Sed ecce ſubito murmur exoritur inviſum imperatorem Turcorum potius quam Chriſtianorum parti favere, exploratiſque quæ circa nos erant, frequentibus illos contra nos nuntiis animare. Hic eſt, inquiunt, perfidus ille ALEXIUS, qui domino ſuo MICHAELI per quorumdam Alemannorum conductitiorum auxilium depulſo, imperium ejus uſurpavit, ipſoſque ſui ſceleris cooperatores ex filio damnatos necari fecit, immo qui ſe tanti facere dicit Francos cum Turcis præliantes, quanti canes ſe invicem mordentes. Cum autem navigia quiſquam conducere tentaret, audivit Cæſarem inſidias peregrinis etiam in mari poſuiſſe, multaſque dudum eodem facinore naves eum ſubmerſiſſe. Quapropter omnes eum maledicebant & anathematizabant, omnes illum linguæ non imperatorem ſed traditorem appellabant. Incredibile memoratu eſt; & ad recordandum expertis horribile, quanta in noſtro, hoc eſt Germanico collegio, quod omnibus erat rarius, tunc fuerit titubatio, dum videres patrem a filio, fratrem a germano, ſocium ab amico multo amarius quam mors ſeparat, cum vita ſeparari, altero terræ, altero ſe committente mari, rurſumque quoſdam poſt appenſum naulum, poſt unam aut duas in navi tranſactas noctes, reſumta ſuppellectili ad littus cum ingenti damno proſilire, redemtis pretio ampliori quos nuper diſtraxerant equis, ad necem fugiendo mortem properare. Nos quoque eamdem animi nutationem diu multumque vexati, tandem inter eos, qui ſe ſalo credere præſumſerant, divina miſerias noſtras gubernante clementia, Joppe portum poſt VI. hebdomadas attigimus. Benedictus per omnia JESUS-CHRISTUS.

Qui Turcarũ parti potius favet quam Chriſtianorum.

25. Porro exercitus univerſalis abimperatore CCC. mill. Turcopolis, qui legationes apto itinere deducerent, acceptis, contra Nicomediam vertitur, indeque Romaniam declinans ad Aquilonarem plagam contra terram Corizanam, quæ Turcorum eſt patria, convertitur. Loci quippe Romaniæ quæ circa ſtratam publicam erant, perjurus A. devaſtaverat, dum noſtris in Antiochia dudum obſeſſis auxilium ferre non auderet, ut juravera rat, ſuſpectus ſcilicet ex tunc tam Francis quam Turcis. Inſuper militia hæc nomen ſibi facere in gentibus quemadmodum anteriori propoſuit; ſed ut rei probavit eventus, divinæ id prædeſtinationi non complacuit. Nam ante paucos dies iidem pagani in Longobardorum, ut præmiſſum eſt, vix tepido ſanguine hebetatos antea gladios duraverant, indeque animati tam infinitæ multitudini bellatorum reſiſtere præſumebant. Non multo poſtquam quatuor erant millia Turcorum, qui tamen ipſi electi, & equis velociſſimis, armis, teliſque ac ſagittandi peritia nimis inſtructi, fortunam ſuam ſeu virtutem ignoti exercitus experiri potius explorando, quam aperte congrediendo veniebant. Unde in primis lamentantium more vulnus extremum diripere, poſt hæc capere & cædere, deinde per compita percurrentes, incendio vel quocumque moliuntur pabula prævaſtare. Aliquando etiam per junceta vel carrecta gradientem exercitum tota die flammis immo fumo vexare, nonnumquam per noctes, nunc hac, nunc illa caſtrorum parte irrumpentes, cunctis inquietudinem inferre. Inter hæc omnia tamen numquam acie directa, numquam fronte aperta more præliantium congrediebamur, ſed reſiſtentibus cedebant, inſquentes fugiebant, revertentes denuo ſubſequuntur. Si miſerias illas omnibus miſeriis miſerabiliores ſtilo proſequi plene tentamus, poſſibilitatem, ſimul & modum excedimus, ubi turpiter tot nobiles per inopiam, tot divites ſine ferro, tot fortes occubuiſſe referimus, olim domino ſervus præſens, locupleti pecunia ſufficiens minime quivit ſubvenire, nec forti licuit pugnare. Via quippe eadem erant arta, invia, atque inhabitabilia, hoſtibus cognita, noſtris ignota, qua mutum Dei populum, A. traditoris incarcerabant machinamenta.

26. Quid moror? Sic per dies pene XXI. quaſi ſignum ad ſagittas expoſiti; ſic quotidie tanquam oves occiſionis æſtimati, tandem in extrema jam ſorte poſiti, nemorum ſe ſaltibus noctu tradunt, moroſam, ſed certam ſibi mortem accelerare ſatagunt, quamvis pauciſſimis fuga quicquam emolumenti contulerit, præter quod omnium ultima fata tardantia conſummavit. Nam de tam innumero populo Dei heu! heu! non credimus mille viros remanſiſſe, quos poſtea vix oſſibus hærentes Rhodo, Papho, ceteriſque portubus, raros autem etiam Joppe vidimus, e quibus BERNHARDUS comes, & HENRICUS comes Ratiſponenſis obierunt Jeroſolymæ; dux vero WELPHUS revertendo moriens Papho (a) eſt humatus. Inter longiſſimam cruciatuum ſuorum hiſtoriam, quam hic texere, nec ipſa compendioſi hu- [a]

Totus pene exercitus Chriſtianus perit.

(a) Urbe Cypri epiſcopali, ex qua poſtea ejus oſſa ſublata ad Altorfenſe monaſterium traſlata ſunt & repoſita, ut ſcribit Vitus *Arenpeck* in ſuo chronico.

jus operis proprietas permittit, de noſtratibus archiepiſcopum Salzburgenſem T.(a) captum, marchiſiam N. trucidatam, duos Brimones canonicos nobiles viros inedia fitique defeciſſe referebant. De latinis principibus WILLELMUS, REGIMUNDUS, STEPHANUS ceterorumque aliquam partem ſupereſſe dicebant.

[a]

27. Dum hæc ita geruntur, nec his qui in Judæa ſunt Chriſtianis pariter, ſed tam ab Aſcalonitis, atque Damaſcenis, quotidiana latrocinia quam a Babyloniis bella parantur. Poſt Maii quippe calendas longe a Roma caſtra meratus eſt Babylonicus exercitus, contra quem aciem BALDUINUS inſtruxit, ſuos hortatus, ut ſicut ante paucos dies per Dei gratiam parva manu multam de Arabia prædam tulerant; ita nunc hoſtium multitudini non cedant. » Illorum, inquit, damno vivamus, aut periculo moriamur. Ecce bellum, boni milites, quod olim optavimus, pro quo patriam, parentes, pacem contemſimus. Porro pro Chriſti hereditate, contra invaſores Terræ ſanctæ, prædoneſque alienigenas pugnare honeſtum eſt, vincere tales nequaquam incertum, mori glorioſum. Illis patria miniſtrat fugam, nobis exilium victoriam. Comprobamus jam quod ipſi exprobrant Francos mortem non timere, immo Chriſti peregrinos aut in Chriſto vincere, aut in Chriſto mori velle. Talia multa poſtquam peroravit, arrectis ſuorum animis, miro Dei omnipotentis nutu, ingens Sarracenorum populus uni tantum vel paulo plus legioni noſtrorum ceſſit, adeo ut ne congredi quidem præſumerent; ſed poſt tranſactos aliquot in eadem ſtatione dies turpiter & inacte redirent.

Balduinus ſuos hortatur ad pugnandū contra Babylonios quos fugat.

28. Rurſum circa calendas Septembris, quo ſcilicet tempore Chriſtianorum, quos ante memoravimus, adventantium fama Babyloniæ regna terruerat, inito conſilio, præoccupare noſtram, hoc eſt univerſorum, qui tunc in Judæa, & in cunctis finibus illis reperirentur, interneciem diſponebant, miſſiſque epiſtolis Damaſco, Tripoli, Gibel; ceteriſque barbaris civitatibus adverſus nomen Chriſtianitatis ſe invicem qualicumque pacto confortabant. Egreſſus itaque XL.* militum exercitus de Babylone, primum ad obtinendam Joppen tendens, non longe ab Aſcalona ſumtis nimirum inde ſociis conſedit. BALDEWINUS vero rem non ignorans, ſuos undique, hoc eſt ab Jeruſalem, Nicopoli, Monte Thabor, Hebron, Cæſarea & Aſſur in Joppen, ubi tunc non parva manebat peregrinorum turba, convocavit. Vidimus hiſdem diebus tantam mortalitatem, quam etiam vix evaſimus, in populo graſſari, ut ad trecenta cadavera ſingulis diebus Hieroſolymæ exportata numerarentur, Joppe vero ingens campus inter paucos dies tumulis occuparetur. Denique cujuſdam diei hora III. præcedente regem ligno Dominicæ Crucis, quod anno priori terra diutiſſime abſconditum Syri quidam G. duci demonſtraverant, extra civitatem Joppen totius populi conventus eſt factus; juſſuque regis Arnoldus quidam venerabilis & bene litteratus clericus, ſic in medio concilii exorſus: « Beata « gens, cujus Dominus Deus, populus quem « elegit in hereditatem ſibi. Vos, ô fratres ca- « riſſimi, gens eſtis illa beata, gens ſancta, « vos eſtis populus ille Chriſti hereditatis, po- « pulus acquiſitionis, qui relictis omnibus, pa- « tria, parentibus & rebus, crucem quotidia- « nam poſt Chriſtum tuliſtis. Vos corpora pro « Chriſto ad ſupplicia tradidiſtis, vos pugnaſſe « videmini, ſed Chriſtus noſtro voluntarie ſa- « crificato ſanguine, veſtrorumque fratrum « commilitonum pretioſa morte, locum ſan- « ctificationis ſuæ dignatus eſt mundare; ci- « vitatem requiei ſuæ Jeruſalem voluit poſt « tam annoſa ſpurciſſimæ gentis vincula per « veſtram devotam ſervitutem expedire. Hæc, « inquit Deus, requies mea in ſæculum ſæculi. « Hic habitabo quoniam elegi eam. Contra « quam divina ſponſione nobis inditam ſpem, « ecce paganorum litteræ Dei nutu ante diem « heſternam comprehenſis legatis oblatæ, va- « ticinata perhibentes dæmonia, nos illorum « præliis delendos, Jeruſalem funditus de- « ſtruendam, & quod etiam omnibus nefandis horribilius eſt dictu, ipſam Dominici & « glorioſi ſepulchri petram fruſtatim frangendam, ſicque camelis ad mare delatam in re- « motiſſimo & quod numquam a Chriſtianis « reſciſci poſſit pelago ſubmergendam. Unde « quid facto opus ſit, ô Chriſticolæ videte, « quem finem hæc tanta præſumtio tandem « ſit habitura perpendite. «

Arnoldi ad milites exhortatio.

Novus Babyloniorum exercitus.

* f. millium militum.

Ingens mortalitas.

29. Plura diſputare volentem mox clamor interſtrepens compeſcit, & quaſi ex uno ore vox unanimis ſingulorum inſonuit. « Res, « inquiunt, in articulo poſita eſt, breve & « quodammodo ſuccinctum eſt conſilium noſtrum pro Chriſto Chriſtique legibus & ſanctis noſtris, aut dimicandum fortiter, aut « moriendum turpiter, aut glorioſe mori & « vivere æternaliter inſtat, aut turpiſſime vivere, & brevi turpique vita perpetuam mortem compatare reſtat; ſed nec temporaliter « nec æternaliter vivere liceat, quem contra « tam prophanam, tam blaſphemam paganorum audaciam pugnare non libeat. Protinus « ante Crucem reparationis noſtræ, confeſſio-

Qui ad pugnam ſe promparant.

(a) Temonem de quo hæc refert Vitus *Arenpeck*: *Themo Saltzeburgenſis archiepiſcopus comprehenſus & regi Memphearum præſentatus, ad idololatriam angariatur. Ille fanum ingreſſus, animi & corporis viribus robuſtiſſimus idola quæ adorare debuit, non Deos, ſed opera manuum oſtendens, infracta comminuit. Ob ea prodituſ exquiſitis ſupplicijs & variis tormentorum generibus affectus, glorioſo martyrio coronatus eſt in Gracia civitate Corroſio, ibidem ſepultus.* Addit *Arenpeck*: Itham marchioniſſam matrem Leopoldi marchionis Orientalis, quæ in ejus comitatu erat, raptam fuiſſe ab uno principe Sarracenorum & ſibi matrimonio violento copulatam, ex quo genuit ſceleſtiſſimum ſanguinum.

ne peccatorum unanimi humiliatione facta, ac poſt dictam indulgentiam ab apoſtolico legato, qui tunc forte aderat, benedictione accepta, Domini inclamantes adjutorium, caſtro ſunt alacres redditi, indeque ſummo mane ad ſeptem millia peditum milleque equites recenſiti, periculo ſunt ingenti cum magno tripudio præſentati.

Et Barbaros cædunt.

30. Viſa igitur ſtatione barbarorum, mirabile dictu! tanta ferveſcere cœperunt fide, ut unuſquiſque ſe ſolum tot legiones ſternere poſſe non dubitaret: unde & contigit, ut dum per unum pene milliarium inordinate currendo, minus caute ſe hoſtibus infundunt, prima cohors a latere invaſa illico tota rueret. Qua de re BALDEWINUS efferatus animo, tanto illos equitum impetu involat, ut quamvis idolorum reſponſis de victoria certificati acrius quam antea umquam reſiſterent, ſicut cera a facie ignis ante ipſum liqueſcerent. Referebat mihi venerabilis abbas GERH. qui tunc crucem Dominicam ſemper lateri regis contiguus præferebat, numquam ſe tantam nivis vel pluviæ, quantam tunc telorum contra regem volare denſitatem vidiſſe. At poſt ligni pretioſi intuitum, nullum ex hoſtibus, telis ſe vel armis, ſed univerſos fugæ præſidio ſe commiſiſſe.

31. Itaque poſt victoriam a Deo, cui non eſt differentia ſalvare vel in multis vel in paucis, ſibi conceſſam, (interim dum caſtra prædamque diripiunt, hoſtium nuntius adeſt miſſus a Joppitis, qui civitatem terra marique diceret obſeſſam.) mox onuſti ſpoliis, reliquis vero incendio traditis, nobis qui jam, portis intus obſtructis, a terra equitibus multis; a mari vero quadraginta duabus navibus roſtratis exigebantur *in auxilium quantocius* properant; poſtque tot hoſtium incurſus, tantaſque penuriæ peſtilentiæque miſerias, feſtum Nativitatis Dei genitricis, quod ipſa die cum mœrore cœpimus, maximo nos tripudio complere faciebant. Sequenti die multam nobis abundantiam frumenti cunctorumque victualium, cum peregrinis fratribus ad duodecim millia æſtimatis naves xxx. deferebant; quam dum hoſtium claſſes invadere niterentur, mira Dei potentia, per virtutem ſanctæ Crucis, quæ, dum nihil carnalis adjutorii conferri poſſet, in altum econtra, jubente rege, levabatur, adeo repreſſit, ut nullo conatu vel arte remigandi de loco moveri vel unam de tot navibus poſſe tam pagani quam Chriſtiani populi nimis mirarentur.

Joppe terra marique obſeſſa.

De miraculo lampadarum divinitus accenſarum ſabbato ſancto.

32. Neque hoc ſilentio prætereundum, quod eodem anno ibidem cognovimus contigiſſe venerabili Herimanno preſbytero, qui tunc in monte Oliveti converſabatur, inter
» hæc verba referente. Die, inquit, ſanctiſſimi
» ſabbati, quo ſecundum antiquæ miſericor-
» diæ Domini paraclyſim, baptiſmate jam con-
» ſecrato, lumen de cœlo nobis miniſtrari de-
voti nimis expectabamus uſque ad veſperam, orationibus inſtitimus, tuncque propter peccata noſtra, deſiderato dono cœleſti, quod etiam in conſpectu gentium olim Chriſtiani ante nos ſemper ſuſcipere ſolebant, omni modo fruſtrati, abſque omni feſtivæ ſynaxis officio, noctem illam Dominicæ Reſurrectionis lugendo tantum & mœrendo tranſegimus; ſummo autem mane a ſepulcro Domini nudipedes proceſſimus, ingreſſique templum Domini, quo ſcilicet loco idem monte Moria in area Areuna David maxima exauditum tribulatione, cunctoſque exaudiendos, qui ibidem corde devoto orarent Salomoni promiſſum eſt, legimus, poſt preces lacrymaſque, ne nos deſerendo, Chriſtus nomini ſuo blaſphemiam inter gentes præpararet, fuſas; necdum atrium illud famoſum egredimur, & ecce ſigna concrepantia laudes altiſonas in occurſum nobis ab his qui remanſerant, reboantes audivimus, intrantes vero eccleſiam prænominatam, lampades duas cœlitus incenſas gaudio immenſo repleti conſpicimus. Quid plura? a baptiſmi officio, quo pridie ceſſaveramus, incipientes, totum ſervitutis noſtræ penſum Domino dudum ſubſtractum uſque ad miſſæ completionem lætiſſima devotione perſolvimus. Nobis quoque egreſſis, inter miſſam Syrorum, qui ſemper poſt noſtrum egreſſum, eodem pſallere choro ſolent, lampades aliæ divinitus accenduntur. Ante veſperas vero & inter ipſas veſpertinas laudes uſque ad ſexdecim hujuſmodi lumina viſibiliter ampliantur; ſicque contigit ut pauci intra Jeruſalem ſeu Chriſtiani ſeu pagani reperirentur, qui tam evidentem Chriſti potentiam ſe non viſſe teſtarentur.

33. Quinto dehinc anno BALDUWINUS rex Aſcalonem mari copioſiſſima claſſium multitudine, a terra vero non parvo cingens exercitu, tributariam ſibi fieri longa obſidione coëgit. Poſt aliquot menſes quinquaginta millia Sarracenorum improviſe ſe invadentium virtus divina ante ipſum quatuor tantum millium manibus ſtravit, quodam ſcilicet Ammyrato, qui ſecundus a rege Babyloniæ videbatur, capto; altero inter ceteram multitudinem occiſo, Chriſti clementia peregrinis ſuis apud Antiochiam, Syriam, Palæſtinam, totamque per Aſiam proſperante, eorumque ſervitute barbaricas circumquaque ſpurcitias eliminante. Invidus & occultus catenus eccleſiæ perſecutor ALEXIUS, diu tectam perfidiæ ſuæ toxicatam rabiem evaginat, Turcis quibus jam nulla vel rara in Oriente regnandi ſpes remanſerat, ſe tutiſſime conſiliat, & ô turpiſſimum facinus! Nicæam quam olim fidei noſtræ turrim, dudumque multo Chriſtianorum ſanguine redemtam præſcripſimus, Solomanni tyranni filiis reddidit, Babylonicum regem contra noſtros frequentibus nuntiis animavit, cuſto-

Balduinus Aſcalonem tributariam facit & L. millia Sarracenorum ſternit.

Alexius C. P. imp. Chriſtianis contrarius.

dias ad prohibendum transitum peregrinis A terra marique constituit. Cujus etiam classes numerosas navium rostratarum contra Antiochenos directas ipsi bello ceperunt, & in confusionem A. nasis & pollicibus omnium abscissis, unam de scafis inde onerantes, hujusmodi pulmentum eidem regi multorum millium homicidæ transmiserunt. BOIMUNT quoque jam trienni captivitate per divinam solutus providentiam Italiam navigio venit, ibique classes fabricari constituens, ipse usque ad Hispaniæ regna peragrare, quantamque quam posset militiam, quocumque pacto, contra tyrannum præscriptum cœpit B congregare.

Acra & Accaron expugnata.

34. Pridie ante vigilias Nativitatis Christi visus est ab Occidente tantus inter sydera ignis flammare, ut solis jubar excederetur, si in Orientis esset parte. His temporibus nonnulli palmati de Jerosolyma redeuntes, Acrisque & Accaron a nostris expugnatam nuntiant. Alia quoque præter hæc non pauca, quæ multam nobis lætitiam ministrarent fausta super Jerosolymitanæ ecclesiæ statu narrant. Inter quæ & regem BALDUWINUM *Ruotgeri ducis Siciliæ filiam, Cunradi regis* viduam in matrimonium duxisse, commeC moranti adducentem sibi tantam Siculorum ac Normannorum classem, quæ Ascaloni Christianorum nomini denuo infestissimæ sufficerent a parte maris in obsidionem, quam etiam idem rex a terra cum suis obsidens tributariam fecit. Non multo post cum jam post absconsam parumper faciem suam Dominus respexisset Sion, quam olim elegerat in habitationem sibi, cœpit per orbem terrarum hujusmodi gaudii semen non immerito diffundi fidelium animis, quæ veræ filiæ sunt Jerusalem longe lateque bonorum fructuum votis inprægnatæ. Vaticinia quoque jam dudum oblivioni pene tradita, tradita diversis ubique cordibus, linguis, vociD »bus iterari. « Ecce, inquiunt, nostris, in quos »fines sæculorum devenerunt, temporibus re»spexit Dominus Sion, & videbitur ibi in »gloria sua. Misertus est civitatis sanctificatio»nis suæ Jerusalem, civitatis requiei suæ. Gau»dete gaudio omnes qui lugebatis super eam, »& reliqua. » Hæc & hujusmodi mille præsagia, licet per anagogem ad illam quæ sursum est matrem nostram Jerusalem referantur; tamen infirmioribus membris ab uberibus consolationis descriptæ vel scribendæ E potatis, pro tanti contemplatione vel participatione gaudii, periculis se tradere etiam historialiter practica discursione cohortantur. Scimus hominem verbi gratia, qui canticum illud *Lætatus sum* cum *alleluia* se in visione fatetur audisse, seque ipsum vocibus canentium succinuisse, ac per hoc in tantum ad eamdem peregrinationem animatum, ut & nullam spiritus ejus requiem haberet, donec per multas tribulationes corporali præsentia ubi steterunt pedes Domini pertingens adoraret.

35. Nec mirandum, sed venerandum post ablata saxis duriora cordium ethnicorum scandala, de via Domini catholicam unanimiter ecclesiam ad fontem sui exortus & ad cunabula primitivæ suæ institutionis, ac specialem veri panis domum nova pœnitentiæ via contendere; quam constat olim pretiosa quæque sua membra per eamdem viam non cœci tantum, sed etiam omnigenis paganorum ludibriis, ut oves occisionis exposuisse. Ex eisdem confessoribus pauci qui supersunt testari solent, quod recordari miserabile est, nec passum se pedis inter idolatras gratis esse secutos, quantominus victuum & hospitiorum solamina? De tormentis inauditis & innumeris, quæ pro auri exactione passi sunt, quis satis scribere queat, quibus mors utique amarissima pro lucro, vita pro cruce erat? Sed ut ad nostra redeamus tempora, quod enim scimus loquimur & quod vidimus testamur, nondum desunt illo in stadio, quamvis plana jam via currentibus in absolutionem culparum, martyrii bravia, pericula scilicet latronum, pericula fluminum, pericula maris, solitudinis, famis & sitis, æstus & ægritudinis, aliaque mille peregrinationis incommoda, inexpertis vix credibilia. Dant fidem dictis nostris tot per eamdem stratam strata Christi crucigerorum capitibus ablatis cadavera, qui a latrociniantibus ibidem invasi paganis, in modum crucis contra Orientem terræ protensi, calicem Christi bibisse cernuntur, inter orationum pro quibus peregrinabantur vota. Quapropter cessent necesse est, quidam deliciarum vinculis irretiti, crucem post Christum quamvis in angaria cum Simone portantibus improperare, cur ipsum iter, utpote nusquam divinis legibus indictum, vitio dumtaxat mobilitatis assequantur, cum ipsi sint potius incorrigibiles, dum vias Domini duras non appetunt, detractionibus venenata lingua testentur. Nos autem, quid hos nisi vere martyres credamus, quibus mundus crucifixus est & ipsi mundo? Crucis se signo ad tot cruciatus insignunt, & de multis pauciſſimi, iidemque palmati quasi victores redeunt. Nec desunt jam eamdem terram repromissionis incolentibus quotidiana martyria, ultroneum videlicet exilium, absentia parentum, penuria rerum, incursiones, latrocinia, timor continuus & insidiæ barbarorum, infinitiva bella cum regnis Persarum & Babyloniorum. Econtra in dies excutiens se de pulvere filia Sion, Hierosolymitana nimirum ecclesia, canticum novum dilecto suo, qui secum mirabilia fecit, cantare non cessat, sed in multitudinem, inquiens, dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Nam per sancta exercitia sacra loca

ab inveteratis paganorum spurcitiis mundantur, ecclesiæ destructæ restaurantur, episcopia vel cœnobia, peregrinationes pristinis incolis instituuntur, civitates & castella muniuntur, portus & mercatus olim desolati populosis conventibus vicinabantur, etiam & agricolis, vinitoribus & pastoribus officia sua concedebantur, & quod omnibus excellit beneficiis temporalibus cœlestis ignis in Resurrectione Christi annuum carisma ministratur usibus humanis. Venit etiam in manus nostras quod jam per totum orbem disseminatum credimus, exemplar cujusdam epistolæ, quam Gabrielem archangelum ex persona Salvatoris nostri ipsi ecclesiæ, & per illam omnibus ecclesiis missam referunt attulisse, quæ sicut multos prævaricatoribus intentat minarum terrores, ita conversis solitas divinæ clementiæ non denegat consolationes. Ergo tanta per multitudines miserationum Domini super Jerusalem orta gloria ejus, oportet ut universæ tribus terræ memores quod olim salvatio de monte Sion venerit in mundo, sicuti dudum lugebant filiationis affectu super ea, ita nunc eidem pri matri congaudeant, & satientur ab uberibus consolationis ejus, illuc ascendentes a solis ortu & occasu, ab Aquilone & mari, ad confitendum procul dubio modis omnibus nomini Domini nostri JESU CHRISTI, qui locum eumdem, quod salva tamen fide dici liceat, plus quam ipsum paradisum terrestrem consecravit incarnatione, incunabulis, passione, resurrectione, & ascensione sua, cujus nomen & misericordiam per cuncta prædicent & glorificent sæculorum sæcula. Amen.

EPISTOLA JEROSOLYMITANORUM.

Ex mſ. codice monaſterii Hemmerodii ſive Clauſtri, ab annis 500. *exarato.*

PAtriarcha Jeroſolymitanus & epiſcopi tam Græci quam Latini, univerſaque militia Domini & eccleſiæ Jeroſolymitanæ, Occidentali eccleſiæ conſortium cœleſtis Jeruſalem & ſui laboris præmii portionem.

Quoniam eccleſiæ noſtræ incremento vos gaudere non ignoramus, & ſollicitos tam adverſa quam proſpera, prout credimus, ampliationis proſperitatem, ſic notificamus. Innoteſcat igitur caritati veſtræ, Deum in XL. civitatibus & ducentis caſtris eccleſiæ triumphaſſe, tam in Romania quam in Syria, & nos adhuc de loticatis habere præter vulgus centum millia, amiſſis tamen multis in primis prælis. Sed quid hoc? quid unus in millet Ubi nos habemus comitem, hoſtes habent quadraginta reges; ubi nos turmam, hoſtes legionem; ubi militem, illi ducem; ubi nos peditem, illi comitem; ubi nos caſtrum, illi regnum. Nos autem non confiſi in multitudine, nec viribus, nec præſumtione aliqua, ſed clypeo Chriſti & juſtitia protecti, Georgio, & Theodoſio, & Demetrio, beatoque Blaſio militibus Chriſti vere nos committimus. Valete.

TITULUS SEQUENTIS OPERIS.

HIſtoriam parvis ſcriptis tenet ille libellus;
Ut fuit urbs capta a Francorum gente Nicæa,
Pro qua Francorum ceciderunt millia centum,
Quos Solyma ſtravit, princeps dum victus abivit.
Quodque labore famis bello plures cecidere,
Urbem qui claram vicerunt Antiochenam,
Et qui Jeruſalem pacis venerunt ad urbem,
Ac Turcos ſancto Domini pepulere ſepulchro.
Auxilio Dominique ſedes fit inclyta regni,
Hoc regno reges reprimens populoſque rebelles.
Hac pugna belli quicumque fuere peremti,
Quique labore viæ peregrinantes obiere,
Chriſti militiæ cœli jungantur in arce.
Hoc regnum ſolo GODEFRIDUS dux habet anno.
Annos octodecim BALDUINUS eam regit urbem.
Hi duo Germani digni diademate regni,
Militia clari, fortes, bello metuendi,
Paucâ gente ſuâ geſſerunt prælia multa,
Illis infeſtas ſternentes cæde catervas,
Perque Deum fortes fuerant Babylonis in hoſtes,
Dilataverunt regnum, quod tunc habuerunt
In regno Chriſti, nunc ſint ſine fine beati.
Imperium quorum cognatus ſumſit eorum
Alter BALWINUS morum probitate decorus,
Quod per quindenos rexit feliciter annos,
Excepto ſolo quo captivus fuit anno.
Regnat pro ſocero VOLCO comes Andegavenſis,
Hic in tredecimo regni defungitur anno.
Poſt patrem ternis BALDWINUS tertius annis,
Præfectus regno jam nomine clarus avito.
Qui compilavit ſimul & conſcribere fecit
Hoc opus, æternæ ſibi ſit retributio vitæ.
Incipit hiſtoria Nicæna vel Antiochena,
Urbis præclaræ necnon Jeroſolymitanæ.

BREVIS NARRATIO BELLI SACRI.

Ex mſ. codice Florinenſi ante annos 500. *exarato.*

1. ANno Incarnati Verbi milleſimo nongenteſimo ſeptimo Occidentales populi dolentes loca ſancta Jeroſolymis a gentilibus prophanari, & Turcos etiam terminos Chriſtianorum jam multa ex parte in-

vaſiſſe, innumerabiles una aſpiratione moti, & multis ſignis ſibi oſtenſis, alii ab aliis animati, duces, comites, potentes, nobiles & ignobiles, divites & pauperes, liberi & ſervi, epiſcopi, clerici, monachi, ſenes & juvenes, etiam pueri & puellæ, omnes uno animo, nullum ullo angariante, undique concurrunt, ab Hiſpania, a Provincia, ab Aquitania, a Britannia, a Scotia, ab Anglia, a Normannia, a Francia, a Lotharingia, a Burgundia, a Germania, a Langobardia, ab Apulia, & ab aliis regnis, & virtute & ſigno ſanctæ Crucis ſignati & armati ultum ire parant injurias Dei in hoſtes Chriſtiani nominis. Et quanto quiſque hactenus ad exercendam mundi militiam erat pronior, tanto nunc ad exercendam ultro Dei militiam fit promtior, firmiſſima pace interim ubique compoſita, & primo Judæos in urbibus in quibus erant aggreſſi, eos ad credendum Chriſto compellunt, credere nolentes bonis privant, trucidant aut urbibus eliminant; aliqui poſt ad Judaïſmum revolvuntur.

2. Eminebant in hoc Dei hoſtico dux Lotharingiæ GODEFRIDUS & fratres ejus EUSTATHIUS & BALDUINUS, BALDUINUS comes Montenſis, ROBERTUS comes Flandrenſis, STEPHANUS comes Bleſenſis, HUGO frater regis Francorum, ROBERTUS comes Normanniæ, RAIMUNDUS comes S. Ægidii, BOIAMUNDUS dux Apuliæ.

3. Exercitus Dei aggreſſus terminos paganorum viriliter agit, primumque eis fuit bellum ad pontem Pharphar fluminis IX. cal. Martii, ubi multi Turcorum occiſi ſunt.

4. Secundum eis fuit bellum apud Nicæam III. nonas Martii, in quo etiam pagani victi ſunt. Capta ergo Nicæa, capta etiam Laodicia, cum eſſent plus quam CCC. millia armatorum in exercitu Chriſtianorum, tanta eis omnium rerum ſuppetebat copia, ut aries uno nummo, bos vix duodecim nummis venderetur.

5. Obſeſſa Antiochia, in tantum attenuati ſunt Chriſtiani propter omnium rerum penuriam, ut in toto exercitu vix centum boni equi invenirentur. Et tamen quamvis ea deſperatione rerum multi ſe ſubſtraxerint, multi etiam repatriaverint, nono obſidionis menſe capta Antiochia. Chriſtiani a paganis verſa vice obſeſſi, tanta fame afflicti ſunt, ut vix aliqui ab humanis carnibus ſe abſtinerent: ſed confortati a Deo per inventam ipſius lanecam a tempore apoſtolorum non viſam, ipſa lancea ipſos præcedente, obſeſſi obſeſſoribus concurrerunt quarto cal. Julii, & hoc tertio bello victoriam adepti ſunt.

6. Quartum bellum fuit eis in Romania calendis Julii & ibi Turci victi ſunt.

7. Commiſſa Antiochia duci Boiamundo, Chriſtiani propter vitandum tædium & famem & maxime propter diſcordias principum proficiſcuntur in Syriam, & expugnatis Marra & Barra urbibus Saracenorum, & multis regionum caſtellis, tanta ibi rurſum fame affecti ſunt, ut corpora Saracenorum jam fœtentia comedere compulſi ſint.

8. Exercitus Dei divino monitu in interiora Hiſpaniæ profectus, larga Dei manu refocillatus eſt, quia cives & caſtellani illius regionis legatos cum multis donariis ad eos præmittebant, parati etiam oppida vel urbes eis tradere, a quibus Chriſtiani, ſecuritate acceptæ, & indicto urbibus tributo, interim etiam multis eorum qui ſe ſubſtraxerant ad eos apud Tyrum recurrentibus, tandem perveniunt Jeruſalem, eaque obſeſſa cum laborarent pro victus & maxime pro aquæ penuria, omnes ex communi decreto nudis pedibus quotidie orando circuibant urbem.

9. Octavo ergo talis humiliationis die, obſidionis autem die XXXIX. capta eſt Jeruſalem idus Julii in VI. feria, & in templo Salomonis & in porticu ejus Chriſtiani cum paganis ſexto bello conſerto, tanta in eis cæde debaccati ſunt, ut in ſanguine occiſorum equitarent uſque ad genua equorum.

10. Cum ordinatum eſſet qui Jeruſalem deberet retinere, principibus jam de patriando agentibus, ecce rex Sarracenorum ad debellandos eos venit Aſcalonam cum centum millibus equitum & quadringentis millibus peditum. Quibus cum occurriſſet exercitus Domini, in quo non plus quam V. millia equitum & XV. millia peditum erant, Deo pro ſervis ſuis ad ſe clamantibus pugnante, & nube eos ab æſtu ſolis defendente, Sarraceni ſolo Chriſtianorum impetu territi, omnes projectis armis fugerunt, & in hoc ſexto bello IV. calendas Auguſti facto cæſa ſunt centum millia paganorum. In porta vero Aſcalone ſuffocati ſunt duo millia, & eorum qui in mari perierunt, & qui inter ſpineta ſilvarum conſumti ſunt, numerus neſcitur.

11. Duce Godefrido electo ad principandum remanentibus in Jeruſalem, ceteri principes repatriant. Capta eſt autem Jeruſalem poſt annos circiter quadringentos ſexaginta ex quo ſub Heraclio imperatore ſecunda vice capta poſſeſſa eſt a Sarracenis. Et poſt hæc quinto anno Jeroſolymitæ Accaron urbem capiunt, & in ſequenti anno innumerabilem paganorum multitudinem glorioſa victoria terunt.

12. Et poſt hæc omnia XVIII. anno BALDUINUS Jeroſolymorum rex a Sarracenis capitur, qua de re mente excedentes, undique verſum evocati, ad ſexaginta millia conglomerantur, ut Chriſtianos a finibus ſuis exterminent, & apud Aſcalon impedimenta ſua commendant, ſcilicet uxores, ſoboles, & victualia. Chriſtiani in arcto poſiti, nihil ſpei niſi in Deum habentes, exemplo Ninivitarum utrique ſexui jejunium indicunt, pueris etiam infantibus lactentibus, univerſo quoque pecori pabula negantur. Dies pugnæ indicitur,

Iſte Balduinus rex fuit filius Hugonis comitis de Reinella.

dicitur, procedunt Christiani cum militibus & peditibus vix tria millia æstimati, principes gradiuntur in fronte, scilicet patriarcha pro vexillo offerens crucem Christi, abbas olim Cluniacensis PONTIUS proferens lanceam transfixam in latere Christi. Episcopus Bethleemites ferens in pixide lac S. Mariæ perpetuæ Virginis. Sarraceni vero quaqua versum effusi ex omni latere in orbem circumcingunt Christianos, ne quis possit *effugere. Dum ita in procinctu hærent Christiani, vident Deo sibi auspice splendorem scisso aëre super paganos subito cecidisse, sed non prosperum, sed satis nocivum, quamvis hunc ipsi Sarraceni non viderint. Illico enim omni virium robore enervati, passim fugientes cæduntur, non solum a viris, sed etiam a pueris & feminis. Perierunt in bello VII. millia, submersi sunt in aquis quinque millia.

*al. evadere.

13. In secundo autem anno post hæc Tyrus, Hebræa lingua Sur dicta, urbs maritima Phœnicis, & antiqua, in corde maris sita, Sydoniorum colonia, negotiatio maris, emporium totius orbis, vaticinio prophetarum celebrata, & carminibus poëtarum inclyta, olim quidem insula, sed a Nabuchodonosor vel ab Alexandro propter expugnationem multis in brevi freto aggeribus comportatis, terra continens facta, pridem a Nabuchodonosor expugnata, & partim captivata, & postea ab Alexandro penitus usque ad solum diruta & destructa, sed juxta prophetas per LXX. annos reædificata, & in antiquum statum restituta, nostris modo temporibus in fine mundi a Christianis terra marique obsessa capitur, & Christi imperio subjugatur. In tertio anno post hæc Balduinus rex Jerusalem, data redemtione a Sarracenis, dimittitur. Et in quarto anno post hæc, nepos supradicti regis a Sarracenis capitur, & in modum ligni per medium secatur.

VERSUS DE VIRIS ILLUSTRIBUS diœcesis Tarvanensis qui in sacra fuere expeditione.

Ex mſ. illustrissimi domini Chauvelin regiorum sigillorum custodis.

COntigit in nostris quiddam Tarvenna diebus,
Unde Deo laudes immensas reddere debes,
Qui dignando tuos elegit parrochianos,
Quos Hierosolymæ reges dedit & patriarchas.
Primo Godefridus, Balduinus vero secundus,
Ejusdem frater. Post hunc regnavit uterque
Filius Eustachii comitis, quos nobilis Ida,
Spem tuæ genti feliciter edidit omni.
Primus Evermarus sedit patriarcha sepulchri,
Post hunc Arnulfus oriundus uterque Cickes,
Præfuit & templo tuus archidiaconus ante
Vir probus & sapiens & religiosus Achardus.

Inde potestates alii tenuere minores.
Falkemberga suum dedit Hugonem dominum, qui
Obtinuit totam regionem Tyberiadis.
Harbel Ramensis fit princeps Cæsariensis.
Eustachius notus miles cognomine *Gernirs*,
Fulco Gisnensis urbem tenuit Baruth, in qua
Antistes sedit Balduinus Bolonienſis,
Et castrum quoddam quod sancti dicitur Abraham
Hugo Rebecensis tenuit miles generosus.
Hi reges, hi pontifices, dominique fuere
In Jerosolyma, necnon in finibus ejus
Quas Tarvenna tuus emisit pontificatus.

LAMENTUM LACRYMABILE super his qui in expeditione Jerosolymitana diversis mortibus, justo quidem, sed occulto & inscrutabili Dei judicio interierunt.

Ex mſ. Aquicinctensi.

JErusalem luge, medio dolor orbis in orbe
Mollia commuta cilicio cinere,
Funde Syon lacrymas, & vos confinia terræ
Pulvere sparsa genas inclyta terra dole.
Regna, tribus, gentes olim subvertere nosti.
Heu modo gaudet atrox gens tua colla teri.
Quanta subegisti loca, castra, duces alienos,
Ecce subacta premi cernis ab hoste tuos.
Vox crucis intonuit, terras fretumque repletur,
Vox crucis innumeros traxit ad arma viros,
Occubuere duces, periit collectio plebis
Multa super numerum sicut arena maris.
Pigra pusilla prius, sed nunc armata triumphis
Imperiis curvat gens loca sancta suis.

Gallia, mater, honor, primatus, gloria, splendor,
Imperii, regni, militiæ, populi.
Dic ubi prompta manus, vigor, atque potentia, virtus?
Corruit ecce tuus nobilis ille status.
Fama silet, tua doxa ruit, blasphemia surgit.
Olim sparsus honor, nunc fit ubique dolor.
Præcones siluere crucis, tuba perstrepit hostis.
Nocte subacta dies perfidiaque fides.
Arta fames, diuturna sitis, violentior hostis,
Vobis Francigenæ causa fuere necis.
Et tu fraude nocens Constantinopolis exlex,
Spondens obsequium, munera, robur, opes,
Claudis aquas, populoque negas venalia terræ,
Deficiuntque sibi, peste, labore, fame:

Arte, dolo, ſubicis, gladio ſubjecta peribis.
Te manet immanis plaga, ruina gravis.

Vos Sarraceni, gens improba, ſævior hoſtis,
Vos Arabes, Turci, gens inimica crucis;
Perfida, plena dolo, ritu polluta prophano,
Merſa lacu ſcelerum, ſordida fece, luto.
Quæ ſpes, quæve tuas acuit fiducia vires?
Ut cruce ſignatos perdere non dubites?
Mos tibi, mos ſubici, ſuccumbere, cedere Francis,
Accelerare fugam, ſigna timere crucis.
Nunc ſpoliis locuplex, fera cæde, ſuperba triumphis.
Laurea certa refers, hoſtis in hoſte furis.
Hos tormenta pati compellis, vincla, labores:
Horum ſtrage truci fœda cruore mades.
Te furor exacuit, movet ira, ſuperbia tollit.
Subdita colla premis, fortia facta teris.
Hoſtibus inſultas, gratanter humum pede pulſas
Proh dolor! ô facinus! proh pudor! immo nefas!
Corrugas naſum, garriſque moveſque cachinnum.
Paſceris hoſtili ſanguine more canum.
Ecce dies, inquis, jocunda, ſerena, ſalubris,
Regno Francorum triſtis, amara, gravis.
Quis furor? Unde tibi plebs cœca quod invaluiſti?
Vis tua conſtat in hoc nulla, ſed ira Dei.

Francia crux Arabum, victrix alienigenarum,
En ubi fama prior, nomen & imperium?
Ferrea turris eras, gens inſuperabilis hoſti,
Ecce jaces volucri præda rapina cani.
Vis invicta, tenax vigor, inconcuſſa poteſtas,
Ut quid & unde ruis, quæ decus orbis eras?
Reſtat ut ipſa fide reſpires, ſpeque reſurgas.
Reſpirare pium, ſurgere nolle nefas.

Gallia fortis eram, gladioque manuſque potenti,
Nunc exhauſta premor, cogor ad ima teri.
Olim tuta, potens, & inexpugnabilis hoſti,
Nunc infirma ruens, vincor ab hoſte truci.
Pulchra, placens, opulenta, vigens, præclara triumphis,
Gens mea fœda jacet, ſpreta ſubacta malis.
Deſtituuntur agri, regiones, oppida, vici,
E quibus indigenæ diſperiere mei.
Flet domus orba viro, lactens patre, ſponſa marito,
Mœret in exilio plebs mea preſſa jugo.
Hei mihi terra ferax, ſpecies, opulentia, robur,
Aret, fuſcatur, deperit, obruitur.
Mater ovans pridem, concepi fœta dolorem,
Alvo tenſa gravi, parturiens peperi.
Sunt mea progenies lamenta, querela, dolores;
En mea præ lacrymis intumuit facies.
Hei mihi quos genui prædo rapit, advena tollit;
Heu preſſura gravis, crux mihi, pœna meis.
Lux abit, umbra ſubit, pietas dolet, ira ſuperbit.
Dulce datur felli, juſque ſacrum ſceleri.
Faſque ruit ſurgitque nefas, nova miraque peſtis.
Mitibus aſperitas obviat, ira piis.
Vulpes erumpunt, mures nova cornua ſumunt,
Dum leo rugit edax, agnus, oviſque tremunt,
Parthus, Medus, Arabs, inſultat, provocat, urget,
Sibilat ore, fremit dente, movetque caput.
Sibilus opprobrium, fremitus magis exprimit iram,
Motio deriſum; quid ſequar, aut quid agam?
Regis honor, populique vigor, reverentia cleri,
Pontificalis apex cogitur arta pati.
Ordo ſacer, gradus inferior, cuneus popularis,
Infinita cadunt millia mille modis.
His negat hoſtis iter, calliſque reflexus & aſper,
Hos male torquet hiems, æſtus & aura nocens.
Fraus inimica premit, furor afficit, ira fatigat.
Pulſat acerba lues, planctus ubique ſonat.
Carnibus eſuries veſci compellit equinis:
Foſſam cogit humum lambere ſicca ſitis;
Virque virum carnemque caro vorat, hoſtis hoſtem
Paſcit & illicitis proh dolor! ingluviem.
Si quid habet fugiens ætas infirma relinquit,
Pauper egenus opes, fortior arma legit.
Victa labore fugæ, gravis, anxia, tarda ſenectus
Offert ſe gladiis, jungit utraſque manus.
Pars conſumta fame, pars intolerabiliori
Exhalant animas aëre, tabe, ſiti:
Fortis & incolumis trahitur, trahitur vagus, exul & exlex,
Morbidus in gladio corruit aque ſenex,
Corpora cæſa locis inhumata jacent inaquoſis,
Eſca volatilibus ſparſa relicta feris.
Pauca teguntur humo, ſanguis terraque marique
Diffluit, arva madent, inficiuntur aquæ,
Lingua ſilet, mala juncta malis, neque tot capit auris:
Singula noſſe dolor, cuncta referre labor.

Gallia mater in his doleo, mihi condolet orbis,

Tot queror acta mihi damna, Deumque pati.
Sanctis, Chriſte, locis, mons, murus, dextera, turris
Da ſpem, conſer opem, reſpice probra crucis.
Ne ſuper hoſte diu ferus ille ſuperbiat hoſtis,
Sed fracto cornu ſentiat arma crucis.

Gloria Francorum dudum concepit honorem,
Sed gravis in partu peperit, peperitque dolorem.
Res miranda fuit, cum gloria culmen honoris
Parturiendo ruit, fit gloria cauſa doloris.
Parturiunt montes, peperitque ſuperbia mures.
Mons cadit, alta ruunt, pereunt in ſanguine plures.
Ad nihilum redit eſuriens exercitus iſte,
Ablue noſtra Deus, & munda crimina, Chriſte,
Græculus eſuriens nos deſtruit eſuriendo,
Nos rapit & vaſtat manus aſpera percutiendo.

Græculus arte, fame, nos deſtruit eſurientes,
Et Parthi gladio devaſtant deficientes.
Dumque famem patimur, hoſtes ſentimus iniquos.
Deficiente cibo, paucos reperimus amicos.
Fallitur ex toto gens inclyta pane remoto.

Gloria Francorum, timor hoſtis, & arma tuorum,
Gens pia, plebs celebris, quondam famoſa triumphis
Nunc Danaum maleſiſa dolis, ferrumque famemque,
Immerito ſentis, ſatiantur & hoſtibus hoſtes.
Quis modo gaudebit? Ego non, dum Gallia flebit.
Gallia tota dolet, & ego, gens impia gaudet,
Gaudet & exultat, dum tantis viribus inſtat.
Gens mala Parthorum, populi fera turba Medorum,
Imperium vitæ vendunt & emunt Elamitæ.
Gloria flere poteſt, non nobis gloria prodeſt.
Gloria cum luctu teritur, quaſi flos ſine fructu.

CHRONICON TERRÆ SANCTÆ

AUCTORE RADULPHO COGGESHALE

ORDINIS CISTERCIENSIS ABBATE

Ex pervetuſto codice Pariſienſis ſancti Victoris bibliothecæ, auctoris ætate conſcripto.

OBSERVATIO PRÆVIA.

FUIT olim in Anglia haud ignobile Ciſtercienſis ordinis cœnobium a Stephano rege & regina Mathilde fundatum, cujus ſextus abbas Radulfus multis commendandus nominibus ſequens chronicon ſive libellum conſcripſit, in quo præſertim Terræ-ſanctæ a Saladino infauſtam expugnationem repræſentat. Is ſive quo tempore canonicus erat Barnevelenſis, ſive antea, ſacram ad loca ſancta peregrinationem ſuſcepit, eorum quæ tunc a Sarracenis in Chriſtianæ religionis detrimentum geſta ſunt, teſtis oculatus, uti ipſe aſſerit num. 17. Et quoniam per diverſas partes terram Jeruſalem Sarraceni qui cum Saladino erant invaſerunt, dignum quidem nobis videtur, ſicut vidimus & audivimus brevi & impolito ſermone ſummatim perſtringere. *Quin immo ipſa in urbe Jeruſalem incluſus erat, ibidemque vulnus accepit, cum illam Saladini exercitus obſidione cingeret, Sic enim num.* 26. Nam & facies hæc refe-

rentis ſagitta per medium naſum infixa vulnerata eſt, atque extracto ligno, ferrum uſque hodie permanſit. *Et infra cum ſcripſiſſet ipſa in obſidione adeo exhauſtas fuiſſe civitatis vires, vix ut reperirentur qui quovis propoſito pretio muros cuſtodire vellent, ſic ſubdit:* Ego ſiquidem auribus meis audivi ſub voce præconia ex parte patriarchæ & ceterorum magnorum civitatis inter murum & antemurale conclamare, ut ſi quinquaginta ſervientes fortes & audaces inventi fuiſſent, qui angulum dirutum armis ad eorum voluntatem acceptis, illa nocte tantum cuſtodirent, quinque millia Biſantiorum accepiſſent, nec fuerunt inventi. *Hinc colliges quanta auctori noſtro fides ſit habenda, qui ea præſertim refert quæ ſuis oculis hauſerat, aut ab aliis viſa accepit. Ceterum hic præterire nec debeo nec poſſum præclara illa elogia quibus ab Anglicanis & aliis ſcriptoribus decoratur.* Radulfus Coggeshale, *inquit Baleus ſcript. Britanniæ centuria* 3. *cap.* 88. Ciſtercienſis ordinis monachus, vir climatæ tum eruditionis, tum frugalitatis, eo pervenit excellentiæ in actionibus litterariis, ut ſociorum ſui collegii facile primus haberetur. A puero enim liberalibus diſciplinis inſtructus, magnam apud primores viros ob induſtriam præſtantem familiaritatis gratiam invenit. Unde tum demum dignus qui ceteris præeſſet, inventus, Coggeshalenſi in Eſſexia cœnobio abbas præficiebatur, a prima fundatione ſextus. In quo officio vix unum ab utili ſtudio vacuum omnino intermittebat diem; ſed vel ex humanis artibus, vel ex hiſtoriis, vel ex ipſis ſcripturis ſacris, aliquid ſemper hauriebat. Ad Radulfi Nigri chronicon de imperatorum ac regum tam Franciæ quam Angliæ factis inſignioribus appendices fecit, a captione crucis, ut in eiſdem narrat, vel ab anno 1113. uſque ad annum undecimum Henrici III. Johannis regis filii quod opus vocabat:

Additiones Radulfi Nigri, lib. 1. Anno gratiæ 1114. rex Henricus.

Chronicon Terræ ſanctæ, lib. 1. Quantis preſſuris & calamitatibus.

Super quibuſdam viſionibus, lib. 1.

Conciones quaſdam & alia plura ſcripſit. Claruit anno a Chriſti Incarnatione 1208. ſub prædicto rege Anglorum Henrico III. in quo functionibus ſuis renuntiabat 12. officii anno, frequenti, ut ſcribit, ægritudine laborans. *Et Johannes Pitſeus de illuſtribus Angliæ ſcriptoribus, cap.* 325. Radulfus Coggeshalus, Anglus natione, ab ipſa ætate tenera in ingenuarum artium ſtudiis ſollicite educatus, canonicus aliquando Barnevelenſis, ut habet Johannes Stous. Poſtea jugum Domini ſuave & onus leve portare didicit in ſancta Ciſtercienſium monachorum ſocietate. Vir multis naturæ dotibus ornatus & variis diſciplinis excultus, incredibilis frugalitatis & parcimoniæ, temperans, caſtus, humilis, modeſtus, in omnibus inculpatæ vitæ, magnæ etiam doctrinæ: unde partim naturæ bonitate, partim laboris & induſtriæ ſedulitate, magnum apud omnes nomen acquiſivit, multam ſibi gratiam conciliavit, & inter ſuos emicuit, ut unanimi ſociorum conſenſu in Coggeshalenſi cœnobio, quod ſitum erat in Exſexia, abbas tandem eligeretur, in qua dignitate conſtitutus, muſas nihilominus, ut prius, coluit, & quotidie vel de ſacris ſcripturis aliquid legebat, & contemplabatur, vel hiſtorias manibus terebat, vel ſcriptis committebat. Ad chronicon Radulfi Nigri accuratas ſcripſit additiones, egitque de imperatoribus, de regibus tum Angliæ tum Franciæ, incipienſque ab anno 1113 hiſtoriam uſque ad ſuum tempus deduxit, & ad annum 1228. forſitan una cum vita terminavit. Nam circa idem tempus cum annis XII. monaſterio præfuiſſet, omnibus functionibus publicis ſe abdicavit, & cum variis morbis conflictans, vitam privatam, donec prævalente vi ægritudinis, vita privaretur, egit. Scripſit

Additiones ad Radulphum Nigrum, lib. 1. Anno gratiæ 1114. rex Henricus.
Chronicon Terræ ſanctæ, lib. 1. Quantis preſſuris & calamitatibus.
Super quibuſdam viſionibus, lib. 1.
Sermonum, lib. 1. & alia quædam.

Vixit quidem ſed ægre quia valde æger anno ſalutis 1228. cum ſumma rerum in Anglia penes Henricum III. reſideret.

Brevius Gerardus Voſſius lib. 2. *de Hiſt. Lat. c.* 58. Inter eruditos Angliæ viros ſub Henrico III. Johannis filio circa annum MCCXXVIII. habebatur quoque Radulfus Coggeshale ordinis Ciſtercienſis monachus, Coggeshalenſis in Exſexatia abbas. Qui cùm chronicon Terræ ſanctæ condidit, tum etiam ad Radulfi Nigri chronicon appendicem addidit ab anno 1113. uſque ad annum XI. Henrici III. ſub quo vivebat, ut diximus. *His accinunt ea quæ apud Carolum de* Viſch, *Johannem Caveum & Caſimirum Oudinum leguntur.*

DE EXPUGNATIONE
TERRÆ SANCTÆ PER SALADINUM,
LIBELLUS.

QUantis preſſuris & calamitatibus oppreſſa ſit & contrita Orientalis eccleſia a paganis, ſine dolore & effuſione lacrymarum veſtræ excellentiæ quis intimare poteſt? Ingreſſo itaque viam univerſæ carnis rege BALDEWINO puero Latinorum rege ſeptimo, immo octavo, convenerunt ſeniores Jeruſalem ſimul, ſed non in unum: principes ſcilicet ſacerdotum & magiſter militiæ templi cum ſuis militibus, & REGINALDUS princeps Montis-regalis cum amicis comitis, & comitiſſa Joppenſis, portas civitatis Jeruſalem clauſerunt, neminem exire vel intrare permittentes, abſentibus principibus & baronibus terræ, comitiſſam Joppenſem SIBILLAM nomine, filiam Almarici in reginam unxerunt, & dominum ſuum Guidonem DE LEZINAN comitem Joppenſem regem fecerunt, aliis clamantibus: voluntas Dei eſt; aliis contradicentibus, ſepulchrum Domini & Jeruſalem cum pertinentiis ſuis propter hoc deſtruendum. Orta eſt denique diſſenſio in terra tam magna, ut vix duo conſentirent in unum. Pauci cum rege, multi vel pene omnes cum comite Tripolitano, & cum ſociis ſuis parati erant invicem inter ſe inire certamen. Sedatis tandem controverſiis, ſed non peractis, malitia in cordibus utrorumque perdurante, parumper ſiluerunt. His igitur tempeſtatibus irruentibus, bitumine caritatis deficiente, arca Domini disjuncta & diſſoluta eſt, atque aquis contradictionis irrumpentibus, illi qui hereditatem Crucifixi male tractabant, illam & ſuam & ſeipſos perdiderunt.

Diſſenſio in eligendo regi Jeroſolymorum ſuccedente.

2. His itaque male geſtis, Saladinus cum ſuis ſatellitibus gaviſus eſt valde, ſciens quod omne regnum diviſum deſolabitur, exercitum copioſum congregavit, atque in omnibus terris ejus dominatui ſubjacentibus miſit legatos dicens, ut omnis quicumque aurum, argentum, poſſeſſiones, domos, captivos & captivas habere vellet, ad eum properaret. Convenerunt autem ex omni parte Turci, Cordini, Syri, Arabes, Alani, Carnanni, Caſſechaki, Idumæi, Turcomanni, Biduini, Sarraceni, Ægyptii, & illi qui habitant in terra Beman; & caſtrametati ſunt in loco qui dicitur *Raſſeleme*, quod interpretatur Caput aquæ. Conſiderans autem Saladinus Chriſtianorum debilitatem, miſit ſeptem millia virorum fortium, ut terram Galilææ deprædarent, cogitans quod ſi iſti pauci terram illam deſpoliaſſent, & ſine damno revertiſſent, ceteri animoſiores eſſent ad pugnam & iſti acriores. Igitur miniſtri iniquitatis ſanguinem ſanctorum ſitientes, ſicut canes rabidi ad cadaver currentes, rapidiſſimo curſu in loco qui dicitur *Cavan*, pervenerunt, ibique uſque ad veſperum quieverunt. Sole denique recedente tranſierunt flumen, & velut filii noctis & tenebrarum, intempeſtæ noctis ſilentio terram Galilææ uſque ad Caſram percurrentes, pauperes Chriſti perimentes, homines & mulieres cum copioſa multitudine jumentorum ſecum in captivitatem trahentes, patrem illorum, ſcilicet diabolum imitantes, qui quos in ſtatu carnis reperit quieſcentes, & in peccatis ſuis dormientes jugulat, & ſecum in foveam damnationis trahit. Et quia aurora veritatis & ſol juſtitiæ non luxit eis, præmiſſis captivis cum præda non minima in ipſo crepuſculo inſidias ſuas uſque ad quatuor milia virorum in valle Saforiæ poſuerunt, ceteri vero per planitiem campi Cana Galilææ ſubſtitere. Mane autem facto ſpeculatores civitatis Nazareth levantes oculos & videntes inimicos Crucis Chriſti, per concava vallium huc illucque diſcurrentes, timore percuſſi, clamantes & vociferantes: Ecce aſſunt Turci, ecce aſſunt, venerunt in civitatem. His auditis, conclamabant per civitatem ſub voce præconia: Viri Nazaræi, arripite arma

Saladinus copias colligit adverſus Chriſtianos.

Galilæam deprædatur.

An. 1187.

& pro loco veri Nazaræi fortiter dimicare.

Magiſter Templi ſuos hortatur ad pugnam.

3. Contigit autem eadem nocte magiſtrum militiæ Templi & magiſtrum Hoſpitalis illuc adveniſſe, miſſos a rege & patriarcha cum duobus epiſcopis, quatenus pacem & concordiam inter regem & REMUNDUM comitem Tripolitanum honorifice tractarent, qui comes tunc temporis apud Tyberiadem morabatur. Tumultuante autem civitate, iſti ſunt expergefacti, & interrogaverunt quid hoc eſſet; dictumque eſt eis a narrantibus, quod Turci viam per quam ituri eſſent Tyberiadem præoccupaverant. Tunc magiſter militiæ Templi ſocios ſuos ita effatus eſt: » Fratres dilectiſſimi, & commilitones mei, » vos ſemper iſtis vanis & caducis reſtitiſtis, » vindictam ex eis exegiſtis, de ipſis ſemper » ſatis habuiſtis: accingite ergo vos, & ſtate » in prælio Domini, & memores eſtote patrum » veſtrorum Machabæorum, quorum vicem » bellandi pro eccleſia, pro lege, pro here- » ditate Crucifixi jam dudum ſubiiſtis. Scitote » vero patres veſtros non tam multitudine, » apparatu armato, quam fide & juſtitia & » obſervatione mandatorum Dei victores ubi- » que fuiſſe: quia non eſt difficile vel in mul- » tis vel in paucis vincere, quando victoria e » cœlo eſt. » Qui omnes uno ore dixerunt: » Nos quidem promti & parati ſumus pro » Chriſto mortem ſubire, qui morte ſua pre- » tioſa nos redemit. Hoc ſcientes, ſive vivi- » mus ſive morimur, in nomine JESU ſemper victores eſſe. Interim magiſter Hoſpitalis, vir bonus & pius, fratres & populum beni- » gne alloquitur: « Fratres cariſſimi & ſemper » amici, ne terreamini ab his canibus rugien- » tibus, qui hodie florent, cras quoque in » ſtagnum ignis & ſulphuris mittentur. Vos » autem eſtis genus electum, gens ſancta, po- » pulus acquiſitionis. Vos eſtis æterni, quia » cum Chriſto regnaturi. Ne timeatis, neque » paveatis, ſed mementote Abraham, qui cum » ccc. vernaculis quatuor reges perſecutus eſt, » percuſſit, & prædam excuſſit; cui revertenti » a cæde quatuor regum occurrit rex Sălem » Melchiſedech, offerens panem & vinum, at- » que benedictionem dedit. Ecce & vobis qua- » tuor vitiis capitalibus in virtute Trinitatis » ſuperatis occurret rex Salem, id eſt rex juſti- » tiæ verus ſacerdos JESUS CHRISTUS, offerens » panem ſatietatis æternæ, & vinum redem- » tionis perpetuæ. Inſuper & benedictionem » infundet, ut amodo voluptatibus carnis non » ſerviatis.

Et magiſter hoſpitalis ſuos.

Chriſtiani viriliter pugnantes, multis Paganorũ occiſis tandẽ ab ipſis opprimuntur.

4. Hoc dicto, omnes alacri corde arma arripuerunt, direxerunt acies, licet parvas, & cum omni hilaritate contra hoſtes proceſſerunt. Cum vero planitiem campi noſtri Chriſtiani attigerunt, barbari quaſi timore percuſſi fugam ſimulantes, milites noſtros ultro perſequentes, longe a ſervientibus protraxerunt, quatenus milites a peditibus ſeparatos ſine timore ſagittarum ſagittis interficerent, & pedites abſque pavore lancearum & gladii, ſagittis & gladiis & maceis (a) ferreis occiderent. Cum autem per longa ſpatia campi eſſent diviſi, inſidiæ Sarracenorum de latibulis prorumperunt, milites & pedites in duas partes diviſerunt, ut nec iſti illis, nec illi iſtis mutuo adjutorio adjuvarent. Igitur commiſſum eſt prælium durum & inæquale, quia noſtri non erant amplius quam milites cxxx. & quadringenti vel trecenti pedites, & invicem miſerabiliter ſeparati. Tamen multitudo paganorum, nec copioſæ pharetræ ſagittarum terebant noſtros, quin fortiter latera Sarracenorum lanceis perfodiendo fulgurantibus gladiis verberando dimicarent. Igitur cadebant percuſſi, plangebant vulnerati, ſanguinem fundebant ſemivivi, ad inferos deſcendebant mortui, ſtupebant corde & labiis incircumciſi, tam paucos milites contra tam magnam turbam poſſe certamen ſubire. Et quia congreſſus & concurſus militum Turci non pomerunt ſuſtinere, ſervientibus interfectis, conglobati ſunt in unum cuneum; & dantes fremitum & ululatum, undique noſtros circumſederunt, unoque animo ſuper Chriſtianos impetum fecerunt. Milites vero Chriſti turba barbarorum conſtipati, ita ſunt in unum collecti, ut nec curſibus equorum, nec ictibus lancearum aditum exeundi vel evadendi poterant aperire. Crudele ſpectaculum, & omnibus Chriſtianis cum fletu plangendum! Stabant ſancti quaſi agni ſine balatu inter lupos rabidiſſimos, jam Deo oblaturi, quatenus ſole caleſcente ignis divinus hoſtias pacificorum conſumeret. Enimvero tempore veris erat, æſtate jam appropinquante: flores vineæ, id eſt eccleſiæ, odorem dederunt, & hortus concluſus de fonte ſignato irrigatus rubicundat, & ſuaviſſimas ſponſo jamdudum inter candorem liliorum quieſcenti obtulit roſas. Adverſarii autem ſanctorum & Deo odibiles undique ſanctos expugnantes, alios ſagittis perforabant, & vulnera vulneribus imprimebant, alios gladiis cædebant, alios maceis ferreis quaſſabant. Inter hæc magiſter militiæ Templi videns quod traditi eſſent ad mortem, & nulla ſpes ſalutis ſupereſſet, quaſſatus maceis fugiendo vivus evaſit. Magiſter vero ſanctæ domus Hoſpitalis, vir pius & bonæ miſericordiæ viſceribus ſemper affluens, ne coronam perderet, nec aliquid de mercede æternæ retributionis minueret, inſtabat intrepidus: & quoniam perfecta caritas foris mittit timorem, athleta victorioſus millia populi ſe circumdantis non timuit, quia laboris ſui remuneratorem mente & ſpiritu in cœlo vidit. Perforatus igitur undique ictibus ſagittarum acutiſſimis, & proprio cruore perfuſus, inſuper data lancea per medium pectoris, mar-

(a) Vox corrupta pro *maſſis ferreis*.

tyr & victor capitis abſciſione Deum glorificavit. Proh dolor! patrem orphanorum, ſuſceptorem & viſitatorem infirmorum, eleemoſynarum largitorem, ſuæ carnis & vitiorum victorem, præcurſoris Domini diſpenſatorem, Dei & ſanctorum amicum occiderunt. O pauperes & membra Chriſti ſuper hoc plangite: quid facietis capite ablato? Filiæ Galilææ & Nazareth, id eſt tranſmigrationis & munditiæ, ut nos Jeruſalem, id eſt viſioni pacis pacificaret, in Cana Galilææ & in cœlo tranſmigrationis migravit. Væ tibi Tyberias, væ tibi Bethſaïda, quia inter montes ſuperbiæ tuæ humilis rector humilium occiſus eſt. Interim flete quoniam vos eſtis cauſa fletus & materia. Heu, heu! quis poteſt dicere vel cogitare quantæ triſtitiæ & anxietates tenuerint corda ſanctorum, cum hinc alios vidiſſent ſtantes ſanguine proprio perfuſos, illinc alios mole morientium fratrum oppreſſos, hinc alios cruorem ſuum bibentes, & ſitis ariditate morientes, illinc alios de corporibus ſuis tela & vitam cum ſagittis extrahentes?

Gloriosa mors Jacquelini de *Maily* Templi marescalli & Henrici militis Hospitalis.

5. Omnibus jam pene morte crudeliſſima conſumtis, inter ceteros reſtabant duo quorum auxilio ceteri ſtabant. Stabant iſti & inſtabant, hoſtes viriliter impugnando, quorum alter nomine *Jakelin de Mailly*, mareſcallus militiæ Templi, vir armis ſtrenuus; alter vero HENRICUS frater Hoſpitalis, miles & præliator fortiſſimus. Horum primus bellator nobiliſſimus, quaſi leæna ſæviens, raptis catulis, unguibus ſcindens & fodiens, atque quidquid objectum fuerit ore crudeli dilacerans, ſic ſignifer noſter frendens ſpiritu, quemcumque poteſt attingere, in ruinam mortis & præcipitium damnationis ruit; & ſicut aper crudelis circumdatus canibus, dentibus ſuis quodcumque obvium habuerit diſcerpens atque dilanians, ita ſequens gladiator noſter ferociſſimus, ſcindendo & occidendo homicidas impiiſſimos mittit ad inferos. Stupent autem tonſi in fronte, progenies ſcilicet *Iſmaël*, & ſine periculo mortis ad eos non credebant eſſe acceſſus. Igitur ſtabant procul filii Babylonis & Sodomorum, lanceas, tela, ſagittas in martyres Chriſti, ut eos morti traderent, undique mittentes: at illi gaudenter ſuſceperunt ictus, ut mererentur accipere coronam vitæ. Bellatores igitur inclyti & amici Dei pondere tanti laboris fatigati, atque multitudine armorum oppreſſi, martyrio Chriſtum glorificantes, glorioſo fine quieverunt. Demum heredes Canaan more canum latrantes, & per totum campum polluto ore perſtrepentes clamabant: Victi ſunt, victi ſunt qui vicerunt: & quoniam viventes non audebant attendere, ad corpora in ſolo ſine anima & ſpiritu jacentia accedebant, & minutatim in fruſta ſcindentes diſpergebant per campum. Omnibus itaque morte vel captivitate conſumtis, reverſi ſunt filii Edom per locum qui vocatur *Til*, ubi Jordanis influit in mare per ripam maris Galilææ, in medio itinere Tyberiadis & Japhep, juxta menſam de qua non erant pranſuri, ubi ſcilicet Dominus JESUS de quinque panibus & duobus piſcibus ſatiavit quinque millia hominum, ibique pernoctantes, ſpolia ſanctorum cruentis manibus diviſerunt. Et quia prima dies Maii erat, in qua flores & roſæ colligi ſolebant, viri Nazareni colligebant corpora Chriſtianorum, & ſepelierunt ea in cimiterio beatæ MARIÆ in Nazareth, & fecerunt planctum magnum ſuper interfectos, dicentes, heu, heu! quid contigit nobis? Ergo filiæ Nazareth & Galilææ multiplicate planctum, augete fletum, quia inſanabilis eſt dolor veſter. O Sion ſpecula ſummi regis, annuntia in Jeruſalem & in Judæa quæ vidiſti, ut & ipſi ſumant planctum, quoniam vaſtitas & deſolatio imminet eis.

Comes Tripolitanus eli demiſſione accedit ad regem.

6. His itaque geſtis comes REIMUNDUS Tripolitanus ſuper hoc contriſtatus eſt uſque ad mortem, dicens: Ne aliquis putet propter me vel pro me hoc factum eſſe, vadam & ſubjiciam me regi & reginæ & ſenioribus Jeruſalem; inſuper & quidquid juſſerint faciam. Igitur qui relicti fuerant, ſcilicet archiepiſcopus Tyrenſis, & archiepiſcopus Nazarenus, & magiſter Templi miſerunt nuntios in Jeruſalem ad regem, dicentes: Condoluit comes ſatis ſuper interfectione magiſtri Hoſpitalis & ceterorum; idcoque venturus eſt nobiſcum in Jeruſalem, tibi ſubjiciendus, omnibus querelis ſopitis; & tu benefac, ad ipſius honorem nobis occurrendo. Hoc audito, ſurrexit rex GUIDO Liſinienſis cum multitudine militum Turcopolorum, & occurrit comiti. Obviaverunt autem ſibi rex & comes in campo magno *Dotaym* juxta ciſternam Joſeph. Ibi vero uterque deſcendens in terram, aſtantibus epiſcopis & militibus Templi, & militibus Hoſpitalis & baronibus terræ cum immenſis populis & gaudentibus, amplexati ſunt & deoſculati; atque junctis lateribus perrexerunt ambo pariter in Jeruſalem, & illic fecit homagium regi & reginæ, condonantibus invicem querelis. Omnibus ergo bene compoſitis, adorata vivifica Cruce, reverſus eſt comes Tyberiadem; rex vero permanſit in Jeruſalem cauſa congregandi exercitus.

Chriſtiani numeroſum congregant exercitum.

7. Anno MCLXXXVII. ab Incarnatione Domini, congregavit rex Syriæ exercitum copioſum ſicut arenam quæ eſt in littore maris, ut debellaret terram Juda, & venit uſque *Jaulan* trans flumen, ibique fixit tentorium. Rex autem terræ Jeruſalem coadunavit & ipſe exercitum ab omni Judæa & Samaria. Et convenerunt omnes & caſtrametati ſunt circa vallem Safforiæ. Templarii vero & Hoſpitalarii de omnibus caſtellis ſuis populum multum congregaverunt, veneruntque in

castra. Surrexit autem & comes Tripolis cum omni populo, quem de Tripoli & Galilæa congregaverat, & venit in castris. Sed & princeps REGINALDUS Montis-regalis cum gente sua; BALISANUS Neapolensis cum sua; REGINALDUS Sidonienſis cum sua; dominus Cæsariæ Palæstinæ cum sua. Non remansit homo in civitatibus vel vicis vel castellis qui ad bella posset procedere, quin jussu regis urgeretur exire. Nec hoc quidem sufficiebat eis, sed aperuerunt ærarium regis Angliæ, & dederunt stipendium omnibus qui arcum vel lanceam poterant ad pugnam gestare. Habebant autem exercitum copiosum, milites mille cc. Turcopolos innumerabiles; pedites decem & octo millia, vel eo amplius, & gloriati sunt in multitudine hominum & equorum hinnientium. In loricis ergo & galeis & lanceis & clypeis aureis, & non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus, qui est protector & salvator Israël, sed evanuerunt in cogitationibus suis & vani facti sunt. Miserunt etiam in Jerusalem ad patriarcham, quatenus cum ligno Dominico pretioso ipsemet ad castra venire properaret: & quoniam lumen oculorum cordis jamdudum amiserat, sicut Heli Silonites, Ophni & Phinees, filios suos, scilicet episcopum Liddensis ecclesiæ & episcopum Accon constituit, ut essent portitores Dominicæ Crucis & custodes, sperans omnibus captis vel interfectis sibi aditum evadendi patere: sed voluntate Dei cecidit retro de sella quam forte indignus possederat.

Accersunt Patriarcham cum ligno crucis Dominicæ.

8. Interea Syri transierunt Jordanem percurrentes & devastantes omnem regionem circa torrentem Cyson, a Tyberiade ad Betharen, & montes Gelboë & Jesrael & usque Nazareth, & per circuitum montis Thabor. Et quoniam terram invenerunt ab hominibus destituram, quia fugerant timore eorum, incenderunt arcas, & quidquid invenire poterant flammis tradiderunt. Ardebat autem tota terra sicut globus unus ante faciem eorum. Nec tamen his satiati, insuper & montem sanctum ascenderunt, & locum sanctissimum, in quo Salvator noster assumtis discipulis Petro & Jacobo & Johanne, apparentibus Moyse & Elia gloriam futuræ resurrectionis transfiguratione sua ostendit, fœdaverunt: quem locum princeps apostolorum visa gloria æternæ claritatis laudans, ibique cupiens habitare, dixit: *Domine bonum est hic nos esse, &c.* futurum nesciens quod præsens cernebat.

Interim Syri omnia vastāt.

9. Istis itaque percurrentibus ac devastantibus, transivit Saladinus flumen cum omni exercitu suo, & jussit applicari exercitum ad civitatem Tyberiadem, ut debellaret eam. Secunda die mensis Julii, feria quinta circumdata est civitas a sagittariis, & coeperunt pugnare: & quoniam civitas non erat munita, comitissa & viri Galilæi miserunt nuntios ad comitem & ad regem dicentes, Circumdederunt Turci civitatem, & jam prope expugnaverunt, muris perforatis ad nos intrantes. Succurrite ergo cras, vel capti & captivi erimus. Pugnaverunt igitur Syri & prævaluerunt. Ut autem cognoverunt viri Galilæi non posse sustinere, relictis propugnaculis & civitate fugerunt in castellum a facie paganorum. Capta est civitas atque succensa. Et quoniam audierat rex Ægypti quod exercitus Christianorum veniret adversum se, noluit oppugnare castellum; sed ait: Sinite, captivi mei sunt: Hæc est civitas tam frequenter in evangeliis nominata, corporali frequentatione & illustratione miraculorum Domini nostri gloriosa. Hic autem ut verum hominem se ostenderet, in navicula Petri dormivit, & ut verus Deus ventis & mari imperavit. Hic denique ut verum Deum se demonstraret, quarta vigilia noctis, scilicet circa finem Molaicæ legis, aurora evangelii & gratiæ jam albescente super liquidas undas maris operante divinitate ambulavit. Hic vero Petrum fide titubantem & mergentem extensa manu erexit, scilicet ecclesiam inter fluctus sæculi periclitantem gloria Resurrectionis, & operatione miraculorum confirmavit. Hic autem ut verum corpus & veram carnem post resurrectionem se habere insinuaret, coram discipulis suis partem piscis assi & favum mellis manducavit, & post trinam interrogationem an Petrus illum diligeret, & ternam responsionem Petri: *Domine tu scis quia te amo*, oves & agnos Petro conservandos commendavit, atque celebrato glorioso convivio, & jam abire incipiente, Petro se sequi, scilicet crucis passione, præcepit.

Rex accepto a suis consilio, repugnante comite Tripolitano, copias cogit ad succurrendū Tyberiadi.

10. Secunda die mensis Julii, feria v. advesperascente, auditis litteris Galilæorum, convocavit rex terræ Jerusalem omnes duces exercitus, ut darent consilium, quid essent acturi. Qui omnes tale dederunt consilium, quatenus cruce Dominica comitante, omnes armati & per acies distincti contra hostes dimicaturi mane procederent, atque civitati Tyberiadis succurrerent. Quod audiens comes Tripolitanus, ait: » Mea est« civitas Tyberiadis, uxor mea ibi est, nullus« nostrum tantum amisit, quantum ego, nec« aliquis vestrum tam diligenti studio, salva« Christianitate, succurreret vel adjuvaret,« quam ego. Tamen absit hoc a rege, & a« nobis aquam & victum & ea quæ necessaria« sunt relinquere, & tantam multitudinem« populorum & jumentorum in solitudine fame & siti & fervida æstate interficiendam« deducere. Et quoniam populus multus est,« & fervida æstas, sine abundantia aquæ, vos« ipsi scitis, per dimidiam horam diei populum« non posse subsistere, nec inimici vestri sine« magna penuria aquæ & interitu hominum« & jumentorum ad nos possunt pertingere.«

State

»State ergo ſuper aquas veſtras, & alimenta »veſtra in medio terræ, quoniam certum eſt »in tantam ſuperbiam Sarracenos ſe erexiſſe »capta civitate, ut nec ad dexteram vel ad »ſiniſtram declinare velint, ſed per vaſtam »ſolitudinem recto itinere ad nos properare »& ad bella provocare. Populus autem noſter »refectus & ſatiatus pane & aqua contra ho»ſtes pugnaturus de caſtris exibit hilariter. Et »vos quidem & equi veſtri recentes, adju»vante nos & protegente cruce Dominica, »gentem incredulam & in ſiccitate ſatigatam, »& refugium refocillationis non habentem »fortiter expugnabimus. Sciatis vero inimicos »crucis Chriſti antequam ad mare veniant, »vel ad flumen poſſint redire, interfectos fore »gladio, vel lancea, vel ſiti, vel captos ma»nu, gratia nobiſcum Jesu Christi per»durante. Nobis autem ſi aliquid contigerit »mali, quod abſit, habemus per circuitum »munitiones, ſi opus fuerit fugiendi, quod »Deus avertat. Et quoniam tradituri erant in manibus luporum, de lupo iniquo problema contra comitem vera dicentem protenderunt dicentes: Adhuc latet in pelle lupi. Impletum eſt ergo in eis quod per Sapientem dicitur. *Væ terræ cujus rex juvenis eſt, & cives mane comedunt.* Rex autem noſter juvenis juvenile conſilium ſecutus, & cives invidia & odio carnem proximorum comedentes, conſilium ſuæ ſalutis & ceterorum reliquerunt, & in inſipientia & fatuitate ſua terram & populum & ſeipſos perdiderunt.

Incipit proœmium verſus Tyberiadem.

11. Igitur feria ſexta, die tertia menſis Julii, relictis neceſſariis, per turmas ſuas proceſſerunt, comes Tripolis in prima fronte ſecundum dignitatem ſuam, ceteri autem dextra lævaque ſecundum inſtitutionem terræ perrexerunt. Acies autem ſanctæ crucis & acies regis ſimul ſubſequentes, poſtremo Templarii cauſa exercitum cuſtodiendi, ſecundum ſitum terræ. Profecti ſunt autem de Safforia, ut irent Tyberiadem, ſicut dictum eſt, & pervenerunt uſque caſale quod dicitur Mareſcalciæ in tertio milliario a civitate. Ibi vero ita coanguſtati ſunt incurſione hoſtium & ſiti, ut ultra nequirent procedere. Et quoniam tranſituri erant per loca ſcopuloſa & anguſta ut ad mare Galilææ pertingerent, quod uno milliario diſtabat ab eis, mandavit comes ad regem dicens: Feſtina & tranſeamus locum iſtum, quatenus & nos & populus poſſimus vos ad aquas ſalvare; ſin autem periclitabimur ſicca manſione. Qui reſpondit: Cito tranſibimus.

A Sarracenis cruento cæduntur.

12. Interea Turci invaſerunt extremos exercitus, ita ut Templarii & ceteri qui in extrema parte erant minime poſſent ſuſtinere. Neci denique tradituris juſſit rex ex improviſo, exigentibus peccatis, figere tentoria; ait heu! heu! Domine Deus finita eſt guerra, traditi ſumus ad mortem & terra deſtructa eſt. Caſtra metati ſunt ergo cum dolore & anguſtia & ſiti in ſicca manſione, ubi magis effuſus ſanguis nocte illa quam aqua. Sic nox illa ſolitaria nec laude digna, in qua Chriſtiani ariditate ſitis amiſerunt fortitudinem, nec computetur in noctibus anni, nec numeretur in menſibus, in qua lux Chriſtianorum obcæcata eſt. O quam amara habitatio, in qua non erat mortis declinatio. Hæc eſt manſio declinationis & ſitis, ubi duces Iſrael pro deſiderio aquæ declinaverunt. Igitur filii Eſau circumdederunt populum Dei, & incendentes deſertum circa eum, atque tota nocte calore ignis, fumo, ſagittis vexatos, fame & ſiti vexabant. O quam miſerabilis requies per tam longam viam ſolitudinis, Forte non ſunt recordati manus Domini qua redemit Iſrael de manu tribulantis. Certe ſtabat redemtio captivorum in medio populi, arbor ſcilicet ſalutifera, in qua ſuſpenſus eſt ſerpens æneus, ut a morſibus venenati ſerpentis reſpicientes liberaret. Forſitan non reſpiciebant, ſed neque conſiderabant, quoniam obſcura nox infidelitatis eorum captivaverat fidem, & cæcitas invidiæ obduraverat mentem. Diſſipati ſunt nec compuncti; clamaverunt, nec erat qui ſalvos faceret, quoniam filii alieni mentiti ſunt Domino, & claudicaverunt a ſemitis ejus; ideo clamantes non exaudivit, quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Enimvero cibavit illos Deus nocte illa pane lacrymarum, & vino compunctionis ſine menſura potavit: pallio quoque mœroris & anguſtiæ cooperuit, atque caſtigatione dura flagellavit, & renuerunt diſciplinam. Humiliatis tandem in loco afflictionis, & opertis umbra mortis, illuxit dies tribulationis & miſeriæ, dies captivitatis & anguſtiæ, dies planctus & perditionis. Mane autem facto, aſcendit rex Syriæ, relinquens civitatem Tyberiadem cum omni exercitu ſuo ad planiciem campi, ut præliaretur adverſus Chriſtianos, atque præparavit ſe ut occurreret noſtris. Noſtri igitur direxerunt acies ſuas, & feſtinaverunt ut tranſirent locum ſupradictum, quatenus aquis recuperatis refrigerati, hoſtes impugnando acrius invaderent. Proceſſit denique comes ut obtineret locum quem Turci jam incœperant appropinquare. Cum autem ordinati eſſent, & per acies diſtincti, præceperunt peditibus ut ſagittando munirent exercitum, quatenus milites levius hoſtibus obſtarent, ut milites muniti per pedites, a ſagittariis hoſtibus, & pedites per lanceas militum ab incurſu hoſtium eſſent adjuti; & ita utrique mutuo adjutorio defenſi ſalutem obtinerent. Sed jam appropinquantibus Sarracenis, conglobati ſunt pedites in unum cuneum, atque veloci curſu cacumen excelſi montis, relinquentes exercitum, malo ſuo aſcenderunt. Rex igitur & epiſcopi & ceteri miſerunt ad eos rogantes, ut venirent, lignum Dominicum, & hereditatem Crucifixi, & ſeipſos,

& exercitum Domini defendere. At illi respondentes dixerunt: Non venimus quoniam siti extincti sumus, & nequimus præliare. Mandaverunt iterum; at illi omnino reditum negantes perstiterunt. Pugnaverunt interim Templarii & Hospitalarii fortiter & Turcopoli in extrema parte exercitus, & non potuerunt prævalere, quoniam undique absque numero inimici creverunt, sagittando & vulnerando Christianos. Cum autem paululum processissent, clamaverunt ad regem postulando auxilium, dicentes se tanti ponderis bellum non posse sustinere. Rex autem & ceteri, ut viderunt quod pedites renuerunt redire, & quod ipsi sine servientibus contra sagittas Turcorum non possent subsistere, gratia Dominicæ crucis jusserunt interim figere tentoria, quatenus cursus Sarracenorum impedirent, & levius ferrent. Igitur diffusæ sunt acies, & descenderunt circa sanctam crucem confusi & intermixti huc atque illuc. Hi denique qui fuerunt cum comite Tripolis in prima fronte, videntes quod rex & Hospitalarii & Templarii, & universi ita essent confusi simul, atque cum Turcis commixti, & multitudinem inter eos & regem Barbarorum; ipsis autem non patere aditum ad lignum Dominicum revertendi, exclamaverunt: »Qui potest transire »transeat, quoniam non est nobis prælium. »Sed & fuga quidem jam periit a nobis.« Inter hæc Syri irruerunt per millenos & millenos super Christianos sagittando, & interficiendo eos. Interim episcopus Acon bajulator crucis Dominicæ vulneratus est ad mortem, atque episcopo Liddensi crucem gestare reliquit. Irruerunt autem multitudo paganorum super pedites atque per præcipitium prærupti montis, in cujus cacumine jamdudum fugerant, eos præcipitaverunt, & alios occidendo, alios captivando vastaverunt. Et hi quidem talem mortem sustinuerunt, qui relicta cruce humilitatis Christi, in superbia mentis excelsa petierunt. Comes denique & sui, BALISANUS Neapolitanus & REGINALDUS Sidonienſis & ceteri Pullani, qui adhuc erant equitantes, dedere terga, atque supradictum locum angustum in.... equorum conculcando Christianos & pontem faciendo, quasi per planum iter: ita per angusta loca & scopulosa super suos & Turcos & crucem fugiendo transierunt. Atque sic quoquomodo cum vita tantum evaserunt.

Lignum Dominicæ crucis captum una cū rege, episcopo Liddensi, &c.

13. Igitur Sarraceni congregati sunt circa lignum Dominicum & regem & ceteros, devastantes ecclesiam. Quid multa? Prævaluerunt Sarraceni contra Christianos, & fecerunt in eos quæcumque voluerunt. Heu mihi quid dicam? Libet magis plorare & plangere, quam aliquid dicere. Heu mihi! dicam pollutis labiis, qualiter pretiosum lignum Dominicum nostræ redemtionis captum sit damnatis manibus damnatorum. Væ mihi misero, quod in diebus miseræ vitæ meæ talia cogor videre. Væ autem & genti peccatrici, populo gravi iniquitate, per quem omnium Christianorum fides blasphematur, & pro quibus Christus iterum cogitur flagellari & crucifigi. O dulce lignum & suave, sanguine Filii Dei roratum atque lavatum! O crux alma, in qua salus nostra pependit, per quam & chyrographum mortis deletum est, & vita in protoplasto perdita recuperata est! Quo mihi adhuc est vivere ligno vitæ sublato? Et vere credo sublatum esse, quoniam fides Filii crucis evanuit, quia *impossibile est sine fide placere Deo.* Væ nobis miseris, qui armaturam nostram peccatis exigentibus amisimus! Sublatum igitur lignum nostræ salutis, dignum ab indignis indigne heu! heu! asportatum. Nec mirum si corporalem sanctæ crucis substantiam fortitudine visibilium inimicorum amiserunt, quam spiritualiter jamdudum bonis operibus justitiæ deficientibus mente & spiritu perdiderant. Plangite super hoc omnes adoratores crucis, & plorate, atque veram crucem in cordibus vestris recta fide & inconcussa pingite, & confortamini in spe, quoniam crux non deserit sperantes in se, nisi prius ipsa deseratur. Quid plura? Capta est crux, & rex, & magister militiæ templi, & episcopus Liddensis, & frater regis & Templarii, & Hospitalarii, & marchio de *Mont-Ferrat*, atque omnes vel mortui vel capti sunt. Contritus est autem exercitus Christianorum occisione, captivitate, fugaque miserabili, inimicis vero suis spolia eorum detrahentibus & dividentibus. Humiliavit ergo Deus populum suum, inclinando calicem de manu sua, & propinando vinum amaritudinis usque ad fecem. Verumtamen fex ejus non est exinanita. Bibunt adhuc Sarraceni ex eodem calice fecem damnationis usque ad fundum. Super hoc condoluit propheta David dicens: *Populum tuum humiliaverunt, & hereditatem tuam vexaverunt, viduam & advenam interfecerunt, & pupillos occiderunt.* Usquequo Domine hæc facient? *Donec fodiatur peccatori fovea, & justitia convertatur in judicium.* Tunc quidem *reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet eos*, scilicet Sarracenos. O propheta nobis quid dicis? Vos qui plantati estis in domo Domini & in atriis ejus floretis, *Venite exultemus Domino*, &c. *quoniam Deus magnus Dominus, quia non repellet plebem, & hereditatem suam non derelinquet.*

Saladinus arcem Tyberiadis obtinet.

14. Altera autem die occiso principe REGINALDO Montis regalis, Templariis quoque & Hospitalariis sub pretio emtionis ab aliis Turcis comparatis atque occisis, mandavit Saladinus ad comitissam & ad viros qui erant in arce Tyberiadis; ut castellum relinquerent, & accepta securitate vitæ, quo vellent irent in pace. Qui & ita fecerunt, relicta

civitate. Inde tranſiens Saladinus, munito caſtello, profectus eſt Saphone, atque in loco quo exercitus Chriſtianorum ſolebat habitare, juſſit rex Syriæ figere tentoria ſua, & ſicut campum, debellatis Chriſtianis, obtinuerat, ſic quoque & locum tabernaculorum. Ibi autem per aliquos dies demoratus eſt, celebrans gaudium victoriæ, & dividens non heredibus hereditatem Crucifixi, ſed ducibus & ammiralibus ſuis nefandis, unicuique propriam partem deſignans. Interim de Saladino & factis ejus taceamus, qualiter ſcilicet perambulavit regionem Fenicis uſque ad flumen Canis, & debellavit eam; atque quomodo frater ejus Sephidin & ceteri regionem Geraris & Philiſtinorum invaſerunt dicamus.

Sephidin frater Saladini, Joppe capta, totam vastat regionem.

15. Audiens autem Sephidin fratèr Saladini, quod Chriſtiani eſſent devicti, qui Sephidin jamdudum cum exercitu ſuo quem de Ægypto conduxerat, ab reliquiis Jeruſalem & habitatoribus regionis Geraris & Philiſtiim fugatus fuerat, reverſus eſt, & aſcendit cum multitudine gravi, quam de Alexandria & Babylone & Campo Taſneos collegerat, ſuper omnem regionem a Darone & Geraris uſque Jeruſalem, & per circuitum uſque Cæſaream Paleſtinæ, omnes civitates & caſtella omnia confringendo & interficiendo habitatores & captivando, & loca omnia poſſidendo, atque ſuis ammiralibus partes terrarum largiter tribuendo. Et quoniam Aſcalonem civitatem Palæſtinæ regionis nobiliſſimam, muris fortiſſimis & altis turribus munitam non poterat expugnare, ſed neque caſtellum Gazaris militiæ Templi, tranſivit per caſtellum Ybelim, & debellavit, atque flammis tradidit. Inde applicuit ad civitatem Joppem; ſed quia non erat munita, nec hóminibus, nec muris, præſertim cum fortes & valentes per mare ad civitatem Tyrum confugerant, rebellavit eam & cepit cum multitudine hominum & feminarum a quibus fuga perierat, & pretium nauli defecerat. Fit igitur ſtrages magna & miſerabilis per totam regionem, fetorque intolerabilis cadaverum Chriſtianorum, quoniam non erat locus in tota terra, in quo non jacerent corpora putrida & tumida, quia non erat qui ſepeliret. Ceteri autem qui gladium & arma prophanorum non ſenſerunt, relictis omnibus, ut corpora ad tempus ſalvarent, fugerunt in Jeruſalem. Et iſti quidem fugientes arma ferrea Babyloniorum, irruerunt in arcum æreum peccatorum ſuorum, ſecum ſcilicet portantes, quæ utinam in campeſtribus cum Babyloniis reliquiſſent.

Expugnat caſtellum Mirabel.

16. Percurrens denique Sephidin totam regionem illam, pervenit ad caſtellum quod vocatur *Mirabel*, atque obſidionem poſuit, direxit machinas & per aliquot dies ſibi reſiſtentes acerrime debellavit. Cumque viri qui erant in munitione viderunt ſe non poſſe reſiſtere, pietate parvulorum & uxorum commoti, dextras poſtulabant. Data autem ſecuritate, ejecit eos inde, & ne ab aliis Sarracenis interficerentur in itinere, dedit duces uſque ad cccc. Turcos fortiſſimos, quatenus uſque ad cœnobium S. Samuelis, quod ſitum eſt in monte Silo milliario ſecundo ab Jeruſalem, deducerent ſalvos. Deduxerunt autem illos uſque ad montem gaudii Jeruſalem, ſed fugati ſunt & percuſſi a Templariis & a viris Jeruſalem, ceciderunteque vulnerati multi per deſcenſum montis *Modin*, & ita confuſi redierunt.

17. Perſeverans autem Sephidin in maligna elatione mentis ſuæ contra eccleſiam Chriſti, omnia montana Belleem a meridie & occidente Jeruſalem nefandiſſimis miniſtris in deſolationem mittere præcepit. Et quoniam per diverſas partes terram Jeruſalem Sarraceni, qui cum Saladino erant, invaſerunt, dignum quidem nobis videtur, ſicut vidimus & audivimus brevi & impolito ſermone ſummatim perſtringere, atque illis qui neſciunt & non viderunt, ſicut geſtum eſt oſtendere. Debellatis ergo Chriſtianis, dimiſit Saladinus exercitum ſuum, quatenus unuſquiſque cum ſuis proficiſceretur, atque partem illam, quam datam ſibi cognoverat expugnando habitatores, obtineret. Profecti ſunt autem veloci curſu, atque totam terram ita ſubito præoccupaverunt, ut nullus ſibi vel alii poſſet adjutorium impendere. Diſperſi igitur ſunt cooperiendo ſuperficiem terræ ſicut locuſtæ. Ante omnes tamen & præ omnibus avari Turcuianni & Beduini bona Chriſtianorum cupientes, campeſtria Saronis invaſerunt, & ubi omnia animalia terræ ſimul collecta confugerant, ibi quoque avidius cupiditate rapiendi cucurrerunt, atque impugnando acrius habitatores invaſerunt, permittentes eos ut bona eorum diriperent. Et iſti quidem caſtellis & domibus non utuntur, ſed tantum rapinam diligentes, de rapinis inter ceteros vivunt. Iſtis itaque percurrentibus & omnia campeſtria caſtella devaſtantibus, a monte Carmeli, qui & Caïfas vocatur, in cujus cacumine ſita eſt eccleſia S. Eliæ prophetæ ſuper alta rupe quæ reſpicit Tholemaïdam contra mare, ſignum ſcilicet opportunum navigantibus, uſque Aſſur tranſeuntes, & Joppe & Lidda & civitatem Rama, occidendo ſervos Chriſti & bona eorum diripiendo. Alii quidem per civitatem *Nazareth*, quæ interpretatur flos ſive munditia, aſcenderunt, & eccleſiam B. Virginis MARIÆ effundendo ſanguinem Chriſtianorum, qui inibi confugerant, cauſa munitionis cruentaverunt, eccleſiam, inquam, ſanctam, & ob dulcedinem divini Verbi incarnati per totum mundum nominatam & & a fidelibus honoratam. Hic vero Verbum Patris, ſicut evangelium teſtatur, incarna-

Sarraceni omnia vaſtant circa Jeruſalem.

tum est, assumens quod non erat, manens quod erat. Hunc locum cœpit inhabitare quem locus non comprehendit; & Nazarenus vocari, cujus nomen ineffabile ab omnibus creaturis in cœlo & in terra medicina salutis nominatur. O Domine, cujus nomen suave, lucem & securitatem & spem veniæ infundens pectoribus, locum in quo illud ave Gabrielis ab ore suscepisti, per quod Eva mutatur in melius, per quod & redemtus est mundus, & in quo loco tantum beneficium accepisti, ut mater Dei vocaris & esses, cur dimisisti, & ab incredulis coinquinari & explanari permisisti? Certe non dimisit, sed lavit atque purgavit, & mundavit a malis cultoribus per infideles ministros, donec cultores idonei eligantur, & secundum voluntatem & dispositionem gloriosæ Virginis introducantur.

18. Destructa civitate, locisque sacris fœdatis, arripuerunt filii Sodomorum iter suum per abrupta montis, qui vocatur Saltus Domini, sicut in evangelio legitur, quod indignati Pharisæi de verbis JESU, ejecerunt illum extra civitatem, & duxerunt illum ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent illum. Inde transeuntes per latissimum campum, qui est inter montem Tabor & Legionem, dispersi sunt per campestria, omnia depræ*dantes a monte Cami* & castello militiæ Templi, quod vocatur Faba, usque ad Legionem & Gesrael. Nemine autem eis resistente, trapsierunt per angusta itinera montium, & per ecclesiam B. Job, qui interpretatur dolens, verum Job nescientes, qui peccata nostra dolens portavit, qui etiam testa humanitatis suæ saniem peccatorum nostrorum radebat, atque vermes vitiorum, quos Adam per inobedientiam comparaverat, per suæ carnis hostiam vivam Patri obediens offerendo exterfit. Inde ascenderunt campum magnum *Dotaim*, cisternam quoque Joseph ammirantes, venditionemque tractantes, & qualiter Ægyptum fame irruente providentia liberaverit, nostrum Joseph de supernis montibus a patre ad fratres, scilicet ad Judæos in campestria nostræ mortalitatis nullum non attendentes, cujus venditio, emtio, mors, & resurrectio mundum a fame divini Verbi periclitantem sanavit. Terram ita devastando pervenerunt usque ad montem *Someron*, quondam Samaria civitas regalis in Israel, a quo monte omnis illa regio nomen accepit *Soreed*. Unde Dominus per prophetam, *Plantavi*, inquit, *vineam Soreed*. Et ne ab aliquo dubitaretur de qua vinea diceret, exponit dicens: *Vinea enim Domini Sabaoth domus Israel est*. Nunc quoque Sebasten vocatur, ubi conditæ sunt reliquiæ S. Johannis Baptistæ, Zachariæ & Elizabêth parentum ejus, sed & aliorum prophetarum multorum. Episcopum autem loci illius reperientes hominem satis humanum & honestum, quem ut thesauros ecclesiæ & margaritas porcis ostenderet, contumeliis multis afficientes, ad ultimum optata adipiscentes, nudum & diris verberibus flagellatum, data securitate, miserunt Accaron.

19. Properabant autem filii Babylonis, ut Neapolim destruerent; sed quoniam viri Neapolitani omnes confugerant in Jerusalem, relinquentes omnia sua in civitate, neminem invenerunt, nisi paucos in castello, qui causa custodiendi suppellectilem burgensium, quam inibi comportaverant, reliquerant; illis quidem ejectis, possederunt castellum cum civitate. Nec quidem tantis malis satiati, sed prædam sitientes & montana Jerusalem videre cupientes, celeri cursu transierunt per ecclesiam in nomine Salvatoris ad radicem montis Garizim supra puteum Jacob ædificatam, juxta prædiolum quod dedit Jacob Joseph filio suo, super quo Dominus fatigatus ex itinere sedens cum muliere Samaritana loquebatur, dicens ei omnia quæcumque fecit. Inde ascenderunt montana, omniaque castella & villulas Francorum ex illa parte confringentes, & usque Jerusalem diu noctuque quicquid vivum inveniri poterat interficiendo, vel percurrentes deprædando vastaverunt. Alii autem ex altera parte montis *Thabor*, per *Endor* & *Naun*, & per medium magni campi, qui est inter montem *Thabor* & *Belver*, usque *Betsan* iter suum arripuerunt, atque per crepidinem Jordanis alvei usque Jerico properantes, & locum in quo Salvator noster XL. diebus & XL. noctibus, ut nos tentamenta diaboli & vitia carnis per jejunium vincere benigne doceret, jejunavit, debellatis habitatoribus atque ejectis, destruxerunt. Inde ascenderunt montana & castellum militum Templi, quod situm est in loco qui dicitur *Maledoim*, latine autem Ascensus ruforum sive rubentium propter sanguinem qui illic crebro a latronibus funditur appellari potest, vel sicut nos dicimus, Rubra Cisterna, nemine invento possederunt. Istis igitur ita inter se montana Jerusalem per circuitum devastantibus, neminem sine mortis periculo sinebant exire vel intrare civitatem. Sicque Jerosolymitæ undique coangustati, & sine obsidione obsessi, longa expectatione belli & timore venturæ famis in seipsos lamentabiliter tabescebant.

Neapolim capiunt & omnia montana circa Jerusalem occupant.

20. His itaque prælibatis, ad caput tantæ iniquitatis stilum vertamus. Peracta denique tanta Christianorum cæde, cor Saladini elevatum est, credens se syderum altitudinem damnata vertice, præ nimia superbia elationis, tangere, duces & satrapas exercitus sui jussit ad se convocare. Quos ita ore superbo alloquitur: Fortitudinem & spem Christianorum, scilicet Crucem, regem, duces & equites, sagittarios & pedites, Deus magnus

Saladini cor elevatur.

*vel Caïm.

» & *Mahomet*, cui ſervio, & legem obſervo, meis tradidit manibus. Et ecce tota terra » plena divitiis abſque principe & defenſore in » conſpectu veſtro eſt. Surgite ergo viri fortes, » bellatores mei, atque terram cum munitio- » nibus meo ſubjicite imperio. » In illa igitur hora præcepit rex Damaſci movere caſtra ſua contra Accaron, ut ſi quid de populo Chriſtianæ religionis reliquum fuiſſet, aut cervicem *Mahumeth* numini nefando inclinaret, aut gladio feriretur. Interim audito regali præcepto, ululantibus præ gaudio Perſis, commotus eſt exercitus barbarorum, atque contra Accaron cœpit proficiſci. Cum autem exercitus civitati appropinquaſſet, Accaronitæ qui relicti fuerant pauci de multis exierunt obviam Saladino, de civitate vociferantes & dexteras ſibi dare poſtulantes. Demum perpendens rex Syriæ ſimplicitatem illorum, animaſque in manibus portantes, homines ſcilicet inermes, fidem & ſecuritatem vitæ tuitionemque promiſit, dicens: « Sciant omnes ad quos dominatio » mea portendit, Accaronitas clementiam pie- » tatis meæ invenisse, ita ſcilicet ut quicumque » Sarracenorum alicui Chriſtianorum de per- » ſona aut de rebus ad ipſos pertinentibus in- » juriam aut damnum intulerit, periculum di- » ræ mortis ſciat ſe meo imperio deſpecto in- » curriſſe. Capta autem civitate talem Chri- ſtianis dedit libertatem, ut quicumque in terra marique cum ſuis vellet abſcedere, abſcederet; qui autem ſub præſidium ejus remanere, tuti & ſecuri remanerent; qui vero Filium Dei & Crucem victoriæ ejus, diabolo inſtigante, proh dolor! polluto ore negare, cibanum ſericum & ſarbuiſſinum auro ornatum, equum & arma, amputato pelliculo membri verendi ab ipſo Saladino acciperet. Madens autem cæde & adhuc ſitiens ſanguinem Chriſtianorum rex Babylonis unum de filiis ſuis cauſa cuſtodiendi civitatis reliquit. Ipſe vero in elatione peſſimæ mentis ſuæ profectus eſt terram Phœnicis regionis cum ſuis civitatibus ſuo ſubjugare dominio, ſperans ſibi & errori ſuo magnum commodum acquiſiiſſe, ſi nomen Crucifixi cum habitatoribus terræ poſſet delere.

21. Profectus eſt ergo cum magna feſtinatione in partes Tyri, civitatis muris fortiſſimis & altis turribus, & maris procinctu ſatis munitæ, quam quia ira & dolor Chriſtianitatis conſilio & virtute armaverant, virum quoque nobilem, armis fortem & bellicoſum marchiſum, animo & dicto & facto virilem, quem nec prece, nec pretio, nec minis, nec blandis ſermonibus poterat ſeducere, ſed omnibus modis probatum & paratum invenit, tranſivit, quatenus finitimas civitates, Sareptam ſcilicet, ubi Elias quondam officio viduæ tempore famis quantitate parvæ farinulæ & modici olei ſuſtentatus eſt, Sidonem quoque & Brito atque Biblen ſua ferocitate debellavit, atque ejectis habitatoribus, & in captivitate redactis, ſuis hominibus munire ... & concito gradu reverſus eſt. Reſidente igitur per aliquot dies Accaron, exercitum ſuum, qui diſperſus fuerat per terram Galilææ & Samariæ præcepit coadunare, quatenus fratri ſuo Siphidino, qui erat in campeſtria Geraris circa Aſcalonem adjuvaret. Profectique ſunt de Accaron & cooperuerunt ſuperficiem terræ ſicut locuſtæ a mari magno uſque Jeruſalem, quia tanta erat multitudo Sarracenorum quaſi arena, quæ in littore maris haud dinumerari poteſt.

22. Denique rex Ægypti obſidionem civitati Aſcalonæ poſuit, erexitque machinas, & cœperunt acerrimo pugnare animo. At vero Aſcalonitæ licet pauci, tamen promti animo, fortitudine quoque murorum confiſi, per quindecim dies viriliter defendentes defendebant. Conſiderans autem Saladinus animoſitatem Chriſtianorum, erexit decem baliſtas ad lapides jaciendos, quatenus de longe & ſine damno ſuorum murum civitatis die noctuque conquaſſaret, & ad terram præcipitaret. Lapidabant igitur muros & turres civitatis ſine ceſſatione, atque uſque ad fundamenta præcipitaverunt. Interea miſit rex Babylonis legatos ad Templarios, qui erant in caſtello Gazaris, ubi quondam Samſon fortiſſimus, ut de inimicis ſuis ſimul congregatis moriendo triumpharet, palatium Geraris reſumtis viribus præcipitans atque mole ipſius ruinæ oppreſſus cum ipſis hoſtibus victor occubuit, dicens: Videte & diligenter conſiderate quid dicturi ſitis, atque « de vita & ſalute veſtra diligenti animo tra- « ctate. Nam oculis veſtris conſpicitis quod « Deus tradidit terram in manibus meis: ta- « men faciam vobiſcum miſericordiam, qua- « tenus ſani & incolumes, accepta vitæ veſtræ « & veſtrorum ſecuritate, exeuntes relinqua- « tis caſtellum. » At illi fiduciam in fortitudine Aſcalonis habentes, reſponderunt: Tali exibimus conditione, quali & Aſcalonitæ. Interim muri civitatis conquaſſati & jam pene uſque ad fundamenta præcipitati ſunt, ita ut Sarraceni ſi vellent vel auderent per planum poterant ad Chriſtianos intrare. Timens igitur Saladinus, ne mora generaret ſibi divortium, cœpit per regem quem ibi tenebat in vinculis, & per fratrem regis, & per alios aures Chriſtianorum appellare, quatenus conditione facta, illi qui auxilium vel adjutorium aliorum Chriſtianorum terra marique minime poterant habere; relicta civitate cum ſuis in pace abſcederent. Congregati ſunt itaque Aſcalonitæ, conſilium ſuæ ſalutis & aliorum qui erant in vinculis, invicem tractantes, perpendenteſque civitatem ſuis viribus non poſſe defendere, tale dedere conſilium. « Nos quidem fortitudinem & po- « tentiam tuam, Deo permittente, in terra «

Verſus Accaron dirigit ſua caſtra.

Dedunt ſe ei Accaronitæ.

Aſcalonem obſidet.

Aſcalonitæ ſub conditione dandæ regi ſuo & aliis libertatis urbem dedunt.

In partes Tyri contendit.

» ſcimus eſſe permaximam; nobis vero Chri- A
» ſtianis morte vel tribulatione pro Chriſti no-
» mine occupatis aditum regni cœleſtis aperi-
» re. Tamen infirmis placet adhuc in fide, &
» aliis non paucis, quorum compaſſioni prop-
» ter fraternæ dilectionis amorem compati
» oportet, ita dexteram fœderationis a vobis
» accipere, quatenus regem & epiſcopum S.
» Georgii, & fratrem regis, XII. quoque de
» melioribus captivis, quos catenæ tuæ fero-
» citatis ſub dira cuſtodia tenent, nobis ſolu-
» tos reſtituas. Nobis vero XL. dies in quibus
» noſtra vendere & providere indulgeas, atque
» centum familias quibus ſub tua defenſio- B
» ne in civitate placet remanere, ad tempus
» dimittas, veteroſque cum ſuis omnibus ſal-
» vos uſque Tripolim deducere facias. » Placuit ſermo iſte in oculis Saladini, atque petitioni Aſcalonitarum libenter juſſit annuere.

Claves civitatis tradunt Saladino.

23. Anno MCLXXXVII. menſe Septembri IV. die menſis, feria VI. hora IX. obſcuratus eſt ſol, atque ſub ipſa obſcuritate exeuntes majores natu Aſcalonitarum, venerunt in caſtra Ægyptiorum, atque ibi coram Sarracenis ſuper hanc conventionem Chriſtiani & principes Damaſcenorum ſacramentum ſtabilitatis hujus rei fecerunt. Mane autem facto, tradiderunt Aſcalonitæ claves civitatis Sarracenis, atque in introitu portarum reſidentibus Turcis, ordinavit Saladinus, ſicut placuit illi, de civitate. Et quoniam civitas iſta quaſi munimen & firmamentum erat terræ Jeruſalem, audita fama captionis Aſcalonis Jeroſolymitæ, tam munitæ civitatis, elanguit omnis virtus eorum, atque lamentabili dolore, viribuſque deſtituti, lamentabantur, ſcientes ſicut fecerat Aſcaloni, faceret vel pejus & Jeruſalem.

24. Collectis denique Saladinus in unum viribus, ordinata civitate, præcepit ducibus D & admiralibus ſuis ordinare exercitum, atque cum fortitudine & magni terroris impetu montana Jeruſalem aſcendere. Motus eſt ergo exercitus, atque per campeſtria profectus uſque Beſigebelim, id eſt *Berſabee*, puteus ſcilicet ſeptimus, propter ſeptem agnas ab Abraham ibi immolatas ſic appellatus, vel puteus juramenti, eo quod Abraham & *Abimelec* rex Geraris ibi inierunt fœdus jurationis, figuraturque in hoc fœdus quod inierunt fideles ſuper fontem VII. id eſt baptiſmi, qui in virtute ſeptiformis Spiritus-ſancti conjuratur, benedicitur & conſecra- E

Sarraceni accedunt Bethleem.
* ſcilicet Bethleem.

tur. Miſit autem Saladinus nuntios ad Hoſpitales qui erant in munitione, ut ſeipſos* & caſtellum voluntati ejus traderent, atque cum ceteris tranſmigratis in pace migrarent. At illi reſpondentes dixerunt: Talem ſortem expectamus, qualem & Jeruſalem. Arripientes demum iter ſuum filii Babylonis per montana uſque Jeruſalem, nomen Chriſti & Crucem noſtræ redemtionis inter ſe polluto ore garriendo blaſphemantes. Denique iſta ſunt loca ſancta territorii ſanctæ civitatis Jeruſalem, quæ a prophanis deſolata atque deſtructa ſunt; Belleem ſcilicet, civitas David, nobile triclinium, ubi mater glorioſa virgo in partu, virgo poſt partum, ſine dolore & corruptione ſuum & omnium creatorem, Filium Dei, operante Spiritu-ſancto, exultantibus angelis cum gaudio genuit, atque pannis involutum in illud præſepe, ſedem ſcilicet Dei ſecundam poſt cœlum, pabulum vitæ bovi & aſino, ſcilicet Judæo & Gentili caſtis manibus Virgo porrigendo collocavit. Alii quidem in monte ſancto Silo pro- Ad montem Sion. perantes, ubi quondam filii Iſraël illud mirabile tabernaculum cum utenſilibus ſuis tenderunt. In quo loco S. Samuël mitiſſimus & ſanctiſſimus omnium prophetarum, Deo de cœlo clamante, Samuël, Samuël, ore innocente & mundo ab omni labe contagionis reſpondit, ubi nunc conſtructum eſt cœnobium canonicorum Præmonſtratenſium in honore S. Samuëlis, cujus preces cum precibus Moyſi & Aaron apud Deum fuſæ noſtrorum veniam impetrent peccatorum. De hac quidem deſtructione propheta David gemens in pſalmo aiebat: *Repulit Deus tabernaculum Silo, &c.* C Hic eſt denique verax propheta, cujus verba non ceciderunt in terra, quia quicquid prophetabat, rebus geſtis demonſtrabatur. Hic quoque judicavit filios Iſraël in *Maſphat*. Et ut ſciamus quali judicio eos judicaſſet, tradunt Hebræi quod aqua erat in *Maſphat*, in qua coram Domino maledicta congeſta ſunt, ita ſcilicet ut quicumque idolatra hauſiſſet, & coram Domino & propheta Samuële guſtaſſet, labia ejus ita ſibi adhærerent, ut nequaquam ea ab invicem ſeparare poſſet. Sic quoque idolatra apprehenſus ab omni populo juſſu prophetæ ſecundum legem lapidatus eſt, ne alii exemplo illius ſeducti, pro Deo idola vana coluiſſent.

25. Alii vero Bethaniam, quæ domus obe- Ad Bethaniam. dientiæ interpretatur, deſtruentes, ubi Dominus Lazarum mortuum precibus Mariæ & Marthæ ſororum ejus humiliter deprecatus, fremenſque in ſeipſo mortalitatem noſtram & miſeriam deplorans, magna voce vocavit de monumento; ubi Dominus a Simone leproſo ad convivium invitatus, a Maria nardi piſtici unguento, oſculando pedes, lacrymis rigando, humiliter eſt perunctus. In quo caſtello alias deſcribitur Dominum intraſſe, atque Martham circa multa miniſteria occupatam eum in domo ſuſcepiſſe; Mariam vero ſororem ejus ad pedes Domini verba oris ejus audiendo ſediſſe, atque unum quod neceſſarium eſt, Domino atteſtante, elegiſſe. Alii quidem montem Ad montem Oliveti. ſanctiſſimum Oliveti devaſtantes, ubi Dominus, ſicut in evangelio legitur, ſæpe orare, opera miſericordiæ docere, ſedereque cum

discipulis consuevit. In quo fabricata est ecclesia; ubi Dominus noster Jesus Christus xl. die resurrectionis suæ, videntibus apostolis, assumtus est in cœlum. In cujus medio opus miræ rotunditatis & decoris erectum est, ubi steterunt pedes Domini; quem locum fideles Christiani vestigio Salvatoris pressum recognoscentes, cum magnæ veneratione deosculantur. Inter hæc autem ecclesiam Assumtionis B. Mariæ Virginis Josaphat [juxta] prophetam profanatis manibus contaminaverunt, atque locum gloriosum omnibus Christianis debita laude venerandum sepulturæ gloriosæ Virginis & matris Christi multis spurcitiis fœdantes destruxerunt. Supra cujus sepulchrum constructum erat opus quadratum, auro, argento & cælaturis, uti decebat, miræ pulchritudinis varietate decoratum. Hic est ille locus qui vocatur Gessemani, trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit Jesus cum discipulis suis, cœna novi Sacramenti jam celebrata. Ibi vero discipulis suis orare, ne inciderent in tentationem, ammonuit. In quo loco constructa est ecclesia in nomine Salvatoris, eo quod Salvator & Redemtor mundi, pro salute generis humani Deum C Patrem ibi supplicavit.

Jerusalem obsidetur. 26. Vicesima die mensis Septembris sancta civitas Jerusalem obsessa est, atque undique ab incredulis cum magno clangore tubarum, terrore armorum, strepitu & ululatu vociferantium, Hai, Hai, undique vexillis ventilantibus circumdata. Commota est ergo civitas a fremitu & tumultu barbarorum, atque per horarum momenta conclamabant: Vera Crux sancta & Sepulchrum Resurrectionis Jesu Christi, protege civitatem Jerusalem cum habitatoribus suis. Commissum est ergo bellum, & cœperunt ex utraque parte audacter pugnare. Et quoniam dolore & mœrore tantæ miseriæ confecti, omnes congressus & concursus Turcorum, quibus Christianos per xv. dies fatigabant, nequimus numerare, sicut cetera quæ gesta sunt; quæ tædium absque utilitate scribenti & audienti generant, omittamus. Quis vero pro tam magni doloris pietate omnibus prætermissis non crumpat in fletibus, cum monachos hinc & canonicos scilicet sacerdotes & levitas, eremitas & anachoritas senio affectos, pro sanctis sanctorum & hereditate Crucifixi E armatos incedere, armaque videret gestare: illinc viduas, orphanos, pueroſque brachiis ad Dominum extensis per ecclesias & plateas catervatim & squalenti vultu incedere, oreque innocenti lacrymabiliter conclamare, divinamque clementiam, sanctorumque patrocinia incessanter implorare? Quæ lingua autem valet narrare quanti Sarraceni lanceis & sagittis perforati vitalem flatum amiserunt, & mortem perpetuam invenerunt? Quis vero potest dicere qualiter ille nepos Saladini fastu superbiæ deceptus, sericis vestibus nobiliter usque ad ungulam equi indutus, atque speculis mulierum auro insertus, præ nimia animi sui superbia phaleratus, a quodam serviente ante portam S. Stephani percussus miserabili morte interiit interfectus? Vel quis potest narrare quanti Christiani telis adversariorum vulnerati temporalem vitam pro Christo amittentes, vitam meruerunt æternam? In illis itaque diebus in quibus Deus videbatur regere civitatem, quis valet dicere qualiter ille percussus obiit, ille vulneratus evasit? Cadebant autem sagittæ sicut stillæ pluviarum, ita ut nemo digitum ad propugnacula sine læsione poterat ostendere: erat vero tanta multitudo vulneratorum, ut vix omnes medici civitatis vel hospitalis tela corporibus infixa valebant extrahere. Nam & facies hæc referentis sagitta per medium nasum infixa vulnerata est, atque extracto ligno ferrum usque hodie permansit. Certabant autem Jerosolymitæ per unam hebdomadam satis viriliter, sedente exercitu contra turrim David.

Saladinus nihil proficiens mutat obsidionis locum. 27. Videns denique Saladinus quod nihil proficeret, nec sic quidem posse damnare civitatem, cœpit cum suis circuire & infirma civitatis perscrutari, quærendo locum ubi machinas suas sine timore Christianorum posset erigere, & civitatem levius oppugnare. Et quoniam filius illius erat, qui in execrabili mentis suæ superbia solium suum in latere Aquilonis disponebat ponere, ut non sub Deo, sed contra Deum regnaret, & sic quoque similis esset Altissimo, angulum civitatis versus Aquilonem infirmum & aptum ad sua scelera perficienda invenit. Quadam autem die aurora apparente jussit rex Saladinus Ægypti sine strepitu & tumultu D movere castra, atque in valle Josaphat & per montem Oliveti & per montem Gaudii, & per omnia montana ex illa parte figere tentoria. Mane autem facto, viri Jerusalem levantes oculos, & videntes, recedente nebularum caligine, quod Sarraceni levabant tentoria, tamquam incipientes abire, gavisi sunt gaudio magno, & dicebant: Fugit equidem rex Syriæ, eo quod non potest sicut cogitaverat destruere civitatem; sed hæc lætitia citius in luctum & lamentationem conversa est, cognita rei veritate. Nam tyrannus jussit ibidem statim construere machinas & erigere balistas, ramos olivarum & aliarum arborum simul contrahere, & inter civitatem & machinas fortiter collocare; atque in ipso crepusculo jussit exercitum arma arripere, ruptores murorum cum ferramentis procedere, quatenus antequam Christiani operam darent de hoc, usque ad fundamenta murorum omnes essent parati. Jussit autem crudelissimus tyrannus usque ad 10000. equites armatos in equis cum lanceis & arcubus, ut si viri civitatis vellent exire, obstarent eis:

alia vero decem millia vel eo amplius bene armatos usque ad talum constituit, sub scutis & tarciis (a) cum arcubus ad sagittandum; ceteros quoque cum seipso & cum ducibus circa machinas retinuit. Sic itaque ordinati, summo mane cœperunt rumpere turrim angularem, & muros per circuitum incidere, sagittarii sagittare, illi qui circa machinas vehementer lapidare. At vero viri civitatis nihil tale æstimantes, civitatem & muros sine custodia dimittentes, fatigati & tædio affecti, dormierunt usque mane, quia nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

[a]

Obsessi incipiunt timere.

28. Orto denique jam sole, illi qui in turribus dormierant strepitu barbarorum expergefacti, videntes hæc, præ timore exteriti & exstupefacti velut amentes conclamabant per civitatem; viri Jerosolymitæ accurrite, succurrite, adjuvate; jamjamque muris perforatis alieni intrant. Commoti autem per civitatem occurrerunt fortitudine qua poterant, nec valuerunt ultra Damascenos neque telis, neque lanceis, neque sagittis, neque lapidibus, nec ære & plumbo liquefactis a muris amovere. Lapidabant vero Turci sine cessatione vehementer ad propugnacula & inter murum & antemurale, jaciendo lapides & ignem quem græcum vocant, ligna & lapides & quidquid attigerit consummantem: sagittarii autem sine cessatione & mensura ex omni parte mittebant sagittas, ceteri audacter fregere muros. Interim viri Jerusalem iniere consilium, ut omnes quotquot habere equos & arma possent, de civitate egredientes, constanter per portam quæ ducit Josaphat exirent, quatinus sic Deo concedente adversarios a muris aliquantulum expellerent; sed vetiti sunt a Turcis, qui in equis erant, & lacrymabiliter repulsi, cunctis per muros conclamantibus, sancta Maria, sancta Maria, adjuva nos: nec ultra quidem aditus exeundi patebat Christianis. Fit igitur planctus, fletus & tumultus flentium, & vestimenta præ angustia & dolore per ecclesias & plateas scindentium. Nam alii quidem plangebant sanctam civitatem & sepulchrum Domini, montemque sanctissimum Calvariæ, ubi sanguis propitiationis pro salute generis humani effusus est: alii autem plangebant fratres & amicos jam interfectos vel morti proximos: alii filios jamjamque telis barbarorum ablaturos: ceteri omnes communem dolorem mortis vel captivitatis sibi & ceteris jam imminere.

Vix inveniuntur in urbe qui velint civitatis muros custodire.

29. Pugnabant igitur Chaldæi crudeli certamine per aliquot dies & prævaluerunt. Jam vero Christiani ita defecti erant, ut vix viginti vel triginta ad defensiones murorum civitatis apparebant: nec invenichatur homo tam audax in omni civitate, qui pro pretio

(a) Tarcia seu Targia erant quasi operimenta, quibus ad muros accedentes, ne læderentur, protegebantur.

A c. bisantiorum auderet una nocte ad defensionem vigilare. Ego siquidem auribus meis audivi sub voce præconia ex parte domini patriarchæ & ceterorum magnorum civitatis inter murum magnum & antemurale conclamare, ut si quinquaginta servientes fortes & audaces inventi fuissent, qui angulum jam dirutum armis ad eorum voluntatem acceptis illa nocte tantum custodirent, quinque millia bisantiorum accepissent, nec fuerunt inventi. Erat autem jam pene omnibus una voluntas, scilicet in simplicitate sua, & in sancta civitate in confessione Christi

B mori, atque sic unusquisque portionem suam terræ promissionis, in quantum cadaver suum a gentibus pro Christo conculcatum jacuisset, obtineret. Væ mihi misero, omnibusque peccatoribus deteriori, quod portionem meam terræ sanctæ tali funiculo mensurationis non accepi. Inter hæc homines Jerusalem inhabitantes, humum suam peccatis plenam plus quam Christum diligentes, pulchrarum mulierum, filiorum & filiarum, mammonæque cui serviebant recordatione commoti, consiliati sunt, quatenus cum his omnibus, sancta civitate locisque sacris relictis evaderent.

Cives mittit de relinenda civitate.

30. Interim miserunt legatos ad regem

C Syriæ, supplicantes quatenus indignationem animi sui circa eos temperaret, atque sicut ceteras gentes eos etiam haberet confœderatos. At illo renuente, tale fertur dedisse responsum: « Ego vero a sapientibus nostris « Alphachinis frequenter audivi, Jerusalem « non posse mundari, nisi sanguine Christia- « norum lavetur, atque super hoc eorum volo « habere consilium. » Et sic incerti redierunt. « Miserunt & alios, Balisavum & Rainerium Neapolenses & Thomam Patricium centum millia bisantiorum offerentes; nec voluit eos recipere, & spe frustrati reversi sunt. Remiserunt itaque eos iterum cum aliis flagitan-

D tes, quatenus ipse Saladinus conventionem quam vellet diceret; & si fieri posset, fieret; sin autem, ad interitum sui remanerent. Accepto itaque consilio, tale tributum Jerosolymitis instituit, quatenus unusquisque masculus decem annorum & supra pro sui liberatione decem bisantios persolveret; femina quinque, puer septem annorum & infra unum, & sic a servitute liberati, quo vellent, cum suorum securitate, securi abirent. Si

Nuntii vero Aconenſium inde ſe ſubtrahentes a facie ſoldani, viam carpentes regiam, uſque Aconem mœrore confecti pervenerunt, univerſumque civitatis convocantes, quæcumque a ſoldano audierant fideliter retulerunt. Huic autem graviſſimæ relationi affuit vir venerabilis reverendus pater patriarcha Jeroſolymitanus, JOHANNES DE [a] GERLIACO (*a*) miles, Chriſtianorum terræ ſanctæ capitaneus, ex parte regis Franciæ de- [b] putatus, OTTO de (*b*) Grancione, miles ex parte regis Angliæ cum quibuſdam aliis in ſubſidium terræ ſanctæ deſtinatus, quidam ordinum militiæ miniſteriales, majores etiam civitatis cohortibus ejuſdem in miniſteriis præſidentes, & ipſi cives a minimo uſque ad maximum, cum ſoldariis & peregrinis, qui voluerunt & potuerunt intereſſe. Quorum corda ſingulorum patriarcha mitiſſimus affectu ſtrenuæ defenſionis ita verbo divinæ prædicationis inſpiravit, mentes confortavit, & animos incanduit, ut minores majoribus, ignobiles nobilibus, imbecilles virilibus in hoc æqua lance laudis & meriti poterant trutinari. Cujus rei exiſtentiam quam dederunt hic ſubſcripta reſponſio innoteſcit. Enimvero non multum poſt qui turmatim cives glomerati fuerant, quid ſuper hoc potiſſimum eſſet agendum conſulturi, repentino quaſi & unanimi motu ad patriarcham & alios civitatis majores reverſi, freti ſpiritu conſilii, votis omnium in unius oratoris eloquutione conflatis, conſtantiſſime reſponderunt: *Licet hujuſmodi novitate relationis ſimus attoniti, factique in Tripoli nuper impiiſſime perpetrati atrocitate videamur, quod abſit, perterriti, atque ſoldani furentis ſæviens ſævitia juxta quorumdam tremebunditatem poſſit nos reddere tremebundos: tamen inſtinctu fidei Chriſtianæ, unicorditer definimus, Aconem famoſiſſimam civitatem ad omnia terræ ſanctæ loca pie viſitanda mediatricem januam, contra omnes barbaricas nationes noſtræ dimiſſam fidelitati defendendam, ſceleratiſſimo & infideli dimittere tam leviter non debere, ne corruptæ potius fidelitati noſtræ aſcribatur, quam impotentiæ reſiſtendi, neque pati noſmetipſos perpetuam ſubire ſervitutem, qui pro noſtra ſemper pugnare didicimus libertate. Ideoque plus eligendum nobis videtur inſtare defenſioni laudabili, etſi iniquorum gladiis debeamus occumbere, quam nos civitatem dimittendo, vili fugæ remedio committere, & ſic ignominioſæ proditionis infamiæ nomen acquirere ſempiternum: præſertim cum capiat iſtud negotium inducias ſemis anni, & poſſit interim noſtræ civitatis & terræ ſanctæ ſtatus ſummo pontifici & cardinalibus, regibus & principibus tranſmarinis, cum certitudine ac ſatis tempeſtive denotari. Non enim revocamus in dubium, ut ſi tales injurias cognoverint, tam impie, ut nobis comminatur, impungendas, quin cordis amaritudine contrectata, nobis in proximo ſubſidium mittant opportunum. Inſtate ergo rei noſtræ communis moderatores, & viros cum litteris honoratos, ſtatum noſtrum ac terræ ſanctæ continentibus, ſummo pontifici & cardinalibus, regibus ac principibus Chriſtianitatis tranſmarinæ, quam poteſtis velocius, deſtinare curetis, urbemque noſtram interim munitionibus neceſſariis cum foſſatorum, antemuralium, murorum & turrium reparatione præmunire, & ut quilibet civium juxta ſuarum ſuppetionem facultatum ad ſui tuitionem & defenſionem civitatis de familia & armis ſufficienter habeat, ſub pœna qua convenit, diſtrictius injungatis. Hæc enim omnia & quæcumque ſimilia veſtram decent prudentiam, nolite differre.*

VII. *Quomodo patriarcha commendavit Aconenſes ſuper reſponſione & conſilio datis ab eiſdem.*

Hac igitur illata reſponſione laudabili, ſtans erectus patriarcha, in cœlum fixis luminibus, manibus ſupra pectus compoſitis, ſe totum ſuper articulos ſuſtinens, gratias egit ad Dominum cum devotis & flebilibus ſuſpiriis dicens: *Benedicta ſit ſancta tibi Trinitas in ſola Deitate, quæ ad ſui honorem concordes facit Aconenſes, & eorum corda receptacula munda, ut eos in tanti negotii conſultatione ſpiritu conſilii uniformis colluſtraret. O viri Aconenſes,*

(*a*) Nav. & Vict. *Grilliace.*
(*b*) Nav. & Vict. *de Grandiſono.*

imitatores prudentiæ, conſtantiæ veſtræ verbo
[a] *Lucæ in Actibus apoſtolorum commendatur.* (a) *Eſt enim, ut videtur, in vobis cor unum & anima una; reddidiſtis enim vos commendabiles apud Dominum & totum mundum. Nam cordium veſtrorum affinitas, & animorum paritas, & voluntatum uniformitas, quas ſecuta eſt veſtræ reſponſionis hilaritas, nos ammonent & inſtruunt, ut conſilium veſtrum laudabile, Deo & hominibus acceptabile totius curæ vigilantia proſequamur. Es vos quidem conſtantes eſtote, quia auxilium Domini videbitis ſuper vos advenire.* Et data benedictione, quilibet ad propria remeavit.

VIII. *Quibus perſonis fuit notificata obſidio Aconis futura pro ſubſidio impetrando, & ordinatio cuſtodiarum mœnium civitatis & munitionis eorumdem.*

Notificaverunt igitur Aconenſes ſummo pontifici & aliis jam præſcriptis perſonis, ſoldanum tempore prætaxato civitatem Aconis obſeſſurum. Verum etiam ſibi & vicinis civitatibus, terris & inſulis maritimis in principum ſubditis Chriſtianorum ditione, ut quantum optarent, in neceſſitatis ſuæ articulo ad ſui tuitionem ab ipſis Aconenſibus obtinere ſubſidium; ſic ſibi in tantarum injuriis tribulationum tam impie inferendis ſuo ſaltem aliquali ſubſidio militari dignarentur attentius ſubvenire. Inter quos vir præclarus rex Cypri cum trecentis militibus portum Aconis pedetentim præcedentibus navigio petiit, & cum aliis multis militibus, quos inſulæ urbeſque maritimæ, quæ cum Acone quodam jugo ſervitutis mutuo ſunt fœderatæ, ſibi invicem tenentur miniſtrare, in Aconis ſubſidium tranſmiſerunt; qui cum civibus Aconis, quorum quilibet ad partem mœnium civitatis ex antiquo ſibi debitam, defenſuri ad defenſionis aptitudinem parati perrexerunt, portantes ibidem lapides cujuslibet quantitatis, baliſtas, * & quarellos, * lanceas & falcaſtra, caſſides & loricas, ſcamata & propunctos, * ſcuta cum clypeis, & alia quorumcumque armorum genera, quibus mœnium propugnacula, & portarum antemuralia ordine ſpectabili vexillis cum propriis munierunt. Quod ubi factum eſt, tunc omnium civitatem habitantium & quorumcumque ibidem adventitiorum in armis inſtructorum circiter nongentos equitum & octodecim millia peditum reperterunt, de quibus quatuor cuſtodias ſupra mœnia ordinantes, propter portarum cuſtodias, quæ de jure certis debebantur perſonis, cuilibet eorum duos ex ipſis magis peritos in tali negotio rectores perfecerunt, & quamlibet cuſtodiam in duas partes dividentes, ſingulis rectoribus ordinaverunt gubernandas. Diem

* *al.* baleas.
* *al.* quartellas.
* *al.* propuncta.

(a) Victor. *annotatur.*
(b) Nav. & Vict. *de Grilliaco.*
(c) Nav. & Vict. *de Grandiſono.*

præterea naturalem qui ex XXIV. horis conſiſtit, aſtrologice in tres partes ad ſecuram cuſtodiam inter ſe diviſerunt: ita ut quatuor cuſtodiarum quatuor rectores cum media parte cuſtodiarum ſibi ſubjecta ab ortu ſolis uſque ad horam nonam diei; alii quatuor cum alia parte cuſtodiarum a nona diei uſque ad quintam noctis horam. Iterum quatuor primi rectores a quinta noctis hora uſque ad ſolis ortum, & ſic deinceps de ſuis, ut dictum eſt, ſubditis armigerentibus muros & turres & portas civitatis, ad quos vel ad quas jam fuerant deputati, juxta neceſſitatis emergentem articulum ad tutelam providerunt cuſtodiri. Harum autem cuſtodiarum unam rexit tamquam capitaneus univerſi ſupra nominatus JOHANNES DE GERLIACO, (b) qui ſibi [b] de Granceone (c) OTTONEM prædictum adjunxit. Secundam rexit rex Cypri, qui miniſtrum militiæ Theutonicorum ſibi ſociavit; ſed tertiam rexit miniſter Hoſpitalis Jeroſolymitani, qui ſecum miniſtrum militiæ Spatæ advocavit; & quartam rexit miniſter Templi, qui ſecum miniſtrum militiæ Sancti-Spiritus aſſumſit. Hi ſunt octo viri, quorum providentia ac conſilio & ſolerti vigilantia civitas Aconis tunc temporis regebatur. Qui ſi concordes fuiſſent, & in conſiliis uniformes, adhuc, Deo teſte, civitas Aconis ſubſiſteret, & plena valetudine reſpiraret. Quorum diſcordiam & per quem mota eſt, ad plenum replicare non intendo; ſed patriarcha mitiſſimus dignitatis ſuæ officio ſedulum divinæ prædicationis officium ad excitationem affectuum inter cives jugiter exercebat.

ET IN HOC FINIUNTUR OCTO GESTA.

SECUNDA NARRATIO,

Quæ eſt de his quæ ad obſidionem Aconis & in obſidione ejus & ejus excidio acciderunt, & continet tredecim geſta.

I. *Egreſſio Soldani a Babylone adverſus Aconem, & miſſio ſeptem admiratorum ante Aconem, dum infirmaretur, cum geſtis eorum.*

II. *Creatio novi ſoldani, & mors patris ipſius.*

III. *Adventus novi ſoldani ante Aconem, moduſque congreſſionis, & evacuatio civitatis, & turpis fuga regis Cypri ab Acone.*

IV. *Fractura muri Aconis & captio ejuſdem.*

V. *Dum muri frangerentur, & conſilia fiebant ſeparata, quomodo frater Matthæus (d)* [d] *mariſcalcus Hoſpitalis jam captam civitatem ſuo vigore recuperavit.*

VI. *Unitis conſiliis, quomodo tota nocte omnes æquanimiter laborantes, muri fracturam obturaverunt, & munierunt, & cuſtodias ordinaverunt.*

(d) Codex S. Jacobi Leodienſis hic & infra legit *Guillelmus.*

VII. *Conſilium quid eſſet agendum, & conſolativa perſuaſio patriarchæ ad paventes.*

VIII. *Congreſſus perfidorum ad ſtruem obturantem muri fracturam, & ruina ejus.*

IX. *Conflictus in captione Aconis & ejus recuperatione.*

X. *Iterum conflictus in captione Aconis & recuperatione.*

XI. *Iterum conflictus in captione Aconis, omnino abſque ejus recuperatione.*

XII. *Qui nobiles Chriſtiani fuerunt interfecti, & qui evaſerunt.*

XIII. *Hortatio ad eccleſiam, ut lugeat ſuper excidium Aconis, invectando prælatis & principibus Chriſtianis.*

SECUNDA NARRATIO.

I. *Egreſſio ſoldani a Babylone adverſus Aconem, & miſſio ſeptem admiratorum ante Aconem, dum infirmaretur, cum geſtis eorum.*

APpropinquante igitur tempore obſidionis Aconis, Babylonis exivit latebras immaniſſima beſtiarum terribilium terribiliſſima, ſanguinem fidelium ſitibundiſſima, ſoldanus videlicet, proceſſurus adverſus Aconem cum infideli ſua multitudine graviſſima, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus populis & linguis, quæ inter deſertum montium & Orientem & Auſtrum converſantur, & tremebat terra in conſpectu ejus præ multitudine ſonitus tubicinarum, cymbalorum & tympanorum, & ambulantium ſuper eam; & tranſeuntibus illis reſulgebat ſol in clypeis aureis, & reſplendeſcebant montes ab eis, mucroneſque lancearum poſiti contra ſolem, videbantur (*a*) quaſi ſtellæ fulgentes in cœlo tempore ſerenitatis nocturnæ. Cum autem gradiebatur exercitus, videbatur ſilva gradiens ſupra terram præ multitudine lancearum. Erat enim numerus eorum quadringenta millia pugnatorum, poteratque admirari ubi tanta potuit inveniri multitudo perfidorum: quia cooperiebant totam terram, planam videlicet & montuoſam; ſed ſoldanus gravi arreptus infirmitate, lecto mortis decumbens, credens adhuc convaleſcenti ſpiritu reſpirare, miſit ante faciem ſuam adverſus Aconem ſeptem admiratos, quemlibet habentem ſuo ſub imperio quatuor millia equitum & peditum viginti millia inſtructorum in arte militari, & occupaverunt planitiem prope Aconem ad tria milliaria, quæ mœnium civitatis & turrium faſtigium reſpiciebat, tentoriaque fixerunt ibidem, & veniebat quilibet admiratus cum ſibi ſubditis congreſſoribus, vice ſua impetum faciens civitati per ſex horas: ita quod tam de die quam de nocte nullam pene civibus habere requiem permittebant.

(*a*) Vict. *niteſcebant.*

Tranſibant enim per fines cuſtodiarum mœnium civitatis explorantes, alii more boum mugiendo, alii more canum oblatrando, alii more leonum rugiendo voces emittebant terribiles, ut moris eſt eorum, maximaque percutientes tympana cum baculis retortis ad terrendum inimicos. Alii igitur jaculabantur jacula, alii lapides fundibulabant, alii ſagittas ſagittabant, & quarellos e baleis alii dimittebant adverſus fideles, qui exiſtentes in mœnium propugnaculis civitatem defendebant, eorum aliquos lædentes, aliós perimentes. Sed econtra cum aliqui ex perfidis infra fines cuſtodiarum civitatis tractus baleæ & arcus ſpatio, vel teli jaculatus, lapidiſve jactus attigi poterant, non protecti ſtatim telo vel ſagitta vel quarello lethaliter pungebantur, aut calculo fundibulæ graviter in corpore lædebantur; propter quod cuſtodes murorum tunc poſt ipſos dum fugerent, contorquendo clamoribus deriſoriis invaleſcentes, eos turpiloquiis cachinnabant, & quandoque dum perfidi ſe parabant reverſuri verſus caſtra, quidam de Aconenſibus præparati, tunc in equis poſt illos exibant quaſi ſubito de civitate, in eorum poſtremam partem impetu violentiſſimo irruentes, eorum aliquos interficiebant, vel ſaltem vulneribus peſſimis affligebant, & ad civitatem cum damno modico aut nullo penitus ad ſonum buccinæ revertebantur. Duravit autem iſte modus congrediendi a medio Martii uſque ad medium Aprilis, nihil prorſus facto, quod ſit memoriæ commendandum.

II. *Creatio novi ſoldani & mors patris ipſius.*

Cum autem ſoldanus poſtremum diem fatorum ſibi terribilem imminere præſenſiſſet, ſuos fideles amicos & ſui exercitus admiratos ad ſe convocans, rationabilibus indiciis, ac intercipientibus & dulciſluis perſuaſionibus tentat cum omni manſuetudine ab eiſdem obtinere, ut ſe jam vigore (*b*) membrorum deſtituto, ipſorum gratia permittente, ſuus ſedeat (*c*) filius, dum etiam vivit, in Soldanii ſolio (*d*) locatus, & eum videat ſoldanii tabernacula (*e*) eorum felici permiſſione feliciter poſſidere, ut tandem ab hac vita mortali ſuos ad patres gaudentius tranſeat in deceſſu: quod ubi cum magnis ululatibus & lacrymarum multa effuſione id conceſſum eſt ab eiſdem, præcepit illico imponi capiti ſui filii juxta ritum Sarracenorum regium diadema, & mulam aſcendere propriam, ornamentis regiis faleratam, eumque oſtendi toti populo cum præconiis, hortationibus (*f*) & jure præcepti, ut eidem omnes tamquam ſoldano & legis non ſolum defenſori, ſed auctori, ſine contradictione (*g*) aliqua obedirent. Juraverunt itaque fidem

(*b*) Vict. *ut ſe jam fere ſub fati tenebris noteſcente.*
(*c*) Vict. *dieſcat.*
(*d*) Vict. addit *loci ſui.*
(*e*) Vict. *ſoldanii gubernacula.*
(*f*) Nav. & Vict. *hortantibus & præceptivis.* (*g*) Al. *conſiltione.*

ſervare, & ejus perſonam diligenter cuſtodire, & ipſe modo conſimili legis in defenſione primus aſtare, votumque vovens vovit coram omnibus, ut ſi patrem ſuum de infirmitate, in quam propter laborem cœptum pro Aconis obſidione incidit, diem ultimum claudere contingat, ſe numquam ab obſidione hujuſmodi poſtquam ibidem pervenerit, ſecedere, niſi prius nomen Aconis ſubſtantiale totaliter deleverit, ſolo æquatum abradendo. Quod quidem votum cunctis valde complacuit, cunctorumque per hoc votum voluntates ad cœpti completionem negotii mirabiliter concitavit. Sed tandem iis ſic peractis, expiravit pater ejus, morbi ſævitia prævalente, quem propriis cum patribus non ſine cordis amaritudine, ac ſuſpiriis doloroſis, luctuque omnium a minimo uſque ad maximum inter Sarracenos conſueto, cum debitis honoribus ſepelivit.

III. *Adventus novi ſoldani ante Aconem, moduſque congreſſionis, & evacuatio civitatis, & turpis fuga regis Cypri ab Acone.*

Igitur ſepulto patre ſuo, ad votum rediens ſoldanus, ſuos confeſtim greſſus movit adverſus Aconem, in ſuo habens comitatu decem admiratos, quemlibet ſub ſe habentem viginti millia peditum, tam balearium, quam etiam fundibulariorum & jaculatorum & aliorum mandatis obedientium, necnon & equitum quatuor millia pugnatorum, ſecumque ducens machinarum multitudinem, fundibularium lapidum, ſicut [a] ſunt petrariæ, biblictæ, (a) perdiſſetæ, (b) & [b] mangonelli. Pervenit igitur uſque ad exercitum quem præmiſerat pater ſuus ante Aconem, cum his quæ habebat inſtrumentis bellicis & viris armatis, in ſtrepitu permaximo, & in Chriſtianos ſæviendi aviditate furibunda. Quievit igitur tribus diebus cum admiratis & ſapientibus ſui exercitus, ordinans de modo congrediendi civitatem. Quarta quoque die moverunt caſtra, appropinquantes civitati uſque ad ſolum milliare, ubi caſtra metati ſunt cum terribili clangore tubicinarum, cymbalorum & tympanorum, ac vocum emiſſione diverſarum horribili, machinas fundibulares lapidum prope muros civitatis de die in diem erigentes, & quæcumque habebant ingenia paraverunt ad congreſſionem; quod tamen non ſine diſpendio & jactura non modica ſuarum quamplurium non potuerunt facere perſonarum. Cum autem eas erexiſſent, fuerunt omnes per totum magnæ & parvæ ſexcentæ ſexaginta ſex, quæ die noctuque ad mœnium propugnacula & infra civitatem per jactum lapidis manualis jacientes ſine intermiſſione, nullam Aconenſibus habere penitus requiem permittebant. Fundibulaverunt itaque a quarta die Maii per decem dies continuos, civitatem modicum damnificantes, & cives interim a civitate theſauros omnes cum mercibus & ſacroſanctis reliquiis, ſenes quoque & debiles, mulieres ſpecioſas & pueros, & alios ad pugnam inutiles, in Cyprum, procuraverunt navigio tranſportari: multi etiam perpendentes quæ fiebant diſcorditer inter cives, cum tota fortitudine ſua in nihilo læſi, tam equites quam pedites receſſerunt. Non igitur remanſerunt in Acone niſi viri qui erant in armis inſtructi, qui de jure civitatem defendere tenebantur, cum paucis peregrinis, qui ardentes in fide remanſerunt. Qui cum omnes fuiſſent numerati, duodecim millia vel circiter ſunt inventi & non plures, quorum forſan octinginti erant equitum, & reliqui peditum, ſtrenui bellatores, quorum capitanei ſi concordes fuiſſent, fortaſſis immo res ipſa periclitata non fuiſſet, quia in conſolatione habendi ſubſidium perſtitiſſent. Nam quinta decima die Maii tam gravem impetum cuſtodiis murorum dederunt Sarraceni, quod fere regis Cypri decedente per eorum diſcordiam cuſtodia, niſi nox obſcuriſſima interveniſſet, aliquantulæ defenſionis aliunde venientis affuiſſet impetus, civitatem Sarraceni mox intraſſent. Nocte igitur inſecuta, cum miniſter militiæ Teutonicorum ad ſuam vice ſua cuſtodiam rediiſſet gubernandam; idem rex Cypri, qui eidem miniſtro eamdem ceſſerat cuſtodiam, ad eamdem in ortu ſolis vice ſua reverſurus, non ſolum cum ſuis, ſed cum tribus fere millibus aliorum nobiles ſe gerentium propter eamdem diſcordiam diſcedentium per mare turpiter diſceſſivit. O utinam tunc flaſſet turbinis ventus, & operuiſſet eos mare, & in aquis vehementibus ſubmerſi fuiſſent quaſi plumbum.

IV. *Fractura muri Aconis & captio ejuſdem.*

In craſtino autem circa ſolis ortum venientes Sarraceni ad congrediendum civitatem, magnis protecti clypeis, de ſub eis contra eos qui in propugnaculis mœnium ſtabant parati ad defenſionem, quarellos, ſagittas & jacula mittebant in multitudine, plures eorum vulnerantes, & aliquos perimentes, ſed econtra modo ſimili multo plures e mœnibus balcantes Chriſtiani Sarracenos occidebant. Cumque percepiſſent Sarraceni neminem aut paucos ad propugnacula cuſtodiæ regis Cypri jam fugitivi, defenſores apparere, accurrentes undique, portantes ligna & lapides, terram & bombacem, equorum mortuorum & ſimilium cadavera, foſſatum ex eis in modico tempore per frontis latitudinem centum cubitorum & amplius implentes uſque ad marginis ejuſdem & radicis muri ſuperficiem æquaverunt. Et continue procedentes cum ſcalis, pinnam murorum in multitudine graviſſima aſcende-

(a) Navarr. *babiſte.*
(b) Navar. *prodicta.*

runt. Repericntes itaque ſupra muros paucos defenſores, qui ad ſubſidium interim confluxerant, dimicantes cum eiſdem, aliquos eorum perimerunt, & alios hac illac fugantes, murum tandem contra Chriſtianos jure belli obtinere meruerunt, qui extemplo lapidem poſt lapidem diruentes, ipſum per latitudinem fere ſexaginta cubitorum æquantes ſolo, introitum omnibus aliis paraverunt Sarracenis. Intrantibus igitur Sarracenis per muri fracturam, civitatem cum impetu violentiſſimo, præmiſſa balcariorum, jaculatorum & fundibalorum multitudine, alia præſtolante conſimili multitudine Chriſtianorum, ad muri fracturæ defenſionem paratorum, alii in alios jaculis & quarellis pungentibus, lapidibuſque emiſſis a fundis concutientibus ad invicem irruentes, multos utrimque mortuos proſtraverunt; ſed Chriſtiani perpendentes totidem perſonas de Chriſtianis quotas de Sarracenis iſto modo certandi periclitari, iſtum modum penitus omittentes, ſubito cum falcaſtris * & magnis fuſtibus, lanceis & gladiis acutiſſimis Sarracenos approximant ferociter feriendo. Econtra Sarraceni lancearum mucronibus eorum impetum reprimentes duriſſimum, hinc inde alii ſuper alios in modum fabrorum, ſupra maſſam ferri calidam fabricantes, ſeipſos diverſis vulnerum generibus & concuſſionibus oppreſſivis dirimebant. Sed tandem Chriſtiani ſuſtinere non valentes impetum perfidorum, præ multitudine ipſorum ſemper aggravata, & ſæpius renovata, fere per ſpatium tractus baleæ infra civitatem, cum clamoribus magnis & terribilibus perfidorum, ex Chriſtianis pluribus interfectis, violenter ſunt repulſi.

* al. falcaſtris.

V. *Dum murus frangeretur & conſilia fiebant ſeparata, quomodo frater Matthæus (a) mariſcalcus hoſpitalis, jam captam civitatem, ſuo vigore recuperavit.*

[a]

Sed in primis, dum hæc agerentur, magiſtratibus militiæ templi & hoſpitalis & aliarum religionum, & quibuſdam capitaneis, qui fortaſſis, ut prima facie videbatur, non concorditer in civitatis regimine ſe habebant, eſt nunciatum, illam regis Cypri cuſtodiam nullos habere defenſores, & Sarracenos jam per illam ſua congreſſione muros communiter aſcendiſſe, illos celeriter diruentes. Quod quidem cum audiſſent, propter contemtum alterius ad alterum, de communi nihil prorſus zelantes, quæ ſibi futura erant penitus negligendo, in ſummis attriti cogitationibus, ſopiebant, (b) credentes eo quod in treugarum fractione non conſenſerant, ſoldanum contra ipſos numquam procedere tamquam inimicum; ſed hinc inde ſaniori utentes conſideratione, in cordis penetralibus ſecretius cogitabant, (c) ſoldanum nulli parcere, etiamſi fidem, quam numquam interpoſuerat, interpoſuiſſet. Eo, inquam, quod in ſoldanii ſolio noviter fuerat inſtitutus, & novitas dominii ſoldanorum privilegiata ſic eſt ab antiquo, ut quæcumque ſibi profutura excogitaverint, ſui juris eſſe credant & liceant facienda, qui ſæpius ad ſui famæ divulgationem (d) & tituli, non ſervatis pacta fide vel aliquo juramento, maxime in Chriſtianos, dum pro ipſis rotam volvi conſpiciant, contra ipſos hæc acrius innituntur exercere, ut gratiam tandem per hoc poſſint acquirere popularem. Sic incipiunt agnoſcere quid egerint in tempore retroacto, & utinam ſapuiſſent, intellexiſſent, ac noviſſima providiſſent. Audientes igitur miniſter & frater Matthæus Clarimontis mareſcallus hoſpitalis ſoldanum cum multitudine armatorum jam ingreſſum fuiſſe civitatem, pedetentim ad arma confugerunt, ita ut loricati & ſcamati, capitibus munitis caſſidibus politis, amplexis per brachia clypeis, dextrarios inſidentes, lanceis erectis, portam hoſpitalis cum paucis exeuntes, in medium civitatis obviaverunt multitudini fidelium pavefactæ nondum vulneratorum, velociter fugienti a facie perfidorum, qui pro conſtanti aſſerebant ſoldanum procul dubio cum multorum interfectione fidelium ingreſſum fuiſſe civitatem, & adhuc præliari diriſſime Chriſtianos cum Sarracenis, ne ultra tranſeant defendendo. Heu, inquit, miniſter prædictus, & vos quomodo integris loricis, galeis & ſcutis non ſciſſis, ſanitate corporum vigentes, amentes effecti eſtis fugientes? veſtrum non advertitis opprobrium ſempiternum? Adjuro vos per fidem Chriſti ad prælium vos reverti. Eo autem hæc dicente, prædictus mareſcalcus junctis equo calcaribus in turmam Sarracenorum Chriſtianos mactantium, in qua ratus eſt adeſſe ſoldanum, habenis effuſis audacter irruens, primum quem lancea potuit attingere, qui tamen videbantur eſſe de probioribus, per medium pectoris perforatum, ab equo coëgit ruere moriturum. Hinc autem tranſiens, arrepto quo accinctus erat ferro, iſti hinc, illi illinc, deinde alii mortales ictus impertiens, iſtum capite mutilat, illi ſpatulam ſeparat, alium transfoſſum gladio mortuum proſternebat, fere omnes Sarraceni ipſum ſicut oves lupum fugiebant: quod perpendens præfatus miniſter & alii Chriſtiani a facie perfidorum qui fugerant, reſumto ſpiritu feritatis, ſeipſos invicem animantes, ad prælium in adjutorium mareſcalci cum altiſonis clamoribus reverturtur, in perfidos audacter irruentes, omnes quos poterant cum gladiis attingere, perimebant. Nam pedites Chriſtiani ſe anteriorantes, equos perfidorum mucro-

[b]

[c]

[d]

(a) Codex S. Jacobi Leodienſis legit *Guillelmus* & ita infra.
(b) Nav. *ſomniabant.*
(c) Vict. *vetinent.*
(d) Leod. *diſſimulationem.*

nibus gladiorum confodiebant, quibus ruentibus morituris cum ruerent occidebant similiter & ſeſſores. Quod videntes Sarraceni, fidelium non valentes impetum ſuſtinere, terga vertentes verſus muri fracturam, fugiendo modo quo poterant deducti a Chriſtianis de vico in vicum cum gladiis & fuſtibus, per muri fracturam cum eorum inæſtimabili multitudine interfecta, cum quibuſdam qui portam S. Antonii muri fracturæ viciniorem conabantur aperire, violenter ſunt repulſi. Noctis igitur intervenientibus tenebris, ad tubicinarum ſoldani ſonitum a congreſſu communiter retrahuntur. Nam ſoldanus non ſperabat ea nocte civitatem obtinere.

VI. *Unitis conſiliis quomodo tota nocte omnes æquanimiter laborantes, muri fracturam obturaverunt, & munierunt, & cuſtodias ordinaverunt.*

Et interim dum hæc agerentur, tanti rumor facti volitans per totam diffuſus civitatem, eorum qui rem tantam in corporum & famæ ſui periculo ſopiti neglexerant, aures jam dudum infeſtas ſuper hujuſcemodi negligentia emollivit: attendentes id plus ignaviæ quam fidelitati atteſtari, & notam proditionis acquirere, niſi cum ſuis, quos ad mœnium civitatis cuſtodias quotidie tranſmiſerant, nec rexerant, ut decebat, perſonaliter intereſſent, id conſilii quod poſſent & auxilii præſtituri. Tunc itaque a capitaneo vidiſſes ad capitaneum, & a miniſtro ad miniſtrum diſcurrere legatos, prima diſſipantes conſilia, & alia ſecundantes, ſi hæc, inquam, proficere potuiſſent. Exeuntes igitur a turribus, dextrarios inſidentes loricati, verſus illos, ubi voces audiebant victoriæ, vexillis explicatis proceſſerunt, obviantes illis qui ſoldanum profectum cum multitudine perfidorum, qui uſque in medium fere civitatis penetraverant, per mareſcalli Hoſpitalis vigorem, cum paucis ſibi junctis peditibus, per muri fracturam expulſum fuiſſe, atque Chriſtianos in ſua ſtare ſtrenua defenſione, quod multorum exſufflavit ſegnitiem, & curæ vigilantiam excitavit. Et tranſeuntes uſque ad muri fracturam, alios jam mortuos, alios vulneribus impoſitis morituros, alios præ nimiis laboribus fatigatos, in vicorum mediis jacentes, tam perfidos quam fideles in multitudine repererunt, ſed plus quam ex fidelibus Sarracenos; & deſcendentes equos domi remiſerunt. Hinc ad faciendum ſtruem fortiſſimam, muri fracturam obturantem, de lignis magnis & oſtiis domorum civitatis cum multitudine lapidum tempus fere uſque ad mediam noctem cum cadaverum ejectione perfidorum expenderunt. Qua conſtructa, baliſtas vertiginales de turribus ſuis uſque ad viginti pretioſiſſimas præcipiunt apportari, eas retro ſtruem per quædam foramina, quæ in ſtrue ſignanter diviſerant (*a*) baliſturas adaptantes, de bipedibus quoque quinquaginta, ſed de communibus, & quarellis utriſque convenientibus ad ſufficientiam præcipiunt miniſtrari. Ordinaveruntque ibidem viros videlicet inſtructos in arte baliſtandi, & alios qui ad ſubſidium illis miniſtrarent, & in neceſſitatis articulo contra inimicos cum gladiis dimicarent, cuſtodiaſque nihilominus, ut ſoliti fuerant juxta remanentem bellatorum quantitatem, cum duo millia fere illa die fuerint interfecti, ordinantes; & ut modicum quieſcant, vadunt domum ante diei auroram per horam unam, ad domum Hoſpitalis reverſuri, ſuper his quid agendum ſit conſulturi. [a]

VII. *Conſilium quid eſſet agendum, & conſolativa perſuaſio patriarchæ ad paventes.*

Mane quidem ante diei auroram per hotam unam nihil prorſus pigritantes ad domum Hoſpitalariorum convenerunt, qui talibus in negotiis magis eſſe videbantur experti viri conſilii, ut tandem de paupere populo civitatis, conſilio & juvamine uſque nunc deſtituto, quid hac die & alias ſit facturus concorditer ordinarent. Dicebant quidam eos non videre viam, per quam populus civitatis aſſultus Sarracenorum illa die poſſit aut valeat ſuſtinere; quod ſi poſſent eum per claſſem navium alibi transferre, per mare libentius educerent ad ſalutem. Sed nonniſi duos habebant parvos dromones, qui ad ſalutem ducentarum vix ſufficere poterant perſonarum: propter quod amentes effecti, quid agerent obſtupebant. Tunc amantiſſimus patriarcha ſurgens in medio, indicto manu ſilentio, ait: *Audiat prudentium ſerenitas quæ pauper ſpiritu conſilii, minimus veſtrum, ut ſibi videtur, agenda, mente concepit veſtræ fidelitati conrecenſurus. Si tamen principiis iſtius rei radicalibus non omnino poterimus reſiſtere, ductu tamen rationis eorumdem nocituris effectibus nos fidelis operatione conſilii opponere tenebamur. Qui habet aures audiendi audiat, & capiat qui capere poteſt, & audite. Heu! quæ diximus uſque hunc non fecimus, & luemus. Licet igitur nunc iſtius gentis ſævitiæ omnino reſiſtere non poſſimus, decet tamen juxta rei ſtatum ponere quod incumbit ad effectum. Ecce noſtris luce clarius refulget in ſenſibus, ſi a perfidis quoquo modo poſſimus intercipi, vel certe belli actione vel quibuſcumque pactis intervenientibus nos in manus eorum exponendo, nullam nos miſericordiam ab eis percepturos, præſertim cum omnes divitias & merces civitatis, uxores quoque & filias concupiſcibiles non invenient, cum quibus ſe jam jactitaverant turpi concubitu commiſceri. Eſt igitur eligendum potius noſmetipſos eiſdem vendere juſto cum eiſdem certamine dimicando, quam nos ſuæ ſupponere voluntati, præſertim*

(*a*) Nav. & Vict. *diviſerant.*

cum locus vel via, quo vel qua manus eorum possimus effugere, non apparet. Nos igitur confidamus in Domino, cujus negotium nunc gerimus, cum non sit alius in quo habere confidentiam debeamus. Scriptum est enim: Bonum est confidere in Domino quam confidere in homine; bonum est sperare in Domino quam sperare in principibus. *Et in ipso speremus, ad unum de Christianis sex semper vel plures belli jure interimi Sarracenos. Nam cum rex Cypri cum suis & multis aliis, quo instinctu, Deus scit, & nos scimus, a civitate recessisset, pene remanserunt nobis novem millia defensorum. De quibus fortassis hodie septem millia perstiterunt, & per vicos heri sero jacebant fere viginti millia mortuorum. Re igitur se habente in hunc modum, confortemur mente, animoque roboremur, & quid futurum est expectemus, in Dei dispositione virtutem quam poterimus ad defensionem civitatis apponendo, sperantes in Domino nos semper civitatem tueri nostra fideli defensione in ejus nomine virtuoso, qui suis ait apostolis sic & vobis: Si fidem habueritis, quæcumque petieritis in nomine meo fient vobis. Scitis enim quilibet vestrum de semetipso dijudicans, ut si vestrum quispiam a suo esset ligio electus domino, ad proprium honorem defendendum contra unum vel plures conflicturus, haud dubium quin potius in campo se diri mucrone gladii sineret interfici, quam reprobi confessione vocabili redderet se convictum: & hoc propter fidem quam suo domino tenetur servare in sua integritate, & propter opprobrium quod ejus successioni remaneret. Scitis etiam licet quæcumque auspicato non veniant, pro sui honore Domini fideliter dimicanti, mori tamen pro ipso & ejus honore in meritum vertitur honoratum. Similiter, viri fratres, haud procul dissimile, quin nos omnes* JESU-CHRISTI *homines ligii simus, pro fide quam ab ipso tenemus, qua sumus omnes salvandi. Igitur pro* JESU-CHRISTO *quilibet vestrum existimet Dominum seipsum elegisse tamquam unum ex electis inter Christianos, & positum quasi in vallo contra gentem incredulam hereditatem suam defensurum jure servitutis feodi, quem ab ipso diximus nos tenere: præsertim cum non appareant alii defensores, & mutetur pro merito temporalis hereditas in æternam. Quod si suam fortassis hereditatem propter peccata nostra vel aliena voluerit Dominus a manibus nostris eripere, quod nescimus, non credatis propter hoc eam debere dimitti maledictis indefensam, quæ nullo jure profecto debetur eisdem. Dum igitur nullam videtis viam evasionis, stetis, dum licet, in defensione vestra. Vendatis sanguinem vestrum quantum poteritis antequam fundatur, & jam fusum nitamini vindicare, in fide dico vera, per quam omnia possibilia sunt vere credenti; & in spe firma, per quam datur salus firmiter in fide speranti, & alterius in alterum inextinguibili caritate, per quam cum Domino sit unio, Deum videlicet & proximum propter justitiam sustinenti. Per hanc enim viam, quam Dominus providit peccatoribus ad salutem, poteritis post mortem ad æternam vitam absque alia pœnitentia feliciter pervenire. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, misericordiam a Deo salutari sperantes in transitu obtinere.* Et expletis breviter missarum solemniis, plures eorum quibus placuit invicem dantes pacis oscula, cum suspiriorum pia intermissione singultuosorum in amoris amplexibus, in vinculo caritatis, scientes se morti exponere pro Domino, illa die cum omni devotione Corpus Christi participaverunt. Alii namque, & hi qui fortassis jam sibi navigio fugæ remedium ante (*a*) paraverant, dicentes se cum aliis confligere (*b*) ad murorum custodias, quas ibidem paulo ante dimiserant, venientes, aurora jam dante finem, quodcumque jam habuerant consilium, custodiis fideliter retulerunt: quorum quidam pie ingementes, statim alterutrum delicta confitebantur, instigantes se invicem de bene faciendo. Tunc vidisses ferrum ferro acui, lanceas vibrari, scuta & enses tractari, ut modus sæpius & acrius feriendi captaretur, & omnia parare armorum genera in propugnaculis ad defensionem: istum credentem æquipollere Rollando, & alium Olivero, sed & alium Renoaldo; ordinaveruntque de suis equitibus & peditibus ad portas remanere, & per vicos & trivia civitatis quosdam præceperunt præstolari, ut si tandem Sarraceni penetrarent, cum eisdem pro viribus dimicarent, & supra domorum terraceas altarum prope portas civitatis multitudinem lapidum cujuslibet quantitatis portaverunt, ut per jactum eorumdem intrantes confringerent Sarracenos. Sic fideles Christiani se invicem animantes ad vigorem, in suis custodiis adventum Sarracenorum præstolabantur.

[a]
[b]

VIII. *Congressus perfidorum ad struem obturantem muri fracturam, & ruina ejus.*

Et ecce in solis ortu concutitur aër verbere penetrantissimo tubicinarum soldani, & tympanorum terribili percussione, ac vocum emissione brutalibus similium horribili, multitudine perfidorum procedente adversus Aconem expugnandum. Et accedentes sagittarii sagittas, jaculatores jacula, balearii quarellos, & fundibularii lapides in multitudine densissima emittebant; sed & machinatores e fundis machinarum lapides majores ad murorum, turrium & portarum propugnacula, & per civitatem libullarum * solutione fundibulabant. Et alii quoque per fossati transversum ad radicem muri magnis & fortibus protecti clypeis, suis attingere conatibus attentantes, cum ligonibus & aliis instrumentis similibus muri minabantur rui-

* f. fundibularum.

(*a*) Victor. *caute.*
(*b*) Nav. *confugere.*

nam. Qui autem in propugnaculis mœnium erant defensores, defensionis arte mirabili muros & portas viriliter defendebant, cum quarellorum emissione multa congressores repellendo: qui ut bufones suis cum clypeis tuebantur, & saxorum fusione super jam ad muri radicem applicantes cassabantur. Sed ad muri fracturam confluxit multitudo gravissima perfidorum, cujus constructæ fuerant acies centum & quinquaginta bellatorum, qualibet ducentos continente, quarum prima secundam, tertia quartum protegebat, quinta sextam, septima octavam tuebatur, sed nona decimam operiebat, quæ omnes quinque impares erant clypeorum portitantes magnorum, quibus aliæ quinque acies pares balcariorum exeuntes & sequentes impares tegebantur. Erant ergo balearii omnes mille, qui tempore suo quarellos per inter duos clypeos ad struis defensores emittebant, ut eam suis possent contingere cum instrumentis ad ruendum. Aliæ autem acies centum & sexaginta (a) istas in serie sequebantur, cum diversarum multitudine machinarum & instrumentorum diversitate bellicorum. Procedentes igitur ad muri fracturam, impetum facientes dirissimum, cum baleis quarellos mittebant in multitudine adversus struis defensores. Christiani vero sustinentes (b) Sarracenos magis ac magis propinquari, a qualibet balista vertiginali trinos simul (c) quarellos in primam aciem emiserunt, qui transeuntes clypeos a perfidorum balearis multos, & e clypeorum portatoribus quamplures cum clypeis consutos interfecerunt, & ipsis sic dispersis cum bipedalibus & communibus baleis quarellorum multitudinem emittentes, eorum quamplures non protectos quarellis medios transuebant. Cedentibus igitur duabus primis aciebus, aliæ in ordine subsequentes, congrediendo graviter institerunt, defensores struis quamplurimum fatigantes, eorum aliquos perimendo. Sed modo defendendi prædicto Christiani baleantes magnam partem perfidorum in area prostraverunt interemtam. Propter quod soldanus, qui satis prope stabat, per illum locum civitatem ingredi desperabat, nisi quia tandem vidit Christianos a balcandi officio factos, heu! nimium remissos. Nam quarelli pro baleis vertiginalibus sic fere jam fluxerant, nec habebant quid amplius baleārent. Heu! quantus dolor, quantum infortunium accidit Aconensibus illa die. Ecce perpendens soldanus hunc in civitate patidefectum, quotquot erant per latitudinem murorum congressores substractim ad muri fracturam cum omnibus suis ingeniis præcipit subito convenire. Tunc omnes congregati qui fuerant & ordinati ad signum tubicinarum fluxu repentino ad struem quæ muri fracturam obturabat, celerius accedentes, omni oblito timore periculorum, eam cum fossoriis & ligonibus, uncis, & aliis instrumentis & machinis ligneis & ferreis differentes, quo, quanto, qualicumque damno ex eisdem eminente, & in modico tempore corruerunt. Quamobrem plures Christiani obstupentes, agere quid deberent hæsitarunt. Cum vir amantissimus patriarcha in vocem prorumpens luctuosam, oravit dicens: *Muro inexpugnabili circumcinge nos Domine, & armis tuæ potentiæ protege nos.* Tunc fideles confortati adversus congredientes Sarracenos irrumpere innitentes, obstiterunt cum falcastris & lanceis, ac omnibus aliis armorum generibus bellicorum, altissimis vocibus interjectis Christi nomen invocando. Sed illico Sarraceni sui nomen Mahometi ex adverso advocantes responderunt: *Hodie muro malæ fidei vestræ circumcingimini, quia ecce veniet super vos in vita mortali dies illa, dies iræ & calamitatis & miseriæ; vestrorum enim inimicorum gladiis turpiter occumbetis, & inebriabitur terra sanguine vestro, quem vestri sitientes inimici fundent cum effectu, & satiabitur in vestra confusione, quia tunc apparebit gloria vestra.*

IX. *Conflictus in captione Aconis & ejus recuperatione.*

Sed hæc dicendo ruentes perfidi, ut suo impetu interciperent Christianos, ex adverso Christiani voce lapsa terribili vulnerum cum impositione lethalium, stipendia persolvebant Sarracenis, & dato tubæ signo, statu virtuosissimo de murorum custodiis per vicos & terraceas ad portas civitatis in subsidium descenderunt, subsistentibus illis qui desupra portas & turres, prope eas Sarracenis introitum defendebant. Tunc iniri videres bellum dirissimum inter congressores Sarracenos & fideles civitatem defendentes. Nam ex Christianis alii cum lancearum mucronibus, alii cum magnis fustibus, alii cum falcastris, & alii cum aliis generibus armorum bellicorum introitum inhibebant Sarracenis, aliis ex eisdem multos confringentibus ex perfidis lapidum cum jactatione ponderosorum: & econtra Sarraceni, magnis, ut diximus, clypeis protecti, quidquid agebant Christiani parvipendentes, Christianos attingentes gladiis, crudeliter occidebant, sic ut tandem prævalente ferali perfidorum sævitia, Christianos oportuit cedere Sarracenis. Intrantibus igitur Sarracenis cum impetu fere per spatium tractus baleæ intra civitatem cum vocibus clangorosis, lethali deducendo cæsione, Christianos oportuit retroire. Quibus quidam auditis vocibus per totam civitatem qui aliquantisper quieverant ad subsidium venientes, inter quos erat jam dictus

(a) Victor. *quadraginta.*
(b) Navar. *non sustinentes.*
(c) Victor. *ejus.*
(d) Victor. *evenente.*

[frater

[a] (a) [frater M. mareſcallus arte mirabili & agilitate virtuoſa dimicando, cum tot & tantorum interfectione perfidorum, jactuque lapidum conſractione, qui e terraceis fundebantur, Sarracenos per muri fracturam turpiter rejecerunt.

X. *Iterum conflictus in captione Aconis & ejus recuperatione.*

Renovatis igitur cuneis perfidorum, novi recenteſque venerunt, totis niſibus inſultantes, ut fatigatis fidelibus valeant ingredi civitatem : qui cum quibus poſſunt ingeniis per ſpatium ictus oculi Chriſtianos non deſinunt reſpirare. Sed econtra Chriſtiani modo reſiſtentes conſueto, cum lancearum cuſpidibus, falcaſtris & magnis fuſtibus & lapidum fuſione, Sarracenos viriliter repellebant, eorum quamplures morituros proſternendo. Sed dum plures Chriſtiani de vicinis turribus & portis ad muri fracturam defendendam deſcendiſſent: ad junctum iter interim Sarraceni ad portam S. Antonii ſatis prope duriſſimum cum impetu repentino dederunt aſſultum, omnibus cum ingeniis quæ potuerunt, cum igne præcipue fores conſumentes. Sed & alii aliquoti qui ſupra portam remanſerant, Sarracenis introitum defenſuri, juxta, id quod eis erat poſſibile, defenſionem cum jactu lapidum, quarellorum emiſſione viriliter apponebant. Sed & portis tandem ruptis, cum multitudine perfidorum ſuffocata ſubintravit violenter multitudo innumerabilis perfidorum in equis ſedentium cum lanceis, quibus ſuo impetu tranſſuebant Chriſtianos. Ex adverſo Chriſtiani reſiſtendo ſatagebant ritu mirabili circa frequens officium feriendi huc & illuc ictus magnos cum gladiis, & pungendi cum eorum mucronibus Sarracenos proſternentes morituros, ita tandem quod per prædictum mareſcallum cum adjunctis ſibi paucis peditibus, equos perfidorum interimentibus, extra portas civitatis violenter ſunt fugati, ex perfidis quampluribus interfectis, qui auſu temerario & [b] famæ deſiderio (b) civitatem penetrarant.

XI. *Iterum alius conflictus in captione Aconis omnino ſine recuperatione.*

Tunc equidem videns ſoldanus ſuos vile fugæ remedium quæſiiſſe, civeſque in proforibus civitatis & muri fractura ſiſtere præmunitos, non diu quid ageret cogitavit, ſed confeſtim ſigno dato tibicinis, fluxit ſuus totaliter exercitus ad eumdem, diverſis in locis aſſultus ſuos derelinquens & paratus obedire. Erant autem inter illos plures ſervi, & ut dicitur falſi Chriſtiani, quibus ex parte ſoldani promiſſum eſt, ſi redeant a congreſſu, civitate illa die perſiſtente, tributa eorum perpetuo duplicari; ſed per eos ſi rumpatur, hinc liberi a tributo ſub legibus nobilium & eorum ſucceſſores perpetuo tenebuntur. Tunc viuiſſes, maledictos ingenia quæ poterant adaptantes magnis protectos clypeis, quos diximus ad muri fracturam & ad fores jam combuſtas congreſſuros properare. Quæ videntes Chriſtiani, ſtatim ſigno tubæ dato, venientes de mœnibus ad fracturam muri dictam, & ad portas ad defenſam adjuturi, cum aliis ſe junxerunt. Heu! ſed pauci ſunt iis omnes, ut tot poſſint & tantorum congreſſibus reſiſtere perfidorum. Nam eorum in prædictis conflictibus plures boni jam fuerant interfecti, licet plures ex perfidis in ſeptuplo (c) jure belli cecidiſſent. [c] Renovatur ergo bellum terribile inter alterutros, ſe invicem hoſtiliter occidentes] clamoribus interjectis hinc & inde ad terrorem; ita ut nec Deus tonans in ſublime coaudiri potuiſſet. Sic igitur Chriſtiani ſuſcipiunt Sarracenos tam pedites quam equites audaci expectatione mucronibus lancearum, cum gladiis & falcaſtris, & aliis armorum generibus bellicorum, quibus ſe poterant defendere, infideles quoquo pacto perimendo. Sed milites perfidorum congregati ex adverſo in multitudine graviſſima, Chriſtianis muri fracturam & portam S. Antonii defenſuris applicantes, impetu repentino cum tanto pondere in equis ſedentes, cum lancearum jaculatione denſiſſima congreſſi ſunt, quod multitudine fidelium interfecta, Chriſtianos intrepide ſemper ſua in defenſione conſiſtendo, fere per jactum lapidis infra civitatem vi virtutis aut preſſuræ oportuit retroire. Illic quoque vidiſſes hinc inde capita multorum a thoracibus amputari, & ab illis ſpatulas ſeparari, & ab iſtis manus a cubitis ſegregari; alios ab aliis uſque in medium colli findi, alios lancearum cuſpidibus aut enſium medios transfodi, alioſque per tranſverſum trucidari, morienteſque in cruore occiſorum præ dolore ſeipſos volutare conſpexiſſes, illum oculis vertiginalibus morientem, iſtum vultu retorto decedentem, & alium ſupra ventrem oppetentem. Hinc & alium lingua palpitante afflictum anguſtiis obientem; ſed & alium licet moreretur conatibus nimiis ad vindictam reſurgere innitentem. Sic igitur tanta ſtrages facta fuit ex utriſque, ut niſi ſupra corpora paſſim cæſa cadaverum jacentia, ubi quis paſſum daret, non parebat. Quid plura? Crevit virtus perfidorum, fidelium poteſtate diminuta. Sarraceni tandem urbem obtinentes, ſiſtentibus adhuc mille vel circiter Chriſtianis ſemper pugnantibus, uſque ad domum templi deductis cum enſibus a perfidis, ibique reſiſtentibus juxta poſſe, tandem in eamdem vi virtutis perfidorum ſunt impulſi. Heu! quis illius diei poſſet pericula quæ Aconenſibus acciderunt in unum col-

(a) Anſilis incluſa deſiderantur in Leodienſi codice ſancti Jacobi.

(b) Victor. *fatue.*

(c) Victor. *ſeruplo.*

ligere, aut cogitando ſufficere. Si quis ſciat plus referat, ſed fideles qui in caſtrum templi reſederunt a perfidis ſunt obſeſſi.

XII. *Qui nobiles Chriſtiani fuerunt interfecti & qui evaſerunt.*

Dum igitur iſta agerentur, in primis conflictibus, dum intrarent Sarraceni civitatem, miniſter templi qui cum ſuis fratribus licet tarde ad defenſionem portæ S. Antonii properabat, lancea transfixus, ruere coactus ab equo in terram proſternitur moriturus. Heu! prope muri fracturam eodem impetu miniſter hoſpitalis pluribus in locis lethaliter (a) vulneratus, equo quem inſidebat interfecto, a ſuis vi ſubtractus, uſque ad mare portantibus recipitur in Dromonem. Patriarcha ſimiliter ſe invito ſuorum conatibus uſque ad portum vi trahitur, voce reclamitans querulosa: *En vobis delirus ego ſum, qui me invitum trahitis, ut gregem mihi commiſſum in tali dimittam periculo peremturum.* Similiter Johannes de Grilliaco (b) capitaneus Aconis, & Oto de Grandiſono jam dictas ſuas relinquens cuſtodias cum quibuſdam ſe gerentibus generoſis, integris armaturis, in rei principio ad mare fugientes, actus militares turpiter abnegando, caritatiſque terminos inhumaniter exeundo, naviculam conſcenderunt. Heu! hi omnes in Galliis dum viverent inter Gallos æque pares, ferrum ſimulantes fera cum dentibus audacia corroſuri, linguæ procacis jactatione inaniter aſſerebant, ſe potius mortem pati quam fugere a conflictu quoquomodo. Vere non fugerunt a conflictu, quia numquam in conflictum intraverunt; ſed intacti recedentes, quos regebant relinquendo, effugerunt præ timore deſperantes de ſeipſis, ſicut credo, nec quærentes quæ in Deo firmarentur. Sed frater Matthæus (c) de Claromonte mareſcalcus hoſpitalis, videns totam militiam tam ordinum interemtam, quam ſæculi fugitivam, tantumque populum perfidorum feritate jam conſumtum, neque credens tantum armis ſe facturum, quo populi reſiduum, quod paucum eſt, obtinere ſpem valeat reſpirandi, junctis equo calcaribus, ruens per medium cuneorum, tamquam furibundus, & tranſiens poteſtate dextrarii per S. Antonii portam ultra totum exercitum, multos ſuis in terram ictibus ruit ex perfidis morituros. Nam equidem ſicut oves ad ubi neſciunt ante lupum confugiunt; ſic perfidi ante ipſum ſe diſtrahunt ad diverſum, & dummodo conſimili uſque in mediam civitatem per eamdem portam jam eſſet reverſus, dextrario quamplurimum fatigato, & ſibi ipſi non valenti plus ſalire, ſed potius calcaribus reſiſtenti, ſtetit in vici medio fixus, hincque lanceis jaculatur & in terram proſternitur, corruente dextrario, mucronibus lancearum transfoditur, ſicque fidelis pugnator miles Chriſti, ſuam ſuo animam reddidit Creatori. De his quoque, qui in conſpectu Sarracenorum in domum templi ſe receperant, plures eorum natando per mare, ſe maris periculis exponentes, uſque ad illos qui naves aſcenderant pervenerunt, de quibus pius patriarcha in ſua navi tot recepit, quod navis fundum petens periclitata eſt præ pondere perſonarum, & ſic ſubmerſi ſunt univerſi. Evaſerunt a conflictu cum miniſtro hoſpitalis ſeptem fratres, de fratribus quoque templi evaſerunt fratres decem, qui ex ipſis fratrem monachum Gaudini elegerunt miniſtrum generalem. Hic pepigit cum ſoldano pactum novum, videlicet Chriſtianos qui erant in domo templi, & ſeipſum cum fratribus ex ejus permiſſu navigio recedere cum ſalute, portanteſque de proprio quidquid vellent ſola vice, & exinde dimittere domum templi. Miſit ergo ſoldanus ibidem trecentos in armis qui viderent ne fideles plus portarent quam deberent. Dum igitur expectarent navigium Chriſtiani, maledicti mulieres & pueros ad loca domus ſecretiora ex eiſdem abuſuri diſtrahere conabantur, turpibus eccleſiam obcœnitatibus, cum nihil poſſent aliud maculantes. Quod videntes Chriſtiani non valentes ſuſtinere, ad miniſtrum perrexerunt de perfidis conqueſturi. Qui reſpondit: Heu mihi, filioli, tædet me, nihil poſſum. Qui cum audiſſent, continuo clauſis prius portis, in perfidos viriliter irruerunt, & omnes a minimo, quoquo damno accidente de ſeipſis, uſque ad maximum occiderunt, muros, turres, atque portas templi munientes ad defenſam. Quod cum ad ſoldani notitiam deveniſſet, omnes ſuos præcepit ad domum templi convenire, congreſſuros in craſtinum illos proditores ſceleratiſſimos, quos propter eleemoſynam dimiſerat liberius recedere ob favorem victoriæ quam de ipſis habuerat, concedente Machometo. Quod perpendens monachus Gaudini, ſuper hoc ſoldanum complacare, quantum plus poterat nitebatur; ſed dum non valuit quod quærebat obtinere, nocte veniente ſui ſolertia & vigore, per totam noctem illam, dum fideles vigilarent contra perfidorum aſtutiam, domum contra eos defenſuri, fratrum adjutorio de theſauris quod potuit cum ſacroſanctis reliquiis eccleſiæ templi ad mare ſalubriter deportavit. Inde quidem cum fratribus & aliis paucis auſpicato remigans, in Cyprum cum cautela transfretavit. De his quidem qui in caſtro templi remanſerunt, ſeipſos in Dei diſpenſatione defendentes, neſcitur certitudinaliter quid acciderit. Deus novit, niſi quia pie creditur pro ſanctiori, quod jure belli ſe vendiderunt. Poſt hæc autem ab iis qui per

(a) Navar. *multipliciter.*
(b) Leod. S. Jacobi *Gerlinco.*
(c) Leod. S. Jacobi codex legit *Guillelmus*, quod nomen prima manu ſcriptum erat in Victorino.

mare ſæpius ſe transferunt, viſum eſt quod ipſi Sarraceni totam æquam ſolo deleverant civitatem.

XIII. *Hortatio ad eccleſiam, ut lugeat ſuper excidium Aconis, invehendo prælatis & principibus Chriſtianis.*

Nunc exultant latrantes catuli perfidorum, & pro tanto tantæ civitatis excidio, tantique populi Chriſtiani exitio, univerſi gaudent Sarraceni. Heu! econtra plebs fidelis propter hoc lugere non deſinat, ſed crebrarum rivulis lacrymarum fluentibus maxillæ madeſcant, piæque compaſſionis in dolore ſuſpiriorum corda ſcindantur. Luge Sion filia propter tibi dilectam civitatem Aconis, nec taceant tuorum pupillæ oculorum. Luge Sion filia tibi præſidentes in neceſſariis rectores, tam ſummum pontificem & cardinales cum aliis eccleſiæ prælatis & clero, quam reges & principes & barones & milites Chriſtianos, dicentes ſe nobiles generoſos in valle non lacrymarum, ſed deliciis peccatorum effluenti dormientes, qui ſolam civitatem populo plenam Chriſtiano, quaſi in vaſta ſolitudine, ſicut ovem inter lupos, reliquerunt indefenſam. Hi ſunt qui dormitantes aſcenderunt equos in ſuperbia & abuſione, inopiæ civitatis Aconis & tribulationis ejus obliviſcentes. Alii ſcilicet ſuæ gloriæ pompatice faſtigium, ac in omnibus vaniflue oſtentantes, qui Dei eccleſiam in devotione ac ſpiritu humilitatis regere deberent, in cathedris peſtilentiæ & ſedibus iniquitatis ſedentes, non ſolum de bonis Crucifixi, quæ in piis uſibus debent expendi, ad ſui generis excellentiam turres elevant, aulas ædificant ſummas, & picturarum varietate pretioſarum exornant. Sed propter hoc multifarie multiſque modis a pauperibus ſubſtantiam, in qua eorum vita conſiſtit, per fas & nefas extorquere nituntur. Verumtamen aſſumti ſunt de medio populi tamquam ſapientes ad regimen eccleſiæ, ut veri ſint bonorum Crucifixi & fidei diſpenſatores, & iſti ſunt, heu! qui ſuorum excellentia oculorum perſpicacius intuentes, vero plenius lumine ſunt privati, qui furia libidinis, carnalibus deſideriis polluuntur, qui mole divitiarum proſtrati ſurgere non valentes, avaritiæ funiculis diſtrictius intricati, mente conturbantur. De iſtis enim poteſt intelligi pro parte ipſorum quod dicitur per Pſalmiſtam: *Aſcendunt uſque ad cœlos*, non lingua obloquendo, ſed factis contra operando, *& deſcendunt uſque ad abyſſos*, in ſuis operibus contorquendo, *anima eorum in malis tabeſcebat*; ab operibus innocentiæ recedendo, non ab ea redeundo. Ideoque *turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum devorata eſt.* Alii quoque primo juventutis flore vigentes, nobiliſſimam rationem aut vilitate vitiorum (a) & mollicie animi laceſſitam, aut curſibus quaſi continuis, poſt feras inſiſtendo cum canibus tota die cornicitantes (b) ut vilem capiant ſuem, aut cervulum ſcabioſum turpiter irritant & hebeſcunt, ſui principatus gubernacula in ſui culminis vilipenſionem negligendo, non ſolum corpus & familiam fatiſcentes, ſed mortis periculis exponendo. De iſtis enim dicit Abacuch: *Ubi ſunt principes gentium, & qui dominantur ſuper beſtias quæ ſunt ſuper terram, qui in avibus cœli ludunt?* quaſi dicat: viam ſapientiæ dimittentes. Alii autem ex iſto genere hominum, & compaſſione ſimulantes cordi habere Dei negotium, & ejus injurias vindicare ſe jactantes, pecunias congregant, argentum & aurum theſaurizant, a ſubjectis & ſibi ſubditis pauperibus eccleſiis petitionibus violentis extorquendo, non tamen videntur hoc facere ut faciant, quod ſua ſimulatione repræſentant, ſed ut regna & principatus ſibi vicinos violenter rapiant, extorqueant & adjungant ſuo regno, principale negotium, de quo ſe jam jactaverant, differentes. De talibus autem poteſt intelligi quod ſubditur ei quod dixi auctoritate Abacuch: *Ubi ſunt, &c.* & qui argentum theſaurizant & aurum in quo confidunt homines, & non eſt finis poſſeſſionis eorum, qui argentum fabricant & ſolliciti ſunt, nec eſt inventio operum eorum, quaſi nec in tempore neque perpetuo pacificum dant eis profectum. Heu! hi omnes & quamplures alii alterius generis homines, non quæ Dei ſunt, ſed quæ ſua ſunt quærentes, ſuos inconſueto ritu theſauros abſque ſui honore & profectu, gloria Dei poſtpoſita expendunt inaniter & conſumunt, pauperes cautelis talibus qualibus in ſui dedecus & infamiam & animæ periculum ſpoliando. Heu! quid dicam amplius? utrimque ambitio, heu! utrimque avaritia, utrimque pauperum infortunia. *Utinam ſaperent ac noviſſima providerent.* Sed uſque nunc ut bene facerent intelligere noluerunt. Oro tamen ut viſitet eos Chriſtus, eorum voluntates inſpirando, ut propriam dimittant gloriam, & ſolam Dei quærant, & terræ ſanctæ recuperationem. Amen.

Explicit excidii Aconis geſtorum collectio.

(a) Victor. *otiorum.* (b) Victor. *cornicinantes.*

TRACTATUS DE EXPUGNATIONE URBIS CONSTANTINOPOLIS.

Ex mſ. codice Rubeæ-Vallis.

Incipit proœmium in tractatum de cladibus Conſtantinopolitanæ civitatis, quæ nuper anno a Nativitate Domini 1453. *fuit a Turcis expugnata, & Chriſtianis ablata.*

OB honorem Domini & notitiam poſterorum atque cautelam in futurum, dignum duxi recitandum ſub brevitate, qualiter nuper temporibus noſtris, ab iniquo Turcorum principe, diaboli utique membro, capta ſit & expugnata nobilis illa civitas Conſtantinopolitana, totius quondam Europæ imperium gerens & principatum: quæ pro certo priſtinis diebus omnium fuit laudibus extollenda. Nunc vero quia ſedet ſola civitas plena pridem populo Chriſtiano, princepſque provinciarum facta eſt ſub Turcorum tributo: non incongrue a fidelibus ejus miſeria nunc eſt dolenda, ac jugi lacrymarum imbre merito deflenda. Igitur priuſquam de recenti ipſius loqui atque tractare incipiam calamitate, in qua nunc eſt, & præcipue clades per quas ad hanc devenit: præconia ipſius ſub brevibus ruminans, ſitum & qualitatem ejus ſcire cupientibus fideliter intimabo, ut tanto major habeatur compaſſio de ipſius, in qua nunc eſt, miſeria, quanto notior fuit priſtina ejus commoditas & gloria. O inquam civitas Conſtantinopolitana; quanta, quam nobilis, quam jucunda, quam delectabilis, quam ſpecioſa, quamque referta es præ cunctis aliis urbibus mundi, eccleſiis & palatiis miro opere fabricatis rutilans ac reſplendens! O quæ ſpectacula, quæ mirabilia, quæ artificioſa opificia ex ære & marmore cælata continentur in te! Cingit te mare ex uno latere, muruſque inexpugnabilis: ex altero quidem murus immenſæ magnitudinis, turreſque in circuitu tuo, vallis & foſſa duplex. Denique Trinitatis cultor, Conſtantinus Auguſtus, te conſtituens eſſe triangularem, nomen ſcilicet & decorem addidit; omni præterea tempore frequenti navigio neceſſaria victus civitatibus pene cunctis abundanter adminiſtrans. Cyprus, Rodus, & Melitena, atque Corinthus, innumeræ quoque inſulæ, tibi quaſi matri officioſiſſime famulantur: Athena & Bulgaria, una cum tota Græcia ſubſunt providentiæ tuæ atque dominio, optima quæque bona ad te dirigentes. Præterea ex Aſia Romaniæ civitates & Europa atque Africa huic nobiliſſimæ civitati donaria mittere non ceſſarunt. In ea Græci, Bulgari, Alani, Comani, Veneti, Romani, Pygmatici, Italici, Daci, Angli, Malfetani, Turci quoque, atque alii gentiles multi, Judæi etiam & proſelyti, Cretes & Arabes, omniumque nationum quotidie in ea conveniunt multitudines. Heu! quomodo nunc obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum. Nunc bene poterit dicere illa quondam opulenta & illuſtrior univerſis: Nolite me vocare Noëmi, id eſt pulchram; ſed Mara, id eſt amaram, utpote quam adeo humiliavit Dominus & afflixit Omnipotens. Igitur de talis tantæque urbis captione locuturus ac vaſtatione, precor ut nulli ſim oneroſus: nam omnibus tollere cupiens cauſam tædii, brevitati operam dare contendam, quatenus auribus tardioribus, quod lectio brevis adminiſtrabit, non grave ſed acceptabile fiat: & delectantibus in hiſtoriis id quod ſub compendio collectum eſt, quamquam non comœdiam, ſed potius tragœdiam aggrediamur texere, id quod ſcripturi ſumus, intimatur utrumque & accommodum & utile.

Explicit prologus.

INCIPIT TRACTATUS loquens de certificatione tranſmiſſa per Franconem de Twayr, venerabili patri domino cardinali Avinionenſi, de cladibus & expugnatione præclaræ urbis Conſtantinopolitanæ per Turcos.

CAPUT I. *De obſidione urbis Conſtantinopolitanæ, & de numero adverſariorum ejus.*

ANno ab Incarnatione Domini 1453. quarta die menſis Aprilis, princeps Turcorum ſpiritu diabolico agitatus, & nimia ambitione repletus, præparavit ſe ab obſidendum, expugnandum, & obtinendum præclaram, egregiam, nobilem, ac famoſam, omniumque præconio digniſſimam urbem

Conſtantinopolitanam. Sequenti vero die illuceſcente, id eſt quinta Aprilis, præfatus princeps, exercitu ſuo pompoſe ſatis & ambitioſe præparato, circumcingens eam obſedit cum populo non pauco, imo copioſo. Fuerunt enim in ejus exercitu viri ducenta millia, e quibus fere ſexaginta millia præcellentis erant roboris & virtutis ad pugnam doctiſſimi, & in armis bellatores validiſſimi. Porro circiter triginta quinque ſeu quadraginta millia equeſtris erant ordinis, diverſimode armati, quorum quædam pars loricis ſeu conſtipatis diploidibus utebatur; quædam vero more noſtrorum plenis armis erat munita; quædam vero ad modum Hungarorum ſeu quorumdam aliorum bellatorum pileis ferreis quos galeas vocamus ſeſe tuebatur, & baliſtis, arcubus, gladiis, & diverſi generis inſtrumentis defendere ſe videbatur. Reſidua vero pars ejuſdem diabolici exercitus erat fere inermis, hoc excepto, quod quidam aut ſcuta ferebant, aut peltas ſeu umbones, ut Turcis moris erat: quorum filiorum Belial multi erant mercatores & mechanici, exercitum ſecuti, plus ut bellum viderent, ſeu propter lucrum: quemadmodum hiſtriones, adulatores, trutanni, vel ribaldi.

CAPUT II. *De copioſo apparatu inſtrumentorum bellicorum.*

Erant in exercitu prænominato valde multa fundibula & colubri ſive ſerpentes, aliaque perplurima hujuſmodi inſtrumenta. Inter quæ præeminebat unus bombardus æreus & fuſilis, integer & indivifus, emittens ex ſe, quod dictu mirabile eſt, lapides habentes in circumferentia rotunditatis undecim palmorum & trium digitorum menſuram: pondus vero tormenti hujus fere mille octingentarum extitit librarum. Inſuper illic fuerunt decem aut duodecim fundæ penſantes mille ducentas & octo libras in pondere: ſingulis diebus præparatæ ad jaciendum lapides, octoginta ſive centum vicibus qualibet die: & hoc 50. diebus continue. Quamobrem pro vero aſſeritur fundibularios hujuſmodi ſingulis diebus conſumſiſſe circiter mille libras quotidie in pulveres, qui ad jaciendos lapides requiruntur: quarum ſummam ſi colligere volueris, invenies quinquaginta millia librarum hujuſmodi pulveris.

CAPUT III. *De diviſione exercitus Turcorum & eorum capitaneis.*

Tali ordine ſuum princeps Turcorum diſpoſuerat exercitum, ut una ejus pars infeſtaret civitatem a terra, altera a mari. Ad portum autem qui eſt ad latus civitatis fuerunt circiter ſedecim galeæ, ſexaginta octo circiter galiotæ, atque decem & octo ſeu viginti alterius generis naves, quas ſcaphas vocare poſſumus pro tranſvehendis hominibus, ſeu pallandiones pro traducendis equis: aliorumque generum naves & naviculæ non paucæ. Capitaneus exercitus qui erat infra conſtitutus, dicebatur Sagambaſſa, conſiliarius & ſecretarius principis: cui major in belli exercitio poteſtas, & fidei ſinceritas ineſſe putabatur. Hic ſagacitate ſuaque induſtria transduci & tranſportari fecerat per terram viribus Turcorum, in ſpatio duorum vel trium milliariorum, circiter ſeptuaginta quinque galeas, aliaſque naves ad locum nuncupatum Mandagarim, ſecus civitatem Peram ſitum: alioquin non valuiſſent Turci pertranſire, ac civitati Conſtantinopolitanæ appropinquare: præſertim propter obſtaculum cujuſdam pontis per Chriſtianos compoſiti & compacti de navibus, vaſis & ſimilibus, a Conſtantinopoli uſque ad Peram, auxilii mutuo conferendi gratia: opemque ac ſuccurſum ſibi invicem adminiſtrandi. Igitur exercitus aquatici extitit capitaneus quidam, nomine Albitangoly, quem in paleſtra ſive duello ſubmerſerunt quatuor naves Januenſes, præliantem cum populo ſibi ſubjecto contra Chriſtianos. Illo igitur mortuo, princeps Turcorum alterum capitaneum navali exercitui præfecit. Sic igitur patet diſpoſitio bipertita exercitus, a terra videlicet & a mari.

CAPUT IV. *De fortitudine civitatis Conſtantinopolitanæ.*

Antequam hujus inclytæ civitatis recitemus lamentabile excidium: de ipſius robore & munitione ac fortitudine pauca loquamur. Conſtantinopolis itaque fortis eſt valde, formam in ſe continens figuræ triangularis: occupans in circumferentia laterali verſus terram ſedecim milliaria Lombardica, quinque vero verſus mare, & quinque ſimiliter verſus portum, ubi eſt communis applicatio navium, & ſtatio earum: & quinque apud locum qui Goulfa vocatur. Muri ejuſdem civitatis verſus terram ſpiſſi ſunt valde, ac verſus cœlum altitudine præſtantes. Speculas ſeu vigilum domunculas, & foramina pro fundis jaciendis in ſe plurima continentes. A foris vero muri principales, minoribus & brevioribus muris ad munimen circumcinguntur: qui & ipſi foſſatis circumſepti & vallati ſunt. Muri principales poſſident altitudinem viginti circiter paſſuum: latitudinem vero in quibuſdam ſuis locis ſeptem: in aliis autem octo paſſuum continent. Minores vero muri ſuper aggeſtum terræ conſtabiliti altitudinem ſedecim circiter aut quatuordecim cubitorum occupant: terra vero de ſubter eminens, & a reliqua planitie elevata protenditur viginti duobus cubitis. Latitudo foſſatorum præſcriptorum, viginti quinque tenet cubitos; profunditas vero decem, ut ait quidam; alii vero cenſent hæc foſſata viginti quinque circiter paſſus poſſidere in latitudine: & decem in profunditate ſive altitudine.

CAPUT V. *De numero virorum bellatorum, & ordine ipſorum.*

Fuerunt in hac nobili & famoſa civitate viri circiter viginti quinque ſeu triginta millia: ſex autem vel ſeptem millia expediti ad pugnam & ad bellandum fortiſſimi. Ad portum autem pro catena cuſtodienda deputatæ fuerunt triginta naves, & novem galeæ: videlicet duæ piratarum ad deprædandum, tres Venetorum ad mercandum, tres ex parte regis Conſtantinopolitani: & una quæ extitit cujuſdam generoſi armigeri qui ſtipendiarius erat imperatoris Conſtantinopolitani: & ab eo capitaneus conſtitutus fuerat Græcorum, qui vocabatur Johannes Juſtini.

CAPUT VI. *De pugna & conflictu utriuſque partis, & primo a parte maris.*

Civitate igitur Conſtantinopolitana ſic undique terra marique firmiter vallata & obſeſſa, illi qui intus erant, ſuo modo prout poterant, alacriter ſe defenderunt, & viriliter reſtiterunt, de longe ac de prope arcubus manualibus & baliſtis, fundis atque aliis diverſis armis bellicis repugnantes diebus quinquaginta. Infra hoc temporis ſpatium firmam Chriſtiani fiduciam conceperunt, ſperantes cum Dei adjutorio ſua præviſatione ac ſubtilitate poſſe ſe faciliter incendio tradere naves Turcorum cum ponte quem compoſuerant. Aſcendit itaque capitaneus galeæ Chriſtiani exercitus ſubtilem quamdam galeam, quatenus facilius & convenientius ad Turcorum cuneum pervenire valeret, & naves illorum concremare. Inſtigabat autem eum ad hæc maxime audacia ſuorum commilitonum, pleno corde auxiliari ſibi cupientium. Sed eorum conatus per adverſarios eſt fruſtratus: nam illorum mox galeam Turci fundis diſſipantes, quoſdam Chriſtianorum illic repertos hujuſmodi naufragio peremerunt. Quoſdam vero comprehendentes horribili ſupplicio diſcerpſerunt, & hoc ad terrorem aliorum Chriſtianorum. Nam eos crudeliter & immaniter laniantes, a ſubteriore parte ventris uſque ad ſummum ejus ſecantes, & more pecudum aut piſcium exenterantes, viſceribus inhumaniter patefactis, Chriſtianorum obtutibus probroſe præſentaverunt, ut ipſis hoc modo contumeliam facerent, ac de illis ſuas injurias quas in congreſſibus ſæpius ſuſtinebant, inſultus eorum perferendo, ſeſe vindicando talionem expeterent.

CAPUT VII. *Qualiter in fodiendo ſubterranea loca civitatis Chriſtiani & Turci obviaverunt ſibi.*

Ab altera parte civitatis verſus planiciem terræ obſeſſa, multitudini Turcorum præficitur capitaneus, ut præmiſſum eſt, Sangambaſſa, Albanenſis, apoſtata vilis, qui pridem Chriſtianus exiſtens catholicam nunc fidem abnegaverat: qui in exercitu ſuo plurimos habuit viros gnaros diverſi generis metalla fodiendi ex terra. Hi ergo capitanei ſui ſagacitate & calliditate inducti, ſubtus muros civitatis fodere cœperunt, per ſpatium fere viginti quatuor milliariorum, ad dejiciendum ac deſtruendum & annihilandum ipſos muros; ſed Chriſtianis intra urbem ex adverſo longe a muris identidem attentantibus, & eis obviantibus, contigit eos interdum inſimul convenire aliquando, multoſque Turcorum fumo & fœtore cadaverum periclitari & extingui, & vita ſub terra privari. Interdum etiam aquæ violentia noſtri illos ad interitum compulerunt, & ſic conatum eorum impedierunt.

CAPUT VIII. *De caſtro & ponte per Sangambaſſa conſtructis.*

Præfatus autem Sangambaſſa fieri conſtituit fortalitium caſtri lignei, magni, ampli, firmi & alti: adeo ut murorum civitatis celſitudinem excedere videretur. Similiter & pontem mira ingenioſitate fabricari fecit de vaſis, aſſeribus, trabibus & plancis, mille habentem paſſus in longitudine, & ſeptem in latitudine, ut ſui ad noſtros pertingere poſſint, ſuper mare ex tranſverſo ambulantes, & civitatis muris appropinquantes. Multas quoque machinas ſua adinventione atque induſtria fabricari mandavit, & diverſa carpenta ſive ſtallagia ad repugnandum altitudinis & latitudinis non minimæ. Egit etiam pene ſingulis diebus multos ac diverſos contra noſtros inſultus, in quibus multi ab utraque parte per ſubitaneam & improviſam mortem ſublati ſunt de medio. Sed ubi unus de civitate inventus eſt mortem incurrere, e diverſo centum de Turcis extra urbem interierunt.

CAPUT IX. *De Chriſtianis qui ſerviebant Turcis, & de certificatione mutua eorum quæ contigerunt & acta fuerunt apud eos.*

Fuerunt præterea in exercitu Turcorum multi ex Græcia & aliis partibus mundi, qui quamvis forent ſub Turcorum dominio conſtituti, non tamen coacti ſunt deſerere fidem ſuam, ſed cultum Chriſtiani dogmatis exercere permittuntur. Erant inſuper in præfato exercitu quidam Turcorum capitanei, qui ad invidiam & contemtum ipſius Sangambaſſa ipſos nimium aggravantis, cum tanta præviſatione decreverunt populo Chriſtiano qui in civitate obſeſſus tenebatur, modis quibus poterant notificare conſilia ſive tractatus atque commenta quæ fiebant in ſecretario principis eorum: & hoc per litteras ſeu epiſtolas fundis immiſſas, ſeu arcuum ſagittis admixtas, quas hoc modo in civitatem miſerunt: talique arte adinventa ſecretius eas ad noſtros direxerunt. Interea urbici

ita edocti ſunt per hujuſmodi prudentiſſimam audaciſſimamque adinventionem, atque ad notitiam eorum certiſſime devenit, principem Turcorum iniiſſe conſilium adverſus eos per ſpatium quatuor dierum, cum primoribus & baronibus atque comitibus ſuis.

CAPUT X. *De conſilio Colymbaſſa, qui ſuggeſſit principi ab obſidione diſcedere & ad propria redire.*

Erat in hoc Turcorum conſilio quidam generoſus vir nomine Colymbaſſa, qui principem ſuum nitebatur pro poſſe ſuo ad hoc inducere quatenus obſidionem civitatis diſſolvi juberet, & cum toto ſuo exercitu ad propria remearet, allegans pro ſe diſcretas ac rationabiles cauſas ad hæc inducentes & deſervientes, hæc vel ſimilia verba profe- »rendo. Ecce, præſtantiſſime domine mi: id »quod facere debuiſti & potuiſti, feciſti, nec »amplius, ut mihi viſum eſt, facere prævales, »cum ſatis ſit, ſervato honore tuo magnifico, »id egiſſe quod egiſti. Vel jam ergo ab incœ»pto deſiſtere moneo excellentiam tuam, ne »honorem quem huc veniendo amplexaris, »ulterius progrediendo perdere cogaris. Feciſti »enim adverſus hanc civitatem tot inſultus, »in quibus, ut cernis, tot ſunt millia homi»num de noſtris interemta, & illa manet im»mobilis & indemnis. Sed in hoc etiam in»feram: videſne urbem hanc nimiæ magni»tudinis & populoſam, atque ut ita dixerim »inexpugnabilem? Experimento nempe veraci »& certo didicimus, quod quanto plures ac»cumulantur ad exterminium hujus famoſiſſi»mæ civitatis procurandum, tanto eorum »globus minuitur & pauciores redeunt. Fue»runt ex noſtris plerique qui nuper conſcen»derunt muros ejus: ſed ſuæ audaciæ pœnam »luentes celeri præcipitatione repercuſſi ſunt »in ultionem tantæ præſumptionis. Audeo »denique & hoc ſuperaddere, quod ſi verum »eſt tu ipſe judicato: nullum prædeceſſorum »tuorum civitati huic in tantum appropin»quaſſe quemadmodum tu feciſti; nec aliquis »eorum præſumpſit ad tam vicina ejus loca »accedere, uti te feciſſe dies probavit heſter»na & ſimul hodierna. Idcirco cadat depre»catio mea in conſpectu tuo, & quod ſug»gero dignanter auſculta. Sufficiat, obſecro, »tibi laus & honor præſens potius potentiæ »omnibus promulganda magnitudine, quam »habitatores loci hujus nuſquam melius ex»perti ſunt, quam in tam propinqua appropia»tione moderna. Eſt quippe honor ſi ſane ſapis »non minimus tibi, de hujuſmodi tuo adven»tu cito per univerſum orbem dilatandus: qui »etiam ſi ab ampliori terræ hujus vaſtatione »ac populi ejus vexatione deſtiteris, tibi ſuffi»ciens permanebit in ævum.

CAPUT XI. *Quod princeps Turcorum his auditis deliberavit cum ſuis redire in terram ſuam.*

Hæc & his ſimilia proſequente Colymbaſſa non inſipienter, ad hoc jam princeps exercitus Turcorum inductus erat, ut pene decreviſſet ab obſidione inchoata diſcedere, & cum ſuis ad propria remeare, cum propoſito nullatenus redeundi: ſtatuens firmiter & mente concipiens conſtituere in loco ad quem fortunatiſſime devenerat, columnas duas æreas perpetuis temporibus duraturas, in memoriam videlicet in poſterum. Et ob recordationem futuri temporis, atque in ſignum præſentis eventus, quatenus omnes & ſinguli tranſeuntes per viam illam, eaſque conſpicientes, memoriæ commendantes hæc facta, reminiſcerentur ipſum dudum talia peregiſſe, qualia nec quiſquam ſuorum prædeceſſorum ne dicam actitare, ſed nec attentare quidem præſumpſit. Nuſquam enim aliquis Turcorum princeps hanc audaciam ſibi aſſumpſit, ut tali tantæque civitati, veluti præfati ſumus, in tantum præſumeret ullatenus approximare. Hoc ergo fuit ſentimentum Colymbaſſa quod ſupra retulimus, quod tantum valuit apud principem Turcorum, quod ſi non interceſſiſſet aliud, protinus mandaſſet illud executioni.

CAPUT XII. *De conſilio Sagambaſſa peſſimi capitanei.*

Porro Sagambaſſa erat alterius ſentimenti & opinionis, ut ex ſequentibus patet & rei docet eventus, nam cum ejus quoque conſilium requireretur ſuper hac re, fertur tale ad principem de cordis ſui faſtu & ſuperbia dediſſe reſponſum. O inclyte ac præpotens « dominator domine, oſtendiſti veraciter hic « maximam tuæ virtutis probitatem. Ecce ma- « gnas de hac civitate hinc inde murorum pe- « cias conterens dejeciſti, & jam intento tuo « pro media parte conſecuto, deſperatione « mentis turpiter victus, de cetero ceſſare de- « liberans, id quod laudabiliter cœpiſti ma- « gnanimiter conſummare detrectas? Certe « dimidium facti qui bene cœpit habet. Au- « di ergo meum conſilium, obſecro, pro « tua clementia, & quod ſuggero dignanter « auſculta. Ecce enim parati ſumus in perſi- « ciendo quod reſtat tibi viriliter aſſiſtere, & « annihilatione & confractione reliquæ partis « murorum quæ remanſit, indeſinenter tibi « collaborare. Conſcendamus ergo forti ani- « mo adhuc ſemel, & omni timore procul « pulſo, ſaltem unica demum vice ſuper ci- « vitatem inſultum faciamus. Et ſi quidem va- « luerimus eam debellando ſuperare, merito « glorioſior tibi aſcribetur triumphus: ſi quo « vero minus tibi in hac parte fortuna quam « placuerit arriſerit, & non potuerimus eam « ad votum obtinere; faciemus cum ipſa pa- «

» cem, aut dabimus ei treugas, eo pacto quo A
» placuerit tibi.

CAPUT XIII. *Qualiter princeps Turcorum hujus consilium est secutus.*

His auditis, princeps commendavit sentimentum & suggestionem hujus capitanei, & satis credulus, fidemque verbis ejus adhibens, & approbans per omnia id quod proposuerat; tandem consentiendo jussit ita fieri quemadmodum ille suggesserat. Interim prævisati hi satis fuerant, qui erant intra civitatem ab hostibus obsessi, & informati per litteras cautelose, ut est prædictum, intromissas intra civitatem, de tractatu habito inter principem Turcorum & ejus capitaneos, & de conclusione finali, qualiter videlicet adhuc unicum insultum sustinerent urbici. In quo si subsistere ac invicti remanere possent, absque dubio hostes ab obsidione recedere cogerentur. Confortantes igitur & cohortantes se mutuo, ut viriliter se opponerent, ac resisterent parti adversæ, saltem per spatium duorum vel trium dierum: post quas exercitus Turcorum, ut sperabant, dissipari deberet, & obsidionem solvere atque singuli quique hostium ad terram propriam redire.

CAPUT XIV. *De jejunio Turcorum.*

Hic igitur erat ordo congressus, quem princeps Turcorum observare disposuit ante futuram murorum conscensionem, ac civitatis iteratam & ultimam debellationem, secundum datum sibi consilium per nequam illum acerrimumque secretarium quem sæpe diximus, Sagambassa, & sequitur in hunc modum. Itaque die sequenti, videlicet triduo ante dispositum insultum, indixit princeps Turcorum exercitui suo solemne devotumque secundum exigentiam suæ legis jejunium, in honorem scilicet ac reverentiam solis, quem pro Deo colebat, amplectens afflictionem & abstinentiam cum omni populo suo, tribusque diebus continuis usque ad solis occubitum nihil omnino cibi corporalis degustans. In fine vero cujuslibet diei, corpora largioribus epulis & potibus reficiebant, ea intentione, ut fertur, ne nimia famis inedia debilitati, deficere in congressu belli ac succumbere cogerentur. Tempore vero nocturno ignem copiosum construentes accenderunt, luminaria quoque ac faculas & ligna secum habentes, de per se, arte, ut creditur, diabolica, contra communem naturæ regulam, in mari simul ardentia & in terra. Sonitu tympanorum & aliorum instrumentorum musicorum ipsum mare quodammodo tinnire faciebant. Tubis enim numquam vel raro utebantur, quia earum copiam non habebant.

CAPUT XV. *De ordinatione exercitus ac lento congressu Turcorum.*

His ita sese habentibus, utitur princeps deliberatione permaxima, hæsitans intra se quali ordine conscendere valeret, convenientiori modo quo posset nitendo ad expugnationem & captionem civitatis. Cives autem, ut prædiximus, invicem sese hortabantur viriliter agere, & magnanimiter se defendere, sagaciter facientes præparamenta ad resistendum. Princeps vero Turcorum super omnia cautus, paulatim occulte lenteque civitatem aggredi incipiens, in sero vigesimæ octavæ diei mensis Maii ordinavit suum exercitum sub modo & forma sequentibus. Biglardi dux exercitus Turcorum ordinatus & constitutus erat cum viginti millibus bellatorum ad portam civitatis vocabulo Pichi, ubi maximus putabatur instare resistendi insultus. Colymbassa vero consiliarius principis, amicus tamen & fautor Christianorum, Sagambassa quoque secretarius ejusdem, fere cum tertia exercitus parte constituti fuerunt ad portam S. Romani, quæ distabat per spatium fere unius milliarii a porta Pichi. Ebigleobet quoque generalis capitaneus Græcorum erat deputatus ad latus Galligane, in oppositio videlicet regalis palatii, ubi hostes, sicut superius dictum est, sub terra fodere cœperant ante hunc congressum: qui locus distat à porta Pichi Romani duobus fere milliaribus. Sagambassa vero Albanensis, Christianæ religionis prævaricator, erat constitutus in mari, versus civitatem Peram, cum abnegationis suæ sociis, & Mahometicæ sectæ sequacibus, qui cum eo fidem Christi abdicaverant præ timore Turcorum.

CAPUT XVI. *De hostium aggressu, conscensu, & insultu valido.*

Ordinatione bellatorum ita expedita, restat jam ut succincte de hostium invasione loquamur. Hi perinde qui se in civitate, prout poterant, tuebantur, restitere viriliter: sed locus versus portam S. Romani, quia nimium bassus erat, parumque obinde munitus, faciliorem adversariis conscendentibus præbebat transitum. Illic quoque muri minus erant fortes, quorum non minima pars diebus præteritis fuerat ab adversariis comminuta. Itaque specula quædam illuc jactu fundæ ad terram prostrata est: media quoque pars murorum illius lateris per spatium fere ducentorum passuum dejecta. Erant quippe illic tot fundæ atque colubri in aëre volitantes, in tanta copia, ut sua densitate aërem viderentur obnubilare. Illi vero qui de civitate erant, prout poterant muros suos reparando erigebant, obstruentes eos terra & vasis, ac lignis: quibus refarcitis per aliquod tempus sese defendebant secundum possibilitatem suam, ea cautela & modo ac practica, quas

quiverant

quiverant in tali neceſſitate conſtituti excogitare.

CAPUT XVII. *De nobili domino Johanne Juſtinienſi, & opere atque induſtria ejus.*

Erat hoc in loco intra civitatem conſtitutus capitaneus quidam cui nomen erat Johannes, vir nobilis, natione Januenſis, qui eo tempore imperatori Conſtantinopolitano deſervivit ſub tributo. Hic ſe in omnibus exhibuit audacem & virilem, velut alter Machabæus, in cujus poteſtatis præminentia totus cuneus bellatorum omnem ſpem ſuam & fiduciam poſt Deum præ cunctis mortalibus illius ævi ſtatuerat. Qui oſtenſurus potentiam ſuam, & induſtriam qua callebat ad faciendum quod cogitavit & valuit, duobus vexillis paratis, ac decem millibus virorum fortium electis pro cuſtodia corporis ſui, propter nimiam violentiam & copiam adverſariorum, juxta caſtellum ligneo compactum opere, de quo ſupra tactum eſt, illic procuravit & adeſſe juſſit ſedes & ligna atque ſtallagia, aliaque inſtrumenta ad repugnandum neceſſaria; cœpitque mœnia & foſſas quæ deintus erant replere, ac pontibus æquare reliquæ terræ, quatenus abſque impedimento poſſet cum ſuis hoſtibus occurrere ex adverſo venturis.

CAPUT XVIII. *De ejuſdem domini Johannis vulneratione, & civitatis ab hoſtibus devaſtatione.*

His ita ſe habentibus, præfatus dominus Johannes Juſtinienſis in congreſſu cum hoſtibus jactu colubri cujuſdam graviter vulneratus eſt: qui ſtatim lethalis quodammodo vulneris ictu ſequeſtrans ſe ab exercitu cui capitaneus fuit deputatus, ad medicandum ocius properavit, ſuam commendans cuſtodiam, & populum ſibi ſubjectum duobus aliis viris nobilibus Januenſibus. Et ecce dum unius mortis cauſa ſollicitatur, plurimorum ſalus periclitatur, ut ex his quæ ſequuntur evidenter comprobatur. Denique dum hæc aguntur, intempeſta nocte jam lucis initia vix attingente, ex improviſo Turci muros civitatis alacriter conſcendunt, videntibus his qui intra civitatem erant, cuſtodientes vigilias noctis. Abſente igitur præfato domino Johanne Juſtinienſi qui curationis neceſſitate diverterat ab exercitu ſuo, hi qui ſubtractionis ejus cauſam ignorabant, putantes eum fugæ metuſve occaſione declinaſſe, ac præſentiam ſuam ſubtraxiſſe, fugæ præſidium & ipſi quæſierunt, non præviſati ſe defendere contra inſultus adverſariorum, abſente capitaneo ſuo. Sic ergo Turci nocte civitatem Conſtantinopolitanam (proh dolor!) intraverunt, per muros ſcandentes, circa auroram vigeſimæ octavæ diei menſis Maii: omnes interſicientes a minimo uſque ad maximum, qui eis reſiſtere ac ſe defendere tentare auſi fuerunt; quodque execrabilius eſt & horribilius ſonat in auribus piorum, abutentes reliquiis ſanctorum, tamquam inſani & rabidi canes, inſuper injuriam, contumeliam & irreverentiam maximam exhibuerunt ligno vivificæ Crucis Domini noſtri Jesu Christi, ſimulque imagini ſanctæ atque intemeratæ genitricis ejus, glorioſæque V. M. quam etiam effigiem velut beſtiæ peſſimæ in lutum furibunde atque ignominioſe projicientes, pedibus ſuis abominabiliter & deſpectiſſime calcaverunt, quod nullo dubio ſcelus nullo modo patietur is qui patientiam longanimiter in hominum peccatis exhibet inultum remanere, licet ad tempus ſilere parumper videatur.

CAPUT IX. *De civitate Pera, & pacto ejus cum Turcis.*

Expugnata igitur ac depopulata tam inclyta civitate, & redacta ſub manu hoſtili, Pera urbs fortis, quæ eſt vicina Conſtantinopoli, nullum adhuc inſultum ſuſtinuerat ab hoſtibus: quin immo major pars populi erat tunc in Conſtantinopoli, cum daretur in manu hoſtili ut auxilium ferret illi. Hi vero qui remanſerant in urbe Pera, necdum cum mobilibus ſuis bonis & utenſilibus melioribus quæ poſſidebant fugam captantes alicubi confluxerant: ſed nimio terrore perculſi intra ſua mœnia ſeſe hactenus recolligebant. Qui cum ſe manus Turcorum evadere poſſe deſperarent, inito prudenti conſilio, præſertim cum nec viribus prævalere adverſus eos valuiſſent, in hoc unanimiter conſenſerunt, ut principi Turcorum claves civitatis ſuæ tranſmitterent, eique ſeſe ſuoſque atque ſua ſponte ac promte recommendantes, ipſius voluntati atque beneplacito una cum civitate offerrent, expectantes ac ſperantes in hoc magis divinum auxilium quam humanum; iſtud nempe ſæpe fallit, illud vero tribulatis ſemper adeſſe novit. In hac quippe civitate fuerunt circiter ſeptem millia virorum, qui ſicut aviſaverunt, ita & fecerunt. Venit nihilominus fugere coacta neceſſitate magna pars virorum ac mulierum navigio de civitate Januenſi, & inſuper vidit Jacobus Tedaldi prænominatus navem eminus venientem, alteram mulieribus plurimis onuſtam, a Turcis nequiter & callide prædatam.

CAPUT XX. *De morte regis Conſtantinopolitani & evaſione Jacobi per mare natantis.*

Interea rex Conſtantinopolitanus ad extrema devolutus mortem invenit, narrantibus de illo quibuſdam, quod capitis detruncatione vitam finierit, aliis vero dicentibus quod in tranſitu portæ dum fugere tentaret, hoſtibus occurrentibus, morte præoccupatus defecerit. Et revera utrumque rationabiliter

credi poteſt, ut & in porta primo ſit interceptus, & poſtea decollatus. Interea galeæ quædam Venetorum ad terram ſanctam properantes, & aliæ multæ præſtolantes in mari a mane uſque poſt meridiem in tuto loco ſe ſervabant juxta urbem devaſtatam, deſiderantes vitam Chriſtianorum ſervare incolumem & illæſam. Venerunt autem ex illis fere quadringenti fugitivi, intra quos erat ille Jacobus Tedaldi nobilis Venetus, qui duabus fere horis ſuper muros civitatis ſeſe cum populo ſibi ſubjecto viriliter defenderat poſt introitum Turcorum. Tandem refluxum maris adeptus, exſpoliavit ſe veſtibus, & miſit ſe in illud, natando pertingens uſque ad prædictas galeas, & petens ut ab eis aſſumtus poſſet aliquatenus perduci illæſus ad ripam: quod & factum eſt.

CAPUT XXI. *De navibus a Turcis ſubmerſis & captis, & quibuſdam intempeſtive venientibus.*

Turci vero devaſtando ſubmerſerunt navem quamdam octoginta ducatorum, diripientes inſuper circiter quatuordecim naves alias, quarum tres continebant ſexcentos bottos, reliquæ vero erant ducentorum vel trecentorum bottorum, inter quas erant galeæ & gallotæ quæ fuerant eo miſſæ ad defenſionem & reſiſtentiam deputatæ. Hæ præcedenti die ante civitatis vaſtationem mare legentes, ad locum cui vocabulum eſt ad Pontem magnum applicuerunt. Omnes vero naves fuerunt fere num. ducentæ quadraginta, Venetique miſerant obſeſſis in auxilium novem galeas & viginti naves alias grandes bene proviſas, quas applicuerunt ad magnum Pontem ſequenti die vaſtationis ſæpedictæ civitatis. Occubuerunt autem ſeu perierunt in præfatis navibus ſeu alio quovis modo nobiles Veneti circiter triginta quinque, & alii plebeii viri numero quadraginta, quorum animæ ſempiternam mereantur requiem invenire.

CAPUT XXII. *De præda Turcorum ex Conſtantinopoli, & damno aliarum civitatum.*

Fertur quod præda quam Turci de capta civitate diripuerunt, valebat quadraginta millia ducatos, damnum vero quod perpeſſi ſunt Veneti in hoc excidio fuit fere quadraginta millium ducatorum, non minus vero damnum Januenſium fuiſſe creditur. Florentini quoque viginti millia ducatos amiſerunt; Anchonenſes vero quindecim. Anchona noſtra civitas eſt amœna & pulchra ſupra littus maris ſita: in qua dominus Pius papa ſecundus communis naturæ debitum ſolviſſe dicitur. Hæc autem ſunt armamenta ſeu vaſa bellica, quæ Veneti prædictæ civitati Conſtantinopolitanæ pro defenſione mutuaverunt & perdiderunt: octoginta fundibulæ magnæ, 7000. brigandi, 4000. colubri, 4000. quadrigæ cum baliſtis, 7000. foſſoria, 7000. igniferas patellas, 12000. uncos, 2000. ſecures, 7000. mallei, 4000. ſitulæ, 7000. vaſa vinalia pro potibus, 7000. bigas, 4000. ligones, & alia inſtrumenta pluſquam 4000. Item 6000. equeſtres, & 16000. pedeſtres, & 400. galeæ ſolutæ pro integro anno.

CAPUT XXIII. *De ætate & conditione principis Turcorum.*

Narrantibus his qui cum principe Turcorum aliquando converſati ſunt, & ejus ſtatum optime noverant, conſtat illum fuiſſe tunc temporis viginti trium circiter annorum. Ferunt quoque ipſum pluſquam dici vel cogitari poſſit, delectari in humani ſanguinis effuſione: propter quod invenitur anhelo pectore quotidie ſtragem ſitiens, ambitioni indefeſſe ſtudens, damnationes ardenter affectans, bella continue deſiderans, diſcordias inſatigabiliter fovens, triumphos modis omnibus amans, principatum totius orbis affectuoſiſſime diligens, immo pluſquam Alexander Magnus, Julius, vel Auguſtus, vel alii quique potentes imperatores hujus mundi. Æſtimat denique majorem & ampliorem virtutem & potentiam ſe habere, quam omnes qui fuerunt ante ipſum; quapropter coram ſe recitari facit annales hiſtorias temporum antiquorum, quatenus ex his poſſet latius de ſingulis informari, ut tandem pervenire poſſet ad Venetos & Romanos, & notitiam de duce Mediolanenſi ac ejus potentia haberet. Verſatur namque ſicut præfati ſumus principalis intentio ſua circa belli negotia pugnæque victorias, dicitque ſe velle ſtatuere ſolium ſuum regni apud Conſtantinopolim, conſtructurum ſe illic affirmans miro opere pontem, qui magnus erit & fortis, longus & latus. Ex quo veriſimiliter propenditur nullum incolarum illius loci de ipſius adventu fore gaviſurum, ipſum præſtolando, ſed potius malle ſibi tranſmittere civitatis claves priuſquam appropiet, maxime cum violentia & potentia ſua obtinuit famoſiſſimam fortiſſimamque civitatem, quæ pro certo tanti dicitur fuiſſe roboris, ut vix umquam æſtimaretur ab ullo principe, duce, vel rege poſſe obtineri.

CAPUT XXIV. *Qualiter audacia Turcorum poſſent Chriſtiani facillime reſiſtere.*

Licet exercitus Turcorum copioſus ſit & immenſus, ſubtilis, audax atque ſtrenuus in rebus bellicis, ob mundi hujus favorem ſeſe mortis diſcrimini paſſim dando, poſſent tamen Chriſtiani eidem obniti, ac etiam prævalere per modum qui ſequitur. Nam apparet quod princeps eorum ætate petita nihil aliud fecit, quam quod proinde quieti operam dedit: deliberans ad civitatem Conſtantinopolim venire, ac reſidentiam illic facere quatenus hoc modo circum adjacentes pro-

vincias & civitates abſque bello & congreſſu pugnæ obtinere poſſet. Sed in rei veritate nulli ſit dubium, quin ſagaciſſime cauteque in contrarium ſeipſos præparabunt Turci terra marique futuris temporibus. Chriſtiani vero ſi confiſi in eo qui aſſolet ſe invocantibus promptus piuſque ſemper auxiliator exiſtere, viriles ſe reddiderint: non fugarent eos ab inde tam cito extra terminos quos apprehenderunt: quin immo uſque in ſæcula ſempiterna terras alias copioſas, bonas & ſpatioſas, fertileſque adepturi ſunt, ipſo Deo propitio, ſed modus quo id facilius poſſet, agnoſcatur qui ſequitur. In primis putamus neceſſarium fore, quod ante omnia bonum pacis inter Chriſtianos principes firmetur, ſine quo nil boni proculdubio conſtat poſſe uſque in finem firmari. Neceſſarium igitur eſſet quod Veneti, Mediolanenſes, Florentini, ceterique principes Italici inter ſe mutuo compaginarentur, & exhiberent exercitum viginti millium equitum: habeant quoque ii ſic uniti bonos & electos capitaneos, qui eos traducant uſque in Albaniam verſus partes Chriſtianorum, quia notum eſt illic fore optimam fertilemque terram, ubi ſine dubio ſecuri eſſent: in brevi tempore multiplicandi per additamentum Albanorum & Sclavorum, aliorumque circumcirca, qui libentiſſime Chriſtianorum legi defendendæ ſeſe promptiſſimos exhiberent. Hoc autem exercitu ſic ordinato ac diſpoſito, jam ruſſus alium maritimum exercitum conveniret provideri per regem Aragonienſem ſeu Avinionenſem, per Venetos, Januenſes, & Florentinos, ac per alios in inſulis magnis ſitos. Eſſent namque ii ſatis potentes, ad expugnandum, invadendum, fugandum & diſperdendum Turcorum exercitum, ſaltem ſi non excederet murum ante Conſtantinopolim congregatum. Et iſte navalis exercitus pergere deberet verſus Nigrum Pontem ad obtinendum Sagripolim, aliaſve urbes ſub Turcorum dominio conſtitutas, & hoc ad impediendum tranſitum eo de Turcia in Græciam. Optimum denique videretur, quatenus Cæſar cum Hungaris atque Bohemis, & circumadjacentibus populis in hunc modum procederet, ordinabiliter conſtituendo concordem aciem pergentem verſus Græciam per Andrinopolim, reliquaque loca ſub Turcorum protectione conſtituta. Servent inſuper modum hunc atque ordinem ſinguli exercitus, ut ſint in determinatis locis, ut valeant ſibi invicem notificare ſuos eventus.

CAPUT XXV. *Quod multi Chriſtiani coacti ſervire Turcis mallent, ſi poſſent, ab eodem liberari & noſtris adhærere.*

Princeps Turcorum hoc in tempore vires quas valuit exercere curavit; habens in exercitu ſuo parum pluſquam ducenta millia bellatorum, connumeratis etiam ineptis, inter quos tamen multi Chriſtiani reperti ſunt, qui ſequuntur cum coacti & inviti, omni deſiderio præſtolantes Chriſtianorum auxilium futurum, qui eis ſuccurſum & juvamen ferre poſſent, quatenus a Turcis liberari, & ad propria redire poſſent. Iſte præfatus princeps Turcorum bella exercens, pro conſuetudine habet in nulla civitate vel caſtro pro tunc reſidere; ſed frequenter aut in campis aut in pratis cum populo ſuo conſiſtere. Ex quoper penditur ejus de facili debilitari poſſe potentiam; maxime quia Chriſtiani ab eodem angariati, ad noſtros occaſione inventa confugientes, ipſis eſſent in hoſtes, nobis autem in præſidium, & firmamentum. Caramaym quoque vir magnus ac præpotens, ac validus inimicus eidem principi Turcorum, ſi eum per noſtros certificari contingeret de Chriſtianorum adventu, permaximum inferret illi damnum, atque de facili noſtræ fidei adhæreret.

CAPUT XXVI. *Quod princeps Turcorum faciliter decipi poſſit, & niſi id fiat, periculum imminet Chriſtianis.*

In Græcia vix aliquis reperiri poſſet, qui Turcis miniſtrare victualia dignaretur, & ſic Turcia fame laborans, a militia de Rodos citius vaſtaretur. Inſuper Chriſtiani Græci terras ſuas ſub Turcorum imperio ſitas manu armata eos expugnando requirerent & obtinerent; ſicque noſtris paulatim appropiantibus ab omni parte, nulli dubium quin Turcorum potentia in brevi deficeret præ ſtipis inopia: ſi ſaltem hæc quæ protulimus cum diligentiæ cautela per providentiam veſtram, Domine, juberentur actitari. Si vero hoſti noſtro tribuatur loci & temporis opportunitas, interveniente incuria, deſidia, & negligentia noſtra: qua percepta, ſibi de omnibus neceſſariis provideat terra marique, veraciter fateri cogemur, ſolum reſtare nos omnes mercenarios & ſervos, venditos, infelices & miſeros futuros. Quod autem ipſe dignetur qui ſuos in præſenti a malo dignatus eſt eripere, & in bono ſua gratia ſemper conſervare, atque poſt hanc caducam & miſeram vitam futura pollicetur præmia ſe daturum, peracto certaminis labore, Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ego igitur Simon de Ympegem filius quondam Reyneri de Ympegem hanc certificationis ſcedulam domino cardinali Avinionenſi tranſmiſſam per Franconem de *Tvvayr* ad finem uſque produxi in civitate Piſienſi: in monaſterio beati Johannis Lateranenſis, anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, in ſolemnitate Purificationis beatæ Mariæ Virginis.

Explicit hiſtoria de cladibus civitatis Conſtantinopolitanæ.

CHRONICON ANGLICANUM
AB ANNO MLXVI. AD MCC.
AUCTORE RADULFO COGGESHALE ABBATE.

Ex mſ. codice biliotheca Pariſienſis S. Victoris.

OBSERVATIO PRÆVIA.

DE Radulfo abbate Coggeshalenſis monaſterii egimus ſupra in obſervatione prævia ad ejus Chronicon Terræ ſanctæ, ubi præclara eruditorum virorum de eo retulimus encomia: adeo ut mirari libeat tam eximium auctorem, apud ſuos adeo celebratum, hactenus in tenebris delituiſſe. Sed neque hic non poſſumus Anglorum reprehendere negligentiam, qui hiſtoriæ patriæ ſuæ tam curioſi editores hactenus viſi, Radulfi lucubrationes quas non immeritis laudibus certatim efferunt, in lucem proferre poſthabuerunt. Ne quid igitur Anglicanæ deſit hiſtoriæ, atque ut de ampliſſima & inclyta natione benemereri valeamus, ejus Chronicon ab anno MLXVI. *ad* MCC. *quod in Cottoniana bibliotheca reperiri monet Oudinus, hic ſtatuimus edere ex pervetuſto codice Pariſienſis S. Victoris monaſterii, auctoris ævo conſcripto, ubi cum ejuſdem libello* de Motibus Anglicanis ſub Johanne rege, *uno eodemque tenore, tamquam ejuſdem ſcriptoris, ſubjicitur illius Chronico Terræ Sanctæ. Et certe idem utriuſque operis eſt ſtilus, eadem ſcribendi ratio: de Coggeshalenſis monaſterii ſui fundatione, deque primis illius abbatibus agit, nec pauca etiam de ſuis Ciſtercienſibus refert. Denique citat etiam librum ſuum Viſionum.*

ANno ab incarnatione Domini MLXVI. Wilhelmus dux Normannorum contracto a partibus tranſmarinis innumerabili exercitu, in Angliam applicuit apud Haſtenges, ac juſto Dei judicio die S. Calixti papæ regem Haroldum, qui imperium Angliæ injuſte uſurpaverat, regno ſimul ac vita privavit: quamvis quidam contendant ipſum Haroldum inter occiſos delituiſſe, nocturnaque fuga lapſum poſt multas peregrinationes, apud Ceſtriam eremiticam vitam duxiſſe, & uſque ad ultima tempora regis Henrici II. in ſancto propoſito perduraſſe.

Robertus cognomento *Cumin* cum DCC. hominibus ſuis in Dunhelmo occiditur: unde rex W. iratus, totam depopulatus eſt Northumbriam.

Malcolmus rex Scotorum terram regis Wilhelmi ferro flammiſque devaſtare cœpit. Lanfrancus in archiepiſcopum provehitur.

Malcolmus regi Wilhelmo occurrens, in loco qui dicitur *Abernith* ei homagium fecit.

Rex Wilhelmus Cinomanis ſibi ſubegit.

MLXXI. Tria monaſteria a tribus monachis inſtaurata ſunt; unum Dunhelmi,

aliud Eboraci, tertium apud Werltebi.

Marcolmus totam Northumbriam uſque ad fluvium Tine devaſtavit. Robertus *Curtehoſe* novum caſtellum ſuper *Tine* condidit.

WALCHERUS Dunhelmenſis epiſcopus a Northimbrenſibus occiditur.

Rex Wilhelmus deſcribi fecit omnes barones & feudatos milites, & quot carucatas terræ quiſque habebat, & reditus poſſeſſionum.

MLXXXVII. Rex Wilhelmus in Franciam cum exercitu venit, atque oppidum quod Mantua dicitur, cum eccleſiis combuſſit, ubi & duo recluſi combuſti ſunt; indeque cum gravi viſcerum cruciatu Normanniam rediens, Wilhelmo filio ſuo regnum Angliæ tradidit, ſicque defunctus eſt v. iduum Septembrium die, & Cadomi ſepultus, poſtquam xx. annis, menſibus x. & XXVIII. diebus genti Anglorum præfuit, cui ſucceſſit in regnum Wilhelmus filius ejus, & Robertus *Curtehoſe* primogenitus in ducatu Normanniæ.

MLXXXIX. LANFRANCUS Dorobernenſis archiepiſcopus obiit. Tertio idus Auguſti terræ motus permaximus per Angliam extitit.

MXCIII. Rex Wilhelmus ANSELMO Beccenſi abbati archiepiſcopatum Cantuariæ, & ROBERTO BLOIET Lincolnenſem dedit præſulatum. Rex Scotorum Malcolmus, & Eduardus filius ejus cum multis aliis a militibus Roberti Northanhumbrorum comitis occiſi ſunt. Quo audito, regina Margarita præ dolore decidit in ægritudinem, & tertia die vitam finivit. Scoti regem ſuum Dunecanum peremerunt, & Duvenaldum conſtituerunt.

MXCV. URBANUS papa concilium tenuit apud Clarum-montem, hortatuſque eſt Chriſtianos proficiſci in Jeruſalem ad debellandos paganos. Cujus hortatu quamplurimi cruce Chriſti ſignati, ad illud iter aggrediendum ſe paraverunt; quorum duces primates erant Podienſis epiſcopus, comes S. Ægidii Reimundus, Hugo Magnus Philippi Francorum regis germanus, dux Lotharienſis Godefridus, & Baldewinus frater ejus; comes Stephanus Bleſenſis, Robertus comes Flandrenſis, Robertus *Curtehoſe* dux Normannorum, & Boamundus Roberti Wiſcardi filius. Hoc anno fuit motio Chriſtianorum euntium in Jeruſalem ſuper paganos.

Guillelmus rex Cinominenſem civitatem ſuæ ditioni ſubegit.

Antiochia a Chriſtianis capta eſt IV. nonas Julii feria IV. & lancea qua mundi Salvator vulneratus fuerat, S. Andrea revelante, inventa.

MXCIX. Idus Julii feria VI. Jeruſalem a Chriſtianis capta eſt, & dux Godefridus ab omni exercitu in regem eſt electus. Obiit URBANUS papa.

MC. Wilhelmus rex junior in nova feſta cum fuiſſet venatu occupatus, a quodam Franco Gualterio cognomine *Tirol* ſagitta percuſſus vitam finivit IV. nonas Auguſti feria quinta, cum regnaſſet XIII. annis XXXVIII. diebus minus. Cui ſucceſſit frater ejus Henricus in regnum; & mox nonis Auguſti die Dominica in Weſt-monaſterio a MAURITIO Londonienſi epiſcopo in regem eſt conſecratus. Die vero S. Martini conſecrata eſt Mathildis filia regis Scotorum Malcolmi in reginam ab ANSELMO archiepiſcopo.

MCI. Robertus *Curtehoſe* dux Normanniæ rediens ab Jeruſalem cum navali exercitu applicuit apud *Portesmuthe*, regem Henricum fratrem ſuum expugnaturus; ſed mediantibus utrorumque baronibus locuti ſunt ad invicem rex & dux de pace & concordia. Iterum motio facta eſt euntium Jeruſalem.

ANSELMUS archiepiſcopus tenuit concilium cum omnibus Angliæ epiſcopis, ac plures abbates tam Francigenos quam Anglos, quia inhoneſte ſe habuerunt degradavit, cunctiſque prohibuit preſbyteris diutius uxores habere.

Corpus S. Cuthberti incorruptum & flexibile inventum eſt poſt annos cccc. & XVIII. depoſitionis ſuæ, & una cum eo caput ſancti Oſwaldi regis & martyris, & reliquiæ ſancti Bedæ inclyti doctoris.

Henricus rex Angliæ tranſiens mare, Bajocenſem civitatem cum eccleſia B. Mariæ, quæ intus erat, combuſſit. Tunc etiam Roberto fratri abſtulit Cadomum.

MCVI. Robertus dux Normanniæ apud *Tenerchebrat*, vigilia S. Michaëlis a fratre ſuo Henrico capitur, & cum eo comes Wilhelmus de Moretonio, & Robertus de *Stutevile*, & plures alii, & ſic ab illo die tota Normannia regi Henrico ſubjecta eſt. Dux vero Robertus in quadam turri relegatus eſt uſque diem obitus ſui.

Rex Henricus conſtituit legem ut fures & latrones ſuſpenderentur. Monetam quoque corruptam & falſam qui deprehenſus fuiſſet facere, ſine ulla redemtione oculos & teſticulos amitteret. Philippus rex Francorum obiit, cui ſucceſſit Ludovicus filius ejus, qui genuit VII. filios & unam filiam, Philippum, qui fuit inunctus in regem, de quo inauditum contigit infortunium. Cum enim quadam die per Pariſius equitaret, ab uno porco diabolico offenſus equus cecidit, & ſeſſorem ſuum ad ſilicem contrivit, & nocte ſequenti ſpiritum exhalavit, & ſtatim Ludovicus frater ejus ab INNOCENTIO coronatur petitione patris. Tertius filius regis fuit HENRICUS monachus Clarevallenſis, & poſtea Remenſium archiepiſcopus. Quartus Robertus comes Drocenſium, pater Roberti comitis *de Parthe*, & epiſcopi Belvacenſis, & epiſcopi Aurelianenſis. Quintus filius fuit Philippus clericus. Sextus Petrus qui duxit filiam Reginaldi de *Curtenay* cum terra ipſius. Soror iſtorum re-

gis filia Conſtantia, quæ primo tradita eſt Euſtachio comiti Bolonienſi filio regis Stephani, ac poſtmodum Raymundo comiti S. Ægidii, quam poſtmodum repudiavit.

MCIX. Dorobernenſis archiepiſcopus ANSELMUS obiit; Elienſis abbatia in ſedem epiſcopalem mutata eſt.

MCX. Rex Anglorum Henricus, filiam ſuam Mathildem dedit Henrico imperatori Teutonicorum in conjugium.

Beatus BERNARDUS annos natus circiter XXII. Ciſtercium ingreſſus cum ſociis amplius quam XXX. ſub abbate STEPHANO ſuavi jugo Chriſti collum ſubmiſit, anno a conſtitutione domus Ciſtercienſis quinto decimo.

Mathildis filia regis Henrici apud Moguntiam deſponſata eſt, & in imperatricem conſecrata.

Apud Longobardiam terræ motus magnus factus eſt per XL. dies, ita ut domus plurimæ corruerent, & villa quædam prægrandis mota eſt repente de ſtatu proprio, jamque in longe remoto conſiſtere cernitur loco.

Mediolanis, dum patriciæ dignitatis viri de republica tractantes ſub una reſiderent turri, auribus omnium foras vox inſonuit, unum ex illis vocans nomine, & feſtinato exire rogans: quo tardante, perſona quædam coram apparuit, quæ vocatum virum ut egrederetur prece obtinuit. Exeunte autem illo turris repente cecidit, & omnes qui ibi aderant caſu miſerabili oppreſſit.

MCXVIII. Mathildis regina Anglorum apud Weſt-monaſterium calendis Maii obiit, & in ipſo monaſterio eſt ſepulta. PASCHALIS papa obiit.

MCXIX. GELASIUS papa obiit. CALIXTUS papa Giſortium veniens, rex Henricus occurrit, impetravitque ab eo omnes conſuetudines quas pater ſuus in Anglia & in Normannia habuerat, & maxime ut neminem aliquando legati officio in Anglia fungi permitteret. Obiit HEREBERTUS epiſcopus Norwicenſis, cui ſucceſſit EBRARDUS.

MCXX. Rupis alliſio maris unam demerſit navem apud *Barbefleot*, in qua pene tota propago omnium nobilium Normannorum, una cum Wilhelmo filio regis Henrici & quodam alio notho, cum duabus filiabus regis, & una ejus nepote, aliique quamplures fere CCC. homines perierunt.

MCXXIV. Obiit CALIXTUS papa, cui ſucceſſit HONORIUS.

Fames valida.

MCXXVII. Obiit Henricus imperator, reverſaque eſt Mathildis imperatrix ad patrem ſuum, qui tradidit eam Galfrido *Plantegeneſt* comiti Andegavenſium, filio Fulconis comitis & regis Jeroſolymitani. Qui Galfridus genuit ex ea regem Henricum, Gaufridum & Willelmum *Longeſpée*.

Occiſus eſt Carolus comes Flandrenſis.

Hoc anno maxima peſtis animalium facta eſt, & facta eſt abbatia de Reivallis a Waltero *d'Eſpec*, qui & eccleſiam S. Trinitatis de *Kirkeham* fundavit, necnon abbatiam ſanctæ MARIÆ de Sartis.

Eclipſis ſolis facta eſt IV. nonas Auguſti luna XXVII. exiſtente, & apparuerunt ſtellæ, & obtenebratus eſt dies hora VI. Rex Henricus eadem die mare ingrediens transfretavit ad Angliam, poſtmodum vivus numquam reverſurus.

MCXXIX. Obiit HONORIUS papa, cui ſucceſſit INNOCENTIUS papa.

Eclipſis facta eſt lunæ calendis Januarii.

Obiit rex Henricus IV. nonas Decembris, cujus corpus exenteratum ac ſale conditum delatum eſt in Angliam, & apud monaſterium de *Redinges*, quod ipſe fundaverat, humatum eſt; cui ſucceſſit Stephanus nepos ejus ex ſorore, filius Stephani comitis Bleſenſis, qui illum & comitem Theobaldum ex filia regis Willelmi baſtardi genuerat. Porro rex Stephanus duxerat uxorem Mathildem, cujus mater dicebatur Maria, ſoror reginæ Mathildis, quarum pater rex Malcolmus Mathildam filiam Euſtachii comitis Bolonienſis cum honore Boloniæ. * Hic Euſtachius frater extitit Godefridi ducis Lotharię & poſtmodum Hieroſolymitani regis, & frater Baldewini comitis de *Roheiſe*, qui poſtea rex Hieroſolymitanus poſt fratrem ſuum Godefridum effectus eſt. De iſta regina Mathilde & pio rege Stephano natus eſt Euſtachius comes Boloniæ, & Willelmus comes Waremiæ; quamdam etiam filiam habuerunt, quæ de monaſterio ſanctimonialium poſtmodum abſtracta, comiti Matthæo fratri Philippi comitis Flandrenſis traditur in uxorem, ex qua duas habuit filias, quarum una data eſt duci Luvanæ, alia vero poſt tertium maritum nupſit filio comitis de *Dammartin*. Eodem anno obiit WILLELMUS archiepiſcopus Cantuarienſis, cui ſucceſſit THEOBALDUS. Facta eſt abbatia de Sartis.

* Hic deficit aliquid.

MCXXXVII. Ludovicus Ludóvici filius petitione patris ab INNOCENTIO papa in regem conſecratur, qui accepit in uxorem Alienordem filiam Willelmi comitis Aquitaniæ, ex qua habuit duas filias, Mariam & *Aaliz*. Maria nupſit Henrico comiti Trecenſi, filio Theobaldi comitis, fratris regis Stephani. *Aaliz* ſoror Mariæ tradita eſt comiti Theobaldo Bleſenſi fratri ſupradicti Henrici. Ex comite Henrico & Maria ortus eſt Henricus comes, qui cum rege Philippo profectus eſt Hieroſolymam, cui & rex Richardus regnum illud conceſſit.

MCXXXVIII. THEOBALDUS factus eſt archiepiſcopus Cantuarienſis.

MCXXXIX. Venit imperatrix Mathildis in Angliam.

Facta eſt abbatia de *Coggeshale* a rege Stephano & regina Mathildi, qui etiam fundaverunt abbatiam de Funneis, & abbatiam de

Coggeshale abbatia inauratur.

Favresham, ubi etiam corpora eorum humata ſunt. Eodem anno convenit conventus apud *Coggeſhale* III. nonas Auguſti. Facta eſt eclipſis ſolis XIII. calendas Aprilis luna XXVIII.

MCXL. Comes Albericus *de Ver* a civibus Londoniæ peremtus eſt. Hac tempeſtate magiſter Petrus Abaelardus extitit, & magiſter Gilebertus *Poreie* epiſcopus Pictavis & Hugo de S. Victore.

MCXLI. Bellum factum eſt inter Stephanum regem & Robertum comitem Gloceſtriæ, in quo victus eſt rex & captus apud Lincolniam in Purificatione S. Mariæ, quæ evenit in die Dominica per *E* litteram ſtantem IV. nonas Februarii. Obiit INNOCENTIUS papa. Succeſſit CÆLESTINUS papa; poſt eum LUCIUS; quo defuncto ſucceſſit EUGENIUS.

Captus eſt ROBERTUS epiſcopus Londonienſis apud Fullam.

MCXLIII. Galfridus de Mandavilla per violentiam intravit in Rameſciam, & monachos fugavit, & ibidem obiit.

MCXLIV. Puer Willelmus crucifixus eſt a Judæis apud *Norwic.*

EBRARDUS epiſcopus a Norwico Fontenetem receſſit.

MCXLVII. Rex Ludovicus cum regina Alienor & cum proceribus regni Francorum profectus eſt Jeroſolymam, & dux Saxonum Frethericus poſtea imperator; & Damaſcum obſederunt; ſed jam cum capienda eſſet civitas, ab obſidione moti ſunt per fratres Templi, ut dicitur, qui pecuniam a Noradino acceperant. Civitas Ulixis capta eſt.

MCXLVIII. Tranſlatio S. ERKENWALDI Londonienſis epiſcopi.

Facta eſt abbatia de Saltereia. WILLELMUS epiſcopus Norwicenſis factus eſt.

MCXLIX. Rex Ludovicus ab Hieroſolyma regreditur. Poſt cujus regreſſionem Galfridus comes Andegavenſis & Henricus filius ejus conqueſti ſunt regi de Stephano rege Anglorum, qui eis regnum Anglorum & ducatum Normanniæ injuſte auferebat. Rex vero Ludovicus Normanniam aggrediens, manu forti eam cepit, & Henrico tradidit, & eum pro eadem terra in hominem ligium accepit. Ille vero pro collato adjutorio Vilcaſſinum Normanniæ, quod eſt inter Itam & Andelam regi Ludovico totum immune dedit: in qua terra continetur Giſortium, *Neoſle*, & Stripiniacum. Nec multo poſt rex Ludovicus repudiavit Alienordem conjugem ſuam, linea conſanguinitatis inter eos jurata: quam ſine mora Henricus dux Normanniæ accepit uxorem cum comitatu Aquitaniæ. Poſtea vero Ludovicus duxit Conſtantiam filiam imperatoris Hiſpaniæ, ex qua habuit filiam nomine Margaritam, quæ Henrico juniori filio regis Henrici in matrimonio juncta eſt. Vilcaſſinenſem autem terram dedit rex Ludovicus filiæ ſuæ in matrimonium. Deinde rex genuit aliam filiam de Conſtantia nomine Adelaidis, in cujus partu mater clauſit extremum diem. Poſtmodum rex Ludovicus duxit aliam filiam Theobaldi comitis Bleſenſis, ſororem Henrici comitis Trecenſis, & Theobaldi comitis, & Willelmi Remorum archiepiſcopi, ex qua unum habuit filium nomine Philippum, qui anno Incarnationis MCLXV. hæc nobiliſſima proles proceſſit ad ortum. Beatus MALACHIAS epiſcopus Hibernenſis apoſtolicæ ſedis legatus anno Incarnationis Domini MCXLVIII. ætatis ſuæ LIV. loco & tempore quo prælegit & prædixit, ſcilicet apud Claram-vallem, die Omnium-ſanctorum ab angelis aſſumtus feliciter obdormivit in Domino.

Deeſt hic aliquid.

Facta eſt abbatia de Sibetuna. Hoc tempore gelare cœpit a quarto idus Decembris uſque ad XI. calendas Martii; & ſic Tamiſia gelata eſt, ut pede & equo tranſiretur.

MCLIII. Beatus BERNARDUS Claræ-vallis cœnobii primus abbas, aliorum quoque amplius quam CLX. monaſteriorum pater, annis circiter LXIII. expletis, XIII. calendas Septembris inter filiorum manus obdormivit in Domino: eodem videlicet anno quo B. papa EUGENIUS III. ejuſdem patris ſancti in ſancta converſatione filius ab hac luce migravit ad veram lucem, ſucceſſore ejus ANASTASIO Romanæ eccleſiæ præſidente, regnantibus autem, in Romano imperio Friderico illuſtri, in Francorum regno piiſſimo Ludovico Ludovici filio. Eodem anno facta eſt abbatia de Fleteia.

MCLIV. Obiit piiſſimus rex Stephanus IX. calendas Novembris, ſepultuſque eſt in eccleſia de *Faversham*, quam ipſe fundaverat cum regina ſua Mathildi. Cui ſucceſſit in regnum Henricus filius imperatricis, dux Normanniæ, & comes Aquitaniæ & Andegaviæ; conſecratuſque eſt in regem apud Weſtmonaſterium a THEOBALDO archiepiſcopo eodem anno, Dominica ante Natale Domini, qui ex Alienoride conjuge ſua genuit quatuor filios, videlicet Willelmum, qui in puerili ætate mortuus eſt, Henricum regem, Richardum Pictavinum & regem, Galfridum comitem Britonum, Johannem regem, prius comitem Gloceſtriæ, & Moretaniæ. Habuit etiam ex ea tres filias, quarum una tradita eſt Willelmo Siciliæ, alia regi . . . . petit Hiſpaniæ, tertia Henrico duci Saxoniæ, qui dux poſtmodum rebellans contra imperatorem Frithericum avunculum ſuum, ducatum amiſit; ſed filius ejus poſtea recuperavit. Obiit ANASTASIUS papa, ſucceſſit ADRIANUS Anglicus.

Alienoræ filii & filiæ.

Rex Henricus II. Hugonem de Mortemari devicit. Natus eſt H. III. Willelmus filius regis Henrici moritur.

MCLVII. Rex Henricus perrexit cum magno exercitu in Gualias, ubi quamplurimi tam nobiles quam mediocres a Gualenſibus occiſi ſunt.

Willelmus frater Henrici regis moritur.

Rex Henricus cum exercitu maximo adiens Toloſam diutius eam obſedit: ſed rex Ludovicus cum ſuo exercitu ſuperveniens, ut auxilium præberet Raimundo comiti S. Egidii, cujus uxorem Conſtantiam idem comes habuit in uxorem, illum ab obſidione amovit. Willelmus comes Waremiæ filius regis Stephani ibidem moritur.

MCLIX. Obiit ADRIANUS papa, cui ſucceſſit ALEXANDER III.

MCLXI. Obiit THEOBALDUS archiepiſcopus, cui ſucceſſit THOMAS cancellarius domini regis.

MCLXII. Rex Henricus perrexit Gualias contra Ris regem, qui ſtatim eſt ei ſubditus.

MCLXIII. Concilium celeberrimum celebratum eſt, præſidente Alexandro III. apud Turonis.

Duellum inter Robertum de *Monfort* & Henricum de *Eſſet* apud Radingum.

MCLXIV. THOMAS archiepiſcopus ſubiit exilium.

Terræmotus magnus factus eſt in converſione S. Pauli.

Obiit Galfridus junior de Mandavilla.

Obiit imperatrix mater Henrici II. regis.

Dedicatio majoris altaris Coggeſhal.

MCLXVII. Apud *Coggeshale* dedicatum eſt magnum altare in honore glorioſæ Virginis MARIÆ & S. Johannis-Baptiſtæ, die aſſumtionis B. MARIÆ a venerabili Gileberto *Foliot* Londonienſi epiſcopo, qui eadem die ſuper illud altare miſſam ſolemniter celebravit, domno SIMONE DE TONI abbate ejuſdem loci exiſtente.

Domnus SIMON abbas II. receſſit a *Coggeshale* & ad *Milras* monaſterium ſuum regreditur, cui ſucceſſit dominus ODO abbas tertius ejuſdem loci.

MCLXX. Henricus filius Henrici regis adhuc juvenis, vivente patre, inconſulte ab archiepiſcopo Eboracenſi Rogero apud Weſtmonaſterium coronatus eſt.

S. Thomæ martyrium.

Beatus THOMAS Cantuarienſis archiepiſcopus, quondam regis Henrici II. cancellarius, pro eccleſiaſticæ dignitatis libertate tuenda, poſtquam VII. annis exilium perpeſſus fuerat, in baſilica ſedis ſuæ coram altare B. Benedicti, quinta die Natalis Domini, dum veſpertina ſynaxis ageretur martyrio coronatus eſt.

MCLXXI. Obiit Henricus epiſcopus Wintonienſis.

MCLXXII. Auditi ſunt inauditi fragores tonitruorum, & coruſcationes inſolitæ fulminum viſæ in nocte Nativitatis Dominicæ per totam Angliam atque Normanniam.

Ordinatio domini SIMONIS epiſcopi Muravienſis X. cal. Februarii, quondam abbatis de *Coggeshale*.

Diſſentio inter Henricū regem & Henricum ejus filium.

MCLXXIII. Orta eſt magna diſſentio inter Henricum regem Angliæ & Henricum filium ejus, & Ludovicum regem Franciæ.

A Nam rex Ludovicus cujus filiam idem Henricus junior in uxorem duxerat, comeſque Flandrenſis Philippus, & reliqui proceres regni Francorum ſuggeſtione ac petitione ejuſdem Henrici, qui juvenili ductus levitate, & quorumdam malignantium adulatorio adquieſcens conſilio, pro patre, eo adhuc vivente, regnare volebat, contra regem Henricum unanimiter inſurrexerunt, ejuſque terram tranſmarinam rapinis & incendiis devaſtantes, Rothomagum etiam diutius obſederunt. Eodem anno comes S. Egidii fecit homagium regi Henrico de comitatu Toloſano, ſalva fide Ludovici regis Francorum. B Robertus etiam comes Leiceſtriæ cum multitudine Flandrenſium in Angliam eodem tempore applicans, a comite Hugone *Bigod* recepti ſunt, qui poſtquam *Gipeſwic* & caſtellum quod dicitur *Haghene* cum circumadjacente regione depopulati ſunt, terram S. Edmundi cum abbatia deprædari diſpoſuerant. Quo pervenientes, juſto Dei judicio, & meritis ſanctiſſimi regis interemti ſunt. Comes vero cum comitiſſa quæ ſe armis militaribus præmunierat, capti in carcere diutius ſunt retruſi. Willelmus etiam rex Scotiæ, qui ſimul cum Henrico juniore contra regem conſpiraverat, eodem tempore C Northumbriam depopulans, a Ranulfo de Granvilla & Roberto de *Stuteville*, qui contra eum exercitum duxerant apud *Alnewic* captus eſt. Quem poſtmodum rex Henricus ad regnum ſuum redire permittens, tria ejus præcipua caſtella loco obſidum in ſua manu retinuit, militeſque proprios in ciſdem relocavit. Epiſcopus ſimiliter Dunhelmenſis, & Rogerus de *Mombrai*, comes Willelmus de *Albemare*, comes Ceſtriæ, comes Gloceſtriæ, & alii quamplures nobilium unanimiter conſpiraverant contra regem: ſed de his omnibus læta potius victoria, caſtella & muniD tiones eorum funditus evertit. Muros antiquos Leiceſtriæ diſſipavit. Reginam inſuper ſuam, quæ cum filiis ſuis in eum inſurgere voluit, per multos annos incluſam tenuit.

MCLXXIV. RICHARDUS archiepiſcopus Cantuarienſis & Rog. epiſcopus Wintonienſis Romæ conſecrati ſunt.

Oritur hæreſis pernicioſa publicanorum in Francia.

Obiit piæ memoriæ dominus Odo abbas tertius de *Coggeshale*, cui ſucceſſit domnus E PETRUS de Wale-Dei, frater magiſtri cancellarii Lincolnienſis eccleſiæ.

Obiit comes Hugo *Bigod* vir magnificus.

Reliquiæ ſancti Amphibali martyris, qui B. Albanum Angliæ protomartyrem ad fidem Chriſti convertit, ſicut in hiſtoria Britonum legitur, inventæ ſunt.

Obiit Richardus de Luci, & apud abbatiam ſuam de *Lieſnes* jacet ſepultus.

Concilium celeberrimum apud Romam celebratum eſt, præſidente papa ALEXAN-

DRO

DRO III. imperator Frethericus cum omni gente ſua ſchiſmaticorum papa relicto, ad unitatem ſanctæ Romanæ eccleſiæ rediit; & debitam reverentiam & ſubjectionem papæ Alexandro exhibuit. Muta * eſt moneta in Anglia.

* f. mutata.

Canonici de Perendone migraverunt Maldonam.

Obiit ALEXANDER papa, cui ſucceſſit LUCIUS papa. Obiit ROGERIUS archiepiſcopus Eboracenſis.

Obiit & rex Ludovicus, & in quadam abbatia ordinis Ciſtercienſis, quam ipſe fundaverat ſepultus eſt, quæ vocatus *Barbans* ſuper Secana, & regnavit pro eo Philippus filius ejus ſtrenuiſſimus & victorioſiſſimus rex. Qui duxit in uxorem filiam comitis de *Hanon*, neptem videlicet Philippi Flandriæ, ex qua ſuſcepit filium nomine Ludovicum, qui natus eſt anno Incarnationis Domini MCLXXXVII. Regina vero poſtmodum moritur eodem videlicet anno, quo idem rex Philippus iter ſuum in Jeroſolymam arripuit. Puer Robertus a Judæis crudeliter occiditur apud S. Edmundum.

Rex Henricus pacem reformavit inter Philippum regem Galliæ, & Philippum comitem Flandriæ.

Henricus rex junior obit.

MCLXXXIII. Henricus rex junior, qui contra patrem rebellaverat apud *Martens* moritur abſque liberis, ſepultuſque eſt Rothomagi in eccleſia B. Mariæ, cujus uxor Margareta regi Belo Hungarorum poſtmodum nupſit.

MCLXXXIV. Obiit RICHARDUS archiepiſcopus Cantuarienſis, cui ſucceſſit magiſter Baldewinus Wigornienſis epiſcopus, qui prius fuerat monachus ordinis Ciſtercienſis, & abbas de *Forde* extiterat. Obiit ABEL primus abbas de ſancta Oſittia.

MCLXXXV. LUCIUS papa, cui ſucceſſit URBANUS papa. Terræmotus factus eſt XV. calendas Maii, & eclipſis ſolis fuit.

MCLXXXVI. Patriarcha Jeroſolymitanus in Angliam venit. Comes Johannes adiit Hiberniam cum multis militibus.

MCLXXXVII. Obiit Gaufridus comes Britonum filius regis Henrici apud Pariſius, ſepultuſque eſt primus omnium in eccleſia B. Mariæ in eadem urbe, qui ex filia Conani comitis genuerat eodem anno filium qui Arturus appellatus eſt.

NOTA.

Saladinus de Chriſtianis victoriam reportat.

Hoc anno Saladini exercitus Chriſtianorum exercitum laborioſo itinere confectum, & nimio calore æſtu prægravatum, aqua omnino deficiente, expugnavit in loco qui dicitur Mareſcantiæ, qui locus diſtat a civitate Tyberiadis tribus millibus. Tunc ſex ex militibus regis Guidonis ad Salaadinum confugerunt, & de omni re & propoſito Chriſtianorum inſtruxerunt. Unde Salaadinus, qui antea de diſcrimine belli dubitabat, reſumſit vires, & cum infinita multitudine bellatorum Chriſtianos omni genere pugnandi invaſit & expugnavit. Tandem Tekedinus nepos Salaadini Guidonem regem Jeruſalem fugam arripientem cepit cum cruce Dominici ligni, interfecto RUFINO epiſcopo de Achon, qui eam contra conſuetudinem loricatus portavit, & hoc Dei judicio, qui magis in armis terrenis quam cœleſtibus confidentiam habuit. Princeps Reginaldus ibidem interfectus eſt; Rogerus de *Mumbrai*, Hugo de Belio-Campo capti ſunt, & plures nobilium cum eis, & fere univerſus exercitus Chriſtianorum a Sarracenis confractus, captus & trucidatus eſt. Sed comes Tripolitanus cum quibuſdam aliis per fugam illæſus evaſit. Statim vero Salaadinus militiæ Templi & Hoſpitalis milites ſegregari fecit ab aliis, & coram ſe decapitari; & ipſe principem Reimundum de Caſtellione propria manu interfecit. Deinde civitatem Achon cepit, & adjacentia loca, & munitiones fere omnes de partibus illis abſque Tyro quam Conradus *le Marquis* viriliter tuebatur. Cumque hanc civitatem capere non poſſet, abiit inde & cepit *Baruth*, & utramque civitatem quæ dicitur *Gibelet* & Sydonem, & Cæſaream, *Joppen* & *Nazareth*, & S. Georgium, & montem *Tabor*, & Cavam Templi, & alia plurima caſtella. Saphadinus autem frater Salaadini cum exercitu ſuo omnem regionem a Darone & Gazaris uſque Jeruſalem, caſtella omnia & civitates confringendo, & interficiendo habitatores captivavit, abſque Aſcalone civitate quæ muris fortiſſimis munita erat. Deinde applicuit ad Joppen, & cepit eam cum tota regione illa & caſtellum quod vocatur *Mirabel*, & omnia montana circa Bethleem a meridie & occidente Jeruſalem. Regina vero Guidonis regis uxor recepit ſe cum familia & duabus filiabus ſuis, in civitate Aſcalonia, & eam munivit victualibus & bellatoribus; ſed poſtmodum anno ſequenti tradidit civitatem Salaadino, pro redemtione mariti ſui, & ſic liberavit eum a carcere Salaadini. Comes Tripolitanus cum terram ſuam tradere propoſuiſſet Salaadino inventus eſt mortuus in lecto ſuo. Unde uxor illius tradidit ſe & civitatem Tripolim Remundo principi Antiochiæ, qui bene munierat Antiochiam cum tota fere terra ſua contra Salaadinum. Vigeſima die menſis Septembris ſancta civitas Jeruſalem obſeſſa eſt ab incredulis cum magno clangore tubarum & ſtrepitu armorum & ululatu vociferantium. Jeroſolymitæ vero per unam hebdomadam viriliter contra eos certabant; ſed tandem Chriſtiani crudeli & indefeſſo Turcorum certamine ſic defatigati & defecti erant, ut vix xx. vel xxx. ad defenſiones murorum civitatis apparerent. Non inveniebatur jam homo tam audax in omni civitate, qui pro pretio c. biſantiorum auderet una nocte ad defenſionem vigilare. Inter hæc habitatores Jeruſalem neceſſitate compulſi ad regem Syriæ

Jeruſalem obſeſſa & expugnata.

per ter mittunt, ſupplicantes quatenus c. biſantios pro ſua redemtione ab eiſdem accipiat. At illo renuente, tandem accepto conſilio, tale tributum Jeroſolymitis inſtituit, quatenus unuſquiſque maſculus decem annorum & ſupra pro ſui liberatione x. biſantios perſolveret, femina v. puer ſeptem annorum & infra 1. & ſic a ſervitute liberati, quo vellent ſecuri abirent. Placuit ergo *conventio* iſta domino patriarchæ & ceteris qui pecuniam habebant. Qui vero aureos non habebant, lamentabili voce indeſinenter plangebant. Igitur anno MCLXXXVII. tradita eſt Jeruſalem, proh dolor! in manibus nefandorum a Chriſtianis, qui eam poſſederant per quater viginti & ſeptem annos, ex quo erepta fuerat a poteſtate paganorum. Obiit URBANUS papa, cui ſucceſſit GREGORIUS cancellarius, qui & magiſter Albertus dictus eſt, qui vix per duos menſes papatum tenuit, & ſepultus eſt apud *Piſe*, cui ſucceſſit CLEMENS. Obiit Gilebertus *Foliot* Londonienſis epiſcopus.

Reges & principes cruce ſignantur.

MCLXXXVIII. Hortatu Gregorii papæ Philippus rex Galliæ, Henricus rex Angliæ, Richardus comes Pictavinus, Philippus comes Flandrenſis, dux Burgundiæ, Theobaldus comes Bleſenſis, Henricus comes Trecenſis, Jacobus de *Avehne*, Bernardus de S. Walerico, Willelmus de *Barres*, Willelmus comes de Mandavilla, Ranulfus de Glanvilla, Robertus comes Leiceſtriæ, comes de Ferrariis, & reliqui principes, comites & barones, & præcipui milites totius fere Chriſtianitatis; necnon & WILLELMUS Remenſis archiepiſcopus, & BALDUINUS archiepiſcopus Cantuarienſis, Hubertus, Walterius epiſcopus Sareſberiæ, archidiaconus Coleceſtriæ magiſter Radulfus de Altaripa, & alii quamplures nobiles & ignobiles tam clerici quam laïci, quorum non erat numerus, ſignum ſanctæ Crucis zelo Dei accenſi in veſtibus ſumſerunt.

Item Fridericus imperator.

Eodem anno Fredericus Romanorum imperator iter peregrinationis Jeroſolymitanæ arripuit, ducens in comitatu ſuo VII. antiſtites, cum uno archipræſule, duos duces, comites decem & novem, tres marchiones, tria millia militum, & reliquorum circiter octoginta millia; qui nolens ſe committere ventis & mari, duxit exercitum ſuum per terram Beli regis Hungarorum, & per terram Iſachii imperatoris Conſtantinopolitani, deinde per terram Soltani de Yconia, ubi graves impugnationes cum exercitu ſuo pertulit, antequam Yconiam & quaſdam alias Aſiæ civitates armata manu caperet. Cumque perveniret in Armania terra Rupini *de la Niuntaine*, ad fluvium qui dicitur *Seleſ*, & major pars exercitus ſui per vadum tranſiret, ille moram ſummariorum diutius non ferens, miſit ſe cum equo ſuo in flumine juxta vadum, & corruens de equo ſolus ſubmerſus eſt, tractuſque in terram, ſui eviſceraverunt eum, carnemque aqua decoctam & ab oſſibus ſeparatam ſepelierunt Antiochiæ; oſſa autem illius Conradus filius ejus ſecum tranſtulit apud Tyrum, ut locā quæ vivus non poterat, ſaltem mortuus viſitaret: cujus exercitus ita variis eventibus poſtea diſſipatus eſt, ut vix cum filio ante Acon quingenti viri reperirentur. Obiit RICHARDUS epiſcopus Wintonienſis.

Qui aquis ſuffocatus obiit.

Poſtquam rex Philippus Galliæ & Henricus rex Angliæ eorumque principes, comites, archiepiſcopi, & epiſcopi poſſeſſiones tam clericorum quam laïcorum & réddĭtus eccleſiaſticos & pecuniam ſingulorum decimaverant violenta manu, ad conficiendum iter Jeroſolymitanum, juſto Dei judicio, qui odio habet rapinam in holocauſtum, orta eſt magna diſſentio inter prædictos reges & principes: unde tota illa pecunia collecta in donariis militum & ſtipendiis exercituum penitus conſumta eſt. Nam utrorumque exercitus ad pugnam ter evocatus, maximam ſtragem hominum deprædationeſque animalium, incendia deſolationeſque eccleſiarum, urbium, villarum, ſubverſiones caſtellorum operatus eſt. Caſtellum Radulfi cum comitatu quem Baldewinus *de Riveres* tenuit, & *Tſoudun*, & quinque comitatus in *Caorſin*, Cinomanis etiam atque Turonis a rege Philippo capta ſunt. Unde rex Henricus Anglorum, qui armis & potentia ſeu divitiis atque prudentia de hoſtibus ſuis ſemper triumphare conſueverat, vehementi triſtitia affectus, & tactus dolore intrinſecus decidit in ſubitaneam ægritudinem, qua etiam ex hac luce ſubtractus eſt apud *Chinun* caſtellum ſuum menſe Julio II. nonas Julii, & apud ſanctimoniales Fontis-Ebraldi ſepultus: qui regnum Anglorum per XXXIV. annos, & ſeptem menſibus, & tribus diebus, cum ducatu Normanniæ & comitatu Aquitaniæ & Andegaviæ ſtrenuiſſime rexerat, ſemper paci civium pauperum & mediocrium ſtudens, nobilium ac potentum arrogantiam atque tyrannidem potenter reprimens; fures, reos, atque criminoſos miſericorditer puniens. Galenſes etiam regibus Angliæ ſemper rebelles non ſine magna ſuorum principum amiſſione & exercitus ſui diſpendio debellaverat, ac tandem invitos nolenteſque ſubjugaverat. Inſuper & maximam partem Hyberniæ tum per ſe, tum per ſuos principes ſuo dominio ſubegerat. Cumque in regni ſui negotiis tractandis, providendis, diſponendis, ubique fortunatiſſimus exiſteret, a filiis tamen ſuis, quos genuerat, enutrierat, exaltaverat, multotiens graviter infeſtabatur; ſed præcipue ab Henrico, quem regni diademate inconſulte inſigniverat, ſicut ſuperius deſcripſimus. Quæ perſecutio inteſtina atque domeſtica ideo ei juſto judicio, ut credimus, illata eſt, quia in B. Thomam plurimum deliquerat. Nam

Diſſentio inter reges Franciæ & Angliæ.

Rex Henricus multis amiſſis civitatibus & oppidis obiit.

Ejus virtutes.

cum latiore imperii potentia, divitiis & fæculari magnificentia præ cunctis regibus Angliæ, qui ante eum regnaverant, præpolleret, non tamen his contentus ausu temerario irruit in divina, libertates videlicet ecclesiasticæ dignitatis, & jura ecclesiastica usurpare contendens, sicut in Passione B. Thomæ plenius legitur. Quod inexorabilis discordiæ inter ipsum & B. Thomam seminarium fuisse dinoscitur. Archiepiscopatus insuper & episcopatus vacantes, necnon & abbatias propriis pastoribus orbatas, & census ecclesiasticos in proprios usus multis annis retinere consueverat. Quæ nimirum contra sacros canones illicita usurpata regiæ majestatis serenitatem plurimum obnubilabant.

Et vitia.

Richardus rex succedit.

MCLXXXIX. Henrico autem rege jam defuncto, Richardus comes Pictavinus filius ejus successit in regnum, eodem videlicet anno atque in mense Septembri, Dominica ante nativitatem B. Mariæ a BALDEWINO Cantuariensi archiepiscopo apud Westmonasterium coronatus est; in cujus coronatione plurimi Judæorum Londoniis habitantium a Christianis, quadam inter eos dissentione suborta, trucidati sunt, atque domus eorum, quæ quasi palatia regum erectæ fuerant, concrematæ sunt atque eversæ: quæ persecutio Judæorum in ortu jubilæi sui, in quo aliquod divinæ clementiæ signum aut diuturnæ captivitatis remissionem sibi fore cælitus venturam interpretabantur, inchoata, vix per annum nec terrore regio, nec imperiali ejus edicto, nisi sub juratoria tandem cautione Judæis * præstita conquiescere potuit. Ubicumque enim inimici Christi a Christianis immisericorditer perimebantur, nec ullus subterfugii locus eis tutus aderat, nisi in castellis regiis inclusi tenerentur. Sed nec sic quidem mortis evasere pericula. Nam cum apud Eboracum cccc. & amplius Judæi in munitione regia inclusi haberentur, ob persecutionem Christianorum, qui tunc ad comitatus convenerant, declinandam, nihilominus tamen a quibusdam militibus & prædictæ urbis civibus sunt obsessi & acrius expugnati. cumque assultus expugnantium diutius ferre non possent, & jam omnis spes evadendi sublata fuisset, miserabilem mortem dirioris mortis metu voluntarie sibimet accersierunt, eligentes potius mutua cæde deperire, quam persequentium rabie truculentius atque impudentius jugulari. Erat autem inter eos quidam natu major & in lege Mosaïca instructior, quem Rabi cognominabant, cui omnes auscultabant a minimo usque ad maximum, qui eosdem ad tam horribile genus mortis exhortationibus & exemplari doctrina patrum in veteri lege præcedentium animaverat. Cumque fere omnes, exceptis quibusdam paucis, qui se postmodum in Dominum JESUM credere simulaverunt, ejus hortatu obtemperarent, ille ar-

Judæorum persecutio.

*f. a Judæis.

A repto cultro incidit fibras gutturis singulorum cum arteriis, projectis prius eorum pecuniis in aqua cænulenta, quæ subtus decurrebat, ac tandem semetipsum simili morte jugulans: sicque inimici Christiani nominis cadavera inhumata canibus & avibus exposuerunt, animas vero gehennalibus flammis in perpetuum cruciandas tradentes. Quod miserabile infortunium non sine divina animadversione eis contigisse arbitrandum est. Nam cum gens illa nefaria per regnum Angliæ circumquaque dispersa sub Henrico secundo in diuturna pacis securi-

Juste in eos animadversum est.

B tate & temporum tranquillitate vitam in omnibus temporalibus opulentissimam duxisset, in tantam prorupit audaciam, immo vesaniam, ut Dominum nostrum JESUM-CHRISTUM sacrilego ore non solum in secretis suis conventiculis; sed etiam publica voce impie blasphemaret, ac fidei nostræ ecclesiasticis sacramentis palam conviciando derogaret, necnon & quosdam Christianorum comparatos ad dedecus & improperium fidei Christianæ & ad majorem suæ damnationis cumulum cruci affigeret. Plures etiam

C nobilium atque mediocrium ad summam egestatem distractis patrociniis * & possessionibus per Judaïci fœnoris occasionem pervenerant; unde non immerito tam crudelis persecutio a Christianis est illata. Rex autem Richardus in regni solio sublimatus, fratri suo notho GALFRIDO Eboracensem dedit archiepiscopatum, GODEFRIDO DE LUCI filio Richardi de Luci Wintonienſem dedit episcopatum, RICHARDO archidiacono Helyensi Londonienſem, HUBERTO WALTERO clerico Ranulfi de Glanvilla Salesberiensem; WILLELMO DE LONGO-CAMPO Helyensem, qui & cancellarius domini regis effectus est, cujus

* f. patrimoniis.

Rex Richardus plures episcopatus conferr.

D etiam industriæ regnum Angliæ & negotia regni commissa sunt, rege Richardo Jerosolymam proficiscente.

MCXC. Richardus & rex Philippus iter Jerosolymitanum in æstate arripuerunt; sed per totam hyemem in Sicilia apud *Meschines* demorati sunt, classem suam præparantes atque exercitum suum & victualia aggregantes.

Iter Jerosolymitan. cum Philippo rege arripit.

MCXCI. Prædicti reges * cum exercitu suo mare Siculum in vernali tempore transfretaverunt, cum jam plures ex episcopis & comitibus superius memoratis cum aliis in-

Plures viri illustres ante Accon em perierunt.

E numerabilibus anno præcedenti reges præcesserant; in qua obsidione obiit archiepiscopus BALDEWINUS, Radulfus *de Fugieres*, comes Robertus *de Perche*, comes Theobaldus Blesensis, comes Stephanus frater ejus, Conradus filius imperatoris Frederici, comes de Ferrariis, comes Leicestriæ, Rannulfus de Glanvilla, Radulfus de Alta-Ripa archidiaconus Colocestriæ, & fere omnes nobiles, & alii quamplures ex nimia aëris intemperie. Obiit CLEMENS papa cui succeſſit

CÆLESTINUS papa, qui Jacinctus antea dictus est. Eodem anno Henricus rex filius imperatoris Fretherici consecratus est in imperatorem a CÆLESTINO papa in Paschali solemnitate. Mense Junio in vigilia B. Johannis-Baptistæ eclipsis solis apparuit particularis circa horam sextam, & perduravit usque ad octavam horam, luna XXVII. sole in signo cancri existente. Comes Flandrensis Philippus, qui sororem regis *Portingal* duxerat in uxorem, cum rege Philippo in terram Jerosolymitanam proficiscens absque liberis obiit.

Henricus VI. imperator.

Archiepiscopus Eboracensis GALFRIDUS a Roma rediens & jam consecratus, apud Doveriam cum suis applicuit, quem Matthæus *de Clere* ex præcepto cancellarii regis violenta manu ecclesiam B. Martini ingrediens ab altari abstraxit die exaltationis S. Crucis, archiepiscopo crucem suam in manu tenente, ipsumque carcerali custodiæ mancipavit. Quæ temeraria præsumtio licet pro securiori pace regni tuenda acta sit, in cancellarii tamen dejectionem, ut dicebatur, plurimum redundavit. Nam illico subortis quibusdam simultatibus inter ipsum cancellarium & comitem Johannem, regni sibi commissi administrationem perdidit, & de regno egredi compulsus est. Rex Philippus in vernali tempore mare mediterraneum cum suis, ut jam dictum est, ingressus, apud Ptolemaidam applicuit: quem rex Richardus cum universo comitatu suo illico subsequens Dei judicio in Cyprum insulam appulsus est: ubi cum aliquantulum temporis ob sui suorumque recreationem ac recentium victualium aggregationem post tædiosam maris vexationem pausare decrevisset, dominus insulæ, qui sibi nomen imperatoris usurpabat, prohibuit ne fines suos ingredi præsumeret, bellum applicantibus intentans. Interdixit etiam ne quis suorum exercitui regis victualia venderet, aut res venales exponeret; cujus animositatem ac detestandam inhumanitatem rex Richardus non æquo animo ferens, prædictam insulam armata manu viriliter aggressus est, eamque suæ ditioni infra breve tempus subegit, ipsumque imperatorem qui obsides pacis tradiderat, sed fœdus pacis interim ruperat, de civitate in civitatem fugientem comprehendit, comprehensumque custodiæ carcerali mancipavit. Cumque dominium totius insulæ ac thesauros imperatoris obtinuisset, necnon & filiam ejus, nobiliores quoque loco obsidum recepisset, desponsavit ibidem reginam suam, filiam videlicet regis de Navarra, quam regina Alienor adduxerat ad filium suum in Sicilia commorantem. Audiens igitur rex Richardus exercitum Domini apud Ptolemaidam maxima famis inedia laborare, ita ut sextarius frumenti LX. marcis venumdaretur, ex Cypro insula quam subegerat, victualium copiam undique aggregans, tantæ calamitati succurrere festinavit. Onustis itaque alimentorum copia navibus, ipse cum universo apparatu & exercitu suo Ptolemaidam tendit. Navigantibus illis apparuit eis quædam navis permaxima, quam dromundam vocant, ex civitate *Baruth* veniens immensis divitiis referta, quæ obsessis infra urbem Achon delatura erat, in qua DCC strenuissimi juvenes continebantur. Quam undique rostratis navibus circumvallantes vix perforari ac submergi potuit, captis ex ea vivis LXXX. viris, sicque cum maximo gaudio apud Achon in Pentecoste applicuerunt: ex quorum adventu Christianorum exercitus valde lætus efficitur, nimirum de advenientium numerositate factus audacior, atque de alimentorum copia robustior. Moxque ambo reges militari ac populari caterva stipati, urbem cum petrariis ac diversis machinis die noctuque viriliter aggrediuntur. Sarraceni vero obsessi assultum expugnantium diutius non ferentes urbem regibus tradiderunt IV. idus Julii; quibus sub hac conditione vita concessa est, si Salahadinus pro redemtione eorum septingenta millia Bisantiorum dare vellet, necnon & DCC. captivos quos eligere vellent reddere, Crucemque Dominicam quam in bello ceperant restituere. Quo cum Saladino perlatum esset, qui non longe a Christianorum exercitu castra sua multo jam tempore posuerat, nimium ex eo quod acciderat animo constematus, factum quod petebatur spopondit. Sed cum dies inter utrosque constituta, qua hæc fieri deberent advenisset, Salaadinus dolose machinans contra Christianos, alioque usus consilio, sicut prælocutus fuerat facere dissimulavit. His itaque gestis, volnit rex Philippus urbem illam & reliquas quas capturi erant urbes marchisio de Monteferrato tradere, eumque in terra Jerosolymitana regem constituere, eo quod juniorem filiam regis Amalarii duxisset in uxorem, sorore ejus regina jam defuncta. Cujus voluntati rex Richardus prorsus obstitit, asserens justius fore regi Guidoni regno jampridem spoliato regnum suum restituere, quam alium adhuc vivente substituere, cum constaret non hunc per ignaviam vel socordiam regnum amisisse, sed in gravi belli certamine ob inimicorum numerositatem ac sui exercitus paucitatem, simul cum cruce Dominica a Sarracenis fuisse captum. Quod nimirum inexorabilis discordiæ inter prædictos principes seminarium ibidem fuisse dinoscitur. Cum tamen hæc discordia primo apud Messanam Siciliæ civitatem inter eosdem pullulaverit, cum rex Richardus eamdem urbem armata manu cepit, plurimosque prostravit, rege Philippo in ea commorante ob convitia & vexationes, quæ exercitus regis Francorum exercitui suo ferebat.

Eboracensis archiepiscop. incarceratur.

Richardus ad Cyprum insulã appellit & subjugat.

Cum alimentorum copia subvenisset, ad civitatem Accoram applicat.

Sarraceni urbis deditionem faciunt.

Dissidium inter Philippum & Richardum de Jerosolymitano regno existens.

Cernens itaque rex Philippus diversæ nationis homines qui ad loca sancta confluxe-

Rex Philippus in Gallias revertitur.

rant, ſe ſub principatu regis Richardi tradere, famamque probitatis ejus de die in diem excreſcere, eo quod eſſet in theſauris locupletior, in donariis erogandis profuſior, in exercitu numeroſior, in expugnatione hoſtium ferocior, reputans pro alterius excellentiori gloria ſummam probitatis ejus obfuſcari, maturius repatriare diſpoſuit. His omnibus autem illud acceſſit, quod comes Flandriæ jam obierat, cujus terram plurimam geſtiebat. Igitur quod animo pertractaverat, celeriter menſe Auguſto ſubſequenti effectui mancipavit, juratoria tamen cautione prius præſtita, ne terram regis vel principum, qui cum eo ibidem remanebant violenter interim invaderet. Rege autem Francorum ſic diſcedente, continuo rex Richardus in vigilia aſſumtionis B. MARIÆ ad obſidendum & expugnandum reliquas maritimas civitates, de foſſatis urbis Achon primus audacter progreditur, figique ibi tentoria juſſit, ſpectante e vicino exercitu Salahadini, ubi mille Sarracenorum & DCCL. capitali ſententia damnavit, de his quos in Ptolemaida ceperant, ſuique juris eſſe videbantur. Quod ubi Sarracenis innotuit qui urbes maritimas occupaverant, metuentes ne ſimili rabie in eos ſicut in Ptolemaicenſes debaccharet, diffidenteſque de ſubventione Salahadini, qui pro redemtione ceterorum poſtulata negaverat, relictis urbibus vacuis diffugerunt, ſtatim ut adventum regis audierunt. Hoc illi qui in Caipha, & qui in Cæſarea, in Aſſur, & in Joppen, in Gaza & in Aſcalonia habitaverant, egerunt. Sicque, Deo volente, actum eſt: omnis illa maritima regio verſus plagam illam a rege caperetur, & capta a Chriſtianis habitaretur, nec tamen abſque prælii certamine, cum exercitus Salahadini ſemper a latere exercitum Chriſtianorum ſubſequeretur, atque extremas acies in anguſtioribus locis graviter infeſtaret, ubique inſidias tendens, unde & de utroque exercitu plurimi ſæpius corruerunt.

Rex Richardus urbes maritimas capit.

Marchionis de Monteferrato cædes.

Poſt Paſcha anno ſequenti dum marchiſus de Monteferrato per plateam civitatis Tyri incautius equitaret, a duobus Sarracenis quos Hauſtaſis appellant, cum cultellis perimitur, a domino ſuo qui Vetus de monte vocatur directis, ut eumdem principem necare..t, qui per longum tempus cum familia ejuſdem marchiſi manſerant, Chriſtianos ſe ſimulantes, donec aptum tempus perſpexiſſent, quo nefariam domini ſui juſſionem explerent; de quorum ſecta refertur, quod domino ſuo ita in omnibus obediant, quaſi Deo, ut cuilibet horrendæ mortis periculo pro domini ſui juſſione implenda ultro ſe exponant. Æmuli vero regis Richardi ubique diffamaverunt prædictum principem per conſilium & proditionem regis fuiſſe necatum: quod poſtea omnibus innotuit eſſe falſiſſimum, dum cauſa mortis prædicti principis evidentius eſſet diſcuſſa & agnita, rege etiam innocentiam ſuam A ſuper hoc defendere volente, cum tale ſcelus ab æmulis ei objiceretur. Uxorem vero marchiſii dedit rex Richardus Henrico nepoti ſuo comiti Trecenſium cum regno Jeroſolymitano, utpote heredem totius regni, ſorore ejus regina jam defuncta, rege Guidone *de Lezinan* hoc ipſum pro pacis tranquillitate libenter annuente. Inſulam autem Cypri quam ab imperatore obtinuerat, regi Guidoni conceſſit, accepto ejus homagio.

Inventio tumuli Arturi regis.

Hoc autem anno inventa ſunt apud Gle- B ſtingeberia oſſa famoſiſſimi Arturi quondam regis Britanniæ, in quodam vetuſtiſſimo ſarcophago recondita; circa quod duæ antiquæ pyramides ſtabant erectæ, in quibus litteræ quædam exaratæ erant, ſed ob nimiam barbariem & deformationem legi non poterant. Inventa ſunt autem hac occaſione. Dum enim terram ibidem effoderent, ut quemdam monachum ſepelirent, qui hunc locum ſepulturæ vehementi deſiderio in vita ſua præoptaverat, reperiunt quoddam ſarcophagum, cui crux plumbea ſuperpoſita fuerat, in qua ita exaratum erat. *Hic jacet inclytus rex Arturus in inſula Avallonis ſepultus.* Locus au- C tem ille olim paludibus incluſus, inſula Avallonis, id eſt inſula pomorum vocitatus eſt. Ante iſtud ſane ſeptennium extitit quidam abbas ordinis Ciſtercienſis in quadam abbatia quæ dicitur *Sor* in Dacia, qui ante converſionem ſuam ex quadam ægritudine ſurripiente defunctus eſt, atque per beatam Dei genitricem MARIAM vitæ priſtinæ eſt redditus. Ea vero tempeſtate quidam alius abbas in Teutonica extitit, qui etiam poſtmodum extitit abbas de Morimundo, qui juvenili ætate D ante converſionem a diabolo ſeductus fuerat in quadam ægritudine, de qua & impœnitens obiit. Hic vero nocte ſequenti per matrem miſericordiæ vitæ reſtitutus, mira & relatu digniſſima in ſecreto narrare conſueverat; ſed qualiter ab antiquo adverſario in ipſa ægritudine ſeductus fuerit ob ſcripturarum notitiam adipiſcendam, cum quali tormento anima ſeparata ſit a corpore, & de forma ejuſdem animæ, qualiter dæmones cum anima ejuſdem ſubſannando ludebant, more puellarum cum pila ludentium; quomodo in uno puncto temporis omnia quæ E ubique agebantur ſurſum ſive deorſum, a dextris vel a ſiniſtris, cernere atque intelligere potuit, de tribus etiam diſtinctis ordinibus electorum, ſupremo, medio, & infimo, de qualitate locorum pœnalium, qualiter per miſericordiſſimam cœli reginam a dæmonum manibus ereptus ſit, & ad proprium corpus redire permiſſus; quid etiam a beata MARIA in mandato acceperit. Quæ omnia quia alibi litteris plenius mandavimus, hic eadem replicare faſtidioſum duximus.

Rex Richardus ante Pentecoſten poſt in-

Rex Richardus Darum capit.

terfectionem marchisii, Darum adiit, ultimum castellum Christianitatis versus Babyloniam, quod quinque diebus obsidens armata manu cepit, atque obsessos gravi pretio redemtos abire permisit.

Ejus consilio ac obsidenda Jerosolyma.

Post hanc victoriam convenit ad regem dux Burgundiæ cum exercitu Francorum, cui in Pascha præcedenti dederat xxx. millia Bisantiorum, ut esset cum eo ad expugnandos inimicos Christi; consilioque inter eos habito, statuerunt Jerosolymam adire. Cumque rex cum universo exercitu suo devenisset ad castellum Ernaldi & ad *Betonoble* juxta Emaus, ecce Beduwini qui se regi obligaverant, nuntiant maximam multitudinem ex Babylonia versus Jerosolymam tendere cum VII. millibus camelorum diversis opibus onustis. Hanc autem multitudinem strenuissimi quique de exercitu Salahadini conducebant. Quibus cum rex processisset cum paucis obviam, omnes prostravit, camelosque cum universis opibus diripiens, exercitui suo distribuit. Deinde ad præfatum castellum regreditur, custodiam tamen militum singulis civitatibus collocans. Rex autem cum universa præda sua ad castellum Ernaldi reversus; quod ab Jerusalem tribus distat millibus, singulos potentes diligenter adhortatur, ut Jerosolymam adeant & obsideant, dum tanta copia omnium rerum victualium & animalium ad subvehenda onera eis suppetit, rememorans quanta beneficia eis ubique in sua peregrinatione divina clementia contulit. Super omnia regem animaverat quædam religiosa mulier Syra genere in civitate Jerusalem degens, quæ regi omnia secreta civitatis mandaverat, & quomodo omnes Sarraceni timidi circa adventum ejus effecti sint & animo consternabantur, & quomodo omnes portæ civitatis contra eum teratæ erant, præter portam sancti Stephani ad Aquilonem partem urbis, contra quam exercitum suum collocare suadebat; mittens quoque quamdam clavem regi ex qua portam reserare posset. Cumque jam omnes unanimiter Jerusalem obsidere decrevissent, dux Burgundiæ cum fratribus Templi & cum Francigenis consilium iniens a proposito revocatus est, qui asserebant ducem cum omnibus Francis maximam domini sui regis Philippi incursurum, * si per eorum subventionem de tanta & tam famosa civitate rex Richardus triumphasset; sed nec aliqua laudis victoria ipsi duci vel Francigenis ascriberetur, si tanta urbs ab eis caperetur. Interim nuntii a duce ad Salahadinum clanculo diriguntur. Quadam vero nocte rege in castris commorante apud præfatum castellum, & duce cum suis apud *Betonoble* existente, explorator regis Jumas nomine audivit sonitum gradientium camelorum & hominum de monte descendentium, quos ille latenter subsecutus comperit eos a Salahadino missos usque ad

Cui obsistit dux Burgundiæ.

* videtur deesse *indignationem* aut quid simile.

castra ducis cum quinque camelis auro & argento onustis, & cum sericis vestibus variaque supellectili. Explorator vero ad regem concito gradu regrediens, omnia hæc illi intimavit; accipiensque secum quosdam de familia regis, ad viam per quam nuntii illi reversuri erant, caute insidiando progreditur, ac revertentes comprehendit, comprehensos regi tradidit; quorum unum rex in arcto ponens & diutius torquens, omnia quæ Salahadinus duci transmiserat vel mandaverat, inviti confitentur. Amotis vero illis, & aurora illucescente, fecit accersiri ducem & patriarcham atque priorem de Bethleem: Quibus in secreto loco adunatis, rex protinus in eorum præsentia super sanctas reliquias juravit se paratum existere cum exercitu suo adire & expugnare Jerosolymam, sive Babyloniam, aut civitatem *Baruth*, sine qua rex Jerosolymitanus coronari non potest, sicut inter eos jam decernerant, & juramento confirmatum fuerat. Cumque rex jurasset, præcepit ut dux simile juramentum præstaret: quo abnuente, statim rex nimio furore succensus traditorem eum vocat, & exprobrando varia munera quæ a Salahadino susceperat, & de mandatis & accersitis nuntiis quæ ad invicem miserant. Duce vero hæc omnia abnegante, & defendente, præcepit rex ut nuntii illi quos Jumas explorator ceperat, in præsentia illorum introducerentur. Cumque introducti fuissent, & omnia illa secreta denudassent, præcepit rex servis suis ut in conspectu totius exercitus sagittarent eos, utroque exercitu causam tantæ crudelitatis ignorante, aut quid egissent viri illi, vel unde venissent. Dux autem nimio pudore confusus cum exercitu Francorum iter quantocius versus Achon arripuit. Quod rex cernens, celerrime custodibus civitatis mandavit, ut neminem eorum intrare permitterent. At illi tentoria extra urbem posuerunt. Cernens vero rex exercitum suum nimis ex eo quod acciderat fuisse turbatum, & ex discessu aliorum valde minoratum pavidumque effectum, castra ab eo loco die sequenti amovit, ac ducem subsecutus est similiter extra urbem Achon fixis tentoriis.

Rex Richardus a quodam sancto eremita accersitus, donatur pretiosa cruce, qui ei præsignificat terram sanctam ab eo non recuperandam.

Nocte vero præcedenti quidam religiosus ad regem venerat & mandatum cujusdam sancti heremitæ ad eum detulerat, qui regi ex parte Dei mandavit, ut ad eum visendum properaret. Rex autem de nocte consurgens assumtis secum D. sociis, ad sanctum virum pervenit. Hic vero per longum tempus apud Samuelem in quodam monte manserat, ac spiritu prophetico pollebat, qui a die illa qua Crux Dominica capta est, & terra amissa, nihil nisi herbas & radices comederat, nec ullo tegmine utebatur, capillis tantummodo & barba prolixa operiebatur. Quem rex diutius admirando intuens, sciscitabatur quid vellet. Ille vero ex adventu regis gavisus,

regem in oratorium ſuum adduxit, eruentque lapidem de muro lapideo, crucem ligneam & cubitalem de muro extraxit, & regi devote porrexit, aſſerens abſque dubio hanc Crucem de ligno Domini fuiſſe. Regi autem inter alia prædixit, quod nequaquam hac vice terram illam obtineret, quamvis ſtrenue ubique egiſſet. Et ut certius dictis ejus fidem accommodaret, aſſerebat ſeipſum ab hoc ſæculo migraturum. Quem rex ſecum ad caſtra adduxit, ut dictorum ejus comprobaret veritatem; qui ſicut prædixerat, ab hac luce ſubtractus eſt.

Annunciatur ei obſidio Joppe a Saladino.

Rege autem Ptolemaida cum feſſo exercitu vix per triduum quieſcente, atque de celeri reditu providente, adſunt flebiles nuntii Joppe uſque ad regem directi, nuntiantes Salahadinum cum univerſo exercitu Joppen obſedisſe, civitatemque celeriter fore capiendam, omneſque milites & ſervos, quos ob cuſtodiam ibi collocaverat, trucidandos, niſi celeri ſubventione obſeſſis præſidium ferat. Quo audito, omnis Chriſtianorum exercitus graviter ingemuit, valdeque perterritus eſt. Rex vero Richardus de tali rumore valde animo conſternatus eſt, ducem Burgundiæ offenſum tum per ſe tum per alios ad pacem & concordiam revocare ſtuduit, atque obnixius rogavit, ut tantæ calamitati aliquod ſubſidium ferat: quorum

Dux Burgundiæ increpatur.

preces dux audire dedignans, eorumque importuna poſtulatione inquietari nolens, nocte iter cum ſuis verſus Tyrum arripuit. Quo dum perveniret, confeſtim divino judicio terribiliter percuſſus, menteque alienatus, vitam miſerabili morte terminavit. Rex autem illico & quædam pars exercitus ſui roſtratas naves conſcendunt, ac vela ventis committunt. Sed naves vi ventorum ac ſævitia fluctuum in contrarium retortæ verſus Cyprum diutius impelluntur. Quod videntes qui in terra remanſerant, nimio dolore ac timore perculſi, regem latenter repatriare

Rex applicat ad portum Joppenſem Saladinus ſolvit obſidionem caſtelli.

ſuſpicantur. Rex vero & qui cum eo erant, contra rabiem ventorum violento remigio æquora ex obliquo ſulcantes, cum tribus tamen navibus tertia die aurora rutilante, jam in portu Joppenſi applicuerunt. Saladinus vero iterum urbem crebris aſſultibus jam ceperat, atque omnes infirmos ac vulneratos, qui ibidem præ laſſitudine ſubſtiterant, peremerat. Milites & audaciores quique quos rex ibidem ob cuſtodiam civitatis poſuerat, urbem deſerentes in caſtellum ſe receperunt, ac inter ſe de reddendo caſtello tractantes antequam per aſſultum violenter caperentur, quod & celeriter feciſſent, niſi a patriarcha, qui inter utrumque exercitum libere progrediebatur, præmunirentur: exercitum Salahadini devoviſſe omnes fore occidendos in ultionem amicorum & parentum ſuorum quos rex Richardus pluribus jam in locis immiſericorditer detruncaverat, etiamſi liberam abeundi licentiam a Salahadino accepiſſent. Ob hoc in magno mortis diſcrimine conſtituti, hæſitabant quid agerent, hoſtium numeroſitatem atque ferocitatem, ſuorumque paucitatem attendentes, necnon & de ſubventione regis jam diffidentes. Cumque ab hoſtibus ita undique obſiderentur, graviterque expugnarentur, jamque omnis ſpes evadendi ſublata fuiſſet, cernunt illuceſcente aurora naves cum ſigno regis ad portum celeriter applicare: unde animæquiores facti & audaciores virilius ſe tuentur. Rex autem ex gravi conflictu obſidentium pariter & obſeſſorum intelligens munitionem civitatis nondum fore captam, illico cum ſuis armatus de navi agili ſaltu proſiliit, atque inter medias hoſtium catervas, quæ ſuper ripam maris denſata acie aſtabant, & applicantes telis & ſagittis infeſtabant, velut leo furibundus a dextris & a ſiniſtris proſternens, audacter ſe ingeſſit. Cujus ſubitaneum impetum Turci non ferentes, reputantes etiam illum numeroſiorem adduxiſſe exercitum, ab obſidione celeri gradu diffugiunt, non tamen ſine gravi pugna & maxima ſtrage ſuorum, mutuoque ſe ad fugam cohortantur, adventum regis inopinatum ad invicem nuntiantes. Unde factum eſt, ut a fuga cohiberi non poterant, donec Ramulam intrarent civitatem, Salahadino in curſu ſuo rapiendo curſu præcurrente. Rex autem hoſtibus fugatis, audacter tentoria ſua extra urbem, in quadam planicie apud S. Abacuc figi præcepit. In urbe ſiquidem præ fœtore cadaverum manere nequibant. Pagani enim Chriſtianos ibidem trucidantes juxta corpora occiſorum cadavera porcorum ob dedecus noſtrum collocaverant.

Saladinus furens revertitur ad obſidendam ſecundo civitatem.

At ubi ſequenti die Salahadino nuntiatum eſt regem cum parviſſimo exercitu adventaſſe, nec amplius quam LXXX. milites, exceptis arbaliſtariis ſuis CCCC. in comitatu habere, nimio furore ſuccenditur, multaque indignatione erga exercitum ſuum permoveturr, quod tanta millia hominum a tam paucis fugari debuiſſent: unde ad ſuorum confuſionem ibidem dinumerans exercitum, ſcilicet LXII. millia, imperiali edicto præcepit, ut ad Joppen quantocius equeſter exercitus rediret, ipſumque regem vivum captum ſibi in craſtino præſentarent. Rege vero in tentoriis nocte illa cum ſuis ſecurius quieſcente, nihilque ſiniſtrum ſuſpicante, ecce ſummo diluculo illa gens nefaria adveniens, caſtra regis in circuitu obſedit, & ne ullus ſubterfugiendi in civitatem pateret aditus, maxima multitudo ſeſe intra urbem intruſit, fere tria millia, ex quorum ſtrepitu & clamoribus Chriſtiani expergefacti, ſimul & attoniti, immenſo timore & horrore concutiuntur, cum ſe undique ab inimicis vallatos cernerent.

Rex autem tam ſubitanea pericula cer-

Rex ſuos hortatur ad pugnandum viriliter.

nens, confeſtim loricam induit, & velut volatu pennigero equum conſcendit, omnique mortis horrore depoſito, & quaſi ex hoſtium numeroſitate factus audacior, ſuos ad pugnam verbis exhortatoriis animabat. Proponebat eis mortem nullatenus fore metuendam, quæ pro tuenda Chriſtianitate, & ulciſcenda Chriſti injuria a paganis inferebatur. Magnificentius etiam fore pro Chriſti legibus honorifice occumbere, & occumbendo hoſtes Chriſti viriliter proſternere, quam ſe hoſtibus enerviter tradere, vel fugæ ſubſidium cum opprobrio ſemper notabili expetere; maxime cum locus opportunus ſubterfugiendi omnino in præſenti non habeatur. Hæc & his ſimilia rege dicente, commilitones ſuos in procinctu belli ſtricte & conjunctim ordinando diſpoſuit, ac unumquemque juxta latus alterius firmiter collocavit, ne quis aditus perforandi cuneum in ipſa congreſſione ex ſpatii vacuitate pateret hoſtibus. Pauca autem ligna, quæ ibidem reperta fuere ob tentoria conſtruenda, ante pedes ſingulorum quaſi pro antemurali juſſit collocari. Cumque in hujuſmodi, quantum hora ſinebat, occuparentur, atque pagani econtra ſe armarent, ſocioſque adventantes ſimul collo quendo expectarent, ecce quidam ex cameraríis regis ab urbe ocius diffugiens, ſicut dominus Hugo de Nebilla, qui in eodem certamine erat, nobis retulit, regem miſerabili ac lamentabili voce alloquitur, dicens: Heu! »domine mi rex, omnes in mortem abſque »ulla ſubventione traditi ſumus; nullum eſt »nobis deinceps refugium, cum innumerabi»lis paganorum multitudo jam præoccupave»rit urbem, & innumerabiles acies ante nos »armatas conſpiciamus. Cui lamentanti rex ex magna animadverſione ſilentium imperat, ſeque illico amputaturum ejus caput terribiliter jurat, ſi hoc alicui exiſtentium intimare præſumat. Ipſe vero mox exercitum alloquitur, & ne paganos expaveſcant adhortatur, dicitque ſe velle urbem adire, & quid intus geratur diligenter explorare: aſſumtiſque ſecum ſex ſtrenuis militibus, cum regio vexillo urbem intrepidus veluti mortis immemor ingreditur, viamque gladio & lancea aperiens, hoſtes in plateis glomeratos velut leo ferociſſimus invadit, invadendo proſternit, & proſtratos interficit. Milites vero regem prævium ſubſequentes, in obſiſtentes quoſque crudeliter irruunt, irruendo proſternunt. Proſtratorum igitur caſus, ſocios etiam a longe in plateis aſtantes incurvare & ad terram corruere coëgit, dum pars una lanceis impulſa ad terram ruens, partem aliam circum aſtantem violenter impleret: unde actum eſt, ut ex regis ſubita invaſione multi corruentes cauſam ſuæ ruinæ ignorarent. Diffugiebant igitur hoſtes huc illucque per plateas regem infeſtantem, velut beſtiolæ ferocem leonem quem dira fames ad devorandum inſtimu t,

Rex Richardus cum ſex militibus ingreſſus tria hoſtium milia ſuperat.

quidquid caſus in occurſum ejus ſubvectat. Paganis tandem admirabili & incomparabili inclyti regis virtute proſtratis atque fugatis, & ab urbe ſecluſis, equiſque quampluribus amiſſis, accerſiit rex de caſtelli cuſtodibus, eoſque ad cuſtodiam portarum atque murorum ubi conquaſſati erant, deputavit.

Habita denique incredibili rex victoria, ibidem rex confeſtim cum ſuis ſex militibus ad exercitum regreditur; ſed de equorum paucitate valde contriſtatur. In toto ſiquidem illo exercitu non amplius quam ſex equi cum una mula fuerant. Ut autem exercitum ſuum ad pugnam inſtantem animaret & audaciorem redderet, narravit quanta per eos Dominus in urbe fecerit, & quomodo de tot hoſtibus tam pauci triumphaverunt. Ideo, « ô milites Chriſti, invocemus, ait, omnipo- « tentis Dei auxilium, ut ſua potenti virtute « conterat hodie inimicos noſtros. Videte ut « in prima decertatione eis unanimiter reſi- « ſtatis, & primum irruptionis ſuæ impetum « viriliter toleretis, ne intra nos primo pene- « trantes, cuneum noſtrum diſgregare valeant, « atque nos intra ſe incluſos quaſi paucas ovi- « culas infra caulam ictibus dilanient. Si enim « primum congreſſionis ſuæ aſſultum diſgre- « gati perſerre poterimus, illorum poſtmodum « audaciam parvipendemus, & cum Dei ad- « jutorio de inimicis Crucis Chriſti victores « triumphabimus. Quod ſi aliquem veſtrum « præ timore nutantem, & inimicis locum in- « tra nos præbentem, aut alicubi diffugientem « perſpexero, juro omnipotentem Deum, quod « ei caput ictu celeri amputabo. «

Reverſus ad ſuos eos ad pugnam hortatur.

Poſtquam ergo rex inclytus, omni mortis horrore depoſito, ſuos ad pugnam diſpoſuerat, monuerat & inſtruxerat, omneſque lanceis erectis contra adverſarios ſtarent, ac ſupplici prece in tali mortis diſcrimine Dei omnipotentis auxilium invocarent, nihilque aliud nonnulli eorum niſi mortem acerbam meditarentur, ecce ad tubarum clangorem & claſſicorum horribilem ſtrepitum agmina paganorum cum magno impetu lanceis erectis in catervas Chriſtianorum unanimiter vociferando irruunt, æſtimantes ſe in prima irruptione Chriſtianos a ſua prima ſtatione repulſuros, & per campum diſperſuros, vel acies illorum cum tali impetu penetrare, & penetratas diſgregare; ſed agmen Chriſti firmum in ſua ſtatione immobiliter perſiſtens, nec tanto terrori voluit aliqualiter cedere, nec congreſſionem diffugiendo devitare: quod Turci aſpicientes & tam paucorum inauditam audaciam admirantes, parumper ab eis ſemoti ſubſiſtunt: ita ut utraque pars cum lanceis ſummitates lancearum ſuarum ad invicem contingere poſſet. Nulla denique tela vel ſpicula intra ſe jaciebant: tum modo nutibus, verbis & truculentis vultibus ad invicem minitantes. Per dimidiam fere horam

Saracenis in Chriſtianos irruen.

Quos immobiles & firmos reperientes terrendum.

Turcis

Turcis ſic ſubſiſtentibus, ad primam ſuam ſtationem omnes regrediuntur, inter ſe muſſitantibus & colloquentibus, a Chriſtianis quaſi dimidium ſtadii diſtantibus. Illis autem ſic retrocedentibus, rex in riſum ſolvitur, & cachinnando vociferatur: Eia ſtrenui milites Chriſti, numquid non dixi vobis illos nobiſcum non audere congredi, niſi prius a nobis fuerint laceſſiti? Jam enim totam probitatis ſuæ audaciam in hac prima invaſione erga nos oſtenderunt. Jam quidquid formidinis & terroris voluerunt nobis incuſſerunt; æſtimabant quippe nos ex ſua numeroſitate deterrere, & eorum primæ irruptioni non audere reſiſtere: æſtimabant nos ex ſola formidine ſui impetus muliebriter a ſtatione noſtra ſecedere, & per planiciem huc illucque diſcurrendo diffugere. Nunc ergo maledictus ſit, qui pro eorum aſſultibus deinceps diffugiat, vel qui congreſſionem illorum expaveſcat. Impetus eorum, ut cœpimus, viriliter toleremus, donec triumphum, Deo auxiliante, reportemus.

Iterum quinquies irruunt Saraceni & reverberantur.

Ut ceſſavit autem loqui, gens illa nefaria ſimul glomerata uno impetu iterum vociferando, tubis perſtrepentibus concurrunt, ut prius fecerant, pauliſper ab eis ſemoti ſubſiſtunt. Chriſtianis autem cum majori audacia quam prius in ſtatione ſua immobiliter ſubſiſtentibus, nihilque trepidantibus, denuo ad ſuam primam ſtationem pagani retrocedendo regrediuntur. Hujuſmodi incurſionem fecerunt quinquies ſive ſexies, ſcilicet ab hora diei proxima, fere uſque ad nonam. Belliſus ergo rex jam gravi tædio pro longa expectatione affectus, majoremque audaciam ex ſui ipſius aliorumque experta probitate concipiens, præcepit exercitui ſuo, ut in proximo aſſultu inimicos Chriſti telis & lanceis appeterent, eoſque ad pugnam provocarent unanimiter, præcepitque arbaleſtariis, ut caute ante milites incederent, & ut ſagittas & ſpicula in hoſtes dirigerent, quod & factum eſt. Nam dum Turci ſecundum morem denſata caterva cum clangore horribili incederent, & in Chriſtianos ſolitum impetum facerent, confeſtim Chriſticolæ inimicos Dei lanceis & gladiis & diverſo armorum genere invadunt, invadendo proſternunt, proſtratos occidunt. Fit itaque inter paganos maxima cædes, horribilis clamor, ingens perturbatio, dum illi lanceis perforarentur, iſti ab equis proſternerentur, quidam capite plecterentur, nonnulli ſagittis confoderentur, alii atque alii diverſis telis vel jaculis interficerentur. Nec mora rex ille bellicoſus, armis decentibus decoratus, velut flamma præ nimio furore igneſcens, & ad inferendas & perferendas plagas adhuc recens, quaſi nihil ipſa die peregiſſet, in hoſtiles acies intrepidus prorupit, enſem ocius de vagina extrahit, lanceam velociter vibrat, atque circa galeata capita ictuum colliſione fulminat; & nunc hac nunc illac diſcurrens inter hoſtes, nec ictus recipere diffugit, nec hoſtibus ictus mortiferos inferre quieſcit. Circumdederunt eum aliquando centum paganorum, qui omnes in illum ſolum irruebant, in quos ipſe ſolus irruens, dum alii caput uno ictu truncaret, illi ſcapulas a corpore ſepararet, huic brachium cum manu amputaret, quoſdam vero proſternendo debilitaret, reliqui omnes ab eo diffugiendo huc illucque dilapſi ſunt; tantuſque timor omnes invaſit, ut nullus eum in illa concertatione expectare, nullus ei obviam venire auderet, immo a conſpectu ejus quaſi a facie ferocis leonis concito curſu diffugiebant. Bellicoſum itaque regem prævium veluti ſigniferum, bellicoſa agmina celeri gradu ſubſequuntur, quæ hoſtium catervas a dextris & a ſiniſtris penetrando diſſipant, ac ſibi quoſque obvios vel obſiſtentes immiſericorditer trucidant. Pagani vero ruentes miſerandis clamoribus mugiunt, terramque vertice & pedibus pulſantes, animas cum ſanguine ructando ad tartara remittunt. Et licet pagani Chriſtianos acrius invaderent, & diverſis telis appeterent, & ſagittarum pluviam emitterent: tamen, Deo volente, ita divinitus procuratum eſt, ut nullum mortiferum ictum alicui inferrent, nec aliquem noſtrorum perimerent in hac congreſſione, niſi unum ſolum militem, qui a ſociis præ timore diffugiens, dum mortem fugit, mortem quam timebat incurrit. Præibant ſemper arbaleſtarii, in hac congreſſione potiſſimum laudandi, quorum incomparabili virtute hoſtilis impetus præcipue repellebatur, audacia atque ferocitas paulatim deponebatur. Nam dum eorum ſpicula ſibi quiſque cautius præcavebat, aſſilientis hoſtis congreſſionem incircumſpectius evitare poterat. In hoc autem belli certamine, quantum virtus inclyti regis enituerit, quotque proſtraverit ac debilitaverit, quotque interfecerit, vel quantum ſuorum probitas claruerit, quotque hoſtium millia diſſipaverit, & quot millia de prælio fugaverint, incredibile relatu eſſe videretur, ſi non virtus divina attendatur. Quis enim abſentium umquam crederet regem cum ſex militibus tantum potuiſſe urbem fere a tribus millibus evacuare, deinde ab urbe cum triumpho rediens, contra tot millia paganorum equeſtris ordinis cum octoginta militibus & cccc. ſagittariis fere per totum diei ſpatium ita inſuperabiliter congredi, tot miſſilium ictibus impeti, tot jaculis lanceari, ut non ſolum omnes, excepto illo de quo ſupra diximus, evaderent; ſed nec a prima ſtatione ſua per unius pedis ſpatium retrocederent, quin etiam adverſarios undique proſternerent, lentamque & inopinatam victoriam, debilitatis & effugatis hoſtibus, reportarent, niſi divina virtute credantur fuiſſe ſubnixi, cæleſtique protectione ſuffulti. Denique illi qui in urbe

Richardus exaggeratur & omnino ſuadet.

Joppe ob cuſtodiam remanſerant, regis ſuorumque invincibilem fortitudinem admirando attendentes, de urbe unanimiter prorumpunt, hoſteſque cum reliquis atrocius invadunt. Quorum recenti invaſione, regiſque ac ſuorum indefeſſa congreſſione, hoſtes compulſi cum magna ſui confuſione, ſuorumque quamplurium amiſſione, fugiendo terga verterunt, & in antris & cavernis delituerunt.

Interea nunciatur exercitui quem apud Ptolemaïdam rex reliquerat, apud Joppem regem ab inimicis undique concluſum, nec aliquo pacto poſſe evadere niſi cælitus eis *ſubveniatur; tunc mœror & luctus omnium*, vox una plangentium, timor ac tremor occupat omnes, fugam omnes meditantur. Conveniunt tamen undique ſtrenui milites, ſimul colloquitur exercitus, ſi forte aliquod ereptionis ſubſidium regi conferre eſſet poſſibile. Cæſaream itaque proficiſcuntur; ſed ibidem præ timore hoſtium ſubſtiterunt, ulterius progredi non audentes. Eis autem ibidem *ſubſiſtentibus* nunciata eſt inopinata regis victoria, ex qua relatione immenſa lætitia perfuſi, laudum præconia ereptori omnium perſolvuntur. In diebus autem caniculariboſ hæc belli congreſſio facta eſt.

Rex Richardus peſte correptus.

Poſt hanc incredibilem regis Richardi victoriam, cum idem rex apud Joppem moraretur, quidam peſtifer morbus ex aëris corruptione proveniens, ipſum regem omneſque fere ſuos pernicioſe invaſit, & quotquot ex hæc morbi contagione perculſi ſunt, citius interierunt, excepto rege, Domino ei ſoſpitatem tribuente. Cernens itaque rex Richardus theſaurum ſuum, quem larga manu minus conſulte militibus diſtribuerat, paulatim deficere, exercitumque Francorum & alienigenarum, quem multis ſumtibus datis jam per annum conduxerat ſecumque retinuerat, mortuo duce Burgundionum velle repatriare, necnon & exercitum proprium partim hoſtili congreſſione, partimque peſtifera ægritudine paulatim minorari, hoſtilem vero exercitum de die in diem augmentari, fratrum Templi & *Hoſpitalis*, necnon & principum qui cum eo erant uſus conſilio, ad horam repatriare diſpoſuit, ut iterum multiplicato numero tam militum quam pecuniarum, fortius & inſtructius ad obſidendam Jeroſolymam regrederetur, juratoria ſuper hoc præſtita cautione. His autem infortunium ſecundum quoſdam acceſſit, quod nunciabatur ei, quod comes Johannes frater ejus, quem in Anglia reliquerat, ſibi Angliam ſubjugare moliebatur, quia cancellarium ſuum dejecerat ob nimiam ejus tyrannidem. Et quia tanti principis tantique exercitus diſceſſio non abſque ibidem remanentium gravi periculo, terræque ſubjugatæ diſpendio fieri potuit, treugæ inter Chriſtianos atque paganos utriuſque exercitus petitione & conſilio acceptæ ſunt, a Paſcha ſubſequenti uſque ad trium annorum curriculum.

Repatriare deliberat pactis belli induciis cum Sarracenis.

Tempore igitur autumnali præparatis navibus, omnibuſque rite diſpoſitis, rex Richardus atque regina *domna* Berengaria cum ſorore regis Johanna regina Siciliæ, necnon & proceres cum exercitu mare Mediterraneum transfretaverunt. Quibus abeuntibus, juſto Dei judicio licet nobis occulto, illico ſubortæ ſunt inſolitæ tempeſtates in mari navigantibus, perſecutiones illatæ in terra applicantibus. Nonnulli naufragium perpeſſi ſunt, quidam in littore navibus confractis, amiſſiſque opibus, nudi vix evaſerunt, pauci vero ad deſtinatum ſalutis portum applicuerunt. Hi autem qui maris evaſere pericula, hoſtiles acies ubique reperiunt contra eos in terra conſurgere, a quibus immiſericorditer capiuntur, deſpoliantur, & gravi redemtionis debito nonnulli affliguntur. Nullus ſubterfugiendi *locus tutus* relictus eſt, quaſi tellus & mare contra fugitivos Dei conjuraſſent: unde ſatis conjici potuit ipſorum reditum nequaquam Deo fore acceptum, peregrinatione nondum expleta, qui ipſos poſt modicum tempus in terra illa magnificare decreverat, omnes inimicos ſubjiciendo, & terram pro qua tam laborioſam peregrinationem aſſumſerant tradendo. Nam illis ſic abeuntibus in ſubſequenti quadrageſima hoſtis Chriſtianitatis, terræque prædictæ invaſor, Salaadinus ſcilicet, vitam miſerabilem miſerabili morte terminavit. Qui ſi tunc præſentes affuiſſent, facillime totam terram illam obtinuiſſent, filiis ac propinquis ejuſdem Salaadini inter ſe pro regno certantibus.

Reversus multa subit pericula.

Saladinus moritur.

MCXCII. Rex Richardus cum nonnullis ſuorum nimia maris tempeſtate vexatus per VI. hebdomadas, cum deveniſſet verſus Barbariem, trium dierum velificatione a Marſilia diſtans, famaque crebreſcente jam cognoviſſet comitem S. Egidii, necnon & cunctos principes per quos tranſiturus erat, contra eum unanimiter conſpiraſſe, inſidiaſque ei ubique tetendiſſe, diſpoſuit per Teutonicam latenter repatriare; retortiſque velis apud Coureſo inſulam tandem applicuit, conductiſque ibi duabus pyratarum navibus, qui pyratæ regis navem audacter invaſerant, ſed a nauta regis recogniti, & cum rege confœderati, ob eorum laudabilem fortitudinem & audaciam aſcendit rex cum eis, paucis ſuorum ſecum retentis, in quibus erant Baldewinus *de Betun*, & magiſter Philippus clericus regis, atque Anſelmus capellanus, qui hæc omnia nobis ut vidit & audivit retulit, & quidam fratres Templi, qui omnes in partes Sclavoniæ ad quamdam villam nomine Gazaram applicuerunt, ſtatimque nuntium ad proximum caſtellum dirigunt, pacem & conductum a domino provinciæ il-

Rex Richardus per Teutoniam latenter repatriare.

Apud Gazaram *alias* Iamnonem.

lius, qui nepos extitit marchisii expetentes. Rex autem in reditu suo tres lapides pretiosos, scilicet tres *Rubiz* a quodam Pisano DCCCC. bisantiis comparaverat, quorum unum, dum esset in navi, in annulo aureo includens, annulum illum domino castelli per prædictum nuntium transmisit. Percunctatus vero nuntius a domino loci illius quinam essent qui conductum petebant; respondit peregrinos esse a Jerusalem redeuntes, deinde nomina eorum requisivit; at nuntius, unus, inquit, eorum appellatur Baldewinus *de Betun*, alter vero dicitur Hugo mercator, qui & vobis annulum transmisit. At dominus ille diutius annulum intuitus non, inquit, Hugo, sed rex Richardus appellatur, & subintulit: Licet ipse juraverim me omnes peregrinos de partibus illis adventantes comprehensurum, nec aliquod munus ab eis accepturum, tum pro dignitate muneris & mittentis domini, qui me ignotum ita honoravit, & munus missum remitto, & liberam abeundi licentiam concedo. Reversus itaque nuntius omnia hæc regi intimavit. At illi valde trementes, media nocte comparatis equis de villa prædicta occulte exeunt, sicque per terram illam diutius libere proficiscuntur. Sed dominus ille prædictus latenter post eos exploratorem suum transmisit, ut regem in terra sua advenientem comprehenderet. Ubi cum rex advenisset, & urbem in qua frater prædicti domini morabatur fuisset ingressus, statim ille accersito ad se quodam fidissimo homine suo *Roger* nomine, Normannicus genere; *d'Argenton*, qui cum eo per XX. annos extiterat & neptem suam ei tradiderat, præcepit ei ut domos ubi peregrini hospitabantur diligenter perscrutaretur, si forte regem per loquelam vel per aliquod signum explorare posset, promittens sese ei medietatem urbis daturum, si regem intercipere posset. At ille singulorum hospitia inquirens & discutiens, tandem regem reperit: quo diutius dissimulante quod erat, tandem importunitate precum & lacrymarum pii inquisitoris compulsus, confitetur quod erat. Qui statim cum lacrymis fugam latenter arripere adhortatur, equum peroptimum regi tradens. Postea autem ad dominum suum revertens, dicit frivolum esse quod audierat de regis adventu; sed esse Baldewinum *de Betun* & comites ejus, qui de peregrinatione redibant. At ille furibundus jussit omnes comprehendi. Rex vero latenter de urbe egrediens cum Willelmo de Stagno & quodam puero, qui linguam Teutonicam intelligebat, per tres dies & noctes sine cibo profectus est. Deinde famis inedia urgente ad quamdam villam nomine Ginanam in Austria prope Danubium divertit, ubi tunc temporis ad cumulum omnium malorum dux Austriæ morabatur. Puer vero regis ad escambium veniens, cum plures bisantios proferret, nimisque cu-

Occulte media nocte exeunt, sed per exploratores quæruntur.

Iterum nocte latenter fugit.

rialiter ac pompatice se haberet, a civibus illico comprehensus est, ac requisitus quisnam esset, servientem cujusdam ditissimi mercatoris se esse respondit, qui post triduum ad urbem illam esset venturus, sicque tunc ab illis dimissus, ad secretum regis hospitium clanculo regreditur, fugamque quantocius adhortatur, denuntians regi quæ sibi acciderant. Sed rex post nimiam maris vexationem in prædicta urbe per aliquot dies requiescere cupiens, dum præfatus puer sæpius pro emendis necessariis ad forum publicum regreditur, accidit eum semel die scilicet S. Thomæ apostoli chirotecas domini regis sub zona secum incautius gestasse. Quas magistratus urbis intuentes, puerumque iterum apprehendentes, dirissime torquent, variis pœnis & cruciatibus afficiunt, vulnera infligunt, linguam abstractam amputare minantur, nisi citius rei veritatem confiteatur. Puer autem intolerabili cruciatu compulsus, ut se res habuit innotescit. At illi continuo hæc omnia duci annuntiantes, hospitium circumvallant, & ut sponte se reddat acriter insistunt. Rex autem ad tumultuantium vocum barbariem veluti imperterritus manens, suamque defensionis probitatem non apud tot barbaros prævalere sentiens, jubet ducem adesse præsentem, ipsi soli redditurum se promittens. Duci autem illico adventanti, rex aliquantulum obviam processit, seque ei cum gladio tradidit. Dux autem lætissimus effectus, secum regem honorifice deduxit, quem deinde strenuis militibus suis custodiendum tradidit, qui die noctuque strictis ensibus artissime eum ubique custodierunt: quod miserabile infortunium non absque omnipotentis Dei judicio, licet nobis occulto, evenisse arbitrandum est, sive pro ipsius regis lubricæ ætatis erratibus castigandis, sive pro subditorum suorum peccatis feriendis, vel ut detestabilis malitia regem in tali casu persequentium per universum orbem divulgata, fœda relinqueret posteris suis tanti facinoris cauteria, qui tantum regem, tanta virtute & potentia præditum, atque de tam laboriosa peregrinatione redeuntem, tanta oppressione & calamitate afflixerunt, & postmodum intolerabili redemtionis debito regnum ejus contriverunt. Nam quæ gens, rogo, nefaria & a Christianæ fidei legibus aliena in tanto principe, ac in tali casu comprehenso, graviora vel severiora vellet umquam exercuisse judicia, etiamsi in manibus ipsius Salaadini per simile infortunium decidisset, contra quem idem rex a finibus terræ relicto regno nuper adepto, relicta patria, parentibus, amicis, dimicaturus ascendit, mitiori eum pœna forsitan afflixisset, regnumque ejus tolerabiliori redemtionis jugo aggravasset, nimirum deferre sciens ejus generositati ac probitati pariter & regiæ majestati, quibus illa gens barbara deferre nescivit. O

A duce Austriæ capitur.

gens cervicosa! ô barbara tellus! quæ viros gigantea mole porrectos educare consuevisti, sed animi virtute ignavos: statura proceros, sed probitate inertes, numquam ipsum regem bello lacessere præsumsisses, si bellicoso suo exercitu vallatus fuisset, & iccirco tanti principis dejectio non est imputanda tuæ virtuti, immo potius divinæ dispositioni, ad cujus nutum rota fortunæ volubilis celerius volvitur, hunc & humilians & hunc exaltans; illum erigens & istum deprimens; quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto, qui baltheum regum dissolvit, & præcingit sune renes eorum, qui potentes deponit de sublimi, & effundit despectionem super principes.

Dux Austriæ regem custodiendum tradit Henrico imperatori.

MCXCIII. Dux Austriæ regem Richardum imperatori Henrico tradidit custodiendum, qui diligentissime custodiri fecit eum, primo Treviris, deinde Wormatiæ, copiam militum & servorum turbam ex omnibus fortissimis Teutonicorum custodiæ suæ deputans, qui in omnibus locis die noctuque gladiis accincti comitarentur, & lectulum regis ambirent, neminem suorum cum eo pernoctare permittens. Hæc autem omnia numquam sereniſſimi principis vultum obfuscare potuerunt, quin hilaris & jucundus in verbis, quin ferox & audacissimus in factis, prout tempus, locus, causa, persona exigebat, semper appareret. Quotiens autem custodes suos per improbos irrisionum jocos deturpaverit, seu molestaverit; quotiens eos inebriando ludificaverit; quotiens tam immanium corporum viros quasi ludendo aggressus fuerit, aliis narrandum relinquo.

Imperator vero iratum animum ac ferocem erga regem diutius conservans, nullatenus eum in præsentia sua convocare vel alloqui voluit, quia regem in pluribus contra eum & suos graviter deliquisse conquestus est, multas ei objiciens calumnias. Tandem hinc inde mediantibus amicis & præcipue abbate Cluniacensi & cancellario regis, imperator convocatis episcopis, ducibus & comitibus suis, regem in præsentia sua accersiri jussit, eumque in pluribus causis coram omnibus accusavit. In primis scilicet quod per ejus consilium & auxilium regnum Siciliæ & Apuliæ, quod ei jure hereditario debebatur, defuncto rege Willelmo, amiserit, pro quo adipiscendo exercitum permaximum, data infinita pecunia, conduxerat, cum idem rex sibi auxilium fore præstiturum fideliter spopondisset; ut regnum illud a Tancredo obtineret. Deinde causatur de imperatore Cypri, qui ei affinitate conjunctus fuerat, quod cum injuste ab imperio depoſuerit, & eum carcerali custodiæ mancipaverit, & terram ejus cum thesauris violenter invaserit, & insulam cuidam alio vendiderit. Postmodum vero regem accusat de morte marchisii de Monteferrato hominis sui, quod scilicet per ejus proditionem atque machinationem ab Hansaciis peremtus, quos etiam miserat ad perimendum regem Galliæ dominum suum, cui nullam fidelitatem in communi eorum peregrinatione, sicut juramenti sacramento inter utrosque confirmatum est, exhibuerat. Deinde conqueritur quod signum ducis Austriæ consanguinei sui, ob ejus contemtum in cloacam apud Joppem præcipitaverit, & Teutonicos suos in terra illa Jerosolymitana verbis probrosis & factis dehonestaverit.

Imperator ad se accersitum de multis accusat.

Super his & hujusmodi calumniis rex ab imperatore conventus, confestim idem rex in medio stans cum duce Austriæ, qui pro eo tunc plurimum lacrymabatur, contra singulas objectiones ita luculenter & argumentose peroravit, ut omnibus admirationi ac veneratioi haberetur: ita ut nulla suspicio de his in quibus accusabatur in cordibus eorum ulterius resideret. Nam objectionum veritatem & ordinem quibusdam veridicis assertionibus & probabili argumentatione ita in lucem propalavit, ut omnes falsas suspiciones quibus impetebatur omnimodis cassaret, & gestorum veritatem non reticeret. Proditionem tamen vel alicujus principis necis machinationem constanter defendebat, asserens se semper paratum ad purgandam innocentiam suam super tali objectione, prout curia imperatoris adjudicaret. Ad quæ rex respondet.

Cumque diutius coram imperatore & principibus disertissime, ut est facundissimus, allegasset, surrexit imperator, & rege ad se accersito, osculatus est eum, deinceps blande leniterque cum eo colloquens. Ab illo ergo die cœpit imperator regem vehementer honorare & familiariter cum eo agere. Deinde mediantibus hinc inde utrisque partibus pro redemtione regis diutius tractatum est. Tandem ad hoc perventum est, ut pro redemtione sua daret centum quinquaginta millia marcas argenti ad pondus Colonienſium. Cumque super hoc imperatori & regi conveniret, præstitum est ab episcopis, & ducibus, & comitibus juramentum die apostolorum Petri & Pauli, ut quam citius prænominatam pecuniam rex persolvisset, illico liber ad regnum proprium regrederetur. Minus cum eo imperator agit, tractatque de ejus redemtione.

Perlata autem in Anglia hujus concordiæ sententia regis cancellario, qui litteras domini regis & bullam auream domini imperatoris secum detulit; continuo exiit edictum a justitiariis regis, ut omnes episcopi, clerici, comites & barones, quælibet etiam abbatia sive prioratus, quartam partem redituum suorum ad redemtionem regis conferrent, quin etiam ad illud opus calices argenteos sustulerunt. Nulla denique ecclesia, nullus ordo, nullus gradus vel sexus prætermissus est, quin ad redimendum regem cogeretur. Hujus vero tantæ calamitatis præsagia extiterant per totum illius anni circu- Ad regis redemtionem quarta pars reddituum ecclesiarum levatur.

lum insolitæ tempestates, inundationes aquarum ter seu quater in quolibet mense, horrenda tonitrua hyemalia, fulgura & coruscationes, frugum & fructuum infertilitas.

Saladini mors subita.

Eodem anno circa quadragesimam Salaadinus, qui tanta mala Christianis intulerat, divina animadversione percussus, apud *Nazareth* inter epulas subito expiravit, cujus regnum Saphadinus frater ejus statim arripuit. Fueruntque cum eo & sub eo filii Salaadini, contra quos filii Noradini, quos Salaadinus de regno patris expulit, cum multitudine Persarum ascenderunt. Rege autem Richardo apud imperatorem detento, comes Johannes frater ejus, qui filiam comitis Cestriæ duxerat in uxorem, audito fratris infortunio, atque de regressione regis diffidens, fœdus amicitiæ iniit cum rege Philippo. SAVARINUS ad episcopatum Bathoniensem eligitur & consecratur.

Philippus rex cum exercitu Normanniâ ingreditur.

Rex autem Philippus inimicitias contra regem Richardum ubique exercens, Normanniam cum maximo exercitu aggreditur, non ordini, non sexui, non ætati parcens. Nam Vilibertus de *Waseuil*, accersito apud se prædicto rege, Gizortium ei per traditionem, sicut inter eos convenerat, tradidit. Deinde idem rex totum Vilcassinum, & comitatum Albæ-Marliæ usque ad *Diepe*, & vallem *de Ruel*, & præcipua castella partim proditione partim expugnatione sibi subegit, necnon & terram Hugonis *de Gurnay*, qui se cum pluribus aliis regi subdiderat. Rothomagum etiam obsedit; sed laudabili virtute comitis Leicestriæ & probitate civium ejusdem urbis, cum suorum amissione & confusione ab obsidione repulsus est. Civitatem vero Ebroicensem idem rex cepit, & multam tyrannidem exercuit. Eodem anno idem rex sororem regis Daciæ nomine *Ingelburgh*, puellam mirabili decore præditam accepit in uxorem, quam post nuptias repudians, inter sanctimoniales apud Suessionem collocavit, omnesque Dacos qui cum illa advenerant, illico repatriare jussit.

Rex Richardus de custodia liberatur.

MCXCIV. Rex Richardus maxima jam parte redemtionis suæ persoluta, datisque pluribus obsidibus pro reliqua parte quæ restabat persolvenda, die Purificationis beatæ MARIÆ ab omni custodia imperatoris liber effectus est, & ad proprium regnum redire permissus: qui cum matre sua & cancellario per terram ducis Luvaniæ ad mare Britannicum proficiscens, apud *Andevviorpe* aptum tempus transfretandi diutius expectavit. Qui in die Dominica post festum S. Gregorii in Angliam cum magno gaudio ad portum Sandwicensem applicuit. Hora autem qua rex cum suis applicuit, scilicet secunda hora diei, sole clarius rutilante, apparuit quidam sereniſſimus atque insolitus splendor non longius a sole distans, quasi ad longitudinem & latitudinem humani corporis, candorem præfulgidum atque rubedinem quasi species iris in se continens: quem splendorem plures intuentes pronuntiabant regem in Anglia fore appulsum. Rex autem illico Cantuariam profectus B. Thomam devotus expetiit; deinde Londoniam proficiscens a civibus Londoniæ cum lætitiæ pompa maxima exceptus est, universa civitate contra regis adventum innumerabilium opum varietate decorata atque multiformiter adornata. Audito autem regis adventu, nobiles pariter & ignobiles adventanti regi cum magna alacritate occurrunt, cernere plurimum cupientes a captivitate regressum, quem pertimuerant numquam fore reversurum.

Rex revertsus in Angliam adversus eos qui in se cum suo fratre conspiravetãt procedit.

Rege vero per unum diem apud Westmonasterium commorante, apud S. Edmundum oraturus progreditur. Inde *Notingheam* tendit, obsessurus & expugnaturus eos qui contra eum conspiraverant, & comiti Johanni se obligaverant. Robertus Brito a rege captus, jussit ut fame in carcere interiret. Exercitus enim Angliæ omnia alia castella præfati comitis jam ceperat, illo solo adhuc se viriliter tuente & defendente; sed rex prædictum castellum obsidente & semel assiliente, ut certius cognoverunt obsessi inopinatum regis adventum, castellum domino regi tradiderunt, seipsos cum suis in voluntate & miseratione regis ponentes: quorum quosdam in carcere retrusit, quosdam digno pretio redemit, pecuniam singulorum in tali necessitate avide sitiens. Nec mirum: qui enim thesauros proprios multis in locis jam expenderat, eosque partim in diutina peregrinatione, partim pro sua redemtione omnino evacuaverat, necesse erat ut aliorum pecunias avidius exquireret. Duæ siquidem præcipuæ causæ eum vehementer urgebant, ut scilicet obsides pro se datos erga imperatorem redimeret, & ut exercitum copiosum contra regem Galliæ, qui terram suam incendiis atque rapinis undique devastabat, confestim conduceret. Quapropter si avidius quam regiam majestatem decuit, pecuniam a subditis in tali casu exquirebat, ignoscendum potius erat, & tantis angustiis afflicti regis pie compatiendum, quam aliquid regiæ necessitati derogandum.

Richardus coronatur ab archiep. Cantuariensi.

Subactis igitur in Anglia omnibus in brevi adversariis, rex Richardus in octavis Paschæ apud Wintoniam consilio procerum suorum, licet aliquantulum renitens, coronatus est, archiepiscopo Cantuariensi HUBERTO WALTERO missam celebrante, qui anno præterito a Jerosolyma regrediens, in archiepiscopum est consecratus. Statim post hæc rex in Normanniam transfretavit. Cernens autem comes Johannes se nequaquam fratri suo posse resistere, laudabili usus consilio, regi in Normanniam applicanti occurrit, seque ad pedes ejus humiliter cum quibusdam militibus prostravit, miserationem fratris cum multis lacrymis implorans, seque in multis accusans,

Fratri respiscenti veniam tribuit.

& insipientiam confitens. At vero rex fraternæ calamitati misericorditer compassus, non se a lacrymis cohibere potuit, ejusque temerariæ præsumtioni condonavit, fratremque in terra prostratum erexit, & in benignitatis gratiam recepit; sed tamen terras ablatas nequaquam ei continuo restituit: moxque ambo militari caterva stipati hostiles acies sæpius invadunt, obvios quosque adversarios prosternunt, castella ac terras a rege Galliæ occupatas paulatim capiunt, terramque adversariorum rapinis & incendiis devastant. Rex Tancredus Siciliæ obiit: quo audito imperator ad illas partes cum magno exercitu profectus est. Obiit comes Albericus *de Ver.*

In nativitate B. Johannis apparuerunt in aëre duo magni circuli, loco, colore, & magnitudine a se invicem distantes. Nam minor circulus subrubeus & subobscurus ipsum solem æquis spatiis undique ambiebat; nubes vero subobscuræ & quasi fumosæ intra circulum & circa solem visebantur, sed solis fulgorem minime operiebant: alius autem circulus permaximus erat, candidus & præfulgidus, nulla obscuritate vel rubedine suffusus, qui medietatem prædicti circuli atque solis medietatem complectens, versus Angliam se latissimo circuitu extendebat. In circulo autem candido juxta minoris circuli conjunctionem apparuit quædam species iris ad longitudinem & latitudinem humani corporis, quod fatale prodigium ab hora tertia usque ad horam sextam perdurans, plurimorum oculos...famem, tempestates quæ ex aëris inæqualitate subsequutæ sunt, plurimi portendere arbitrabantur.

Dux Austriæ excommunicatur & divinitus punitur.

MCXCV. Terra ducis Austriæ a CÆLESTINO papa anathemate innodata, ob injuriam quam regi repatrianti dux ipse intulerat, & ob retentionem obsidum: cœlitus etiam percussa est anno præcedenti, sterilitate scilicet, fame & peste. Danubius etiam in quadam parte terræ ejus plus solito inundans, inopinato eventu decem millia hominum submersit; sed quia in omnibus his plagis non est aversus furor ducis; immo adhuc plurimos obsides pro injusta redemtione regis accipiens, eosque in arcta custodia ponens, ad ultimum ipse divino judicio terribiliter percussus est, ipso cum proceribus suis Natale Domini cum maxima pompa & gloria celebrante. Die siquidem S. Stephani cum lusum equitando pergeret, comitantibus sociis, equus cui dux insidebat, mole nivis offensus corruit, sedentisque pedem cum tibia insanabiliter contrivit. Nam tibia cum pede protinus cum quadam nigredine intumescens nullo medicorum cataplasmate sedari potuit: quin potius ignis quem infernalem vocant tumori admixtus, intolerabiliter eum cruciabat: quem cruciatum dux diutius ferre non valens, pedem a crure detruncari fecit, ipso dolabrum interim tenente, ceteris omnibus præ nimio horrore & miserabilis domini sui miseratione hoc facere renuentibus; sed nec sic doloris evasit cruciatus: nam statim femur cum reliquo corpore igne execrabili depascebatur. Tandem vero agnoscens impietatis culpam quam in regem & in obsides regis malitiose exercuerat, suadentibus episcopis, qui aderant, obsides absolvit, & residuum pecuniæ de regis redemtione quod nondum expenderat se redditurum spopondit, atque ecclesiasticæ censuræ se deinceps pariturum promisit: unde episcopi eum in tanta calamitate constitutum in communionem receperunt, atque ita vita decessit: cujus corpus diutius inhumatum jacuit, eo quod filius ejus mandata patris exequi nollet. Tandem ab amicis compulsus, obsides absolvit, & repatriandi licentiam concessit, qui cum maximo labore atque inedia latenter ad propria sunt reversi. Talis igitur ultio in ducem suosque divinitus processit. Imperator Henricus subjugavit sibi regnum Apuliæ atque Siciliæ mortuo Tancredo rege, qui Willelmo regi injuste successerat. Idem enim imperator duxerat in uxorem sororem regis Willelmi, cui regnum illud justius debebatur, mortuo fratre. Rex de *Maroch* cum xxx. regulis & cum innumerabili Sarracenorum exercitu ex Africa prorumpens in Hispaniam applicuit, terramque petit Hispaniæ, pluresque provincias incendiis & rapinis depopulans, nec parcebat ordini, nec sexui, nisi eis qui se sponte ejus vesaniæ subdiderunt. Habebat enim in comitatu suo, sicut principes terræ illius capitulo Cisterciensi flebiliter intimaverunt, sexdecies centum millia hominum, ex quorum inopinato adventu omnis Christianitas vehementer turbata est.

De abbate Joachim.

Hac tempestate extitit quidam abbas non longe ab urbe Roma ordinis Cisterciensis, sed Cisterciensibus minime subjectus, qui quamdam expositionem in septem visiones Apocalypsis edidit, accepta, ut aiunt, divinitus sapientia, cum fere esset prius illitteratus. In hac autem expositione evidenter ostendit vetus testamentum novo concordare, chronicis utriusque temporis adhibitis & diligenter supputatis, ubi etiam probare nititur, quod quamdiu duravit lex circumcisionis solo præcepto prius data & post scripto confirmata, tamdiu durabit gratia evangelica. Loquitur vero ibi secundum differentiam septem visionum, de mysterio septem sigillorum, ostendens ea fore clausa in veteri testamento, reserata autem in novo, assignans sex generales persecutionesHebræorum sex generalibus persecutionibus Christianorum; quintam vero persecutionem, quam sub quinta visione & quinti sigilli apertione distinxit, dicit agi temporibus nostris a Salahadino & ejus successoribus, qui terram Jerosolymitanam invaserunt, & matrem Sion a civitate sua Jerusalem transmigrare com-

pulerunt, orbatam ſancta Cruce, civitate, & regno & Chriſtianorum ceremoniis & omni gloria ſua illis locis ſpoliata. Hanc autem perſecutionem quintam quintæ perſecutioni veteris teſtamenti non incongrue aſſignare videtur, in qua muri Jeruſalem everſi ſunt, & templum crematum eſt, & populus in Babylonem a Nabucodonoſor captivus adductus fuit. Dicit etiam quod anno Dominicæ Incarnationis MCXCIX. incipiet ſexta diviſio & ſexta ſigilli apertio, ſub qua viſione probat auctoritate Apocalypſis, quod complebitur omnis antichriſti perſecutio, & ejuſdem mors & perditio; ſed ante ejus perſecutionem dicit evangelium Chriſti ubique prædicandum, & eccleſiam fidelium per omnes gentes dilatandam. Poſt antichriſti vero interitum, quot annorum vel dierum fieret expletio ſigilli ſexti, id eſt mortuorum reſurrectio, & ſeptimi ſigilli inchoatio, id eſt ſanctorum æterna glorificatio, ſoli Deo cognitum eſſe fatetur. Hic Romæ interrogatus a viro venerabili, & in Dei verbo facundiſſimo & æque religioſo abbate (a) Perſenniæ, quonam auſu talia prædiceret, an ex prophetia, an conjectura, ſeu revelatione? reſpondit ſe neque prophetiam, neque conjecturam, neque revelationem de his habere; ſed Deus, inquit, qui olim dedit prophetis ſpiritum prophetiæ, mihi dedit ſpiritum intelligentiæ, ut in Dei ſpiritu omnia myſteria ſacræ ſcripturæ clariſſime intelligam, ſicut ſancti prophetæ intellexerunt, qui eam olim in Dei ſpiritu ediderunt. Requiſitus autem ab eodem abbate quid ſentiret de antichriſto, reſpondit ipſum jam eſſe adoleſcentem in urbe Roma. Cui cum objiceret patrum præſagia, quod in Babylonia naſciturus prophetatus eſt; ſtatim intulit Romam myſtice Babyloniam vocari, juxta illud B. Petri in fine epiſtolæ ſuæ primæ: *Salutat vos eccleſia quæ eſt in Babylone electa.* Unde expoſitor: Romam Babyloniam vocat propter multiplicem idolatriæ confuſionem. Prædixit quoque Innocentium III. ſucceſſorem non habiturum. Requiſitus autem quoto dehinc anno regnaturus foret antichriſtus; reſpondit quod niſi morte præveniretur, ipſum ætatis permiſſu videre poſſet. Videbatur autem fere ſexagenarius.

[a]

De Mahumeto ſecta.

Quid vero ſuper hujus viri aſſertione vel potius opinione ſentiendum ſit, ſucceſſores noſtri certius dijudicare poterunt. Nos tamen jam videmus quod typicum Babylonis regnum maximum in orbe obtinet principatum, terras Chriſtianorum de die in diem occupando, & erroris perniciem dilatando. Poſt mortem enim Eraclii imperatoris, langueſcente Romano imperio, Arabum atque Sarracenorum ſurrexit principatus, qui omnes impiiſſima ſecta Mahumeti hæreſiarchæ infecti ſunt; qui vi armata maximas Aſiæ partes, & jam fere totam Aſiam cum tota Africa, ac maximam partem Hiſpaniæ occupantes, in ſubjectos ſicut imperium, ſic & errorem ſuum transfuderunt. Quæ hæreſis diaboli quidem machinatione concepta, primo per Arium feminata, deinde per *Mahumet* regem de Mecha longe lateque provecta, & multo deformius adaucta, per antichriſtum autem ex toto ſecundum diabolicam intentionem complebitur, & per totum orbem diffundetur. Sed ut malignitas diabolicæ adinventionis jam propagata facilius per antichriſti ſæviſſimam perſecutionem poſſit in Chriſticolas ubique dilatari, credibile eſt primitus Sarracenos antichriſti præcurſores paulatim terras Chriſtianorum invadere, & ſuo dominio ſubjugare, ſicut eos jam feciſſe cernimus; ita ut nullus Chriſtianus princeps, peccatis Chriſtianorum exigentibus, adeo potens exiſtat, qui antichriſti ſæviſſimæ perſecutioni & veſanæ tyrannidi audeat vel poſſit rebellando reſiſtere.

MCXCVI. Willelmus cum Barba Londoniis occiditur.

MCXCVII. Magna diſſenſio exorta eſt inter regem Richardum & archiepiſcopum Rothomagenſem, pro cujuſdam caſtri conſtructione, quod vocatur *Andeli*: ita ut archiepiſcopus ab archiepiſcopatu ſuo diſcederet atque Normanniam interdiceret, ſedemque apoſtolicam adiret, pro violenta illius loci invaſione, qui ad jus Rothomagenſis eccleſiæ ſpectabat. Contra quem W. Elyenſis eccleſiæ epiſcopus & domini regis cancellarius Romam proficiſcens, in ipſa ſtatim progreſſione infirmitate correptus, Pictavis mortuus eſt, Domino arborem infructuoſam ſuccidente, ne diutius vana & inutilia, ac officio ſuo omnino incongrua perpetrando terram occuparet. Rex Richardus dedit Othoni nepoti ſuo filio ducis Saxoniæ comitatum Aquitaniæ. Ventus vehemens factus eſt menſe Novembri, ita ut turres, ac domos arboreſque eradicaret. Soror regis Richardi Johanna, quæ & regina extiterat Siciliæ, deſponſata eſt comiti S. Ægidii. Rex Richardus dedit magiſtro Philippo clerico ſuo epiſcopatum Dunhelmenſis eccleſiæ; dedit etiam epiſcopatum Elyenſis eccleſiæ magiſtro Eustachio cancellario ſuo, qui & ipſe clericus extiterat prioris cancellarii jam defuncti. Archiepiſcopus Eboracenſis, exigentibus culpis archiepiſcopatu ſuo ſatis juſte ſpoliatus, Romam petiit; ſed gratiam regis Richardi & archiepiſcopi Cantuarienſis minime obtinere potuit, necnon & ceterorum quos vehementer offenderat: unde & quos per reconciliationis gratiam ſibi placabiles reddere non potuit, per veneficorum malitiam extinguere propoſuit. Sed antequam eorum malitia prævaluiſſet, qui-

Diſſentio inter *Richardū* regem & archiepiſcopū Rothomag.

Aquitan. comitatus datus Ottoni comiti Saxonico.

(a) Hic eſt celeberrimus ille Adam, qui ex canonico regulari, factus monachus Majoris-monaſterii, tranſiit ad Ciſtercienſes, ac tandem abbas Perſenniæ creatus eſt, cujus plures epiſtolas edidimus tom. 1. Anecdot.

dam ex veneficis deprehenſus eſt, [*in margine* Rogerus clericus, ut dixit] qui rei hujus veritatem archiepiſcopo & poſtmodum regi confeſſus eſt.

De quodam monacho viſionibus illuſtrato.

Quidam monachus extitit in Enigſamenſi cœnobio, juvenis quidem ætate, ſed morum probitate ſenior, qui nuper poſtquam de ſæculo ad religionem tranſierat, quodam languore correptus fuerat. Hoc itaque languore per xv. menſes contabeſcens, cœpit Dominum obnixius rogare, quatenus ei dignaretur aliqua revelare de locis pœnalibus peccatorum; & de manſionibus beatorum; nec prius deſtitit a precibus, donec deſiderium cordis ejus tribueret ei Dominus. Hoc itaque anno eductus a corpore per B. Nicolaum, ſcilicet nocte illa quæ præcedit feriam ſextam Dominicæ Paſſionis, quaſi exanimis jacuit uſque dum claſſicum pulſaretur in ſabbato vigiliæ Paſchæ, qui rurſum ad corpus reductus, ſanum & incolumem ſe ab omni languore reperit. Poſtmodum autem viſiones ſuas relatu dignas, quas veraciter perſpexerat, & memoriæ diligenter tradiderat, fratribus reverenter ſeriatim enarravit; quarum certitudinem ex ſignis evidentioribus perpendentes, & de relatione perſonæ referentes, nihil hæſitantes præclaras illas viſiones præclaro atque eleganti ſtilo illuſtrarunt. Conſpicatus eſt ſiquidem frater ille tria loca pœnalia, magnitudine infinita a ſe invicem pro criminum qualitate & pœnarum enormitate diſtincta atque remota. In ſingulis quibuſque locis intuitus eſt infinitam hominum multitudinem utriuſque ſexus, diverſæ ætatis, conditionis & ordinis, qui culparum qualitate leviori ſive acerbiori plectebantur ſupplicio. Intellexit ergo & memoriæ diligenter contradidit per qualitatem & modum ſuppliciorum modum & qualitatem culparum, pro quibus tam immaniſſimis afficiebantur tormentis. Illi autem qui primo pœnali torquebantur loco, levi quodam ac mitiori afficiebantur tormento reſpectu pœnarum quæ in ſecundo & tertio loco viſebantur. Sed quiſquis modum & ordinem viſionum iſtarum, necnon & qualitatem tormentorum pro qualitate criminum & perſonarum potentium, cognitionem, geſtum & habitum atque diverſas manſiones beatorum plenius deſiderat, legat libellum in quo prædictæ viſiones diligenter exaratæ, & magnum divini timoris incitamentum ex inſpectis profecto reperiet.

Henrici regis Jeroſolym. mors.

MCXCVIII. Obiit CÆLESTINUS papa, cui ſucceſſit INNOCENTIUS. Comes Henricus, quem rex Richardus regno Jeroſolymitano præfecerat apud Ptolemaidam de quadam ſublimi feneſtra corruens, cui incautius innitebatur, totus contritus miſerabili morte

Et Henrici imperatoris.

vitam finivit. Imperator Henricus poſtquam regnum Siciliæ ſuæ ditioni ſubjugaverat, omnemque illam pecuniam ſatis injuſte de redemtione regis Richardi acquiſitam militibus ſtipendiariis diſtribuerat, obiit in Campania apud Tuſculanam ſatis anxius & gemens, quod tantum ſcelus erga regem a peregrinatione repatriantem facere præſumſiſſet, juſtum Dei judicium ſuper ſe manifeſte veniſſe ſentiens. Recolebat nimirum tranſacti temporis quo imperaverat brevitatem, ſcelerum ſuorum numeroſitatem, bonorum actuum, quibus perenni vita ſimul & memoria beandus foret paucitatem, maximeque illius impietatis horrore cruciabatur, quod regem a ſanctorum locorum peregrinatione redeuntem tanto tempore in cuſtodia ſua detinuerat, ubi per detentionis ſuæ occaſionem, magnam partem ſui principatus hoſtibus terram ſuam interim invadentibus amiſerat. Torquebatur etiam quod regnum regis tam indebita ac intolerabili exactione oppreſſerat, quod nihil adhuc in recompenſationem perſolutæ ſibi indebitæ pecuniæ regi reverſo perſolverat, nec aliquod ereptionis auxilium contra invaſores atrociter decertanti contulerat. Pro his & hujuſmodi malis mente & corpore vehementer afflictus, in dolore & triſtitia diem clauſit extremum.

Terribilia quam ſint Dei judicia.

Hic diligenter perpendat quiſquis avaritiæ facibus inardeſcit, quiſquis aliorum facultates injuſte diripit, quam brevi tranſitu conſumuntur, quam cito pereunt & defluunt. Attamen quædam amara imprimunt memoriæ ſignacula, ac fœda relinquunt cauteriatæ conſcientiæ perpetuo veſtigia, niſi ante mortem ablata reſtituantur, atque condigna ſatisfactione expientur. Ecce qualis & quanta eſt ſeveriſſima animadverſio juſti judicis Dei, terribilis in conſiliis ſuper filios hominum. Ecce quomodo Altiſſimus eſt patiens redditor, qui peccatorum mala & patitur & reddit. Ducem ſiquidem Auſtriæ qui regem captivaverat, ſuper nequitia perpetrata impœnitentem horribili atque inſanabili plaga ultio divina primitus percuſſit; imperatorem vero violenter extorta minime reſtituentem exitiali morte poſtmodum mulctavit. Hinc jam tertius hoſtis crudelior ceteris, infeſtior univerſis, quem Dei longanimitas diutius toleravit, ſibi metuat ſibique proſpiciat, ut ea quæ potius dolo quam viribus rapuit exſolvere ſtudeat, ne ſecundum duritiam ſuam & cor impœnitens theſauriſet ſibi iram divinæ animadverſionis, nec diutius abutatur Dei patientia, ne ſeveriori, quod abſit, feriatur vindicta. Sed in omnibus his non eſt averſus furor ejus; ſed adhuc manus ejus extenta ad diripiendum, ad prædandum, ad interficiendum. Prædictus vero imperator dum adhuc incolumis perſiſteret, ſibi forte blandiebatur, ceteris ſibi applaudentibus atque adulantibus, quod copioſam militum catervam in partes Jeroſolymitanas anno præcedenti cum archiepiſcopo Moguntino,

&

& cum ducibus & comitibus direxerat. Quibus de theſauris ſuis maximam pecuniam diſtribuerat, quam tamen virus peſtiferæ ſupradictæ rapacitatis omnino fermentaverat. Inde eſt, ut licet ſuſpicari, quod copioſus ille exercitus, & longe numeroſior quam pater ejus Frethericus ſecum prius adduxerat, in partibus tranſmarinis adveniens, magnam quidem ſtragem paganorum fecit, civitateſque maritimas & oppida a Sidone uſque ad Antiochiam ſatis viriliter, ut dicunt, expugnavit atque expugnando cepit; ſed captas, juſto Dei judicio, qui odio habet rapinam in holocauſtum, citius amiſit, quatenus & pecunia illa imperatoris in capiendis urbibus in caſſum diſpergeretur, atque exercitus conductitius magis affligeretur: quem vehementius contriſtavit civitatum captarum amiſſio, quam prius lætificarat earumdem triumphalis adeptio. Audita denique morte imperatoris, confeſtim exercitus ille regreditur unuſquiſque in terram & patriam ſuam, terram Jeroſolymitanam ſatis afflictam relinquentes, tribus tantum civitatibus viriliter contra aſſultum paganorum ſe tuentibus, ſcilicet Ptolemaïda, Tyro & Tripoli.

Andronicus imp. CP. horrenda morte necatur.

Ante hoc tempus Andronicus imperator Conſtantinopolitanus, juſto Dei judicio, a proceribus ſuis & civibus urbis regiæ comprehenſus, horribili atque crudeliſſima nece periit ob nimiam factorum ſuorum protervitatem, & cordis inhumanam arrogantiam. Nam ab illo præclaro palatio urbis Conſtantinopolis violenta manu civium abſtractus & concatenatus, ad colla indomitorum equorum judicio procerum ligatus eſt, atque eadem die patibulo ſuſpenſus ſpiritum gemebundus exhalavit. Satis enim promeruerat tam horrendo mortis ſupplicio dilaniari, cujus vita fere in omnibus odioſa atque maligna extiterat; ſiquidem imperatorem adoleſcentulum conſanguineum ſuum, filium ſcilicet Emanuelis piiſſimi imperatoris, cui ſe velut tutorem atque patronum exhibuerat, dolo tenuit & doloſe occidit; quem navi, ut dicunt, impoſitum in mari ſubmergi fecit, cujus imperium atque theſauros confeſtim invadens, & imperatricem adoleſcentulam, filiam ſcilicet regis Ludovici, ſororem regis Philippi, quam filius ejuſdem Andronici pro execrabili facinore patris ſui noluit maritali lege conjungere a patre juſſus, neſandis complexibus violavit, atque intra numerum concubinarum violenter retinuit, hancque dignitate imperiali penitus exſpoliavit. Tantæ autem inhumanitatis & arrogantiæ extiterat, quod neminem ſuorum in palatio in conſpectu ſuo reſidere permittebat; ſed omnes cujuſlibet ordinis vel gradus aut dignitatis forent, more ſervientium aſtantium in palliis depoſitis famulari: & quia injuſte imperium ſibi indebitum arripuerat, omnes ſuæ nationis homines ſuſpectos habebat: unde probos quoſque diverſæ gentis alienigenas ad ſe accerſiri fecit, atque de hujuſmodi familiarem exercitum circa ſe inſtituit.

Diſcordia inter reges Franciæ & Angliæ.

Inexorabilis diſcordia jampridem inter regem Angliæ & regem Galliæ exorta nequaquam potuit ullo pacis fœdere terminari, aut aliquo inter eos habito colloquio ſedari, quin utriuſque exercitus provincias ferro flammis devaſtaret, rapinis indulgeret, urbes, caſtella, eccleſiaſque ſolotenus everteret; in tantum ut terra abſque habitatore relicta & cultoribus evacuata, ſolitudinis ſpeciem multis in locis præferre videretur. Nec defuit tantæ impietati divinæ ultionis animadverſio, quæ utriuſque principis terras fame, peſte, & nimia aëris intemperie per VII. annos diriſſime flagellaret. In Gallicanis tamen partibus major famis calamitas eſſe videbatur; ſed in omnibus his non eſt averſus furor eorum, ſed adhuc manus eorum extentæ ad rapiendum & interficiendum. Verumtamen in utriuſque exercitus ſimili pugna diſſimilis pugnæ cauſa geri videbatur, cum terras quas rex Francorum partim dolo & quorumdam proditione ſubjugaverat, partim ſubitanea invaſione, nemine defendente, injuſte præoccupaverat, rex Anglorum de captivitate regrediens nitebatur auferre, & de manibus violenti invaſoris violenter extorquere: unde & in omni fere decertatione ſua proſperior ei fortuna arridebat, & optatum decertationis trophæum lætus reportabat. Ex quo enim liber ab imperatore rediit, non ſolum ablata caſtella abſque Giſortio & quibuſdam aliis recuperavit: verumetiam multo plura quam amiſerat caſtella aſſultu & obſidione ſibi ſubegit. Epiſcopum (a) Belvacenſem, qui relicta cœleſtis regis militia, terreni regis militiæ ſe omnimodis tradiderat, & infeſtior ceteris apparebat, necnon & dominum Wilhelmum de Merlo incautius obequitantes familia regis Richardi comprehendit, quos cuſtodiæ carcerali mancipavit. [a]

Comes Flandriæ rebellis in Philippum confœderatur regi Richardo.

Comes Flandrenſis Baldewinus nepos Philippi comitis, cum rege Richardo fœdus pacis cum juramento iniit, cujus auxilio fretus contra regem Galliarum rebellavit, jus ſuum de manibus regis, qui magnam partem Flandriæ invaſerat, geſtiens eripere. Alii etiam potentes viri necnon & comes S. Ægidii & comes Bolonienſis cum rege Richardo confœderati ſunt. His amicitiarum confœderationibus, rex Philippus mente conſternatus, ignorabat ſuper quos fidelitatis ſuæ deſertores furoris ſui malignitatem prius effundere poſſet. Accidit autem ut dum rex Anglorum in Bituricenſi dioceſi plurima oppida expugnando caperet, terraſque regis Franciæ devaſtaret, quod comes Flandrenſis auxilio

(a) Is erat Philippus Roberti Drocarum comitis ex regia progenie filius.

regis Richardi fretus, urbes & caſtella quæ rex Philippus in Flandria poſſederat interim fortiter expugnaret, & quædam ex eis caperet. Unde rex Philippus nimio furore ſuccenſus, cum omni exercitu ſuo in Flandriam perrexit, volens omnem Flandriam ſibi ſubjugare, & *comiti jus ſuum penitus eripere.* Proceres autem ſui ei diſſuaſerunt ne ulteriorem adiret Flandriam, eo quod nullus umquam regum præſumſiſſet illam cum exercitu adire, pro platearum atque viarum anguſtia, & crebra foſſarum circumcinctione. Sed hanc procerum diſſuaſionem parvipendens, duxit exercitum ſuum per Franciam, devenitque coram *Ypres.* Quo comperto, comes Flandrenſis ſtatim adunavit exercitum, pontes poſt regis exercitum confringens, & viarum exitus obſtruens, ne victualia poſſent undecumque advehi. Exercitus autem regis huc illucque diſperſus fame cogente, ab exercitu comitis pluribus in locis proſternebatur, atque etiam a mulieribus impetebatur. Cernens vero rex Francorum ſe incircumſpecte egiſſe, exercitumque ſuum famis inedia per triduum laboraſſe, comitemque cum ſuis ad belli procinctum paratum eſſe, tactus dolore cordis intrinſecus ſero pœnituit quod ſe tam temerarie in manus inimicorum ingeſſerit. Denique præſumtuoſæ temeritatis ſuæ arguens imperitiam, ſe ſtulte egiſſe confitetur, ſibique reatum imputat, qui conſilia principum ſuorum audire detrectaverat, pavidumque alloquens exercitum ne timeat exhortatur; dixitque hoc ſolum fore neceſſarium ut ſapienter de partibus illis egrediantur, quas inſipienter intraverant. Prudentique uſus conſilio, de proceribus ſuis ad comitem tranſmiſit, qui ei de pace formanda ſuggererent, atque animum ejus ad pacem & concordiam inclinarent. Comes itaque multis procerum allegationibus ad pietatem flexus, ad regem armis depoſitis progreditur. Cui adventanti rex ex equo deſiliens, reverenter proceſſit obviam, ac comitem benigna ſimulatione ſuſcepit, omniaque jura ſua, quæ ei jure hereditario debebantur ſe jurejurando.... ſpopondit, prout utriuſque partis principes fideli conſideratione decernerent, multiſque ſermonibus de concordia & pace reformanda inter ſe habitis, reſpondit comes ſe nequaquam aliquam pacis reformationem abſque conſilio & aſſentatione regis Richardi poſſe componere, maxime cum ſuper hoc uterque fideli ſacramento aſtrictus teneretur. Proinde dies præfigitur, locus determinatur, ubi omnes ad colloquium ſimul convenirent, pacemque inter ſe reformarent. Sicque rex ab imminenti periculo ſapienter evadens, inimicoſque deludens, cuncta quæ prius in anguſto poſitus ſpoponderat, poſtmodum facere abnuebat.

Comes Flandriæ regi reconciliatur.

Hoc anno obiit magiſter Petrus Remenſis, cantor Pariſienſis eccleſiæ, vir venerabilis, morum probitate conſpicuus, doctrina, verbo & actione clarus, qui in theologia his temporibus præcipuus, inter doctores habebatur ſummus. Hic inter plura opuſcula, quæ potius religioſo ac morali ſtilo digeſſit, quam pompatico eloquio, utpote verborum phaleras devitans, novas quaſdam gloſſas ſuper pſalterium & ſuper epiſtolas Pauli breves & dilucidas compoſuit, faſtidioſis lectoribus atque labili memoriæ, necnon & paupertati ſcholarium in omnibus conſulens: in quibus gloſſis non a ſenſu vel a tramite præcedentium patrum in aliquo aberravit, ſed exponens multiplices atque profuſas in unam ſeriem compendioſius propriis verbis coarctavit. Hic poſt deceſſum MAURICII epiſcopi Pariſienſis, qui illud præclarum atque eximium opus baſilicæ B. Mariæ in eadem urbe inchoavit, ad pontificatus honorem ab univerſo clero & populo, rege annuente, electus, tam grave onus ſuſcipere, ne ab altiori gradu gravior fieret caſus, omnimodis recuſavit. Poſtmodum vero a domno WILHELMO Remenſi archiepiſcopo, & ab univerſo clero & civibus ejuſdem urbis rogatus, immo compulſus, ut decaniam ejuſdem urbis eccleſiæ ſuſciperet, non facile aſſenſum præbuit. Sed tandem devictus importunitate precantium civium, qui ſe ad pedes ejus proſtraverant, hac conditione conſenſit, ſi licentiam a capitulo Pariſienſi impetrare poſſet. Dumque Remenſium urbe Pariſius proficiſceretur, ut hanc licentiam impetraret, devenit in itinere ad quamdam abbatiam Ciſtercienſium, cui vocabulum *Longus pons*, ut eorum orationibus ſe commendaret, ac quemdam librum ſecum de armario aſportaret, ubi gravi infirmitate correptus, & ad extrema deductus, teſtamentum ſuum diſpoſuit, atque habitum ſanctæ religionis in magna ſpiritus alacritate ſuſcepit. Sicque omnibus hujus ſæculi curis exoneratus, vitam laudabilem fine laudabili terminavit. Ex qua re ſatis conjici poteſt, quia raptus eſt ne malitia temporis hujus mutaret intellectum ejus, aut ne fictio laudis humanæ deciperet animam ejus. O quam diſſimilis extitit vita eximii hujus doctoris a reproba vita HUGONIS Ceſtrenſis epiſcopi, qui circa hoc tempus velut arbor infructuoſa deceſſit, qui in ſanctuarium Dei, in patrimonium crucifixi ſe indigne ingeſſerat, qui nihil de epiſcopatu, niſi honorem terrenum, divitias, corporis voluptatem quærebat, & quæ ſua erant, non quæ JESU-CHRISTI. Hic vero non paſtor, ſed mercenarius monachos Conventrenſis cœnobii expulit a ſedibus ſuis, clericos ſæculares in loco monachorum ſubſtituens. Sed tandem diſſipatis eorum ſubſtantiis auctoritate ſummi pontificis, & annuente domino rege, monachi ad priſtinam ſedem remearunt. Et quamvis vir iſte in multis

De Petro cantore.

De Hugone epiſcopo Ceſtrenſi.

irreligioſam vitam duxerit, in fine tamen habitum monachi cum magna contritione cordis apud S. Mariam Becci ſuſcepit, dieque Paraſceve dum paſſio legeretur obiit.

De Fulconis presbyteri prædicationibus.

Per id tempus extitit quidam ſacerdos Fulco nomine, in quodam pago Pariſiacienſi, cui vocabulum *Nuili*, verbo & vita clarus & ſanctæ prædicationi in toto deditus: qui eccleſiam ſibi commiſſam ſollicite regens, aſſiduis exhortationibus populum Dei circumquaque conſtitutum ad contemtum mundanorum, & ad appetitum cœleſtium provocabat, peccata delinquentium nequaquam diſſimulabat, ſed ſevera voce & aperta increpatione arguebat, ſed præcipue fœneratores, qui in provinciis illis ſuper numerum multiplicati fuerant, necnon & fornicarias mulieres aſpera invectione increpabat. Nemini delinquenti blandiebatur, neminem ſimulatoria adulatione palpabat; ſed palam & nude nudam promebat omnibus veritatem. In hac ſpiritus libertate per duos annos ſanctæ prædicationi inſiſtens, pauciſſimos ab errore viæ ſuæ convertere potuit, quin prædicationem ejus parvipenderent, quidam etiam audire contemnerent, nonnulli vero ei inſultando convitiabantur: unde & a prædicatione ceſſandum decreverat. Sed pius conditor nolens prædicatoris ſui ſemina ulterius deperire, qui populum Dei tripliciter paſcere ſatagebat, ſcilicet exemplo converſationis, verbo ſanctæ prædicationis, necnon & fructu devotæ orationis, contulit voci prædicatoris ſui vocem virtutis, ut verba ejus quaſi ſagittæ potentis acutæ, hominum prava corda conſuetudine obdurata penetrarent, & ad lacrymas & pœnitentiam emollirent. Vox ſiquidem ejus magnificentiæ & virtutis, deſerta a Domino corda concutiebat, abſcondita tenebrarum diſcutiebat, torporem negligentium excutiebat, non ſolum revocans peccatores ab errore viæ ſuæ, ſed & reducens & ſtatuens eos contra faciem ſuam, ut cauteriatæ conſcientiæ liber ante mentis oculos aperiretur, & miſera vitæ ſeries ante ſingulos revolveretur. Contulit etiam & ſuo prædicatori virtutum inſignia, ut ſermonem ſanctæ prædicationis confirmaret ſequentibus ſignis, ut quos non potuit verbis, ad viam ſalutis revocatet miraculorum prodigiis. Nam cæcis viſum, ſurdis auditum præſtabat, claudis greſſum reſtituebat, multis uſum linguæ reformabat, ceteraque invaletudinum incommoda virtute divina depellebat, & hoc abſque prætenſæ orationis ſuffragio, ſola manus impoſitione & ſanctæ Crucis ſignaculo. His duobus cariſmatibus præfatus vir inſignitus, tertia adhuc virtute non mediocriter ditatus, ſingulariter his diebus effulſit. Habebat ſiquidem quoddam Sancti-Spiritus munus privilegiatum, ſcilicet diſcretionem ſpirituum, per quod intelligebat, quibus infirmis & quo tempore curationis privilegia largiretur. Cum enim infirmi quique curationis opem ab eo importunius efflagitarent, quibuſdam repente ſanitatem contulit, quibuſdam omnino denegavit, aſſerens ſaluti animæ non fore proficuum, ſed nec coram Deo acceptum ſi priſtinæ ſanitati reſtituerentur, ne forte deteriores per adeptæ ſanitatis curationem efficerentur. Quibuſdam vero dixit nondum tempus curationis adveniſſe, nec peccata ſua per divinæ animadverſionis flagellum adhuc expiaſſe. Tot igitur virtutibus vir iſte ſublimatus verbum Dei per civitates, per caſtella ab epiſcopis invitatus magnifice diſſeminavit, in omni loco tamquam angelus Domini ab univerſo clero & populo ſumma cum veneratione ſuſceptus, atque in omnibus his, quod mirum quibuſdam videtur, nullam ſingularitatem auſterioris converſationis, ſive in vigiliis, ſive in ciborum parcimonia palam demonſtravit; ſed cum gratiarum actione quæ ſibi apponebantur percipiens.

Poſtquam igitur verbum Dei per Galliarum provincias diſſeminaverat, fœneratoreſque ab inſatiabili cupiditate retraxerat, quorum inexplebilem avaritiam numquam comprimere potuit, nec terror regiæ poteſtatis, aut cenſura eccleſiaſticæ animadverſionis. Poſtquam etiam fornicarias mulieres, ceteroſque diverſis criminibus irretitos ad viam ſalutis revocaverat, totamque provinciam ſignis & prodigiis illuſtraverat, tandem devenit ad generale capitulum Ciſtercii, multis eum comitantibus, ut abbatum qui convenerant, & totius ordinis ſe commendaret orationibus. In quorum capitulo ſignaculum ſanctæ Crucis in veſte ſua ſumſit una cum epiſcopo Lingonenſi, (a) qui abbas extiterat Claræ-vallis. Rogavit obnixius ſupplicando quatenus aliquos ſanctæ peregrinationis ſuæ ſocios & verbi Dei coadjutores ex illa numeroſitate abbatum largiri ſibi dignarentur; ſed minime impetrare potuit, quia incongruum ſibi videbatur proprias oves & ſollicitudini ſuæ creditas deſerere, atque alienis & ſibi non commiſſis pabulum ſanctæ prædicationis præſtare. Egreſſus itaque de capitulo abbatum, multaque ſecum ferens ſanctæ Crucis ſignacula, adjunctis ſibi fratrum catervis, ſermonem fecit exhortatorium extra portam ad populum qui convenerat, exhortans eos de itinere Jeroſolymitano conficiendo. Cumque populi conſpicerent ipſum virum Dei fore cruce ſignatum, atque audirent aſſore ducem & rectorem hujus ſacri itineris, certatim ad eum concurrunt, & ex omnibus locis catervatim ruunt, divites & pauperes, nobiles pariter & ignobiles, ſenes cum junioribus promiſcui ſexus innumera multitudo, ſignumque Crucis ab eo ala-

Accedit ad capitulum generale Ciſtercienſis ordinis.

[a]

(a) Garnerio ſcilicet de Rupeforti fratre Simonis de Rupeforti, qui nonus Claræ-vallis abbas fuerat.

criter ſuſcipiunt, Inde vero poſtmodum digreſſus adiit iterum Gallicanas partes, exhortationem ubique faciens de peregrinatione illa in nomine Domini arripienda.

Comes Flandrenſis expugnat S. Audomarum.

Circa hoc tempus comes Flandrenſis præclarum caſtrum de ſancto Omero obſedit: obſeſſi vero regi Philippo mandant, ut obſidioni ſuccurrat infra quemdam terminum nominatum: quo non opem ferente, reddiderunt caſtrum comiti. Quo tempore rex Anglorum intravit terram regis Franciæ apud *Dangu*, & cepit caſtrum de Curcellis cum turri, ipſumque regem Galliæ qui veniebat de Mantua cum exercitu ſuo in auxilium, fugavit uſque ad portas Giſortii, ubi ejus exercitus magna ex parte fuſus eſt, & plures nobiles capti ſunt. Quomodo autem & qualiter, & quo anni hujus tempore id factum fuerit, litteræ quas rex Richardus cancellario ſuo E. epiſcopo Elyenſi tunc in Anglia conſtituto direxit, expreſſius indicant. Quarum tenor eſt hujuſcemodi.

Litteræ Richardi regis de victoria ab eo in regē Philippum reportata.

RICHARDUS *rex Angliæ & dux Normanniæ &c. dilecto & fideli ſuo cancellario ſalutem.*

Noveritis quod, Deo volente, proxima Dominica ante feſtum ſancti Michaëlis intravimus terram regis Franciæ apud Dangu, *& inſultum fortem fecimus apud Curcellas, & caſtrum cum turri & dominum caſtri cepimus graviter uſque ad mortem vulneratum, & omnes alios & totum quod in caſtro erat. Eodem die inſultavimus domum fortem de* Burriz, *quam cepimus cum omnibus quæ in ea erant, & ſero redivimus apud* Dangu. *Die autem craſtina rex Franciæ, his auditis, venit de Mantua, cum* CCCC. *militibus & ſervientibus & communiis ſuis ad ſuccurrendum caſtro de Curcellis, quod putabat nondum fore captum. Nos autem ex quo eum venire cognovimus, exivimus cum pauca gente, & gentem magnam arreſtari fecimus ſuper ripam de Etta, quod credebamus eum venturum ſuper gentem noſtram ultra ripam ex parte* Dangu. *Ipſe vero cum gente ſua deſcendit verſus* Giſors. *Nos hoc videntes ſecuti ſumus eum in fugam converſum, & clamantem quod nemo tangeret eum & gentem ſuam. Itaque eos in tanta diſtrictione poſuimus in porta Giſortii, quod pons fractus eſt ſub illis, & rex Franciæ, ut audivimus, bibit de riveria, & alii milites uſque ad* XX. *ceciderunt in aquam, & ſubmerſi ſunt. Nos autem cum una lancea proſtravimus Matthæum de Monte-Moriti, & Alanum de Thuſci, & Fulconem de Gilervvallis, & captos tenuimus, & bene capti ſunt de gente ſua uſque ad* C. *milites, quorum majorum nomina vobis mittimus, & aliorum vobis mittemus cum eos viderimus. Marchadeus enim habuit uſque ad* XXX. *milites, quos non videramus in receſſu latoris præſentium, & alii quidem milites de noſtris ibi plures ceperunt, quos ſimiliter nondum vidimus. Servientes & pedites & milites capti ſunt, quorum non eſt numerus. Dextrarii capti ſunt* CC. *quorum ſepties viginti cooperti fuerunt ferro. Ita devicimus regem Franciæ apud Giſortium. Sed nos id non fecimus, immo Deus & jus noſtrum per nos, & in hoc facto poſuimus caput noſtrum & regnum, & ſupra conſilium omnium noſtrum. Hoc vobis ſignificamus, quia cor veſtrum præ gaudio credimus dilatari, cum vos noſtris congaudeatis ſucceſſibus. Teſte me ipſo apud* Dangu XXX. *die Septembris.*

Detectio corporis S. Edmundi martyris.

Hoc anno Incarnationis Dominicæ corpus ſanctiſſimi regis & martyris Edmundi poſt CCC. & XXX. annos incorruptum & flexibile, verius ſolidum cum omni compage membrorum & cum ſolita carnis teneritudine a piis & religioſis exploratoribus, ſcilicet a venerabili SAMSONE ejuſdem loci abbate, & ab XVIII. monachis ejuſdem congregationis repertum eſt. Ex qua autem occaſione id attentare præſumſerint paucis dicendum, aliis copioſa ſcribendi materia reſervata. Anterior ſiquidem pars pretioſiſſimæ illius thecæ, quæ ſanctiſſimam glebam regis continet, ex quodam nocturni incendii infortunio, quod circa altare ex corruſcantibus cereis accidit ab igne eſt uſtulata, & aliquantulum diſſoluta, pretioſis lapidibus per vim caloris nimii confractis. Ex quo infortunio cuncta congregatio cum univerſis incolis animo conſternati & nimium contriſtati, vehementer metuebant, ne vis ſævientis flammæ illa ſanctiſſima membra eatenus incorrupta aliquatenus læſiſſet; & quia nonnulli de patroni ſui incorruptione dubitabant, animiſque vacillabant, eo quod nullus ſuperſtes fuiſſet, qui hujuſcemodi rei notitiam haberet; placuit ut pie explorarent qualiter circa corpus ſancti ſingula eſſent compoſita, obſecrationibus & jejuniis intente præmiſſis. Quadam igitur nocte, ceteris in lectibus ſuis ex more quieſcentibus, & nihil tale tunc ſuſpicantibus, aſſunt abbas, & XVIII. fratres, ad hoc opus ante præmoniti, quos religioſiores intellexerat, cantatiſque VII. pœnitentialibus pſalmis, cereiſque undique accenſis, thecam ſancti cum maxima formidine reſerant, divinam ultionem ſuper pia temeritate plurimum metuentes. In hoc exteriori loculo thecam quercinam reperiunt, clavis ferreis undique concatenatis ad menſuram ſacri corporis. Circa pectus erat quoddam foramen in illo locello lamina opertum aurea, in qua cujuſdam angeli figura decenter erat aſculpta, atque hic verſus exaratus:

Martyris ecce ſoma Michaëlis ſervat Agalma.

In foramine reperta eſt quædam ſcedula, quamdam continens Anglicam orationem, quam ſanctus dudum, ut credimus, frequentare conſueverat, in qua innumerabiles creatori exhibet ſalutationes. Reſerato ergo illo quercino locello, ablatiſque duobus pretioſis palliis ſuppoſitis, nulla adhuc vetuſtate aut corruptione conſumtis, tandem reperiunt

illud ſanctiſſimum corpus reſupinatum in ſyndone munda & ſubtiliſſima involutum, quæ veſtis nullis maculis reſperſa aut aliqua corruptione vetuſtatis ſeu tinearum demolita, immo candorem nivis cum ſui integritate præferebat. Hanc autem ſyndonem penitus amovere formidabant, ne in illud ſacroſanctum corpus irreverenter forte intenderent, quod etiam ſatis eorum viſui patebat, ſubtiliſſima ſyndone tantum interpoſita. Pretioſum tamen caput ſancti martyris & aures & frontem cum arcuatis ſuperciliis, oculorum concavitatem cum narium eminentia, brachia etiam cum articulis tam manuum quam pedum ſingillatim cum pia cordis aviditate contrectantes, omnia ſolida & integra repererunt. Ex ejus præclaræ viſionis certitudine & ſacroſancta membrorum contrectatione cuncta congregatio ſupramodum exhilarata, cum lacrymis & intimo cordis gemitu multimoda laudum & gratiarum præconia omnipotenti Deo retulerunt, qui facit mirabilia magna ſolus. Poſſunt nunc gaudenter & confidenter dicere: Quanta audivimus & patres noſtri narraverunt nobis, nunc cognovimus ea, quia ſicut audivimus ita & vidimus in civitate Domini virtutum. Tua ſunt hæc Chriſte opera, qui ſanctos tuos etiam in præſenti ita glorificas, qui tantam tamque ſtupendam dignitatis prærogativam in eis oſtendere uſque in finem ſæculi non ceſſas, ut cunctis fere mortalibus ſecundum primariam tuæ animadverſionis ſententiam in cinerem reſolutis, quoſdam tamen amicorum tuorum privilegiata dignitate incorruptos, tam potenter quam mirabiliter reſerves, ut evidens argumentum futuræ reſurrectionis & carnis glorificandæ incredulis oſtendas, & nihilominus cunctis inſinues, quanto honore ſublimati ſunt in cœlis, quos tantæ excellentiæ privilegio glorificaſti in terris. Vere juxta pſalmiſtæ vocem nimis honorati ſunt amici tui Deus, vere nimis confortatus eſt principatus eorum.

Diſſentio in electione imperatoris.

Poſt deceſſum Henrici imperatoris facta eſt diſſenſio inter epiſcopos & proceres imperii de imperatoria electione. Nonnulli ſiquidem elegerunt Philippum regem Galliæ, alii regem Angliæ, qui dudum captivus inter eos extiterat. At aliqui ducem Suaviæ, atque alii ducem Saxoniæ, qui tunc temporis in expeditione Jeroſolymitana habebatur, cum archiepiſcopo Moguntino & cum duce Luvaniæ. Sed rex Richardus divitiis & conſiliis callens, tantum egit muneribus & xeniis ſuis erga archiepiſcopum Coloniæ, & erga proceres imperii, quod omnibus aliis omiſſis, Othonem nepotem ſuum ex ſorore, filium Henrici ducis Saxoniæ, miræ ſtrenuitatis & elegantis corporis adoleſcentem eligerent, atque hunc in ſolio regni Teutonici apud Aquiſgrani ſublimarent, expulſo duce Suaviæ, qui ſe ibidem cum fautoribus ſuis violenter intruſerat; pluribuſque prœliis inter ſe habitis, nequaquam ſe deditioni ejus dediderunt.

Cometa per xv. dies menſe Novembri per diem apparuit, interitum regis Richardi prodigialiter, ut aiunt, præfigurans; ſicut & hiemalia horrenda tonitrua, quæ in craſtinum S. Thomæ apoſtoli audita ſunt. Capella B. Thomæ martyris ab archiepiſcopo BALDEWINO apud Lameheiæ conſtructa, & a ſucceſſore ejus domno HUBERTO pretioſis donariis ditata, pluribuſque præbendis ac reditibus dotata, juſſu ſummi pontificis INNOCENTII, qui nec prece nec pretio a ſententia illata flecti poterat, ſolotenus eſt everſa; monachis Cantuarienſibus adverſus archiepiſcopum & regem, & adverſus fere omne regnum ſuper hac controverſia apud curiam Romanam diſceptantibus, & in ſua diſceptatione tunc prævalentibus: quippe qui domnum apoſtolicum in omni illa cauſa patronum & propitium habebant. Ipſe nimirum advocatus monachorum extiterat antequam ad ſummi pontificatus apicem promotus fuiſſet. Timebant ſiquidem monachi, ne per occaſionem tam excellentis ac tam famoſæ capellæ, in qua fere omnes epiſcopi & majoris ſapientiæ & nobilitatis viri præbendas habebant, privilegiis & dignitatibus metropolitanæ eccleſiæ ſuæ per ſucceſſiones temporum derogaretur. In hac autem diſceptatione multum & diu laboratum eſt, morientibus hinc inde monachis & clericis, qui ſuper hac controverſia dirimenda proficiſcebantur. Afflicti ſunt vehementer prædicti monachi tam ab archiepiſcopis, quam a regibus qui partibus archiepiſcoporum favebant, in tantum quod reditus eorum ſæpius confiſcarentur, maximamque indigentiam in alimentis ceteriſque neceſſariis nonnumquam paterentur.

Capella Lambethenſis juſſu papæ ſolotenus everſa.

Richardi epiſcopi London. obitus.

Hoc anno deceſſit RICHARDUS Londinenſis epiſcopus, qui magna ſollicitudine invigilaverat circa conſtructionem eccleſiæ S. Pauli apud Londonias, qui etiam præclara ac ſumtuoſa ædificia in epiſcopatu conſtruxit; cui ex largitione regis Richardi ſucceſſit Willelmus *de Sainte-Marie-egliſe* anno ſequenti, Dominica ante Aſcenſionem ab archiepiſcopo Cantuarienſi HUBERTO apud Weſtmonaſterium conſecratus.

Pleroſque mortales omnipotens Deus in ſublime erigit, ſuper gentes & ſuper regna conſtituit, divitiarum affluentiam, honoris cumulos tribuit, ut dignitate & magnificentia præ ceteris polleant, auctoritate præemineant, populos ſubditos regant, quatenus ex beneficiorum Dei numeroſitate quodammodo obruti, dignas gratiarum actiones perſolvant creatori, terrenas divitias ſic diſpenſantes in terris, ut perpetuas poſſint obtinere in cœlis, ſicque tranſeant per bona temporalia, ut non amittant æterna: quod nimi-

rum tunc recte agitur, cum pro impensis beneficiis cuncta largiens conditor obnixius amatur, ut amando in omni actione veneretur & pie colatur: quibus necesse est, ut juxta Paul. vocem divites in operibus bonis existentes studeant sibi facere amicos de mammona iniquitatis, a quibus in æterna tabernacula recipiantur. Sed heu proh dolor! filii hominum graves corde, diligentes mundi vanitatem, & negligentes veritatem, donis Dei multipliciter abutuntur, quorum animus nec ab insatiabili conspicitur mundi ambitione, nec corpus inexplebili satiari potest deliciarum voluptate; unde plerumque fit, ut quod divina largitas eisdem contulit ad propriæ salvationis subsidium, versa vice proveniat ad damnationis suæ cumulum, & quod debuit ministrare profectum virtutis, fit quandoque ex suscipientium ingratitudine detrimentum salutis. Sed ineffabilis Dei misericordia quæ neminem vult perire, non statim punit peccantes, sed patienter per longum quandoque tempus expectat delinquentes, ut resipiscant, nunc istorum malitiam usque ad juventutem sustinendo, nunc illorum pravitatem usque in senectam & senium misericorditer dissimulando. Verumtamen istorum nonnulli divinæ ultionis judicium sibi accumulantes, ac divitias bonitatis & longanimitatis Dei contemnentes, secundum duritiam suam & cor impœnitens thesaurisant thesauros iræ pro prærogatis thesauris misericordiæ; & cum dixerint pax & securitas, tunc subitaneus eis superveniet interitus, nec effugient prolongatam Dei vindictam, quam cavere nolebant diu dilatam, ducentes in bonis dies suos, atque in puncto ad inferos descendentes: qui prolixiorem atque graviorem sustinebunt pœnam, quo diutius expectati sunt ad agendam pœnitentiam. De hujusmodi hominibus quanta de præteritis audivimus, & quanta de præsentibus cognovimus, quanta etiam patres nostri narraverunt nobis, non est hujus temporis revolvere aut singillatim commemorare, quomodo in operibus manuum suarum subito comprehensi sunt peccatores; quomodo in ipsa nefaria actione absque remedio pœnitentiæ spiritum exhalaverunt, qui dum prolongantes iniquitatem suam acceptum tempus pœnitentiæ dissimulaverunt, divinæ ultionis severitatem animadversione repentina experti sunt, quia nimirum sicut pater misericordiarum peccatores, ut convertantur, patienter diutius expectat; ita Deus ipse ultionum non conversos acrius percutit & damnat.

Initia Richardi regis quam præclara.

Ex hac igitur innumerosa multitudine regem Richardum fuisse dolemus, quem in regni sui primordio ob excellentissimi animi liberalitatem, & præclaræ militiæ strenuitatem, omnium Normannici generis regum unicum fore speculum, sperabamus. Nam cum in regni solio sublimatus esset, satis affabilem se omnibus præbuit, religiosorum negotiis modeste intendit, justis postulationibus libenter annuit, episcopatus vacantes, necnon & abbatias propriis pastoribus orbatas continuo dedit, omnibus jura sua repromisit, ac multis, accepta pecunia, reddidit, cartas etiam atque privilegiatas libertates renovavit, ab universis tamen pecunias pro hujusmodi negotiis captanter accipiens ad conficiendum illud iter Jerosolymitanum: quod iter relicto regno nuper accepto, cum magna devotione arripuit, arreptum cum magno divitiarum apparatu, & cum infinitis pecuniarum expensis magnificentissime conficere studuit. Quem Dominus in illa expeditione ubique custodiens, & ab omni periculo eripiens, multa præclara & magnifica opera per eum illis in partibus operatus est: ita ut in omni hostili decertatione triumphum virtutis lætus reportaret, maximamque partem terræ illius de manu inimicorum Crucis Christi potenter eriperet. Denique cum repatriare disponeret, peregrinatione nondum explicita, sinistro usus consilio, multaque infortunia repatrianti, ut superius descripsimus, contigissent, ita ut ab hostibus caperetur & per annum in custodiam detineretur; attamen in tali angustia non defuit ei misericordia divina, quæ eum sanum & incolumem contra spem omnium ad regnum proprium reduxit, regnumque magna ex parte contritum restituit, inimicos suos contra eum insurgentes ubique conterens & humilians, illum vero ubique extollens & exaltans. Sed heu proh dolor! in honore positus, & regno restitutus, ad victricem Dei manum non intellexit, ereptori suo dignas gratiarum actiones non rependit, vitiorum anfractus ex juvenili impetu contractos, per successionem maturioris ætatis minime corrigere studuit. Tantæ autem ferocitatis ac protervitatis processu temporis extitit, ut omnes virtutes, quas in regni primordio offentaverat, nimia severitate obscuraret: ita ut quoslibet de negotiis suis cum interpellantes minaci oculo transfigeret, proterva ac feroci voce reverberaret, leoninam feritatem in vultu & in gestu prætenderet, nisi pro libitu suo pecuniis & promissis tumidum animum delinire satagerent. In triclinio vero cum privata familia positus, satis affabilis & blandus esse videbatur, jocis & ludicris cum eadem animum resolvens efferatum. Tanta autem & tam insatiabili pecuniarum cupiditate animus jam dudum tam liberalis præfocatus est, ut singulorum pecuniam cuperet exhaurire, ita ut vix aliquis dives jus hæreditatis suæ obtinere posset, illud emere, & fere ex toto redimere voluisset. Quibus Anglicanos captivitatis suæ redemtores tantis indebitis, & crebris exactionibus oppressit, quantis numquam aliquis præcedentium regum afflixit, non parcens ulli gradui aut ordini, tam po-

Virtutes ejus obscurat.

tentiæ ſæcularis quam eccleſiaſticæ dignitatis. Attamen domnus HUBERTUS Cantuarienſis archiepiſcopus regis juſtitiarius crudelia edicta in quantum potuit repreſſit & delinivit, afflictorum miſeratus calamitatem & exactoriam deteſtans ſervitutem.

Regis Richardi ingens pecuniarum cupiditas.

Acceſſit autem ad totius mali cumulum juxta vitæ ejus terminum prioris ſigilli ſui renovatio, quo exiit edictum per totum ejus regnum, ut omnes cartæ, confirmationes ac privilegiatæ libertates, quas prioris ſigilli impreſſione roboraverat, irrita forent, nec alicujus libertatis vigorem obtinerent, niſi poſteriori ſigillo roborarentur. In quibus renovandis & iterum comparandis innumerabilis pecunia congeſta eſt. Nec ſic tamen inſatiabilis vorago cupiditatis aliquatenus ex congeſtis potuit exſaturari, qui quotidie excogitaret cum omni volumine doli quomodo ſingulorum pecuniam emungeret, theſauriſque ſuis coacervando inferret. Nulla enim meminit ætas, nec aliqua hiſtoriarum tradit auctoritas, quemquam regum præcedentium, qui etiam longo tempore regnaverunt, tantam a regno ſuo exegiſſe & accepiſſe pecuniam, ſicut rex iſte exegit & ſibi coacervavit, infra illud quinquennium quo de captivitate rediit: quamvis & in hac parte aliquantulum excuſari poſſit. Nam idcirco tantam pecuniam congeſſit, ut potentes homines regis Galliæ ſibi conciliaret, ut nepotem ſuum ad imperium proveheret, ut terram propriam tutaretur, aliorumque provincias ſuo imperio ſubjugaret. Sed ecce regem jam minas in ſubditos & rebelles ſpirantem, ingentiaque animo parturientem, acceptumque tempus pœnitentiæ diſſimulantem, ultio divina repentina animadverſione atrociter proſtravit, maliſque ſuis actibus terminum jam præfixum miſericorditer impoſuit. Ideo miſericorditer, ne diutius male vivendo ac peſſimis pejora addendo graviorem damnationis ſententiam a juſto judice acciperet. Qualiter autem & quo in loco præſenti vita deceſſerit breviter poſteris intimandum, nec huic deſcriptioni immorandum, cum locus in quo occubuit nullius excellentiæ fama clarus habeatur, nec a militari hoſtium caterva, ut tam bellicoſum regem decuit, in belli certamine proſtratus fuit.

Richardus rex movet exercitum in vicecomitem Lemovicenſem.

MCXCIX. Anno igitur ab Incarnatione Domini MCXCIX. circa tempus quadrageſimale, habito inter utrumque regem colloquio de pacis reformatione, tandem treugæ inter eos uſque ad quoddam tempus præfinitum captæ ſunt. Ex hac autem occaſione rex Richardus nactus opportunitatem movit privatum exercitum ſuum in quadrageſima contra vicecomitem Lemovicenſem, qui tempore hoſtilitatis contra regem dominum ſuum rebellaverat, & fœdus amicitiæ cum rege Philippo pepigerat. Nonnulli vero referunt, quod quidam theſaurus inæſtimabilis pretii in terra vicecomitis repertus fuerat, quem rex mandat & jubet ſibi dari: quo a vicecomite negato, amplius regis animoſitatem erga eum exacuit; dumque terram vicecomitis ferro & flammis devaſtaret, utpote ab armis infra illud ſacrum tempus (a) feriari [a] neſciens, tandem devenit apud *Chali Chaperol*, turrimque obſedit, & atrociter per tres dies expugnavit, præcipienſque foſſariis ſuis, ut turrim ſuffoderent, atque ſubfoſſam ſubverterent: quod factum eſt. In turri vero prædicta non erant alicujus militiæ vel defenſionis viri, niſi quidam ex famulis vicecomitis, qui fruſtra præſtolabantur auxilium domini ſui, non æſtimantes regem fore præſentem, qui eos obſederat; ſed aliquem fore ex familia domini regis. Hos igitur rex cum arcubaliſtis ita aggreſſus eſt, dum ceteri circumfoderent, ut vix aliquis auderet circa propugnacula turris apparere, aut eam quolibet modo defenſare. Attamen aliquoties lapides pergrandes de ſummis propugnaculis præcipitabant, qui magno impetu deorſum ruentes, circum aſtantes terrificabant; foſſorios minime poterant proſternere, nec ab incœptis impedire, quippe qui conſuetis ingeniis ſuis undique erant protecti. Jamque die tertia adveſperaſcente, in craſtino videlicet Annuntiationis B. MARIÆ, cum rex poſt prandium inermis, excepto capello ferreo, cum ſuis ad turrim confidenter acceſſiſſet, atque obſeſſos telis & ſagittis more ſolito impeteret, ecce quidam armatus, qui fere per totam diem illam ante prandium in quodam propugnaculo turris prædictæ aſtiterat, atque omnia tela ferrea ſartagine oppoſita illæſus exceperat, omneſque obſidentes diligenter exploraverat, iterum ſubito adveniens tetendit arcubaliſtam, atque quoddam quarellum violenter direxit ad regem, ipſo perinſpiciente & acclamante, percuſſitque regem ſuper humerum ſiniſtrum juxta colli ſpondilia, ſicque arcuato vulnere telum delapſum eſt deorſum, ac lateri ſiniſtro immerſum, dum rex ſe non ſatis incurvaret ſub quadrato ſcuto quod ante eum præferebatur; pro quo vulnere inflicto rex audacitate ſemper prædicabilis nulla cordis ſuſpiria, nullam plangentis vocem emittebat, nullam triſtitiam in vultu aut in geſtu tunc ad præſens præferebat, ne ſuos triſtes aut timidos redderet, atque inimicis de illato vulnere majorem audaciam præberet. Poſtea vero quaſi nihil mali perpeſſus fuiſſet, pluribuſque ignorantibus quid infortunii acciditſſet, hoſpitium ſuum quod e vicino erat ingreditur, lignumque ferro infixum de corpore extrahens, con-

Rex telo vulneratur.

(a) Religio olim erat Chriſtianis in quadrageſima arma ferre in hoſtem, unde & in actis exauctorationis Ludovici Pii arguitur quod *contra religionem Chriſtianam prævorum deluſus judicio in diebus quadrageſimæ expeditionem fieri juſſerit.* Vid. Nicol. papæ 1. epiſtolam ad Conſulta Bulgar. cap. 46.

fregit, ſed ferrum unius palmi longitudinem habens in corpore remanſit. Rege itaque in conclavi procumbente, quidam chirurgus ex nefanda illa familia impiiſſimi Marcaderi corpus regium ſecando, graviter immo lethaliter ſauciavit, lucernis in domo accenſis, nec potuit ferrum in corpore nimis obſeſſo* immerſum leviter reperire, aut ſecando repertum ſine magna violentia extrahere.

* f. obeſo.

Vulnus mortem minatur.

Appoſitis igitur diligenter medicaminibus & emplaſtris, poſtmodum cœperunt vulnera inflicta deteriorari & increſcere, atque de die in diem amplius intumeſcere, tandemque mortem minari, rege incontinenter ſe habente, & præcepta medicorum non curante. Arcebantur omnes ſui ab introitu cubiculi in quo decumbebat, exceptis quatuor de nobilioribus, qui ad eum viſitandum libere introibant, ne fama ægritudinis ejus per publicum divulgaretur. Rex autem de ſoſpitate conſequenda nimis incertus, matrem quæ apud Fontem-Ebraldi morabatur, litteris accerſivit, exitum ſuum vivifico Sacramento Dominici Corporis munivit, confeſſione præmiſſa a quodam ſuo capellano, a cujus Sacramenti perceptione, ob tanti myſterii reverentiam, fere ſeptennium, ut dicunt, abſtinuerat, eo quod mortale odium erga regem Galliæ in corde geſtaverat. Mortem etiam ſibi illatam percuſſori ſuo libenter indulſit, ſicque VII. idus Aprilis, ſcilicet XI. die a vulnere ſibi illato, oleo ſacro inunctus, cum jam dies clauderetur, diem clauſit extremum; cujus corpus exenteratum & apud ſanctimoniales Fontis-Ebraldi delatum, Dominica in Palmis juxta patrem ſuum regio honore ab epiſcopo Lincolnienſi humatum eſt.

Perceptis eccleſiæ ſacramentis obit.

Pia ejus opera.

Regnavit autem ſatis laborioſe IX. annis & VII. menſibus ac XX. diebus, ſi recte computes a die coronationis ſuæ, ſcilicet a tertio nonas Septembris, quo a domino BALDEWINO archiepiſcopo coronatus eſt; qui præclarum ac merito prædicabile cunctis principibus in hoc reliquit exemplum, quod reditus vacantium epiſcopatuum vel abbatiarum, ſive eccleſiarum donationem in proprios uſus, ſicut prædeceſſores ſui fecerant, diutius minime retinuit; ſed confeſtim liberaliter donavit. Circa divinum officium in præcipuis ſolemnitatibus plurimum delectabatur, veſtibuſque pretioſis capellam ſuam ſollicite adornabat, clericoſque ſonora voce modulantes donis & precibus ad cantandum feſtivius exſtimulabat, atque per chorum huc illucque deambulando voce & manu, ut altius concreparent, excitabat. In ſecreto miſſæ uſque poſt Communionem ſilentium tenebat, orationibus vacans, etiamſi de aliquo negotio fuiſſet interpellatus. Unam abbatiam ordinis Ciſtercienſis conſtruxit, quæ vocatur Bonus Portus, (a) & quamdam domum canonicorum Præmonſtratenſium in Aquitania. Abbatiam etiam de Pinu (b) fere adnihilatam reparavit, & magnis reditibus ampliavit. Mox etiam ut coronatus fuerat, novi ſigilli ſui primaria impreſſione confirmavit, & dedit generali capitulo Ciſtercienſi reditum centum viginti marcharum in eccleſia *Scardeburgh*. Poſt coronationem etiam ſuam S. Edmundum orationis cauſa devotus expetiit, & cum oblatione ſua obtulit ſanctiſſimo regi & martyri redditum XV. marcharum ad incendendum duos cereos, qui jugiter ardeant diebus ac noctibus circa corpus ſanctiſſimi regis. Monaſterium Pontiniacenſe & plura monachorum ædificia non ſine magnis ſumtibus laminis plumbeis cooperire fecit. Hæc ergo & hujuſmodi pietatis opera cum pravis actibus ſuis compugnantia maximam pœnarum ſuarum allevationem, Deo miſericorditer cum illo agente, ut ſperamus, præſtabunt, præcipue cum in fine confeſſus & pœnitens fuerit, & ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Domnum MILONEM abbatem de Pinu in curia ſua ex licentia capituli Ciſtercienſis ſecum aſſidue retinuit, eleemoſynarium ſuum illum conſtituens, ut de eleemoſynis regiis & de pauperibus cum omni ſollicitudine curam gereret. Cujus venerabilis viri affabilitatem & munificam liberalitatem nonnulli religioſorum experti ſunt, qui curiam domini regis pro diverſis negotiis frequentabant. Hic autem abbas cum domino rege in expeditionem Jeroſolymitanam profectus fuit, milites inſtanter hortabatur, ut contra inimicos Crucis Chriſti viriliter decertarent, nec mortem pro Domino ſubire formidarent. Infirmanti regi in fine affuit, quem de confeſſione criminum pie ammonuit, ipſumque ante exitum ſacra unctione perungi fecit, os atque oculos morienti clauſit, caputque regium cum manibus balſami liquore perfudit.

De Milone abbate Pinus.

Nonnulli Anglorum proceres cum quibuſdam militibus, audita morte regis in vigilia Paſchæ, in craſtino ſummo mane poſt ſacram Communionem, quam ad ſui judicium indigni ſumſerant, rapinis & deprædationibus veluti lupi famelici ſummo ſtudio inſiſtebant, ubique velut prædones debacchantes, ac ſubſtantias aliorum partim violentia, partim per latrocinia diripientes. Ex quo videlicet facto præclaram probitatis ſuæ famam obnubilaverunt, & nihilominus offenſam Dei incurrerunt. Multa mala patriæ intuliſſent, niſi citius a ſuperiori poteſtate coërciti fuiſſent. Nam dominus HUBERTUS archiepiſcopus Cantuarienſis illico de tranſmarinis partibus repatriavit, atque omnem eorum rapacitatem in brevi compeſcuit, anathematis ſententia involvens, qui ulterius ra-

Proceres omnia deprædantur.

[a] (a) Extat in diœceſi Rothomagenſi.

[b] (b) Pinus abbatia eſt ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Pictavenſi circa annum 1120. a Gerardo de Salis fundata.

pinis

pinis indulgerent, aut qui rapta non redderent.

Richardo ſuccedit Johannes in regno & ducatu.

Rege Richardo autem ab hac luce ſubtracto, ſucceſſit comes Johannes frater ejus in ducatum & regnum: nam audita morte fratris ſui, cujus curiam paulo ante reliquerat propter expenſarum penuriam, & pro quibuſdam ſimultatibus inter ſe ſubortis, ſtatim *Chinum* caſtellum adiit, ubi theſaurus regius ſervabatur, traditoque ſibi caſtello & theſauro a Roberto *de Turneham*, mox alia caſtella & civitates Normanniæ, nullo ſibi reſiſtente, occupavit; ſicque communi procerum electione & civium acclamatione in octavis Paſchæ apud Rothomagum dux Normanniæ effectus eſt. Britones autem necem regis Richardi audientes, conſilio & auxilio freti regis Philippi, occupaverunt comitatum Andegaviæ & Cinomannicam civitatem a civibus patriæ excepti, qui unanimiter contra ducem rebellantes, omnimodis conati ſunt principem terræ illius conſtituere Arturum puerum dominum ſuum, filium ſcilicet Galfredi comitis Britonum, qui erat natu ſecundus poſt regem Richardum. Dux vero Johannes Cinomannis poſtea combuſſit, atque exercitum contra Andegavenſes miſit; ſed rex Philippus a parte altera Normanniam invadens, non ſinebat ducem contrà Britones diutius congredi. Exercitibus autem tranſmarinis ita ad invicem congredientibus, dux Johannes interim cum privatis ſuis latenter in Angliam applicuit, atque a proceribus totius Angliæ pacifice ſuſceptus, ſtatim die Aſcenſionis Dominicæ a domino HUBERTO Cantuarienſi archiepiſcopo coronatus eſt. Deinde rex Johannes Normanniam regreſſus, maximum exercitum de Anglicanis partibus ſecum adduxit, qui per totam æſtatem contra Gallicanum exercitum concertans, ſatis hoſtilis exercitus probitatem expertus eſt.

Britones comitatum Andegaviæ & Cinomann. invadunt.

Pax inter reges Franciæ & Angliæ.

Anno MCC. Verbi Incarnati poſt tædioſam utriuſque regis exercitus fatigationem, poſt plurima de formanda pace colloquia, tandem inter ſe duo reges de finali ad invicem concordia tractantes, hujuſmodi pacis formulam compoſuerunt; ſcilicet quod rex Johannes quietum clamavit regi Franciæ & heredibus ſuis in perpetuum totum Vilcaſſinum Normannicum cum Giſortio & ceteris caſtellis in Vilcaſſino exiſtentibus: quam utique terram olim rex Henricus pater ejus dederat regi Ludovico, pro collato ſibi adjutorio contra regem Stephanum. Hanc etiam terram rurſum rex Ludovicus dedit in maritagium cum filia ſua Margarita, quam rex Henricus deſponſavit junior. Excepta eſt autem tota terra archiepiſcopi Rothomagenſis, exceptum eſt & bellum caſtellum *de Fare* & inſula *Andeli* & *Butavum*, quæ ſita ſunt in prædicta terra archiepiſcopi, quæ rex conſtruxerat Richardus. Præterea dedit rex Johannes uxori ſuæ, filiæ ſcilicet Petri regis Hiſpaniæ, quam Ludovicus bonæ indolis puer filius regis P. deſponſavit, omnia caſtella quæ idem Philippus ceperat in Normannia, de quibus ſaiſitus fuit die qua validiſſimus rex Richardus deceſſit, ſcilicet Vernonem, *Paſci*, & *Yvery* & *Nonancourt*. Dedit etiam in maritagium civitatem Ebroicenſem cum toto comitatu & Alberniam & *Berri*. Conceſſit etiam rex Johannes, quod ſi ſine herede de prima uxore deceſſerit, quod filius regis Franciæ habeat homagium Hugonis *de Gurnay* & comitum Albæmarliæ poſt deceſſum regis. Quod ſi neptis regis Angliæ filiæ prole deceſſerit, prædicta homagia & totum prædictum maritagium revertetur ad rectum heredem regis Angliæ. Præterea rex Johannes dedit regi Philippo xxx. millia marcharum. Rex vero Franciæ reddidit regi Anglorum Turonis & omnia caſtella quæ ceperat in Turonia, & recepit homagium regis Angliæ de omnibus terris & feodis & tenementis, quæ unquam rex Richardus, aut Henricus pater ejus tenuit de eo, vel de prædeceſſoribus ſuis, exceptis quietis clamantiis, & maritagiis, & de Britannia homagium ſuum cepit; & hoc ſecundum judicium curiæ ſuæ. Et rex Franciæ reddidit Arturum regi Angliæ, qui recepit homagium ſuum de Britannia & de *Richemund*. Dedit etiam rex Angliæ comiti Ebroicenſi comitatum Gloceſtriæ in eſcambium. Juravit uterque rex corporaliter ſe partem ſcriptam & ſigillis ſuis roboratam in perpetuum obſervaturos.

Poſtquam rex Johannes hanc pacis concordiam in tranſmarinis formaverat, utpote pacis amator, & qui diſponebat amplius tranquillam ducere vitam, perpendens quantos habuerit regni inſidiatores, & quanta incommoda patri & fratribus ſuis & omni regno ex frequenti præliorum congreſſione accidiſſent, ad Angliam regreditur, auxilium ab omni regno expoſtulans ad ſolutionem xxx. millium marcarum prædictarum. Exiit ergo edictum a juſtitiariis regis per univerſam Angliam, ut quælibet carruca arans tres perſolveret ſolidos; quæ nimirum gravis exactio valde populum terræ extenuavit, cum antea gravis exactio ſcutagii præceſſiſſet. Nam ad ſcutum duæ marcæ perſolvebantur, cum numquam amplius quam xx. ſolidi ad ſcutum exigerentur.

Impoſitio facta ſuper Angliæ carrucas.

Dominus autem rex in Eboracenſem deveniens provinciam, a quibuſdam abbatibus ordinis Ciſtercienſis ſibi occurrentibus exegit pecuniam ſicut & a ceteris, volens ordinem exactionis ſerviture deprimere, qui hactenus liber ab hujuſmodi conſuetudinibus habebatur. Abbates vero illi nondum communicato ceterorum abbatum conſilio, & timentes ſi regiæ faviſſent exactioni, ordinem poſtmodum in ſerviles conſuetudines redigi, ſimpliciter reſponderunt, regi ſe nullatenus aliquam exactoriam præſtare pecuniam, niſi

Johannes exigit pecunias a Ciſtercienſibus.

communi consilio & assensu generalis capituli. Ex quorum responsione rex nimium exasperatus, in ira & furore præcepit vicecomitibus suis, cum præsentibus agens verbo, & cum absentibus scripto, ut viros ordinis illius, quibuscumque valerent modis gravarent, ac molestias inferrent; ut de oppressoribus ac calumniatoribus eorum justitiam nullam exhiberent, nec in aliquo negotio eis assisterent, sed totum ad regem referrent. Ex hujusmodi igitur crudeli edicto, viri illi virtutis nimium tri[illegible] & ingemiscentes, mandatum domini regis domino HUBERTO Cantuarienſi archiepiscopo referunt, implorantes ut dominum regem super tam crudeli edicto conveniat, ejusque animositatem quibus valeat modis, precibus & muneribus mitiget. Quorum pressuris & calamitatibus clementer compatiens, regem libera voce super tanta crudelitate increpavit, persecutorem cum sanctæ ecclesiæ pronuntians, qui tantas ac tales molestias præcipuis ecclesiæ filiis irrogare præsumsit, quos omnis ecclesia ob vitæ meritum & religionis austeritatem collaudat ac veneratur, quos reges ac principes terræ hactenus in tanta veneratione semper habuerunt, ut eis terras & amplas possessiones donarent, & omnia eorum scuto defensionis protegerent.

Qui opem archiepiscopi Cantuariensis implorant.

Rex ergo redargutionibus archiepiscopi ad tempus favens, novis epistolis priores in irritum revocavit, non tamen animositatem suam erga eos mens efferata deposuit. Cumque transfretaturus esset, archiepiscopus, ut animum regis placaret, spopondit ei mille marcas argenti ex parte ordinis, ea tantum pacti conditione, ut omnes cartas ac libertates, quas rex Richardus eis confirmaverat, & ipse sigilli sui munimine roboraret. Quam utique oblationem velut omnino minimam sprevit. Transfretavit itaque spirans minarum & cædis in discipulos Christi, abbatibus transmarinis conquerens de responsione abbatum in Anglia degentium. Persolutis itaque regi Franciæ illis xxx. millibus marcis, subactisque omnibus hostibus suis, ac pacificatis, ad Angliam regreditur circa festum S. Michaelis una cum uxore sua, filia scilicet comitis Engolismi, quam in transmarinis desponsaverat consilio regis Philippi. Nam primam uxorem, filiam videlicet comitis Glocestriæ, per mandatum domini papæ dimiserat, propter consanguinitatis lineam. Instante ergo die, prima scilicet Dominica post festum S. Michaelis, qua apud Westmonasterium coronam gestaturus erat, & uxor sua in reginam consecranda, qua quasi duodennis videbatur, summo mane antequam ad ecclesiam accederet, præcepit Hugoni de Nevilla magistro forestario, & cuidam alii potenti viro, ut mandarent omnibus forestariis per Angliam constitutis summonerentque omnes ordinis Cisterciensis, ut ab octavis S. Michaelis

Archiep. regi offert mille marcas argẽti quas ille ut non sufficiẽtes respuit.

Prohibet ne animalia Cistercienſium in ſuis ſilvis paſcantur.

in xv. dies amoverent de forcta domini regis omnes equos suos *Haraz*, & porcos & pecudes, & cuncta sua animalia. Quod si post terminum præfixum intra forestam inventa fuissent, caperent illa, & ad opus regis venderent. Cum igitur tam crudele regis edictum ubique monachis esset promulgatum, unaquæque domus, prout melius potuit, sibi de pecudibus suis interim providit, ac patienter tantam domini regis indignationem sustinuit, in tribulatione sua clamantes ad Dominum propugnatorem suum, ut spiritum regis in mansuetudinem erga eos converteret, & a tribulatione malorum & dolore gregem suum clementer liberaret: qui nimirum exaudivit eos qui non deserit sperantes in se, & ab hujusmodi citius liberavit. Archiepiscopus itaque comperto regis mandato, omnibus illis abbatibus litteras suas direxit, monens & consulens quatenus apud Lincolniam in occursum regis in vigilia S. Edmundi convenirent, ut simul adunati facilius efferatum una cum ipso ad misericordiam & ad reconciliationis gratiam inclinarent. At illi ejus exhortationi libenter annuentes, loco determinato die præfixa pari voto convenerunt, magis de domini patrocinio, quam de propriæ virtutis industria præsumentes. Ibi igitur adunati in crastino die, scilicet S. Edmundi, archiepiscopo adventanti extra urbem reverenter occurrunt, ac descendentes de equis ejus genibus unanimiter provolvuntur, supplicitur postulantes, ut negotiis eorum clementer intendat, & regis animum erga eos exasperatum, ad benignitatis gratiam sua sollicitudine inclinet. Archiepiscopus autem de tantorum illustrium virorum humilitate vehementer obstupefactus, de equo suo descendit, & similiter se humilians lacrymarus est. Deinde promittit se fore in omnibus eorum auxiliatorem & consiliatorem, atque communicato eorum consilio, paci & utilitati ordinis pro posse suo velle intendere, ac de placando regis animo omnibus modis instructe. Suasit vero ut in crastino in occursum regis adventantis extra urbem iterent, & cum humilitate qua decebat, illum excipererent, quo lenius animum ejus ad pietatem & mansuetudinem inflecterent. Sed postea de hac re inter se tractandum fuit, ne extra urbem regi occurrerent, ne forte a regis præconibus, qui animum regis erga eos, contrarium noverant, aliquo dedecore afficerentur, & cum indubrio ab aula regia fugatoribus excuterentur.

Archiepiſc. abbatibus ſcribit ut regem conveniant Lincolniæ.

Abbates quid ſibi faciendi Lincolniæ inter ſe agitant.

Ingresse urbem archiepiscopi abbates ex[illegible] urbem in qualiter planius exhibitio[illegible] diverso modo de instante negotio tractabant, cum nonnulli contra animum regis contra eos exacerbatum pecuniam aliquam solvere dubitarent, in hujusmodi

dationis occaſione antiqua ordinis libertas deinceps exactionis ſervitute premeretur, atque in hunc mundum ſæculari poteſtati paulatim ordo ſubjiceretur. De quantitate etiam pecuniæ perſolvendæ pro cartis & libertatibus ſuis tractatum eſt. Nam quidam arbitrabantur fore incongruum, ſi regi minorem ſponderent pecuniæ numerum, quam dominus archiepiſcopus prius pro ipſis ſpoponderat; immo prælibato numero aliquid plus adjiciendum, ne magis ſecunda quam prima pollicitatione rex erga eos exaſperaretur, ne quod deberet provocare reconciliationis gratiam, majorem provocaret diſcordiæ & indignationis fomitem. Dum ſic ſub ancipiti conſilium penderet, atque aliqua pars alterius partis allegationem minus approbaret, ecce domnus abbas de Meilce, quondam domini archiepiſcopi notarius, & idcirco ei ſemper valde familiaris, quoddam protulit tranſcriptum quarumdam litterarum, quæ a generali capitulo Ciſtercienſi domino archiepiſcopo directæ fuerant, in quarum tenore litterarum ſub hoc ſenſu continebatur: Quod dominum archiepiſcopum ut fratrem ſuum cariſſimum ſalutabant, & quod multimodas ei gratiarum actiones referebant, eo quod ſacrum ordinem ita affectuoſe diligeret, libertates ubique manuteneret, abbatibus Angliæ in omnibus ſedulus aſſiſteret, & bona eorum temporalia clementer protegeret. Obnixius ipſum precabantur, ut quod benigne erga eos inchoaverat, perſeverandi fine concludat. Inter cetera ſuppliciter expoſtulant, ne umquam patiatur antiqui ordinis libertatem in deteſtandam ſervitutem redigi, aut priſtina dignitate ſpoliari, tutius fore atque tolerabilius ordinem in una parte terrarum pati naufragium, vel aliquod ad tempus ſuſtinere diſpendium, quam regiæ poteſtati in indebitis exactionibus fore obnoxium, qui hactenus omnium regum præcedentium temporum ita ubique in orbe terrarum effloruit, & in tanta dignitatis libertate excellenter effulſit, periculoſum nimis fore talem pacis concordiam cum uno rege componere, unde tota ordinis poſteritas ingemiſceret, & diſcordiæ atque exactionis indebitæ occaſio apud alios principes orbis terrarum ubique adverſus ordinem pullularet.

Litteræ capitulis generalis ad archiepiſcopum.

Auditis itaque hujuſmodi litteris, quarum tenorem idcirco hic non poſuimus, quia non habuimus, ſed ſenſum qui ex litteris ſubintelligi potuit, omnes in unam convenere ſententiam, nullam videlicet regi pecuniam aut dare, aut polliceri, unde ordinis libertas per temporum ſucceſſionem periclitari poſſet. Unde quidam eorum dicebant, ſe multo libentius quaſlibet ſufferre irrogatas injurias pro tuenda ordinis libertate, aut a proprio ſolo eliminari, aut depoſita paſtorali ſollicitudine in clauſtris tranſmarinis commorari, quam alicujus pacis incerti-

Abbates ſtatuunt nihil regi dare.

tudinem pecuniarum indebitarum largitione erga regem componere. Confirmato igitur apud eos hujuſmodi conſilio, ad hoſpitia ſua ſinguli reverteruntur. In craſtino autem iterum congregati, noluerunt regi adventanti pro cauſa prædicta occurrere, mandantes præterea domino archiepiſcopo cauſam quare ſe abſentaverunt, & quod vel quale conſilium unanimiter elegerint. Quorum ſalubre conſilium & abſentationis cauſam dominus archiepiſcopus ſatis approbavit, dicens quod a domino egreſſus eſt ſermo.

Rex Scotiæ hominium præſtat regi Johanni.

Die vero ſequenti, ſcilicet die Mercurii prima poſt feſtum S. Edmundi, rex Johannes colloquium habuit cum domino Wilhelmo rege Scotiæ, qui cum Rollando principe de Galweia, & cum multis aliis proceribus cum magno apparatu apud Lincolniam advenerat, homagium ſuum regi Angliæ facturus, quod uſque ad illud tempus diſtulerat. Qua de cauſa negotium abbatum dilatum eſt. Die autem ſequenti, ſcilicet die Jovis archiepiſcopus regem pro abbatum negotio interpellare volens, a rege quaſi ex iræ commotione audivit: Domine archiepiſcope, precor ne me hodie iratum reddas, quia flebotomari propoſui. Unde archiepiſcopus mandare propoſuit abbatibus, ne in conſpectu regis ſe ingererent. Dilatum eſt itaque negotium iſtud uſque ad ſubſequentem Dominicam. Quapropter interim abbates in magna afflictione & ſpiritus anguſtia extiterunt præ timore & expectatione ſuperventura, cujus exitum minime prævidebant.

Abbates ab archiepiſc. accerſiti proſolvunt ſe regis pedibus.

Sabbato vero ſequenti mandat illis archiepiſcopus ut ſimul omnes convenirent in præſentia regis in eccleſia ubi miſſam auditurus erat Dominica ſequenti. Quod & factum eſt. Cumque dominus rex miſſam cum archiepiſcopo peraudiſſet, ac de eccleſia egreſſurus eſſet, rogavit regem archiepiſcopus, ut negotio abbatum, qui in præſentia ſua aſſiſtebant dignaretur clementer intendere. Mox autem abbates ad pedes domini regis humiliter provoluti, ut tui ſuorumque ac totius ordinis miſereatur, cum gemitu & voce ſuſpirioſa deprecantur. Qui mox unum de cubiculariis advocans, jubet ut abbates in cameram ſuam introducat. Ipſe autem cum archiepiſcopis & epiſcopis & proceribus ſuis qui convenerant in cameram illam præceſſit, atque cum eis de epiſcopis & abbatibus & pace ordinis tractavit. Cumque abbates ingrederentur, ſurrexit & in ſecretius cubiculum cum duobus aut tribus tantum proceribus receſſit, ibique diutius de illo negotio & ſtabili pace ordinis tractavit, ac pietatis opera, quæ in ſacro ordine indeſinenter peraguntur, cum eiſdem replicavit. Spiritus enim conſilii & pietatis jam cor domini regis & corda principum qui cum eo erant repleverat, qui eos ad manſuetudinem & ad devotionis gratiam erga viros ordinis converte-

rat, ac ſalubre conſilium inſpiraverat.

Advocatis in ſuâ præſentiâ rex petita indulget.

Poſt aliquantulam temporis moram, rex ad illos ingreſſus ſonora voce ſciſcitatur: Et ubi eſt dominus & pater noſter archiepiſcopus? Et acceſſito illo, mox cum eo & cum epiſcopis ſecretius colloquitur, abbatibus ſeorſum interim in camera illa aſtantibus. Deinde convocatis coram rege abbatibus, jubet rex archiepiſcopum, ut abbates alloquatur, & conſilium ejus atque voluntatem eis denuntiet. Archiepiſcopus vero dominum regem precatur, ut ipſe potius præſentes alloquatur. Quo abnuente & ſe excuſante, quod pro pietatis miſeratione eoſdem alloqui non poſſet, monet iterum rex, ut verbum edicat, cui ex officio paternæ ſollicitudinis filios alloqui incumbebat. Archiepiſcopus autem brevi utens eloquio ſic exorſus eſt, omnibus „ aſtantibus: O domini abbates & dilectiſſimi „ in Domino fratres, dominus noſter rex viſus „ eſt ſeverum animum per aliquantulum tem„ poris ſpatium erga vos geſſiſſe, viſus eſt ira„ cundiæ & indignationis ſigna in geſtu & in „ verbis erga ordinem veſtrum demonſtraſſe; „ ſed pro certo ſciatis, quia numquam adeo „ erga vos malivolum geſſerit animum, quo „ magis vellet ſacro ordini aliquod inferre diſ„ pendium aut ſacris collegiis veſtris alicujus „ malitiæ irrogare incommodum. In primis „ ergo paternitati veſtræ notificamus, quod „ dominus noſter rex omnem iram ac indi„ gnationem quam hactenus erga vos habuiſſe „ viſus eſt, ex animo vobis remittit. Ad quod „ verbum omnes proſtrati in terram domino „ regi gratias egerunt. Deinde infert archiepi„ ſcopus: Similiter dominus rex humiliter vos „ deprecatur, ut ſi quid moleſtiæ aut detri„ menti a ſuis in hoc tempore illatum eſt ex „ occaſione hujus contentionis, ex corde inte„ gro ei remittatis. Cumque illi pariter con„ clamarent: Omnia ex animo remittimus.

Ad eorum pedes rex provolvitur, & ordinis petit fraternitatem.

Mox rex ad pedes illorum ſe humiliter proſtravit, ac lacrymis faciem rigavit, ipſis e contra præ tanta regis humilitate & reverentia ſe proſternentibus, erectiſque omni„ bus, intulit itidem archiepiſcopus: Supplicat „ etiam rex quatenus apud Ciſtercienſe capi„ tulum pro eo intercedatis, ut in fraternita„ tem & ſocietatem totius ordinis recipi me„ reatur, & litteris ſuis ei innoteſcat, quid pro „ eo in ſingulis domibus agere decernant. Præ„ terea ſtatuit apud ſe dominus rex quoddam „ præclarum cœnobium ordinis veſtri ſecun„ dum conſilium veſtrum in Anglia conſtruere, „ ubi ipſe ſpecialiter quoad uſque vixerit in „ memoria habeatur, & ubi poſt mortem cor„ pus ejus, Deo favente, honorifice ſepulturæ „ tradatur: unde promittit ſe deinceps fore „ patronum & defenſorem ordinis veſtri, at„ que tutorem omnium rerum veſtrarum. Ab„ bates vero illi hæc omnia audientes immenſo A perfuſi ſunt gaudio, multimodas gratias agentes omnipotenti Deo, qui ita regis animum ad manſuetudinem & ordinis reverentiam inclinavit, qui ita eos inſperato & magnifice voluit conſolari, ut dolorem ſubito commutaret in gaudium, triſtitiam in hilaritatem, diſcordiæ membrum in pacis & concordiæ verteret argumentum. Vere juxta pſalmiſtæ vocem, voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet & ſalvos faciet eos. His ita rite compoſitis, omnibuſque in oſculo pacis a domino rege ſuſceptis, ſuggeſſerunt regi, ut litteras ſuas ſingulis vicecomitibus dirigeret, ne ulterius eis B aliquod gravamen vel moleſtiam inferre præſumerent: quorum ſuggeſtioni rex libenter annuens, hanc curam domino archiepiſcopo commiſit, ut pro ſingulorum libitu, ſingularum provinciarum vicecomitibus litteras ex regis nomine dirigeret. Quarum tenor iſte fuit.

Johannis regis litteræ pro Ciſtercienſibus.

JOHANNES *Dei gratia rex Angliæ, dominus Hiberniæ, dux Normanniæ, Aquitaniæ, & comes Andegaviæ, vicecomiti Eſſextiæ & Herfordiæ, ſalutem. Sciatis nos recepiſſe in plenariam gratiam abbates ordinis Ciſtercii, &* C *omnes res & poſſeſſiones eorum in manum & cuſtodiam & protectionem noſtram. Et ideo tibi diſtricte præcipimus, quatenus protegas, manuteneas & defendas eos, & homines & omnes res & poſſeſſiones eorum, ſicut res noſtras & proprias dominicas, & ne eis injuriam, moleſtiam vel gravamen inferas vel ab aliquo inferri permittas in ballia tua, & ſi quid damni vel gravaminis ab aliquo illatum eſt eis occaſione indignationis, quam erga eos habuiſſe dicebamur, id eis ſine dilatione emendari facias. Teſte me ipſo, apud Lincolniam* XXVI. *Novembris.*

S. Hugonis epiſcopi Lincoln. obitus.

Per idem tempus domnus HUGO epiſcopus D Lincolnienſis, quondam prior cujuſdam domus ordinis Carthuſienſis in Anglia, cum a patriæ (a) ſuæ viſitatione in Angliam regredereturapud Londoniam maxima ægritudine detentus eſt. Ex cujus ægritudinis moleſtia ab hac luce ſubtractus, ad indeficientem, ut credimus, tranſiit luminis claritatem. Cujus corpus exanime a Londoniis delatum in civitatem Lincolnienſem epiſcopatus ſui ſedem eodem tempore, Deo procurante, illatum eſt, quo rex Angliæ cum rege Scotiæ colloquium ſuum habuit, ubi tunc E tres archiepiſcopi, & fere omnes nobiliores utriuſque regni convenerant. Nuntiato itaque quod corpus epiſcopi jam appropinquaret civitati, catervatim ruunt populi in occurſum funeris ſui paſtoris. Ipſi reges cum archiepiſcopis & cum omni clero & principibus devote occurrunt. Cujus loculum rex depoſito faſtu regio eum archiepiſcopis, ſubmiſſis cervicibus, ſuper humeros humiliter

[a]

Ejus loculum rex una cum archiepiſcopis defert.

(a) Per patriam ſuam hic intelligendum conjicio Carthuſienſium cœnobium, cui autor epiſcopatum præfuerat, quod ſingulis annis viſitabat, per aliquod temporis ſpatium cum ſuis olim fratribus commorans.

imponunt, & per aliquantam moram pium onus ſubvehunt, lutum platearum parvi pendentes pro tanti viri obſequio. Deinde ab archiepiſcopis & epiſcopis & a clero civitatis cum pſalmis & hymnis in baſilicam ſedis ſuæ bajulatur. Lectiones in nocturnis exequiis vigiliarum nonniſi ab archiepiſcopis & epiſcopis leguntur; felices ſe arbitrabantur qui loculum ejus contingere potuerunt. Copioſiſſima oblatio & magna donaria ei oblata ſunt quamdiu intumulatus ſuper terram jacuit, pontificalibus inſignitus more ſolito faciem habens diſcoopertam, caput mitra redimitum. Novam quamdam eccleſiam in honore Dei genitricis eleganti ſchemate in urbe illa inchoavit, quæ omnes alias baſilicas in Anglia quadam ſtructuræ elegantia ſuperexcellere videtur, quam ſe vivum ſive mortuum conſummandam eſſe prædixit. Quamdam vero fraternitatem in epiſcopatu ſuo inſtituit, ex qua mille marcæ ſingulis annis ad illud opus conſtruendum colligebantur. Fama volitans perhibet, quod meritis ipſius ſanitatem quibuſdam ægrotis divina virtus contulit. Nec mirum ſi Dominus virtutum pro dilecto ſuo apud homines in terris magnificando, aliquod miraculum oſtenderit, cujus ſanctitatis opinio tam celebris apud plurimos extitit, ut eum vitam virtutum duxiſſe incunctanter credant. Siquidem ante epiſcopatum præcipua religione præpollens, opinatiſſimus inter religiosos habebatur: quam utique converſationis ac humilitatis formulam, etiam poſt epiſcopatum in quantum ei licuit pro cura pastorali ſemper habere ſtuduit. Simoniacam vero peſtem in tantum exhorruit, ut nec pro ipſius regis aut alicujus potentis favorabili petitione alicui eccleſiaſtica beneficia largiretur, niſi quem morum probitas commendabilem redderet. Plura ſunt quæ de ejus laudabili converſatione utiliter conſcribi poſſunt, ſed ea eloquentioribus, & qui majorem actuum ejus notitiam habent relinquimus.

Innocentius papa Galliam ſupponit interdicto.

Hoc anno papa INNOCENTIUS omnem Chriſtianitatis ritum in Gallia interdixit, excepto baptiſmo parvulorum, eo quod rex Philippus legitimam uxorem repudiaverat, atque aliam ſuperduxerat: ex qua nimirum interdictionis juſte illata ſententia, maxima ſchiſmatis contentio inter epiſcopos & diverſos eccleſiaſticæ profeſſionis gradus ſuborta eſt, dum quidam eorum ſummo pontifici parentes, illatæ ſententiæ humiliter deferebant; alii vero regiæ parti faventes, immo potius adulantes, atque nonnulli regio terrori cedentes, eccleſiaſtica ſacramenta conficiebant. Quo tempore domnus ODO epiſcopus Pariſienſis, dum regiæ temeritati parere contemneret, a quibuſdam ejuſdem regis militibus ab epiſcopatu ſuo pedes ire compulſus eſt, equis & manticis ac ceteris rebus ſuis violenter ſpoliatus. Similiter epiſcopus Silvanectenſis (a) ab epiſcopatu recedere compulſus eſt. Plures etiam canonicorum ſæcularium reditus ſuos relinquentes ad alia loca iterum tranſmigrarunt. O quam horrificum, immo quam mirabile in ſingulis civitatibus per id temporis erat ſpectaculum, valvas baſilicarum obſeratas cernere, & ab ingreſſu earum Chriſtianos velut canes arcere, ab officiis divinis ceſſare, Sacramenta Corporis & Sanguinis Domini non conficere, ad præclaras ſanctorum ſolemnitates ex more plebem non confluere, defunctorum cadavera ritu chriſtiano ſepulturæ non tradere, quorum fœtor aëerem inficiebat, & horribilis viſio vivorum mentibus horrorem incutiebat. Plures legati ad curiam Romanam a domino rege deſtinati ſunt, qui ſuis allegationibus dominum papam a ſententia illata revocarent. Sed dominus apoſtolicus nec prece, nec minis, aut promiſſis a cenſura eccleſiaſticæ animadverſionis ullatenus revocari potuit, donec iſdem rex neceſſitate ſuprema compulſus, ſubintroductam uxorem dimitteret, atque injuſte repudiatam ad legitimum connubium revocaret. Quæ profecto regina omni illo tempore, quo a viro ſuo erat dimiſſa, laudabilem vitam in omni caſtitate & profectu virtutum, ſub tutela religioſorum duxerat, atque orationum ſuffragia a religioſis quibuſque devote expetierat. Sententia hæc a domino papa in Gallos illata fere per novem menſes perſtitit.

Per idem tempus papa Innocentius de ſubventione terræ Jeroſolymitanæ magnam gerens ſollicitudinem, præhabito conſilio mandatum hujuſcemodi per univerſam eccleſiam deſtinare curavit:

Innocentii litteræ de ſubventione terræ ſanctæ.

INNOCENTIUS *epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Cantuarenſi archiepiſcopo & ſuffraganeis ejus, & dilectis filiis abbatibus, prioribus & decanis, archidiaconis, & univerſis clericis tam ſubditis quam prælatis S. & A. B.*

Omnes Orientalis eccleſiæ miſerias & neceſſitates ingentes jam potius peccatis exigentibus deflere cogimur, quam referre, cum ad eum ſtatum, ſi tamen ſtatus dicendus eſt caſus, quod dolentes dicimus, eadem terra devenerit, ut niſi citius ipſius fuerit neceſſitati ſuccurſum, & occurſum conatibus paganorum, pauci Chriſtiani, qui ſe defenſioni hæreditatis Domini & Crucifixi obſequiis ſe devoverunt, hoſtiles ſagittas ſui ſanguinis effuſione inebriatim credantur & paganorum gladios ſuis jugulis placaturi, reliquiis deſolatis illius terræ, ſine ſpe humani ſubſidii, perdendis totaliter & ab hoſtibus occupandis, cum de partibus illis pene omnes jam redierint peregrini. Idem autem hactenus Dominus JESUS-CHRISTUS, *ut probaret adhuc fortius fidem noſtram, & plenius intel-*

(a) Is erat Gaufridus vir magnæ religionis, qui anno 1213. abdicato epiſcopatu, ad Ciſtercienſes Caroſilocenſis monaſterii ſuæ diœceſis ſe recepit.

ligeret qui ſunt ejus, miſericorditer impedivit, manus eorum in ipſos convertens, & eos inter ſe multiformiter diſcordantes permittens ad invicem deſævire, ut Chriſtianis interim ad ipſius terræ ſubſidium excitatis, facilior daretur facultas recuperandi perdita & de hoſtibus triumphandi. Recepimus enim litteras venerabilium fratrum noſtrorum Antiocheni, & Jeroſolymitani patriarcharum, archiepiſcoporum etiam, & epiſcoporum utriuſque provinciæ, ſimiliter & cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Aymerici Jeroſolymorum & Lenun de Monte, L. Armeniorum regum illuſtrium & dilectorum filiorum & magiſtrorum Jeroſolymitanorum, Hoſpitalium & militiæ Templi, aliorumque multorum, ipſius terræ miſerias & neceſſitates plenius exponentes, & poſtulantes ſubſidium diutius expectatum, cum plus ibi ſperent, dante Domino, paucos hoc tempore propter Sarracenorum diſcordiam profuturos, quam hactenus copioſus exercitus profuiſſet. Adjectum eſt etiam, quod cum jam inter Sarracenos de pace tractetur, ſi priuſquam ſubveniatur Jeroſolymitanæ provinciæ inter eos fuerit concordia reformata, niſi ſolus Deus reſiſtat, cum ſit viris & viribus pene deſtituta, non erit qui eorum poſſit violentiam cohibere. Nos ergo cum fratribus noſtris, accitis etiam epiſcopis, & aliis viris religioſis apud ſedem apoſtolicam exiſtentibus, de ipſius terræ ſubventione tractantes, ne videremur onera gravia humeris imponere ſubditorum, quæ digito etiam movere nollemus, dicentes tantum, ac nihil vel modicum facientes: ita ut a nobis ad vos, & a vobis ad laicos benefaciendi derivetur exemplum, exemplo qui cœpit facere & docere, decimam partem omnium redituum & proventuum noſtrorum curavimus ſubventioni Orientalis provinciæ deputare, & ut non ſolum in rebus, verum etiam in perſonis neceſſarium terræ ſanctæ ſubſidium deſtinemus, dilectos filios noſtros S. titulo ſanctæ Praxedis presbyterum, & P. ſanctæ Mariæ in Via-lata diaconem cardinalem, quibus jam pridem impoſuimus ſignum Crucis, illuc propoſuimus deſtinare, qui exercitum Domini vices noſtras exercendo præcedant, & ad eos tamquam ad unum caput univerſi recurrant. Verum quia id quaſi modicum, immo vere modicum ad tot neceſſitates ipſius provinciæ ſufficere nullatenus reputamus, univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus ex parte Dei omnipotentis & in virtute Spiritus-ſancti, ſub interminatione divini judicii diſtricte præcipimus, quatenus ſinguli veſtrum ſaltem quadrageſimam partem omnium eccleſiaſticorum reditu[illegible] & proventuum ſuorum, prius tamen deductis uſuris, quarum ſolutio vitari non poſſit, in ſubſidium terræ ſanctæ convertant. Omnibus clericis tam ſubditis quam prælatis, qui quadrageſimam ipſam ſponte ac fideliter ſolverint, de Dei omnipotentis miſericordia, & beatorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, quartam partem injunctæ ſibi pœnitentiæ relaxamus, dummodo nulla fraus interveniat, & pia devotio ſuffragetur. Sciat autem ſe culpabiliter durum & dure culpabilem; qui tantillum ſubſidium in tanta neceſſitate creatori & redemtori ſuo negaverit exhibere, a quo corpus & animam & univerſa bona quæ habet, accepit, & nos qui, licet indigni, vices ejus exercemus in terris, hujus culpæ duritiam nullatenus diſſimulare poſſemus. Nec aliquo modo credatis, quod per hoc in diſpendium veſtrum legem vobis imponere intendamus, ut a vobis in poſterum quadrageſima quaſi debita vel conſuetudinaria exigatur. Immo nullum vobis ex hoc præjudicium volumus generari, qui tantæ neceſſitatis articulum nobis & vobis ſupervenisse dolemus, & quod ſimul de cetero non contingat optamus. Ab hac generalitate monachos Ciſtercienſes, Præmonſtratenſes canonicos, heremitas Grandimontis, Carthuſienſes excipimus, quibus ſuper hoc mandatum injungimus ſpeciale.

Ad hoc præcepit domnus papa truncum concavum fieri in ſingulis eccleſiis, ſemel in hebdomada miſſa publice decantetur pro ſalute offerentium. Dedit etiam licentiam prælatis commutandi opus injunctæ pœnitentiæ in opus eleemoſynæ faciendæ; mandavit etiam de militibus & de aliis bellatoribus qui ſignum Crucis aſſumſerint, & in ſuis non potuerint ſumtibus transfretare, ut congrua eis ſtipendia ſubminiſtrent de illa pecuniarum ſumma, ſufficienti ab eis cautione recepta, quod in defenſione Orientalis terræ per annum vel per amplius commorabuntur ſecundum quantitatem ſubſidii; & ſi in via deceſſerint, ſuſceptum ſubſidium reddent in ſtipendia bellatorum. Qui etiam cum redierint non abſolventur de præſtita cautione, niſi litteras regis, vel patriarchæ, ſeu fratrum Templi, vel Hoſpitalis ſecum detulerint, quæ de mora eorum teſtimonium perhibeant. Mandavit etiam ut fideles inſtanter ammonerent, ut ſignum Crucis aſſumerent in nomine Domini ad præliandum bellum Domini, alioſque inducerent ad pias eleemoſynas faciendas juxta ſuarum ſufficientiam facultatum. Omnibus etiam qui laborem hujus itineris in propriis perſonis & expenſis ſubiiſſent, plenam ſuorum peccatorum veniam indulſit, de quibus cordis & oris egiſſent pœnitentiam. Eis autem qui non in perſonis propriis, ſed in ſuis expenſis viros idoneos deſtinarent per annum illuc moraturos, & illis ſimiliter, qui in alienis expenſis laborem itineris hujus implerent, plenam ſuorum conceſſit veniam peccatorum. Præcepit etiam ut proficiſcentes ab uſurarum exactione quieti forent.

LIBELLUS DE MOTIBUS ANGLICANIS SUB JOHANNE REGE,

AUCTORE RADULFO COGGESHALE ABBATE.

Ex mſ. codice bibliothecæ Pariſienſis S. Victoris.

DUx Lovaniæ Leodium vaſtat, & dominus papa eum excommunicat. Rex Euſtachium *de Veſci* & Robertum filium Walterii in comitatibus tertio requiſitos cum eorum fautoribus utlaghiari (4) fecit, caſtra eorum ſubvertit, prædia occupavit. Archiepiſcopus Cantuarienſis cum coexulibus ſuis contra nuntios regis Romam petierunt, & a domino papa & cardinalibus debito cum honore ſuſcepti ſunt, & in agendis ſuis efficaciter exauditi. Magiſtrum Pandulfum in cauſæ ſuæ advocatum acceperunt, & ſic in Franciam redierunt. Rex Francorum in Angliam navalem expeditionem præparavit, ut regem Anglorum debellaret, & conſenſu procerum regni totam ſibi Angliam ſubigeret. Pandulfus regi Francorum prohibuit ne Angliam intraret, antequam regem Anglorum de ſatisfactione conveniſſet & de pœnitentia cognoviſſet. Rex Francorum interim totam Flandriam occupavit; quia comes Flandriæ cum eo transfretare in Angliam recuſavit. Rex Angliæ naves regis Francorum incendit; & de ſatisfaciendo eccleſiæ & recipiendo archiepiſcopo Cantuarienſi cum omnibus coexulibus epiſcopis, clericis & laicis, cautionem juratoriam præſtitit, & XII. tam comites quam barones cum eo, & ideo publice abſolvi meruit.

Rex Angliæ regnum ſuū S. Petro perpetua donatione concedit.

2. Rex Anglorum totum regnum Angliæ & totum regnum Hiberniæ, Deo & beatis apoſtolis ejus Petro & Paulo, & domino papæ INNOCENTIO ejuſque catholicis ſucceſſoribus perpetua donatione conceſſit & carta ſua confirmavit, ut tamquam feodarius tam ipſe quam heredes ſui homagium ligium domino papæ & ejus catholicis ſucceſſoribus, ſi eos adire potuerint, faciant; & præterea mille marcas ſterlingorum, ſcilicet DCC. pro Anglia, & CCC. pro Hybernia, ſalvo B. Petri denario, annuatim ad Paſcha & feſtum S. Michaëlis domino papæ & ejus catholicis ſucceſſoribus appendant: & ſi rex Johannes vel aliquis ſucceſſorum ſuorum contra hoc venire attentaverit, niſi rite commonitus reſipiſcat, cadat a jure regni. Archiepiſcopus Cantuarienſis cum coexulibus ſuis, epiſcopis, monachis, clericis & laicis in Angliam venit, & poſſeſſionem terrarum ſuarum cum amminiſtratione libera recepit. Rex Arragonenſis dum impudenter comiti Tholoſano contra catholicos auxiliatur, conſerto prælio, miraculoſe quidem, ſed miſerabiliter cum toto exercitu ſuo abſorbetur.

Cantuar. archiepiſcopus in Angliam redit.

3. Dominus papa archiepiſcopos, epiſcopos, abbates, priores, archidiaconos & decanos totius Chriſtianitatis anno gratiæ MCCXV. calendis Novembris Romam venire præcipit, ubi generale concilium celebrare diſponit. Dominus papa per ſingula regna Chriſtianitatis ſingulos cardinales vel legatos deſtinat, ut ad ſuccurſum terræ ſanctæ perſonas, arma, pecuniam colligant. Rex Angliæ parato navigio in Pictaviam barones Northanumbrenſes invitavit, ut ſecum transfretarent. At illi pari animo eademque ſententia contradixerunt, aſſerentes non in hoc ei obnoxios eſſe ſecundum munia terrarum ſuarum, ſed in expeditionibus Anglicanis; ſe nimis exhauſtos & vehementer attenuatos. Rex igitur indignatus collectis militum copiis ipſos attererevoluit; ſed tandem archiepiſcopus cum rationabiliter arguens, impetum ipſius compeſcuit. Petrus de Ponte-fracto qui regem ulterius non regnaturum ab olim vaticinabatur, ipſo rege mandante, ſuſpenſus eſt. NICOLAUS epiſcopus Tuſculanus legatus apoſtolicæ ſedis, venit in Angliam, qui ut plurimis videbatur, nimis favorabilis erat regi in diſponendis cauſis & rebus eccleſiaſticis. Northanhumbrenſes regi concordantur, mediantibus legato, archiepiſcopo Cantuarienſi & aliis epiſcopis & baronibus, ea

Concilium Lateranenſe.

Proceres Angliæ transfretare ad regis voluntatem recuſant.

Northanhumbrenſes regi reconciliantur.

(4) Utlagiare apud Anglos idem erat ac proſcribere extra regis protectionem. Utlagiatorum vero bona omnia erant fiſco addicta.

conditione, ut liceat eis gaudere atavis libertatibus, sicut rex ante absolutionem suam publico sacramento juraverat. Omnes fere barones Angliæ confœderantur sibi ad tuendam libertatem ecclesiæ & totius regni. Præcipiente domino papa episcopus Norwicensis & plures ecclesiasticæ personæ, quæ regi excommunicato communicaverant, & excommunicati vel ab excommunicatis beneficia ecclesiastica susceperant, Romam ire compelluntur. Obiit Gaufridus filius Petri justitiarius Angliæ, & episcopus Wint. ei in officio illo successit, submurmurantibus totius regni proceribus, quod homo alienigena eis præficeretur. Gilo de Brehusa filius Willelmi de Brehusa, omnem possessionem paternam in custodia recepit cum nepote suo, donec puer ad ætatem legitimam veniret, & episcopus idem regem absolvit & quietum clamavit ab omni restitutione ablatorum quæ sibi competebat. Comes Tholosanus omnium possessionum extorris præter solam Tholosam, venit in Angliam, & homagium regi fecit, & Tholosam reddidit, & ut dicebatur, decem millia marcharum reportavit.

Comes Flandriæ in Angl. venit.

4. FERRANDUS comes Flandriæ venit in Angliam, & occurrit ei rex apud Cantuariam, & recepit ibi rex homagium ejus de tota Flandria, & tam ipsi quam his qui cum eo venerant effudit munificentiam regiam in donariis largifluis auri, argenti, & lapidum pretiosorum. Rex classe copiosa collecta, circa Purificationem S. MARIÆ cum paucis comilitibus, sed infinita multitudine militum inferioris fortunæ, vela ventis expandit, & ad Rupellam applicuit, ducens secum reginam suam & Richardum filium suum & Alienor sororem Arturi, cum thesauro inæstimabili auri, argenti, & lapidum pretiosorum. Rex comitem Saleberiæ cum multa pecunia in Flandriam ad succursum comitis Flandriæ transmittit. Tres prædicatores tribus Angliæ partibus attribuuntur, ad colligendum arma, pecuniam, naves, & cruce signandum homines ad subventionem Jerosolymitanam.

Regi præscripta restitutio faciendа archiepisc. & episc.

5. Nuntii regis a Roma venientes talem restitutionis taxationem reportaverunt, ut rex primum quadraginta millia marcharum archiepiscopo Cantuariensi & coepiscopis olim spoliatis persolveret; & deinde præstito sacramento per cartam suam ad solvendum annuatim XIII marcas se obligaret, donec tota spoliationis summa compensaretur, datis insuper vadibus episcopis, comitibus & baronibus, eorumque successoribus, qui pro rege per sacramenta cartasque publicas ponderent, & sic demum interdictum Angliæ solveretur. Rex Angliæ totam Aquitaniam, excepta civitate Pictavis & pauca regalia, in deditionem accepit, fratrem comitis Britonum cum XXV militibus in obsidione Nairneris civitatis cepit, cum Gaufrido de Lutzinniaco, & comite Augensi, & comite Marchiæ qui dicitur Hugo *le Brun*, necnon Savarico de *Malleon* concordiam fecit.

Angliæ rex Aquitaniam in deditionē accepit.

6. Obiit GILEBERTUS Rofensis episcopus. Solutum est interdictum totius Angliæ in die sanctorum Processi & Martiniani Londoniis. Commissum est prælium inter regem Francorum & comitem Flandriæ prædictum cum complicibus suis, & cæsa sunt castra Flandrensium a Francis, & capti sunt comes Flandriæ, & comes Boloniæ, & comes Salesberiæ frater regis Anglorum nothus, & maxima multitudo militum gradus inferioris. Actum est autem hoc prælium XIII. calendas Augusti die Dominica juxta *Donay*. Obiit domnus SIMON abbas IV. de *Tilletes*, qui gratia Dei sibi cooperante, quasi de pauperrima grangia pulcherrimam instituit abbatiam, in quo zelus religionis cum prudentia sæculari contendebant. Obiit Albericus *de Ver* comes Oxoniensis. Rex autem Angliæ in expeditione sua parum proficiebat. Sed & vicecomes *de Tuars* ab eo recessit, & adhæsit regi Franciæ.

Insignis victoria a Gallis reportata.

Treugæ inter Franc. & Angliæ reges.

7. Rex Franciæ movit expeditionem pervalidam contra regem Angliæ. Treugæ firmatæ sunt inter duos reges a proximo Pascha in quinque annos ex mandato domini papæ secundum quosdam, secundum alios interventu sexaginta millium marcarum, quas rex Angliæ, verens multitudinem occursantis sibi hostilis exercitus, regi Francorum numeravit. Magister Robertus *de Curzam* (a) dum insolentius se gereret in Francia, corripitur acriter per litteras a domino papa; sed & domnus NICOLAUS legatus Angliæ, dum innotesceret domino papæ quod insolentiis regis nimis faveret, & reparandæ libertati ecclesiasticæ minus intenderet, & consanguineos suos in ecclesiasticis beneficiis avare instituëret, per litteras domini papæ correptus, timens valde tunicæ suæ, Romam reverti festinavit. Rex a Pictavia in Angliam rediit.

Innocentius papa suos corripit legatos.

Obiit JOHANNES DE GRAY episcopus Norwicensis in transmarinis. Barones Northanhumbriæ in unam coëuntes sententiam, ut regem compellerent ad reformandam ecclesiæ & regni libertatem, & ad abolendas prayas consuetudines, quas ad depressionem ecclesiæ & regni, tam pater quam frater regis cum his abusionibus, quas idem rex adjecerat, olim fuscitaverant, secundum quod rex anno præterito juraverat, regem super his plurimis diebus & locis ad hoc inter eos præfixis alloquuntur, orant & adhortantur. Inspexit & cartas regis Henrici patris profecturi, quæ libertates exprimunt, quas proceres olim abolitas nunc reflorescere contendunt, sed rege pertinaciter renuente, discordes ab invicem discedunt. Obiit piæ memoriæ domnus WILLELMUS Roffensis, cum regnasset plus quam quinquaginta annis, cui

Proceres Northanhumbriæ hortantur regem ad restituendam regni & ecclesiæ libertatem.

(a) Alias dictus Robertus de Curcino, qui anno 1222. egregia condidit statuta in concilio Parisiensi.

successit

ſucceſſit in regnum filius ejus ALEXANDER.

Obiit magiſter EUSTACHIUS Elienſis epiſcopus. Rex Johannes ad iter Jeroſolymitanum cruce ſignatur.

Barones regē diffidant. 8. Barones Angliæ regem ſuum diffidant, & ei homagia ſua reſignant, occupata Northantona; qui dum caſtella regis invadunt, Londonias occupant. prædas ex prædiis ejus viriliter diripiunt. Inde pactis confœderationibus per internuntios cum civibus Londoniarum XVI. calendas Junii, die Dominica, mane depoſitis agminibus ad civitatem accedunt, & civibus ad officium divinum occupatis, ſine contradictione irruptionem faciunt. Ingreſſi vero regios fautores, quos invenerunt, ceperunt, & eorum bona diripuerunt. Judæorum domos invaſerunt, apothecas & ſcrinia confringunt, & exhauſtas multo tempore in hac expeditione religioſa, crumenas refarcierunt. Inde Robertus filius Walteri mareſcallus exercitus Dei & ſanctæ eccleſiæ, & Gaufridus de Mandevilla comes Exſexiæ & Gloweceſtriæ inſtaurandis muris civitatis ex lapideis domibus Judæorum quotidie vigilanter intendunt. Turrem tamen Londoniarum non acceperunt, paucis licet intus viriliter reſiſtentibus. Cumque per regnum longe lateque percrebuiſſet, quod barones regiam metropolim occupaſſent, omnes, exceptis comitibus Warenniæ, Arundelli, Ceſtriæ, *Penbroc*, Ferrariæ & Saleſberiæ, & baronibus Willelmi *Brivvere*, aliiſque paucis, quorum tum tam comitum quam baronum milites omnes in partem baronum tranſierant; ceteri, inquam, omnes de die in diem catervatim in exercitum Dei tranſierunt, donec ordinarentur per Angliam quatuor fortiſſimi exercitus, tantuſque terror regem obſideret, ut jam extra Windleshoram nuſquam progredi auderet.

Rex Francorum eis promittit auxilium. 9. His itaque ſe habentibus, rex Francorum per litteras de conſtantia hortatur & unanimi concordia & virili * inconſtantiæ, promittens eis ſuppetias, quantum, ſalvis treugis, quæ inter ipſum & regem Johannem erant, eis ſubminiſtrare poterat. Spondetque quod neminem de omni poteſtate ſua permittet venire in auxilium regis contra barones. Machinas etiam ſuas bellicas per Euſtachium monachum eis tranſmiſit, & ſi opus haberent multam copiam theſaurorum ſuorum eis commodare diſpoſuit. Sed & de ſtrenuis bellatoribus ſuis in ſuccurſum baronum liberis transfretare diſſimularet. Quibus cognitis, & regem timiditas & barones obtinuit animoſitas.

*Inſtantia.

Pax inter regem & barones. 10. Die igitur colloquii conſtituto, barones inter *Windleſore* & *Stanes* in prato qui vocatur *Runemed*, cum multitudine præclariſſimæ militiæ, & per omnia bene armatæ, conveniunt, & in eodem loco fixis tentoriis manſerunt, ſed & rex cum ſuis ſeorſum in eodem prato in papilionibus manſit, interveniente itaque archiepiſcopo Cantuarienſi cum pluribus coepiſcopis & baronibus nonnullis, quaſi pax inter reges & barones firmata eſt, & tactis ſacroſanctis, ab omnibus inviolabiliter tenenda juratur etiam à rege. Mox igitur forma pacis in carta eſt comprehenſa: ita quod ſinguli comitatus totius Angliæ ſingulas unius tenoris haberent cartas, regio ſigillo communitas. Ibi quoque jura ſua baronibus & aliis de quibus indubitanter conſtabat quod eis competebant, rex reſtituit. Præfixo igitur alio die ad jura reſtituenda, de quibus controverſia fuit, barones reverſi ſunt Londonias. Inde tyrocinia diverſis in locis Angliæ barones exercuerunt.

Conjuratio in regem. 11. Fit generalis conjuratio a ſingulis tam militibus quam liberis hominibus per ſingulos comitatus totius regni, ex præcepto regio in litteris patentibus propoſito, quod in fide & virtute prædictam cartam tenerent, & tenere nolentes etiam regem ipſum totis viribus infeſtarent. Rex ad præfixum diem colloquii venire noluit, ſed ſolitas inducias doloſe repetivit. Tandem cum apud *Stanes* in Cantia diem colloquii accepiſſet, non venit, immo de die in maritimis, de nocte in mari ſe contutans, undecumque potuit navigium ſibi multiplicavit, alienigenas accerſivit, theſaurum quem ſecum in navibus collocaverat, in donaria effudit, Angligenas omnes a curia ſua fugavit; ſed & maris portus in Cantia & Suderia, & Hamtona, Scira, diſtrictis cuſtodiis obſedit, ne quis eo nolente inde ad concilium Romanum tranſiret: inde in archiepiſcopum Cantuarienſem calumniam evomuit, incuſans eum frudulentæ proditionis, expetens ab eo caſtellum Rofficenſe & turrem Londoniarum, quæ tamquam mediator ac ſequeſter conſervanda ſuſcepit, donec in cujus dominium jure cederent, judicio diſcerneretur. Archiepiſcopus autem poſt artas reſpondendi inducias, regi reſpondit, ſe non poſſe reſignare ei prædictas munitiones, niſi per judicium. Sed & epiſcopus Roffenſis dominum papam audacter appellavit contra archiepiſcopum & regem, ne quid fieret de caſtello Roffenſi, quod in præjudicium juris archiepiſcopalis, quod eccleſiæ Cantuarienſi in prædicto caſtro competebat, innovaretur. Aſſerebat autem, ſua intereſſe pro jure Cantuarienſis eccleſiæ appellare, utpote capellanum archiepiſcopi. Inde poſt modicum tempus Robertus filius Walteri, verens ne regis inſtantia compelleret archiepiſcopum ad deditionem caſtri Roffenſis, aſſenſu Reginaldi de Cornhella, qui caſtellum illud cuſtodiebat, ipſum clam ingreditur cum plurima manu militari, & ibidem per aliquot dies manebat, rege circa Cantuariam & Doveriam inequitante.

Crucis prædicatio adversus Angl.

12. Interim ter missō Hugone de Bova quodam exule regis Franciæ cum litteris domini papæ, vel fictis vel veris, incertum, prædicari fecit in Brabantia, & adjacentibus provinciis, quantumvis* omnes armis bellicis instructi in remissionem, peccaminum in Angliam venirent, & eam sine delectu ordinis, dignitatis, sexus, vel ætatis exterminio darent, eo quod secundum falsidicam stropham omnes a fide catholica defecissent. Interea Cantuariensis archiepiscopus, rege invito & ei minas intentante, transfretavit: sed Wintoniensis episcopus & PANDULFUS Norwicensis electus, cum abbate Redingiæ, jam per litteras domini papæ, vel veras vel fictas, vel per falsi suggestiones impetratas, præmuniti, ad excommunicandum omnes regis infestatores, ipsum archiepiscopum ab officio suspenderunt, acclamantes in mari jam velificanti, eo quod sententiam excommunicationis in quosdam sibi nominatos, qui regem infestabant, denuntiare noluisset; & quia sic ad concilium transiret: quorum tamen sententiam, licet iniquam, ob reverentiam domini papæ non contemsit, sed humiliter & ac devote tenuit.

* f. quam citius.

Classis regia turbine dissipata.

13. Igitur dum Deus tempestates & turbines præter solitum horrendas, & multitudinem copiosam navium contrivit in corde maris cum prædicto H. duce ipsarum, qui cum navi regis propria & milite copioso, ac thesauro plurimo submersus est quasi plumbum in aquis vehementibus. Evaserunt tamen nonnullæ naufragium, quarum plures ab Anglis interceptæ luctuosum subierunt ergastulum. Rex igitur hanc jacturam graviter dolens, collectis plurimis copiis, Roffecestriam ex parte fluminis intercurrentis adiit, cupiens pontem incendere, ne quod subsidium Roffensibus ea parte a Londoniis posset accedere. Sed Robertus filius W. cum sexaginta militibus & servientibus ac balistariis strenuis pontem defendit, & accensum extinxit, regemque inanem consilii sui aufugere compulit, pluribus ex parte regis submersis, vel vulneratis, aut occisis. Capti sunt ibi ex militibus baronum, Oliverus *de Argenteal*, & David *Giffart*, dum nimis supra vires niterentur milites regis capere, ipsi dum sociis alias occupatis succursum non habent, victores à victis violenter abducti sunt. Hujus captionis occasione, cum rex prædictum Oliverum strenuum crudeliter fame necare proposuisset, frater ejus O. primogenitus, qui fuit in causa baronum alleganda acerrimus, compassione fraterna permotus, cum ad ejus redemtionem multam regi pecuniam obtulisset, nec exaudiri potuisset, tandem post triduam fratris famem de licentia baronum in partes regis corpore non mente se transtulit, & datis de perseverantia obsidibus, fratrem tanto discrimini exemit.

14. Rex iterum refectis copiis armatorum, A quinto die Octobris, die Dominica Roffensem civitatem improvisus occupavit, & ingressus castellum obsedit, machinis multimodis obsessos infestans. Erant autem in castello præcipui W. *de Aughem* & Reginaldus de Cornhilla, Willelmus *de Aineford* & alii plures, cum plusquam C. militibus & servientibus ac balistariis strenuis quam plurimis; tractaque est obsidio fere per duos menses: in qua obsidione rex expendit in stipendariis plusquam LX. millia marcarum, totamque Cantiam crudeliter populatus est, ipsamque sedem episcopalem, ecclesiam Roffensem, & claustrum ac officinas monachorum: B etiam juxta sanctum altare, & thecas sanctorum PAULINI Eboracensis archiepiscopi primi, & B. YTHAMAR Roffensis quondam antistitis, stabiliverunt equos suos, & comessationes & ebrietates, necnon cubilia, & impudicitias, nullo respectu habilo loci sancti & & sanctorum, inibi exercuerunt. Qui vero intra castellum erant, industrie satis & disciplinatissime se defenderunt, infinitos forinsecus occidentes. Tandem vero muris conquassatis & suffossis, cum jam victualia defecissent obsessis, manus regi dederunt, se & C sua regiæ misericordiæ committentes.

Rex occupat Roffensi civitate castello obsidet & expugnat.

15. Dum hæc obsidio traheretur, applicuerunt apud *Ervvelle* in vicinis portubus ferme septem millia armatorum, quos LUDOVICUS filius Philippi regis Francorum, quem barones Angliæ in regem sibi elegerant, abjudicato & abjurato rege Johanne cum omnibus suis, in succursum baronum transmiserat, internuncio Sahero *de Quinci* comite Wint. Rex quoque Johannes fraudulosam pro more suo stropham commentatus, litteras jam direxerat P. regi Francorum sub nomine omnium baronum Angliæ sibi adD versantium, quas & transformatis singulorum sigillis sigillare fecit, cum gratiarum actione flagitantium non oportere dominum Ludovicum filium ejus in Angliam vexari, eo quod inter se & dominum suum regem Angliæ pacifice convenisset super omnibus quæ à se mutuo petebant, se quoque plenarie satisfacturos domino Ludovico super impensis quas fecerat in eorum succursum. Hujusmodi litteris relectis in audientia regis Franciæ, comitem Wint. sibi præsentem minaciter proditionis accusavit. At comes dolum præsentiens caput suum in obsidatum regi obE tulit, quod illæ mendosæ erant. Similis formæ litteras destinavit rex Johannes ex parte R. filii Walteri & aliorum baronum Angliæ ad barones Nortanhumbrenses, quibus eorum adventum Londonias retardavit. Rex quoque Francorum obsides petiit a baronibus Angliæ pro indubitata securitate, & transfretantibus G. de Mandevilla & H. *de Buhun*, comitibus Gloveceſtriæ & Herfordiæ, ipsos obsides accepit.

Ludovicus filius regis Philippi baronibus mittit auxilium.

Fictitias ad Philippum regem litteras fabricat Johannes.

16. Rex Johannes, capto castello Fofecensi,* * l. Roffens.

exercitum ſuum diviſit, cujus medietatem ſub manu Savarici de Malo-leone Pictavini & Falconis Normanni, & comitis Saresberiæ fratris ſui nothi, & Gerardi de *Sogengavic* Flandrenſis, & Walterii cognomine *Buc* de Brabantia, commendavit. Ipſe vero cum reſiduo exercitu contra Norenſes percundit. * At Savaricus prædictus & ſocii ejus ipſa nocte Dominicæ Nativitatis caſtellum de Plaſſeto, quod eſt Galfridi de Mandavilla obſederunt. Plures quoque militum & ſervientium eorum patriam circumquaque vaſtare intenderunt: adeo ut ipſa die Dominicæ Nativitatis eccleſiam & officinas abbatiæ de *Tilleteye* violenter, dum ſolemnis miſſa poſt tertiam celebraretur, intrarent, & omnem eorum ſuppellectilem everterent, & apothecas plures confringentes, plurima multorum depoſita rapiebant & aſportabant. In die quoque Circumciſionis apud *Coggeshale*, dum hora tertia diceretur, in eccleſia violenter ingreſſi, XXII. equos qui erant epiſcopi Londonienſis, & theſaurarii fratris, & aliorum abduxerunt. Deinde ad S. Edmundum convolantes, inde inſulam Elyenſem cinxerunt propter plurimos milites & nobiles feminas, qui illuc loci munimine confiſi, ad S. Edmundum ante facies prædonum confugerant. Tandem vero inſulam ingreſſi, gravem fecerunt exterminationem in ea ubique quocumque devenerant, non ætati parcentes, nec ſexui, nec conditioni, nec religioni. Eccleſias quoque confregerunt, & quæ in in eis depoſita fuerant abſtulerunt, homines etiam ut pecunias eorum emungerunt, horrendis pœnarum cruciatibus adegerunt, maxime ſatallites prædicti *Buc*.

17. Sabbato proximo poſt Epiphaniam redierunt Londonias a tranſmatinis comes Wint. & ceteri comites, ducentes ſecum LXI. naves militibus & ſervientibus onuſtas. Die Veneris ante Purificationem S. MARIÆ Savaricus prædictus cum ſociis ſuis obſedit caſtellum Coleceſtriæ; ſed audito quod barones Londoniis feſtinarent ad ſuccurſum caſtelli, die Mercurii poſt Purificationem B. MARIÆ verſus S. Edmundum receſſerunt. Nocte præcedente diem Dominicam pridie calendas Februarii, paulum ante crepuſculum matutinum, viſæ ſunt, à pluribus duæ ſtellarum cohortes ab oriente & occidente ſibi occurrentes, in portentuoſam concertationem ſibi commiſceri, una grandi ſtella ſeſe in medio earum immobilem continente. Cumque hæc pugna diutius moraretur, tandem orientalibus ſtellis in ſua cadentibus, certamen finitum eſt. Rex itaque cum exercitu ſuo uſque ad mare Scoticum pertranſivit, terras baronum depopulando, rapinis & incendiis inceſſanter invigilans. Caſtella quoque eorum quæ vel per diditionem vel per obſidionem cepit, funditus dirupit. Barones vero Norenſes fugerunt a facie ejus, præter paucos, qui ſe miſericordiæ ejus immeſericordi ſubdiderunt. Tantam autem moram fecit rex in illa expeditione, & tam longe proceſſit, ut vix quo deveniſſet ſciri poſſet; adeo ut fallax fama divulgaret, quod mortuus eſſet, & apud Redingam clanculo ſepultus.

18. Obiit Galfridus de Mandavilla Londoniis ex vulnere quod ſuſcepit, dum more Francorum equites cum haſtis vel contis ſeſe curſim equitantes viciſſim impeterent, uno die ante caput quadrageſimæ ſepultus eſt apud prioratum S. Trinitatis Londoniarum. His diebus facta eſt denuntiatio excommunicationis quam dominus papa in concilio Lateranenſi publice fecit in omnes infeſtantes Johannem regem Angliæ; canonici tum S. Pauli Londoniarum & plures aliæ eccleſiaſticæ perſonæ, ſed & barones Londoniis commorantes contra ſententiam appellaverunt, excipientes contra illam quod lata fuit per filii ſuggeſtionem.

19. Circa medium quadrageſimæ rex exercitu multo obſedit caſtellum *Colec*. Et poſt paucos dies accepit in deditionem a Francis qui illud cuſtodiebant, ea conditione, ut dicti Franci ad ſuos cum omnibus quæ ad ſe pertinebant, libere redirent. Angli vero qui inibi reperti fuerant, ſub libera redemtione taxati dimitterentur. Hanc conventionem cum comes Sareſberiæ ſacramento firmaſſet vice regia inviolabiliter tenendam, rex Francos quidem omnes abire dimiſit, Anglos autem ſub arcta cuſtodia vinclis mancipavit, nuſquam veritus Dei juſtitiam & fidei violationem. Franci vero illi Londonias venientes, ſtatim capti ſunt, & ab indigenis baronibus inſtanter accuſati, quod commilitones ſuos Anglos nequitia & infidelitate prodidiſſent, dum alia quam ſe conditione obligaſſent. Jam de ſuſpendio ipſorum ſententialiter interlocutum fuit; ſed ad ſuggeſtionem & conſilium cujuſdam ſapientis, ſententia cum executione ad præſentiam domini Ludovici ſuſpenſa eſt. Ipſi interim in vinculis tenebantur.

20. Rex igitur cum cepiſſet caſtellum comitis Roberti *de Ver* apud Hidingeham feſtinavit ſtipendiariis ſuis donativa diſtribuere, ut inſtanter Londonias obſiderent. Quod cum innotuiſſet Londonienſibus, aperuerunt omnes portas civitatis, parati ad congreſſum cum rege, ſi ad ſpatium x. leucarum ad civitatem proximaret. Rex autem cognita animoſitate illorum & multitudine, ac bellandi ſtrenuitate, experiendi periculo ſe ſubtraxit. Savaricus tamen de Maloleone ex improviſo a Londonienſibus bello exceptus, pluribus ſuorum amiſſis, graviter ad mortem uſque fere attritus & vulneratus eſt. Norenſes quoque, reſumtis viribus, Eboracum obſederunt, & eam acriter oppugnantes, tandem acceptis plus quam mille marcis, treugas uſque ad

* I. procedit.

Regis copiæ monaſteria vaſtant.

Excommunicatio in regē infeſtantes.

Rex expugnat caſtellū Coleceſtriæ.

Barones a tranſmarinis partibus adducunt copias.

Ejus copiæ Londonias non audent obſidere.

Rex eorum terras depopulatur.

octavas Pentecoſtes civibus conceſſerunt. Sed & Londonienſes LXV. piratas qui Tamenſem fluvium obſederant, innnumeris aliis occiſis vel ſubmerſis, captivos duxerunt. Fiebant tunc per Angliam a regiis complicibus prædationes & incendia, ſed & barones de terris adverſariorum rapinas agebant.

Rex miſſa legatione ad Philippum regem conatur impedire Ludovici adventum.

21. Rex interim per cunctos exploratores præſentiens, quod dominus Ludovicus fixe ſtatuiſſet venire in Angliam, tranſmiſit in Franciam ad regem Philippum epiſcopum Wintonienſem, Willelmum mareſcallum ſeniorem, & quoſdam alios, tentans, ſi quo modo per eos induceret eum, ut cohiberet filium ſuum a tali propoſito, ſed inexauditi ſunt reverſi. Rex igitur maritima perambulans loca, caſtra munivit, quinque Portuenſes, ſacramentis & obſidibus ab eis extortis, ſibi obligavit, navium copioſam multitudinem de *Gervemunde*, Lenna, Dunewico, & ceteris portibus Angliæ collegit, inſtruxit, & pugnatorum copiis implevit, ſtatuens navali prælio Francos adventantes excipere. Sed ecce ventus prævalidus & tempeſtuoſus ab Aquilone conſurgens, claſſem illam ex maxima parte tum colliſione attrivit, tum ſubmerſione demerſit, tum in partes Auſtrales longius abegit. Plures inſuper earum, quas ut Francorum navigia infeſtarent & incenderent, rex tranſmiſerat, contraria ſorte deluſus amiſit.

Ludovicus in Angliam appulit.

22. Dominus autem Ludovicus, paratis omnibus copiis apud *Caleis*, *Gravelinges*, & *Witſand*, flante vento qui Euro-Aquilo dicitur, eo quod ſit inter Orientem & Aquilonem medius, cum utroque participat, navigare cœpit verſus Angliam, laborioſe tamen, eo quod aliqua non directe ventus vela diſtenderet, & applicuit apud *Stanore* die Sabbati poſt Aſcenſionem Domini, ſcilicet XIV. cal. Junii. Cujus appulſione viſa, ſtatim Johannes rex perterritus fugit, flens & lamentans, & omnis exercitus ejus cum eo. Et quidem cum ſola navis domini Ludovici, aliis a longe remigantibus, applicuiſſet, niſi fata regem urgerent, facillime illum cum omnibus ſuis cepiſſet, utpote per biduum in mari procelloſo valde fatigatos. Rege ſicut ignaviter fugiente a facie eorum, Ludovicus cum exercitu ſuo proceſſit audacter, & primum civitatem Cantuariam cum caſtello in

Cantuariam in deditionē accepit & Londonias venit.

deditionem accepit; poſtea alia caſtella Cantiæ præter ſolam Doveram munitiſſimam. Inde Londonias veniens, honorifice a proceribus & civibus ſuſceptus eſt, & in fidelitatem ejus & homagium omnes pariter juraverunt. Deinde captis quibuſdam caſtellis, præparavit occupare regem Johannem, quem audierat apud Wintoniam inſigne bellicum draconem erexiſſe, quaſi Ludovicum bello excepturus, ſi adveniret: ſed Johannes cognito ejus adventu, draconem ſuum depoſuit, & aufugavit, inflammata prius urbe per quatuor partes. Sed cives ocius ignem extinxerunt, & adventanti Ludovico cum favore occurrerunt, & tradita ſibi civitate in ejus fidelitate juraverunt. Ille vero caſtella civitatis obſedit, & ad deditionem compulit. Ibi venerunt ad eum fere omnes comites & barones regni, qui eatenus Johanni adhæſerant. Comes quoque Sareſberiæ ſe cum caſtello Saleſberiæ Ludovico tradidit. Pauci vero adhuc Johanni pertinaciter adhæſerunt. His itaque peractis, circa feſtum B. Mariæ Magdalenæ obſedit caſtellum Doveræ, & protraxit obſidionem uſque ad feſtum B. Callixti. Tunc Hubertus de Burgo & Gerardus de *Sorengi*, qui principes erant in caſtro ultra ferre non valentes aſſultus & machinas Ludovici, treugas ab eo impetraverunt, ut miſſis nuntiis ad Johannem, vel ſuccurſum ab eo peterent, vel caſtellum ſuum ei redderent. Johannes autem dum prædicta protraheretur obſidio, perambulabat terram, & incendiis & rapinis quæcumque potuit conſumſit. Comes vero Nivernenſis, qui cum Ludovico venerat, cum exercitu multo Anglorum, caſtellum de *Windleshore* per duos ferme menſes obſedit, cumque Johannes approximaret cum exercitu, quaſi obſidionem diſſipaturus, illi paraverunt eum excipere in bello. Quo cognito, refugit ab eis, & concite pertendit viſitare caſtella, quæ jam treugas acceperant deditionis a baronibus, & acceperant datis obſidibus in Nortfolchia & Surfolchia & Eſtſexia. Et dum iter ageret, ubique incendia & rapinas multiplicavit, nec etiam eccleſiis parcens. Quo cognito, barones qui obſidebant *Windleshore*, receſſerunt omnes ſimul a caſtello, incendentes machinas ſuas, & regem inſequi contenderunt: quo ille audito, citius aufugit. Obiit Innocentius III. XVII. calendas Auguſti apud Peruſium, cui ſucceſſit Honorius. Alexander rex Scotorum & barones Norenſes venerunt Cantuariam ad ducem Ludovicum.

Johannis regis obitus.

Rex comperto quod barones ceſſaſſent ab ejus exſecutione, converſis habenis reverſus eſt ad *Len*, & præfecto ibidem Savarico de Malo-leone Pictavino, cœpit firmare *Len*. Sed ibidem, ut dicitur, ex nimia voracitate, quia ſemper inſatiabilis erat, venter ejus ingurgitatus uſque ad crapulam, ex ventris indigerie ſolutus eſt in diſſenteriam. Poſtea cum paululum ceſſaſſet fluxus, fleobotomatus eſt apud villam Inlindeſſi quæ dicitur *Flagtun*. Huc ergo cum veniſſent nuntii incluſorum caſtri Doveræ, & intimaſſent cauſam adventus ſui, morbus ex dolore concepto recruduit.

ANNALES VETERES FRANCORUM.

Ex mſ. bibliothecæ Regiæ.

OBSERVATIO PRÆVIA.

QUOS hic ſiſtimus veteres annales Francorum nobis exhibuit codex antiquus olim monaſterii Rivipullenſis, deinde Stephani Baluzii, a quo regiam in bibliothecam tranſiit. Eorum auctor anonymus Caroli Magni avorumque ejus præclara facinora ab anno DCLXX. *ad* DCCCXIII. *deſcribere ſibi propoſuit, ſimplici quidem ſtylo, pro more illorum temporum, ſed ad perſuadendum accommodato: cum ea præſertim narret quæ aut a probatiſſimis auctoribus acceperat, aut ſuis viderat oculis. Ætatem ſuam prodit ipſemet, cum Caroli Magni res præclare geſtas proſecuturus, excuſat ſeſe, quod de ejus nativitate, infantia atque etiam pueritia nihil ſit dicturus.* Quia, *inquit*, neque quiſquam modo ſupereſſe invenitur, qui horum ſe dicat habere notitiam. *Quibus ex verbis duo maxime licet inferre, unum auctorem hos ad ſcribendos Annales ſtatim a Caroli Magni obitu calamo manum admoviſſe, cum jam ſupereſſet nullus ex his qui infantem aut puerum viderant, perplures vero viverent qui adoleſcentem & virum: alterum* ineptum *judicaſſe ea quorum notitiam certam ab oculatis teſtibus non accepiſſet, referre.*

Porro cum magnam hi Annales affinitatem habeant cum Chronico Moiſſiacenſis monaſterii, ab Andræa Cheſnio tomo III. hiſt. Francorum vulgato, ejuſque paſſim verba referant, dubii aliquandiu hæſimus an eos prælo committeremus. Verum re mature diſcuſſa, atque utroque opere inter ſe diligenter collato, primo invenimus, plura in codice Moiſſiacenſis Chronici, ipſo fatente Cheſnio, deſiderari folia, quæ tertiam aut quartam hujus operis partem conficere poſſunt. Secundo plures in noſtro codice articulos a Moiſſiacenſi omnino diverſos contineri, tandem ea ipſa de quibus inter eos codices convenit, ſæpe inter ſe diſcrepare, adeo ut quod in noſtro clarum & apertum eſt, id ſit in Moiſſiacenſi perobſcurum. Quibus adducti rationibus novum nec ſpernendum opus judicavimus eruditis viris non invidendum. Quæ vero ab anno DCCCXIII. *ad* DCCCXL. *ſequuntur, ab aliquo Anianenſi monacho addita cenſemus.*

INCIPIT GENEALOGIA, ortus, vel actus ſive vita Caroli glorioſi atque piiſſimi imperatoris.

IN temporibus illis anno ab Incarnatione Domini DCLXX. decedentibus regibus de Gallia, PIPINUS & MARTINUS potentiſſimi duces dominabantur in Auſtria. Hi duces in A odium verſi contra Ebroinum præfectum Galliæ aciem dirigunt, contra quos THEODERICUS rex Francorum & EBROINUS præfectus cum hoſte cucurrerunt loco nuncupante Locuſtio, (a) ſimulque conjuncti ſe invicem cæde magna proſternunt, corruitque ibi infinita turba populi. Auſtraſii victi in fugam verſi, Ebroinus eos cæde crudeliſſima inſe-

(a) Chronicon Moiſſiacenſe *Lucofao.*

curus, maxima parte ex illa regione vaſtata. Martinus per fugam elapſus, Lauduno ingreſſus, illic ſe recluſit: Pipinus vero altrinſecus evaſit. Ebroinus itaque, patrata victoria, reverſus eſt, veniens cum exercitu Herciaco (a) villa, ad Martinum nuntios miſit, & data ſacramenta, ut cum fiducia ad regem Theodericum veniret, hoc doloſe ac fallaciter ſuper capſas vacuas ſe jurante. (b) Martinus eos credens, Herciaco (c) villa veniens, ibique cum ſociis ſuis interfectus eſt. Ebroinus itaque magis ac magis Francos opprimens, dum Ermefredo Franco inſidias pararet, Ermefredus quoque clam ſuper eum conſurgens atrociter, præfatum Ebroinum interfecit, ad Pipinum in Auſtria fugiens evaſit. Franci quoque conſilio accepto WARATHONEM virum illuſtrem in loco Ebroini cum juſſione regis majorem domus conſtituunt. Accepit ipſe Waratho inter hæc obſides a prædicto Pipiho, & pacem cum eo iniit. Erat enim eidem Warathoni filius efficax induſtriuſque, feroci animo & acerbis moribus, inſidiator patris ſui, eumque ab honore ſupplantans. Eratque nomen ei Giſlamaris, cui B. AUDOENUS Rothomagenſis epiſcopus prohibuit ne hanc nequitiam contra patrem ſuum inferret: quod ille audire contemſit. Fuerunt que inter ipſum Giſlamarem & Pipinum bella civilia & multa diſcordia: qui ob injuriam patris & alia crudelia peccata, a Deo percuſſus, iniquiſſimum ſpiritum exhalavit, juxta quod S. Audoenus ei prædixerat. Illoque defuncto, Waratho iterum honore priſtino nanctus eſt. In his diebus B. AUDOENUS Rothomagenſis epiſcopus plenus dierum ac virtutibus præclarus, Chilpiaco villa regali in ſuburbano Pariſiorum civitate migravit ad Dominum. Succedente quippe curriculo temporum prædictus Waratho defunctus eſt.

Franci in diverſa oberrantes, BERTHCARIUM in majorem dominatum conſtituunt. In illis diebus PIPINUS ab Auſtria conſurgens cum exercitu contra THEODERICUM regem Francorum & Berthcarium aciem dirigit, convenientibus ad prælium in loco nuncupato Textritio, illiſque inter ſe belligerantibus, Theodericus & Berthcarius terga verterunt. Pipinus quoque victor extitit. Succedente itaque tempore (d) Berthcarius ab adulatoribus ſuis occiditur.

Poſt hæc PIPINUS ſub Theoderico rege cœpit eſſe principali regimine majordomus. Theſauris acceptis, Nordvertro quodam de ſuis cum rege relicto, ipſe in Auſtria meavit. Erat quippe Pipino principi nobiliſſima uxor & ſapiens nomine PLECTRUDIS. Ex ipſa genuit filios duos. Nomen majoris DROCHUS & nomen minoris GRIMALLUS. Drochus ducatum Campaniæ cepit.

Eo tempore THEODERICUS rex obiit regnavitque annis XIX. (e) CHLODOVEUS filius ejus puer regalem ſedem ſuſcepit, regnavitque annos duos; poſt quem (f) CHILDEBERTUS frater ejus in regno ſtatutus eſt. GRIMALDUS filius Pipini junior in aula regis Childeberti majordomus effectus eſt. Grimaldus quoque genuit filium ex concubina Theodaldo nomine. Eo tempore Drochus filius Pipini defunctus eſt, habenſque Pipinus præfatus princeps filium ex alia conjuge nomine Alpaigde, (g) Carolum nomine, virum elegantem, egregium atque utilem.

ORTUS CAROLI VETULI.

Pipinus princeps, multa bella geſſit contra gentes plurimas.

Anno Incarnationis Dominicæ DCCX. Pipinus migravit in Allamannia.

Anno DCCXI. aquæ inundaverunt valde. Tunc enim bonæ memoriæ glorioſus CHILDEBERTUS juſtus migravit ad Dominum anno XII. (h) regni ſui, regnavitque DAGOBERTUS filius ejus pro eo anno DCCXIII.

Igitur Grimaldus habebat uxorem nomine Thuſinda, filia Rathbodis ducis gentilis. Ægrotante (i) quippe Pipino principe, dum ad eum viſitandum ipſe acceſſiſſet, in baſilica S. Lamberti Leodico peremtus eſt a Raganario (k) gentile. Theodaldus vero filius ejus, jubente avo ſuo, in aula regis honore patris ſublimatur.

Anno DCCCXIV. Pipinus febre valida correptus obiit. Obtinuerat principatum annis XXVII. Plectrudis relicta Pipini cum nepote ſuo Theodaldo vel Dagoberto rege cuncta gubernat ſub diſcreto regimine.

Anno DCCCXV. Franci denuo in Cotia ſilva contra Theodaldum vel Auſtraſios irruerunt, ac teſe mutuo duriſſima cæde proſternunt. Theodaldus autem per fugam lapſus ereptus eſt. Ipſoque fugato, Raganfredum majorem domus elegerunt. Qui commoto a (l) rege Dagoberto exercitu, Carbonariam ſilvam tranſeuntes uſque Moſam fluvium terram ſilvaſque vaſtantes ſuccenderunt, cum Radhbode duce gentili amicitias feriunt. Carolus vero filius Pipini his diebus a Plectrude ſub cuſtodia tenebatur, ſed auxiliante Domino, vix evaſit.

Eo tempore DAGOBERTUS rex ægrotans, mortuus eſt anno VI. regni ſui. Franci vero DANIELEM quondam (m) clericum, ceſarie capitis creſcente, in regem ſtabiliunt, atque CHILPERICUM nuncupant. Sema (n) rex Sar-

(a) Moiſſac. Chron. *Creiaco* pro quo mſ. habet *Herciaco*.
(b) Moiſſ. *ſe juvant*. (c) Moiſſ. male *ab Herciaco* pro *ad Herciacum*. (d) Moiſſiac. *cedendum itaque tempori*.
(e) Moiſſ. *annis* XVI. (f) Moiſſ. *poſtquam* male.
(g) Moiſſ. *Alpagedè*. (h) Forte XVI. Moiſſ. legit *anno* XVIII. (i) Moiſſ. legit *ante*, quod verbum alium omnino ſenſum efficit, ſed noſtri codicis lectionem confirmant Annales Petenſes. (k) Moiſſ. Ragngario. (l) Hic locus corruptus in Chronico Moiſſiacenſi ubi legitur hoc modo, *Regis Dagoberti cito Carbonariam ſilvam tranſeuntes*.
(m) Moiſſ. *quemdam*. (n) Moiſſ. *Soma*.

racenorum post IX. anno quam in Spania ingressi sunt Sarraceni, Narbonam obsidet, obsessamque capit, virosque civitatis illius gladio perimi jussit. Mulieres vero vel parvulos captivos in Spaniam ducunt, & in ipso anno mense tertio ad obsidendam Tolosam pergunt: quam dum obsiderent, exiit obviam eis Eudo princeps Aquitaniæ cum exercitu Aquitanorum vel Francorum, & commisit cum eis prælium, & dum præliare cœpissent, terga versus est exercitus Sarracenorum, maximaque pars ibi cecidit gladio. Ambisa rex Sarracenorum cum ingenti exercitu post V. anno Gallias aggreditur, Carcassonam expugnat, & capit, & usque Nemauso pace conquisivit, & obsides eorum Barchinona transmittit.

Anno DCCXVI. Franci exercitum movent, usque fluvium Mosam contra Carolum dirigunt, & ex alia parte Frisiones cum Rathbode duce consurgunt. Carolus quoque super Frisiones irruens, maximumque dispendium de exercitu suo perpessus, atque per fugam dilapsus abscessit. (a)

[a]

Anno DCCXVII. iterum CHILPERICUS cum Raganfredo vel Francis hoste commoto, Ardinnam silvam ingressus, usque Rhenum fluvium vel Colonia civitate pervenerunt, vastantes terras. Thesauro multo a Plectrude matrona accepto, reversi sunt. Sed in loco qui dicitur Amblava, Carolo in eos inruente, maximum dispendium perpessi sunt.

Eodem tempore prædictus vir Carolus exercitu commoto, iterum contra Chilpericum & Raganfredum consurgens, contra quem illi hostem colligunt, bellum præparantes accelerant; sed pacem Carolus postulat: illisque contradicentibus, ad prælium egressi sunt in loco qui dicitur Vitiaco, Dominica die illucescente, XII. calendas Aprilis: illisque fortiter bellantibus CHILPERICUS cum Raganfredo terga vertit. Carolus victor extitit, regiones illas vastatas atque captivatas. Itemque cum multa præda in Austria reversus, Colonia civitate veniens, ibique seditionem movit, cum Plectrude matrona disceptavit, & thesauros patris sui sagaciter recepit, regemque ibi statuit nomine Chlotarium. Chilpericus itaque vel Raganfredus Eudonem ducem expetunt in auxilium, qui movens exercitum contra Carolum perrexit. At ille constanter occurrit ei intrepidus. Sed Eudo fugiens, Parisius civitate regressus, Chilpericum regem cum thesauris regalibus sublatum ultra Ligerim receſſit. Carolus enim persecutus non reperit eum. CHLOTARIUS quidem memoratus rex eo anno obiit. Interea Radbodus rex moritur, annoque insequente Carolus legationem ad Eudonem dirigens, amicitiasque cum eo faciens: ille vero Chilpericum regem cum multis muneribus reddidit. Mortuus quidem est Novicino civitate, regnavitque annis V. Franci vero THEODOSIUM filium DAGOBERTI regis junioris super se statuunt in regem.

Anno DCCXXV. Sarraceni Augustudunum civitatem destruxerunt IV. feria, XI. calendas Septembris, thesaurumque civitatis illius capientes, cum præda magna Spania redeunt.

Anno DCCXXXI. Carolus vastavit duas vices ultra Ligerim, & Raganfredus moritur.

Anno DCCXXXII. Abderamam rex Spaniæ cum exercitu magno Sarracenorum per Pampelonam & montes Pirenæos transiens, Burdigalem civitatem obsidet. Tunc Eudo princeps Aquitaniæ, collecto exercitu, obviam eis exiit in prælium super Garonna fluvium. Sed inito prælio, Sarraceni victores existunt, Eudo vero fugiens, maximam partem exercitus sui perdidit, & ita demum Sarraceni Aquitaniam deprædare cœperunt. Eudo vero ad Carolum Francorum principem veniens postulavit ei auxilium. Tunc CAROLUS collecto magno exercitu, exiit eis obviam, & inito prælio in suburbio Pictavensi, debellati sunt Sarraceni à Francis, ibique rex ABDERAMA cecidit cum exercitu suo in prælium, & qui remanserunt ex eis per fugam reversi sunt in Spania. Carolus vero spolia acceptà, cum triumpho gloriæ reversus est in Francia.

Anno DCCXXXIV. CAROLUS ingressus est in Frisia cum exercitu magno, delevit eam usque ad internecionem, ac suo subjugavit imperio. His temporibus PHIBIN filius Abderama Narbona perficitur. * Alio anno Rodanum fluvium transiit. Arelato civitate pace ingreditur, thesauroque civitatis invadit, & per quatuor annos totam Arelatensem provinciam depopulat atque deprædat. His diebus papa GREGORIUS minor Romanæ ecclesiæ episcopus claves venerandi sepulcri Petri apostoli & vincula ejusdem, cum magnis muneribus, legatione ad Carolum principem Francorum misit: quod antea nullo Francorum principi a quolibet Romanæ urbis præsule missum fuerat. Epistolam quoque & decreta Romanorum principum prædictus papa Gregorius cum legatione etiam munera misit. Quo pacto patrato, sese populus Romanus, relicto imperatore Græcorum & dominatione, ad prædicti principis defensionem, & invictam ejus clementiam convertere cum voluissent, ipse vero pro his omnibus cum gaudio & gratiarum actione domino repensis, ipsam legationem cum magnis muneribus Romam remisit. Post hæc elegit ex suis fidelibus GRIMONEM, scilicet Corbeiensis monasterii abbatem & Sigibertum reclusum basilicæ S. Dionysii martyris, & cum magnis muneribus ad limina B. Petri principis apostolorum misit, ac per eos om-

* f. proficiscitur.

(a) Ab his verbis plura in codice Moissiacensi desiderantur folia, quæ ope hujus codicis resarciri possunt, scilicet ab anno DCCXVII. ad DCCLXXVIII.

nia in reſponſis, quæ ſibi & populo Francorum juſſa * fuerunt, præſuli ſcriptum remandavit. Poſt hæc præfatus princeps audiens quod Sarraceni provinciam Arelatenſem vel ceteras civitates in circuitu depopularent, collecto magno exercitu Francorum, vel Burgundionum, vel ceterarum in circuitu nationum, quæ ditionis illius erant, Avinionem civitatem bellando irrupit, Sarracenos quos ibi invenit interemit, & tranſito Rodano, ad obſidendam civitatem Narbonam properat; quam dum obſideret, OCUPA rex Saracenorum ex Spania Anſoribinailet cum exercitu magno Sarracenorum ad præſidium Narbona tranſmittit. Tunc CAROLUS partem exercitus ſui ad obſidendam civitatem reliquit, reliquam vero partem ſumta, Sarracenis obviam exivit in prælio ſuper Berre fluvio, & dum præliare cœpiſſent, debellati ſunt Sarraceni a Francis cæde magna, maximaque pars ipſorum cecidit in gladio, & experti ſunt Sarraceni Francorum prælio, qui ex Syria egreſſi ſunt, Carolum fortiſſimum in omnibus repererunt. Ipſe vero Carolus ſpolia collecta & copioſam prædam cum reverteretur, Magdalonam deſtrui præcepit. Nemauſo vero, arenam civitatis illius, atque portas cremari juſſit, atque obſidibus acceptis reverſus eſt in Franciam.

* f. viſa.

ORTUS PIPINI.

Anno DCC... CAROLUS princeps obiit, regnavit annis XXIII. & menſes VI. obiit XI. calendas Novembris, filiique ejus PIPINUS & CARLOMANNUS principatum patris inter ſe dividunt. Carlomannus Auſtria, Alamannia, atque Turingia ſortitur. Pipinus vero Burgundiam atque Provinciam accepit. ZACHARIAS natione Græcus S. R. E. papa ſedit Romæ. Hujus temporibus CARLOMANNUS rex Francorum, filius prædicti principis Caroli, frater Pipini, divino amore & deſiderio cœleſtis patriæ compunctus, ſponte regnum reliquit, filioſque ſuos Pipino fratri commendavit; ipſe vero Romam pergens, ad limina B. Petri apoſtoli cum plurimis ſuis optimatibus & donis innumerabilibus pervenit, & ante ſepulcrum B. Petri poſuit, capitiſque coma depoſita, habitum clericalem, ordinante B. Zacharia papa, aſſumſit, aliquantoque tempore ibidem manſit. Conſilio vero accepto ejuſdem pontificis, ad Caſinum montem & cœnobium S. Benedicti perrexit, ibique obedientiam regularem OPTATO abbati promittens, monachicam profeſſionem ſpopondit. PIPINUS vero regnum patris totum ſibi vindicat, & per auctoritatem Romani pontificis ex præfecto palatii rex conſtitutus. Poſt obitum Zachariæ pontificis STEPHANUS natione Græcus ſedit in pontificatu. Hic moleſtia Langobardorum & ſuperbia Haiſtulphi regis non ſuſtinens, ad defenſionem Pipini regis Francorum quærendam, partibus Franciæ pergit. Quod cum nuntiatum fuiſſet regi Pipino, magno repletus eſt gaudio, filiumque ſuum primogenitum Carolum, qui poſt eum regnaturus erat, obviam ei abire præcepit, ipſumque cum honore ad præſentiam ejus in villa quæ dicitur Pons Hugonis adducere; ibique veniens prædictus papa, a Pipino rege honorifice ſuſceptus eſt. Sequenti die una cum clero ſuo aſperſus cinere & indutus cilicio in terram proſtratus, per miſericordiam Dei omnipotentis, & merita beatorum apoſtolorum Petri & Pauli Pipinum regem obſecrans, ut ſe & populum Romanum de manu Langobardorum & ſuperbi regis Haiſtulphi ſervitio liberaret, nec antea de terra ſurgere voluit, quam ſibi rex prædictus Pipinus cum filiis ſuis & optimatibus Francorum manum porrigerent, & ipſum pro indicio ſuffragii futuri & liberationis de terra levarent. Tunc rex PIPINUS omnem pontificis voluntatem adimplens, direxit eum ad monaſterium S. Dionyſii martyris, eumque ibi ſummo honore & diligentia hiemare præcepit. Porro Pipinus rex legationem ad Haiſtulphum regem Langobardorum miſit, hortans eum, ut propter reverentiam apoſtolorum Petri & Pauli Romanas urbes non affligeret, & ſuperſtitioſe has impias præſumtiones contra pontificem Romanæ urbis non moveret. Sed iidem legati ſuper his omnibus quæ princeps Pipinus mandaverat, nihil aliud ab illo ſuperbo tyranno niſi plena ſuperbia reſponſa & contumacia verba audire meruerunt. STEPHANUS autem papa ipſum piiſſimum principem Pipinum regem Francorum ac patricium Romanorum oleo unctionis perunxit ſecundum morem majorum unctione ſacra, filioſque ejus duos felici ſucceſſione CAROLUM & CARLOMANNUM eodem coronavit honore. Pipinus vero rex non poterat ea quæ Romano præſuli promiſerat, niſi toto affectu cum Dei auxilio adimpleret. PIPINUS itaque Alpes tranſiens, legatos ſuos ad Haiſtulphum mittens, poſtulavit ut ſanctam Romanam eccleſiam, cujus ille defenſor per ordinationem divinam fuerat, non affligeret, ſed omnem juſtitiam de rebus ablatis faceret. Haiſtulfus vero in ſuperbia elatus, convitia etiam in præfatum pontificem per inepta verba imponens, nihil ei ſe facere promittens, niſi viam ſe præbere quatenus ad propria remearet. Illi vero miſſi promittebant, non aliter dominum Pipinum a finibus Langobardiæ eſſe profecturum, niſi prius Haiſtulfus juſtitiam S. Petro faceret. Haiſtulfus autem requiſivit, quæ illa juſtitia eſſet: cui legati reſponderunt: Ut ei reddas Pentapolim, Narnias, & Cecanum, & omnia unde populus Romanus de tua iniquitate conqueritur. Et hoc tibi mandat Pipinus, quod ſi juſtitiam S. Petro reddere vis, dabit tibi duodecim millia ſolidorum. Haiſtulfus his omnibus ſpretis, legatos abſque ullis pacificis

verbis

verbis abſolvit. PIPINUS igitur iter cœptum peragens ad Cluſas Langobardorum pervenit, illiſque dirutis, & Haiſtulfum cum Langobardis in fugam expulſis, Papiam civitatem obſedit annum unum & menſes tres, in qua Haiſtulfum includens, ita per Dei adjutorium illum coarctavit, ut omnes juſtitias S. Petri ſe redditurum repromitteret. His minis Haiſtulfus tyrannus territus, per manus Pentapolim, Narnias, Cecanum, & reliqua debita quæ S. Petro debuerat, miſſis domini Pipini regis per vadium reddidit, & triginta millia ſolidorum Pipino regi tribuit, ſpopondens ſingulis annis in tributum, id eſt v. millia ſolidorum partibus Francorum ſe redditurum. Hæc omnia jurejurando Haiſtulphus cum ſuis optimatibus & omnibus nobilibus Langobardorum ſe adimpleturum eſſe ſpopondit, & firmitatis cauſa dedit regi Pipino de nobilibus Langobardorum XL. obſides.

PIPINUS vero accepta benedictione domni apoſtolici in pace eum abire permiſit, tradens ei Ravennam, Pentapolim, Narnias, Cecanum, & quidquid in illis partibus continebatur. His omnibus peractis, Pipinus victor ad propria remeavit. Quo revertente in Francia, Haiſtulfus perfidus rex omnia quæcumque promiſerat contumaciter poſtpoſuit, & Stephanum papam cum armis a finibus ſuis expulit.

Eodem anno bonæ memoriæ CARLOMANNUS monachus migravit ad Dominum, & BONEFACIUS archiepiſcopus in Friſia verbum Dei nuntians coronatur. Tunc Haiſtulfus rex Langobardorum fidem quam Pipino promiſerat fefellit, cum exercitu Romanas fines invadens, etiam ipſam Urbem obſedit. Hæc audiens Pipinus rex, exercitum congregans & per Burgundiam iter faciens, uſque ad Mauriennam urbem pervenit. Hæc cum audiſſet, Langobardis cluſas firmare atque Francis juſſit reſiſtere Haiſtulfus. PIPINUS interea tranſactis Alpibus cum robore exercitus ſui, ipſum vallum vel firmitatem, quam Langobardi firmarant, deſtruxit, exercitum eorum in fugam convertit, inde ad Ticinum urbem pervenit, totam illam regionem devaſtans, illam munitiſſimam civitatem obſedit. Hoc Haiſtulfus cernens, nullamque ſpem evadendi habens, per ſupplicationem ſacerdotum veniam a præcellentiſſimo rege Pipino poſtulavit, & ea quæ contra jus vel ſacramenta perpetraverat; ſecundum judicium optimatum Francorum ſe pleniſſima voluntate emendare ſpopondit. Rex vero PIPINUS ſolito more miſericordia motus, regnum & vitam conceſſit. Haiſtulfus autem per judicium Francorum theſaurum quod in Ticino erat tertiam partem Pipino tradidit, ſacramenta iterum renovans, obſideſque tribuens, promiſit ſe ſemper eſſe fidelem, & annuale tributum quod Francis tribuerat per miſſos ſuos annis ſingulis eſſe tranſmiſſurum, & ea quæ S. Petro vel Stephano papæ annis præteritis promiſerat, cuncta reddidit. Pipinus autem victor incolumem exercitum gaudens ad propria remeavit, theſauris & obſidibus ſecum adductis; Haiſtulfus vero rex dum venationem in quadam ſilva exerceret, divina ultione percuſſus, de equo in quo ſedebat in terra projectus, tertia die vitam amiſit. Poſt hæc Stephanus papa obiit. His temporibus Juſſiphibin Abderamen tyrannide aſſumto ſuper Sarracenos in Spania regnat. Dira fames tunc Spaniam domuit. Waifarius princeps Aquitaniæ Narbonam deprædat.

Anno DCCLII. Anſemundus Gothus Nemauſo civitatem, Magdalonam, Agathen, Biterris Pipino regi Francorum tradidit. Ex eo die Franci Narbonam infeſtant. Waifarium principem Aquitaniæ Pipinus proſequitur, eo quod nollet ſe ditioni illius dare, ſicut Eudo fecerat Carolo patri ejus.

Anno DCCLIX. Franci Narbonam obſident, datoque ſacramento Gothis qui ibi erant, ut ſi civitatem partibus traderent Pipini regis Francorum, permitterent eos legem ſuam habere. Quo facto Gothi Sarracenos qui in præſidio illius erant, occidunt, ipſamque civitatem partibus Francorum tradunt.

Anno DCCLXII. gelu magnum Gallias, Illyricum & Thraciam deprimit, & multæ arbores olivarum & ficulnearum decoctæ gelu aruerunt; ſed & germen meſſium aruit, & ſuperveniente anno prædictas regiones gravius depreſſit fames; ita ut multi homines penuria panis perirent. PIPINUS rex Narbonam veniens, Toloſa, Albigis, & Ruthenis illi traditæ ſunt, & non poſt multum tempus Waifarius princeps obiit menſe Junio. Pipinus vero rex principatu illius adepto, poſt dies centum menſe Septembrio vitam finivit, regnavitque annis XXVII. cum per annos XV. aut eo amplius ſolis Francis imperaret: finito Aquitanico bello, quod contra Waifarium ducem Aquitaniæ per continuos novem annos gerebatur, apud Pariſios morbo aquæ intercutis diem obiit.

EXORDIUM CAROLI-MAGNI QUO REGNARE COEPIT.

Regnumque illius filii ſui CAROLUS & CARLOMANNUS inter ſe dividunt, ſed Carlomannus brevi tempore regno potitus obiit, totumque regnum patris Carolus occupavit.

Anno III. Caroli regis abiit BERTA regina mater Caroli in Italia ad placitum contra Deſiderium regem, & redditæ ſunt civitates plurimæ ad partem S. Petri, & Berta adduxit filiam Deſiderii in Francia, & inſequenti anno Carlus-mannus mortuus eſt. Carolus autem fratre defuncto conſenſu omnium Francorum rex conſtituitur.

De nativitate Caroli-Magni atque infantia vel etiam pueritia, quia neque ſcriptis uſ-

quam aliquid declaratum eſt, neque quiſquam modo ſupereſſe invenitur, qui horum ſe dicat habere notitiam, ſcribere ineptum judicans; ſed actus & mores, ceteraſque vitæ illius partes explicandas & demonſtrandas, omiſſis incognitis, tranſire diſpoſui: ita tamen ut primo res geſtas & domi & foris, deinde mores & ſtudia ejus, tunc de regni adminiſtratione & fine narrando, nihilque cognitu vel digna vel neceſſaria prætermittam omnium bellorum quæ geſſit. Primo Aquitanicum a patre inchoatum, ſed non finitum, quia cito peragi poſſe videbatur, fratre adhuc vivo, etiam & auxilium ferre rogato ſuſcepit. Nam & Unaldum, cui poſt Waifarii mortem Aquitaniam relinquere & Waſconiam petere coëgit; quem tamen ibi conſiſtere non ſuſtinens, tranſmiſſo amne Garumna, Lupo Waſconum duci per legatos mandat, ut perfugam reddat, quod ni feſtinato faciat, bello ſecum expoſtulaturum. Sed Lupus ſaniori uſus conſilio, non ſolum Unaldum reddit, ſed etiam ſeipſum cum provincia cui præerat ejus poteſtati permiſit. ADRIANUS papa urbis Romæ legatos ſuos ob defenſionem Romanæ ecclefiæ ad Carolum regem Francorum miſit, quia valde affligebatur a rege Langobardorum Deſiderio, qui Haiſtulfo ſucceſſerat, ac per donationem Pipini regis Francorum regnum tenebat Langobardorum. Eratque tunc CAROLUS rex in loco qui dicitur Teudonis-villa. Veniens ibi domni apoſtolici miſſus Adriani, nomine PETRUS, precibus apoſtolici ipſum ad defendendam ſanctam eccleſiam poſtulavit, ut ipſum Romanum populum ſuperbi regis Deſiderii liberaret: adjungens quod ipſe legitimus tutor & defenſor eſſet illius plebis, quoniam illum prædeceſſor ſuus beatæ memoriæ STEPHANUS papa unctione ſacra liniens, hunc regem ac patricium Romanorum ordinarat. CAROLUS igitur rex per conſilium optimatum ſuorum voluntatem domni apoſtolici ſe adimpleturum eſſe cum Dei auxilio devota mente ſpopondit. Eodem anno ſynodum tenuit in Jenua civitate, in quo conventu exercitum diviſit, partem ſecum retinens, ut per Ceniſium montem tranſiret, partem vero reliquam, cui præfecit BERNARDUM avunculum ſuum cum ceteris fidelibus per Jovis-montem in Italia intrare præcepit. DESIDERIUS vero rex immemor beneficiorum Pipini regis, per cujus donationem regnum Langobardorum ſortitus eſt, clauſas fortiter contra Carolum exercitumque ejus firmare præcepit. Caſtrametatus eſt itaque prædictus rex Carolus e regione cluſarum & valli quod Langobardi defenderant; miſit autem per difficilem aſcenſum montis legionem ex probatiſſimis pugnatoribus, qui [per] tranſcenſum montis Langobardos cum Deſiderio rege eorum & Oggerio in fugam converterunt. CAROLUS vero rex cum exercitu ſuo ſuper apertas cluſas, auxiliante Domino & S. Petro in Italiam intravit, ad Papiam civitatem uſque pervenit: in qua Deſiderio incluſo ipſam civitatem obſedit, & vallo firmiſſimo circumdedit. Celebravit autem in iiſdem caſtris Natale Domini, & Paſcha Romæ. Revertente autem cum Dei auxilio, intercedentibus apoſtolis Petro & Paulo, glorioſo rege Carolo, a Romana urbe ad Papiam venit, ibique venientes undique Langobardi de ſingulis civitatibus Italiæ ſubdiderunt ſe dominio & regimini glorioſi regis Caroli. Adalgiſus vero filius Deſiderii fugiens navem intravit, ad Conſtantinopolim perrexit. CAROLUS vero Papiam civitatem x. annos obſedit, & ita menſe Junio capta eſt civitas a Francis. Porro glorioſus rex Carolus cuncta Italia ſibi ſubjugata vel ordinata, cuſtodias Francorum in Papia civitate dimiſſas, truſoque in exilium Deſiderio rege, & Oggerio, & uxore, & filia, ipſe cum magno triumpho, auxiliante Domino, in Francia reverſus eſt. Sic regnum Langobardorum finivit. Regnaverunt Langobardi annis CCXIV.

Anno DCCLXXII. anno ſcilicet V. Caroli regis, CAROLUS rex hoſtiliter ingreſſus eſt in Saxonia, & deſtruxit fanum eorum quod vocabatur *Hirminſul*, inchoatumque cum eis bellum vix unus annus exactus ſic quod non ab eis hujuſcemodi facta ſit permutatio. Sed magnanimitas regis ac perpetua tam in adverſis quam in proſperis mentis conſtantia, mutabilitate non vinci poterat, vel ab his quæ agere cœperat defatigari. Nam numquam eos hujuſcemodi aliquid perpetrantes impune ferre paſſus eſt, quin aut ipſe de ſe ducto, aut per comites ſuos miſſo exercitu, perfidiam ulciſceretur, & dignam ab eis pœnam exigeret, uſque dum omnibus qui reſiſtere ſolebant profligatis, & in ſua poteſtate redactis; decem millia namque hominum ex his qui utraſque ripas Alvis fluminis incolebant, cum uxoribus & parvulis ſublatos tranſtulit, & huc atque illuc per Galliam & Germaniam multimoda diviſione diſtribuit, eaque conditione a rege propoſita, & ab illis ſuſcepta, tractum per tot annos bellum conſtat eſſe finitum, & abjecto dæmonum cultu, & relictis patriis ceremoniis, Chriſtianæ fidei atque religionis ſacramenta ſuſciperent, & a Francis adunati unus cum eis populus efficeretur. Hoc bello licet per multum temporis ſpatium traheretur, ipſe non amplius cum hoſte quam bis acie conflixit, ſemel juxta montem qui Os Neggi dicitur in loco Teotmelli nominato; & iterum apud Aſa fluvium, & hoc uno menſe, paucis quoque interpoſitis diebus. His duobus prœliis hoſtes adeo profligati ſunt ac devicti, ut ulterius regem neque provocare, neque venienti reſiſtere, niſi aliqua loci munitione defenſi auderent. Plures tamen eo bello tam ex nobilitate Francorum, quam Saxonum, & functi

ſummis honoribus conſumti ſunt, tandemque anno XXXIII. finitum eſt.

[a] Anno DCCLXXI. (a) abiit Carolus rex hoſtiliter in Saxonia & vaſtavit eam, fecitque ibi cædem magnam hominum & comprehendit ibi duos caſtellos, Heresburgii & Sigisburgii, poſuitque ibi cuſtodias, & in ſequenti anno abiit iterum rex Carolus in Italia, & recepit illa caſtella, quæ reſidua erant, & Rotganius interfectus eſt, & inde revertens ingreſſus eſt in Saxonia, & maximam partem Saxonum accepit, & converſi ſunt Saxones ad fidem Chriſti, & multi eorum baptizati ſunt, & in alio anno habuit Carolus rex conventum magnum Francorum id eſt * Magis campum in Saxonia ad Partesbrunna, & ibi paganorum Saxonum multitudo baptizata eſt.

* f. Maytiscampum.

Anno DCCLXXVIII. congregans Carolus rex exercitum magnum, ingreſſus eſt in Spania, & conquiſivit civitatem Pampelonam, & ibi Taurus Saracenorum rex venit ad eum, & tradidit ei civitates quas habuit, & dedit ei obſides, fratrem ſuum & filium, & inde perrexit uſque Cæſar-Auguſtam, & dum in illis partibus moraretur, commiſſum eſt bellum fortiſſimum die Dominica, & ceciderunt Sarraceni multa millia. Et de hora nona factus eſt ſol hora ſecunda. Et iterum Saxones perfida gens mentiens fidem, egreſſi de finibus ſuis venerunt uſque ad Rhenum fluvium, ſuccendendo omnia atque vaſtando; & cum reverterentur cum præda magna, pervenit nuncius ad Carolum regem adhuc [b] in Spania degentem. [(b) Cum enim aſſiduo & pene continuo cum Saxonibus bello certaretur, diſpoſitis per congrua confiniorum loca præſidiis, tunc Yſpaniam, quam maximo poterat belli apparatu aggreditur, ſaltuque Pyrenei ſuperato, omnibus quæ adierat oppidis atque caſtellis in deditionem acceptis, ſalvo & incolumi exercitu revertitur, præter quod in ipſo Pyrenei jugo Waſconicam perfidiam parumper in redeundo contigit experiri. Nam cum agmine longo, ut loci & anguſtiarum ſitus permittebat, porrectus iret exercitus, Waſcones in ſummi montis vertice poſitis inſidiis, (eſt enim locus ex opacitate ſilvarum, quarum ibi maxima eſt copia, inſidiis ponendis opportunus) extremam impedimentorum partem, & eos qui noviſſimi agminis incedentes ſubſidio, præcedentes tuebantur, deſuper incurſantes in ſubjectam vallem dejiciunt, conſertoque cum eis prælio, uſque ad unum omnes interficiunt, ac direptis impedimentis, noctis beneficio, quæ jam inſtabat, protecti, ſumma cum celeritate in diverſa diſperguntur. Adjuvabat in hoc facto Waſcones levitas armorum, & loci in quo res gerebatur, ſitus: e contra Francos & armorum gravitas & loci iniquitas per omnia Waſconibus reddidit impares. In quo prælio EGGIARDUS regiæ menſæ præpoſitus, ANSELMUS comes palatii cum aliis compluribus interficiuntur. Carolus quoque reverſus cum ſuo exercitu,] Franci vero conglobati in unum perſecuti ſunt Saxones uſque ad flumen, cui nomen eſt Calerna. Quod cum comperiſſent Saxones, converſi ſunt ad eos in prælio, & ceciderunt ex parte Saxonum plurimi, ceteri vero fugerunt, & acceperunt ſpolia eorum. Et in alio anno perrexit iterum Carolus rex cum exercitu in Spania, & venit uſque ad civitatem Medinacæli. Et Sarraceni pacificati de trans flumen obſides dederunt. In Spania vero fames magna & mortalitas facta eſt, & rex ſedit in civitate Lionæ. Et inſequenti anno congregans exercitum magnum, ingreſſus eſt in Spania ſuper Navarros, & pervenit uſque ad flumen *Gaalz*, & ipſi Navarri tradiderunt ſe illi omnes, & accepit obſides tam ingenuos quam & lidos, & diviſit ipſam patriam inter epiſcopos & presbyteros & abbates, ut in ea baptizarent & prædicarent, necnon & Inmidorum * ſeu Baſcanorum vel Paganorum magna multitudo baptizata eſt. Inde revertens abiit in Italia & dereliquid filios ſuos in Wormatia Pipinum & Carolum.

* f. Winido-rum.

Anno DCCLXXXI. Caroli vero anno XIII. abiit rex Carolus cum exercitu & ingreſſus eſt Italiam, & pervenit uſque Romam, & baptizatus eſt ibi filius ejus qui vocabatur Carlomannus, quem ADRIANUS papa mutato nomine vocavit Pipinum, & unxit in regem ſuper Italiam, & fratrem ejus Ludovicum ſuper Aquitaniam, & ibi deſponſata eſt Ruotrudis filia regis Caroli Conſtantino imperatori. Poſt hoc Carolus rex Roma egreſſus, iter agens Capuam Campaniæ urbem acceſſit, atque ibi poſitis caſtris, bellum Beneventanis, ni dederentur, comminatus eſt. Prævenit hoc dux gentis ARAGISUS filios ſuos Romaldum & Grimoaldum cum magna pecunia obviam regi mittens. Rogat ut filios ſuos obſides ſuſcipiat, ſeque cum gente imperata facturum pollicetur, præter hoc ſolum, ſi ipſe ad conſpectum venire non cogeretur. Rex utilitate gentis magis quam animi ejus obſtinatione conſiderata, & oblatos ſibi obſides ſuſcepit, eique ut ad conſpectum venire non cogeretur pro magno munere conceſſit, unoque ex filiis qui minor erat, obſidionis gratia retento, majorem patri remiſit, legatiſque ob ſacramenta fidelitatis a Beneventanis exigenda atque ſuſcipienda cum Aragiſo dimiſſis, Romam rediit. Conſumtiſque ibi in ſanctorum veneratione locorum aliquot diebus, in Gallias revertitur,

(a) Hic deeſſe videtur aliquis numerus, nam antea acta anno 772. poſuerat. Ex Annalibus Metenſibus ad annum 775. Carolus *Sigiburgum caſtrum cepit, Heresburgum reædificavit.* (b) Quæ anſulis includuntur ex Eginardo deſumta, ab Anianenſi monacho hic inſerta videntur.

& habuit colloquium cum Taſſilone duce Bajoarico & magno Francorum conventu, id eſt Magis-campum apud Warmatia habuit civitatem.

Anno DCCLXXXII. anno XIV. Caroli regis BENEDICTUS abbas qui vocatur *Vitiche*, in loco qui dicitur Anianum ex præcepto ſupradicti regis Caroli monaſterium ædificavit, in quo poſtea trecentos ſub regimine ſuo monachos habuit, & per ipſius exemplum per totam Gotiam & Aquitaniam monaſteria conſtruuntur. In anno ſupradicto habuit rex conventum magnum exercitus ſui in Saxonia ad Lipebrunem, & conſtituit ſuper eam comites ex nobiliſſimo genere Saxonum, & cum eos iterum cognoviſſet a fide dilapſos, & ad debellandum eſſe adunatos, & quod nonnulli ſuorum in hac ſeditione interiiſſent, rurſum abiit in Saxonia, & vaſtavit eam & ingentem Saxonum turbam atroci confodit gladio.

Anno DCCLXXXIII. Perrexit rex CAROLUS in Saxonia cum exercitu magno, & rebellantibus illis commiſſum eſt bellum, & ceciderunt ex parte Saxonum multa millia, & iterum bellum commiſſum eſt, & pugnaverunt Franci cum Saxonibus, & ceciderunt de parte Saxonum etiam multa millia quam antea, & victor reverſus eſt Carolus in Francia, & in ipſo anno fuit æſtus tam vehemens, ita ut plurimi homines de ipſo calore expirarent, & inſequenti anno Carolus rex perrexit iterum in Saxonia per duas vices.

Anno DCCLXXXV. Carolus rex demoratus
[a] eſt in Saxonia ad *Heresburg* (*a*) a natale Domini uſque in menſe Junio, & ædificavit eam a novo, ſed & baſilicam ipſam conſtruxit, placitumque habuit ad Parteſbrunnam cum Francis & Saxonibus, & tunc demum per-
[b] rexit trans fluvium Viſſara (*b*) & pervenit ad *Barduvvic*. Cumque Saxones ſe illi dediſſent, Chriſtianitatem quam pridem reſpuerant, iterum recipiunt, nulloque rebellante, poſtea rex rediit in domum ſuam. *Widuchint* tot malorum auctor ac perfidiæ incentor, venit cum ſociis ſuis ad Adiniaco palatio, & ibidem baptizatus eſt, & rex ſuſcepit eum a fonte, ac donis magnificis honoravit. Eodem anno Gerundenſes homines Gerundam civitatem Carolo regi tradiderunt.

Anno DCCLXXXVII. rebellare conati ſunt quidam comites, nonnulli etiam nobiles ex partibus Auſtriæ, ac conjurantes invicem coëgerunt quos potuerunt, ut contra regem inſurgerent. Quod factum multos exterruit. Cumque perſpicerent, quod opus nefandum implere non poſſent, neque opportunum tempus adeſſet, exterriti latebras undique quæſivere. Quo comperto, rex juſſit eos ad
[c] ſe venire. Præcedenti (*c*) tempore in menſe Aprilio in Warmatia ſynodum epiſcoporum ac conventum coadunare fecit, ubi decernens, quod hi potiſſime qui in hac conjuratione devicti ſunt, honore ſimul ac liminibus privarentur: eos tamen qui innoxii in hac conjuratione ſeducti ſunt, clementer abſolvit. Ex hoc anno menſe Septembrio apparuerunt acies terribiles in cœlo, quales numquam noſtris temporibus nec antea apparuerunt, necnon & ſigna crucis apparuerunt in veſtimentis hominum, & nonnulli ſanguinem dixerunt ſe videre pluere, unde pavor ingens & metus in populo irruit, ac mortalitas magna ſecuta eſt.

Anno DCCLXXXVII. eclipſin ſolis facta eſt hora ſecunda VI. (*d*) calendas Octobris die [d]
Dominico. Et in eodem anno venit CAROLUS rex uſque ad terminos Bajoariorum (*e*) [e]
cum exercitu, & introïvit in ipſam patriam: quod bellum & repente ortum, & celeri fine completum eſt: quod ſuperbia ſimul & ſocordia Taſſilonis ducis excitavit, qui hortatu uxoris, quæ filia Deſiderii regis erat, ac patris exilium per mariium ulciſci poſſe putabat, juncto fœdere cum Hunis, qui Bajoarii ſunt contermini ab oriente, non ſolum imperata non facere, ſed bello regem provocare tentabat: cujus contumacia quia nimia videbatur, animoſitas regis ferre nequiverat, ac proinde copiis undique contractis, Bajoariam petiturus, ipſe ad Lechum amnem cum maximo venit exercitu. Hic fluvius Bajoarios ab Alamannis dividit, cujus in ripa caſtris collocatis, priuſquam provinciam intraret, animum ducis per legatos ſtatuit experiri: ſed nec ille pertinaciter agere, vel [quod] ſibi vel genti utile erat, ſupplex ſe regi permiſit, obſides qui imperabantur dedit, inter quos & filium ſuum Theudonem, data inſuper fide cum juramento, quo ab illius poteſtate ad defenſionem, nullo ſuadente, aſſentire deberet, ſicque bello, quod quaſi maximum futurum videbatur, celerrimus eſt finis impoſitus. Et in alio anno venit Taſſilo ad Carolum regem ad *Ingolumhain*, & factum eſt ibi conventum Francorum ceterarumque nationum, quæ ſub dominatione ejus erant. Et recordantes Franci de peſſimis conſiliis & machinationibus, quas ipſe Taſſilo & conjux illius cum omnes gentes, quæ in circuitu Francorum erant, tam Chriſtiani quam Pagani, faciebant contra Francos; ſed & conſiliarii Taſſilonis & legatarii ipſius in præſenti adfuerunt, & coram eo ipſum conſilium dicebant, & ille nullatenus potuit denegare. Tunc judicaverunt eum morti dignum. Rex autem miſericordia motus, noluit eum occidere; ſed cum ipſius petitionibus clericum eum fecit, & retruſit in monaſterio. Et perrexit rex in

(*a*) Chron. Moiſſ. *Hensburg*.
(*b*) Moiſſ. *transfluvium Guiſan*.
(*c*) Moiſſ. *præcedenti*.
(*d*) Moiſſ. VII. *calendas*.
(*e*) Moiſſ. *ad terminos Pannoniorum*.

[a] Bajoaria ad *Raganesburg*, (a) & ibi venerunt ad eum Bajoarii, & dati ſunt regi obſides, [b] & ordinata ipſa patria (b) per comites ac regi commiſſa, reverſus eſt in Francia. Et inſequenti anno CAROLUS rex per Saxoniam pervenit uſque ad Sclavos, qui dicuntur Vulſi, proprie vero, id eſt ſua locutione [c] Vuelatabi dicuntur, (c) & venerunt reges [d] terræ illius cum rege eorum Tranuito (d) ei obviam, & petita pace, tradiderunt terras illas univerſas ſub dominatione ejus, & ſeipſis traditis, rex reverſus eſt in Francia, & in alio anno habuit rex conventum in [e] Wormatia, non tamen Magis-campum. (e) Et ipſo anno tranſiit ſine hoſte.

Anno DCCXCI. abiit rex in Wormacia & ibi celebravit Paſcha. Et revertente anno, eo tempore quo ſolent reges ad bella procedere, movit exercitum innumerabilem, & abiit contra ſuperbiſſimam gentem Avarorum, diviſitque exercitum in tres partes, & introivit ipſe per Bajoriam in fines Hunorum ex meridiana parte Danubii, & de alia parte Danubii alius exercitus introivit Rubuariorum & Freſionum & Saxonum cum Toringis; ſed & navales hoſtes per Danubium, ut ex utraque parte rex poteſtatem potuiſſet habere cum exercitu ſuo, & ſic introivit in terram illam, iſti hinc & illi inde. Medius autem exercitus navalis, & exterruit eos Dominus in conſpectu ejus, ita ut nullus ei reſiſtere auderet. Sed ubique aut foſſatum aut aliquam firmitatem, ſive in montibus, aut in flumina, aut in ſilvis factum habuerunt, ſtatim ut ipſe aut exercitus ejus advenit, continuo ad ſe tradiderunt, aut occiſi ſunt, aut per fugam dilapſi. Sed & ille alius exercitus, quem PIPINUS filius ejus in Italia tranſmiſit, introivit Illyricum, & fecerunt ibi ſimiliter, vaſtantes & incendentes terram illam, ſicut rex fecit cum exercitu ſuo ubi ipſe erat. Cum autem vidiſſet rex CAROLUS quod nullus ei de parte Auvarorum reſiſtere auſus eſſet aut ſuis, circuivit terram illam per dies quinquaginta duos, incendendo & vaſtando terram illam: ſed & prædam ſine menſura & numero, & captivos viros, & mulieres, & parvulos, innumerabilem multitudinem exinde tulerunt. Et Carolus rex rediit in Bajoaria, ibique hiemavit Philopia. [f] (f) Maximum omnium, quæ ab illo geſta ſunt bellorum, præter Saxonicum, huic bello ſucceſſit. Illud videlicet quod contra Avaros ſive Hunos ſuſceptum eſt: quod ille & animoſius quam cetera, & longe majori apparatu adminiſtravit. Unam tamen per ſe in Pannonia, nam hanc provinciam ea gens tunc incolebat, expeditionem, cetera filio ſuo Pipino, ac præfectis provinciarum comitibus etiam atque legatis perficienda commiſit. Quod cum ab his ſtrenuiſſime fuiſſet adminiſtratum, octavo tandem anno completum eſt. Quo prælia in eo geſta, quantum ſanguinis effuſum ſit, teſtatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus in quo regia Kacani erat ita deſertus, ut ne veſtigium quidem in eo humanæ habitationis appareat. Tota in hoc bello nobilitas Hunorum periit, tota gloria decidit, omnis pecunia, & congeſti ex longo tempore theſauri direpti ſunt. Neque ullum bellum contra Francos exortum humana poteſt memoria recordari, quo illi magis ditati & opibus aucti ſunt: quippe cum uſque in id temporis pene pauperes viderentur; tantum auri & argenti in regia aula repertum, tot ſpolia pretioſa in prœliis ſublata, ut merito credi poſſit, hoc Francos Hunis juſte eripuiſſe, quod Huni prius aliis gentibus injuſte eripuerunt. Duo tantum ex proceribus Francorum eo bello perierunt, Erigus dux Forjulienſis in Liburnia juxta Tarſaticam maritimam civitatem inſidiis oppidanorum interceptus, & Geroldus Bajoariæ præfectus in Pannonia, cum contra Hunos prœliaturus aciem ſtrueret, incertum a quo, cum duobus tantum, qui eum obequitantem ac ſingulos hortantem comitabantur, interfectus eſt. Ceterum incruentum pene Francis hoc bellum fuit; & proſperum exitum habuit, tametſi diutius ſui magnitudine traheretur. Poſt quod & Saxonicum ſuæ prolixitati convenientem finem accepit.

Anno DCCXCII. reſedit CAROLUS rex in Bajoaria, & apud *Raganesburg* celebravit Paſcha; ſed appropinquante æſtivo tempore Saxones æſtimantes, quod Avarorum gens ſe vindicare voluiſſet, hoc quod in corde eorum dudum latebat, manifeſtiſſime oſtenditur, quaſi canis qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic reverſi ſunt ad paganiſmum ſuum, quem pridem reſpuerant, relinquentes iterum Chriſtianitatem, conjungentes ſe cum paganis, qui in circuitu eorum erant. Sed & legatos ad Avaros tranſmittentes, conati ſunt rebellare in primis contra Deum, deinde contra regem, eccleſiaſque quæ in finibus eorum erant incendentes vaſtabant, rejicientes epiſcopos & preſbyteros qui ſupererant, * f ſuper eos & aliquos ex eis comprehenſos occiderunt, erant. & pleniſſime ad culturam idolorum converſi ſunt. Et in ipſo anno ventum eſt conſilium peſſimum, quod PIPPINUS filius regis ex concubina Hilmitrude nomine genitus, contra regis vitam, & filiorum ejus qui ex legitima geniti ſunt, voluit regem & ipſos occidere, & ipſe pro eo quaſi *Abimelech* in diebus Judicum Iſraël regnare, qui occidit fratres ſuos LXX. viros ſuper unam petram, & regnavit pro Gedeone patre ſuo, cum malitia tamen & odio. Sed cum cognoviſſet rex

(a) Moiſſ. *Ragansburg.* (b) Moiſſ. *& ordinata ipſa patria reverſus eſt in Franciam.* Sed legendum ut in codice noſtro.
(c) Integram hanc lineam prætermiſit Moiſſ.
(d) Moiſſ. *Tranquito.* (e) Moiſſ. *Magii campum.*
(f) Moiſſ. *in Jupila.* Sed Jupila non eſt in Bajoaria, ſed in ditione Leodienſi.

consilium Pipini, & eorum qui cum ipsis erant, coadunavit conventum Francorum, & aliorum fidelium suorum ad *Raganesburg*, ibique universus populus qui cum rege erant, judicaverunt ipsum Pipinum & eos qui ei consenserant, ut simul hereditate & vita privarentur, & ita de aliquibus adimpletum est. Nam de Pipino filio suo, quia noluit rex ut occideretur, judicaverunt ut ad servitium inclinari debuisset; quod ita factum est, & misit eum jam clericum in monasterio, & ibidem iterum moratus est.

Anno DCCXCIII. ipsa hieme iterum fecit rex CAROLUS conventum apud *Raganesburg*; & cum cognovisset fideles suos episcopos, abbates, & comites, qui cum ipso ibi aderant & reliquum populum fidelem, qui cum Pipino in ipso consilio pessimo non fuissent, multipliciter eos honoravit in auro & argento, & serico, & donis plurimis; & in ipsa hyeme transmisit rex Carolus duos filios suos PIPINUM & LUDOVICUM cum exercitu magno in terra Beneventana, & facta est ibi fames valida super populum & super exercitum qui advenerat, ita ut aliquanti nec ipsa quadragesima se ab esu carnium abstinere potuissent. Sed & fames validissima in Italia & Burgundia, & per aliqua loca in Francia incumbebat, necnon in Gotia, & in Provincia talis, ut multi ex ipsa fame mortui essent. Rex vero CAROLUS cum apud *Raganesburg* iterum celebrasset Pascha, & in æstivo tempore voluisset cum navibus venire in Francia, jussit fossatum magnum facere inter duo flumina, id est inter Alimonia & Ratanza, (a) ibique multum demoratus est. His temporibus regnabat in Spania Exam filius Abderaman Abinmavia. Iste Abinmavia debellavit Jussefibin, & occidit eum & filios ejus, regnavitque pro eo in Spania annis XXXIII. & mensis IV. Hic crudelior omnibus regibus Sarracenorum fuit, qui ante eum fuerunt in Spania. Diversis cruciatibus interemit innumerabiles Sarracenos & Mauros. Filium quoque patris sui fratrem suum, truncatis manibus & pedibus, igni cremari jussit. Christianos in Spania & Judæos in tantum tributa exigendo oppressit, ut filios suos & filias suas venderent, (b) & pauci relicti penuria afficerentur, & per pressuram ipsius tota Spania conturbata & depopulata est. Mortuus est autem Abinmavia, & regnavit Exam filius ejus pro eo, fecitque malum sicut pater ejus. Iste audiens quod rex CAROLUS partibus Auvarorum perrexisset, & æstimans quod Auvari contra regem fortiter dimicassent, & ob hanc causam in Franciam reverti non licuisset, misit *Abdelmec* (c) unum ex principibus suis cum exercitu magno Sarracenorum ad vastandum Gallias; qui venientes Narbonam, suburbia ejus igne succenderunt multosque Christianos, ac præda magna capta, ad urbem Carcassonam pergere volentes, obviam eis exiit WILLELMUS quondam comes, aliique comites Francorum cum eo, commiseruntque prælium super fluvium Oliveio, ingravatumque est prælium nimis, ceciditque maxima pars in illa die ex populo Christiano. Willelmus autem pugnavit fortiter in die illa: videns vero quod sufferre eos non posset, quia socii ejus dimiserunt eum fugientes, divertit ab eis. Sarraceni vero collecta spolia, reversi sunt in Spaniam. Rex autem CAROLUS, Christo adjuvante, de eodem loco ubi fossatum fieri jussit, navigio pervenit ad *Francofurt*, & ibi ipsa hyeme resedit.

Anno DCCXCIV. rex CAROLUS apud villam *Francofurt* celebravit Pascha. Anno autem XXVI. regni sui pervenit ad aures piissimi principis ac orthodoxi Caroli, quod HELEFANTUS Toletanæ sedis episcopus cum alio episcopo sedis Orgelletanæ, FELICE nomine seu infelice in dictis; qui uterque asserebant dicentes, quod Dominus noster JESUS-CHRISTUS, in quantum ex Patre est ineffabiliter ante sæcula genitus, vere sit Filius Dei, & in quantum ex MARIA semper Virgine carnem assumere dignatus est, non verus sed adoptivus filius, perverso ausi sunt ore proferre. Quo audito, jam dictus princeps ad sedem apostolicam, Adrianoque papæ urbis Romæ missos dirigit, ac super præfatam hæresim prædictum pontificem consulens, ex omni imperio suo vel regno per diversas provincias regni sui subjectas, zelo fidei succensus, summa cum celeritate præcurrentia multitudo antistitum, sacris obtemperando præceptis, in uno collegio aggregando convenit apud villam, quæ dicitur *Francofurt*, ubi universali synodo congregata, cum missis domni apostolici ADRIANI papæ, seu patriarcha Aquileiensi PAULO archiepiscopo, seu PETRO Mediolanensi archiepiscopo, seu etiam Italiæ, Galliæ, Gotiæ, Aquitaniæ, Galleciæ, sicut supradictum est, episcopis, abbatibus, monachis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, inter quos etiam venerabilis ac sanctissimus abbas BENEDICTUS qui vocatur *Vitiza*, monasterii Anianensis a partibus Gotiæ, & religiosos monachos, BEDE, ARDO qui & Smaragdus, seu cunctis fratribus suis discipulis. Hi sunt INGEILA, AIMO, RABANUS, GEORGIUS cum ceteris fratribus cunctoque clero devotoque populo pariter aggregato. (Hoc tempore floruit Ardo magister qui & Smaragdus.) Quadam die residentibus cunctis in aula palatii, assistentibus in modum coronæ presbyteris & diaconibus, necnon & universo clero, in præsentia prædicti principis allata est epistola missa ab HELEFANTO, auctore negotii in urbe, Toletanæ sedis an-

[a] [b] [c]

(a) Moiss. *Alomonia & Rachanth a.*
(b) Moiss. *filios & filias suas atque e mancipia incenderent,* melius codex noster *venderent.*
(c) Moiss. *Aldelmelec.*

tiſtite, Spalenſis finitimi, adjuncto ei ſocio FELICE Orgelletanæ ſedis præſule. Cumque jubente rege publica voce recitata fuiſſet, ſtatim ſurgens venerabilis princeps de ſella regia, ſtetit ſupra gradum; allocutus eſt de cauſa fidei prolixo ſermone, & adjecit: Quid vobis videtur? ab anno prorſus præterito, & ex quo cœpit hujus peſtis inſania, tumeſcente perfidia, ſulcus ebullire, non parvus in his regionibus, licet in extremis finibus regni noſtri, error inolevit, quem cenſura fidei neceſſe eſt omnibus reſecare. Cum imprecata & conceſſa eſſet moroſa oblatio per dies aliquot, placuit ejus manſuetudini, ut unuſquiſque quidquid ingenii captus rectius ſentire potuiſſet, per ſacras ſyllabas die ſtatuto ejus clementiæ oblatum ſui pectoris fidei munus ferculo mentis vivacitatem deferret, ubi poſt multum diutinumque tractatum, novoque ac veteri teſtamento perlecto, ac orthodoxorum patrum dogma percurrentes, eorumque doctrinam ſequentes, omnes ſuprafcripti ſanctiſſimi patres atque univerſalis ſynodus impiam hæreſim una voce reſpuerunt atque contradixerunt, hancque hæreſim funditus a ſancta eccleſia eradicandam ſtatuerunt, dicentes: Dei Filius hominis factus eſt filius, natus eſt ſecundum veritatem naturæ ex Deo Dei Filius, ſecundum veritatem naturæ ex homine hominis filius, ut veritas geniti non adoptionem, non appellationem, ſed in utraque nativitate filii nomen naſcendo haberet, & eſſet verus Deus & verus homo, unus filius proprius ex utraque natura, non adoptivus; quia impium & profanum eſt Deo Patri æterno, Filium coæternum & proprium dici & adoptivum, ſed verum & proprium, ſicut ſupra dictum eſt, ex utraque natura & credi & prædicari debere. Omnium autem hæreticorum perverſa dogmata cum auctoribus & ſequacibus eorum æterno anathemate percelli judicaverunt, HELEFANTUM vero & FELICEM novos hoſtes eccleſiæ ſe veternoſa fece polluentes, niſi ab hac ſtultitia reſipiſcant, & perfectæ fidei ſatisfactione, lamentis ſeſe abluant pœnitentiæ, ſe indignos & ingratos una cum eorum ſequacibus a conſortio Catholicorum perpetua animadverſione & admirare * decernunt, & a gremio orthodoxæ eccleſiæ cenſuerunt alienos.

*f. abjuratione.

Allata eſt etiam in eadem ſynodo quæſtio de nova Græcorum ſynodo, quam de adorandis ſanctorum imaginibus Conſtantinopolim fecerant, in qua ſcriptum habebatur: Ut qui imaginibus ſanctorum ita ut Deificæ Trinitati ſervitia aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Quæ perlecta in prædicto conſilio, omnes ſupradicti ſanctiſſimi patres univerſali concilio &

A ſervitutem renuerunt & contemſerunt atque conſentientes condemnaverunt. Placuit etiam univerſali concilio, ut ob reverentiam ſancti apoſtolici Adriani papæ urbis Romæ, ſcripta mitterentur, per omnia juris privilegio reſervato ſummo pontifici, ut dudum ſancti patres B. Silveſtro papæ Urbis Romæ ex Nicæno concilio poſt damnationem Arrii vel omnium hæreticorum ſcripta miſerant. Qui præfatus papa, iterum concilio congregato epiſcoporum totius eccleſiæ Romanorum Heleſantum & Felicem totius perfidiæ arches & B ſequaces eorum, ut ſupra ſanctum concilium, pari modo condemnant, & hanc hæreſim funditus a ſancta eccleſia eradicare judicant. Miſit etiam epiſtolam omnibus epiſcopis vel eccleſiis partibus Hiſpaniæ ſive Galliciæ conſolatoriam, quam qui legerit & crediderit, ad fidei tramitem peragendum ex novo & veteri teſtamento per omnia inveniet ſufficienter refertam. Et rex Carolus inde iterum perrexit in Saxonia, & Saxones venerunt ei obviam ad *Heresburg*, promittentes iterum Chriſtianitatem, & jurantes, quod ſæpe fecerunt, & dedit eis preſbyteros, & C ipſe rediit in Francia, & ſedit apud Aquis palatium.

Anno DCCXCV. rex Carolus apud Aquis palatium celebravit Paſcha, & infidelitas unde conſueverat a parte Saxonorum exorta eſt, quia dominus (*a*) rex ſuper alias gentes venire volens, nec ipſi ad eum pleniter [*a*] venerunt, nec ei ſolatium, ut eis ipſe juſſerat, tranſmiſerunt. Tunc iterum cognita infidelitate eorum, rex cum exercitu ſuo veniens, alii pacifici ei obviam venientes ex parte Saxonorum, & cum eo in ſolacio ſuo D ipſum iter (*b*) expleverunt, & cum ipſe cum [*b*] exercitu ſuo ad Albia perveniſſet, alii circa Paludes, & in Vuacmodingas ad eum pleniter non venerunt. Dominus rex tamen recedens apud *Bardunuil* (*c*) tantam multitudinem obſidum inde tulit, quantum numquam diebus [*c*] ſuis aut in diebus patris, aut in diebus regum Francorum inde aliquando tulerunt. Sed & tunc omnes ad eum venientes, excepto his quos ſupra commemoravimus; & hi qui trans Albiam erant, ipſi ad eum pleniter non venerunt, eo quod vaſſum domini regis Viudin (*d*) regem Adotritarum occi- [*d*] E derunt. Ideo non credebant quod in gratia ejus pervenire potuiſſent. Ceteri autem omnes pacifici venerunt, & juſſionem ſuam promittentes implere; & ita dominus rex iterum credens eis nullumque interficiens, fidem ſuam ſervando. Tunc ad Aquis palatium de terra Auvarorum regulus quidam Thodanus (*e*) ad dominum regem veniens [*e*] cum comitibus ſuis. Quem rex honorifice ſuſcepit, & baptizari juſſit, & eos qui cum

(*a*) Hunc locum ita corrupte legit Chronicon Moiſſiacenſe: *quia eam dominus rex ſuper alias gentes venire voluiſſet.*

(*b*) Male etiam in Chronico prædicto *iterum expleverunt*, quod nullum efficit ſenſum.

(*c*) Moiſſ. *Bardanuvil.*

(*d*) Moiſſ. *Cabchita Abatrizarum occiderant.*

(*e*) Moiſſ. *Sordarius.*

ipſo venerunt; cum magno honore & donis cum remeare fecit ad propria. Et in eo anno a parte Auvarorum venerunt theſauri magna multitudo, pro quibus rex omnipotens regi gratias agens, diſtribuitque ipſum theſaurum inter eccleſias & epiſcopos, ſeu Abbates & comites, necnon & univerſos fideles ſuos de eodem theſauro mirifice honoravit, & in ipſa hieme id eſt VIII. cal. Januarii ſanctæ memoriæ dominus ADRIANUS ſummus pontifex Romanæ eccleſiæ obiit, pro quo rex piiſſimus Carolus orationes per uñiverſum populum Chriſtianum infra terminos ſuos fieri rogavit, & elecmoſyna ſua pro eo multipliciter tranſmiſit. Et epitaphium aureis litteris in marmore conſcriptum juſſit in Francia fieri, ut eum partibus Romæ tranſmitteret, ad ſepulcrum ſummi pontificis Adriani.

Anno DCCXCVI. ætatis tempore miſit filium ſuum PIPPINUM rex Carolus cum ſuis, quos in Italia habebat Francos, Langobardos, & Bagoarios, cum aliqua parte Alamannorum in finibus Auvarorum (a). Et venit Pippinus cum exercitu ſuo, vel cum omnibus illis quos pater ejus miſerat ei in auxilium; & tranſito Danubio fluvio, pervenit ad locum ubi reges Auvarorum cum principibus ſuis ſedere conſueti ſunt, quem in noſtra lingua Rinno (b) nominant: & inde tulit theſauros Auvarorum, & cum multis captis pervenit in Francia, & in ipſa ætate rex CAROLUS demoratus eſt in Saxonia cum duobus filiis ſuis CAROLO & LUDOVICO, & circuivit terram Saxonorum ubi rebelles fuerunt, incendendo & vaſtando omnia, & prædam innumerabilem, viros & mulieres, & parvulos captivos duxit ſecum in Francia. Tertium (c) vero exercitum in eadem ætate tranſmiſit, filioſque ſuos in Spania in fines Saracenorum cum principibus ſuis, qui & ipſi fecerunt ſimiliter, vaſtaverunt terram illam & redierunt cum pace ad regem Carolum Aquis palatium. Nam ibi firmaverat ſedem ſuam atque ædificavit eccleſiam ſuam miræ magnitudinis in honore S. MARIÆ perpetuæ virginis genitricis Dei, cujus portas (d) & cancella fecit ærea, & cum magna diligentia & honore, ut decebat, in cæteris ornamentis ipſam baſilicam compoſuit, auroque & argento & luminaribus adornavit. Ad cujus ſtructuram cum columnas & marmora aliunde habere non poterat, Roma atque Ravenna devehenda curavit. Fecit autem ibi & palatium quod nominavit Lateranis, & collectis theſauris ſuis de regnis ſingulis, in Aquis adduci præcepit. Fecit autem & opera multa & magna in eodem loco.

Anno DCCXCVII. anno XXX. Caroli regis, introivit rex præfatus cum exercitu ſuo in Saxonia, & pervenit ad pagum, qui dicitur *Vudmodi*, ubi firmitas eorum facta erat, & ipſa firmitate interrupta, introivit cum exercitu ſuo in pagum illum, vaſtavitque & incendit eum, & tunc denuo (e) venerunt ad eum Saxones de univerſis finibus & angulis ubi habitabant, & tulit inde obſides quos voluit, & de Friſionibus ſimiliter, & ſic reverſus eſt in Francia. Et poſt aliquantas hebdomadas iterum introivit in Saxonia, & ibi habitavit ipſa hieme, & fecit ſedem ſuam juxta locum, ubi Timella fuit in hujus ſaraca, quæ etiam *Heriſtelli* appellavit, eo quod ab exercitu ſuo fuerunt conſtructæ ipſæ manſiones ubi habitabant. Et in ipſa hieme reſedit, & ibi celebravit Paſcha; & in ipſa æſtate pervenit cum exercitu ſuo ad *Berdunhuinc*, & illi omnes ſe tradiderunt in manu ejus, & tulit inde obſides quos voluit, & interim congregati ſunt Sclavi noſtri qui dicuntur Abodriti cum miſſis domini regis ad illos Saxones, congregaverunt ſe in unum & commiſerunt prælium, ceciderunt que ex parte Saxonum ipſa die duo millia DCCC. & inde rex remeavit in Francia ad Aquis palatium ſedem ſuam, & ibi hiemavit.

Anno DCCXCVIIII. rex CAROLUS apud Aquis palatium celebravit Paſcha. Poſt obitum vero Adriani papæ ſucceſſit LEO in apoſtolatum, natus Romæ ex patre Aſupio, matre *Heliſabeth*, (f) qui ſedit annos XXII. & menſes III. Hic fuit amator eccleſiarum & acris ingenii homo. Hunc Romani voluerunt occidere, & in ipſa Litania majore quod eſt VII. calendas Madii inſiluerunt in eo ſubito, captumque linguam ejus abſciderunt, & conati (g) ſunt oculos ejus abſtrahere, & in cuſtodia miſerunt, inde per fugam nocte lapſus ad miſſos glorioſi præfati principis Caroli, qui tunc apud baſilicam B. Petri erant, HUNERONDUM ſcilicet abbatem, & HIVINEGISUM Spolitanum ducem pervenit, qui ab eis Spolicium deductus eſt. CAROLUS autem rex tunc erat apud Saxoniam in loco qui appellatur ad Partesburna, ibique ad eum LEO prædictus papa urbis Romæ deductus eſt, quem rex cum ſummo honore ſuſcepit, & multis donis eum honoravit, & poſtea cum pace & honore magno ipſum papam remiſit ad propriam ſedem, & miſſi regis deduxerunt cum honorifice & eos qui mortis ejus conſiliarii fuerant tranſmiſerunt ad regem. Rex autem miſit eos in exilio.

(a) Moiſſ. *Alemannorum.*
(b) Moiſſ. *Rinno.*
(c) Moiſſ. *Etenim exercitum* melius codex noſter *tertium vero exercitum.* Nam duos hoc anno prius commemoraverat, unum ſub Pipino duce adverſus Avaros, alterum quem ipſe cum Carolo & Ludovico filiis duxerat ipſe Carolus in Saxoniam.
(d) Moiſſ. *portas cancella* omiſſo & male.
(e) Moiſſ. *inde hinc denuo.*
(f) Ex hoc loco diſcimus matris Leonis papæ nomen, de quo altum apud auctores quos viderim ſilentium.
(g) Vulgo erutos fuiſſe Leoni oculos tradunt, non deſunt tamen auctores qui id negare videantur.

Anno

Anno DCCC. CAROLUS rex congregavit optimates ſuos, & ſynodum habuit apud Maguntiam cum conventu epiſcoporum vel abbatum, & cum cognoviſſet per omnes fines ſuos habere pacem, recordatus eſt de injuria quam Romani apoſtolico LEONI fecerant, & erexit faciem ſuam ut iret partibus Romæ; quod ita & fecit. Cum autem Romæ propinquaret, occurrit ei LEO papa & Romani principes cum eo apud Numentum, XII. ab Urbe lapide. Cum perveniſſet autem Romam rex prædictus VIII. calendas Decembris, poſt octo vero dies, concione cum Romanis habita, cauſam adventus ſui omnibus patefecit, fecitque conventum maximum epiſcoporum ſeu abbatum cum presbyteris & diaconibus, & comitibus, ſeu reliquo populo Chriſtiano: & ibi venerunt in præſentia qui ipſum apoſtolicum condemnare voluerunt. Qui poſtquam nullus probator criminum inventus eſt, præfatus papa nullo judicante, ſed ſua ſpontanea voluntate coram omni populo in baſilica B. Petri apoſtoli evangelium portans, ambonem conſcendens, invocatoque ſanctæ Trinitatis nomine, cum jurejurando ab objectis criminibus ſe purgavit, & ipſa ſacramenta expleta, omnes epiſcopi cum univerſo clero ſeu præfato rege devotoque populo Chriſtiano hymnum *Te Deum laudamus* decantaverunt. Quo expleto, ipſe rex cum univerſo populo laudes Deo dabant, quia apoſtolicum Leonem ſanum in corpore & in anima cuſtoditum habere meruerunt.

Anno DCCCI. cum apud Romam moraretur rex CAROLUS, Zacharias presbyter, quem antea rex cum multis donariis ad ſepulcrum Dominicum, vel per alia loca ſancta miſerat illis partibus, duobus monachis de Hieroſolyma a patriarcha directis ad regem, Romam venerunt: qui benedictionis cauſa claves ſepulcri Dominici ac loci Calvaria, claves etiam civitatis & montis Sion, cum vexillo crucis detulerunt. Quo rex accepto, Dominum benedixit, ac remuneratos multis muneribus Hieroſolymam remiſit. Ipſe vero rex die ſacratiſſima natalis Domini cum ad miſſam ante confeſſionem B. Petri apoſtoli ab oratione conſurgeret, LEO papa cum E conſilio omnium epiſcoporum ſive ſacerdotum, ſeu ſenatu Francorum, necnon & Romanorum, coronam auream capiti ejus impoſuit, adjuncto etiam Romano populo, acclamant CAROLO AUGUSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORUM VITA ET VICTORIA. Poſt laudes vero a plebe decantatas & ab apoſtolico, more antiquorum principum adoratus eſt. Nam & hoc nutu Dei factum eſt, cum enim apud Romam tunc præfatus imperator moraretur, delati quidam ſunt ad eum, dicentes, quod apud Græcos nomen imperatoris ceſſaſſet, & finem apud eos nomen imperii teneret. A Herena nomine, quæ filium ſuum imperatorem fraude captum, oculos eruit, & ſibi nomen imperii uſurpavit, ut Atalia in libro Regum legitur feciſſe. Audito LEO papa & omnis conventus epiſcoporum & ſacerdotum ſeu abbatum, & ſenatus Francorum, & omnes majores natu Romanorum, cum reliquo Chriſtiano populo conſilium habuerunt, ut ipſum CAROLUM regem Francorum imperatorem nominare deberent, qui Romam matrem imperii tenebat, ubi ſemper B cæſares & imperatores ſedere ſoliti fuerant, & ne pagani inſultarent Chriſtianis, ſi imperatoris nomen apud Chriſtianos ceſſaſſet. Ideo juſtum viſum eſt omnibus, ut prædictus rex cum Dei adjutorio & univerſo Chriſtiano populo petente, ipſum nomen imperatoris haberet: quorum petitionem ipſe rex Carolus negare noluit, ſed cum omni humilitate ſubjectus Deo, & petitione ſacerdotum univerſalique populo Chriſtiano in ipſa nativitate Domini noſtri JESU CHRISTI cum conſecratione domini Leonis papæ ſuſcepit, ſicut ſupradictum eſt, & in primis omnium C poſtquam imperator extitit, ſtuduit ut ipſam Romanam eccleſiam de ea diſcordia quam habuerant Romani cum apoſtolico Leone, ad pacem & concordiam revocaret. Deinde reverſus eſt in Francia ad Aquis ſedem regiam. Magnificatus eſt autem imperator Carolus ſuper omnes reges Francorum qui ante eum fuerunt, divitiis & gloria, honore & nomine. Iſte primus ex genere Francorum imperator extitit.

Anno DCCCII. recordatus eſt piiſſimus Carolus imperator miſericordiæ ſuæ, de pauperibus qui in univerſo imperio erant, & juſtitias pleniter habere non poterant. Noluit D de infra palatio pauperibus vaſſos ſuos tranſmittere, ad juſtitias faciendum propter munera; ſed elegit in regno ſuo archiepiſcopos, & reliquos epiſcopos, & abbates, cum ducibus & comitibus, qui opus non habebant ſuper innocentes munera accipere, & ipſos miſit per univerſum regnum, ut eccleſiis, viduis, orphanis, & pauperibus, & cuncto populo juſtitiam facerent, & menſe Octobrio congregavit univerſam ſynodum in Aquis, E & ibi fecit epiſcopis cum presbyteris ſeu diaconibus relegi univerſos canones, quos ſancta ſynodus præcepit, & decreta pontificum, & pleniter juſſit eos tradi coram omnibus epiſcopis, presbyteris, & diaconibus. Similiter in ſancta ſynodo congregavit univerſos abbates & monachos qui ibi aderant, & ipſi inter ſe conventum fecerunt, & legerunt regulam ſancti patris Benedicti, & tradiderunt eam ſapientes in conſpectu abbatum & monachorum; & tunc juſſio generaliter ſuper omnes epiſcopos, abbates, presbyteros, diacones, ſeu univerſo choro clericorum facta eſt, ut unuſquiſque in loco ſuo juxta conſtitutionem ſanctorum patrum ſive in epiſcopatibus

ſive in monaſteriis, aut per univerſas eccleſias, ita ut canonici juxta canones viverent, & quicquid in clero aut in populo de culpis aut negligentiis apparuerit, juxta canonum auctoritatem emendaſſent, & quicquid in monaſteriis ſeu in monachis contra regulam S. Benedicti factum fuiſſet, hoc juxta regulam ejuſdem emendare feciſſent. Mandavit autem ut unuſquiſque epiſcopus in omni regno vel imperio ſuo, ipſi cum presbyteris ſuis officium, ſicut pſallit eccleſia Romana, facerent. Nam & ſcholas ſuas cantorum in loca congrua conſtrui præcepit. Similiter & in monaſteriis S. Benedicti ſervantibus regulam, ut officium ipſius facerent, ſicut regula docet. Ipſe vero imperator interim ut
[a] ipſum (a) ſynodum factum eſt, congregavit duces, comites reliquumque populum Chriſtianum cum legiſlatoribus, & fecit omnes leges regni ſui tradere & emendare, & emendandam legem ubicumque neceſſe fuerit, ſcribere. Judices vero per ſcriptum judicaſſent, & munera non accepiſſent; ſed omnes homines pauperes & divites in regno ſuo juſtitiam haberent.

Anno DCCCIII. CAROLUS imperator celebravit Paſcha aqud Aquis palatium, & conventum habuit apud Maguntiam, & ipſo anno ſine hoſte ſtetit. His diebus in Spania ſuper Sarracenos regnavit *Abulaz* filius Axam. Mortuo enim Axa, hic *Abulaz* filius ejus ſuſcepit regnum, fecitque malum ſicut fecerat pater ejus & avus. Eo regnante in Spania, miſit CAROLUS imperator LUDOVICUM filium ſuum regem Aquitaniæ, ad obſidendam & capiendam civitatem Barchinonam. Qui congregato exercitu ex Aquitania, Waſconia, necnon de Burgundia, Provincia & Gotia, miſit eos ante ſe ad obſidionem civitatis. Qui abeuntes, circumdedit exercitus civitatem, & obſederunt menſibus ſeptem, capieruntque regem civitatis illius nomine *Sathon*. Cumque panes defeciſſent in civitate, & jam capienda eſſet civitas, miſerunt ad Ludovicum regem, ut veniret Barchinonam, quia jam capienda erat civitas, ut cum capta fuiſſet, nomini ejus adſcriberetur victoria. Venit autem præfatus LUDOVICUS ad civitatem, & tradita eſt civitas in manu ejus, conſtituitque illic cuſtodia & armamenta, regem vero civitatis illius *Sathon* vinctum compedibus miſit ad patrem ſuum Carolum imperatorem in Francia. Ipſe vero in pace & triumpho reverſus eſt ad propria.

Anno DCCCV. CAROLUS imperator miſit filium ſuum CAROLUM regem cum exercitu
[b] magno ad Euhuvidines, (b) & alium exercitum cum Aulfo & Vuerinario, id eſt cum Bajoariis. Tertium vero tranſmiſit cum Saxo-
[c] nibus ſuper Huvernofelda & de Melchion, (c) & ibi pugnaverunt contra regem eorum nomine Semela & vicerunt eum, & ille dedit duos filios pro fidelitate, & tunc perrexerunt ſuper Fergunna, & venerunt ad fluvium qui vocatur Araga (d) illi tres hoſtes [d] inſimul. Et inde venerunt ad *Camburg*, qui & vaſtaverunt regionem illam in circuitu Albiæ. Et poſtea cum victoria reverſus eſt CAROLUS rex ad patrem ſuum in Francia. Quartus vero exercitus cum claſſe magna navium perrexit in Albia, & pervenit ad *Magedoburg*, & ibi vaſtaverunt regionem Genevara. (e) Poſtea reverſi ſunt in patriam ſuam. [e]

Anno DCCCVI. in iſto anno WILLELMUS quondam comes ad Anianum monaſterium, qui eſt conſtructus in honore Domini ac Salvatoris noſtri JESU CHRISTI & glorioſæ matris ejus ſemper Virginis, pervenit, cum omnibus muneribus auri argentique, ac pretioſarum veſtium. Illo ſe tradidit Chriſto omni vitæ ſuæ tempore ſerviturum. Nec mora in deponendo comam fieri paſſus eſt, quin potius die natalis apoſtolorum Petri & Pauli, auro textis depoſitis veſtibus, Chriſticolarum habuit habitum, ſeſeque Chriſticolarum adſciſci numero quantocius congaudens efficitur. Et in eodem anno CAROLUS imperator celebravit Paſcha ad Neumaga, & miſit filium ſuum Carolum Regem ſuper Duringa (f) ad locum qui vocatur Walada, (g) ibi- [f] que habuit conventum magnum, & inde mi- [g] ſit ſcarras ſuas ultra Albiam. Ipſe vero movit exercitum ſuum ultra Sala ſuper Huverenaveldo, (h) & tum fuit interfectus Melito [h] (i) rex ſuperbus, qui regnabat in Siurbis, [i] & poſtea remeavit Albia, & vaſtavit regiones illas, & civitates eorum dextruxit. Et ceteri reges ipſorum venerunt ad eum, & promiſerunt ſe ſervituri domno & pio imperatori, tradideruntque obſides ſicut ille volebat. Et mandavit eis rex CAROLUS ædificare civitates duas, unam ad Aquilonem partem Albiæ contra *Magadaburg*. Alteram vero in orientalem partem Sala, ad locum qui vocatur Balla, (k) deinde reverſus eſt ad patrem [k] ſuum in Francia. His diebus ALBINUS qui & Alchuinus diaconus in Francia claruit.

Anno DCCCVII. CAROLUS imperator perrexit ad *Ingelanheim* palatium, & ibi habuit conventum cum epiſcopis & comitibus vel aliis fidelibus, & mandavit eis, ut juſtitias facerent in regno ejus. Poſtea dedit eis licentiam ad propria remeare, & quietos ſedere, & ut Deo gratias agerent ad pacem & concordiam ipſorum, & illum annum ſtetit ſine hoſte.

Anno DCCCVIII. CAROLUS imperator miſit filium ſuum CAROLUM in Saxonia ultra Albia, ad illos Sclavos, qui vocantur Linai, & vaſtavit maximam partem regionis

(a) *l.* ut ipſa ſynodus facta eſt.
(b) Moiſſ. *Windones.* (c) Moiſſ. *Werinefelda & Dervuhon.* (d) Moiſſ. *Agara.* (e) Moiſſ. *Gancuvanam.*
(f) Moiſſ. *Buringa.* (g) Moiſſ. *Waladala.*
(h) Moiſſ. *Guercalvuldo.* (i) Moiſſ. *Nuſito.*
(k) Moiſſ. *Halla.*

ipſius; ſed & aliqui ex noſtra parte ibidem A ceciderunt. Ultimum contra Nordomannos qui Dani vocantur, primo piraticam exercentes, deinde majori claſſe littora Galliæ atque Germaniæ vaſtantes, bellum ſuſceptum eſt; quorum rex GODOFRIDUS, adeo vana ſpe inflatus erat, ut ſibi totius Germaniæ promitteret poteſtatem, Friſiam quoque atque Saxoniam haud aliter atque ſuas provincias æſtimabat. Jam Abodritos vicinos ſuos in ſuam ditionem redegerat, jam eos ſibi vectigales fecerat; jactabat etiam ſe bene Aquisgrani, ubi regis comitatus erat, cum maximis copiis adventurum, nec dictis ejus quam vaniſſimis omnino fides abnuebatur: quin potius putaretur tale aliquid inchoaturus, niſi feſtinata morte præventus fuiſſet, nam a proprio ſatellite interfectus & ſuæ vitæ & belli a ſe inchoati finem acceleravit.

Anno DCCCIX. CAROLUS imperator ſedit apud Aquis palatium, & in illa æſtate miſit ſcarras ſuas ad marchias, & aliqui de illis Saxones venerunt ultra Albiam, & fregerunt [a] unam civitatem cum noſtris Huninidis (a) qui appellantur *Semeldinc*, *Connoburg*.

Anno DCCCX. æſtatis tempore CAROLUS C imperator cum filio ſuo Carolo rege, ultra Rhenum fluvium ſuper Saxoniam perrexit ad locum qui vocatur Ferdia, & in ipſa æſtate mortuus eſt PIPINUS rex Langobardorum filius Caroli imperatoris; Carolus autem conſtituit BERNARDUM filium Pipini, regem ſuper Italiam in loco patris ſui.

Anno DCCCXI. miſit CAROLUS imperator exercitum Francorum & Saxonorum ultra Albiam ad illos Sclavos qui nominantur [b] Lanai & *Bethenzr*, (b) & vaſtaverunt regiones illas, & ædificaverunt caſtellum qui dicitur *Abochi*. Fuit quoque occiſio magna Nor- D mannorum. Eodem anno obiit CAROLUS rex filius Caroli Magni imperatoris.

Anno DCCCXII. miſit CAROLUS imperator tres ſcarras ad illos Sclavos qui dicuntur *Huvilti*. Unus exercitus venit cum eis ſuper Abodoritos, & duo venerunt obviam ei ad illa marchia. Sed & illi Wilti dextras dederunt, & obſides obtulerunt, & promiſerunt ſe dare partibus imperatoris Caroli, & poſtea reverſus eſt populus ad propria.

Hactenus primus auctor; quæ vero ſequuntur addita videntur ab aliquo monacho Anianenſi, qui hoc opus continuavit, ac primo ampliſſimum excerptum ſubjicit ex vita Caroli-Magni auctore Eginardo, quæ edita eſt a Cheſnio tom. 2. p. 99. ab his ſcilicet verbis: Hæc ſunt bella quæ rex potentiſſimus per annos XLVII. &c. *uſque ad paginam* 103. *paginæ tamen* 100. *lin.* 17. *poſt hæc verba*: Tali monitione prohibuit, *hæc inſeruntur*: Fecit idem a parte meridiana prope littore maris in comitatu Magdalonenſe [eccleſiam] in honore Domini noſtri JESU CHRISTI, ſeu perpetuæ Virginis genitricis Dei MARIÆ, cujus baſilicas compoſuit, auroque & argento adornavit, ad cujus ſtructuram cum columnas & marmora habere non poſſet, Nemauſo civitate cum magna diligentia adduci præcepit, & collectis theſauris ſuis de regnis ſingulis, in Aniano monaſterio adduci præcepit, necnon lignis tres Cruces Dominicas, & opera multa & magna in eodem loco compoſuit.

Anno DCCCXIII. ab Incarnatione Domini, Caroli autem imperatoris anno XLVI. ſedit piiſſimus imperator apud Aquis palatium, B & habuit ibi concilium magnum cum Francis epiſcopis, & abbatibus, ac ſacerdotibus, & decrevit quatuor ſynodos fieri, id eſt ad Moguntiam civitatem unum, alterum in Remis, tertium Turonis, quartum Arelato civitate, (c) mandavitque ut quicquid in unum- [c] quemque ſynodum definiſſent, ad placitum conſtitutum imprimi nuntiaſſent: quod ita factum eſt. Et in ipſo anno menſe Februario (d) jam dictus imperator CAROLUS fecit [d] conventum magnum populi apud Aquis palatium. De omni regno & imperio ſuo convenerunt epiſcopi, abbates, comites, preſbyteri, diacones, & ſenatus Francorum ad imperatorem in Aquis, & ibidem conſtituerunt capitula quadraginta ſex de cauſis quæ neceſſaria erant eccleſiæ Dei & populo Chriſtiano. Extremo autem vitæ ſuæ tempore cum jam & morbo & ſenectute premeretur, evocatum ad ſe LUDOVICUM filium ſuum Aquitaniæ regem, qui ſolus filiorum HILDEGARDÆ ſupererat, congregatis ſolemniter de toto regno Francorum vel de univerſo imperio ſuo primoribus cunctorum, comitibus, principibus, ducibus, epiſcopis, abbatibus, monachis, ſacerdotibus, diaconibus & cuncto ſenatu Francorum, cum cunctorum conſilio, conſortem ſibi totius regni & imperialis nominis ſui heredem conſtituit, ac per coronam auream tradidit illi imperium, populis acclamantibus: VIVAT IMPERATOR LUDOVICUS; impoſitoque capiti ejus diademate, imperatorem & auguſtum juſſit appellari. Suſceptum eſt hoc ejus conſilium [ab his] qui aderant magno cum favore & lætitia. Nam & ipſe imperator Carolus benedixit dicens: *Benedictus es Domine Deus meus, qui dediſti hodie ſedentem in ſolio meo, ex ſemine meo filium, videntibus oculis meis.* Docuit autem eum pater, ut in omnibus præceptum Domini cuſtodiret, tradiditque ei regnum, commendavitque ei filios ſuos DROGONEM, THEODERICUM & HUGONEM, & cum omnia perfeciſſet, dimiſit unumquemque ut abiret in locum ſuum. Ipſe autem Carolus imperator reſedit in Aquis palatium. Nam hoc divinitus ei propter regni utilitatem videbatur inſpiratum, auxitque majeſta-

(a) Moiſſ. *Gutnildinis.*
(b) Moiſſ. *& Bethelelevreti.*
(c) Quintam nonnulli addunt Cabiloni celebratam.
(d) Moiſſ. *Septembri.*

tem ejus hoc factum, & exteris nationibus non minimum terroris incussit. Dimisso deinde in Aquitaniam filio, ipse more solito, quamvis senectute confectus, non longe a regia Aquensi venatum proficiscitur.

Anno DCCCXIV. ab Incarnatione Domini, CAROLI vero imperatoris anno XLVII. ex quo regnare cœperat, exierunt Nortmanni cum navibus in Frisia, & fecerunt ibi grande malum, capieruntque viros & mulieres & prædam magnam. In ipso anno exacto hujuscemodi negotio, quod reliquum erat autumni &c. *ut apud Eginardum in vita Caroli-Magni pag.* 104. *lin.* 9. *usque in finem. Sed in divisione quæ facta est a Carolo imperatore anno* DCCCXI. *post hæc verba:* vel usum ejus sibi necessarium judicaret, *in nostro manuscripto codice additur:* Unam vero partem filii reservavit, quam dedit BENEDICTO abbati S. Salvatoris Anianensis archisterii, videlicet Crucis Dominicæ cum gemmis, bratheas aureas contextas cum gemmis, baltheos aureos similiter gemmatos, calices aureos sive argenteos, vel offertoria cum patenulis & offertoriis cum auro & gemmis ornatos. Inter alia dona dedit ei capsulam auream ubi pignora sunt omnium apostolorum. Inter ea dedit ei sceptrum regale ex ebore valde mirificum, & multa alia dona quod dinumerare longum est. ARDONI quoque qui & Smaragdo religioso monacho, dedit tabulam lapideam tinnientem sicut æs. Post obitum vero suum aut voluntariam, &c. *ubi advertendum quod pro illis verbis pag.*106. Et altera quæ forma rotunda Romanæ urbis effigie insignita est, episcopo Ravennatis ecclesiæ conferatur, *in codice manuscripto hæc leguntur:* altera quæ forma rotunda Romanæ urbis effigie figurata est, Salvatorem JESUM CHRISTUM Dominum in Anianense monasterium conferatur. *Hujus autem inter divisionis testes, primus abbatum nominatur* BENEDICTUS, & post Hirminonem, GEORGIUS, THEOBALDUS, ADALELMUS, LAUTFREDUS.

Anno DCCCXIV. LUDOVICUS piissimus imperator post mortem patris sui Caroli gloriosissimi imperatoris, sedit super thronum ejus apud Aquis palatium & ibi celebravit Pascha, & acceptis thesauris patris sui, fecit eleemosynam magnam pro patre, divisitque inter ecclesias, & monasteria, & pauperes, sicut ipse ordinaverat. Hoc anno suprascripto imperator LUDOVICUS, id est primo anno imperii sui, BENEDICTUM abbatem de Aniano monasterio tulit propter famam vitæ ejus & sanctitatem, & prope Aquis sedem regiam in Ardenna silva habitare fecit. Ipse vero supradictus abbas, antequam abiret in Francia, ordinavit in loco suo in monasterio Aniano abbatem nomine SMARAGDUM; & in ipso anno venerunt ad imperatorem episcopi, abbates, comites, duces, & mulieres, ac viduas, & locutus est cum eis de causis necessariis, & de utilitate sanctæ ecclesiæ; & in ipso loco mandavit, ut mulieres in servitutem redactas non fuissent, & acciperent libertatem. Et venit ad eum BERNARDUS filius Pipini rex Langobardorum, susceptique eum benigniter domnus imperator LUDOVICUS, ac remunerato remisit ad propria. Disposuit autem & marchas undique. Nam & præsidia posuit in littore maris ubi necesse fuit, & ipso anno in Aquis hiemavit.

Anno DCCCXVI. LUDOVICUS imperator apud Aquis palatium celebravit Pascha; & in ipsa æstate collecto magno exercitu Francorum & Burgundionum, Alamannorum & Bajoariorum, introivit in Saxoniam, & venit ad Partesbrunnam, & ibi venit ad eum BERNARDUS rex Langobardorum cum exercitu, & habuit imperator ibi placitum magnum, & misit scarras suas ubi necesse fuit per marchas, & præsidia, & per littora maris, & post hæc reversus est in Franciam ad Aquis palatium, & tertio calendas Augusti habuit consilium magnum in Aquis, & constituit duos filios reges PIPINUM & CHLOTARIUM; Pipinum super Aquitaniam & Wasconiam, Chlotarium super Bajoariam. Et decrevit in ipso synodo domnus imperator Ludovicus, ut in universo regno suo monachi regulariter viverent secundum regulam S. Benedicti, & canonici secundum canonum auctoritatem. Mandavit etiam missis & comitibus suis ut justitias facerent in regno ipsius; & si aliqui homines injuste privati fuissent de hereditate parentum per cupiditatem comitum aut divitum, ut reddere facerent: necnon & si aliqui homines injuste in civitate redacti erant, ut iterum acciperent libertatem. Eodem anno Wascones rebellaverunt contra imperatorem.

Anno DCCCXVIII. piissimus imperator LUDOVICUS apud Aquis palatium celebravit Pascha, & æstatis tempore venit ad eum BERNARDUS rex Langobardorum. His diebus domnus apostolicus LEO urbis Romæ migravit a sæculo, successitque in sacerdotium domnus STEPHANUS. Ipso anno papa Stephanus venit ad imperatorem Ludovicum in Francia, invenitque eum apud Remis civitatem, attulit illi coronam auream, suscepitque eum imperator cum magno honore, benedixitque ipsum imperatorem, & imposuit coronam auream super caput ejus, remuneravitque eum domnus imperator muneribus multis, & sic rediit Romæ ad sedem suam. Imperator vero piissimus LUDOVICUS de Remis abiit ad Compendio palatio, & habuit consilium cum episcopis, abbatibus & comitibus suis. Deinde reversus ad Aquis palatium sedem regiam, ibique hiemavit. Præfatus autem STEPHANUS papa cum rediisset Romam, in ipso anno migravit a sæculo. Wascones autem rebelles Garsiam Muci super se in principem eligunt; sed in secundo anno vitam cum principatu amisit, quem

fraude uſurpatum tenebat.

Anno DCCCXXI. LUDOVICUS imperator apud Aquis palatium Paſcha celebravit. Ipſo anno obiit beatæ memoriæ BENEDICTUS WITIZA abbas religioſus monaſterii Anianenſis III. idus Frebruarii, anno IX. regnante Ludovico imperatore. Et in ipſa æſtate juſſit congregari conventum magnum populorum de omni regno & imperio ſuo apud Aquis ſedem regiam, epiſcopos, abbates, comites, & majores natu Francorum, & manifeſtavit eis myſterium conſilii ſui quod cogitaverat, ut conſtitueret unum ex filiis ſuis imperatorem. Habebat enim tres filios ex uxore ERMENGARDA regina, nomen uni CLOTARIUS, nomen ſecundi PIPINUS, tertii vero LUDOVICUS. Tunc omni populo placuit, ut ipſe, ſe vivente, conſtitueret unum ex filiis ſuis imperatorem, ſicut Carolus pater ejus fecerat ipſum. Tunc tribus diebus jejunatum eſt ab omni populo & lætania facta. Poſt hæc jam dictus imperator CLOTARIUM, qui erat major natu, imperatorem elegit, & coronam auream tradidit illi, populis acclamantibus & dicentibus: VIVAT IMPERATOR CLOTARIUS. Facta eſt autem lætitia magna in populo in die illo, & ipſe imperator benedixit Dominum dicens: *Benedictus Dominus Deus meus, qui dedit hodie in ſolio meo ſedentem videntibus oculis meis.* Quartum filium habuit ex concubina nomine ARNULFUM; cui pater Senonas civitatem in comitatu dedit. Audiens autem BERNARDUS rex Italiæ quod factum erat, cogitavit conſilium peſſimum, voluitque in imperatorem & in filio ejus inſurgere, & per tyrannidem imperium uſurpare. Quo comperto, imperator *f. Miſit.* juſſit* confeſtim nuntios per univerſum regnum & imperium ſuum, ut pariter conglobati occuparent omnes aditus Italiæ, quod ita factum eſt. Bernardus autem cum hæc audiiſſet, terruit eum Dominus, & omnes qui ei conſenſerant, & comprehenſi ſunt ab exercitu, quod imperator miſerat ante faciem ſuam, & comprehenſos cum ipſo rege adduxerunt ad imperatorem, qui erat apud Cavalonem, quæ eſt ſuper Sagonna flumen. Tunc ſub cuſtodia miſſus eſt præfatus rex cum Achiteo comite, qui auctor conſilii maligni fuerat, & cum aliis qui illi conſenſerant, & ducti ſunt Aquis. Poſt hæc fecit imperator conventum magnum Francorum, & retulit eis hanc cauſam, ut videret quid judicarent fideles ſui de eo, vel de his qui conſenſerant, ut inſurgerent contra imperatorem. Tunc pariter judicaverunt eos omnes dignos ad mortem, ſed piiſſimus imperator pepercit vitæ illorum, juſſitque ipſi regi Bernardo oculos erui, ſed cum factum fuiſſet, die tertio mortuus eſt. Achiteo vero ſimiliter oculos erui, & ceteris ſociis ſuis. TEULFUM vero epiſcopum Aurelianenſem, qui & ipſe auctor maligni conſilii fuit, ſynodo facta epiſcoporum vel abbatum, necnon aliorum ſacerdotum, judicaverunt, tam ipſum, quam omnes epiſcopos & abbates vel ceteri clerici, qui de hoc maligno conſilio ſocii fuerant, a proprio deciderent gradu: quod ita factum eſt; nonnulli etiam in exilio miſſi ſunt. Fratres vero ſuos ex concubinis natos, id eſt Drogonem, Theodericum & Hugonem quos ei pater commendaverat, clericos fieri juſſit, & per ſingula miſit monaſteria, & regnum quievit ab ira.

Anno DCCCXXXVIII. Ludovicus imperator apud Aquis celebravit Paſcha, & æſtivo tempore introivit cum exercitu magno in Britannia, & occiſo rege illius terræ, venerunt majores natu Britannorum, tradiderunt ſe illi, & acceptos obſides reverſus eſt ipſe cum triumpho victoriæ ad propria. Nam exercitus ejus quem miſerat partibus Orientis, cum triumpho reverſus eſt ad imperatorem.

Anno DCCCXL. imperii vero præfati imperatoris anno XXVII. obiit LUDOVICUS piiſſimus imperator XII. cal. Julii indictione III. regnaveruntque filii ſui poſt eum in magna gloria. Amen.

CHRONICON TURONENSE
AUCTORE ANONYMO
CANONICO TURONENSI S. MARTINI.

Ex mſ. codice bibliothecæ Regiæ.

OBSERVATIO PRÆVIA.

CHRONICON hic habes Turonenſe, a variis ſcriptoribus hactenus laudatum, & a viris eruditis diu exoptatum. Codex bibliothecæ regiæ, ex quo illud deſcripſimus, ante annos quadringentos exaratus, nullum auctoris nomen præferebat, verum qui opus ſemel legerit, fœtum eſſe canonici cujuſdam Turonenſis eccleſiæ S. Martini ſtatim animadvertet: quippe qui nullam prætermittit occaſionem laudandi inſignis illius eccleſiæ privilegia, quæ ſcribendo præ oculis habebat, cum tamen de aliis ejuſdem urbis & diœceſis ſacris ædibus ita ſobrie loquatur, ut pene eas non noviſſe diceres. Chronicon autem ſuum ab ipſa mundi creatione incœptum ad annum MCCXXVI. *quo vivebat, protraxit, optimos quoſque, qui ante ipſum ſcripſerant, auctores ſequutus. Integrum hic opus dare nequaquam duximus operæ pretium. Initia enim aliunde ſatis nota uſque ad Decii imperatoris tempora, ſub quo Turonicis fidem annunciavit Gatianus epiſcopus, prætermiſimus, multaque alia deinceps minus neceſſaria & apud alios auctores paſſim occurrentia prudenter reſecavimus. Verum quod ſatis lugere non poſſumus, lugebuntque nobiſcum viri antiquitatis ſtudioſi, ex mſ. bibliothecæ regiæ duos quaterniones avulſit otioſa aut invida manus, pro tanto facinore & ipſa præſcindi digna. Jacturam hanc reſarcire ſperabamus alterius ope codicis, quem olim a Dulcino Jeſuita audieram eſſe in bibliotheca collegii Pariſienſis Societatis Jeſu, ex quo Coſſartius ejuſdem Societatis vir doctiſſimus in generali conciliorum collectione nonnulla deſcripſit. At nullis codicem illum precibus obtinere potuimus a Reverendis Patribus, aſſerentibus librum furto ablatum apud eos jam non comparere.*

Illius defectu vir cl. Carolus Careau *paſtor eccleſiæ Novigenti prope Pariſios, perhumaniter obtulit nobis excerpta ex eodem codice, quæ Petrus* Careau *ejus pater civis Turonenſis olim deſcripſerat, cum egregiam Turonenſis provinciæ hiſtoriam componeret. His acceſſere quædam fragmenta ex mſ. eccleſiæ Nannetenſi accepta, adeo ut pauca jam Chronico Turonenſi deeſſe videantur.*

CUM infinita ſint temporum geſta, geſtorumque digeſtores quamplurimi, nec poſſint ab omnibus vel haberi vel legi, non inutile duximus ex infinitis pauca colligere, & in unum coarctare compendium, quæ legenti magis oblectamentum pariant vel profectum. Opus ſane arduum diligentioriſque ſtudii, ac noſtræ incompetens parvitati. Competentius autem nobis viſum eſt ordiri a tempore quo primordialiter & tempus cum

rebus, & res cum tempore verbo Domini ſunt exortæ. A mundi itaque exordio exordium ſumſimus, & uſque ad noſtra tempora temporum ſeriem ſtuduimus texere, & ex his quæ ipſis temporibus acciderunt aliqua breviter aſſignare. Sane juxta hebraïcam veritatem ab Adam & deinceps annos digeſſimus, primo per generationes, ſecundo per judices, poſtremo per reges.

Hi vero ſunt qui nos potiſſimum adjuvarunt. Euſebius, Hieronymus, Sigebertus. Euſebius quidem a nativitate Abrahæ uſque ad vicennalia Conſtantini regnorum ſeriem regumque digeſſit. Cujus opuſculum Hieronymus transferens, nonnulla intermiſcuit, & uſque ad mortem Valentis continuando protraxit. Abhinc Sigebertus Gemblacenſis monachus, multæ ſtudio lectionis edoctus, chronica ſua incœpit, & uſque ad annum Domini milleſimum centeſimum duodecimum cautiſſima ordinatione contexuit. Ceterum ea quæ ſubjunximus partim alibi digeſta reperimus, alia quædam a nobis viſa ſunt, & alia certa relatione comperta.

Nota.

Porro in proſecutione annorum Domini magiſtrum Hugonem de S. Victore elegimus imitari. Tamen nullum ex his in proſequendo res geſtas ex toto ſecuti ſumus; ſed reciſis quibuſdam, quibuſdam additis, iſtud opuſculum compegimus ex diverſis. Invenimus enim in dinumeratione annorum innumeras diſſonantias, quas frequenter pariunt tum imperitia, tum vetuſtas; nec ſolum in numeris, ſed in rerum geſtarum aſſignatione plerumque advertimus chronographos diſcrepare. Proinde ſi qua iſtic diſcrepantia reperiatur, non imprudentiæ deputetur; neque enim potuimus facere fonti diſſimilem rivulum emanare, nec ſcribere niſi quæ ſcriptores priſtini reliquere. Ea propter rogamus ne quis arguat vel improbet iſta, donec prius inſpexerit diligenter unde ſint derivata: ſic enim perpendere poterit, quod non noſtra indiſcretione ſunt acida, ſed de alienis ſincere transfuſa, ſæpe quidem ad verbum, ſemper autem ad ſenſum. De Oroſio quidem, Gennadio, Caſſidoro, Gregorio Turonenſi, Hugone Floriacenſi, aliiſque diverſis nonnulla interdum excipere & ſuis locis ea curavimus adaptare. Turonenſes præterea archiepiſcopos notavimus, ſed minus quidem ordinate, *quia annos eorum & geſta minime potuimus invenire.* Sciat autem qui legit fore perutile ſtudere talibus, talia lectitare. Hic nempe deſcribitur qualiter ab initio uſque nunc mundus fluxerit, vel florens provectibus, vel preſſuris attritus, qualiter ſunt res mutatæ, tranſlata regna, regnorumque gloriæ ad nihilum devolutæ; quomodo denique poſt adventum Chriſti Chriſtianitas creverit, corruerit impietas, pietas triumpharit. Liquet ſane quia ex tali taliumque conſpectu, & deſpectus præſentium & reſpectus oritur futurorum. Propterea ſcriptum eſt: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas.*

Cum ergo generationes per ſeptem ætates diſtinguantur, & in VIII. conſumentur, nos ad præſens de ſeptem tantummodo tractaturi de VIII. reticebimus, finem illius penitus ignorantes. Prima igitur ætas ab Adam uſque ad Noë, ſecunda a Noë uſque ad Abraham, tertia ab Abraham uſque ad David, quarta a David uſque ad tranſmigrationem Babylonis, id eſt uſque ad Cyrum; quinta uſque ad Chriſtum, ſexta a Chriſto uſque ad finem ſæculi. Hæ ſunt ætates viventium, ſeptima eſt quieſcentium, quæ incipit a Paſſione Domini, octava eſt quæ incipiet a die judicii, & durabit uſque in ſempiternum. Et ſciendum eſt quod non dicuntur ætates propter annorum numerum, ſcilicet millenarium, ut quidam dicunt, ſed propter quædam mirabilia in quarumlibet initio perpetrata; nam in principio primæ facta eſt mundi conſtitutio; in principio ſecundæ mundi per diluvium purificatio; in principio tertiæ inſtituta eſt contra originale peccatum circumciſio; in principio quartæ regum inunctio; in principio quintæ populi Dei in Babylonem tranſmigratio; in principio ſextæ Filii Dei Incarnatio; in principio ſeptimæ januæ cœleſtis apertio; in principio octavæ erit corporum reſurrectio, & bonorum & malorum plena remuneratio.

DEcius in imperatorem electus imperat annis III. tempore Fabiani & Cornelii. In Chriſtianos ſeptimam excitavit perſecutionem, in qua ſunt martyrizati Fabianus, cui Cornelius ſucceſſit, qui corpora apoſtolorum Petri & Pauli rogante Lucina matrona de catacumbis levavit. Nam paſſi ſunt Alexander epiſcopus Jeroſolymitanus, cui ſucceſſit Nazabones, & Babilas Antiochiæ epiſcopus, cui ſucceſſit Fabius, & Dionyſius Alexandriæ, & Sixtus papa, & Laurentius, & Hippolytus ſecundum Gregorium Turonenſem & ſecundum legendam eorum; ſed ſecundum computationem eorum annorum ſub Valeriano imperatore paſſi ſunt; & ſicut dicit hiſtoria paſſionis S. Saturnini martyris, miſſi tunc fuerunt ſeptem epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gallias, ſcilicet Toloſanis Saturninus, Turonicis Gatianus, Arelatenſibus Trophymus, Narbonæ Paulus, Pariſiacis Dionyſius, Arvernis Stremonius, Lemovicanis Martialis.

Poſtquam ergo Conſtantinus ſuſcepit baptiſmum, omnes imperiales dignitates Romanæ conceſſit eccleſiæ, paganorum templa clauſit, ſacrificia prohibuit, eccleſias conſtruxit, & ex terris & urbibus certum vectigal eccleſiis & clericis conceſſit, & in perpetuum confirmavit, & privilegia dedit, ut populus Chriſtianus ſub epiſcoporum ordinatione libere Domino deſerviret; & ſtatuit

vacandum à judiciis die *Dominico*, & ſuppiicium crucis fieri inhibuit, propter crucis venerabile ſacramentum, & Conſtantinopolim tranſivit. Florum autem patrem beati MARTINI, filium Flori regis Hungariæ, militem fecit, Conſtantiam filiam fratris ſui ei in uxorem dedit, de qua natus eſt beatus MARTINUS in Sabaria civitate Pannoniæ, quem PAULO Conſtantinopolitano epiſcopo nutriendum tradidit; qui eum diligenter inſtruens, anno ætatis x. cathecuminum fecit.

Per idem tempus Helena Conſtantini mater incomparabili fide *divinitus ammonita*, Jeroſolymam adit, & loco ſibi oſtenſo, crucem Domini & clavos reperit; partem ligni Dominici filio deferens, partem argento reconditam, in templo conſtructo Jeroſolymis derelinquens, & ob hoc inſolubilis controverſia ſuper hoc invenitur. Nam legitur in geſtis pontificum Romanorum, quod ſub Euſebio papa crux Domini eſt inventa; & valde miramur quomodo legenda ſuper inventione crucis ſit in eccleſiam introducta, cum apocrypha multis rationibus videatur. Nam ibi dicitur, quod cum Conſtantinus anno regni ſexto eſſet dimicaturus contra barbaros, ei ſignum crucis cœlitus ſit oſtenſum, cum Euſebius dicat hoc ei eveniſſe circa pontem Molbium, dum eſſet cum Maxentio conflicturus; & hoc ab ore Conſtantini ſe audiviſſe. Item ibi dicitur quod Jeruſalem deſerta erat, cum innumeræ teſtantur hiſtoriæ, quod Helius eam reparaverat, & de ſuo nomine Heliam nuncupaverat. Ibi item dicitur, quod tunc ibi tria millia Judæorum inventa ſunt, cum a prædicti imperatoris tempore uſque nunc prorſus Judæi Judææ finibus ſint excluſi. Item ibi dicitur, quod Conſtantinus ab Euſebio papa eſt baptizatus, contra quod clamant actus beati Sylveſtri, in geſtis pontificum Romanorum. Nec credendum eſt, quoniam Euſebio præſulante, & poſt ipſum adhuc perſecutionis rabies graſſabatur, unde & B. Sylveſter in
* Soracte. monte * Sarepti latuit, eo quod adhuc perſecutio deſerbuit: ſed Conſtantino baptizato, ceſſavit rabies perſequentium, & recepit eccleſia pacem pariter & provectum.

Item illo apocrypho dicitur quod QUIDIACUS crucis inventor, epiſcopus fuit eccleſiæ Jeroſolymitanæ, Conſtantino regnante, cum in catalogo patriarcharum Jeroſolymitanorum nomen ejus non reperiatur, & cum conſtat MACHARIUM tunc fuiſſe Jeroſolymorum epiſcopum, qui Nicæno ſynodo interfuit, ſub quo Helena Jeroſolymam venit, & crucem invenit. Confutandum eſt igitur quod auctoritas & computatio temporum repellit & ratio, judicandumque eſſe figmentum falſitatis, cum ibi nihil eluceat veritatis, & ſi quis aſſerat, hoc ideo eſſe tenendum,
NOTA. quoniam in eccleſia longa conſuetudine fuerit introductum, ſciat quia ubi ratio repugnat, neceſſe eſt uſum cedere rationi.

Conſilio Auguſti S. Silveſter CLXXVII. epiſcoporum Romæ concilium congregavit, in quo Arrium, Sabellium, & Fotinum damnavit, & ſtatuit chriſma ab epiſcopo confici & levitas dalmaticis indui, & ſacrificium in lini pannis involvi, & baptizatos chriſmate confirmari.

Juvencus preſbyter Hiſpanus evangelia hexametris verſibus ſcripſit. Nazarius rhetor claret, qui filiam habuit patri in eloquentia coæquatam.

Conſtantinus cum Conſtantio & Conſtante fratribus tempore Marci, Julii, Liberii, imperat XXIII. annis.

Quinto Conſtantii imperii anno Antiochiæ epiſcoporum LXX. ſynodus congregatur, ubi Nicæna fides confirmatur. Et poſt in Sirmio, ubi Fotini, Sabellii & Pauli Samoſateni dogma condemnatur, & recta fides expoſita eſt, præſente Conſtantio.

Horum fratrum anno imperii primo erant elapſi XXXVII. anni a tranſitu S. GATIANI, qui in urbe Turonica per L. annos reſederat, ubi multitudo gentilium morabatur, de quibus nonnullos convertit ad Dominum: ſed interdum occultabat ſe ab impugnatione potentum: eo quod cum ſæpius injuriis, & contumeliis affeciſſent, & in latibula cum paucis Chriſtianis divina clanculo celebrabat: & ſic eo migrante ad Dominum & ſepulto in ipſius vici cimiterio, S. LYDORIUS ordinatur Turonenſis epiſcopus. Fuit autem de civibus Turonicis valde religioſus, & ædificavit eccleſiam primam infra urbem Turonicam ex dono cujuſdam ſenatoris.

Tunc dum Conſtantinus Conſtantem fratrem ſuum bello inquietaret, ſe incaute periculo offerens, a ducibus ejus juxta Aquileiam occiditur. Hic Conſtans per V. annos B. MARTINUM nutrivit, & cum militem fecit anno ætatis XV. qui virtute Dei armatus, ingrediens apud Ambianis ſeminudo Chriſto ſub perſona pauperis tempore hiemis partem clamidis erogavit: ſed nocte ſequenti Chriſtus bono non immemor, ci per ſomnium apparuit, & de cœlis angelis ei aſtantibus exclamavit: *Martinus adhuc cathecumenus hac me veſte contexit.* Quo audito, ſanctus Martinus egrediens, Conſtantinopoli a Paulo ejuſdem urbis epiſcopo, qui eum catechumenum fecerat, baptizatur anno ætatis XVIII.

Tunc florebat HILARIUS Pictavienſis ſubtilis & cautiſſimus diſputator, qui ſcripturarum divinarum abyſſos in medium adducebat, theſaurus ſcientiæ, lux doctrinæ, cujus dicta qui legerit, non credit dicere, ſed tonare. Florebat & Euſebius Vercellenſis epiſcopus, * Maximus Trevirenſis, a quo Athanaſius Alexandrinus honorifice ſuſcipitur, * l. Maximinus. dum ad pœnam a Conſtantio quæreretur.

Conſtantius imperator hæreticis favens, Catholicos

Catholicos epiſcopos in exilium jubet trudi. Inter quos EUSEBIUS Vercellenſis & HILARIUS Pictavenſis & DIONYSIUS Mediolanenſis exilio ſunt damnati.

Antonius monachus anno ætatis CV. moritur. Hic Paulum primum heremitam in deſerto latitantem invenit, qui LX. annis ibi vixerat, corvo ſibi cibum divinitus aſportante: cujus animam de corpore egreſſam S. Antonius vidit inter patriarchas & apoſtolos collocatam, & corpus ejus ſepelivit, leone ſibi divino nutu comitante. Corpora Andreæ & Timothei apoſtolorum & Lucæ evangeliſtæ Conſtantinopolim ſunt tranſlata, & fides antiqua patrum in ſynodo apud Seleuciam Iſauriæ ab epiſcopis hæreticis condemnatur; ita quod pene omnes orbis eccleſiæ Arianorum hæreſi polluuntur. Victorius rhetor & Donatus Grammaticus magiſtri Hieronymi Romæ clarent. Nicomedia evertitur terræ motu, vicinis urbibus in parte verſatis. Hæreſis Antropomorphitarum oritur, Deum habere humanam formam aſſerens, partibuſque corporeis circumſcriptum. HILARIUS ab exilio regreſſus, Pictavis redit, ſedem recipit, hæreſim deſtruit, & ubique catholicam fidem ſpargit.

Tunc Conſtantius imperator anno XIX. imperii Julianum patruelem ſuum, fratrem Galli, Cæſarem facit, & Conſtantiam ſororem ſuam ei conjugem dedit, & contra barbaros eum ad Gallias deſtinavit: qui edicto milites ſtipendiarios apud Garmaſiam evocavit, inter quos beatus MARTINUS Turonenſis, Juliani cognatus, adhuc in militia vivens, ibi advenit: ſed fide Catholicus, Juliano Catholicos opprimenti ait: CHRISTI SUM MILES, PUGNARE MIHI NON LICET. Quem Julianus audiens, de metu ſui corporis reprehendit. Quo audito, beatus Martinus, ait: *Ego ſigno Crucis, non clipeo protectus aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus.* Sed divina clementia ſuos ubique & ſemper cuſtodiens, & eos qui rebelles erant imperatori reconciliavit, & beatum Martinum ſanum & incolumem conſervavit.

B. Martinus hic fuit ſtipendiarius.

Ad preces hujus Juliani Priſcianus de octo partibus orationis ſcripſit.

Poſt B. Martinus militiæ abrenuntiat anno II. poſtquam baptizatus fuerat, Gallias ingreditur, Pictavim venit, B. Hilario ſe jungit, qui eum ſtatim exorciſtam fecit. Deinde ammonitione angeli in patriam rediit, matrem baptizat, patre in errore relicto; & inde Mediolanum venit, ibique prædicans, & paululum in eremo commorans, eccleſiam conſtruxit, ſed ab Auxentio hæretico poſtea fugatus eſt.

Tunc B. Martinus Mediolano fugatus, Pictavis redit, & iterum S. Hilario ſe conjunxit. Deinde apud Legudiacum in eadem diœceſi monaſterium conſtruxit, ubi catechumenum mortuum ſuſcitavit, ubi etiam vigiliis, orationibus & jejuniis intentus, vixit uſque ad tempus, quo Dominus eum ad regendam eccleſiam Turonenſem evocavit.

Anno Valentiniani IV. beatus Hilarius Pictavenſis migravit ad Dominum. Hic compoſuit *Gloria in excelſis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Nota.

Anno imperii Valentiniani junioris VIII. beatus Martinus Turonibus datur epiſcopus, non ſponte ſed coactus, fide catholicus, caritate ineffabilis, ultra humanum pius, virtute mirabilis, infirmantium ſanitas, & claritas orbatorum. Hic beato Lidorio Turonenſi epiſcopo anno XXXIII. epiſcopatus defuncto, in epiſcopum ordinatus eſt, anno ætatis LV. ubi populum ab errore gentilitatis & hæretica pravitate liberavit, & miraculorum ſignis mirabilibus Gallias illuſtravit; & quia conſortia hominum ad eum tota die venientium reſpuebat, vitamque ſolitariam diligebat, prope ripam Ligeris cellam ligneam conſtruxit, quæ nunc MAJUS-MONASTERIUM nuncupatur, in qua orationi & jejunio vacans LXXX. monachos collocavit.

Tunc Ambroſius adhuc catechumenus Mediolani datur epiſcopus tali modo: Hic dum compeſceret hæreticos & Catholicos ſecundum officium præfecturæ ſuæ, & ibi epiſcopus eligendus eſſet, ſubito vox infantis inſonuit AMBROSIUM EPISCOPUM. Moxque Ambroſius capitur & baptizatur, & VIII. die pontifex ordinatur; qui cum ſermonem faceret in eccleſia, quidam Arianus vidit Angelum qui ei dicebat in aure, quod populo prædicabat.

Tunc beatus Martinus Valentinianum majorem adiit; ſed in domo intrare non potuit, uxore Valentiniani Ariana hoc agente: quo viſo, revertitur, & jejunans cinere & cilicio conſpergitur, & poſt monitione Angeli iterum domum adiit, & portæ divinitus aperiuntur. Quo in palatium intrante, Valentinianus ei aſſurgere dedignatur, donec regiam ſellam ignis operuit, & ea parte qua ſedebat afflaret incendium, & ita ſuperbus ſolio excuſſus, beato Martino invitus aſſurgit. Hæc facta ſunt Turonis in loco ubi fundata eſt poſtea eccleſia, quæ S. Martini baſilica nuncupatur.

Valens cum Gratiano & Valentiniano nepotibus tempore Damaſi imperat annis IV. Hic monachos militare juſſit, nolentes vero interfici; unde multi ſanctorum per Ægyptum interfecti ſunt. Tunc clarebant BASILIUS Cæſarienſis & GREGORIUS Nazianzenus magiſter Hieronymi. Cumque Valens multas eccleſias denudaſſet, ad iſtum Baſilium epiſcopum præfectum ſuum miſit, qui pro fide relinquenda ex parte Valentis ei multa promiſit; ſed cum nihil impetrare poſſet, ei minatus eſt mortem. Cui Baſilius ait: Utinam haberem quod huic offerrem, qui me maturius de nodo follis hujus abſolveret. Cum-

que daretur ei nox ad deliberandum, ait : Ego craſtino ipſe ero qui nunc, tu te utinam non mutares. Ea ſiquidem nocte uxor Valentis, velut tortoribus tradita, cruciatur & unicus filius extinctus eſt. Tunc Valens & uxor de nocte miſerunt ad Baſilium, ut pro eis intercederet, ne ipſi interirent; & ita cum Valens omnes pene Catholicos expuliſſet, Baſilius liber in eccleſia uſque ad vitæ exitum perduravit.

Sub Theodoſio imperatore clarebant Ambroſius Mediolanenſis, B. Martinus Turonenſis, Meletius Antiochenſis, Pachomius qui regulam monachorum angelo dictante didicerat, & Rufinus Aquileienſis, qui partem bibliothecæ Græcorum Latinis exhibuit, eam transferens in latinum: & Amator Autiſſiodorenſis epiſcopus, qui a parentibus cuidam virgini deſponſatur, ſed eis ob Chriſti amorem votum virginitatis facientibus, angelus Domini eis duas coronas attulit, & eos coronavit. Mox ille in clericatum ſe tranſtulit, & illa monialis effecta eſt. Tunc Paula inter nobiles Romanorum matronas prænobiles cum filia ſua Euſtochio, mundo abrenuncians, Jeroſolymam adiit, Chriſti pauperiem amplexata. Theophilus Alexandriæ epiſcopus claret, qui cyclum paſchæ: quem laterculum appellavit, a primo anno Theodoſii imperii inchoavit, & pſalterium novum compoſuit, quod concordavit Septuaginta interpretum editioni & Hebraïcæ veritati, quod Damaſus papa ad preces Hieronymi fecit in Gallicanis eccleſiis decantari. Aliud vero pſalterium LXX. intrepretum Romanis reliquit, & tertium pſalterium quod vocatur Hebraïcum de hebræo in latinum tranſtulit, quæ Damaſus papa ad preces Hieronymi, necnon & *Gloria Patri* in fine pſalmorum, & pſalmos in eccleſia ſtatuit decantari.

Apollinaris Laodiciæ epiſcopus a Damaſo papa propter hæreſim condemnatur, dicens quod Chriſtus carnem non animam ſuſcepit, vel ſi ſuſcepit non rationalem, ſed vivificalem ſuſcepit; ſed ſuſceptæ carni pro anima fuit, quod caro de Maria ſuſcepta non fuit, ſed caro & Verbum unius ſubſtantiæ fuerunt.

Corpus Pauli Conſtantinopolitani epiſcopi ab hæreticis ſuffocati, a Theodoſio imperatore Conſtantinopolim eſt delatum. S. Romanus Blavienſis obit.

S. Florentius abbas claret, qui cæcæ viſum reddidit, & filium ejus in Vigenna ſubmerſum vitæ reſtituit. Claret & S. Maurilius Andegavenſis epiſcopus, qui S. Renatum poſt VII. annos a morte ejus elapſos ſuſcitavit. Sulpitius, Maximus & Gallus & Poſtumianus, & Clarus, & Brictius B. Martini Turonenſis diſcipuli. Tunc S. Matura cum novem filiis, ſcilicet Lupone, Beato, Benigno, Hiſpano, Marcelliano, Meſſano, Genitore, Principio & Tridorio a B. Martino baptizata, ab Auripino rege Gothorum martyrio coronatur.

Secunda ſynodus jubente Theodoſio Conſtantinopoli celebratur, ubi Macedonius negans Spiritum-Sanctum Deum eſſe & conſubſtantialem Patri & Filio condemnatur, & ob hoc inſtituit Damaſus papa ſymbolum in miſſis decantari.

Tunc orta eſt hæreſis a Priſcilliano quodam epiſcopo Hiſpaniæ, qui perſonas Trinitatis confundebat, eſcas carnium pro immundis habebat, nolentes conjugia a conjugibus ſeparabat, officium carnis diabolo attribuebat, animam naturæ & ſubſtantiæ Dei eſſe dicebat, & mundum a diabolo factum, & homines fatalibus ſtellis colligatos, corpuſque eorum ſecundum XII. ſigna compoſitum, & ob hoc Romam veniens a Damaſo papa & S. Ambroſio repudiatur, & poſt in ſynodo Burdigalenſi a S. Martino Turonenſi & aliis epiſcopis hæreticus judicatur. Quo comperto, imperatorem Maximum appellavit; a quo auditus & epiſcopatu pulſus, ab Evodio præfecto Treviris occiditur, ejuſque complices a Maximo imperatore occidi jubentur: pro quo Itacius & Uſacius epiſcopi, qui eum accuſaverant, communione eccleſiæ privantur, Maximo & aliquibus epiſcopis eos defendentibus; & hac de cauſa B. Martinus a Maximo moleſtatur, eo quod illis communicare nolebat. Poſtmodum in ſynodo Trevirenſi eis communicavit, ea conditione, quod Maximus Priſcillianiſtas non occideret. De quo ab angelo increpatus pœnituit, nec poſtea alicui ſynodo interfuit.

Paula & Euſtochium filia Bethleem commorantur. Damaſo papa mortuo, Siricius ſucceſſit annis XV. qui inſtituit viaticum pœnitentibus non negari, & addidit in canone *Communicantes*; &c. & Manichæos a Roma exiliavit.

S. Ambroſius hymnos & pſalmos antiphonarum ritu cantari inſtituit, & corpora Gervaſii & Prothaſii incorrupta invenit, & S. Auguſtinum adhuc Manichæum convertit & baptizavit.

In Ægypto Johannes anachoreta claret, deinde Theodoſius imperator pro nece Gratiani Maximum, qui Treviris ſedem imperii ſtatuerat, aggredi parat. Quo audito, Maximus Alpium ac fluminum aditus occupat, ſed incaute ſervat: & ita Theodoſius Alpes tranſmeans, Aquileiam venit, Maximum imperatorem ibi incluſum cepit & occidit: quod B. Martinus Turonenſis eidem Maximo diu ante prædixerat; & ita Valentinianus, mortuo Maximo ejuſque filio Victore, quem imperatorem Galliis reliquerat, in imperio a Theodoſio reſtituitur, Italia & Gallia in jus priſtinum reformata.

Theodoſius Magnus tempore Siricii imperat ſolus VI. annis. Hic a Trajano origi-

nem ducens ſpem & fiduciam in Deo ponens religioni ſtuduit, templa idolorum deſtruxit, hæreticos expulit, & Catholicos introduxit; clemens animo, amicis communis, omnibus munificus; ſed in bonos effuſus. Cui erat ſimplicia ingenia diligere, erudita mirari, largiri magno animo magna, & iraſci rebus indignis, ſed cito flecti; & multas gentes non tam gladio, quam oratione, vigiliis & jejuniis ſuperavit; & rempublicam augmentavit, & nuptias conſobrinarum tamquam ſororum vetuit, cujus uxor nomine Placella multis virtutibus enitebat. Nam pauperum talem curam habebat, quod ſine alicujus adjutorio propriis manibus eis neceſſaria miniſtrabat, & multi ne talia faceret prohibebant. Quibus dicebat: Aurum diſtribuere opus imperii eſt, ego autem pro imperio hoc opus offero bona mihi tribuenti. Tandem Theodoſius republica bene diſpoſita apud Mediolanum obiit anno imperii XVII. & ætatis LX. cujus corpus Conſtantinopolim eſt delatum. Poſt quem filii ejus Archadius & Honorius imperium inſimul tenuerunt, diviſis tamen ſedibus. Nam Archadius orientem regebat, & Honorius Africæ, Italiæ & Galliis imperabat.

Anno autem Archadii & Honorii ſecundo B. Martinus Turonenſis epiſcopus plenus virtutibus & ſanctitate anno ætatis LXXXI. epiſcopatus XXVI. apud Candatam diœceſis ſuæ vicum migravit ad Dominum media nocte Dominica, Attico Cæſareoque conſulibus: cujus caro quam cilicium & cinis ſemper obtexerant, ita poſt mortem reſplenduit, quod veram reſurrectionem jam in eo completam populus nunciaret. Multi etiam in ejus tranſitu audierunt voces dicentium in ſublimi: Iſte vitro purior, lacte candidior, carne quoque monſtratus eſt gemma ſacerdotum: & in hora mortis ejus audivit B. Severinus Coloniæ epiſcopus, in cœlo angelos ejus animam deportantes, voce dulciſona decantantes.

Beato itaque Martino ita defuncto, Pictavi populi Candatam veniunt, & a Turonicis multis rationibus corpus ejus requirunt. Sed Turonici ſuper hoc evidentibus rationibus ſe defendunt, & ita altercatione durante, nox ſupervenit. Pictavi igitur ante corpus in eccleſia excubantes vino madefacti obdormiunt: quo comperto, Turonici corpus per feneſtram extrahunt & per Ligerim fluvium cum hymnis & laudibus uſque Turonis perdu-
cœmeterio. xerunt, & eum in publico poliandro ſicut juſſerat ſepelierunt. Super quod B. Brictius qui ei in epiſcopatu ſucceſſit parvulam eccleſiam conſtruxit, cujus fundamenta appa-
Nota. rent adhuc in clauſtro B. Martini: & ſecundum Gregorium Turonenſem a paſſione Domini uſque ad tranſitum S. Martini anni CCCCXII. computantur; ſed ſecundum numerum dierum imperatorum, ab Incarnatione Domini uſque ad ejus tranſitum anni CCCCII. tantummodo ſunt inventi.

Johannes Chryſoſtomus Conſtantinopolitanus epiſcopus, ab Eudoxia uxore Arcadii ab epiſcopatu ejicitur, ſed populo pro hoc tumultuante, revocatur; poſt iterum exiliatur, ſed a terræ motu urbe regia graviter concuſſa, a civibus revocatur. Pachomius abbas anno ætatis CX. in virtutibus conſummatur. In Britannia majori Pelagius hæreticus prædicat hominem ſuis meritis & ſine gratia Dei poſſe ſalvari, & infantes ſine peccato originali naſci, & inſontes eſſe ſicut Adam ante prævaricationem, & ideo non baptizandos, niſi ut per adoptionem in regnum Dei admittantur; & Adam læſum eſſe non culpa ſed natura, & quod moriturus eſſet etiamſi non peccaſſet; & orationes factas ab eccleſia pro fidelibus vel pro infidelibus irritas eſſe. Qui a Hieronymo & Auguſtino ſicut hæreticus impugnatur, & ab Innocentio papa cum ſuis complicibus condemnatur.

Anno Arcadii IX. Paula Bethleem obiit. Auguſtinus Hipponenſis claret, doctrina clarus, fide fervidus, vita puriſſimus, fidelium clipeus, hæreticorum exſtirpator, cujus tractatuum numerus ad MXX. extenditur. Scripſit enim quanta nec inveniri poſſunt, ut merito illud dictum ei conveniat: Mentitur qui totum legiſſe fatetur.

Prædeſtinatorum hæreſis naſcitur, ita dicta, quod dicebant pie viventibus, laborem bonorum operum non prodeſſe, ſi a Deo præſciti fuiſſent ad mortem; nec malum impiis obeſſe, ſi ſint prædeſtinati ad vitam. Et hæc hæreſis ex libris Auguſtini male intellectis ſumſit initium.

Romæ poſt Innocentium Zozimus, qui inſtituit cereum in ſabbato Paſchæ a diaconibus benedici. Tunc occidentales necnon multi alii in Paſcha celebrando errantes, ad veritatem miraculo revocantur; nam in una eccleſia Italiæ, ubi aqua ſolebat in ſabbato Paſchæ hora baptizandi divinitus emanare, eo die quo celebrabant Paſcha non apparuit: ſed eo die quo celebrari debebat.

Anno Honorii XI. Hieronymus in Bethleem obiit anno ætatis octogeſimo octavo in virginitate permanens, ſemper aut legens aut ſcribens, Hebraïcis, Græcis & Latinis litteris eruditus, eccleſiæ murus, paupertatis amantiſſimus, monachorum regula, ſpeculum ſanctitatis. Hic denique libris ſuis per annos LVI. confectis, ita corpore pro laboribus defecerat, ut de lecto ſurgere nequiret, niſi apprehenſo manibus fune, qui ad hoc pendebat e trabe.

Tunc VII. Dormientes cognati B. Martini Turonenſis apud Majus-monaſterium in Domino dormierunt. Hi namque ſeptem ſcilicet Clemens, Primus, Letus, Theodorus, Gaudens, Quiriacus, & Innocentius de duo-

bus fratribus B. Martini nati, omnia prædia vendiderunt & pauperibus erogaverunt, & evangelii non immemores, ſcilicet *qui renuntiaverit omnibus quæ poſſidet*, omnia reliquerunt, & ad B. Martinum Turonenſem pervenerunt; qui eos ad ſacros ordines promovens, in abbatia Majoris-monaſterii ſub monachica regula collocavit; cumque obitum ſuum prænoſcens, Condatenſem vicum adiret, eos oſculans benedixit: & tunc ibi Galbertum primum abbatem conſtituit; quo mortuo anno promotionis ſuæ XXII I. Aichardus ſucceſſit, cujus anno ſecundo & poſt tranſitum B. Martini XXV. annis elapſis, in craſtino feſti B. Martini hiemalis apparuit eis omnibus dicens eis, ut abbati vitæ ſeriem enarrarent, & audita miſſa S. Trinitatis viaticum reciperent: quo facto, genibus flexis ſani & incolumes ante altare in Domino dormierunt, ſtatimque cellula illa ineffabili odore ſuavitatis adimpletur, duravitque per VII. dies, quibus ſuper terram fuerunt, ibique omnes languidi ſanabantur. Septimo autem die abbas Aichardus; vocato S. Brictio epiſcopo, eos ſicut erant veſtiti, in eadem cella ſepelivit ante altare a B. Martino conſecratum, & crucis, & ſepulcri Domini, & ſepulcri B. Mariæ, & veſtimentorum ejus, & apoſtolorum Petri & Pauli, & S. Jacobi fratris Domini reliquiis decoratum.

Paulinus Nolanus epiſcopus claret, & Johannes Caſſianus, qui ſcripſit vitas Patrum. Tunc B. Auguſtinus in urbe Hipponenſi loco ſuo Eracleo epiſcopo ſubſtituto, ipſaque urbe a Barbaris obſeſſa, lugubrem ſenectutem deduxit, & ob hoc febricitans ſeptem pſalmos pœnitentiales in quaternionibus ſcriptos aut legebat ſemper aut intuebatur, aſſidue deflens uberrime, & ne in aliquo impediretur, prohibuit ne aliquis ad eum ingrederetur, niſi medici aut cibum afferentes. Tandem XIII. menſe obſidionis urbis obiit anno ætatis LXXVI. & epiſcopatus XL. qui tanta ſcripſit, quod ab aliquo toto vitæ tempore non poſſent ſcribi, ſed nec etiam legi.

Neſtorius Conſtantinopolitanus epiſcopus hæreticus agnoſcitur, dicens purum hominem, non Deum de Virgine natum. Tunc Brictius Turonenſis epiſcopus a civibus Turonicis epiſcopatu pulſus, Romam petiit, ibique quod in B. Martino diliquerat deflevit, ſed poſt VII. annos cum auctoritate papæ rediit, Juſtiniano & Armentio ſedem epiſcopalem interim regentibus.

Tertia ſynodus fit apud Epheſum, in qua Neſtorius duas perſonas in Chriſto aſſerens condemnatur.

Germanus Autiſidiorenſis, Lupus Trecenſis, Eucherius Lugdunenſis, & Hilarius Arelatenſis in Galliis clarent.

* *al.* XXX. Anno Theodoſii XX. * obiit ſanctus Brictius Turonenſis epiſcopus, anno epiſcopatus XLVII. & in eccleſia beati Martini Turonenſis ſepultus eſt. Cui ſucceſſit beatus Euſtochius.

Germanus Autiſiodorenſis & Lupus Trecenſis a Leone papa miſſi in Angliam prædicant, Pelagianam hæreſim impugnantes, & Pictonum & Saxonum gentes, quæ Britones infeſtabant, Germanus dux belli, cantu *alleluia* in fugam convertit.

Eodem anno, ſcilicet anno Theodoſii XXV. S. Remigius naſcitur, de cujus matris lacte Montanus monachus cœcus oculos liniens illuminatus eſt, & eodem anno GERMANUS Autiſiodorenſis iterum in Britanniam miſſus, exſtirpavit Pelagianam hæreſim renaſcentem, & poſtea per Italiam rediens, apud Ravennam a Valentiniano imperatore & Placidia matre ejus honorifice ſuſceptus, migravit ad Dominum, anno Domini CCCCXLIIII. epiſcopatus XXX. corpus Autiſiodorum eſt delatum. Cui ſucceſſit Alodius.

Anno Marciani ſecundo Attila Rex Hunorum cum D. millibus armatorum Pannonia egreſſus, Gallias ingrediens Aurelianum obſidet; adverſus quem Aetius, Romanorum Patricius, fultus auxilio Gothorum & Francorum, occurrit, & contra Attilam pugnat in campis Catalaunicis, ubi pugnantium CLXXX. millia ceciderunt, inter quos Theodoricus rex Gothorum occiditur. Cui ſucceſſit Thorimodus filius ejus, & Attila victus fugit, & Aetius ad patriam remeavit. Quo comperto, Attila redit, Gallias vaſtat, Veſontionum, Tullum, Lingonis, Treveris & Tungris & Mettis prædatione, cæde & incendio devaſtans deinde Trecas obſidet, quem B. Lupus ſuper murum ſtans, ſic alloquitur: Quis es tu qui ſic nos impetis? Cui Rex, Ego ſum Attila flagellum Dei. At epiſcopus; Ego ſum Lupus. O tu vaſtator gregis Dei, qui dignus es flagello Dei. Mox epiſcopus portas aperit, hoſtes intrant, ſed divinitus excæcati neminem vident aut lædunt, ſed ita recedunt. Et tunc ab iis Nicaſius Remenſis captivatur, & Vaſatenſis civitas ab eis obſeſſa divinitus liberatur. Nam cum epiſcopus ibi miſſam celebraret in altari, quaſi de camera templi tres guttæ cadentes & in unum conjunctæ, quaſi gemmam criſtallinam effecere: quam cum in medio crucis aureæ & gemmatæ poſuiſſet, aliæ gemmæ ceciderunt. Hæc clara mundis & obſcura immundis videbatur, ægros ſanavit, & urbem ab obſidione liberavit. Deinde Attila * Italiam, Forum-Julii, id eſt Aquileiam ita deſtruxerunt, quod jam nequeat apparere quid fuerit. Ad quem Leo papa venit, & ab eo impetravit ut rediret. A ſuis increpatus cur hoc papæ conceſſiſſet, reſpondit.... quod petebat. Poſt Wiſigothos aggreditur, ſed victus fugit. Nec multo poſt Martiano imperatori apparuit dominus in ſomnis, dicens arcum Totilæ fractum eſſe, & nocte illa Attila in nuptiis crapulatus, ſanguine de naribus per apoplexiam

* *adde* & fil.

effluente, ſuffocatus interiit. Cui ſucceſſit Hernac filius ejus.

Tunc clarebant Eucherius Lugdunenſis, Hilarius Arelatenſis, & Philippus presbyter Hieronymi auditor, & Muſæus Maſſilienſis, & Claudianus Viennenſis, & Theodorus Cyrenſis, qui eccleſiaſticam ſcripſit hiſtoriam a fine librorum Euſebii uſque ad tempus Leonis imperatoris; & S. Anianus Aurelianenſis, & S. Symeon Antiochenus, qui per XL. annos incluſus dicebat, ne quis per Dei aut alicujus ſancti nomen juraret, niſi per nomen Symeonis, promittens impunitatem in ſe pejeranti a Deo poſtulatorum. Floruit & Genovefa virgo, quæ à beato Germano Autiſiodorenſi fuerat Pariſius conſecrata.

Romæ poſt Felicem Gelaſius. Hic addidit in miſſa *vere dignum & juſtum eſt*, & hymnos compoſuit & collectas & præfationes, & Manichæos Romæ viventes exiliavit, & codices eorum incendit. Tandem Barnabas Apoſtolus, qui apud Salaminam Cypri a Barieu mago, & a Judæis crematus fuerat, corpus ſuum, quod a Johanne Marco conſobrino ſuo in crypta occultum adhuc latebat, revelavit. Cum quo etiam evangelium Matthæi hebraice ſcriptum invenitur, quod Barnabas ex doctrina apoſtolorum ſecum ferebat, & ſuper ægros ponebat, & ſic eos ſanabat.

Solemnis Carnotenſis epiſcopus claret, & Avitus Viennenſis, qui Sigiſmundum regem in fide erudivit, & multa tam contra Arianos, quam alios ſcripſit, cujus epitaphium eſt.

Hujus in arce ſuit, cui quolibet ordine fandi
Orator nullus ſimilis, nulluſque poeta:
Clamant quos ſcripſit per crebra volumina libri;
Qui vixit, vivit, perque omnia ſecula vivet.

Sanctus Patricius Hyberniæ archiepiſcopus obiit anno ætatis CXXII.

Zenone imperatore mortuo, ſucceſſit ei Anaſtaſius. Tunc ſancto Perpetuo Turonenſi epiſcopo defuncto, & in eccleſia beati Martini, quam ipſe conſtruxerat, tumulato, anno epiſcopatus XXX. Voluſianus propinquus ejus ſucceſſit. Hujus tempore, Clodoveo regnante, hic epiſcopus ſuſpectus eſt à Gothis, quod ſe Francis ſubdere vellet, & ob hoc apud Toloſam exilio relegatur, & ibi poſtea obiit.

Defuncto Genſerico Tranſemundus frater ejus ei ſucceſſit, qui ſimiliter eccleſias Dei clauſit, & CXX. epiſcopos apud Sardiniam exilio relegavit. Inter quos Fulgentius Ruſpenſis epiſcopus fuit, qui multa ſcripſit, in loquendo dulcis, in docendo ſubtilis: qui tunica qua dormiebat ſacrificium offerebat, dicens, corda mutanda, non tunicam mutandam, & cum LXXX. diebus ægrotaſſet, medicis ſuadentibus, ut balneis uteretur, dixit: Numquid aquæ calidæ auferre poterunt carni morituræ ne mori poſſit?

Romæ poſt Gelaſium Anaſtaſius, qui conſtituit quod clericus non prætermitteret officium ira vel rancore, niſi miſſam. Sed multi ei non communicabant, eo quod Acacium Conſtantinopolitanum epiſcopum occulte voluit revocare, ſed non potuit: immo nutu divino anno ſecundo epiſcopatus percuſſus eſt. Cui ſucceſſit Symmachus, contra quem per contentionem ordinatur Laurentius, & ob hoc eccleſia turbata, multa homicidia perpetravit. Tandem Theodorico Italiæ rege favente, Symmachus obtinuit. Hic conſtituit in Dominica, & feſtis martyrum *Gloria in excelſis* cantari, qui ante in nocte Natalis Domini tantummodo cantabatur. Florebant autem Launomarus Carnotenſis, Maximus * Aurelianenſis, cujus diſcipuli fuerunt Carileſus & Avitus abbates. * I. Maximinus.

Anno Anaſtaſii VII. Voluſianus Turonenſis epiſcopus apud Toloſam moritur, cui Virus ſucceſſit; pro ſimili cauſa a Gothis exilio condemnatur.

Alaricus Rex Gothorum fœdus, quo Clodoveo regi tenebatur, violat. Quo facto, Clodoveus contra eum arma parat, & Turonos veniens, equum ſuum B. Martino miſit. Cumque rex eſſet dominum depreçatus, ut ſi propitius ei eſſet, & ei gentem incredulam ſubjugare vellet, hoc ei in ingreſſu B. Martini revelaret: accidit quod nuntiis ejus intrantibus eccleſiam, hic verſus decantaretur *Præcinxiſti me virtute ad bellum, ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me, & inimicorum meorum dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperſiſti.* Quod nuncii audientes, domino retulerunt. Quo audito, lætior effectus, hoſtem inſequitur. Cumque ad Vigennam fluvium veniſſet, & vadum non inveniret, cerva miræ magnitudinis divinitus veniens, vadum eis oſtendit, & prior tranſiit. Veniens autem rex Pictavis, longe ab eccleſia S. Hilarii fixit tentoria, & ea nocte virtute B. Hilarii viſa eſt pharus ignea ab eccleſia eadem exiſſe, & ſuper Clodovei tentoria deſcendiſſe, pro quo rex inhibuit ne aliquid de ipſo pago tollerent. Deinde in pago Vagabunſe ſuper Clinum fluvium X. milliario ab urbe Pictava Alarico occurrit, & Gothis fugientibus, eum interfecit; ſed Amalricus filius Alarici evadens, in Hiſpaniam fugit, & Clodoveus filium ſuum Theodoricum verſus Arverniam per Albigenſem dirigit, qui pertranſiens totam terram a finibus Gothorum uſque in Burgundiam ſubjugavit. Clodoveus vero in illo anno Burdegalis hiemavit, & theſauros Alarici de Toloſa recepit; & cum poſtea ad Ecoliſmam civitatem veniret, muri urbis per miraculum corruerunt. Qua obtenta, Turonis rediit, & B. Martino multa munera dedit, & matricularii eccleſiæ pro equo quem dederat, centum ſolidos miſit, ſed virtute ſancti equus moveri non potuit: tunc rex ait: Date alios centum ſolidos, quibus datis, ſtatim equus ſolutus abiit. Quo viſo, Clodoveus ait: Vere B. Martinus bonus

eu in auxilio, ſed carus in negotio. Deinde ab Anaſtaſio imperatore, codicellis acceptis pro conſulatu, tunica balthea indutus auream coronam habens in capite, aſcenſo equo per eccleſiam B. Martini ita deambulans, aurum & argentum ſpargebat, & ab ea die conſul & auguſtus appellatus eſt, & inde Pariſius veniens, ſedem regni ſui ibi conſtituit, & ibi eccleſiam Petri & Pauli ædificavit, quæ nunc S. Genovefæ dicitur.

[a] (a) S. Arnulfus claret in Gallia, qui poſtea in ſilva Pariſiorum Aquilina martyriſatur. Tandem Clodoveus Pariſius moritur anno regni XXX. & Anaſtaſii imperatoris XXII. & in Eccleſia S. Genovefæ ſepultus eſt. Poſt quem quatuor filii ejus regnum inter ſe diviſerunt. Clotarius habuit Normanniam & Flandriam & ſedem Sueſſionis. Childebertus habuit Turoniam & Aquitaniam & ſedem Pariſius. Clodomiris habuit Burgundiam & ſedem Aurelianis. Theodericus habuit gentes quæ ſunt ultra Rhenum & ſedem Remis: ſed Clotarius omnibus ſupervixit, & regnum ſolus obtinuit. Quorum ſoror Chrotildis Amalrico regi Gothorum nupta eſt. Mater autem eorum Chrothildis ad ſepulcrum B. Martini Turonenſis Domino ſerviebat, raro viſitans Pariſius. Teutechildis autem filia ejus in virginitate permanens, Senonis cœnobium conſtruxit in honore apoſtolorum; ad quod conſecrandum cum epiſcopi convenisſent, & ibi nocte præcedente vigilaſſent, angelicas voces audierunt dulcimode concrepantes, & mane facto invenerunt in quatuor angulis altaris, & in medio ſignacula crucis impoſita. Quo ſtupefacti, non ſunt auſi locum ulterius conſecrare.

Clarebat Avitus Aurelianenſis presbyter & S. Leonardus civis Aurelianenſis S. Remigii diſcipulus, qui in Lemovico territorio in eremo converſatus, nunc uſque captivis & incarceratis viriliter ſuffragatur.

Tunc anno XXVI. Anaſtaſii obiit Licinius Turonenſis archiepiſcopus, qui prius civis Andegavenſis, & poſt abbas S. Venantii in archiepiſcopum eſt electus, & ſedit annis XXII. menſibus II. diebus XXV. cui ſucceſſit Theodorus & Proculus inſimul, jubente Crothilde regina, qui ſenes de epiſcopatibus pulſi, eam de Burgundia ſecuti fuerant.

Anno ſecundo Juſtini imperatoris obierunt Theodoricus & Proculus, qui inſimul duobus annis rexerunt eccleſiam Turonenſem, & ſepulti ſunt in eccleſia B. Martini, quibus ſucceſſit Diniſius de Burgundia natus.

Anno III. Juſtini imperatoris, Diniſio Turonenſi archiepiſcopo mortuo, & in eccleſia B. Martini ſepulto, Ommatius ei ſucceſſit, natione Arvernus, dives valde.

Florebat tunc temporis S. BENEDICTUS A Caſſinenſis monachorum pater præcipuus, & S. Scolaſtica ſoror ejus, cujus animam vidit frater ejus ſub columbæ ſpecie cœlos aſcendere, & animam Germani Capuani ab angelis aſſumtam in ſphæra ignea in cœlum deferri, & S. Maurum diſcipulum ſuum Galliis deſtinavit ad preces Bertrigranni Cenomanenſis epiſcopi.

Anno VIII. Juſtini & Clotarii regis Francorum XII. eccleſia Scrinioli Turonenſis dedicata eſt, & eodem anno obiit Ommatius B Turonenſis archiepiſcopus anno epiſcopatus quinto, & ſepultus eſt in eccleſia beati Martini, cui ſucceſſit Leo abbas baſilicæ beati Martini, prius faber lignarius.

Claret Severinus abbas fundator Agaunenſis cœnobii, qui apud * Caſtrum-Landoni ſepelitur. Et Caſſiodorus Ravennæ ſenator poſt monachus, qui pſalmorum occulta reſeravit; & quidam ſubdiaconus Romæ Arator nomine, qui actus apoſtolorum verſibus hexametris paravit; & Victor Capuanus epiſcopus qui cyclos paſchales ſcripſit; & Priſcianus Grammaticus, & Gregorius Lingonienſis, & Nicetius Treverenſis, & Domitianus Tungrenſis, & tunc corpus S. Antonii relevatum Alexandriæ in eccleſia S. Johannis Baptiſtæ inhumatur. * Chateaulandon.

Anno II. Juſtiniani obiit Francilio Turonenſis archiepiſcopus anno III. & in eccleſia beati Martini Turonenſis ſepelitur, cui ſucceſſit Injurioſus civis Turonenſis, qui tertiam & ſextam in eccleſia dici conſtituit.

Apringius Pacenſis Hiſpaniæ epiſcopus claret, qui apocalypſim ſubtiliter expoſuit.

Theodoricus rex mortuus eſt anno regni XXIII. cui Theodebertus filius ejus ſucceſſit, qui ſanctum Aredium nutrivit, qui a Nicetio Treverenſi epiſcopo clericus factus, plures eccleſias in Lemovico ædificavit.

Childebertus & Theodebertus nepos ejus contra Clotarium hoſtem parant; ſed Clotarius eos timens, in ſylvam fugit in Aureliano, * fecitque combros, ſpem ponens in Domino. Quod audiens Crochildis mater eorum, ſepulcrum beati Martini adiit, nocte & die vigilans, & deprecans ne inter filios bellum civile conſurgeret. Deinde eis eò adunatis & paratis ad occidendum Clotarium, tempeſtas exoritur tentoria diſrumpens, & immixtis fulgoribus cuncta ſubvertens. Tunc illi tam ab imbribus quam a tonitruis attoniti, ad terram corruunt contra grandinem, exceptis clipeis tegimen non habentes. Super Clotarium vero nec pluvia cecidit nec tonitrua ſunt audita; alii autem a lapidibus cæſi, & timentes cœleſti igne cremari, & mittentes ad Clotarium pacem petunt; qua data ad propria ſunt reverſi, & ita pace inter eos divinitus reformata, Chil- * l. Arelia-no.

(a) In margine codicis quem vidit dominus *Carreau* legebatur, *Iſte Arnulfus Turonenſis archiepiſcopus fuit per annum unum, menſes decem & dies ſeptem*, ut in ejus legenda legitur, ſed hæc legenda fabulis ſcatet, ſed nec ullam de eo, alii antiqui auctores mentionem faciunt.

debertus & Clotarius Hiſpaniam petunt, Cæſaraugustum obſident; ſed cives cinere aſperſi & induti ciliciis & tunicam beati Vincentii ferentes, & muros ſic pſallendo circuientes, miſericordiam Domini flagitabant. Quo reges permoti, pace compoſita, & ſtola beati Vincentii pro munere eis data, & maxima parte Hiſpaniæ acquiſita, in Franciam ſunt reverſi, in qua Childebertus rex eccleſiam S. Vincentii apud Pariſius conſtruxit, ubi ſtolam ejus poſuit, quæ & modo dicitur S. Germani de Pratis.

Clochildis regina uxor Clodovei, bonis operibus prædita apud Turonos migrat ad Dominum; ſed Pariſius deportata juxta Clodoveum ſepulta eſt, a filiis ſuis Childeberto & Clotario regibus inhumata in tempore Injurioſi Turonenſis archiepiſcopi, qui ſolus reſtitit Clotario regi, qui volebat habere tertiam partem fructuum eccleſiarum.

Anno Juſtiniani XVIII. obiit Injurioſus Turonenſis archiepiſcopus, & in eccleſia B. Martini ſepultus eſt. Cui ſucceſſit Baudinus prius referendarius Clotarii regis, habens & filium, multis eleemoſynis præditus. Hic inſtituit menſam canonicorum.

Tunc Chanao minoris Britanniæ comes tres fratres ſuos interfecit, & Maclovium quartum fratrem incarceravit; ſed per Felicem Nannetenſem epiſcopum liberatus eſt, jurando quod fidelis eſſet fratri; nec multo poſt juramentum violat. Quo comperto, Chanao eum inſequitur. Sed Maclovius evadere non valens, a Cononiore quodam comite regionis ilius ſub terra abſconditur, dicente illum qui quærebatur, quod ibi mortuus ſepultus eſt. Quod audiens Chanao terram ejus accepit: nam poſt mortem Clodovei non fuerant in minori Britannia reges, ſed comites appellati. Deinde Maclovius de terra conſurgens, apud Veneticam urbem tonſoratus & epiſcopus factus eſt. Poſtea Chanaone mortuo, Maclovius dimiſſis capillis, uxorem quam reliquerat recepit & terram fratris; & ob hoc ab epiſcopis excommunicatus eſt.

Anno Juſtiniani XXIV. facta eſt ſynodus Conſtantinopoli, in qua epiſtola Ibæ reprobatur, & Theodorus perſonam Dei in duabus ſubſtantiis dividens condemnatur.

Et eodem anno obiit Baudinus Turonenſis archiepiſcopus anno ſexto epiſcopatus, & in eccleſia B. Martini ſepultus eſt. Cui ſucceſſit Guntarius prius abbas S. Venantii Turonenſis, vir prudens dum abbatis officio fungeretur; ſed epiſcopus factus, ita vino fuit deditus, quod convivas non cognoſcebat, immo convitiis eos improperabat.

Anno Juſtiniani XXVII. terræ motus factus eſt Conſtantinopoli & in vicinis urbibus, & duravit per XL. dies, & tanta fuit hyems, quod feræ & volucres manu capiebantur. Et eodem anno obiit Guntarius Turonenſis archiepiſcopus, anno tertio epiſcopatus, & ſepultus eſt in eccleſia B. Martini, & ceſſavit epiſcopatus anno uno.

Radegundis regina, uxor quondam Clotarii, filia Bercharii regis Turingorum, id eſt Bajoariorum, ſanctimonialis effecta, Pictavis claret ſignis & virtutibus admiranda. Et eodem anno B. Remigius Remenſis migravit ad Dominum anno epiſcopatus LXX.

Anno XXIX. Juſtiniani obiit S. Medardus Noviomenſis, quem Clotarius rex Sueſſionis honorifice ſepelivit. Eodem anno B. Eufronius factus eſt Turonenſis archiepiſcopus, vir ſanctitate & prophetia plenus, ex genere ſenatorio creatus, natione Arvernus: cujus tempore civitas Turonis cum omnibus eccleſiis cremata eſt. De quibus duas reparavit, & eccleſiam B. Martini pro guerra Conani combuſtam ſtagno texit, opitulante rege Clotario.

Clotarius de nece filii pœnitens, ſepulcrum B. Martini Turonenſis adiit, cum grandi gemitu delicta confitens, & ſanctiſſimum confeſſorem expeteus, ut apud Dominum ei celeriter ſubveniret.

Caribertus autem rex Injorbergam duxit uxorem, quæ duas ſorores puellas pulcherrimas habebat, Marcovefam ſcilicet & Merofledin, quas odio habebat, eo quod rex in earum amore exarſerat. Injorbergam reliquit, & Merofledin in uxorem duxit: poſtea & Marcovefam ſororem ejus ſibi conjugio copulavit, pro quo a S. Germano Pariſienſi epiſcopo excommunicatus eſt. Sed cum nollet eam relinquere, judicio Dei percuſſa obiit. Tunc Caribertus rex eccleſiæ beati Martini Turonenſis Navicel. abſtulit, & equis ejus, quos ibi alere faciebat, per miraculum occiſis, a famulis ſuis deprecatus, ut eccleſiæ villam illam redderet, dixit quod quamdiu regnaret, eam eccleſia non haberet. Nec multo poſt Blavia caſtello occulto Dei judicio mortuus eſt, & in eccleſia ſancti * Germani ſepultus. *f. Romani.

Anno Juſtini IV. Armeni fidem ſuſcipiunt. S. Vedaſtus obit. Germanus Pariſienſis epiſcopus claret, cujus conſuetudo erat dum equitaret, horas canonicas detecto capite decantare, & quando ægrotabat ſcribi in pariete faciebat v. *cal. Junii*, eo quod eodem die mori debebat, ſicut ei fuerat revelatum. Hic quoque corpus beati Urſini apoſtolorum diſcipuli in vineis inventum, apud Bituricas ſepelivit.

Anno Juſtini VII. beatus Eufronius Turonenſis archiepiſcopus migravit a ſæculo anno epiſcopatus XVII. & ætatis LXX. & in in eccleſia beati Martini ſepultus eſt. Cui ſucceſſit beatus Gregorius ex genere ſenatorio, natione Arvernus, ſtatura brevis, ſed ſcientia magnus; ſanctitate plenus, & ſermone facundus; nam X. libros hiſtoriarum, & VII. miraculorum ſcripſit, & unum de vitis patrum, & alium ſuper tractatu pſalterii, &

alium de curſibus eccleſiaſticis, & multa alia compoſuit, quæ longum eſt enarrare.

Fortunatus poëta ab Italia veniens Turonos, actus beati Martini IV. libris heroico metro contexuit : deinde poſt aſſumtus Pictavorum epiſcopus ordinatur. Tunc S. Maurus abbas in pago Andegavenſi, in cœnobio quod conſtruxerat, quod Glannafolium dicebatur, obiit.

Romæ poſt Johannem Benedictus, a quo beatus Gregorius ad prædicandum in Anglia ire permiſſus, ſed populo tumultuante retractus, levita ſeptimus ordinatur, ſed alibi legitur quod a Pelagio ſucceſſore Benedicti ordinatus fuit.

Tunc Chilpericus rex Francorum fratrem Sigibertum per ſe & per filium ſuum nimis urget. Nam Theodebertus a patre miſſus, Turones, Pictavim & reliquas urbes Sigiberti invadit; deinde Lemovicium & Cadurcinum vaſtavit, eccleſias incendit, clericos interfecit. Sigibertus autem rex gentes quæ ſunt ultra Rhenum adverſus Chilpericum commovet; cumque ab utraque parte pararentur ad bellum: timens eum Chilpericus, pacem cum eo fecit, & urbes ſuas, quas Theodebertus occupaverat, ei reddidit : ſed poſt annum iterum Chilpericus uſque Remis venit, terram vaſtans. Sigibertus vero contra eum ire diſponens, mandavit Dunenſibus & Turonicis, ut contra Theodebertum irent. Quo facto, Theodebertus a ſuis relictus cum paucis remanet : ſed tamen ad bellum ire non dubitat. Imminente autem prælio, Theodebertus victus in campo proſternitur, & quod dici dolor eſt, ab hoſtibus corpus exanime ſpoliatur; ſed tamen ab Arnulpho duce deportatus ad Toloſinam urbem honorifice ſepelitur. Chilpericus vero per Rothomagenſem fugiens cum uxore & filiis, apud Tornacum urbem ſe incluſit. Tunc Sigibertus omnes urbes quæ citra Pariſius ſunt obtinuit, & per Rotomagum Pariſius rediit; cui Franci mandaverunt, quod ſi ad eos veniret, quod Chilpericum relinquerent, & eum regem ſuper ſe ſtabilirent. Quo audito, miſit exercitum qui Chilpericum infra Tornacum obſideret : cui S. Germanus Pariſienſis epiſcopus ait : *Si abieris, & fratrem tuum interficere nolueris, victor redibis : ſin autem aliud cogitaveris, morieris.* Quod ille non audiens, ad Victoriacum venit, ubi congregati Franci, eum impoſitum ſuper clypeum regem ſupra ſe ſtatuunt. Cumque hæc agerentur, duo pueri vino inebriati miſſi a Fredegunde uxore Chilperici, Sigibertum cultris interficiunt, qui aliam cauſam regi ſuggerentes ſimulabant. Hoc facto, Chilpericus, audita morte fratris, a Tornaco cum uxore & filiis egreſſus, Sigibertum fratrem apud Lambros vicum ſepelivit anno ætatis XL. regni XIV. Sed poſt eum Succſſionis in eccleſia S. Medardi ſepelierunt, & tunc Brunechildis uxor ejus plena luctu Pariſius reſidebat, neſciens præ dolore quid agere deberet.

Benedicto papa mortuo, Pelagius ſucceſſit, qui obſidentibus Romam Longobardis, abſque juſſione principis ordinatur. Hic præfationes quotidianas miſſarum inſtituit : quia tunc non niſi novem dicebantur, ſcilicet in Natali, in apparitione, in Paſcha, in Aſcenſione, in Pentecoſten, de Trinitate, de apoſtolis, de Cruce, de jejunio quadrageſimæ. Ab iſto enim Gregorius Conſtantinopolim apocriſarius directus, hortatu Leandri Hiſpalenſis epiſcopi, libros moralium in Job compoſuit, & ibidem Eutycium Conſtantinopolis epiſcopum, dicentem corpus noſtrum in reſurrectionis gloria impalpabile ventis & aëre ſubtilius eſſe futurum, coram Tiberio imperatore confutavit. Hoſpicius famulus Dei in Gallia claret.

Anno Mauritii ſecundo Raignemondus & Caluppa recluſus Arverni territorii, & Patroclus recluſus Biturigi territorii obierunt.

Chilpericus rex Clodoveum Turonis miſit, qui congregato exercitu Andegavis & Xantonas tranſiit, terramque vaſtavit. Sed Mummolus patricius Guntranni regis Deſiderium ducem Chilperici regis apud Lemovicas vicit, & de exercitu ejus XXIV. millia occidit; ſed de ſuis quinque millia occiſa ſunt, & ita per Arvernum victor rediens, in Burgundiam remeavit. Deinde Meroveus preſbyter ordinatus, & in religione, ſicut diximus, detentus, a Guntranno Boſone, qui in eccleſia B. Martini Turonenſis morabatur monitus eſt, ut ad eccleſiam B. Martini occulte veniret. Quo facto, Chilpericus rex pater ejus miſit ad B. Gregorium Turonenſem epiſcopum, ut eum ab eccleſia ejiceret; ſin autem totam regionem incendio devaſtaret. Quo audito, Meroveus timens quod eccleſia B. Martini propter hoc cremaret, ſanctum orabat, ut ei ſuccurreret, & regnum concederet. Cumque ibi quaſi incluſus eſſet, librum regum & evangelium & pſalterium ſuper ſepulcrum poſuit, ut ſibi ſanctus oſtenderet quid evenire deberet, & triduo jejuniis & vigiliis orans librum revolvit, & in libro regum invenit : *Pro eo quod dereliquiſti Dominum Deum noſtrum, & ambulaſti poſt Deos alienos, nec feciſti rectum ante conſpectum ejus, ideo tradidit nos Dominus Deus noſter in manibus inimicorum noſtrorum.* Et in pſalterio invenit : *Verumtamen propter dolos poſuiſti eis, dejeciſti eos dum allevarentur.* Et in evangelio reperit : *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Tunc ille lacrymans & confuſus, aſſumto Guntramno duce cum quingentis viris, Autiſſiodorenſem pagum adiit, ubi ab Herpone duce Guntranni regis comprehenditur. Sed neſcio quo caſu dilapſus, baſilicam S. Germani ingreſſus eſt, & poſt duos menſes inde fugiens uſque ad Brunichildem, quæ erat in Auſtria in regno filii,

Meroveus

Meroveus pervenit. Quo audito, Chilpericus Turonos veniens, terram deſtruxit, nec rebus eccleſiæ pepercit. Tunc Maclovius qui prius fuerat Veneticæ urbis epiſcopus, aſſumta parte comitatus Britanniæ cum Bodico qui aliam partem habebat, juramento compoſuit, ut quis eorum ſuperviveret filios alterius tamquam proprios defenſaret; ſed Bodico mortuo, Maclovius juramenti oblitus, Theodericum filium Bodici de terra exſiliat, & terram ejus invadit. Sed poſtea collectis viris, Domino ſibi favente, Maclovium & filium ejus Jacob occidit, & terram quam perdiderat recepit; ſed terram Maclovii filius Warochus habuit.

Poſt hæc Guntrannus & Childebertus nepos ejus, qui regnabat in Auſtria, pacem fecerunt: ita quod Guntrannus eum adoptavit in filium, eo quod heredes non habebat, & regnum ſuum ei tradidit, dicens: *Una nos palma protegat, unaque haſta defendat;* & Chilperico fratri mandavit, ut Childeberto terram ſuam redderet, vel ſe ad bellum pararet. Cumque Meroveus in Remenſi Campania latitaret, nec Auſtraſiis ſe crederet, Acarabanenſes ei mandaverunt, quod ſi ad eos veniret, patre ſuo relicto, ei ſe ſubderent. Quo facto, eum capiunt, & patri nunciant. Sed interim Meroveus timens inimicorum ſupplicia, Galieno cuidam familiari ſuo ſupplicavit, ut eum interficeret, quod & factum eſt. Cumque Chilpericus ibi veniſſet, & eum mortuum invenisſet, Galienum abſciſſis manibus, pedibus, auribus & naribus occidit, & Cincilonem quondam comitem palatii Sigiberti capite truncavit, & alios qui cum memorato venerant, diverſis ſuppliciis premit. Et tunc Sanſon filius Chilperici junior mortuus eſt anno ætatis v. Deinde Guntranno Boſone filias ſuas, quas Turonis in eccleſia B. Martini reliquerat, Pictavis ducente, Chilpericus Pictavim invadit, a quo Guntrannus Boſo fugiens, filiabus ſuis in eccleſia B. Hilarii relictis, ad Childebertum regem tranſiit. Poſtea vero Turonici, Pictavici, Bajocaſſini, Cenomannici, Andegavi, cum multis aliis juſſu Chilperici in Britannia abierunt adverſus Warochum filium Maclovii comitem Britanniæ, de quibus Warochus maximam partem occidit; ſed reſiſtere non valens, cum eis pacem fecit, obſidibus datis, quod fidelis eſſet de cetero Chilperico. Qua rupta, Warochus Euvium Venetenſem epiſcopum ad Chilpericum miſit: quem rex ira commotus exilio condemnavit vel relegavit. Tunc Britanni Redonenſem pagum uſque ad Cornutium vicum devaſtant. Poſt Eunius epiſcopus de exilio revocatur Andegavis ad paſcendum: ita quod in urbe Venetica non redire. Deinde Britanni devaſtant Nanneticam regionem.

Tunc Eunius Venetenſis epiſcopus pro venia exilii impetranda Pariſius ad Chilpericum venit. Cumque die Dominica ibi ſacra ſolemnia celebraſſet, emiſſa cum hinnitu voce, terræ corruit, erumpente vero ab ore ejus & naribus ſanguine, inter manus deportatus eſt, ſed convaluit. Nam vino deditus, ita deformiter inebriabatur, ut loqui vel greſſum facere non valeret. Tunc Chilpericus rex ſcripſit libros, Sedulium ſequens, & miſit epiſtolas in urbibus, ut pueri docerentur, & ut libri antiquitus ſcripti publice planati reſcriberentur præcepit; & Leudaſten Turonicum comitem a comitatu removit, & Eunomium inſtituit, eo quod Leudaſtes res eccleſiæ devaſtabat, & eum verberavit, eo quod B. Gregorium Turonenſem epiſcopum infamaverat, & poſt eum in carcere retrudit. Hic poſtea B. Gregorium Turonenſem infamatione Fredegundis reginæ coram Chilperico rege accuſavit, de quo B. Gregorius ſe purgavit. Tunc Leudaſtis Bituricum pagum deprædans, Pictavis venit, & in eccleſia beati Hilarii ſe incluſit, irruens aliquando in domibus ſingulorum, & res eorum diripiens, ſæpe in porticu eccleſiæ in adulterio deprehenſus: quem S. Radegundis quæ ibi morabatur, juſſit citius removeri, ne per eum eccleſia pollueretur.

Tunc Gondoaldus qui ſe Clotarii filium dicebat, a Conſtantinopoli veniens, Maſſiliæ eſt appulſus, & Mummolo conjunctus. Deinde Chilpericus, cum Childeberto nepote facta pace, Bituricum pagum, qui fratris erat, incendit & devaſtat. Cui Guntramnus frater ejus occurrit, & cum eo pacem fecit. Quo gentes Childeberti comperto, Ægidium Remenſem epiſcopum, qui ex parte eorum legatus fuerat, occidere voluerunt, dicentes quod regem eorum ſeduxerat; & Landaſtis comes Turoniæ a Fredegunde regina occidi jubetur, quod & factum eſt. Et tunc Theodericus filius Chilperici mortuus eſt, & in eccleſia S. Dionyſii ſepultus, & hoc arte Mummoli, qui eum per mulieres incantatrices, ſicut dicebat, occidi fecerat, de quo tam ipſe quam mulieres diverſis ſuppliciis perierunt. Regina vero Fredegundis quidquid de veſtibus filii & in aliis invenire potuit, combuſſit, ne aliquid horum planctum pro memoria filii revocaret. Remigio Bituricenſi epiſcopo mortuo, Guntramnus ibi inſtituit Sulpitium litteris eruditum. Deinde Chilpericus, comperto quod Guntramnus frater ejus cum Childeberto nepote pacem feciſſet, & ei urbes quas tenebat auferre vellet, cum omnibus apud Cameracum feceſſit, nec multo poſt filiam ſuam Ricundim miſit filio regis Gothorum in uxorem, cum multis muneribus & gentibus multis; ſed in itinere multa damna perpeſſa eſt: nam a Gundovaldo cum theſauris fuit retenta.

Anno Mauricii imperatoris IV. Fredegundis regina forma egregia, ſed dolis aſperrima, cum Landerico comite palatii adul-

terium faciebat, comperiensque hoc Chilpe-
rico non esse incognitum, valde timuit: nam
cum regina caput suum in camera abluere-
rex qui multum eam diligebat, ibi adve-
niens retro eam in natibus percussit; at illa
credens quod Landericus esset, ait: Quare
hoc facis Landerice? putabat enim quod rex
ad venatum perrexisset: sed respiciens sur-
sum, vidensque quod rex esset, expavit. Rex
autem tristis in venationem perrexit. Tunc
regina timens, consilio inito cum Landerico,
regem redeuntem a venatione in villa Ca-
lensi prope Parisius, in domo positis occulte
gladiatoribus, fecit interfici: quo interfecto,
ipsi gladiatores exclamaverunt: *insidiæ insi-
diæ sunt hæc Childeberti regis super dominum
nostrum.* Tunc alii huc illucque discurren-
tes neminem invenerunt. Mallusus vero Sil-
vanectensis episcopus qui præsens erat, cor-
pus regalibus vestibus indutum Parisius de-
portavit, & in ecclesia S. Vincentii sepelivit
anno regni ejus XXIII. Fuerat gulæ deditus,
cui deus venter erat, neminemque pruden-
tiorem se esse asserebat. Causas pauperum
exosas habebat, & sacerdotes Domini blas-
» phemans aiebat: «Ecce pauper remansit fiscus
» noster, divitiæ nostræ ad ecclesias sunt trans-
» latæ, nulli nisi episcopi regnant. » Privilegia
ecclesiarum & subscriptiones & præcepta pa-
tris sæpe pedibus calcavit. De luxuria autem
nihil cogitari potest quod opere non com-
plesset. In detrimentum vero ignominiæ ejus,
tres filii ejus quos de Audovera genuerat,
scilicet Theodebertus, Meroveus, & Clodo-
veus antequam moreretur mortui sunt, &
similiter tres filii quos de Fredegunde ge-
nuerat, scilicet Clodobertus, Theodericus &
Samson; Clotarius vero parvulus post mor-
tem ejus matri remansit.

Hoc anno cometes stella apparuit, toni-
trua & coruscationes inaudiæ fuerunt. San-
guis in Parisiaco territorio pluit, & magna
lues in populo fuit, & pridie cal. Februarii
nocte obscura & pluviosa globus ignis de
cœlo descendit, ita lucens, ut tamquam
media die omnia cernerentur. Tunc Frede-
gundis regina cum Clotario filio parvulo &
Landerico, quem majorem domus elege-
rant, in regno resedit. Franci quoque Clota-
rium puerum super se regem statuerunt. Cum
regina Parisius venit, & cum thesauris quos
ibi invenit, ad ecclesiam confugit, & ad
Guntramnum regem milit auxilium postu-
lando, se & filium & regnum suo dominatui
supponendo. Ad quam Guntramnus Parisius
venit. Deinde Childebertus rex mandavit
Guntranno quod Fredegundim reginam ei
redderet, quæ Galsiutam amitam suam sug-
gillaverat, & patrem & patruum & conso-
brinos interfecerat; quod & rex facere no-
luit, favens omnimode Fredegundi. Omnia
vero quæ Chilpericus ecclesiis & aliis abstu-
lerat restituit. Interim mandavit ei Childe-
bertus, ut urbes quas pater tenuerat ei red-
deret, quod & facere noluit. Cui nuntii di-
xerunt: Scimus salvam esse securim, quæ
fratrum tuorum capitibus est defixa, & celc-
rius tuum librabit defixa cerebrum, & sic
cum scandalo discesserunt. Tunc regina Fre-
degundis jussu Guntramni regis ad villam
Rothoialensem propre Rothomagum abiit,
quæ Brunechildim reginam per clericum occi-
dere voluit, sed non potuit. Deinde Gun-
dovaldus qui se filium Clotarii regis esse di-
cebat, Tolosam ingreditur, quem Pictavi
& Turonici lucri causa secuti sunt: sed Pi-
ctavi Turonicos occiderunt & fugaverunt,
& ad Dorniam fluvium venerunt Gundoval-
dum quærentes: sed Gundovaldus Burde-
galæ residens, mandavit regi Guntranno,
ut terram suam ei redderet; sed rex nuntios
cæsos incarceravit, & super Gundovaldum
nepotem suum Childebertum cum exercitu
misit. Quo audito, Gundovaldus Convenas
castrum petiit cum Sagittario episcopo, &
Mummolo, & Bladaste ducibus. Deinde exer-
citus Childeberti veniens Garumnam natat,
& camelos oneratos de thesauro Richundis
filiæ Chilperici, quam Gundovaldus rapue-
rat, ibi invenit, & Convenas petit cuncta
devastans. Quid plura? cives regionis vasta-
tione desolati; Gundovaldum improperiis &
convitiis arguebant, quibus ipse dicebat:
Nostis omnes quod sim filius Chilperici; quod
« me exosum habuit, quod sui a fratribus con-
« soratus, & ob hoc Narseti præfecto Italiæ
« me junxi, ibique uxorem habens duos filios
« generavi. Qua mortua, assumtis filiis Con-
« stantinopolim abii, & ab imperatore susce-
« tus, ibi nunc usque vixi, ibique a Guntranno
« Bosone, qui illuc advenerat, generationem
« nostram periisse cognovi, ita quod de ea
« non remanserant nisi Guntrannus frater, &
« Childebertus nepos, & parvulus filius Chil-
« perici. Quo audito, a Guntranno Bosone in-
« vitatus Massiliam veni, ab eo prius recepto
« juramento, ut securus in regnum accede-
« rem, & inde jussu Mummoli Avenionem
« accessi; & tunc Guntrannus juramenti im-
« memor, thesauros meos mihi abstulit. Et ut
« sciatis vera esse quæ dico, Radegundim Pi-
« ctavam interrogate: Verumtamen si odio me
» habetis, ad regem Guntrannum me ducite,
« & si fratrem me cognoscit, quod voluerit
« faciat; sin autem, liceat mihi regredi unde
« prius egressus sum: abibo enim, & nulli
« quicquam injuriæ infetam. » Cumque ad
expugnandam urbem per dies XV. resc-
dissent, & machinæ eorum minime profe-
cissent, nuntios mittunt ad Mummolum,
pacem & munera promittentes, qui habito
consilio cum Sagittario episcopo & Carulfo
& Wadone, hostibus mandavit quod si se-
curitatem vitæ eis concederent, quod eis
Gundovaldum traderent, & se Childeberti
dominio subjugarent. Quo concesso, ad Gun-

» dovaldum dixerunt: Vade ad fratrem tuum A
» ficut dixisti: novimus enim quod rex non
» vult perdere tuum solatium, eo quod parum
» de generatione tua remansit. Qui comperto
» dolo eorum, respondit: Huc per vos adve-
» ni, vobis meum consilium credidi, per vos
» regnare semper optavi, si quid mihi men-
» dacii dixeritis, Deus justus judex judicet cau-
» sam meam. Cui Mummolus jurans ait: Nihil
» tibi fallaciæ loquimur: sed ecce jam viri for-
» tes ad portam expectant adventum tuum.
Quo ita seducto, & ad portam hostibus tra-
dito, Mummolus portam firmissime resera-
vit; cumque se Gundovaldus traditum ho- B
stibus conspexisset, elevatis ad cœlum ocu-
» lis & manibus ait: « Judex æterne & ultio
» vera innocentium, Deus a quo omnis justitia
» procedit, cui mendacium non placet, in quo
» nullus dolus, neque versutia malitiæ retine-
» tur, tibi commendo causam meam, depre-
» cans ut sis velociter ultor super eos qui me
» insontem inimicorum manibus tradiderunt.
Quo dicto, signo Crucis se munivit. Cum-
que per præcipitium urbis descenderet, ab
Ollone comite Bituricensi impulsus cecidit,
& post a Bosone cum lapide obrutus, mor-
tuus est. Populi vero in eo lanceas defigentes C
& pedes ejus fune ligantes, eum per plateas
detraxerunt, evulsaque cæsarie & barba ejus,
cum insepultum loco quo occisus fuerat re-
liquerunt, & portis urbis in crastino apertis,
omnes qui ibi aderant gladio trucidarunt,
sacerdotes Domini in ecclesiis occidentes,
ecclesias & omnia alia comburentes, nihil
ibi præter humum vacuam relinquentes,
Mummolum & Sagittarium episcopum &
Cariulfum & Wadonem de mandato regis
perimentes, & eodem anno tanta fames fuit
quod multi mortui sunt.

Anno Mauricii imperatoris sexto, sancta D
Radegundis regina moritur, & in monasterio
virginum quod ipsa Pictavis ædificaverat, per
manum beati Gregorii Turonensis episcopi
honorifice sepelitur: in quo loco longum
martyrium jejuniis & diversis carnis afflictio-
nibus, ultra quam credi potest, Deo semet-
ipsam mactavit; cujus vitam Fortunatus rhe-
tor pulchro sermone depinxit.

Anno Mauricii VIII. beatus Gregorius Tu-
ronensis episcopus Romam venit, & a beato
papa Gregorio honorifice est susceptus. Cum-
que ambo in ecclesiam introissent, & Gre- E
gorius Turonensis ante altare in orationem
se dedisset, Gregorius papa tantam sapien-
tiam in tam parvissimo homine mirabatur
esse deprehensam. Qui hoc divinitus cogno-
scens, & ab oratione surgens, cogitatui papæ
respondit: *Dominus fecit nos, & non ipsi nos,*
idem in parvis qui & in magnis. Quod Gre-
gorius papa audiens, intellexit eum hoc per
Spiritum sanctum cognovisse, & ob hoc ad
honorem ejus cathedram auream dedit ec-
clesiæ Turonensi.

Anno XIV. regni Childeberti obiit Ingo-
berga regina, Cariberti regis uxor, anno ætа-
tis LXX. multa ecclesiæ Turonensi, & Ceno-
manensi, necnon & ecclesiæ beati Martini
Turonensis relinquens, duas habens filias,
* Bertelfledim quæ Turonibus facta est san- * al. Berem-
ctimonialis, & aliam quæ in Canthia domini fledim.
regis filio data est in uxorem.

Anno Mauricii imp. XIII. Gregorius Turo-
nensis obiit, anno episcopatus XXI. & in eccle-
sia B. Martini sepelitur, cui successit Peladius.

Anno Mauricii XIX. S. Columbanus ex Hi-
bernia veniens, jussu Theodorici regis Bur-
gundiæ Luxovium cœnobium construxit, &
ibi multitudinem monachorum congregavit.
Tunc Mauricius imperator a B. Gregorio plu-
rimum discordans, ei mortem minari, san-
ctitatique ejus detrahere non cessabat. Inte-
rim vir quidam ignotus accenso animo Ro-
mæ incedens, per forum in monachico ha-
bitu evaginatum gladium gestans manu, di-
vinitus inspiratus, pronuntiabat publice eo-
dem anno Mauricium gladio moriturum.
Quod imperator audiens, timuit, & malo-
rum pœnitens, ea sibi relaxari per se & per
servos Dei instanter poposcit: pro quo beatus
Gregorius Domino supplicabat, ut ei in fu- C
turo judicio parceret. His gestis, audivit im-
perator per somnium vocem dicentem: *Vis*
ut hic & ibi, an in futuro percutiam. Cui re-
spondit: *Amator hominum Deus, hic mihi red-*
de malum, & in futuro judicio mihi parcas.
Post hæc Mauricius in hostili terra positus,
cum milites suos a rapinis & furtis compesce-
ret, nec tamen eis consueta stipendia largi-
retur; milites sui Focam centurionem super
se sublimarunt in cæsarem. Quo audito, Mau-
ricius in silvam quamdam mari contiguam
fugit, in qua cum uxore & duobus filiis
Theodosio & Tiberio jussu Focæ cæsaris ca- D
pite truncatus occubuit. De cujus corpore lac
cum sanguine dicitur effluxisse. Ex eo tem-
pore non defuerunt Romano imperio variæ
& ingentes ærumnæ. Et eodem anno obiit
Peladius Turonensis episcopus, anno episco-
patus VIII. cui successit Lupicarius.

Anno Focæ IV. corpus S. Victoris Thebæi
invenitur. Desiderius Viennensis episcopus
claret; qui cum Brunichildem reginam de
impietatibus suis argueret, instinctu ejus a
Theoderico rege in exilium est detrusus, & E
post, Brunechilde jubente, in territorio Lug-
dunensi super fluvium Calaronam lapidibus
obrutus martyrizatur: cujus sepulcrum mul-
tis miraculis illustratur.

Anno Eraclii V. obiit Lupicarius Turo-
nensis episcopus anno XIII. episcopatus, cui
successit Aigiricus.

Anno Heraclii IX. obiit Aigiricus Turo-
nensis archiepiscopus, anno IV. episcopatus,
cui succesit Guialdus.

Anno Heraclii X. S. Columbanus abbas
Luxovienſis obiit.

Anno Heraclii xi. Huni Conſtantinopolim venientes, & muros diſſipantes, cum Heraclio imperatore ſtante ſuper murum mutuo ſunt locuti. A quo accepto pretio pacis, ad tempus recedunt, & eodem anno obiit * Guialdus Turonenſis epiſcopus, anno epiſcopatus II. cui ſucceſſit Sigilaïcus.

* al. Gilvadus.

Heraclii anno XIII. obiit Sigilaïcus Turonenſis archiepiſcopus anno epiſcopatus III. cui ſucceſſit Leobardus.

Anno Heraclii XIX. obiit Leobardus Turonenſis archiepiſcopus anno epiſcopatus VI. cui ſucceſſit Medeſgiſilius.

Anno Heraclii XXIV. Sarraceni capta Damaſco, Phœnicem & Ægyptum occupant, & poſt Jeruſalem per biennium obſeſſam capiunt. Tunc tres fratres Ado, Rado & Dado, qui & Audoenus, regis Dagoberti referendarius, in Gallia clarent, ſinguli ſingula cœnobia fundantes. Hos ad hoc animaverat Eligius artifex, jamdudum in aula regis Clotarii clarus, qui capſam auream B. Martini Turonenſis fabricavit, & Solemniacum monaſterium conſtruxit, & aliud Pariſius, in quo S. Auream abbatiſſam monialium conſtituit, Romaricus abbas & Georicus Metenſis epiſcopus, & Amandus Tungrenſis epiſcopus, id eſt Trajectenſis, clarent.

Obiit Madegiſus Turonenſis archiepiſcopus, anno epiſcopatus XI. cui ſucceſſit Latinus.

Anno Conſtantini VI. Sarraceni Affricam occupant. Tunc Furſeus de Hibernia veniens, qui in Gallia Latiniacum cœnobium fundavit, & Foillanus frater ejus, qui Foſſenſe cœnobium fundavit, & Remaclus Trajectenſis epiſcopus, & Aubertus Cameracenſis, & Eligius Noviomenſis, & Audoenus Rothomagenſis in Gallia clarent. Quorum Eligius corpus beati Quintini martyris, Domino revelante, reperit, & honorifice ſepelivit. Anſegiſus quoque filius Arnulphi, cui Begga ſoror Grimoaldi nupſerat, & Philibertus & Richarius Pontivenſes abbates inſignes ſanctitate habentur.

Sigibertus itaque rex Auſtriæ de ſucceſſione prolis deſperans, XII. monaſteria Deo conſtruxit, in quibus Stabulaüs, & Malmundarium eminebant, & in Stabulaüs S. Remaclus Trajectenſis, relicto epiſcopatu, monachicæ vitæ ſumſit habitum. Tunc multi utriuſque ſexus in Galliis florebant, inter quos erat S. Landelinus fundator cœnobiorum Lobienſis, Alnci, Willaris, & Criſpinienſis, ubi requieſcit cum diſcipulis ſuis Adeleno & Domiciano; & Gillenus Cellenſis, & Maldeganus dux, qui & Vincentius Altimontenſis & Sonegienſis, ejuſque uxor Waldetrudis, Aldegundis Malbodienſis & Trudo Haſbanienſis. Tunc cœnobium Floriacenſe a Leodebaldo abbate fundatur, & non multo poſt corpus S. Benedicti abbatis ab Agiulpho monacho a Monte-Caſſini delatum ibi aſportatur, & corpus S. Scholaſticæ ſororis ejus Cenomannis defertur.

Sigibertus rex Auſtriæ moritur anno regni XIV. Dagoberto filio ſuo parvulo fidei Grimoardi commendato, ſed Grimoaldus juramentum non ſervans, Dagobertum puerum totondit, & eum per Didonem Pictavenſem epiſcopum in Scotiam direxit, filiumque ſuum Hildebertum ſuper Auſtraſios regem fecit. Quo facto, Franci dolentes, Grimoaldum capiunt, & eum Pariſius ad regem Clodoveum adducunt, quem Clodoveus in carcere mori fecit, filiumque ſuum minorem Hildricum ſuper Auſtraſios regem fecit.

Anno Conſtantini XIII. obiit Latinus Turonenſis archiepiſcopus anno epiſcopatus XIII. cui ſucceſſit Carigiſilius. S. Lambertus Trajectenſis epiſcopus filius Apri comitis claret.

Anno Conſtantini XV. dum corpus S. Vedaſti Attrebatis transferretur a Lamberto Trajectenſi, & Audomaro Teroanenſi, quidam cœcus viſum recepit, ſed ob hoc iratus lumen amiſit. Et eodem anno obiit Carigiſilus Turonenſis archiepiſcopus anno epiſcopatus II. cui ſucceſſit Cropertus, qui primus eccleſiam B. Martini Turonenſis exemtavit primo anno ſui epiſcopatus.

Anno Conſtantini XVII. Cropertus Turonenſis archiepiſcopus obiit epiſcopatus II. cui ſucceſſit Papolenus. Tunc obiit S. Eligius Noviomenſis epiſcopus, quem cum Bathildis regina vellet ad Kalam cœnobium deportare, feretrum moveri non potuit.

Obiit Papolenus Turonenſis archiepiſcopus anno epiſcopatus ſexto, cui ſucceſſit Erambertus, qui exemtionem eccleſiæ beati Martini Turonenſis ſimiliter approbavit, & a papa Adeodato eam poſtea confirmari fecit.

Romæ poſt Vitalianum Adeodatus, qui exemtionem B. Martini Turonenſis, quam Cropertus & Erambertus Turonenſes archiepiſcopi confirmaverant, auctoritate apoſtolica confirmavit.

Romæ poſt Adeodatum Domnus, qui cum eſſet electus, ſtella apparuit a parte Orientis in menſe Auguſto a galli cantu uſque mane præfulgida, qua non apparente, maxima mortalitas fuit. Romæ poſt Domnum Agathon ſucceſſit, qui dum oſcularetur leproſum leproſus mundatur. Hic per legatos Conſtantinopolis fecit ſynodum congregari, ubi Georgius Conſtantinopolitanus epiſcopus ab errore Monothelitarum revocatur, & Zacharias Antiochenus cum aliis fautoribus ſuis ſub anathemate condemnatur, & eadem hora tantæ telæ aranearum nigerrimæ in medio populi ceciderunt, ut omnes jurarent quod ſordes hæreſis ſunt expulſæ, ideoque exhilarati ſunt.

Romæ poſt Cononem Sergius. Hic por-

tione crucis in ſacrario B. Petri inventa, conſtituit Crucem in exaltatione adorari, & *Agnus Dei*, dum ſacerdos communicat, & in Epiphania, Ypapante, & Nativitate & Aſſumtione B. Mariæ lætanias exire.

Anno Juſtiniani v. obiit Crabertus Turonenſis archiepiſcopus anno epiſcopatus ejus xxvi. cui ſucceſſit Bertus. S. Gandregeſilus, qui Fiſcannum & Fontinellam monaſteria fundavit, nepos Auſigili majoris domus, filius Galchiſi, & Wlibrordus Scotus in Gallia clarent. Autiſſiodoro poſt Vigilium Scopilio, poſt Tetricus, quem archidiaconus ſuus interfecit; quo facto, a turbine raptus nuſquam comparuit.

Anno Leonis ſecundo S. Lambertus Pipinum increpare auſus, quod pellicem Alpaïdem ſuæ uxori Plectrudi ſuperduxerat, a Dodone fratre Alpaïdis Leodio martyrizatur, & apud Trajectum tumulatur. Quo facto, Dodo interfector languore cruciatur, vermibus conſumitur, & ob ejus fœtorem intolerabilem in Moſam fluvium demergitur, omneſque ejus culpæ complices infra annum divinitus puniuntur. S. Begga Pipini mater tranſiit ad Dominum. Leo anno imperii ſui tertio a Tiberio deturbatur, & carceri mancipatur.

Berto archiepiſcopo Turonenſi mortuo anno epiſcopatus xvi. ſucceſſit ei Peladius.

Anno Juſtiniani iv. S. Hubertus, cœlitus admonitus, corpus S. Lamberti a Trajecto Leodium deportavit, ibique ſedem epiſcopalem ſubſtituit.

Anno Juſtiniani v. ſancta Odda uxor Boggis ducis Aquitanorum claret in Gallia, quæ eccleſias multas ditavit, & moriens in Leodienſi parochia requievit.

Anno Juſtiniani vi. obiit Peladius Turonenſis archiepiſcopus anno epiſcopatus v. cui ſucceſſit Ebarcius.

Anno Leonis iiii. obiit Ebarcius Turonenſis archiepiſcopus anno epiſcopatus nono, cui ſucceſſit Ibo, qui exemtionem eccleſiæ beati Martini Turonenſis approbavit & confirmavit.

Anno Leonis xii. obiit Ibo Turonenſis archiepiſcopus, anno epiſcopatus viii. cui ſucceſſit Guntrannus.

Anno Leonis xiii. Autiſiodoro poſt Clementem ſucceſſit Aldulfus, poſt Maurinus.

Anno Leonis xiv. in Anglia Beda presbyter & monachus ſanctitate & ſcientia clarus obiit die Aſcenſionis Dominicæ, ſemper repetens in hora mortis hanc antiphonam: *O rex gloriæ Domine virtutum, &c.* & inter hæc verba emiſit ſpiritum, in cujus tumulo ſcriptum eſt:

Hac ſunt in foſſa Bedæ venerabilis oſſa.

Anno Leonis xvi. congregavit Gregorius papa ſynodum Romæ cccciii. epiſcoporum, ubi venerationem ſanctarum imaginum confirmavit.

Anno Leonis xx. obiit S. Herminus epiſcopus, & abbas Lobienſis.

Anno Leonis xxi. obiit Guntrannus Turonenſis archiepiſcopus anno epiſcopatus xii. cui ſucceſſit Dido.

Anno ii. Conſtantini obiit Dido Turonenſis archiepiſcopus, anno epiſcopatus ſecundo, cui ſucceſſit Rigambertus.

S. Bonifacius epiſcopus Maguntiæ cœnobium Fuldenſe fundavit in ſylva Bocconia, cujus cœnobii abbas mille milites imperatori debet. Idem quoque Bonefacius apud *Wiſiburc* epiſcopatum inſtituit in honore S. Kiliani & ſociorum ejus, quorum ibi corpora requieſcunt, nec multo poſt in Friſia martyrizatur, & in cœnobio quod fundaverat ſepelitur.

Anno Conſtantini viii. miſit Pipinus princeps legatos ad Zachariam papam, conſulens qui potius rex eſſe aut dici deberet, ille qui labores regni ſuſtineret, aut ille qui otio deditus, ſolo regis nomine eſſet contentus. Cui papa remandavit, quod *ille potius rex* appellari debebat, qui bene rempublicam gubernabat. Quo audito, Franci Pipinum principem in regem Franciæ levaverunt, & Hildricum regem monachum factum in monaſterium detruſerunt, qui ſecundum morem Francorum inunctus eſt in regem juſſu Zachariæ papæ a Bonifacio Maguntiæ archiepiſcopo civitate Sueſſionis, anno Domini dccli. imperii Conſtantini viiii. poſt annos circiter lxxx. & viii. ex quo majores domus cœperunt principari ſuper reges Francorum, & ſic in iſto Hildrico rege defecit in partes progenies Clodovei. Nam iſte Pipinus de progenie Childerici originem habuit, ſicut ſuperius enarratur.

Anno Conſtantini x. obiit Rigambertus Turonenſis archiepiſcopus anno epiſcopatus ix. cui ſucceſſit Aubertus; & tunc Pipinus rex regnum ampliare contendens, & eccleſias cantu Romano melioravit. Cujus frater Remigius Rotomagenſis archiepiſcopus multa laude clarebat. S. Ægidius claret in Provincia.

Romæ poſt Zachariam Stephanus præſidet annis v.

Anno Conſtantini xi. Haiſtulfus rex Longobardorum iterum infeſtabat Romanos, quod de cujuſlibet eorum capite tributum exigeret, pro quo Stephanus papa clam per quemdam peregrinum litteras ſuas nimio dolore conſcriptas Pipino regi miſit, quibus ei oppreſſiones Romanæ eccleſiæ intimavit. Anſelmus vir illuſtris, cujus ſoror erat uxor Haiſtulfi regis Longobardorum, tranſtulit corpus S. Silveſtri ad cœnobium Nonantulam, quod ipſe fundaverat.

Anno Conſtantini xii. Stephanus papa a Pipino rege invitatus Franciam venit. Cui venienti de nocte apparuit globus ignis in cœlo, a parte Auſtrali declinans a Galliæ

finibus in partes Longobardorum. Cumque Pipinus de Saxonia victor regressus, Stephanum papam venientem audisset, contra eum cum uxore & filiis perrexit, & eum recepit, & usque ad palatium suum deduxit, ibique intus oratorium pariter considentes, lacrymabiliter idem papa regem deprecatus est, ut causam B. Petri & reipublicæ Romanorum disponeret. Quo audito, rex mandatis ejus se omnimodis obedire promisit. Cumque papa apud regem moraretur in ecclesia S. Dionysii, graviter ægrotavit, sed ab apostolis Petro & Paulo & B. Dionysio visitatus est & sanatus, & ob hoc altare in honore apostolorum Petri & Pauli consecravit, & Pipinum cum duobus filiis in reges inunxit, & eos in perpetuum & omnem eorum regalem progeniem benedixit, eorumque invasores apostolico anathemate interdixit. Deinde Carlomannus monachus ab Haistulfo rege Longobardorum mittitur ad Pipinum fratrem suum, ad petitionem apostolicam perturbandam. Qui cum in Francia moraretur, ossa S. Benedicti a cœnobio Floriacensi ad montem Casinum voluit reportare, sed miraculis a Deo ostensis, & Francis *repugnantibus, ab incepto opere prohibetur.*

Anno Constantini XIII. Pipinus rex copiosum movit exercitum, Stephano papæ præbiturus auxilium, & Karlomannum fratrem suum in Vienna urbe cum Bertradane regina ægrotantem reliquit, ibique paulopost obiit. Pipinus itaque Italiam aggreditur, exercitus Haistulfi regis a Francis vincitur, & Haistulfus pacem facere cum Romanis ad voluntatem Francorum compellitur, & Stephanus papa per legatos Pipini in sancta sede restituitur; & ita Pipinus ab Haistulfo acceptis juramentis & obsidibus, in Franciam revertitur.

Anno Constantini XIIII. post discessum Pipini, Haistulfus rex fœdus pacis violat, rursusque Romam obsidet; sed hoc statim nuntiatur Pipino, qui mox Italiam repetens, Haistulfum Papiæ inclusit, & invitum ad fœdus pacis repetendum compellit, & B. Petro quæcumque sui juris erant restitui fecit. Nec multo post Haistulfus judicio Dei percussus, dum venaretur moritur, cui Desiderius substituitur. Eodem anno tenuit Constantinus imperator synodum CCCXXX. episcoporum de imaginibus Dei & sanctorum ejus deponendis, & ubique ecclesiam Dei & catholicos impugnavit. Tunc Fulradus abbas S. Dionysii corpus S. Viti martyris a Roma Parisius detulit.

Anno Constantini XV. Tassilo dux Bajoariorum apud Compendium venit ad Pipinum regem avunculum suum, & illi homagium fecit, & juramentum dedit cum multis nobilibus Bajoariæ. Tunc Constantinus imperator misit Pipino regi organum cum aliis donis.

Anno Constantini XVI. Pipinus rex Saxonum munitiones accepit, & ex eis multos occidit, & qui ex eis remanserunt, CCC. equos *quolibet anno ei pro tributo promiserunt.*

Anno Constantini XVII. natus est regi Pipino filius, quem vocavit Pipinum, qui duobus annis vixit, & in tertio mortuus est.

Anno Constantini XVIII. Stephano papa mortuo, Paulus ejusdem Stephani germanus præsidet annis X. Hic mitis & misericors de nocte cum suis familiaribus domos pauperum, infirmorum, & aliorum inopum circuibat, & eis necessaria ministrabat. Corpus sanctæ Petronillæ filiæ S. Petri apostoli transposuit, in cujus marmoreo sarcophago ipsius apostoli Petri manu sculptum legebatur: *Aureæ Petronillæ dilectissimæ filiæ.* Et eodem anno Pipinus rex Arverniam pagum destruxit, & Arvernis urbem cum multis castellis cepit, & Balduinum comitem Arvernicum secum adduxit, Bituricas capit, & captam munit. Gaiferum quoque Eudonis filium Aquitaniæ ducem ei repugnantem aggreditur; sed Gaiferus cum eo datis obsidibus pacem fecit.

Anno Constantini XIX. Gaiferus dux Aquitaniæ juramenti sui & obsidum immemor, supra Pipinum usque Cavillonum exercitum misit, sed Pipinus & Carolus filius ejus super eum irruunt, Burbonnis, Candelam, Clarum-montem super eum capiunt, Lemovicas & Agennum, Petragoricas & Engolisinam urbes, & multa alia castra destruxerunt. Gaiferus vero viribus suis diffidens, muros urbium Aquitaniæ solo tenus diruit; sed Pipinus eos restaurans, hominibus suis urbes munivit.

Anno Constantini XXI. Tassilo dux Bajoariorum immemor beneficiorum, quæ Pipinus rex ejus avunculus ei fecerat, Bajoariam petit, & contra Pipinum insurgit; sed ultra regem non vidit. Pipinus vero Aquitaniam devastavit, & per Lemovicas in Franciam remeavit.

Anno Constantini XXIIII. Pipinus rex Argentonium castrum, quod Gaiferus destruxerat, reædificavit, & Biturim, & ibi Francos posuit.

Anno Constantini XXV. & Pipini regis XVI. facta est synodus inter Græcos & Romanos coram Pipino, de Trinitate & de imaginibus sanctorum; & inde Pipinus revertens, Narbonam, Tolosam, & Albiam, & Galavildanum cœpit, & post in Aquitaniam pergens, multa castra acquisivit. Cui Amirmonon rex Sarracenorum Hispaniæ, multa munera misit, & ab eo multa recepit; & eodem anno obiit Aubertus Turonensis archiepiscopus anno episcopatus XV. cui successit Ostaldus.

Anno Constantini XXVI. Pipinus rex Remistannum, fratrem Eudonis, patruum Gaiferi ducis Aquitaniæ, qui a Gaifero ad se & a se ad Gaiferum transfugerat, captum in

bello a ſuis ſuſpendit in patibulo. Deinde Aquitaniam ingreſſus, Xanctonas capit, ibique Gaiferi matrem, ſorores, & neptes captas ſecum adduxit, & Bertrade regina apud Xanctonas relicta, Petragoricum adiit; ibique Gaifero occiſo, Xanctonas revertitur, ubi ægrotans cum Bertradane regina Turonis ad beatum Martinum cauſa orationis acceſſit, & inde rediens Pariſius, apud S. Dionyſium obiit VIII. cal. Octobris anno regni XVII. & incarnationis Dominicæ DCCLXVII. & ætatis Caroli filii ſui XXVI. & in eccleſia S. Dionyſii ſepelitur. Quo defuncto, Carolus & Carlomannus elevati ſunt in reges VII. idus Octobris, Carolus Noviomo & Carlomannus Sueſſionis. Hic itaque Carolus pro felicitatis magnitudine, magnus eſt nuncupatus, patri non impar gloria, immo multum victorioſior, longe præclarior. Erat enim capillis brunus, in juventute facie rubens, corpore decens, & venuſtus. Erat autem donis largiſſimus, judiciis rectiſſimus, locutionibus luculentus, & litteris eruditus. Aſſidue autem vivebat vel venando, vel equitando, & delectabatur in vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens, & non ſolum filios, ſed optimates, & amicos, & fateilitum & cuſtodum corporis turbam ad balneum invitabat, ita ut aliquando C. vel amplius homines ſimul lavarentur. In cibo erat temperatus, ſed in potu temperantior: ſæpe autem conquerebatur jejunia ſibi eſſe noxia, convivabatur rariſſime, hoc tamen in præcipuis feſtivitatibus, cum maxima multitudine cœna quotidiana quaternis ferculis tantum præbebatur, præter aſſam, quam venatores in verubus afferebant, qua ille libentius quam alio cibo utebatur; & dum cœnabat legebat lector hiſtorias & antiquorum res geſtas, vel de libris ſancti Auguſtini qui de Civitate Dei intitulati ſunt, in quibus præcipue delectabatur. Super cœnam plus quam ter raro bibebat, æſtate poſt cibum meridianum pomorum aliquid ſumens, & ſimul bibens, nudus quaſi in nocte duabus horis vel tribus dormiebat. Veſtitu francico utebatur, gladio ſemper accinctus, cujus ſcapulus & balteus aureus vel argenteus erat, & aliquoties geminato enſe utebatur: omni idiomate doctus erat, & de VII. liberalibus artibus doctores habebat, qui eum de illis aſſidue inſtruebant; ſcilicet in grammatica Piſanum diaconum, & in rhetorica, dialectica, & aſtronomia quemdam Saxonem, in aliis diſciplinis Albinum cognomento Alcuinum. Ipſe vero legendi & pſallendi diſciplinam diligentiſſime emendavit, quamvis nec publice legeret, nec niſi ſubmiſſe, & in comuuni cantaret. Omnia jura regni ſui quæ ſcripta non erant, ſcribi fecit, & antiquorum geſta & bella ſcripſit, & patrii ſermonis grammaticam inchoavit. Circa lectum ejus qualibet nocte CXX. fortes eum excubabant.

Prima vigilia noctis XL. ſecunda XL. tertia uſque ad ortum ſolis XL. & ſtabant vigilantes X. ad caput, & ad pedes X. ad dextram X. & ad ſiniſtram X. manu dextra nudam ſpatam & ſiniſtra candelam ardentem tenentes. Poſt mortem autem patris cum Carlomanno fratre regnum partitus, tanta patientia ſimultates & ejus invidiam tulit, ut mirum omnibus videretur. Deinde cum filiam Deſiderii regis Longobardorum duxiſſet in uxorem, illa poſtea repudiata, Hildegardam duxit, de qua tres filios habuit, Carolum, Pipinum & Ludovicum, & totidem filias Rotrudem, Bertam & Gilam. Poſt Hildegardi mortua Faſtradem duxit, de qua genuit Theodradam & Hiltrudem, & iterum genuit Rachadem de concubina. Poſtea Faſtrada mortua Leodardam Alemannam duxit, de qua nullos genuit. Qua defuncta, IV. concubinas habuit, Garimundam Saxonicam, de qua genuit Adaltrunatam, & Reginam, de qua genuit Drogonem poſtea Metenſem archiepiſcopum; & Hugonem, & Adallindam, de qua genuit Theodericum, & aliam cujus nomen ignoramus, de qua genuit Pipinum pulcherrimum facie, ſed gibboſum. Carolus autem filios & filias liberalibus ſtudiis inſtrui faciebat, quibus & ipſe operam dabat; & cum ætas patiebatur, filios equitare, & armis & venatibus exerceri faciebat, & filias lanificio, colo & fuſo ſimiliter erudiri; & de illis tantam curam habebat, ut numquam ſine illis cœnaret, vel iter faceret, ſed eos equitantes ſemper agmen ſatellitum ſequebatur; filias autem ſuas, quæ pulcherrimæ erant, in tantum dilexit, quod eas alicui non nupſit quandiu vixit, dicens ſe earum ſolatio carere non poſſe. Et quamvis hic uxorum, concubinarum, filiorum & filiarum nomina deſcripſerimus ad evidentem notitiam, tamen in locis ſicut venerunt per ordinem inferius deſcribemus.

Romæ Paulo papa mortuo, quidam laïcus Conſtantinus nomine, ordinatus ſacerdos papatum invadit. Tantum [nefas] in eccleſia Dei ſcandalum magnum fuit. Contra quem Philippus a quibuſdam Romanis papa conſtituitur, ſed non multo poſt deponitur. Poſtea prædicto Conſtantino ab eccleſia a fidelibus ejecto, & oculis privato, Stephanus papa inſtituitur, qui omnia quæ idem Conſtantinus pſeudopapa ordinaverat, revocavit, & *Gloria in excelſis Deo* in Dominica decantari inſtituit. Tunc Conſtantinus imperator omnes ſibi ſubjectos jurare coëgit, ne imaginem Dei aut ſanctorum ejus venerarentur, nolentes vero diverſis tormentis perimebat, & monachos uxores, & monachas viros ducere cogebat, & nolentes trucidabat.

Anno Domini DCCLXVIII. imperii Conſtantini XXVII. & regni Caroli ſecundo, idem Carolus contra Hunaldum fratrem Gaiferi

Aquitaniam petit, & Fronciacum caſtrum ibi ædificavit, & omnes Aquitanos & Waſcones in deditionem accepit, & Hunaldum qui ad Lupum ducem Guaſconum fugerat, a Lupo ſibi recepit, & ſic Aquitanicum bellum finit. Deinde Hunaldus Romam quaſi * perſeveraturus adiit. Poſt ad Longobardos fugiens, apoſtatavit, ibique non multo poſt lapidibus obrutus male periit.

* *id eſt* peregrinaturus.

Anno Conſtantini XXVIII. regni Caroli tertio, tenuit Carolus ſynodum apud Germaniam, & frater ejus Carlomannus Bertam reginam duxit in uxorem. De iſta Berta dicitur, quod vela telarum innumera contexuit & filavit. Hæc enim poſt mortem ſuam in abbatia Bonæ-vallis ſepulta eſt.

Anno Conſtantini XXIX. tenuit Carolus ſynodum apud Valencianas; & Carlomannus frater ejus apud Salmontiacum obiit eodem anno pridie nonas Decembris, cujus regnum Carolo remanſit. Berta autem uxor ejus cum filiis & Auchario Franco ad Deſiderium regem Italiæ confugit. Hic Deſiderius Romanis infeſtus, præcedenti anno Romam orandi obtentu intraverat, & ibi multos nobilium Romanorum captos crudeliter excœcavit.

Anno Conſtantini XXX. Caroli V. idem Carolus, monarchia regni adepta, Saxones aggreditur, *Hercibuch* caſtrum capit, *Hormenſul* fanum deſtruit, ibique ſiti laborante exercitu, de torrente emanaverunt largiſſimæ aquæ divino nutu, & ita pacis receptis obſidibus, Carolus a Saxonia remeavit. Nec multo poſt Saxones fœdus rumpunt, fines Francorum premunt igne & cæde; ſed eccleſiam in *Fritiſlar* cremare nequeunt, quam S. Bonifacius benedixit, & numquam cremandam prædixit. Quo audito, Carolus Saxoniam repetens, tripertito exercitu Saxonibus occurrit, eoſque devicit.

Anno Conſtantini XXXI. & Caroli VI. Stephano papa mortuo, ſucceſſit Adrianus, qui Carolo humiliter ſupplicavit, ut a Deſiderio rege Longobardorum oppreſſæ compateretur eccleſiæ, & ipſius jura, ſicut prædeceſſores ſui fecerant, tueretur. Tunc Carolus, facto concilio apud Januam, per montem Caniſium Italiam petit; & Bernardum avunculum cum exercitu per Montem-Jovis mittit, & intrans Italiam, Deſiderium regem fugat, & intra Papiam recludit.

Anno Conſtantini XXXII. Caroli VII. Carolus Papiæ relicto exercitu, Romam pergit, & in urbis introitu fere uno milliario pedeſtris ad B. Petri eccleſiam feſtinat, & omnes gradus eccleſiæ ſingillatim deoſculans, ad Adrianum papam pervenit, ibique facta oratione, B. Petro conceſſit civitates & territoria, ſicut in eccleſiæ privilegiis continetur; & inde rediens, Papiam fortiter debellat, Deſiderium regem cum uxore & filia & theſauris innumeris ibi cepit, & urbes & caſtella & hommagia omnium Longobardorum recepit. Adelgiſus vero Deſiderii filius inde elapſus, Conſtantinopolim fugit. Cujus pater Deſiderius perpetuo exilio ad Gallias deſtinatur, & ita regnum Longobardorum ſub jure regni Francorum devenit, poſt annos CCIV. ex quo in Italia regnare cœperunt: quorum primus rex Albuinus fuit, qui a Pannonia venit, & inſidiis conjugis eſt occiſus; poſt Agilulfus, poſt Adoloaldo filius ejus: quo propter infamiam a regno ejecto, *Aroalt* regnavit; poſt *Rothari*, poſt *Rodoalt* filius ejus, poſt *Ariperth*, poſt duo filii ejus *Partharith* & *Godobert*; poſt *Grimoart*, *Partarith* exulato a regno: qui cum exulatus in Angliam fugeret, & in navi eſſet, audivit vocem a littore clamantem, quod ſi *Partharith* rex in navi eſſet, dicerent ei quod in patriam reverteretur: nam *Grimoalt* rex mortuus erat; ſed cujus hæc vox fuerit neſcierunt. Tunc *Partarith* reverſus regnum recepit, & plures eccleſias conſtruxit, & multa alia bona fecit. Poſt quem Compertus filius ejus regnavit. Poſt Limpertus filius ejus; poſt Rogimbertus cognatus ejus regnum rapuit, poſt *Ariperth*, poſt Auſpirandus, poſt Rachis, qui pœnitentia ductus monachus efficitur. Poſt Haiſtulfus frater ejus, poſt Deſiderius iſte in quo regnum Longobardorum defecit.

Anno Conſtantini XXXIV. & Caroli IX. Carolus Saxoniam petit, & ſuper Vinſoram fluvium Saxones vicit tribus vicibus.

Anno Conſtantini XXXV. & Caroli X. Carolus Italiam ingreſſus Tauriſiviri (*a*) & Forum-Julii & alias urbes rebellantes cepit, & Rogandum ducem rebellionis decollari præcepit. Poſtea Saxonibus *Heresburch* caſtrum obſidentibus, duo ſcuta ſanguineo colore flammantia ſuper eccleſiam apparuerunt, inter ſe in aërem pugnantia; & cum hoc ſignum vidiſſent pagani qui a foris erant, præ timore fugientes, ſeſe per miraculum occidebant. Tunc Carolus hoc audiens, Saxoniam petit, Saxones vicit, munitiones capit, & Wintichindo duce eorum in Normanniam fugato, ad hoc Saxones induxit, ut ſe promitterent fieri Chriſtianos. [*a*]

Leo tempore Adriani imperat annis V. Hujus imperii anno primo & Caroli XI. Carolus tenuit concilium apud Paderbrunnam, ubi congregatis Francis & Sarracenis, multitudo Saxonum baptizatur. Tunc obiit Oſtaldus Turonis archiepiſcopus anno epiſcopatus XII. cui ſucceſſit Euſebius.

Anno Leonis V. & Caroli XV. idem Carolus habito diligenti conſilio cauſa orationis Romam petrexit, ibique Pipinus filius ejus ab Adriano papa baptizatur, & poſt ipſe & Ludovicus frater ejus inunguntur in reges ab eodem papa; Pipinus ſuper Italiam, Ludovicus ſuper Aquitaniam. Giſela autem

(*a*) Tarviſum vocat auctor vitæ Caroli-Magni anonymus, Taraviſium monachus Engolismenſis, uti Annales Francorum Loiſelii.

Caroli

Caroli filia Mediolani baptizata eſt in reditu patris, & Taſſilo dux Bajoariæ, qui contra Carolum repugnarat, mediante papa, in Caroli gratiam eſt reverſus.

Anno Hyrene II. & Caroli XVII. Hildegardis regina uxor ejus pridie calendas Maii obiit, & Berta filia ejus. Et tunc Carolus duxit in uxorem Faſtradam apud Garmanſiam, & Saxones rebellantes iterum vicit.

Anno Hyrene III. & Caroli XVIII. Saxones cum Friſonibus juncti repugnant, ſed a Carolo filio Caroli regis debellantur.

Anno Hyrene IV. & Caroli XIX. Carolus Saxones mira virtute contrivit: ita quod Wintichindus & Albion duces eorum Carolo reconciliati baptizantur, & ſic conflictus Saxonum definitur.

Anno Hyrene V. & Caroli XX. miſit Carolus Audulfum ſeneſcallum ſuum contra Britones, qui ſtatim Britones & Britanniam ſubjugavit, & tunc ſignum crucis in Galliam in veſtibus hominum apparebat.

Anno Hyrene VI. & Caroli XXI. Carolus Romam perrexit, & contra Heregiſium Beneventi ducem vadit; ſed Heregiſius muneribus & obſidibus datis, gratiam ejus impetravit. Bellum inter Francos & Avaros oritur, & tunc de cœlo ſanguis in terram profluxit. Taſſilo dux omni parte circumdatus, obſidibus datis, cum Carolo pacem fecit, & ducatum Bajoariæ ei reddidit.

Anno Hyrene VII. & Caroli XXII. Carolus Taſſilonem ducem & Theodonem filium ejus contra fidem rebellantes, & ob hoc ad mortem judicatos, fecit in monachos tonderi, & in eccleſia retrudi: & tunc inter Græcos & Longobardos pugnatur, & inter Francos & Avaros, & inter Avaros & Bajoarios, & in omnibus Carolus ſuis proveniſſe victoriam lætatur, & eodem anno facta eſt ſynodus CCCL. epiſcoporum apud Nicæam, præſente Hyrene & Conſtantino filio ejus, in qua hæreſis execrantium imagines abdicatur.

Anno Hyrene VIII. & Caroli XXIII. Carolus Coloniæ duos pontes fecit & munivit, & Sclaviam ingreſſus eam ſibi ſubegit. Tunc Adelgiſus filius Deſiderii regis Longobardorum, qui ad Græcos confugerat, cum Græcis ad Italiam venit, & inito bello cum Francis, captus eſt & occiſus.

Anno ab Incarnatione Domini DCCXCI. & Hyrene IX. & Caroli XXIV. erant adhuc monachi in eccleſia B. Martini Turonenſis ſub Iterio abbate, in cujus eccleſiæ dormitorio duo angeli ingreſſi ſunt; unus extendebat indicem, & alter monachum quem ille oſtendebat percutiebat: quorum unus qui hæc vigilans viderat, ſolus evaſit, dicens angelo: Adjuro te per nomen omnipotentis Dei, ne me percutias. Monachi illi, ut refert S. Odo, nimis delicioſe vivebant, & ſericis veſtibus induebantur, calceamenta enim erant vitrei coloris. Quibus ita mortuis, Iterius abbas cum reſiduo monachorum, quos de foris adduxit, apud Cormariacum, quam eccleſiæ beati Martini dederat, tranſivit cum tertia parte redituum, & theſauri eccleſiæ beati Martini: nec multo poſt Carolus auctoritate Adriani papæ canonicos in eccleſia beati Martini poſuit, & eis magiſtrum ſuum Albinum id eſt Alcuinum præfecit. Erat autem Alcuinus natione Scotus, ingenio clarus, mirabilis philoſophus, non tantum præpollens ſcientia litterarum, quantum & honeſtate morum ſtudioque virtutum. Tunc Carolus vicit Avaros, id eſt Hunos, ſuper Danubium, letaniis & miſſis per triduum decantatis; & eodem anno factus eſt terræ motus horribilis VI. idus Februarii, ita ut nullus domi dormire auderet. Tandem cum Conſtantinus IX. annis cum matre ſua Irene imperaſſet, eam imperio privavit, ſoluſque VII. annis imperavit.

Conſtantinus filius Leonis & Irene tempore Adriani & Leonis imperat VII. annis, qui mox regi Chardamo congreſſus, turpiter victus dehoneſtatur, & Chardamus ſublato regio apparatu ditatur. Conſtantinus vero cum multos nobilium principum haberet ſuſpectos, eis oculos eruit. Interim Pipinus filius Caroli ex concubina, gibbo deformis, a quibuſdam Francorum principibus regni promiſſione deceptus, contra patrem conjuravit. De quo convictus, a Carolo in Prumia cœnobio ſtatim retruditur tonſoratus, & ibi uſque ad finem vitæ Domino militavit. Complices autem conjurationis alii exiliantur, alii perimuntur.

Anno Conſtantini II. & Caroli XXVI. Euſebius Turonenſis archiepiſcopus obiit anno epiſcopatus XVI. cui ſucceſſit Herlingus. Et eodem anno coram Adriano papa Feliciana hæreſis condemnatur, & a Felice auctore abdicatur, aſſerente Filium Dei in divina natura verum Deum eſſe, & in humana naturam nuncupativum. Item, in divina natura eum eſſe verum Filium Dei, in humana vero adoptivum: unam perſonam Dei & hominis dividens in duas, ſcilicet veri filii & adoptivi. Tunc Tiberis fluvius a ſuo alveo egreſſus, portam Flamineam & muros Urbis tranſcendit, domos dejecit, agros deſertavit; ſed Adrianus papa prece ad Deum facta, poſt triduum tempeſtatem illam compeſcuit.

Anno Conſtantini III. & Caroli XXVII. obiit Faſtrada regina uxor Caroli, & in S. Albano eſt ſepulta; poſt quam Carolus duxit Leogardam: & tunc Carolus rex cum Carolo filio ſuo Saxones invadens, devicit; ita quod Chriſtianos ſe fore promiſerunt.

Anno Conſtantini IV. & Caroli XXVIII. Carolus Saxones rebelles iterum devicit & pene delevit, & ibi Wizni Abroditorum rex a Saxonibus eſt occiſus.

Anno Conſtantini V. Caroli XXIX. poſuit Carolus canonicos in eccleſia B. Martini Tu-

ronenſis auctoritate Adriani papæ, & eis ſicut ſuperius dicitur, Alcuinum præfecit, & eodem anno obiit Adrianus papa, cui ſucceſſit Leo, qui porticum S. Petri, qui dicitur civitas Leoniana, conſtruxit, & tres letanias ante Aſcenſionem inſtituit, & claves S. Petri & vexillum Romanæ urbis Carolo regi direxit. Henricus etiam dux Foro-Julienſis exſpoliato in Pannonia Iringo principe Avarorum, inæſtimabilem ejus theſaurum ad Carolum deſtinavit. *Tuelin* quoque princeps Avarorum ſe & patriam ſuam Carolo dedit, & gratiam baptiſmi percepit.

Anno Conſtantini VI. & Caroli XXX. Barcinona civitas, quæ antea perdita fuerat, eſt reddita; miſitque Carolus Ludovicum filium ſuum contra Sarracenos in Hiſpaniam, & Pipinum in Italiam; ipſe vero remanſit in Saxoniam diſponendam.

Anno Conſtantini VII. & Caroli XXXI. miſit Adefunſus rex Galiciæ Carolo papilonem pulcherrimum. Carolus autem totam Saxoniam devaſtavit, acceptiſque eorum obſidibus, in Franciam remeavit. Deinde cum Conſtantinus, Irene matre ſua ejecta, VII. annis imperaſſet, illa pro erepto ſibi imperio feminco dolore abuſa, eumdem filium ſuum excœcat, mandans Carolo quod Græci eum captum excœcaverant, petuntque ab eo ſuper hoc pacem, quod & factum eſt.

Irene, filio ſuo excœcato, tempore Leonis rurſus imperat annis II. In imperio Romanorum, annoreverſionis Irene primo, & Caroli XXXII. quidam Romani clam armati in proceſſione majoris letaniæ Leonem papam ceperunt, & excœcaverunt, & lingua detruncaverunt; cui voce & viſu reddito divinitus, iterum ei oculos & linguam evellunt radicitus, eum ſemivivum relinquentes in ſuo ſanguine revolutum. Cumque ab eis in eccleſia S. Eraſmi in cuſtodia teneretur, videndi & loquendi officium ipſi eſt divinitus reformatum. Tandem vero de nocte per murum evadens, a legatis Caroli, qui tunc ibi aderant, uſque ad Carolum eſt perductus: cujus oppreſſioni condolens Carolus, collecto exercitu, Romam properat, & Leonem papam in ſede ſua relocat, cauſas examinat, reos legaliter damnat, ſicque omnes motus Romanorum ſedat. Et tunc Guido comes Britanniæ cum tota terra ſua Caroli dominio ſubjugatur.

Anno Irene II. & Caroli XXXIII. Geroldus dux Bajoariæ in Pannonia perimitur. Carolus autem cauſa orationis Turonos ad beatum Martinum venit, & ibi per aliquot dies moram fecit propter infirmitatem Legardæ uxoris ſuæ, quæ ibi mortua eſt pridie nonas Julii, & in eccleſia B. Martini ſepulta.

Anno Irene III. & Caroli XXXIV. Carolus Pariſius rediens Ravennam venit, Pipinoque filio ſuo in Beneventanorum terras tranſmiſſo, Romam venit, ubi a Leone papa & Romanis honorifice ſuſceptus, vexillis urbis ordinatis, & turbis peregrinorum & civium ei laudes acclamantibus, equo deſcendit, & poſt eum cum papa, epiſcopis, & clero ad eccleſiam B. Petri pervenit, ibique facta oratione diſceſſit: & facta ſunt hæc VIII. cal. Decembris. Poſt VII. die ſtatuit quod epiſcopus ab objectis criminibus ſe purgaret, ex quo accuſator vel probator criminis non veniret; & tunc miſit ei patriarcha Jeroſolymitanus claves ſepulcri, & montis Calvariæ, & civitatis vexillum; quæ rex ſuſcipiens nuntios remuneratos abſolvit. Cum igitur annus Incarnationis in Nativitate Domini incipiat, cerei paſchalis conſuetudine non ſervata, Carolus anno ab Incarnatione Domini DCCC. & regni XXXI. & ætatis LIX. in eccleſia beati Petri miſſas petiit, & cum facta oratione ſurgeret, Leo papa coronam capiti ejus impoſuit, & a cuncto populo acclamatum eſt: *Carolo auguſto a Deo coronato magno & pacifico imperatori Romanorum vita & victoria.* Et poſt ab apoſtolico, more Romanorum antiquorum principum, adoratus eſt, atque ablato patricii nomine, imperator & auguſtus meruit appellari. Ex hoc enim tempore imperium Romanorum ad reges Francorum tranſlatum eſt; nam qui apud Conſtantinopolim poſtea imperaverunt, imperatores Græcorum dicti ſunt, alii vero imperatores Romani.

Carolus-Magnus primus imperator Francorum tempore Leonis imperat XIV. annis. Hic incomparabilis famæ & gloriæ, & eximiæ pietatis, ingenio ſubtiliſſimus, litteralis philoſophiæ imbutus, Chriſtianæ religionis cultor & propagator egregius, juſtitiæ & veritatis patronus, eccleſias Dei conſtruebat, & redditibus ampliabat, peregrinos amabat, & in eis ſuſcipiendis magnam curam habebat, & non ſolum in ſuo regno, ſed etiam in aliis ubi Chriſtianos in paupertate vivere ſciebat, pecuniam illis mittebat, reges ſub quorum manebant dominio deprecans, ut eis amore Dei & precum ſuarum intuitu ſubvenirent. Erat autem tunc temporis canicie pulchra, facie læta & hilari, unde formæ auctoritas ſtanti & ſedenti conveniebat; & quamvis cervix obeſa & brevior, venterque prolixior videretur, tamen ea ceterorum membrorum celabat æqualitas. In feſtivitatibus autem veſte auro texta & calciamentis gemmatis, fibula aurea ſagum aſtringente, & diademate auro & gemmis ornatus incedebat. Ad extremum vero antequam decederet, dum ultimo ab Hiſpania rediret, per IV. annos febre correptus, uno pede claudicavit: nam plus ſua voluntate quam medicorum conſilio faciebat, quos pene exoſos habebat, eo quod in cibis aſſa dimittere, quibus aſſuetus erat, & elixis aſſueſcere ſuadebant. Regnum vero ſuum, quod poſt mortem patris receperat, in duplum augmentavit, reges &

principes & barbaras nationes partim amicitia ſibi reconciliavit, partim prælio ſuperavit. Mater quoque ejus domna Bertrada regina magno apud eum cum honore conſenuit: quam defunctam Carolus juxta patrem ſuum apud S. Dionyſium ſepeliri fecit, & ſimiliter Gilam ſororem ſuam, quæ religioſe vivebat. Denique primo imperii anno ſcripta catholicorum patrum diſcerpens, lectiones unicuique feſtivitati convenientes per manum Pauli diaconi ſui compilari fecit, & eas per eccleſias legi præcepit, & legatos ad faciendum judicium & juſtitiam per omne imperium ſuum direxit, & legis XXIII. capitula inſtituit, quibus poſtea VI. adjecit. Ipſe vero eos qui Leonem papam excœcaverant & depoſuerant, exilio condemnavit, & morte damnaſſet, niſi papa ei ſuper hoc ſupplicaſſet. Tota etiam hyeme uſque ad Maium Romæ fuit, & res apoſtolici & eccleſiæ & urbis Romanæ & totius Italiæ viriliter ordinavit. Poſtea VII. cal. Maii Roma egreſſus, Spoletum venit, & pridie calendas Maii de nocte talis factus eſt terræ motus, quod tota Italia tremuit, & tectum eccleſiæ S. Pauli ex magna parte decidit, a quo & montes & urbes innumeræ corruerunt, & ſimiliter multa loca in Gallia & Germania tremuerunt.

Anno imperii Caroli ſecundo, miſit Irene imperatrix legatos ad Carolum de firmanda pace inter ipſum & Græcos: quo facto, Nicephorus Irenem imperatricem imperio depoſitam exilio relegavit, & imperio aſſumto, octo annis Conſtantinopoli imperavit: contra quem Aaron Ammiras Sarracenorum cum CCC. millibus hominum aſcendit. Sed Nicephorus eum ferre non valens, ei pro pace annuum tributum promiſit, unum * multa incommoda imperio ſuo intulit.

* f. unum.

Anno Caroli tertio, factus eſt terræ motus, quem mortalitas hominum eſt ſecuta.

Anno imperii Caroli quarto, obiit ſanctus Alcuinus abbas S. Martini, & in ejus eccleſia ſepelitur. Carolus autem tranſtulit in Franciam omnes Saxones, qui erant trans Albiam, cum mulieribus & pueris, & terram eorum dedit Abodritis, & poſt in natali Domini fuit Leo papa cum eo Remis & Cariſiaco, quoniam imperator mandaverat ut faceret inquiſitionem de ſanguine Chriſti, quem dicebant eſſe repertum in Mantua civitate. Et eodem anno Avares qui & Huni a Francis bello perdomiti, penitus defecerunt.

Anno imperii Caroli V. miſit imperator exercitum cum Carolo filio ſuo in terram Sclavorum, quam deſtruxit, & ducem eorum occidit, & tunc fuit eclipſis lunæ IV. nonas Septembris, & poſt III. idus Februarii. Deinde *Chumeid* Ammireus miſſus ab *Aaron* Ammira Sarracenorum ad Liciam deſtruendam, Mirream urbem applicuit, niſuſque S. Nicolai conterere arcam, poſtea aliam contrivit, & ob hoc in reditu in mari cum tota gente periit.

Anno imperii Caroli VI. diviſit Carolus regnum in tres filios, ſcilicet quam partem deberent defendere, quod & Leo papa confirmavit: & tunc Carolus filius ejus Bohemanos rebellantes devicit, & Leonem eorum ducem peremit. Cumque Bohemani Sclavis auxiliantibus rebellarent, ab eodem Carolo iterum revincuntur. Sarraceni vero Sardiniam devaſtantes, a Pipino rege Italiæ filio Caroli ſuperantur.

Anno imperii Caroli VII. miſit rex Perſarum Carolo infinita munera pretioſa, & horologium in quo XII. horarum curſus cognoſcebantur, cymbalo ibi perſonante, & equitibus, qui per ſingulas horas per feneſtras exibant, & in ultima hora dici redeuntes, in regreſſione ſua feneſtras apertas claudebant. Et tunc Carolus imperator Eadulfum regem Nordanhymbrorum, qui a regno pulſus ad eum confugerat, in regno ſuo reſtituit.

Anno imperii Caroli VIII. fuit in Gallia aquæ inundatio inaudita.

Anno imperii Caroli IX. Ludovicus filius ejus Hiſpaniam devaſtavit, & imperator tenuit concilium Aquiſgrani de proceſſione Spiritus-Sancti; & tunc Pipinus rex Italiæ Venetiam capit, & eodem anno obiit Rotrudis filia imperatoris VIII. idus Januarii. Et poſt Pipinus rex Italiæ Mediolani moritur VII. idus Julii. Et tunc tanta fuit peſtilentia boum, quod vix aliquis inveniretur. Sol & luna bis in eodem anno defecerunt, & Carolus imperator Venetiam Nicephoro imperatori Conſtantinopolitano reddidit.

Anno imperii Caroli X. Carolus filius imperatoris major natu obiit. Per hos dies miſit Carolus tres exercitus in tres partes regni ſui, unum trans Albiam, alium in Pannoniam, tertium ſuper Britones ut eos rebelles ſubjugaret. Quod & factum eſt.

Anno imperii Caroli XI. fecit Carolus pacem cum Hemmingo rege Danorum. Et tunc in Francia apud cœnobium Elnonenſe S. Amandus a terra elevatur; cujus corpus integrum invenitur. Cumque ejus capilli & ungues qui excreviſſe videbantur, præciderentur, & de ejus ore dentes forcipe extraherentur, ſanguis inde profluxit.

Anno imperii Caroli XII. obiit Hemmingus Danorum rex. Cui Heroldus & Reginfridus ſuccedunt, & tunc idus Maii circa meridiem facta eſt eclipſis ſolis. Per hos dies Carolus per totas Gallias ſuper ſtatu eccleſiarum concilia celebrari fecit, unum Maguntiæ, alterum Remis, tertium Turonis.

Claruit hoc tempore Paulus hiſtoriographus, qui amore Caroli de Monte-Caſino ad Gallias venit.

Anno imperii Caroli XIII. Carolus Ludovicum filium ſuum, qui erat rex Aquitaniæ, conſortem imperii fecit, & Aquiſgrani ad

imperium coronavit. Bernardum quoque nepotem ſuum, filium Pipini filii ſui, regem Italiæ ordinavit. Rerum quoque ſuarum Chriſtum heredem ſuum reliquit. Nam quidquid habebat in tres partes diviſit, quarum unam in XXI. partes diviſit, & eas metropolitanis qui totidem ſibi ſuberant diſtribuit: ita quod metropolitana eccleſia tertiam partem aſſignatæ ſibi partis haberet, & duas inter ſuffraganeos ſuos divideret. Et hæc ſunt nomina archiepiſcopalium civitatum quæ erant ſub Carolo, Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum-Julii, id eſt Aquileia, Gradus, Colonia, Maguntia, Juvavum, quæ & *Salzburc*, Treviris, Senonis, Veſuntio, Lugdunum, Vienna, Rothomagum, Remis, Arelatis, Dirantaſia, Ebredunum, Burdegalia, Turonis, Biturica. Has omnes auro & argento ditavit, veſtimentis ſericis exornavit, reditibus & honoribus ampliavit, & ſanctiſſimis reliquiis inſignivit. Aliam tertiam partem in quatuor partes diviſit, unam quatuor filiis ſuis & filiabus, filiorumque filiis & filiabus dedit, ſecundam famulantibus, tertiam eccleſiis minoribus regni ſui, quartam pauperibus, & inſuper dedit eis omnia utenſilia ſua, vaſa, arma, veſtes, libros, & alia ornamenta, præter ornamenta capellæ ſuæ, quæ juſſit integre conſervari: quæ Ludovicus filius ejus poſt mortem illius celeriter & fideliter adimplevit.

Anno ab Incarnatione Domini DCCCXIV. & imperii Caroli XIV. & regni XLVII. & ætatis ejus LXXII. dum Carolus imperator Aquiſgrani hiemaret, menſe Januario, febre valida correptus decubuit. Qui ſicut ſolebat vitali morbo cibi abſtinentiam ſibi indixit, credens morbum ita depelli; ſed accedente ad febrem lateris dolore, quem Græci pleureſim vocant, illoque nihil cibi recipiente, corpuſque ſuum potu rariſſimo ſuſtentante, VII. poſtquam decubuit die ſacra communione recepta, ſpiritum exhalavit V. calendas Februarii, & apud Aquiſgrani in capella B. Mariæ formoſiſſima honorifice ſepelitur. Tunc Ludovicus filius ejus, qui in Aquitania apud Theoduadum hibernabat, hoc audito, XIII. die poſt mortem patris Aquiſgrani venit, & conſenſu populi in imperio patri ſucceſſit.

Ludovicus cognomento Pius, filius Caroli-Magni, tempore Leonis, Stephani, Paſcalis, Eugenii, Valentini & Gregorii imperat annis XXVI. Iſte fuit forma decorus, armis ſtrenuus, fide catholicus, litteris eruditus, ſuper omnes homines pius. Cujus imperii ingreſſus ſecundus fuit & placidus, ſed finis peſſimus. Hic de Hermengarde uxore genuit Lotharium, Pipinum, & Ludovicum, & poſtea de alia uxore nomine Judith, genuit Carolum-Calvum. Iſte primo anno imperii per Richoinum comitem Pictavenſem cum Leone imperatore pacem firmavit, Lotharium filium ſuum in Bajoariam & Pipinum in Aquitaniam miſit. Tunc Karioldus & Reginfredus reges Danorum, qui a filiis Godefridi victi & regno pulſi fuerant, reſumtis viribus, iterum cum eis pugnant, iterumque vincuntur. Reginfridus etiam ibi occiditur. Quo facto, Arioldus ad Ludovicum imperatorem fugit, qui ei auxilium ſuum promiſit. Et eodem anno obiit Leo papa, cui ſucceſſit Stephanus, qui mox Gallias veniens, & honorifice a Ludovico imperatore ſuſceptus, multos captivos per Franciam redemit, & poſt VI. menſes Romam reverſus obiit. Cui ſucceſſit Paſcalis, qui corpora martyrum Urbani papæ, Tyburtii & Maximi, & S. Ceciliæ & Valeriani ſponſi ejus divinitus revelata levavit. Autiſſiodoro poſt Aaron Angelelmus, vir ita eleemoſynis & largitate deditus, quod ſe ægrotantem & infirmum ſæpius ſimulavit, ut abſque ullius contradictione hominis univerſa quæ habere poterat in uſus pauperum erogaret.

Anno Ludovici ſecundo fit terræmotus per V. continuos dies menſe Auguſto.

Anno Ludovici III. Gaſcones ab ejus dominio deſciſcunt; ſed ab exercitu ejus edomiti, cito reſipiſcunt. Tunc Ludovicus imperator dedit eccleſiæ B. Martini Adriſiacum, nonas & decimas dominicalium rerum, & quod canonici theloneum vel aliam conſuetudinem non reddant, & quod habeant duodecim naves quittas per flumina regni, & tertiam partem oblationum eccleſiæ ſuæ: ita quod cera & oleum & alia ſepulchro neceſſaria remanerent, & quod monachi Cormaricenſes non poſſint eligere abbatem ſuum ſine conſenſu canonicorum S. Martini Turonenſis. Immo ſint ei ſubjecti; & quod canonici ex ſeipſis eligant abbatem ſuum.

Anno Ludovici IV. miſit Abdirama filius Abulas rex Sarracenorum ad imperatorem legatos de pace, & ſimiliter Godefridi filii Danorum. Tunc cum imperator ab eccleſia in cœna Domini remearet, porticus lignea per quam incedebat ſuper eum corruit, a qua læſus cito convaluit. Poſtea Aquiſgrani concilio adunato, Lotharium primogenitum ad imperium coronavit, & ei Italiam regendam commiſit, & Pipinum Aquitaniæ & Ludovicum Germaniæ reges fecit. Tunc Bernardus rex Italiæ nepos ejus de conjuratione contra eum facta accuſatus & convictus, primo regno & oculis, dehinc vita privatur. Cujus rei epiſcopi complices, & alii laici exiliantur, miſitque imperator legatos per omne regnum & imperium, qui pauperum & oppreſſorum querelis ſatisfacerent.

Anno Ludovici V. idem Ludovicus minorem Britanniam ingreſſus, regem terræ illius Normannum nomine occidit, & terram ſibi ſubjugavit, in cujus reditu Hermengardis regina uxor ejus Andegavis obiit V. nonas Octobris.

Anno Ludovici VI. Cloamir rex Abroditorum ab imperatore deficit, & ad Danos transit. Pro quo ipse & Lupus dux Gasconiæ a Ludovico exiliantur, & tunc duxit imperator in uxorem Judith, filiam Hunelpi comitis. Et eodem anno obiit Herlingus Turonensis archiepiscopus, anno episcopatus XXVII. cui Joseph successit.

Anno Ludovici VII. fuit pestilentia hominum & boum, & pluviæ inauditæ: ita quod frumenta & legumina perierunt. Et tunc Theodulfus episcopus Aurelianensis, prius abbas Floriacensis, qui Andegavis retrusus erat in carcere pro seditione quam & ipse & Bernardus rex Italiæ & alii contra imperatorem fecerant, in Ramis Palmarum cantabat versus in carcere *Gloria, laus & honor, &c.* & ob hoc ab imperatore liberatus est. Post Leo imperator Græcorum a suis in palatio occiditur instinctu Michaëlis comitis. Cui idem Michaël successit. Et tunc Lotharius Ludovici imperatoris filius Hermengardem Hugonis comitis filiam duxit in uxorem.

Anno Ludovici VIII. fecit imperator Ludovicus partitionem sui regni jurare inter filios. Tunc in Saxonia in modum aggeris terra intumuit spatio unius leugæ in una nocte.

Anno Ludovici X. Lotharius in Pascha Romam ingressus, a Paschali papa in ecclesia S. Petri ad imperium coronatur. Tunc Droco frater imperatoris Ludovici Metensis episcopus ordinatur. Terræmotus in Saxonia factus est magnus, & XXIII. villæ cœlesti igne cremantur, & per XXII. dies homines & bestiæ fulminibus perimuntur, & fruges grandine perimuntur, quæ omnia hominum mortalitas est secuta. In territorio autem Tullensi in villa Commerciaco puella duodennis in Pascha post sacram communionem a sacerdote susceptam, primum solo pane per x. menses; post omni cibo & potu per triennium abstinuit, & post ad communem vitam hominum rediit.

Anno Ludovici XI. obiit Paschalis Papa, cui successit Eugenius. Imperator vero totam Britanniam devastavit; & Lotharius filius ejus Romam profectus, & ab Eugenio papa susceptus, statum populi depravatum correxit. Tunc misit Michaël imperator Græcorum Ludovico imperatori libros Dionysii Areopagitæ de Græco in latinum translatos, quos idem Dionysius compilavit de Ierarchia, id est, sacro principatu, in quorum adventu virtute martyris XIX. ægroti sanantur.

Anno Ludovici XII. clarebat Rabanus sophista, poëta famosissimus, abbas Fuldensis, qui librum de sancta cruce composuit.

Anno Ludovici XIII. Herioldus rex Danorum cum uxore & filiis Maguntiæ baptizatur; pro quo imperator partem Frisiæ & alia munera ei dedit. Tunc Hilduinus abbas S. Dionysii Romam mittens, ab Eugenio papa corpus S. Sebastiani accepit, & illud Suessionis in S. Medardi basilica collocavit. Corpora quoque Marcellini & Petri a Roma in Franciam in abbatiam Bonævallis sunt translata.

Anno Ludovici XIV. filii Godefridi de consortio regni Danorum ejiciunt Herioldum; & tunc obiit Eugenius papa, cui successit Valentinus. Quo infra XL. dies defuncto, Gregorius successit; qui festum omnium Sanctorum, quod solummodo Romani celebrabant, per totam Galliam & Germaniam celebrari fecit, & corpus Gregorii magni levavit. In Gasconia annona de cœlo pluit, frumento similis, sed grana breviora rotundina habens. Hoc anno Italicus imperatoris exercitus classe in Africa transvectus, multorum Afrorum stragem fecit.

Anno Ludovici XV. commotio & simultas filiorum & optimatum ejus oritur contra eum. Hoc anno qui est annus ab initio mundi quadrimillesimus DCCLXXXVIII. finitur nonus magnus annus ab initio mundi, qui est annorum DXXX. duorum.

Anno Ludovici XVI. obiit Michaël imperator Græcorum, cui successit in imperio Theophilus filius ejus.

Anno Ludovici XVII. Sarraceni Siciliam incursantes, Lipparim insulam, ubi corpus Bartholomæi apostoli jacebat, devastant, & ossa apostoli huc illucque ne invenirentur dispergunt; sed apostolo revelante, a quodam monacho sunt postea inventa, & apud Beneventum translata, prius enim in India eum martyrisatum pagani propter miraculorum evidentiam in mare cum vase plumbeo jactaverunt, & inde ad hanc insulam divinitus est delatum.

Anno Ludovici XVIII. plures ex suis optimates exauctorizavit, alios bonis privavit, alios exiliavit, & ob hoc filios suos & optimates contra se exacerbavit.

Anno Ludovici XIX. consensu Gregorii papæ & episcoporum & magnatum judicio pius imperator depositus imperii dignitatem, & a Lothario filio suo captus, Suessionis in ecclesia S. Medardi ad peragendam pœnitentiam est inclusus: Judith vero uxor in Italiam relegatur, & Carolus Calvus filius ejus junior *Prum* castro incarceratur. Hoc anno sol & luna per eclipsim deficiunt, & adversis secunda succedunt. Nam populi ad pœnitentiam versi, Ludovicum imperatorem in imperium revocant, & in pristina dignitate collocant, Lothario filio ejus inhibentes, ne extra Italiam egrederetur. Alii quoque filii ejus Pipinus & Ludovicus veniam pro commisso poscentes, patri reconciliantur.

Anno Ludovici XX. idem imperator Judith uxorem suam ab Italia revocavit, & Carolum Calvum filium suum a carcere liberavit.

Anno Ludovici XXI. tranſlatæ ſunt reliquiæ Viti martyris a Pariſiis uſque Corbeiam Saxoniæ.

Anno Ludovici XXII. Ebbo Remenſis archiepiſcopus & multi alii epiſcopi, qui in dejectionem imperatoris conſpiraverant, exilio retruduntur.

Anno Ludovici XXIII. cometes in ſigno libræ apparuit.

Anno Ludovici XXIV. Etelluphus regnabat in Anglia, qui regnum Angliæ diviſum revocavit in unum, & Romanæ eccleſiæ perſolvit tributum, ſcilicet de unaquaque domo IV. denarios; & tunc in ſigno arietis cometes apparuit, & per cœlum ſtellarum igniculi diſcurrebant.

Anno Ludovici XXV. Sarraceni uſque ad portum Romanum venientes, a Romanis & Neapolitanis ſibi adjuvantibus pene delentur.

Anno Ludovici XXVI. idem imperator filio ſuo Lothario ſub fide ad ſe venienti reconciliatur, rurſuſque ei imperium Italiæ derelinquit, & Ludovico regnum Germaniæ & Saxoniæ, & Carolo Calvo regnum Franciæ, Burgundiæ & Aquitaniæ, quoniam Pipinus filius ejus mortuus erat. Nec multo poſt Lotharius terram quæ erat ultra regnum invaſit. Quo audito, Ludovicus imperator contra eum iter arripuit, ſed in itinere morbo fatigatus obiit anno Domini DCCCXL. & ætatis LXIII. cujus corpus a Drogone Metenſi epiſcopo fratre ejus in eccleſia S. Arnulphi, ubi mater ejus fuerat tumulata, tumulatur.

Lotharius filius Ludovici tempore Gregorii, Sergii, Leonis, Benedicti & Pauli imperat annis XVI. menſibus IV. Hujus anno I. cometes in ſigno aquarii apparuit. Nec mora Carolus & Ludovicus fratres Lotharii, dolentes ſe a debita parte regni a fratre privari, contra eum in pago Autiſſiodorenſi, apud campos Fontanidos in bello conſurgunt, eumque vincunt, ubi utriuſque partis cædes facta eſt inaudita, ita quod ſuos terminos ab hoc tempore ab externis defendere minime potuerunt. Quo audito, Haſtingus cum innumera Danorum multitudine Franciam ingreſſus, oppida, rura, vicos flamma, ferro, fame depopulatur. Galliæ itaque ſuperioris finibus aſcenſis, Turoniam venit, ibique Ambaſia, & univerſis quæ inter Ligerim & Carum fluvios continebantur in favillam redactis, Turonos obſidet: cumque urbem crebris aſſultibus infeſtaret, Turonici viribus diffidentes, corpus B. Martini flentes & dolentes rapiunt, & ſuper murum quo belli violentior impetus erat, mortuum pro vivis propugnatorem opponunt. Quid plura? Virtute ſancti Dani fugiunt, fugientes Turonici perſequuntur, ſecum corpus B. Martini cum laudibus deferentes, ſicque pars Danorum gladio cadit, pars capta reducitur, pars altera fugiens ſic evaſit. Turonici vero cum gaudio redeuntes in loco, quo ſancti ſubſtitit corpus, dum Danos fugarent, in honore ſancti fabricaverunt eccleſiam, quæ propter belli eventum S. Martini bellum ab incolis nuncupatur. In loco autem quo corpus ſancti poſitum fuerat ſupra murum, ſimiliter in honore ſancti conſtruxerunt eccleſiam, quæ S. Martini Baſilica nominatur, in qua dicunt aulam Valentiniani imperatoris fuiſſe, qui B. Martino aſtanti aſſurgere noluit, donec ignis eum à ſede compulit elevare. In honore vero ſancti eo die quo de Danis habuerunt victoriam, ſcilicet IV. idus Maii inſtituerunt ſolemnitatem annuam celebrandam, quam ſubventionem proprie nuncuparunt. Dani vero qui remanſerant in unum congregati, per mare Britannicum Ligerim ingreſſi, aggrediuntur Nannetem civitatem, & in Sabbato ſancto Paſchæ epiſcopum fontes benedicentem trucidant, clerum & populum diverſis cruciatibus occidendo. Contra quos Carolus-Calvus rex cum Britonibus & Francis viriliter occurrens, eos fortiter debellavit.

Anno Lotharii II. ſuper pace fraterna XL. proceres eliguntur, qui regnum inter eos æqualiter dividerent: qui convenientes ad urbem Viridunum, datis hinc inde juramentis, pacem inter fratres fecerunt: ita quod Carolo-Calvo remanſit terra à Britannico oceano uſque ad Moſam fluvium, & ex inde Francia nuncupatur. Ludovico orientalia regna ceſſerunt, ſcilicet Germania uſque ad Rhenum, & aliæ civitates ultra Rhenum propter vini copiam. Lothario vero remanſit imperium Romæ & Italiæ regna, & media pars Franciæ inter Scaldum & Rhenum, quæ ab eo fuit Lotharingia nuncupata.

Anno Lotharii III. Carolus-Calvus Abroditos rebellantes bello perdomuit, & regem eorum occidit. Romæ poſt Gregorium Sergius, ad cujus electionem confirmandam Ludovicus filius Lotharii a patre miſſus, a papa in regem Longobardorum inungitur. Hic Sergius Os porci vocabatur, unde ab illo poſtea omnes papæ nomina propria mutaverunt.

Anno Lotharii IV. Mauri Beneventum occupant, & obiit Joſeph Turonenſis archiepiſcopus anno epiſcopatus XXIV. cui ſucceſſit Landrannus.

Anno V. Lotharii Theodora cum Michaële Græcorum imperatore filio ſuo imperat.

Anno Lotharii VI. Ludovicus frater ejus rex Germaniæ, XIV. duces Bohemiæ cum ſuis baptizari fecit.

Anno Lotharii VII. obiit Landrannus Turonenſis archiepiſcopus anno epiſcopatus IV. cui ſucceſſit Urſmarus.

Anno Lotharii IX. Helena imperatrix Conſtantini mater, Romæ in eccleſia martyris Marcellini & Petri ſepulta, in Franciam a Theogiſo monacho tranſfertur, & in dioceſi

Remenſi honorifice ſepelitur.

Anno Lotharii XI. miſit idem imperator in Gallias ad Indam monaſterium reliquias S. Hermetis, & tunc fuit tanta fames in Germania, quod pater filium volebat devorare, & ob hoc Rabanus Maguntiæ archiepiſcopus multa pauperibus erogavit.

Anno Lotharii XII. Etelvulfius rex Angliæ Romam pervenit, ibique coram Leone papa tributum Angliæ S. Petro obtulit, & inde rediens, Judith filiam Caroli-Calvi, in uxorem duxit, ſed ex ea filios non habuit. Tunc Carolus-Calvus filios Pipini fratris ſui, Pipinum ſcilicet & Carolum regnum ſuum inquietantes cepit, & monachos fecit. Senonis poſt Aldricum Guenilo, qui corpus B. Germani incorruptum de terra levavit, & in theca repoſuit.

Anno Lotharii XIV. Leone papa mortuo, ſucceſſit Benedictus, quo a papatu ejecto, Anaſtaſius epiſcopatum invadit; ſed ſtatim a legatis imperatoris de ſede ejicitur, & in carcerem retruditur, & Benedictus iterum relocatur.

Anno Lotharii XVI. Lotharius, partito inter filios regno, abrenunciat ſæculo, & in Prumia monaſterio monachus factus, non multum poſt moritur, & in ſancti Salvatoris baſilica ſepelitur, cui ſucceſſit Ludovicus filius ejus in imperio, & Lotharius junior filius ejus in Lotharingiæ regno. Et eodem anno Dani Flandriam venientes, S. Quintinum & urbem Sueſſionis, & Pariſius cum adjacenti terra deſtruxerunt, & combuſſerunt, & S. Genovefæ Pariſienſis eccleſiam cremaverunt. Quo facto, Turoniam redeunt, regionem concremant, Andegavim urbem obſident & oppugnant. Quos Carolus-Calvus adunato exercitu viriliter inſecutus, auxilio Salomonis regis minoris Britanniæ, Andegavim obſidet & impugnat. Cumque Dani diverſis affultibus laceſſiti venire ad deditionem compulſi fuiſſent, Carolus rex, invito exercitu, a Danis recepta pecunia, eos abire permiſit, ſicque Haſtingus per pelagus Italiam rediens, Lunam civitatem cepit, & ibi remanſit, & factus eſt Carolo ex inimico amicus. Elapſis poſt Haſtingui incendia tribus luſtris, Rollo cum innumera Danorum multitudine, Secanam, Ligerim, Garumnam navigio ingreſſus, in feſto S. Johannis Nannetum venit, & urbe peſſumdata, Gurnardum* urbis epiſcopum miſſas celebrantem ad altare S. Ferreoli decollavit, & poſt urbem Andegavim devaſtavit: deinde Cenomannica urbe obſeſſa, procuratores ſui exercitus Turonis delegavit, qui urbe deſtructa, bona terræ diriperent, & vinculatos loci incolas captivarent. Sed auxilio B. Martini tanta Cari & Ligeris excrevit inundantia, quod non potuerunt Dani ad urbem Turonicam pervenire. Quo viſo, cœnobium Majoris-monaſterii combuſſerunt, & ibi c. & XVI.* monachos occiderunt. Herbernum vero abbatem extractum a latebris tormentis variis affecerunt, ab eo theſauros eccleſiæ requirentes, & monachos in latebris latitantes. Sed pius paſtor nec theſauros eccleſiæ prodidit, nec latitantes filios revelavit. Quo facto, Danis recedentibus canonici B. Martini audito Majoris-monaſterii infortunio, dolentes & flentes ad locum accedunt, & Herbernum abbatem cum XXIV. monachis ſuis, qui remanſerant, ad ſuam ſecum deducunt eccleſiam, eis in omnibus neceſſaria miniſtrantes: auditoque quod Cenomannis capta, Rollo redire diſponeret, habito diligenti conſilio, corpus B. Martini primo apud Floriacum, deinde Cableias, & poſt apud Autiſſiodorum portaverunt. Cujus cuſtodes fuerunt Herbernus abbas Majoris-monaſterii cum XXIV. monachis ſuis & XII. canonici, & XXII.* burgenſes Caſtri-novi, qui eis neceſſaria miniſtrabant. In adventu itaque beati tanta miracula Autiſſiodoro in eccleſia S. Germani fiebant, quod ibi peregrini innumeri affluebant, tantuſque oblationis excrevit cumulus, quod inter Autiſſiodorenſes clericos avaritiæ ſtimulis agitatos, & canonicos B. Martini diſcordiam ſeminavit. Nam Turonenſes virtutes quæ fiebant B. Martino aſcribebant, cum ante adventum ejus ibidem virtutes non fierent. Autiſſiodorenſes vero eas factas a S. Germano viriliter aſſerebant. Sicque eis hinc inde contendentibus, in medio præſulum leproſus ponitur, tali pacto, quod ſi a parte B. Martini leproſus ſanaretur, & pars altera incurata remaneret, B. Martino miraculum aſcriberetur, ejuſque clericis oblatio quittaretur. Si autem a parte S. Germani e contrario ſanaretur, & ſananda pars alia remaneret, miraculum S. Germano aſcriberetur, & in ejus clericorum uſus oblatio deveniret. Quid plura? leproſus a parte beati Martini ſanatur, & pars altera ſananda differtur. Rurſuſque ad majorem evidentiam, pars ſananda verſus beatum Martinum vertitur, & ſtatim ſanatur, & ſic fuit inter clericos lis ſopita, & miniſtris beati Martini deinceps oblatio perſoluta. Rollo vero Cenomannis deſtructa, & aliis occidentis partibus devaſtatis, Secanam & Sagunnam ingreſſus, Clarum-montem cum toto territorio devaſtavit, & poſt provinciam Senonenſem, & deinde veniens Floriacum, ibi LX. monachos trucidavit.

Tunc obiit Urſmarus Turonenſis archiepiſcopus anno epiſcopatus X. cui ſucceſſit Almaricus.

Anno Ludovici II. obiit Almaricus Turonenſis archiepiſcopus anno epiſcopatus II. cui ſucceſſit Herardus.

Anno Ludovici IV. & Caroli-calvi XIX. Franci contra Carolum-calvum repugnantes, Ludovicum fratrem ejus regem Germaniæ ad regnandum ſuper ſe invitant, quod inconſulto aggreſſus, turpiter alienis exceſſit

* al. Gurmardum & Guarardum.

* al. CXXVI.

* al. XII.

finibus. Eodem anno facta eſt apud Tuſciacum Tullenſis diœceſis generalis ſynodus xiv. archiepiſcoporum cum ſuffraganeis ſuis, qui auctoritate Nicolai papæ, & Caroli-calvi juſſione, necnon ad preces Herardi Turonenſis, eccleſiam S. Martini exemtaverunt, & eam ab omni conſuetudine in perpetuum quittaverunt.

Anno Ludovici v. & Caroli xx. principibus Franciæ inter ſe diſcordantibus, Britones deſtitutam terram invadentes, uſque Pictavis omnia vaſtaverunt. Quos redeuntes rex Carolus proſecutus, Britanniam cum Francis intrat; ſed Franci a Britonibus vincuntur. Cumque Numeneus rex Britonum inſtaret ad Francos & regnum Franciæ ſubmittendum, viſum eſt ei aſſiſtere ſibi S. Maurilionem Andegavenſis urbis olim epiſcopum, a quo in capite baculo percuſſus, iram Dei digna morte perſenſit. Tunc facta eſt deſcriptio villarum S. Martini Turonenſis, & dedit Carolus Miliacum & Dompnam-Mariam eccleſiæ B. Martini ad refugium fratrum, pro anima videlicet matris ſuæ, & hoc ad preces Hugonis abbatis propinqui ſui, & ad preces Herardi archiepiſcopi Turonenſis.

* *al.* Miliciacum.

Anno Ludovici vi. & Caroli-calvi xxi. Ludovicus rex Germaniæ frater Caroli multa prælia contra Sclavos ſtrenue geſſit, & Raſtrix principem eorum cepit, & oculos ejus propter violatam fidem cui juſſit.

Anno Ludovici vii. & Caroli xxii. corpora Urbani papæ & Tiburtii martyris Autiſſiodorum ſunt delata, & Leuculfus dux Saxonum *par. Othonis ducis, avus Henrici regis, corpus Innocentii papæ a Roma in Saxoniam tranſtulit. Etellulfo rege Angliæ mortuo, ſucceſſit ei Effredus filius ejus, qui convertit ad fidem magnam partem Danorum, qui Angliam infeſtabant; ceteri autem fugerant navigio in Franciam cum Haſtingo duce eorum, qui Gurmundus a populo vocabatur. Et tunc Nicolaus papa inſtituit, quod mortuo papa, ſtatim cardinales ad eligendum alium convenirent.

* f. pater *vel* parens.

Anno Ludovici viii. & Caroli xxiii. Lotharius rex Lotharingiæ Ludovici imperatoris frater, pellicem ſuperducens Thiebergæ conjugi, cum aſſenſu archiepiſcoporum, ſcilicet Guntarii Colonienſis & Thiegardi Trevirenſis, magnam ſibi calamitatem paravit: nam archiepiſcopi a Nicolao papa depoſiti fuerunt, ipſe vero abjecta pellice, uxorem recepit. Nec multo poſt ea repudiata, pellicem recepit, nec eam ultra deſeruit.

Anno Ludovici ix. & Caroli xxiv. dedit idem Carolus rex eccleſiæ beati Martini Liradum ad preces Herardi archiepiſcopi Turonenſis.

Anno Ludovici x. & Caroli xxv. miſit Nicolaus corpora Euſebii & Pontiani martyrum in Gallias.

Anno Ludovici xi. & Caroli xxvi. rex Bulgarum cum tota gente baptizatur, nec multo poſt abrenuntians ſæculo monachus efficitur; cui ſucceſſit filius ejus in regno: ſed ſequenti anno cum idem filius rex noviter factus juveniliter agens, ad gentilitatis cultum vellet redire, pater ejus hoc audito, de conventu monachorum egreditur, & militiæ cingulo & regio cultu reſumto, filium inſequitur, eumque captum incarcerat & oculis privat, filioque ſuo juniore rege facto, ſacrum habitum recepit, & ibi uſque ad finem vitæ perſeveravit. Romæ poſt Nicolaum Adrianus.

Anno Ludovici xii. & Caroli xxviii. erat Michaël imperator Græcorum ita ſenſu diminutus, quod familiares ſuos jubebat occidi, & ſtatim ad ſe rediens pœnitebat: inter quos quemdam pauperem Baſilium nomine ſibi aſciverat, & cubicularium factum ad tantos honores provexerat, ut alter imperator appellaretur. Hic dum ſæpe ab imperatore per inſaniam juberetur occidi, ſibi timens, elegit potius imperatorem occidere, quam occidi ab eo, & ita eo occiſo, imperavit poſt eum xii. annis, & miſit Ludovico Germaniæ regi criſtallum miræ magnitudinis cum parte non modica S. Crucis.

Anno Ludovici xiv. Caroli xxix. corpus S. Mauri, quod propter timorem Danorum in Burgundia fuerat a Glannafolio deportatum, transfertur ad Foſſatenſe monaſterium. Tunc obiit Tertullus Andegavenſis anno principatus xxx. cui ſucceſſit Ingelgerius filius ejus præ aliis formoſus, largus, eloquens, & facetus.

Anno Ludovici xv. & Caroli xxx. Lotharius rex Lotharingiæ, frater Ludovici imperatoris, Romam perrexit, ibique coram Adriano papa, tam ipſe, quam optimates regni ſui, ſuper crimine quo accuſabatur, ſe per ſuſceptionem Corporis & Sanguinis Domini purgaverunt; ſed infra annum perierunt, qui temere receperunt. Ipſe autem Lotharius rex in reditu Placentiæ defunctus eſt: cujus regnum Carolus-calvus & Ludovicus frater ejus inter ſe æqualiter diviſerunt. Porro Carolum-calvum regem Francorum domeſtica calamitas in filiis ſuis afflixit: nam Carlomannum in clericatum uſque ad diaconatum provectum ipſe pater cepit & excœcavit, pro eo quod ad apoſtaſiam converſus, & omni genere nocendi regnum perturbans, quaſi alter Julianus effectus erat. Alter autem filius ejus Carolus, dum inconſulte voluiſſet experiri expertam cujuſdam Albuini militis fortitudinem, & ſibi ſolus congreſſus fuiſſet, ab Albuino ignorante quis eſſet, peremtus eſt. Eodem anno ſcilicet DCCCLXXI. dicunt S. Eadmundum regem Angliæ fuiſſe martyrizatum. Tunc obiit Herardus Turonenſis archiepiſcopus, anno epiſcopatus xv. cui ſucceſſit Actardus.

Anno Ludovici xvii. Caroli xxxii. obiit Adrianus

Adrianus papa, cui ſucceſſit Johannes, qui vitam B. Gregorii ſcripſit. Tunc Adalgiſus rex Beneventanorum a Græcis ſeductus, contra Ludovicum imperatorem rebellat, & multas urbes Italiæ ab eo deficere fecit. Cui imperator viriliter repugnans, Beneventum & Capuam capit; ſed dolo Adalgiſi exercitum dimittens, quaſi captus, juravit Adalgiſo ſe de cetero in fines Beneventi non intraturum, & ob hoc Adalgiſus a ſenatu Romanorum reus eſſe læſæ majeſtatis & hoſtis publicus judicatus, bello inito in Corſicam eſt fugatus. Per hos dies Carolus junior Ludovici regis Germaniæ filius in præſentia optimatum a dæmonio vexabatur, dicens ſibi hoc accidiſſe, eo quod conſpirationem moliebatur facere contra patrem.

Anno Ludovici imperatoris XVIII. Caroli XXXIII. obiit Actardus Turonenſis archiepiſcopus, anno epiſcopatus II. cui ſucceſſit Adalardus. Tunc Ludovicus Balbus filius Caroli-calvi miles jam adultus, Ingelgerium juvenem filium Tertulli militem fecit, & vicecomitem Aurelianenſem eum conſtituit. Inſuper dedit ei ſeneſcalliam Turonenſem; nec multo poſt data eſt ei Aalix neptis Adalardi Turonenſis archiepiſcopi in uxorem, cum qua recepit Ambaſiam, Buſenciacum, & Caſtellionem, & inſuper a Ludovico Balbo dimidium Andegaviæ comitatum: quia tunc temporis ultra Meduanam alius comes erat. Hic Ingelgerius dominam de Caſtro-Laudum, quæ matrina ſua erat, & accuſata de adulterio in bello defendit, & accuſatorem occidit, & ob hoc domina illa Caſtrum-Laudum dedit ei & in perpetuum conceſſit.

Anno Ludovici XIX. & Caroli-calvi XXXIV. in Italia Brixiæ tribus diebus & tribus noctibus ſanguis de cœlo pluiſſe narratur. Tunc Normanni a regno Ludovici regis Germaniæ tributum petentes, ab exercitu ejus cœlitus vincuntur.

Senonis poſt Egil præfuit Anſigiſus, cui Johannes papa primatum totius Galliæ & Germaniæ contulit: cui Iſmarus Remorum archiepiſcopus reſiſtere voluit, ſed a papa compreſſus eſt. Dedit etiam idem papa eidem Anſigiſo caput B. Gregorii Magni papæ, & brachium B. Leonis papæ & doctoris, quæ Senonis in eccleſia B. Petri Vivi poſuit.

Tunc Carolus-calvus Compendium villam reædificavit, & Carolopolim vocavit, & ibi poſuit de ſindone Domini, & apud ſanctum Dionyſium clavum & ſpinam coronæ Domini. Per hos dies Salomon rex Britanniæ moritur. Quo mortuo, Britones pro contentione regnandi inteſtino inter ſe colliduntur bello, & ita a Galliæ ceſſant exterminio.

Anno Ludovici XXII. Caroli-calvi XXXVII. idem Ludovicus imperator nepos Caroli-calvi in Italia moritur anno Dñi DCCCLXXVIII. filium ſolummodo habens. Cumque Carolus-calvus hoc audiſſet, Romam perrexit, ubi a Johanne papa & Romanis per munera conciliatis imperator efficitur. Effredo rege Angliæ mortuo, Eduardus filius ejus ei ſucceſſit.

Carolus-calvus tempore Johannis imperat anno uno menſibus novem. Hujus anno primo Ludovicus rex Germaniæ frater ejus contra Carolum bellum parat, eo quod ſe inconſulto imperium uſurpavit. Carolus vero poſt adeptum imperium ultra ſe elatus, conſuetudines Francorum vilipendens, græcas glorias, & inſolitos habitus affectabat, & talari dalmatica indutus, baltheo deſuper accinctus, pendente uſque ad pedes, capite vero involuto velamine ſerico, & diademate ſuperpoſito procedebat. Nec multo poſt Ludovicus rex Germaniæ, frater Caroli imperatoris moritur, relinquens tres filios, Ludovicum minorem & Carolum Groſſum, qui poſtea imperavit, & Carlomannum patrem Arnulfi imperatoris. Tunc Carolus imperator de morte fratris gaviſus, cum L. millibus hominum contra filios fratris ſui uſque Coloniam pervenit, injuſtitiam, quam contra fratrem conceperat, ſi poſſet, in ejus filios impleturus. Sed filiis Ludovici alias occupatis, Ludovicus junior frater eorum, legatione ad Carolum imperatorem patruum ſuum miſſa, rogabat ea quæ pacis ſunt, quod cum impetrare non poſſet, cum Carolo patruo ſuo pugnavit, eumque victum cum nimio exercitus damno, & multo dedecore fugere compulit.

Anno imperii Caroli II. Carolus imperator Romam profectus, Boſoni germano uxoris ſuæ, neptem ſuam, filiam Ludovici imperatoris in uxorem dedit, & data ei Provincia, eum in regem coronavit. Poſtea audiens fratrueles ſuos, ſcilicet Carlomannum & Carolum Groſſum contra ſe exercitum adducere, reditum parat. Sed in itinere a quodam Sedecia Judæo male potionatus Mantuæ moritur, Papiæque defertur anno Domini DCCCLXXX. & ſucceſſit in regno Francorum Ludovicus Balbus filius ejus, quem ex Hermentrudi genuerat, Lothario alio filio ejus ante eum defuncto, & imperio..... Carolus Groſſus filius Ludovici fratris ſui, Johanne papa ſatagente imperium transferre ad Ludovicum Balbum filium Caroli-Calvi. Quamobrem idem papa incarceratus eſt a Romanis.

Vide Annales Fuldenſes ad annum ſcilicet 878.

Carolus Groſſus nepos Caroli-Calvi tempore Johannis, Marini, Agapiti, Adriani, Baſilii & Stephani imperat XI. annis, duobus ante imperialem conſecrationem & IX. poſtea. Hujus anno primo Johannes papa egreſſus de carcere in Franciam veniens, cum Ludovico Balbo rege Francorum fere per annum moratus eſt. Tunc Jonas epiſcopus Aurelianenſis ſcripſit librum de Cruce Domini adoranda, & miſit illum Claudio Tau-

rinenſi epiſcopo, qui dicebat Crucem non eſſe adorandam, ita probans: Si adoratur Crux, adorentur puellæ, quoniam Virgo peperit Chriſtum, & adoretur præſepe, quia in eo reclinatus eſt Dominus, & adorentur aſini, quoniam ſuper aſinam ſedit Dominus. Per hos dies Rollo & infinita gens Danorum per pelagus Secanam ſunt ingreſſi, ſibi primo impetu Rotomagum vindicantes. Deinde Pariſius fere per annum obſidentes, ſpe decepti in Normanniam revertuntur, Bajocas evertunt, & poſtea Meldenſem urbem expugnantes, in Angliam tranſeunt, & Eduardum regem Angliæ ſibi fœdere colligunt, contaminantes partes maritimas incendiis & rapinis. Tunc Ludovicus Balbus rex Franciæ eccleſiæ beati Martini Turonenſis dedit Merlaum, Saudoiam, & Noientum ad preces Hugonis abbatis propinqui ſui. Iſte Ludovicus dicitur Balbus, vel Nihil fecit, eo quod nihil dignum memoria operatus eſt. Erat enim otiis, cibo & potui deditus, ſed erga Chriſti eccleſias largus & benivolus.

Anno imperii Caroli II. ſol hora dici nona ita obſcuratus eſt, ut ſtellæ in cœlo apparerent, nec multo poſt Ludovicus Balbus rex Franciæ moritur apud Compendium XII. cal. Maii anno Domini DCCCLXXXII. & regni ſecundo, uxorem ſuam ex ſe gravidam derelinquens. Tunc de regno Franciæ Francis varie ſentientibus, aliis iſtud filiis Ludovici Balbi de concubina deberi judicantibus, aliis Boſoni Provinciæ regulo illud promittentibus, aliis illud regno Germaniæ ſociare volentibus, divina providente clementia naſcitur rex legitima uxore Ludovici Balbi filius, qui Carolus eſt appellatus, quem Hugo abbas fere per octo annos ſervavit. Filii tamen Ludovici Balbi de concubina, Ludovicus ſcilicet & Carlomannus regnum Francorum inter ſe dividentes, regnant annis V. Boſonem ſemper perſecuti.

Anno Caroli imperatoris tertio, cum idem imperator, Carolo & Ludovico fratribus ſuis mortuis, hoſtes undique ſuperaſſet, regnum Germaniæ obtinuit, & deinde Romam veniens, a Johanne papa in imperatorem conſecratur. His diebus V. millia Normannorum a Francis in Gallia cæſa ſunt in Carbonaria ſilva. Deinde Normanni, adjunctis ſibi Danis, Franciam & Lotharingiam pervagantes, Ambianis, Attrebatis, Corbeiam, Cameracum, Tarvennam, fines Morinorum, Menapiorum, Brachbatenſium, omneſque circa Scaldim fluvium terram deſtruunt & incendunt.

Anno imperii Caroli IV. Godefridus & Sigifridus reges Normannorum cum inæſtimabili multitudine Leodium, Trajectum, Tungris, Coloniam Agrippinam, Bunnam, cum caſtellis adjacentibus comburunt, Hugone filio Lotharii regis ex Valtrada pellice in Lotharingia, & Boſone ſupraſcripto in Burgundia tyrannizantibus. Deinde Normanni Treverim incendunt, & Metis Chriſtianos in bello vincunt, in quo Walo Metenſium epiſcopus occiſus eſt. Cumque Galli & Germani ſic a Normannis viderent [ſe] opprimi, Carolum imperatorem ad auxilium convocant.

Anno imperii Caroli V. idem imperator in Germaniam veniens, Normannos obſedit: cum quo Godefridus rex facto fœdere, ut ſibi Friſia provincia & Gilla filia Lotharii regis ei uxor daretur, baptizatus eſt, & ab imperatore de ſacro fonte ſuſceptus; Sigifrido quoque nimis remunerato, eos a regno ſuo recedere fecit.

Anno imperii Caroli VI. Normanni Franciam repetentes, poſt multas everſiones a Carlomanno qui tunc in Francia regnabat, duodecim millia marcharum argenti pro tributo exigunt, & ſic XII. annis pacem promittentes mare repetunt.

Anno imperii Caroli VII. Rollone in Alemannia demorante, & regiones finitimas devaſtante, Franciaque a Normannis ſecura, Turonici Autiſſiodorum mittentes, ab Aunario Autiſſiodorenſi epiſcopo corpus beati Martini requirunt: quo negato, ad Carlomannum regem Franciæ tendunt, ut corpus beati Martini reſtitui faceret Turonicæ civitati, ſed a rege nihil potuerunt ſuper hoc impetrare. Quo viſo, conſilium ineunt cum Adalardo archiepiſcopo Turonenſi, Raimone Aurelianenſi, & S. Lupo Andegavenſi, ceteriſque qui ibi affuerant, quid ſuper hoc ſit agendum. Quorum judicio Ingelgerius comes Andegavenſis, qui nepos Hugonis ducis Burgundiæ erat, & apud Autiſſiodorum magnos redditus poſſidebat, ab omnibus humili prece requiritur, ut ſæpedictum antiſtitem ſuæ redderet civitati. Qui lacrymabilibus votis eorum diligenter annuens, exercitu adunato, Autiſſiodorum properat, corpuſque beati Martini invito civitatis epiſcopo pie rapiens, Turonicis præ gaudio lacrymantibus repræſentat. In cujus adventu miracula fiebant innumera: nam in quamcumque intrabat diœceſim, omnes infirmi ſanabantur, quocumque incommodo tenerentur, etiam non aſportati, non rogantes; & quod eſſe clementiæ majoris dinoſcitur, etiam inviti. Univerſæ ſiquidem arbores & fructeta tempore brumali, repugnante licet natura, floribus & foliis veſtiuntur, ſignaque per eccleſias * nullo remige divinitus pulſabantur, luminaria cereorum & lampadum ſimiliter accendebantur; ſicque corpus beati Martini idus Decembris anno a tranſvectione XXXI. in propria ſede cum debito honore & ſumma reverentia collocatur. Canonici vero B. Martini tanti beneficii non ingrati, Ingelgerio comiti ſuiſque ſucceſſoribus præbendam eccleſiæ B. Martini, necnon & terrarum ſuarum cuſtodiam contu-

* al. fine humano tamen

lerunt, & barones qui ad revehendum illud onus ſanctiſſimum cum comite interfuerant, magnis feodis ditaverunt; ſcilicet dominum Ambaſiæ de decima S. Cirici & medietate juſtitiæ Novi-caſtri, dominum de Puiſato de tribus villis prope Puiſatum ſitis, dominum de Baugentiaco de Vouvreio ſuper Ligerim, & de S. Symphoriano de Porcellis, dominum de Inſula de Bruhemmum & de Rivarenna, dominum de Semblençaio, de Vinagiis de ultra Ligerim & de Semblençaio villa præter fortitudinem; dominum de Caſtro-Gunterii de ſancto Antonio, dominum de *Blazun* de Metreyterra, dominum Montis-theſauri de feodo de *Poray*, * & multos alios nobiles de multis aliis feodis, quos longum eſt enarrare.

* al. Puré.

Nec multo poſt Carlomannus, qui tunc regnabat in Francia, moritur anno regni quinto, cui Ludovicus frater ejus ſucceſſit, ſed eodem anno obiit, cui Hugo qui conſervabat puerum in regni regimine, ſucceſſit non tamen diademate regni uſus. Tunc ſtatim Normanni verſus ſuperiorem Galliam revertuntur, contra quos Carolus imperator ad preces Francorum, apud Lovanium bis exercitum miſit, ſed nihil profuit. Tunc corpus Calixti papæ a quodam Radulpho in Franciam eſt tranſlatum. Per idem tempus obiit Adalardus Turonenſis archiepiſcopus anno epiſcopatus XVII. quo defuncto, Ingelgerius comes Andegavenſis & Fulco Rufus filius ejus, necnon Turoniæ & Andegaviæ proceres univerſi, Turonis veniunt, cleroque & populo de ſubſtituendo ſibi pontifice diligenter tractanti humiliter ſupplicant & devote, ut ſanctum ſenem Hebernum abbatem Majoris-monaſterii in patrem & patronum reciperent, eumque qui pretioſum Turoniæ theſaurum per XXX. annos exul ſervaverat, eumque propriis humeris a tam longinquis partibus pedeſtris revexerat, necnon itinere fatigatum & ſenio, in Turonenſi cathedra collocarent. Qui rationabilibus votis eorum protinus annuentes, eum in Turonenſem archiepiſcopum conſecrarunt; ſicque factum eſt, beati Martini ſuffragante ſuffragio, quod omnes qui cum eo exules fuerant ante quam ab ipſo regrederetur exilio, abbates & epiſcopi facti per univerſam Galliam immingerent.

Romæ poſt Johannem Marinus. Anno imperii Caroli VIII. obiit Baſilius Conſtantinopolitanus imperator, cui ſucceſſit Leo filius ejus, & imperavit XVIII. annis.

Romæ poſt Marinum Agapitus, quamvis in multis libris nomen illius non inveniatur; & nota quod iſti duo, ſcilicet Marinus & Agapitus tam pauco tempore ſederunt, quod nihil notabile peregerunt.

Eodem anno obiit Hugo abbas beati Martini Turonenſis, qui tenebat regnum Franciæ Carolo parvo. Franci vero neglecto Carolo parvo filio Ludovici Balbi, Odonem ducem Burgundiæ, filium Roberti ducis, qui a Normannis occiſus fuerat, regem ſibi præficiunt, eique Carolum parvum cuſtodiendum tradunt, tali pacto, quod poſt VII. annos Carolo parvo regnum Franciæ relinqueret, & Odo regni inſignibus depoſitis, dux in poſterum remaneret, retento nomine regis & honore, & in beneficium totam terram inter Sequanam & Ligerim a Pariſius & Aurelianis uſque ad oceanum perpetuo poſſideret, & ita eum in regem levaverunt anno Domini DCCCLXXXVIII. Tunc etiam obiit Ingelgerius comes Andegavenſis anno comitatus XVIII. cui ſucceſſit Fulco Rufus filius ejus, qui cum eo apud Autiſſiodorum fuerat ad corpus beati Martini evehendum. Huic itaque Fulconi dederat Hugo Magnus antequam moreretur alium dimidium comitatum Andegaviæ, dum haberet Carolum puerum in tutela. Nec multo poſt Fulco uxorem duxit filiam cujuſdam Galteri, cum qua recepit * Leucas, Villentras, & Hajam: de qua poſtea genuit Guidonem epiſcopum Sueſſionenſem; & Ingelgerium militem formoſiſſimum & famoſiſſimum, qui poſtea in bello a Normannis occiſus fuit, & Fulconem Bonum, qui ei in comitatu ſucceſſit.

* Loches, Villentrois, La Haie.

Anno imperii Caroli IX. Hugo filius Lotharii regis ex Waldrada pellice paternum Lothariæ regnum invadit, & Godefridum regem Normannorum ſibi aſſociat, mediante regni pollicita, ſed juſſu imperatoris & Godefridus perimitur & Hugo excœcatus Prumiæ monaſterio in monachum eſt attonſus.

Romæ poſt Agapitum Adrianus. Anno imperii Caroli X. Normanni a Lovanno exeuntes, Pariſius obſident, contra quos Henricus dux incaute equitans, in foveam, quam Normanni factam quiſquiliis operuerant, elapſus trucidatur.

Romæ poſt Adrianum Baſilius; poſt Stephanus anno I. poſt Formoſus. Anno imperii Caroli XI. idem imperator zelatus uxorem ſuam, eo quod cum Vercellenſi epiſcopo familiarius ſe agebat, juravit ſe cum ea numquam de cetero coiturum. Illa vero ſe virginem eſſe gaudens, accepto repudio, facta eſt monialis. Nec multo poſt idem imperator corpore & animo deficiens, ab optimatibus regni repudiatur, & Arnulfus filius Carlomanni regis, filii Ludovici regis Germaniæ, fratris Caroli-calvi fratruelis ejus, in imperium ſublimatur.

Arnulphus filius Carlomanni tempore Formoſi, Bonifacii, Stephani, Romani, Theodori, Johannis imperat annis XII. hic patruo ſuo Carolo ex imperatore etiam neceſſariis indigenti, fiſcos in Alemannia delegavit, qui ſequenti anno, poſtquam de imperio ejectus eſt, obiit. Tunc in Italia Berengarius & Guido de regno contendunt. Rodulphus au-

tem corona ſibi impoſita, rex Burgundionum ſtatuitur, quod regnum multo tempore duravit. Ab hoc tempore Luitprandus diaconus Ticinenſis eccleſiæ hiſtoriam ſuam orditur.

Romæ poſt Baſilium Stephanus. Sarraceni Fraxinetum caſtrum Italiæ occupant, & Italiam devaſtant; Normanni vero Pariſius expugnare non valentes, Burgundiam aggrediuntur, & Senonis urbem oppugnant, ſed non expugnant. Hinc Pariſius repetunt, & inde repulſi per Matronam fluvium, Trecas incendunt, & uſque Virdunum & Tullum urbes cunctas depopulantur.

Anno Arnulphi ſecundo Guido Berengarium bis victum ex prælio fugavit. Odo quoque rex Franciæ Danos ſuper Axonam fluvium bello vicit. Normanni iterum Pariſius repulſi, Britanniam appetunt, primo victores, poſtea bis a Britonibus victi, duodecim millia ſuorum ibi amiſerunt.

Anno Arnulphi III. Odone rege per conſilium Francorum in Aquitania demorante, Franci Carolum parvum duodennem, filium Ludovici Balbi a Fulcone Remenſi archiepiſcopo faciunt conſecrari, & exinde oritur longa concertatio inter ipſum & Odonem.

Romæ poſt Stephanum Formoſus Portuenſis epiſcopus in papam eligitur contra voluntatem quorumdam Romanorum, qui Sergium diaconum ſibi inſtituere volebant. Hic Formoſus cum prius in epiſcopatu Portuenſi reſideret, a Johanne papa prædeceſſore Marini in ſiniſtram ſuſpicionem habitus, timore papæ fugiens epiſcopatum reliquit, & a papa vocatus & redire nolens, excommunicatus fuit: ſed poſt ad ſatisfaciendum papæ in Gallias veniens, uſque ad laïcalem habitum degradatur, jurans ſe non amplius Romam intraturum, nec epiſcopatum ſuum repetiturum, confirmans etiam propriæ manus ſubſcripto ſe in laïcali communione perſeveraturum. Poſt a Marino ſucceſſore Johannis in epiſcopatu contra ſacramentum reſtitutus, non ſolum Romam intravit, ſed etiam papatum ſuſcepit, & ideo in eccleſia per multos annos quæſtio eſt exorta, quibuſdam dicentibus ordinationem ejus & ab eo ordinatorum irritam eſſe & inanem; aliis ex adverſo dicentibus legitimas eſſe, cum ipſe a Marino papa abſolutus fuerit a ſacramenti perjurio. Ab hoc Formoſo Arnulphus imperator invitatus Romam venit; ſed non admiſſus, Romam Leoninam obſedit, ſed forte lepuſculo verſus urbem fugiente, & exercitu illum cum clamore nimio ſequente, Romani timentes, ſe de muro projiciunt, & hoſtes muris confractis Romam capiunt. Arnulphus quoque imperator eos qui papam inquietaverant decollari fecit, & a papa in imperatorem conſecratur.

Anno imperii Arnulphi IV. & Caroli regis II. Garnegandus & Helena dederunt B. Martino eccleſiam S. Leobini de Sodobrio, & eccleſiam S. Dionyſii in villa Noginanto. Porro Carolus rex videns ſe ab Odone rege impeti, auxilium Arnulphi imperatoris implorat, ad cujus auxilium imperator exercitum miſit, ſed parum profuit.

Anno Domini DCCCXCV. & imperii Arnulphi V. Caroli regni III. Normanni Lotharingiam repetentes, circa Leodium cum Chriſtianis pugnant & vincunt, & Sinderoldum archiepiſcopum Maguntiæ martyrizant. Quo audito, Arnulphus imperator eos perſequens ſuper fluvium qui Tilia dicitur, pedeſtri prælio tot & tantos eorum trucidavit, ut vix remaneret qui ad claſſem nuntium reportaret, reliqui vero tranſvadata Moſa, Ripuariam & Ardennam vaſtantes trans mare receſſerunt.

Anno Arnulphi VI. & Caroli regis IV. Rollo cum Danis Carnotum urbem obſedit, ſed viſa camiſia B. Mariæ, quam Wantelinus epiſcopus tenebat in manibus, verſus in fugam, Rothomagum eſt reverſus. Hanc camiſiam attulit Carolus Calvus a Bizantio. Tunc Arnulphus imperator Zuendeboldum filium ſuum ex concubina regem Lotharingiæ fecit, & a Berengario Italico contra Guidonem in auxilium vocatus, Zuendeboldum in Italiam miſit, ſed nihil profuit. Tunc imperator Longobardiam ingreſſus, Pergamum urbem capit, & Ambroſium illius comitem ante portam ſuſpendens, ceteras urbes, timore incuſſo, ſibi ſubdidit.

Romæ poſt Formoſum Bonifacius diebus XV. poſt Stephanus anno uno. Hic primo epiſcopus Anagniæ Formoſum papam perſequens, ordinationes ejus irritas eſſe dicebat, & poſtea Formoſum papam mortuum a ſepulchro in pleno concilio extractum, & papali veſte exutum, veſte induit laïcali, & poſt duobus digitis dextræ manus ejus abſciſſis, eum fecit in Tiberim præcipitari. Porro Stephano papæ ſucceſſit Romanus menſibus III. diebus XXII. Poſt Theodorus diebus XX. Poſt Theodorum Johannes annis II. Hoc tempore claruit in Burgundia Bemo ex comite abbas Gigniacenſis cœnobii a ſe fundati. Qui etiam ex dono Avæ comitiſſæ conſtruxit Cluniacum cœnobium in cellam Gigniacenſem; & ſub iſto Bernone Odo muſicus, primum præcentor B. Martini Turonenſis, in monachum eſt profeſſus. Clarebat & Remigius Autiſſiodorenſis, a quo idem Odo fuit, ſicut dicitur, in dialectica & muſica eruditus. Et eodem anno obiit Odo rex Francorum anno regni IX. obteſtatus primates, ut Carolum in regno ſuſciperent; terram autem ſuam cum ducatu Burgundiæ Roberto abbati eccleſiæ B. Martini Turonenſis fratri ſuo reliquit. Carolus itaque qui & Simplex dictus eſt, toto Francorum regno recepto, in pace regnavit annis XXV. Sed quia ſapienter non gubernavit regnum in multis, poſtea Carolus Stultus

eſt appellatus. Hic Edivam Eduardi regis Anglorum filiam in uxorem duxit, ex qua filium nomine Ludovicum & filiam nomine Gilam poſtea procreavit.

Anno Arnulphi VII. Caroli regis V. reddidit Robertus abbas eleemoſynæ B. Martini eccleſiam S. Clementis, quam Odo rex frater ſuus ei abſtulerat.

Anno Arnulphi VIII. & Caroli regis VI. occiditur Fulco Remenſis epiſcopus a Wenemaro ſatellite Hilduini comitis Flandriæ, pro eo quod abbatiam S. Vedaſti Atrebatis a Carolo rege acceperat.

Anno Arnulphi IX. & Caroli VII. idem imperator uxorem Guidonis regis Italiæ & quoddam caſtrum obſedit. Quæ reſiſtere non valens, per unum familiarem imperatoris pecunia corruptum, eidem poculum mortis dedit. Quo hauſto, per triduum excitari non potuit, apertis oculis, nihil ſentire, nihil loqui valens, quæ res eum repedare coëgit. Quem recedentem Guido rex perſecutus, a Deo percuſſus obiit. Quo mortuo, Lambertus filius ejus in Italia contra Berengarium regnavit, nec multo poſt idem Lambertus moritur.

Anno Arnulphi X. & Caroli VIII. Berengarius ſolus regno Italiæ potitur.

Anno Arnulphi XI. & Caroli IX. reddidit idem Berengarius rex res Italiæ eccleſiæ B. Martini Turonenſis, ea conditione, quod in feriis ad matutinas *Domine, ne in furore*, ad veſperas *De profundis*, ad completorium *Domine exaudi* pro ſe & pro ſuis ſucceſſoribus dicerentur.

Anno Arnulphi XII. & Caroli regis X. idem imperator longa ægritudine diſſolutus eſt, & ut quidam dicunt a pediculis per totum corpus ſuum ſcaturientibus afflictus, quorum dolores cum arte medicorum non poſſent minui, mortuus eſt. Cui ſucceſſit Ludovicus filius ejus.

Ludovicus Arnulphi filius tempore Johannis, Benedicti, Leonis, Chriſtophori, Sergii imperat annis X. Hujus anno I. & Caroli regis XI. Huni Galliam, Germaniam, Italiam devaſtant: cum quibus Ludovicus imperator præliatur & vincitur: eoque victo, regnum ejus redigunt ſub tributo. Tunc & Zuendeboldus rex a Lotharienſibus in bello perimitur; in quo bello qui vulneratus fuit, aut mortem non evaſit, aut ſanari non potuit. Corrardus etiam comes pater Corrardi, qui poſt Ludovicum imperavit, perimitur in bello a comite Helberto.

Anno imperii Ludovici II. & Caroli regis XII. Leone imperatore Græcorum mortuo, Alexander frater ipſius imperat anno I. quo defuncto, Conſtantinus filius Leonis imperatoris imperat annis XXXIX. Romæ poſt Johannem Benedictus præſidet annis III. Tunc Carolus rex dedit capitulo B. Martini Turonenſis collationem præbendarum ſuarum ad preces Roberti abbatis: ita quod pro eo & aliis regibus Franciæ dicerent in feriis *Ad Dominum cum tribularer*, & *De profundis*.

Anno imperii Ludovici III. & Caroli regis XIII. incenſa eſt eccleſia B. Martini Turonenſis cum cum XXVIII. aliis eccleſiis, & toto caſtro ab *Heric* & *Haret* * Normannis. * al. *Baret.*

Anno Ludovici IV. & Caroli regis XIV. Romæ poſt Benedictum Leo, quem Chriſtophorus preſbyter ſuus incarceravit; ſed poſt VII. menſes à Sergio deponitur. Hic Sergius diaconus papa per Formoſum, a papatu eſt reprobatus, nam ab eodem Formoſo epiſcopus factus, ad Francos ſe contulit, & eorum auxilio Chriſtophorum incarceravit, & papatum invaſit; & in ultionem ſuæ repulſæ, quod dici nefas eſt, Formoſum qui ab aqua, ubi jactatus fuerat, extractus erat & tumulatus, extractum a tumulo, & in ſede pontificatus ſacerdotaliter indutum, decollari præcepit, & inſuper tribus digitis abſciſſis, eum fecit in Tiberim rejactari: quem a piſcatoribus inventum & in eccleſia S. Petri deportatum, quædam ſanctorum imagines viſæ ſunt coram hominibus adoraſſe & venerabiliter ſalutaſſe. Idem autem Sergius illos quos Formoſus ordinaverat exordinavit & reordinavit, & ſedit annis VII. diebus XVI.

Anno Ludovici VI. & Caroli regni XVI. Hungaris Italiam depopulantibus, rex Berengarius bello congreſſus mirabiliter vincitur. Quo facto, iidem Hungari Germaniam vaſtant.

Anno Ludovici VII. & Caroli regis XVII. Sarraceni miſſi ſunt in Italiam a rege ſuo, Apuliam & Calabriam devaſtantes, & contra Romanum imperatorem Græcorum rebellantes, & multas Italiæ urbes debellantes.

Anno Ludovici VIII. & Caroli regis XVIII. Hildebertus quidam nobilis Auſtraſiorum cum per VII. annos Ludovico imperatori fuiſſet rebellis, dolo Hatonis Maguntiæ archiepiſcopi ad imperatorem deductus, decollatur. Regino abbas Prumenſis chronica ſua a Nativitate Domini inchoata huc uſque perduxit.

Anno Ludovici IX. & Caroli regis XIX. baptizatus eſt Rollo Danus a Francone Rothomagenſi archiepiſcopo, & Robertus eſt vocatus a Roberto duce Burgundiæ, qui eum de fonte levavit. Carolus etiam rex Francorum eum ſimiliter de fonte levavit, & Gilam filiam ſuam ei in uxorem dedit cum tota Normannia, a fluvio Andellæ uſque ad mare, & ei poſuit metas Alvam fluviolum. Dedit etiam ei in feodum totam Britanniam, de quibus idem Robertus regi homagium fecit, & gentes ſuas baptizari præcepit, non dignatus pedem Caroli oſculari, niſi ad os ſe levaret.

Anno Ludovici X. & Caroli regis XX. obiit Berno abbas Gigniacenſis, qui S. Odonem diſcipulum ſuum Cluniacenſis cœnobii ab-

batem conſtituit, ea conditione, quod Cluniacenſis eccleſia ſolveret annuatim eccleſiæ Gigniacenſi cenſum XII. denariorum. Hic Odo fuit Aquitania oriundus, a Guillelmo duce Aquitaniæ nutritus, XIX. ætatis anno eccleſiæ B. Martini Turonenſis canonicus, & ſicut quidam aſſerunt præcentor eccleſiæ. Deinde XXX. ætatis anno factus eſt monachus, deinde abbas miræ ſanctitatis: cujus induſtria & fervore tepor monachorum verſus eſt in ardorem, & exſiccata religio ſub eo refloruit, & regulæ S. Benedicti ſiccitas verſa eſt in virorem. Multa enim compoſuit. Nam moralia Job breviter compilavit, & vitam B. Martini gloſſulis explanavit, necnon tres hymnos de B. Martino contexit *Rex Chriſte Martini decus*, &c. & XII. antiphonas ſcilicet *O Martine, o pie*, &c. quia numquam ab ejus pectore beati Martini memoria dilabebatur. Tunc Ludovicus imperator moritur, qui propter tyrannorum inſolentiam, & multam malorum ingruentiam non habuit imperialem benedictionem, cui ſucceſſit Corrardus, qui & ſimiliter caruit imperiali benedictione. Hic Corrardus habebat filiam primogenitam Ludovici imperatoris, & ob hoc habuit imperium.

Corrardus Ludovici ſucceſſor, filius Corrardi comitis, tempore Sergii, Anaſtaſii, Landonis, Johannis imperat annis VII. Contra hunc regni principes rebellandi cor habentes, Corrardi imperatoris ſapientia & fortitudine ad ejus gratiam ſunt reducti.

Anno Corrardi II. & Caroli regis XXII. reinvitant Italienſes ad regnandum Ludovicum filium Boſonis ex Gila filia Ludovici imperatoris, qui cum juraſſet ſe in Italiam non rediturum, oblitus juramenti, Italiam repedat, & Berengario expulſo, Veronæ capitur oculiſque privatur. Tunc Hungari Berengario confœderati, Alemanniam vaſtant; ſed a Bajoariis & Alamannis graviter cæduntur. Quo facto, Alſatiam, deinde Lotharingiam vaſtaverunt.

Anno Corrardi III. & Caroli XXIII. occupant Sarraceni Calabriam & Apuliam, Beneventum & alias urbes Romanorum occupantes.

Anno Corrardi IV. & Caroli regis XXIV. obiit Sergius papa, cui ſucceſſit Anaſtaſius, poſt Lando, poſt Johannes, qui prius Ravennæ archiepiſcopatum invadens, a populo urbis illius deponitur. Senonis poſt Galterum alius Galterius nepos illius, cujus tempore pagani Burgundiam vaſtaverunt, factumque eſt bellum inter Chriſtianos & paganos, ubi multis Chriſtianorum millibus peremtis, Garnerius vicecomes Senonenſis interfectus eſt. Tunc obiit Herbernus Turonenſis archiepiſcopus, cui ſucceſſit Robertus.

Anno Corrardi V. & Caroli regis XXV. fundavit Ebbo dominus Caſtri Radulphi Dolenſe cœnobium, & multos monachos a Britannia fugientes ſuſcepit, & ibi corpora ſanctorum Gildaſii abbatis, Albini martyris, & Brigidæ virginis collocavit. Poſt hac idem Ebbo contra Hungaros pergens, ab eis occiditur, Aurelianis ſepultus eſt.

Anno Corrardi VI. & Caroli regis XXVI. idem imperator ſollicitavit Hatonem Maguntiæ epiſcopum, contra Henricum Saxonum ducem ſibi ſuſpectum, ſed non multo poſt idem epiſcopus fulminis ictu periit. Deinde miſſo exercitu ab imperatore contra Henricum ducem Saxoniæ, tanta cæde in eos ſunt Saxones debacchati, quod a multis exclamatum eſt, ubi tantus infernus eſſet, qui tantam cæſorum multitudinem recipere potuiſſet.

Anno Corrardi VII. & Caroli regis XXVII. obiit Corrardus imperator, uxore mortua, morienſque coram principibus regni imperatorem conſtituit Henricum filium Othonis Saxonum ducis, qui ſororem uxoris ſuæ habebat, filiam Ludovici imperatoris. Tunc Robertus archiepiſcopus Turonenſis, III. idus Maii corpus beati Martini in loco ubi nunc adoratur repoſuit, ante Fulconem Rufum comitem Andegaviæ & Ingelgerium filium ejus, qui cum patre ſuo ab Autiſſiodoro cum reportarat. Nec mora Thetolo decanus eccleſiæ beati Martini, Turonis, [illegible] Odone abbate Cluniacum intrat cœnobium, ea quæ mundi ſunt relinquens.

Henricus filius Othonis tempore Johannis & Johannis, Leonis, Stephani, Johannis, Leonis imperat XVIII. annis. Hic pacificus fuit, juſtitiæ cultor, injuſtorum deletor; tamen quoſcumque fures, aut latrones, aut ſicarios, manu fortes & bello aptos eſſe videbat, indulta eis venia, agros & arma dabat, & legiones ex eis ad debellandum barbaros faciebat, edicens ut civibus tantum parcerent.

Anno Henrici I. & Caroli regis XXVIII. imperator Henricus cum Hungaris Alſatiam, Alemanniam, Saxoniam depopulantibus, juxta urbem *Meresburch* bello congreſſus, vovit Domino ſe hæreſim ſymoniacam de imperio eradicaturum, ſi ei victoriam de Hungaris concederet. Quo facto, eos pene uſque ad internecionem delevit, & poſt cum eis uſque ad IX. annos, pace firmata, *Brennaburch* urbem Sclavonum cepit, & Sclavis victis tributum impoſuit.

Anno imperii Henrici II. & Caroli regis XXIX. idem Carolus ſpernens conſilium procerum ſuorum, quemdam militem Aganonem nomine ſibi conſiliarium ſuum fecerat; unde Robertus dux & abbas beati Martini, frater Odonis regis & alii proceres indignantes, regem Carolum rebellare cœperunt, & eum ſolum Sueſſionis reliquerunt. Sed Herveus Remenſis archiepiſcopus ad gratiam Caroli poſtea aliquos revocavit. Tunc Robertus abbas ſancti Martini Turonenſis & dux Bur-

gundiæ ſuper Axonam fluvium fixit tentoria, A & Carolus rex monte Lauduno perdito, ſuper Saram fluvium cum exercitu reſidebat, ſed timens Robertum, cum Aganone conſiliario trans Moſam fugit. Quo audito, uxor ejus cum Ludovico filio ſuo parvulo fugit in Angliam, ad Eduardum regem Angliæ patrem ſuum. Quod videntes Franci, Robertum levaverunt in regem, quem Herveus Remenſis archiepiſcopus conſecravit in regem Sueſſionis; ſed poſt tertia die obiit idem archiepiſcopus, cui ſucceſſit Seulphus.

Anno Henrici III. & Caroli regis XXX. idem B Carolus ad auxiliandum ſibi Lotharienſibus evocatis, Moſam tranſiens, contra Robertum regem juxta urbem Sueſſionis pugnans, eumdem Robertum lanceis perforatum cum multis peremit; ſed qui ex parte Roberti erant victoriam habuerunt, & Carolum cum Lotharienſibus fugere compulerunt. Quo facto, Carolus rediens, deceptus eſt ab Herberto comite Viromandenſi, qui habebat ſororem dicti Roberti; ita quod apud Perronam divertit in hoſpitium ejus, eumque cepit & incarceravit, primo apud S. Quintinum, poſt apud Caſtrum-Theodorici, ubi poſtea C exul & martyr occubuit.

Anno Henrici IV. & Caroli Regis XXXI. obiit Rollo, qui & Robertus dux Normanniæ, anno ducatus XII. apud Rothomagum, & anno adventus ſui LXIV. & vitæ LXXXVI. cui ſucceſſit Guillelmus Longa-ſpata filius ejus, natus de Gila filia Caroli regis; & tunc ſanguis Domini crucifixi venit in Angliam, forte ille ſanguis qui de imagine Domini fluxit cum in imagine ſua a Judæis priora pateretur.

Anno Henrici V. & Caroli regis XXXII. obiit Eduardus rex Angliæ, cui ſucceſſit Ef- D fredus filius ejus.

Anno Henrici VI. & Caroli regis XXXIII. Johannes papa cum auxilio Romani Græcorum imperatoris pugnavit cum Africanis Sarracenis, qui totam Italiam devaſtaverant, & ita eos contrivit, quod omnes capti ſunt & occiſi, multis teſtantibus apoſtolos Petrum & Paulum in bello illo viſos fuiſſe in auxilium Chriſtianorum. Tunc Hungari cum Salardo duce Papiam obſident & incendunt, & Symeon dominus Bulgarorum primo monachus, deinde miles, Græcos atterit; ſed Romanus Græcorum imperator cum facto E fœdere mitigavit. Carolo rege ita fugato, & Roberto mortuo, obtulerunt Franci Hugoni magno, filio Roberti regis occiſi, regnum Francorum, quod & ille recuſavit, credens ſuper hoc patri ſuo per miraculum mortem eveniſſe. Quod videntes Franci, Rodulphum ducem Burgundiæ, filium Richardi ducis, generum Roberti regis occiſi apud Sueſſionis, in regem levaverunt anno Domini DCCCCXXV. & anno ejectionis Caroli V. cum Emma uxore ſua filia Roberti regis occiſi, & regnavit XIII. annis.

Anno Henrici VII. & Caroli XXXIV. & Rodulphi II. Rodulphus rex in Aquitaniam venit, & Guillelmo comiti Aquitaniæ dedit Bituricenſem pagum cum Biturica civitate, & Herberto comiti Viromandenſi Perronam, & Hugoni filio regis Roberti occiſi ſororio ſuo Cenomannicam civitatem. 24

Anno Henrici VIII. & Caroli regis XXXV. & Rodulphi regis III. Johannes papa a militibus Guidonis marchionis captus & incarceratus, cervicali ad os ejus poſito, peſſime ſtrangulatur, cui ſucceſſit alter Johannes, fr. Alberici Romani, expulſo Hugone regentis, ſed alibi legitur quod Leo papa ſucceſſit, & poſtea Stephanus.

Anno Henrici IX. & Caroli regis XXXVI. & Rodulphi regis IV. Lotharingi audita incarceratione Caroli, volebant Henrico imperatori ſubeſſe; ſed quidam Lotharingius nomine Chriſtianus, ſimulata infirmitate, Gillebertum Lotharingiæ ducem ad ſe dolo evocatum, cepit, & eum imperatori miſit, ut per eum ſibi Lotharingiam ſubjugaret. Quo facto, imperator Gerbergam filiam ſuam ei in uxorem dedit, & eum Lotharingiæ præfecit.

Anno Henrici X. & Caroli XXXVII. & Rodulphi V extorſit Henricus imperator à Rodulpho rege Francorum precibus, miſſis muneribus, addita etiam parte provinciæ Suevorum, lanceam mirandi operis, clavis Jesu Christi ſanctificatam; quæ magni Conſtantini fuerat, quam Samſon comes Radulpho regi donaverat, & hanc ad inſigne & tutamen imperii poſteris dereliquit.

Anno Henrici XI. & Caroli XXXVIII. & Rodulphi VI. idem imperator Danos, qui per piraticam Friſones incurſabant, vicit & ſub tributo redegit, & Hehupam regem eorum baptizari fecit.

Anno Henrici XII. & Caroli XXXIX. & Radulphi VII. Hungari tributum a Saxonibus repetentes, ab exercitu Henrici imperatoris occiduntur & capiuntur, ita quod tributum quod petebant, eccleſiis & pauperibus erogatur.

Anno Henrici XIII. & Caroli XL. & Rodulphi VIII. Beneventani contra Græcos bellum agentes, quotquot Græcorum capiebant eunuchizabant.

Anno Henrici XIV. & Caroli regis XLI. & Rodulphi IX. Ingelgerius Fulconis Rufi comitis Andegavenſis primogenitus, a Normannis occiſſus eſt.

Anno Henrici XV. & Caroli regis XLII. & Rodulphi X. dedit Hugo abbas beati Martini & dux Burgundiæ eccleſiæ beati Martini Turonenſis Caſtellionum in pago Biturico, & Martigniacum in pago Turonico, & Sezanum & Lachiacum, & reddidit Medonam, Venciacum, Gaudiacum, Britanniacum, quæ Carolus rex ei conceſſerat.

Romæ poſt Stephanum Johannes, qui fuit

filius Sergii papæ, ſub quo in Genuenſi urbe fons ſanguinis largiſſime effluxit; & eodem anno eadem civitas ab Africanis illic cum claſſe venientibus deſtructa eſt, & cives illius, exceptis mulieribus & parvulis, aut capti ſunt aut occiſi.

Anno Henrici XVI. & Caroli XLIII. & Rodulphi XI. ejecit Herbertus comes Viromandenſis Carolum regem de carcere, & quaſi reſtituendum regno omnibus demonſtravit, & ſuper hoc etiam papæ ſcripſit; ſed tandem victus precibus & donis Rodulphi regis, iterum Carolum incarceravit, & ne umquam equo inſidere poſſet debilitavit, qui nec multo poſt obiit, & Peronæ ſepultus eſt. Romæ poſt Johannem ſucceſſit Leo.

Anno Henrici XVII. & Rodulphi XII. Niger rex Ruſſorum ſciens exercitus Græcorum eſſe ductos contra Sarracenos, & ad inſularum *cuſtodias diſperſos*, ad expugnandam Conſtantinopolim, cum mille & eo amplius navibus venit, ita de victoria jam ſecurus, ut Græcos non occidi, ſed capi præciperet: quibus Romanus Græcorum imperator cum paucis viriliter occurrens, circumcirca græco igne injecto, pene omnes cum navibus exuſſit, paucis evadentibus, omneſque captivos decollari fecit.

Anno Henrici XVIII. & Rodulfi XIII. imperator obiit imperiali benedictione non accepta, cui ſucceſſit Otho filius ejus.

Otho Henrici filius tempore Leonis, Stephani, Marini, Agapiti, Johannis, Benedicti, Leonis, Johannis, Benedicti, & Domni imperat XXXV. annis.

Anno Othonis primo & Rodulphi XIV. cum idem Rodulphus poſt obitum Caroli ſine ſorti induſtria regnum tenere non poſſet, quoniam Hugonis ducis ſororii ſui & Herberti comitis Viromandenſis fallaciis impediebatur: tandem uſus conſilio, terram Herberti comitis vaſtavit, & munitiones cepit, ſed & Vienna civitas ei reddita eſt. Guillelmus etiam dux Normanniæ ei ſe ſubdidit in quantum potuit. Porro contra Othonem imperatorem Gilebertus dux Lotharingiæ ſororius ſuus, & multi alii rebellare cœperunt, & Henricum fratrem ſuum ei opponunt, ſuggerentes ei magis regnum competere in patris regni nato, quam Othoni ante regnum nato. Sed imperator omnes Bajoarios ſubdidit ſibi, excepto filio Arnoldi, & Boleſlaum principem Bohemiæ per XIV. annos debellavit, eo quod Wencelaus fratrem ſuum amore principandi martyriſaverat.

Anno Othonis II. & Rodulfi regis XV. idem Rodulfus rex Francorum apud Autiſſiodorum moritur, cujus corpus in eccleſia S. Columbæ Senonenſis tumulatur. Quo defuncto, Elfredus rex Angliæ filius Eduardi *regis, frater Edivæ uxoris Caroli Stulti*, Guillelmo duci Normanniæ omnimode ſupplicavit, ut Ludovicum nepotem ſuum filium Caroli Stulti patris revocaret in regnum. Tunc illius conſilio Franci, adunato concilio in unum, Guillelmum Senonenſem archiepiſcopum *in Angliam* ad Edivam reginam Francorum mittunt, ut filium ſuum Ludovicum ad paternum regnum remitteret. Cui datis obſidibus, & ſacramentis adhibitis, præfatus archiepiſcopus Ludovicum jam adultum recepit, & in Franciam adduxit. Cui Guillelmus dux Normanniæ, & Hugo dux Burgundiæ, & Herbertus comes Viromandenſis, & multi alii obviam proceſſerunt, ſeque illi continuo ſubmiſerunt, eumque apud urbem Laudunum in regem inungi & coronari fecerunt a domno Alardo Remenſi archiepiſcopo & ab aliis fere XX. epiſcopis Franciæ. Hic namque Ludovicus Tranſmarinus eſt nuncupatus, eo quod trans mare in Anglia fuerat enutritus. Et eodem anno XVI. *calendas Martii* a gallorum cantu uſque ad lucem dici ſanguineæ acies per totam cœli faciem apparuerunt. Non multo poſt Hungari Auſtraſiam, Alemanniam, Burgundiam, Franciam & Aquitaniam vaſtaverunt, & apud Senones eccleſiam S. Petri Vivi combuſſerunt, quod S. Odo Cluniacenſis abbas poſtea ſuſcepit regendum, & ibi Aregambum abbatem poſuit. Romæ poſt Stephanum Marinus. Turonis poſt Robertum * Tetolo, prius decanus eccleſiæ B. Martini Turonenſis, & poſt monachus Cluniacenſis, deinde archiepiſcopus Turonenſis. * *al.* Theo.

Anno Othonis III. & Ludovici regis II. erant adhuc canonici ſæculares in eccleſia S. Albini apud Andegavis, ubi Fulco Rufus comes Andegavenſis monachos poſuit, nec multo poſt obiit, & in eccleſia B. Martini Turonenſis juxta patrem ſuum ſepultus eſt. Cui ſucceſſit Fulco Bonus filius ejus; & tunc Hugo rex Italiæ, miſſo ſibi græco igne ab imperatore Græcorum, Fraxinetum caſtrum oppugnat, & Sarracenorum navibus exuſtis, illud expugnat, & inde eos fugat. Et tunc dederunt canonici B. Martini fructum unius præbendæ eccleſiæ S. Juliani Turonenſis ad preces * Thetolonis archiepiſcopi Turonenſis qui eam de novo dedicaverat. Abbatia namque S. Juliani fundata fuit ante S. Gregorium, in honore S. Mauritii dedicata, quam, ut fertur, viri de Arverno geniti fundaverunt; ſed incertum eſt quem ordinem vel regulam ibi primitus tenuerunt; quoniam regula S. Benedicti adhuc ignota erat; quæ poſtea fuit a ſancto papa Gregorio declarata. Deinde abbatia hæc a Danis deſtruitur, monachi diſperguntur; ſed poſt in tempore Ludovici Tranſmarini regis Franciæ a Thetolone Turonenſi archiepiſcopo, ſicut hic dicitur, reparata, & in honore B. Mariæ & S. Juliani martyris dedicata, & a Gerſinde ſorore ejuſdem archiepiſcopi reditibus ampliatur. Ibique S. Odo Cluniacenſis a Floriaco adducitur, abbaſque præficitur; ſed non multo poſt febre corripitur, * *al.* Thetolonis.

corripitur, ſuper quo Thetolo archiepiſcopus contriſtatur, quem S. Odo confortans ait: « De me, pater, non doleas: de me, præſul, non timeas, mors mihi quando datur, requies non pœna paratur. » Sicque lætus ſpiritum exhalavit, in crypta ſubtus altare eccleſiæ honorifice tumulatus.

Anno Othonis IV. & Ludovici regis III. duxit in uxorem idem Ludovicus rex Gerbergam ſororem Othonis imperatoris, & tunc Tanginarus frater iſtius imperatoris tranſiit ad hoſtes ejus, & *Heresburch* caſtrum imperatoris cepit, ibique ab imperatore concluſus, intra eccleſiam telis confoſſus periit.

Anno Othonis V. & Ludovici regis IV. obiit Herbertus comes Veromandenſis, & apud S. Quintinum ſepultus eſt. Tunc Ludovicus rex Franciæ Lotharingiam invadens, uſque Alſatiam venit.

Anno Othonis VI. & Ludovici regis V. Henricus frater Othonis imperatoris juxta Rhenum bello imperatorem aggreditur, milites imperatoris offendit; ſed imperator ante clavos JESU-CHRISTI lanceæ ſuæ infixos in oratione proſternitur, ſtatimque ex parte Henrici fugiunt & vincuntur, & Henricus in brachio inſanabiliter vulneratur.

Romæ poſt Marinum Agapitus annis X. Auxiſſiodoro poſt Waldricum Guido, qui reſponſoria Juliani martyris edidit, & ejus feſtum incognitum, Domino revelante, celebrandum declaravit.

Anno Othonis VIII. & Ludovici regis VII. obiit S. Odo Cluniacenſis primus abbas, & in abbatia S. Juliani Turonenſis tumulatur.

Anno Othonis IX. & Ludovici regis VIII. Guillelmus dux Normanniæ filius Rollonis, ab Altone Curto in medio Sequanæ eſt occiſus, anno ducatus XXIII. Quo mortuo, Ludovicus rex Franciæ Richardum filium Willelmi ducis ex concubina de terra faſivit.

Anno Othonis X. & Ludovici regis IX. cum idem Ludovicus rex in quodam feſto ſancti Martini Turonis veniret, & Fulconem Bonum comitem Andegavenſem, in eccleſia B. Martini cum aliis canonicis cantantem videret, irriſit, & eum aliis digito demonſtravit. Quo viſo, Fulco comes regi mandavit quod rex illitteratus erat aſinus coronatus. Idem vero comes litteratus erat, pulcher, facetus, humilis, largus, & armis ſtrenuus, & beati Odonis collactaneus.

Anno Othonis XI. & Ludovici regis X. cum idem rex Richardum puerum ducem Normanniæ, quem in cuſtodia habebat, male tractaret, ei furatus fuit, & hominibus & parentibus ſuis redditus: inde multi proceres Francorum tum contra regem rebellabant, & maxime Hugo Magnus Pariſienſis comes, filius Roberti regis occiſi.

Anno Ottonis XII. & Ludovici regis XI. idem rex Rothomagum venit, & ibi a Normannis ſuſcipitur. Quo audito, Aideroldus rex Danorum ad auxilium Richardi pueri cognati ſui in Franciam venit, & Ludovicum regem ad colloquium mandavit, & ita a principibus ſuis deceptus, a Normannis capitur, & conſilio Hugonis Laudunum miſſus, publicæ cuſtodiæ traditur. Carlomannus vero major filius ejus a Normannis adductus Rothomagum moritur.

Anno Othonis XIII. & Ludovici regis XII. Otho imperator cum XXXII. legionibus Franciam ad liberandum Ludovicum aggreditur. Quo audito, Normanni Ludovicum a carcere liberant: ita quod minor filius ejus & epiſcopus Sueſſionenſis pro eo obſides remanſerunt. Ipſe vero rex juramento quitavit Richardo puero totam terram, quam Rollo avus ejus poſſidebat.

Anno Othonis XIV. & Ludovici regis XIII. Otho imperator Laudunum capit, & Hugonem intra Pariſius concludit; deinde urbem Remenſem capit, & nepotem Hugonis, qui Remis archiepiſcopatum uſurpaverat, expulit, & alium ejectum reſtituit. Deinde Rothomagum recedit, & caſtellis & urbibus, quas ſuper Ludovicum ceperat, ei redditis, in Saxoniam remeavit.

Anno Othonis XV. & Ludovici regis XIV. idem rex caſtella Hugonis Magni & terram ejus diruit & vaſtavit, eo quod per eum captus fuerat a Normannis, & eodem anno obiit Thetolo Turonenſis archiepiſcopus, & juxta S. Odonem tumulatur, anno epiſcopatus XIV. cui Joſeph ſucceſſit.

Anno Othonis XVI. & Ludovici regis XV. eodem Othone ſecundam expeditionem in Franciam parante, Hugo Magnus virtutem ejus non ferens, ei juxta fluvium Carum occurrit, & pacto ſecundum voluntatem regis facto, pacem cum eo fecit, & duos leones illi dedit.

Anno Othonis XVII. & Ludovici regis XVI. Bruno frater Othonis imperatoris & archiepiſcopus Coloniæ a Roma detulit corpora ſanctorum & baculum S. Petri.

Anno Othonis XX. & Ludovici regis XIX. idem rex totum tempus vitæ ſuæ plenum ducens anguſtiarum, dum a Lauduno Remis veniret, antequam ad Axonam fluvium perveniret, apparuit ei quaſi lupus gradiens ante illum, quem rex equo inſecutus dilabitur, & pene toto corpore contritus, Remis defertur, & poſt elephantia peſte perfuſus obiit anno regni XIX. & in eccleſia S. Remigii ſepelitur; ſed prius genuerat Lotharium, qui ei ſucceſſit in regno, & Carolum juniorem qui privatis in ædibus in regno conſenuit; & ita eo defuncto, Lotharius filius ejus, favente Hugone Magno, ab Alardo Remenſi archiepiſcopo apud Remis in regem Franciæ conſecratur.

Anno Othonis XXI. & Lotharii regis Francorum II. Fulco Bonus comes Andegavenſis ad feſtum beati Martini veniens, in

portu de Cordum ſuper fluvium Carum leproſum horribilem invenit, qui rauca voce ſingultuoſo gemitu comiti ſupplicavit, ut eum in gremio ſuo per aquam transferret uſque ad eccleſiam beati Martini, quia tot & tantis ulceribus plenus erat, quod nihil incommodi ſuſtinere poterat. Quo audito, comes eum leviter in gremium recipiens, aquam intrat; cumque in medio aquæ eſſet leproſus, miſerabiliter ingemiſcens, ait ſupplicans, ut ſuggendo ore ſuo leniter removeret ſalivas quæ de illius naribus effluebant. Quo benigniter adimpleto, leproſum uſque ad beati Martini eccleſiam deportavit, & ex quo comes eum ad portam eccleſiæ poſuit, ab eo diſparuit, & ultra videri non potuit. Nocte ſequenti apparuit comiti beatus Martinus, dicens eum JESUM-CHRISTUM ſub leproſi ſpecie portaviſſe, & ob hoc cœlorum gaudia meruiſſe. Cumque in craſtinum in choro beati Martini miſſam Dominicam audiſſet, & de manu archiepiſcopi accepta Euchariſtia in ſede ſua, quæ nunc decani dicitur, reſediſſet, ſpiritum exhalavit, anno comitatus XVIII. & in eccleſia beati Martini Turonenſis ſepultus eſt; cui ſucceſſit Gaufridus Griſa-tunica. Alios autem duos filios habebat Guidonem & Drogonem, qui fuerunt ſucceſſive epiſcopi eccleſiæ Podienſis.

Romæ poſt Agapitum Johannes, cui non multo poſt ejecto Leo adhuc laïcus electione omnium & conſenſu ſubſtituitur. Poſtea Romani alterata fide contra imperatorem, Johannem revocant in papatum, qui ſynodo collecta Leonem depoſuit, & ejus geſta quaſſavit. Ordinati vero a Leone juſſi ſunt ſuam præſcriptionem præſentare in carta hæc continente. *Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit.*

Anno Othonis XXIII. & Lotharii regis IV. Richardus dux Normanniæ, filius Guillelmi, ſuper comitem Theobaldum Carnotum & Dunenſem pagum vaſtavit: quo facto, Theobaldus comes ſuper eum * Ebroïicenſem urbem cepit; ſed dum inde reverteretur, Richardus vicit eum in portu Secanæ, ad caſas Hermentrudis-villæ, & poſtea Alanis & Danis in auxilium advocatis, urbem *Ebroïiacenſem recuperavit, poſtea dedit Emmam filiam ſuam Effredo regi Angliæ in uxorem, & fecit Fiſcannum cœnobium.

* *al.* Ebroniacenſem.

* *al.* Ebroniacenſem.

Anno Othonis XXIV. & Lotharii V. Romano Græcorum imperatore defuncto, Nicephorus imperat annis X.

Anno Othonis XXV. & Lotharii regis VI. factus eſt Hugo Magnus dux Francorum, & civitatem Pictavim obſedit; ſed papilione ſuo ab inaudita tempeſtate diruto, necnon & timore divinitus ſuper omnes immiſſo, ab urbis obſidione receſſit. Tunc obiit Gilbertus dux Burgundiæ, relinquens ducatum Othoni filio Hugonis magni, eo quod in conjugem haberet filiam Gilberti.

Anno Othonis XXVII. & Lotharii regis VIII. obiit Hugo dux Francorum, & in eccleſia S. Dionyſii tumulatur. Cui ſucceſſerunt filii ejus Hugo, Otho, Henricus, & Odo clericus: quorum Hugo ducatum Francorum in loco patris habuit, Odo in clericatu remanſit; & eodem anno Lotharius rex Francorum Romam profectus, honorifice a Romanis ſuſcipitur, & imperiali honore ſublimatur.

Anno Othonis XXVIII. & Lotharii regis IX. eum idem imperator Aquiſgrani Pentecoſten celebraret, duæ ſorores ejus ſcilicet Gerberga regina Francorum, Lotharii regis mater & Caroli ducis, & Hawidis uxor quondam Hugonis Magni Pariſiorum comitis, mater Hugonis *Capet*, qui poſtea rex Franciæ fuit, ad eum venerunt, ibique illa regalis proſapia tanto congratulationis jubilo eſt affecta, ut in omni vita eorum vix aliquid gaudii huic lætitiæ potuerit æquiparari. Joſeph archiepiſcopo Turonenſi mortuo, (*a*) Froterius ſucceſſit. [*a*]

Anno Othonis XXIX. & Lotharii regis X. Danis qui CHRISTUM JESUM & idola ſimul colebant, cum Popone clerico in convivio altercantibus ſuper ſepultura Dei & idolorum, Danis aſſerentibus JESUM-CHRISTUM Deum eſſe, deos majores & antiquiores; Popone dicente ſolum Deum eſſe unum in ſubſtantia, trinum in perſonis, Airardus rex Sclavorum ait clerico; quod ſi ferrum ignitum in manibus illæſus portaret, quod in Deum ſicut credebat crederet: quod & factum eſt. Nam clericus ferrum ignitum illæſus portavit, & rex cum ſua gente, abjectis idolis, in unum Deum credidit.

Anno Othonis XXXI. & Lotharii regis XII. Johanne papa mortuo, ſucceſſit Benedictus menſibus duobus; poſt Leo anno uno, poſt Johannes annis VII. Tunc Theodericus Othonis imperatoris conſanguineus Metenſis ordinatur epiſcopus, qui cum legeret litteras omnium nominum epiſcoporum Metenſium, quos angelus Domini S. Clementi Metenſium epiſcopo dicitur attuliſſe, & videret eas, alias auro, alias argento, alias viliori metallo pro meritorum qualitate eſſe annotatas, videretque litteram ſui nominis argento annotatam, dixiſſe fertur, quod deinceps in epiſcopatu tanta bona faceret, quod littera ſui nominis merito aurea non argentea remaneret, quod & fecit. Nam Metis in inſula eccleſiam ſancti Vincentii conſtruxit, quam multis ſanctorum reliquiis decoravit, & multa alia bona fecit.

Anno Othonis XXXII. & Lotharii regis XIII. quidam comes Othonis imperatoris familiaris coram omnibus a dæmonio arreptus, ſeſe dentibus laniabat: ſed juſſu imperatoris ad Johannem papam adducitur, qui collo ejus

(*a*) In veteri miſſali eccleſiæ Turonenſis, ad diem XIV. cal. Julii, qua celebratur Nat. SS. Marci & Marcelliani, legitur in margine. *Obiit Joſeph Turonica urbis archiepiſcopus anno Domini* DCCCCLVII.

catena beati Petri impoſita, cum a dæmonio liberavit. Froterio Turonenſi archiepiſcopo mortuo, ſucceſſit Hardoinus.

Anno Othonis xxxv. & Lotharii regis xvi. idem imperator venas auri & argenti in Saxonia primus induſtria ſua aperuit. Tunc Johannes papa in caſtello S. Angeli incarceratus obiit, cui ſucceſſit Benedictus, qui non multopoſt a quodam Romano ſtrangulatur; cui ſucceſſit Donus.

Anno Othonis xxxvi. & Lotharii regis xvii. idem imperator rebus bene diſpoſitis obiit, cui ſucceſſit Otho ſecundus filius ejus. Ab iſto in antea imperare incipiunt Alemanni: tamen Lotharius rex Francorum, qui a Romanis fuerat receptus ad imperium, Othonem multis præliis impulſavit, quoniam mater ſua erat filia primi Othonis & ſoror ſecundi Othonis, & tunc obiit Gauſtidus Griſa-tunica comes Andegavenſis, & in eccleſia beati Martini Turonenſis (a) ſepelitur; cui ſucceſſit Mauricius conſul filius ejus.

Anno Othonis ii. & Lotharii regis xix. Eduardus rex Anglorum a noverca ſua occiditur, & martyrizatus apud Cepteſberiam in eccleſia ſanctimonialium tumulatur, cujus ſepulchrum multis miraculis decoratur.

Anno Othonis iii. & Lotharii regis xx. ducatus Lotharingiæ datur Carolo filio Lotharii regis Francorum, multis inſuper conducto beneficiis, ut & ipſe ab inſolentiis deſiſtat, & fratris ſui Lotharii moribus obſiſtat.

Anno Othonis iv. & Lotharii regis xxi. Lotharius rex Francorum Lotharingiam invadit, & cedente imperatore, quia ad pugnam paratus non erat, rex poſt multam vaſtationem repatriavit.

Anno Othonis v. Lotharii regis xxii. idem imperator a calendis Octobris uſque ad calendas Decembris, Franciam pervagatus, fines Remenſium, Laudunenſium, & Sueſſorum, & Pariſiorum diverſa clade vaſtavit, eccleſiis tamen parcens: ſed in reditu circa Axonam fluvium ſatis....

Anno Othonis vii. & Lotharii regis xxiv. idem imperator & Lotharius rex convenientes ſuper Carum fluvium pacificantur, datis invicem ſacramentis, ita quod Lotharius rex Lotharingiam abjuravit.

Anno Othonis viii. & Lotharii regis xxv. idem imperator Apuliam & Calabriam ad Græcorum imperium pertinentes aggreditur, maxime propter affinitatem quam pro uxore ſua Theophania cum imperatore Græcorum habebat.

Anno Othonis ix. & Lotharii regis xxvi. Græci conducto ſibi Sarracenorum auxilio, Othoni imperatori.... in Calabria bello omnes Romani pene delentur. Imperator vero natando evadere nitens, a nautis capitur, & a quodam eorum agnitus nec proditus, pecunia liberatur.

Anno Othonis x. & Lotharii regis xxvii. idem imperator Beneventum obſedit, & exinde corpus S. Bartholomæi Romam aſportavit, nec multo poſt tædio & languore animi deficiens Romæ moritur, & in S. Petri baſilica tumulatur, cui ſucceſſit Otho puer, filius ejus. Iſti duo ultimi tam feroces fuerunt, quod unus dicebatur ſanguinarius & mors Sarracenorum, & alter Mundi mirabilia.

Anno Othonis xi. & Lotharii regis xxix. idem Lotharius Lotharingiam rurſus invadit, & urbem Virdunum, & Godefridum ipſius urbis comitem capit. Sed cum vidiſſet Othonem imperatorem virtute militum ſuorum proficere, quæcumque invaſerat, & urbem & comitem reddit.

Anno Othonis iii. & Lotharii regis xxx. Hardoino Turonenſi archiepiſcopo mortuo, ſucceſſit Archembaudus.

Anno Othonis iv. & Lotharii regis xxxi. idem Lotharius rex Francorum obiit; cui ſucceſſit Ludovicus filius ejus.

Anno Othonis v. & Ludovici regis Francorum i. iſte Otho a Johanne papa ad imperium coronatus, reddidit B. Martino res quæ ei ablatæ fuerant in Italia.

Anno Othonis vi. & Ludovici regis ii. cum Hugo *Capet* Ludovicum regem Franciæ pluries prælio ſuperaſſet, idem Ludovicus adoleſcens obiit ſine herede. Quo mortuo, Franci elegerunt Hugonem *Capet* filium Hugonis-Magni, comitis Pariſienſis, & eum Noviomo in regni ſolio ſublimaverunt anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLXXXIX. qui ſtatim Robertum filium fecit Aurelianis ad regnum Franciæ coronari; & quamvis plures dicant, quod hoc tempore progenies Caroli-Magni in regno Francorum defecit; ſciatis quod ſi genealogiam imperatorum Romanorum intente & aſſidue perlegiſſent, nullatenus hoc dixiſſent. Nam iſte Hugo *Capet* de progenie Caroli-Magni deſcendit in hunc modum. Carolus-Magnus genuit Ludovicum Pium imperatorem, Ludovicus genuit Lotharium imperatorem, Lotharius genuit Ludovicum imperatorem, Ludovicus genuit Carolum Craſſum imperatorem. Quo mortuo ſine herede, Hernulfus imperator filius Carlomanni, filii Ludovici regis Germaniæ, fratris Caroli-Calvi, imperium habuit & genuit Ludovicum imperatorem: Ludovicus genuit duas filias Placidam & Mathildam, quarum primogenitam dedit Corrardo filio Corrardi comitis, qui poſt eum imperavit; & aliam dedit Henrico filio Othonis ducis Saxoniæ, qui mortuo Corrardo imperatore & Placidia uxore ejus ſine herede, imperavit cum Mathilda uxore ſua, & ex ea genuit Othonem primum, qui poſt eum im-

[a] (a) In quodam codice legit olim dominus *Carreau* in margine manu recentiori: *Falſum eſt, nam Gaufredus Griſa-tunica in monaſterio S. Albini Andegavenſis ſepultus eſt.*

peravit, & duas filias Gerbergam uxorem Ludovici Transmarini regis Francorum, matrem Lotharii regis & Caroli ducis, & aliam Havidim nomine, uxorem Hugonis Magni Parisiorum comitis, & ducis Francorum, matrem istius Hugonis *Capet*, qui ita descendit de progenie Caroli-Magni. Sed forsitan illi qui hoc dixerunt ita intellexerunt, quod iste Hugo recta linea generationis de Caroli, & regum Francorum progenie non descendit. Vel ideo quia Carolus dux frater Lotharii regis Francorum, qui recta linea de prole regum descenderat, & Ludovico nepote suo mortuo, solus propinquior de stirpe regum remanserat, non regnavit.

Anno Othonis VII. & Hugonis regis II. Ludovico regi Franciæ voluit in regno succedere Carolus dux frater Lotharii regis, patruus Ludovici regis, utpote quod ex paterna & avita successione sibi debitum videbatur. Contra Hugonem itaque regem regni usurpatorem insurgit, eumque bello perurgens, Laudunum urbem capit. Mox Hugo cum in Lauduno obsidet; sed secundo obsidionis mense obsessi prosilientes castra obsidentium incenderunt, & ipse rex Hugo, plurimis suorum peremtis, turpiter fugiens vix evasit. Post hæc idem Carolus Montem-acutum expugnat, Suessionis usque vastando peraccedit. Inde Remis aggreditur, & Laudunum multa cum præda revertitur. Postea vero dolo Ascelini episcopi Laudunensis urbs capta est, & Carolus cum uxore sua vinculis alligatus, & in turri Aurelianis positus, ubi & ejus uxor gravida peperit geminos, qui postmodum adulti ad imperatorem confugerunt.

Anno Othonis VIII idem Hugo rex totius Franciæ synodum congregavit, & ibi Arnulfum Remensem archiepiscopum, filium Lotharii regis Francorum, natum de concubina, deponi fecit, dicens non esse justum, ut archiepiscopus fieret, qui de legitimo matrimonio non fuisset. Quo facto, Gerbertum Florlacensem monachum, philosophum, archiepiscopum Remis constituit, eo quod idem Gerbertus Roberti filii sui doctor extitisset, & multa litterarum scientia præpolleret. Quæ res cum ad Romani pontificis notitiam pervenisset, Leonem abbatem ibi misit, qui vice apostolica, coacto Remis concilio, Gerbertum deposuit, & Arnulfum injuste depositum sedi suæ restituit. Gerbertus itaque depositus ad Othonem imperatorem se contulit, quem & ipse litteris erudierat. Qui eum primo constituit archiepiscopum Ravennæ, & postmodum papam Romæ.

Anno Othonis IX. & Hugonis regis IV. S. Maiolus Cluniacensis abbas apud Silviniacum obiit. Cui Odilo Arvernæ oriundus successit, qui mirabili pietate insignis, non solum vitæ exemplis, sed & miraculis in vita sua claruit. Hic cum reprehenderetur quod in peccantes misericordior justo videretur, *Si damnandus sum*, inquit, *malo damnari de misericordia, quam de duritia.*

Anno Othonis X. & Hugonis regis V. Mauricius comes Andegavensis in lecto ægritudinis extremæ decubuit.

Anno Othonis XI. & Hugonis regis VI. obiit Mauricius consul comes Andegavensis, & in ecclesia S. Martini Turonensis sepelitur. (*a*) Cui successit Fulco Nerra filius ejus. [a]

Anno Othonis XIII. & Hugonis VIII. mortuo Johanne papa, successit ei Silvester annis IV. Hunc ferunt fuisse Gerbertum Ravennensem.

Anno Othonis XIV. & Hugonis regis IX. obiit Hugo *Capet* rex Francorum anno Domini DCCCCLXXXVIII. & regni IX. non tamen regni diademate usus. Cui successit Robertus filius ejus, simplex, piissimus, benivolus, devotus, & totius religionis amator egregius, innumeris eleemosynis deditus, & litterarum scientia imbutus. Nam & composuit *Rex omnipotens. Sancti Spiritus. Judea & Jerusalem.* De beato Martino, *O quam admirabilis. O constantia martyrum*, & regnavit post mortem patris annis XXXIV.

Anno Othonis XV. & Roberti regis I. obiit Richardus dux Normanniæ filius Wilhelmi anno ducatus LII. cui successit Richardus filius ejus, ad quem eodem anno Effredus rex Angliæ filius Eduardi in Normanniam fugatur a Suano rege Danorum, cum Emma uxore sua, sorore Richardi & filiis suis. Sed postea, Suano mortuo, in Angliam rediit, & Civitonem ejus filium in Danemarchiam fugavit. Hic Effredus dum baptizaretur, aquas stercore infecit, & ob hoc a matre converberatus, eas videre non potetat.

Anno Othonis XVI. & Roberti regis II. Civito rex Danorum in Angliam rediens, Effredum regem Angliæ apud Londoniam obsedit, ubi ipse Effredus mortuus est. Cui successit Eadmundus filius ejus, non ex Emma, sed ex concubina, Effredo & Eduardo filiis Emmæ fratribus suis adhuc parvulis.

Anno Domini M. & Othonis XVII. & Roberti regis III. terræmotus factus est maximus, cometes apparuit, visa est figura quasi serpentis capite crescente cum ceruleis pedibus. Eodem anno in Italia Crescens patriciatu Romanorum adepto, contra Othonem imperatorem rebellat.

Anno Othonis XVIII. & Roberti regis IV. Silvester papa, scilicet Gerbertus, lacrymabiliter vitam finivit.

Anno Othonis XIX. & Roberti regni V. incensa est ecclesia beati Martini cum toto

(*a*) Hic testatur dominus *Carreau* alium se vidisse codicem, cujus margini appositum erat: *Ecclesia est, sed Andegavis in monasterio S. Albini jacet.*

caſtro & XXII. eccleſiis. Quo facto, ſanctus Herveus eccleſiæ beati Martini Turonis theſaurarius, eccleſiam iſtam beati Martini totam reædificavit, deſtructa & combuſta omni operatione ſancti Perpetui archiepiſcopi Turonenſis, quam ſuper beatum Martinum ædificaverat; quæ dum fierent, corpus beati Martini jacuit in parva eccleſia, quæ eſt extra clauſtrum. Quo opere conſummato, ſanctus Herveus apud Deum & homines vita & converſatione laudabilis, in inſula quæ nunc S. Coſmæ dicitur, parvam eccleſiam ædificavit in honore S S. Coſmæ & Damiani, ubi die ac nocte aliquot annis a curis vacans ſæcularibus, & a mortalium abſtractus conſortio, unius vel paucorum contentus mancipiorum conſortio, oratione jugi, & jejunio, necnon & lacrymis irremedicabilibus Domini miſericordiam imploraoat: ſed capitulum beati Martini carens ejus conſilio & auxilio, illum poſtea revocavit, & ei cellulam juxta *oratorium S. Baſilii* tradidit, ubi poſitus conſilium & auxilium præbens, nec a priori ſanctitatis religione degenerans Domino ſerviebat. Illud oratorium erat juxta matriculam beati Martini, ſcilicet eccleſiam beatæ Mariæ de Scriniolo, ubi moniales erant, quas idem Herveus apud Bellum-montem poſuit, in quo loco tam de rebus propriis, quam de rebus eccleſiæ beati Martini abbatiam conſtruxit. Hoc tempore quidam religioſus a Jeroſolymis rediens, in Sicilia cujuſdam recluſi humanitate aliquandiu recreatus, didicit ab eo inter cetera, quod ibi vicina eſſent loca eructuantia flammarum incendia, quæ loca vocantur Ollæ Vulcani, in quibus animæ reproborum diverſa ſupplicia patiuntur. Ad hæc exequenda ibi dæmonibus deputatis, quorum voces, iras & terrores & ejulatus ſæpe ſe audiſſe dicebat plangentium: quod animæ impiorum eriperentur de manibus eorum per eleemoſynas & preces fidelium, & maxime per orationes Cluniacenſium monachorum indefeſſe orantium pro requie defunctorum. Quo ex narratione illius religioſi comperto, Odilo abbas Cluniacenſis necnon & epiſcopi & abbates totius Galliæ ſtatuerunt, quod die lunæ cujuſlibet hebdomadæ fidelium omnium defunctorum memoria per univerſas eccleſias celebraretur. Tunc Otho imperator, degens Romæ, tractabat qualiter jura regni & eccleſiæ poſſet ad ſtatum priſtinum reformare: quo Romani commoti, contra eum conſpirant; & aliquot militum ejus peremptis, eum in palatio obſident: a quo per induſtriam Henrici Bajoariæ ducis, & Hugonis matchionis Italiæ ſimulato pacto vix extractus, Roma diſcedit comitante papa. Et quia uxor Creſcentis eumdem imperatorem ſpe regnandi ad amorem ſuum complexerat, dolens pro ejus diſceſſu, venenum ei miſit, quo ille conſumtus, in Italia moritur. Cui ſucceſſit Henricus filius Henrici ducis, qui fuit genitus de Henrico primo Othonis imperatoris fratre.

Henricus tempore Johannis, & Johannis, Sergii, Benedicti, & Johannis imperat annis XXII. Hic mox ut regnare cepit, potentiores regni bella ſibi concitare volentes celeriter ſubjugavit, & reges gentilium in interiori Germania commorantes, qui Winidi dicebantur, tributarios fecit. Hujus anno primo & Roberti regis VI. Henrico duce Burgundiæ mortuo, mota eſt contentio ſuper ducatu Burgundiæ, Burgundionum primoribus Roberto regi rebellantibus, & ob hoc idem rex Robertus cum Richardo duce Normanniæ, & Francorum & Normannorum maxima multitudine Autiſſiodorum obſidet, Landrico comite ipſam urbem tenente, & defendente: cumque ad beati Germani caſtrum expugnandum rex loricatus cum tota gente intenderet, nutu divino territus, cum multa cæde ſuorum inde rediens, penetravit Ararim uſque ſuperiora Burgundiæ, ipſamque Burgundiam vaſtavit, & poſtea Franciam repedavit. Romæ poſt Johannem alter Johannes.

Anno Henrici II. & Roberti Regis VII. Fulco Nerra comes Andegaviæ Conanum regem Britanniæ in bello devicit.

Anno Henrici III. & Roberti regis VIII. Fulco Nerra comes Andegavenſis Montrichardum fundavit.

Anno Henrici IV. & Roberti regis IX. fames & mortalitas tam graviter per totum orbem invaluit, ut tædio ſepelientium vivi adhuc ſpem trahentes obruerentur cum mortuis, & tunc inventa eſt caliga Domini Jesu Christi in abbatia S. Juliani Turonenſis.

Anno Henrici V. & Roberti regis X. Eadmundus rex Angliæ cum Suenone rege Danorum ſæpe pugnavit, & poſt pace cum eo facta, & ei Anglia partita, dolo illius Suenonis a cubiculariis ſuis eſt occiſus, eo quod legibus eorum ſubeſſe nolebat, & ita martyrii gloria decoratus, innumeris miraculis effulſit; cujus caput abſciſſum lupus ſævus ſervavit illæſum, illud in ſylvam deferens inter pedes diligentiſſime collocavit. Quod cum poſtmodum a pluribus quæreretur, vocem hujuſmodi fertur emiſiſſe *her her her* quod ſonat: *hic hic hic*; ſicque caput inventum cum corpore ſepelitur. Sancto itaque Edmundo ſic martyrizato, Sueno rex Danorum toti Angliæ imperavit, & Emmam quondam uxorem Effredi regis in uxorem duxit, & regnavit XX. annis: ſed Effredus & Eduardus, filii Emmæ & Effredi, tota vita Suenonis in Normannia fuerunt.

Anno Henrici VII. & Roberti regis XI. idem imperator caſtrum Valentianas ſitum in marchia Franciæ & Lotharingiæ, quod Balduinus comes Flandrenſis invaſerat, obſidet, concurrentibus ad auxilium ejus Roberto rege Francorum, & Richardo duce

Normanniæ; ſed poſtmodum ſeditione coactus, Valentianas Baldoino comiti beneficiavit, & ei Walacras addidit: deinde Italiam petiit, ut ſubveniret ſuis, quos Græci premebant, circa Beneventum, Salernum & Capuam debacchantes, ibique Trojam civitatem cepit.

Romæ poſt Johannem Sergius, poſt Benedictus. Turonis poſt Archembaldum Hugo in epiſcopatu ſucceſſit. Tunc Hungari fidem recipiunt per Gilam ſororem imperatoris, quæ nupta regi Hungariæ, eum ſua prædicatione cum tota gente baptizari fecit, ut adimpleretur quod dictum eſt: *Salvatur vir infidelis per mulierem fidelem*: ille vero rex baptizatus Stephanus eſt vocatus. In Lotharingia juxta montem Caſtrologum fonticulus aquæ multis ſaluberrimus in ſanguinem eſt converſus. Hoc tempore Robertus rex Franciæ Berta regina uxore ſua cauſa conſanguinitatis repudiata, Conſtantiam duxit uxorem, de qua genuit Hugonem regem, qui coronatus eſt, & poſt VIII. annos ante patrem ſuum mortuus eſt; & Henricum qui poſt eum regnum obtinuit, & Robertum minorem, quem ducem Burgundiæ fecit; & primogenitum Odonem, qui nimis ſtultus fuit, & ob hoc regnum perdidit.

Anno Henrici VII. & Roberti regis XII. terra Jeroſolymorum, permittente Deo, ab immundis Turcis invaſa, & Jeruſalem capta, & Sepulchrum Domini ab eis poſſeſſum eſt. Eodem anno multi Judæi præ timore baptizati ſunt, & in multis locis timor & mœror corda plurimorum occupavit, qui audito hoc timore adeſſe finem ſuſpicabantur. Quidam vero animi ſanioris ſalubri utentes conſilio, de vitæ ſuæ correctione attentius ſtuduerunt.

Anno Henrici VIII. & Roberti regis XIII. Fulco Nerra comes Andegavenſis, pœnitentia ductus, Jeroſolymam adiit. Cumque Sarraceni audiiſſent, quod vir nobilis eſſet, eum intrare Sepulcrum non permiſerunt, niſi prius promitteret, quod ſuper Sepulcrum & Crucem JESU CHRISTI mingeret: quod comes invitus promittens, quæſivit veſicam arietis, quam bene mundavit & vino albo replevit, & ea poſita inter femora, flens diſcalciatus ad Sepulcrum venit, & vinum de veſica ſuper illud & Crucem effudit, coram Sarracenis urinam ſimulans effudiſſe. Quo facto, in orationem proſtratus, maximum fruſtum de lapide Sepulcri, dentibus ſuis evulſit, & eis ignorantibus aſportavit: de quo in patriam ſuam regreſſus, abbatiam Belli-loci in honore S. Sepulcri in Turonenſi diœceſi fundavit, & in Ambaſiaco villa in eccleſia B. Mariæ, quæ S. Florentini dicitur, poſuit de Cruce Domini, & de corrigia de qua manus Chriſti ligatæ fuerunt, & corpus S. Florentini ibi aſportavit; & cum Sulpitio domino Ambaſiæ, qui tunc temporis erat theſaurarius B. Martini Turonenſis, canonicos ibi inſtituit, ſancto Herveo prius theſaurario B. Martini Turonenſis & patruo iſtius Sulpitii, ſicut ſuperius dicitur, quaſi in heremo converſante.

Anno Henrici IX. & Roberti regis XV. gens Danorum Angliam vaſtat, Cantuariam obſidet & expugnat, & Elphegum illius urbis archiepiſcopum gladio trucidat. Terram vero S. Edmundi omnino deſtruit, ubi viſibiliter S. Eadmundus in habitu militari apparens, Suanum ducem eorum lethaliter vulneravit: quo mortuo, gens ipſa receſſit.

Anno Henrici X. & Roberti regis XV. obiit B. Herveus B. Martini Turonis theſaurarius, & in ejuſdem ſancti eccleſia tumulatur.

Anno Henrici XI. & Roberti regis XVI. Leothericus Senonenſis archiepiſcopus eam civitatem regi Roberto reddidit, Fromundo Senonenſi comite mortuo, & Raynaldo filio ejus ſuccedente, & Dei eccleſiam perſequente. Quo facto, Rainaldus comes nudus vix evaſit. Frater autem ejus Fromundus, & quidam milites regi reſtiterunt, & turrem aliquanto tempore defenderunt: quos tandem rex cepit, & Aurelianis incarceravit; ubi & Fromundus obiit. Rainaldus vero fugiens Odonem comitem Bleſenſem adiit, & Muſterolium caſtrum ſuper Sequanam eximendo munivit. Poſtea reſumtis viribus, Senonenſem urbem obſidet, & terram vaſtavit, cum quo rex Robertus poſtea pacem fecit, ita quod poſt obitum ejus urbis medietas eccleſiæ S. Stephani remaneret, & alia medietas ad regis dominium deveniret. Sed ille quod promiſerat non ſervavit.

Anno Henrici XII. & Roberti regis XVII. fecit Sulpitius dominus Ambaſiæ apud Ambaſiam turrem lapideam tam altam, quod exinde poſſet videre Turonis villam & eccleſiam confeſſoris. * *Maxim.

Anno Henrici XIII. & Roberti regis XVIII. circa principium menſis Auguſti occidit Cinito Angliæ rex eos qui S. Edmundum occiderant; & tunc fuit dedicata eccleſia beati Martini Turonenſis in feſto æſtivali.

Anno Henrici XIV. & Roberti regis XIX. vicit Fulco Nerra comes Andegavenſis Odonem comitem Bleſenſem in bello apud Pontem-levem, & poſt oppidum fecit ſuper montem Bruti (a) ad Turonis diſtringendam, quæ Odonis erat; & deinde Salmurium ſuper eumdem Odonem cepit. [a]

Anno Henrici XVI. & Roberti regis XXI. Hugone archiepiſcopo mortuo ſucceſſit Arnulfus.

Anno Henrici XVII. & Roberti regis XXII. obiit Burchardus Wormacienſis epiſcopus, qui librum illum qui Canon divinus dicitur, edidit, defloratis ſcripturarum ſententiis compilatum.

Anno Henrici XVIII. & Roberti regis XXIII.

(a) In margine codicis domini *Carreau* appoſitum *Montem-Budelli*; vulgo *Monboyau*.

facta eſt abbatia ſancti Nicolai Andegavenſis a Fulcone Nerra comite Andegavenſi.

Anno Henrici XIX. & Roberti regis XXIV. Fulco comes in abbatia S. Nicolai quam fecerat, abbatem inſtituit.

Anno Domini MXXII. & Henrici XX. & Roberti regis XXV. S. Herveo eccleſiæ B. Martini Turonis theſaurario defuncto, monachi Majoris-monaſterii inſulam S. Coſmæ gratia reſocillandorum fratrum ſub annuo cenſu a canonicis B. Martini receperunt; ſed poſtea rebelles canonicis fuerunt, juſtitiam loci eccleſiæ Majoris-monaſterii vindicantes; & ob hoc judicio procerum & clericorum ab inſula ſunt ejecti. Et eodem anno tanta ſiccitas & intemperies aëris fuit, ut multi homines & animalia præ calore deficerent.

Anno Henrici XXI. & Roberti regis XXVI. idem imperator & Robertus rex Francorum ſuper Carum fluvium apud Evoſium * convenerunt de ſtatu regni & imperii tractaturi, & ibi imperator tanta largitus eſt, quod opibus regum Perſarum & Arabum poſſet imperatoris munificentia comparari. Romæ poſt Benedictum Johannes frater ejus. Cui idem Benedictus defunctus apparuit dicens, ſe pœnis infernalibus cruciari, ſed ſperare ſe interventu Odilonis Cluniacenſis abbatis poſſe ſalvari. Pro quo Odilo tamdiu omni genere orandi aſſiduus laboravit, donec ſibi revelaretur, ſe pro illo exauditum eſſe.

* Ebre for Clar.

Anno Henrici XXII. & Roberti regis XXVII. idem imperator infirmitate correptus, conſulentibus ſe principibus ſuper ſubſtitutione imperii, deſignavit eis Conrardum virum regii generis & egregiæ libertatis, qui ſe numquam ſubmiſerat alicujus ſervituti, & ita eo mortuo, Corrardus ſucceſſit.

Corrardus tempore Johannis & Benedicti imperat annis XV. Hujus anno primo & Roberti regis XXVIII. clarebat in Italia Guido Aretinus mirabilis muſicus, qui gammam & regulas cantus compoſuit, & ſex vocibus quas ſolas muſica recipit, nomina impoſuit. Nam prius quaſi per uſum cantabant.

Anno Corrardi II. & Roberti regis XXIX. Cinito rex Angliæ Romam perrexit; in quo itinere tanta largitus eſt eccleſiis, pauperibus, peregrinis, infirmantibus, incarceratis, & etiam Fulgeberto epiſcopo Carnotenſi ad faciendam eccleſiam B. Mariæ, quanta nullus rex antea dederat.

Anno Corrardi III. & Roberti XXX. idem imperator Henricum filium ſuum adhuc puerum ſublimavit Aquiſgrani in regnum, & poſtea ipſe Romæ in imperatorem conſecratur, & quoſdam Italicos contra ſe rebellantes compeſcuit. Tunc obiit Richardus dux Normanniæ filius Richardi, anno ducatus XXIX. relinquens duos filios, quos de Judita filia Conani regis Britanniæ genuerat, ſcilicet Richardum & Robertum, qui Richardus patri in ducatu ſucceſſit; ſed eodem anno a Roberto fratre ſuo veneno occiditur.

Anno Corrardi IV. & Roberti regis XXXI. obiit Cinito rex Angliæ, cui ſucceſſit Haroldus filius ejus, & regnavit IV. annis. Hic Emmam novercam ſuam ſtatim a regno fugavit. Tunc Robertus fratre ſuo, ſicut dicitur, occiſo, Normanniæ ducatum arripuit: cumque apud Rothomagum eſſet, filiam cujuſdam, quam ad choros vidit, in tantum adamavit, quod eam defloravit. Quæ cum in prima nocte jaceret cum duce, & obdormiſſet, vidit per ſomnium inteſtina ſua velut quamdam maximam arborem ſuper Normanniam & Angliam dilatari: quod & factum eſt. Nam dux Robertus genuit ex ea in illa nocte Guillelmum nothum, qui poſt mortem ejus fuit dux Normanniæ, & poſtea rex Angliæ. Dux vero Robertus, nato dicto Guillelmo, in iſto eodem anno matrem pueri quam defloraverat, duxit in uxorem.

Anno Corrardi V. & Roberti regis XXXII. princeps Apuliæ cum Græcis viriliter pugnavit, & eos devicit.

Anno Corrardi VI. & Roberti regis XXXIII. hæreſis nova & inaudita apud Aurelianis exorta eſt; ſed judicio concilii ibi congregati omnes hæretici, qui erant meliores clerici civitatis, incendio concremantur.

Anno Domini MXXXI. & Corrardi VII. & Roberti regis XXXIV. idem Robertus rex Francorum moritur, cui ſucceſſit Henricus filius ejus, & regnavit annis XXX. Et eodem anno tanta fames fuit in Gallia, quod in quibuſdam locis vix alter ab alterius carnibus abſtineret.

Anno Corrardi VIII. & Henrici regis II. obiit Haroldus rex Angliæ, cui ſucceſſit Ardenutus frater ejus, qui Eduardum fratrem ſuum ex Emma filium Effredi regis, a Normannia revocavit, & ſecum retinuit. Nam Effredus frater ejus major a Gudonio occiſus fuerat poſt mortem Arnoldi, antequam Ardenutus rex eſſet.

Anno Corrardi IX. & Henrici regis III. Ardenutus rex Angliæ dedit ſororem ſuam Henrico filio Corrardi imperatoris, quæ poſtea de adulterio accuſata, ſucciſo poplite accuſantis in bello victi, ſuper hoc expurgata ſanctimonialis eſt effecta; nec multo poſt Ardenutus rex Angliæ pater ejus, inter pocula mortuus eſt, cui ſucceſſit Eduardus filius Effredi regis auxilio Godonii, qui filiam ſuam ei dedit.

Anno Corrardi X. & Henrici regis IV. dum Godoinus ante Eduardum regem Angliæ ad menſam ſe vellet purgare per offam de morte Effredi fratris regis, illius ſtatim offa ſuffocatus interiit. Romæ poſt Johannem Benedictus. Senonis poſt Leothericum Gelduinus, qui per ſimoniam electus, in eccleſiam Senonenſem intrare non potuit.

Anno Corrardi regis XI. & Henrici regis V. idem Henricus rex cum Fulcone comite An-

degavenſi & exercitu multo Senones venit, & villam & eccleſias omnino deſtruxit, & poſt cum Odone comite pacem fecit, ita quod medietas villæ regi remanſit, & Gelduinus archiepiſcopus in ſua ſede reſtituitur. Tunc Robertus dux Normanniæ pœnitentia ductus, nudipes Jeroſolymam petiit, & ſtatim rediens Apuliam, principem Apuliæ contra Græcos adjuvit, & Italos diſcordantes debellavit, & vicinis gentibus terrorem incuſſit, & hac de cauſa cœperunt Normanni in Sicilia & Apulia dominari: nec multo poſt obiit, & Bithiniæ ſepelitur anno ducatus VII. cui ſucceſſit Guillelmus filius ejus.

Anno Corradi XII. & Henrici regis VI. obiit Fulco Nerra comes Andegavenſis, & in eccleſia Belli-loci, quam ipſe fundaverat, eſt ſepultus; cui ſucceſſit Gaufridus Martellus filius ejus.

Anno Corradi XIII. & Henrici regis VII. duxit Gaufridus Martellus comes Andegavenſis uxorem ſterilem, quia numquam ex ea filios vel filias procreavit. Tunc Henricus rex Franciæ Guillelmum ducem Normanniæ puerum octennem in tutela recepit; cujus terræ Gaufridus Martellus comes Andegavenſis damna intulit infinita, etiam propinqui ſui, eo quod nothus erat; & quia eum puerum & ſine conſilio videbant, in quantum poterant infeſtabant.

Anno Corradi XIV. & Henrici regis VIII. Odo Campanienſis comes contra Corradum imperatorem rebellans, Lotharingiam incurſat, caſtella oppugnat, urbem Leuchorum quæ Tullus dicitur obſidet, & poſtea Barum caſtrum capit; cui Gothelo dux cum Lotharingis occurrit, & conſerto prælio apud Barum, Odo comes perimitur, & Francorum exercitus gravi cæde attritus, a Lotharingis fugere compellitur.

Anno Corradi XV. & Henrici regis IX. menſe Aprili maxima ignea trabes currens ſuper ſolem, viſa eſt in terram cadere, cujus veſtigia videri potuerunt. Et ſequenti Pentecoſte cum Corradus imperator ad miſſam in quadam eccleſia coronaretur, tam gravia fuerunt tonitrua & fulgura, ut aliqui mente excederent, aliqui exhalarent. Brunnus vero epiſcopus, qui miſſam cantabat, & ſecretarius imperatoris cum aliis tribus dixerunt, ſe inter miſſarum ſolemnia vidiſſe ſanctum Ambroſium imperatori indignando minantem; nec multo poſt imperator in Italia deceſſit, cui ſucceſſit Henricus filius ejus. Tunc Benedictus papa a Romanis ejectus eſt a papatu, & alius inſtitutus; unde in eccleſia Dei grave ſcandalum fecit.

Henricus filius Corradi tempore Benedicti, Silveſtri, Gregorii, Clementis, Damaſi, Leonis, & Victoris imperat annis XVII. Iſte in tantum bellicoſus fuit, quod de eo dictum eſt: *Cæſar tantus erat, quantus & orbis*; & ita facetus, quod clericum, qui ſororem ſuam ſanctimonialem equitaverat, epiſcopum inſtituit. Hujus anno primo & Henrici regis X. Benedicto papa mortuo in exilio, & alio ejecto, Silveſter præſidet LVI. diebus. Quo defuncto, Gregorius præſidet annis II. Hic ſtatim cum imperatore & Romanis pugnavit, & multos eorum occidit, pro quo ſanguinarius dictus eſt; cui etiam mortuo portæ S. Petri ſponte apertæ ſunt, ſed ſimoniace papatu invaſo, cum eſſet rudis litterarum, ad vices eccleſiaſtici officii exequendas, ſecum papam conſecrari fecit, quod cum multis non placeret, tertius ſuperducitur, qui ſolus vices duorum ſuppleret; & ita eis de papatu altercantibus, Henricus imperator Romam venit, qui illos tres canonica & imperiali cenſura deponens, Clementem ibi inſtituit, qui eum ad imperium conſecravit, Romanis jurantibus ſe numquam ſine conſenſu ejus papam de cetero electuros.

Anno Henrici II. & Henrici regis XI. cum idem imperator in Saxonia eſſet, in abbatia S. Galli, ſervientes archiepiſcopi Maguntiæ & abbatis in die Pentecoſtes in eccleſia ſeſe interfecerunt, & poſtea eo die ad miſſam ad ultimum verſum ſequentiæ diabolus in aëre exclamavit: hunc diem bellicoſum ego feci: quod imperator audiens, juſſit ſequentiam iterum decantari.

Anno Henrici imperatoris III. & Henrici regis XII. comes Andegavenſis Gaufridus Martellus nomine, vicit in bello Theobaldum comitem Bleſenſem, & eum cepit, & pro ejus redemtione habuit urbem Turones, & Chainonem & Lengiciacum; nam comes Andegavenſis vexillum S. Martini in illo bello, ſicut conſuetudo eſt, habebat; quod videntes inimici ejus fugerunt, per miraculum videntes alios ex parte comitis Andegaviæ veſtitos candidiſſimis indumentis.

Anno Henrici imperatoris IV. & Henrici regis XIII. Gaufridus Martellus comes Andegavenſis, vicit in bello Guillelmum comitem Pictavenſem, & eum cepit, pro cujus redemtione habuit Sanctonas cum toto pago.

Anno Henrici imperatoris V. & Henrici regis XIV. valida fames Galliam & Germaniam oppreſſit, & eodem anno factum eſt Caſtrum-Raginaldi, dictum a Raginaldo filio Gaufridi ejuſdem turris domini.

Anno Henrici imperatoris VI. & Henrici regis XV. conſtructa eſt eccleſia ſancti Sepulchri in Bituria, ad formam Sepulchri Jeroſolymæ.

Anno Henrici imperatoris VII. & Henrici regis XVI. cum Gaufridus Martellus comes Andegaviæ & uxor ſua Vindocini eſſent, & de nocte per feneſtram aſpicerent, viderunt tres ſtellas cadere in fonte qui ſub caſtro erat, & ob hoc epiſcoporum & abbatum & baronum conſilio, idem comes ſuper fontem illum conſtruxit eccleſiam Trinitatis, & de Majori-monaſterio monachos ibi poſuit; uxor

uxor vero ejus eccleſiam ſancti Georgii fabricavit.

Anno Henrici imperatoris VIII. & Henrici regis XVII. obiit Odilo Cluniacenſis abbas virgo centenarius, cui Hugo ſucceſſit.

Anno Henrici imperatoris IX. & Henrici regis XVIII. Clemente papa mortuo, ſucceſſit Damaſus, poſt Bruno Tullenſis epiſcopus, qui vocatus eſt Leo. Hic cum ad capeſſendam ſedem apoſtolicam Romam tenderet, audivit voces angelorum canentium: *Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis.*

Anno Henrici imperatoris X. & Henrici regis XIX. celebravit Leo papa apud Remis concilium, & ibi Gelduinum Senonenſem & Lingonenſem epiſcopos ſimoniacos depoſuit.

Anno Henrici imperatoris XI. & Henrici regis XX. miſit Leo papa epiſtolam ad Conſtantinum imperatorem Græcorum, animum ejus ſibi concilians, ad Græcorum hæreſes confutandas, qui ut ſimoniaci, donum Dei vendebant; ut Valeſii, hoſpites ſuos caſtratos etiam ad epiſcopatum promovebant; ut Arriani, Latinos baptizatos rebaptizabant; ut Donatiſtæ, in ſchola græca ortodoxam eccleſiam eſſe jactabant; ut Nicolaitæ, nuptias ſacerdotibus concedebant; ut Severiani, maledictam dicebant legem Moyſi; ut Pneumatomachi, profeſſionem Sancti-Spiritus a ſymbolo abſcindebant; ut Nazareni, Judaiſmum in baptizandis pueris obſervabant, de fermento ſacrificabant, & Latinos azymos vocabant, & eorum eccleſias claudebant, & Romanam eccleſiam anathematizabant, eique Conſtantinopolitanam eccleſiam præponebant.

Anno Henrici imperatoris XIII. & Henrici regis XXII. corpus Pallantis filii Evandri Romæ repertum eſt incorruptum, hiatus vulneris quatuor pedibus & ſemis menſuratus eſt, corpus altitudine murum ſuperabat, lucerna ad caput eſt inventa, quæ nec flatu nec liquore extingui poterat, ſed foramine ſubtus flammam cum ſtylo facto, & introducto aëre extincta eſt.

Anno Henrici imperatoris XIV. & Henrici regis XXIII. fuit in confinio Britanniæ & Normanniæ una vel potius duæ mulieres, quæ duo habebant capita & quatuor brachia, & omnia gemina uſque ad umbilicum, & inferius omnia ſingula; una loquebatur, edebat, ridebat; altera tacebat, eſuriebat & flebat, & una defuncta, alia per dies aliquot ſupervixit.

Anno Henrici imperatoris XV. & Henrici regis XXIV. Leone papa mortuo, Victor ſucceſſit. Turonis poſt Arnulfum Bartholomæus.

Anno Henrici imperatoris XVI. & Henrici regis XXV. in vigilia cœnæ Domini luna nigra ſicut carbo extincta, & eodem anno obiit Gaufridus Maxtellus comes Andegaviæ, & ſepultus eſt in abbatia S. Nicolai, quam fecit: quoniam pater ſuus eam incœperat. Super cujus tumulum tale epitaphium denotatur.

Dum viguit tua, dum valuit, Martelle, poteſtas,
Fraus latuit, pax magna fuit, regnavit honeſtas.

Hic comes cum heredes non haberet, & moreretur, reliquit terram duobus nepotibus ſuis, ſcilicet Gaufrido Barbato totam Turonicam cum Laudunenſi caſtro, & Fulconi *Richin* Andegaviam & Xantonas cum pago Xantonico.

Anno Henrici imperatoris XVII. & Henrici regis XXVI. fundata eſt abbatia B. Mariæ de Caritate a S. Girardo, qui in ea tumulatur. Tunc Victor papa in Gallias veniens, glorioſe ab Henrico imperatore ſuſcipitur, nec multo poſt eo præſente, idem imperator moritur, & apud Spiram tumulatur. Cui ſucceſſit Henricus filius ejus. Tunc Guillelmus dux Normanniæ Mathildem filiam Balduini comitis Flandriæ duxit in uxorem in hunc modum: Cum ipſa a patre ſuo de ſponſo recipiendo ſæpius rogaretur, eique Guillelmus Normanniæ a patre qui eum longo tempore nutrierat, præ aliis laudaretur, reſpondit numquam nothum recipere ſe maritum. Quo audito, Guillelmus dux clam apud Brugis ubi puella morabatur, cum paucis accelerat, eamque regredientem ab eccleſia pugnis, calcibus & calcaribus verberat & caſtigat; ſicque aſcenſo equo cum ſuis in patriam remeat. Quo facto, puella dolens ad lectum decubat: ad quam pater veniens, illam de ſponſo recipiendo interrogat & requirit: quæ reſpondens dixit: ſe numquam habere maritum, niſi Guillelmum ducem Normanniæ, quod & factum eſt.

Henricus filius Henrici tempore Victoris, Stephani, Benedicti, Nicolai, Alexandri, Gregorii, Clementis, Victoris, Urbani, & Paſchalis imperat annis L. Hic duos filios habuit, Corrardum, qui Italia ſubjugata, apud Aretium Tuſciæ obiit, & Henricum qui ei ſucceſſit. Hujus anno primo & Henrici regis XXVII. tenuit Victor papa apud Coloniam concilium generale, ibique Baldoinus & Godefridus ad imperatoris gratiam ſunt reverſi, nec multo poſt idem papa moritur, cui ſucceſſit frater Godefridi ducis Stephanus. Tunc in Paderbrunna Germaniæ Paternus recluſus, de recluſo exire nolens, paſſus eſt ſe comburi. Juxta Tornacum etiam multitudo columbrorum congregata prodigioſo prælio ſeſe occidebat; pars vero quæ remanſit, ab hominibus eſt cremata.

Anno Henrici imperatoris II. & Henrici regis XXVIII. pluit ſanguis in pago Pariſiaco in quadam eccleſia ſuper populum audientem miſſam in feſto Omnium-ſanctorum. Tunc Guillelmus dux Normanniæ Cenomanniam capit, & Alanus comes ab eo Britanniam facto homagio recepit; nam Guil-

helmus eam calumniabat, eo quod Carolus eam Rolloni cum filia ſua dederat.

Anno Henrici imperatoris III. & Henrici regis XXIX. fecit Henricus rex Francorum coronari Philippum filium ſuum puerum octennem, & inungi in regem Remis per manum Gervaſii archiepiſcopi Remenſis.

Anno Domini MLX. & Henrici imperatoris IV. & Henrici regis XXX. obiit idem Henricus rex Franciæ. Cui ſucceſſit Philippus filius ejus puerulus, quem Baldoinus comes Flandriæ aluit, & regnum gubernavit. Nam Richildem ſororem Henrici regis Franciæ patris Philippi regis habebat in uxorem. Romæ poſt Stephanum Benedictus menſibus X. poſt Nicolaus annis II.

Anno Henrici imperatoris V. & Philippi regis primo, clarebat magiſter Berengarius grammaticus, Andegavenſis archidiaconus & theſaurarius, necnon & magiſter ſcholarum, & camerarius eccleſiæ B. Martini Turonenſis, in grammatica & philoſophia clariſſimus, & in negromantia peritiſſimus. Hic, ſicut in decretis legitur, totam Franciam perturbavit: nam quidam Johannes genere Scotus ſuis dictis peſtiferum ſemen immiſcens, eumdem Berengarium tunc famoſum magiſtrum ſuo dogmate perverſo infecerat: ita ut aſſereret Euchariſtiam quam ſumimus in altari, non eſſe Corpus & Sanguinem Chriſti, ſed figuram Corporis & Sanguinis Chriſti; unde contra eum & pro eo multum a multis fuit & ſcriptis & ſermonibus diſputatum, & ob hoc a Nicolao papa Romæ in eccleſia Salvatoris generale concilium convocatur, ubi multum de Sacramento altaris præſente eodem Berengario diſputatur. Tandem idem Berengarius ſe reum eſſe coram concilio confeſſus, veniam poſtulatam ex apoſtolica clementia promeruit, & ita coram omnibus juravit: *Ego Berengarius corde credo & confiteor, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, per myſterium ſacræ orationis & verba noſtri Redemtoris ſubſtantialiter converti in veram & propriam ac vivificantem Carnem & Sanguinem Domini noſtri* JESU CHRISTI, *& poſt conſecrationem eſſe verum corpus Chriſti, quod natum eſt de Virgine, & pro ſalute mundi oblatum in cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram Patris; & verum Sanguinem Chriſti, qui ide ejus latere fuſus eſt, non tantum per ſignum & virtutem ſacramenti; ſed in proprietate naturæ & ſubſtantiæ veritate, ſicut in hoc brevi continetur, & ego legi & vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta evangelia.* Quo facto, papa præcepit ei auctoritate apoſtolica, ne ulterius de corpore Domini cum aliquo diſputare vel docere præſumeret, excepta cauſa reducendi ad fidem eos qui ejus doctrina ab ea receſſerant. Tunc Berengarius a Roma diſcedens, Turonis venit, ibique in inſula quæ S. Coſmæ dicitur, ſæculi pompis abrenuntians, fere per XXVIII. annos aſſidue Domino militavit, aliique plures canonici ſancti Martini ſancto Spiritu, necnon & ſalutari ejus admonitione inſtructi, mutatis veſtibus, ſeſe ad illam inſulam contulerunt.

Anno Henrici imperatoris VI. & Philippi regis II. ſuſcepit epiſcopus Goloniæ (a) imperium regendum, conſilio procerum, pro Henrico imperatore adhuc puero, eo quod Agnes imperatrix mater ejus tepide imperium gubernabat. Quo facto, imperatrix abrenuntians ſæculo, Romæ in eccleſia apoſtolorum Petri & Pauli uſque ad finem vitæ Domino deſervivit. [a]

Anno Henrici imperatoris VII. & Philippi regis III. exercitus multus a Galliis ad debellandos Sarracenos proficiſcitur; ſed omni regione a Sarracenis vaſtata, urgente fame, inefficax revertitur. Tunc fuit proditio apud Andegavos, ubi Gaufridus de Pruliaco & alii barones occiſi ſunt. Hic Gaufridus de Pruliaco torneamenta invenit. Tunc Gaufridus Barbatus, qui comes erat Turoniæ, abbatiam Majoris-monaſterii deſtruxit, & ob hoc per miraculum a Fulcone fratre ſuo captus, & in reprobum ſenſum datus, per XXX. annos fuit in carcere apud Chainonem. Fulco vero frater ejus habuit totam terram.

Romæ poſt Nicolaum Alexander, contra quem Cadelo Parmenſis epiſcopus papatum ambiens, magno ſcandalo eccleſiæ fuit: quia longa inter eos concertatio, & uſque ad homicidia prorupit. Tandem Mantuæ ſynodo congregata, Alexander ſe jurejurando expurgans de ſimonia in ſede apoſtolica ſubrogatur, Cadelo vero ut ſimoniacus repudiatur.

Anno Henrici imperatoris VIII. & Philippi regis IV. S. Eduardus rex Angliæ de ſuo fine cœlitus admonetur, & ei annulus aureus a S. Johanne-Baptiſta remittitur, quem cuidam pauperi in eleemoſynam dederat. Nec multo poſt idem rex migrat ad Dominum, & Londoniæ ſepelitur. Sed quoniam heredes non habebat, regnum Angliæ reliquit Guillelmo notho duci Normanniæ cognato ſuo ex parte matris. Haroldus vero filius Godoini, rege mortuo, regnum arripuit, juramento, quod ſuper hoc Guillelmo notho fecerat, non ſervato. Quo audito, Hariwich rex Nordanumbrorum cum Teſtino & cum Flandrenſi cum mille navibus venit in Angliam regnaturus. Et Eboraci M. laïcos & c. preſbyteros de Anglis occidit. Sed Haroldus qui regnum rapuerat, ei cum VII. legionibus occurrit, & eum cum multis occidit.

Anno Henrici IX. & Philippi regis V. Guillelmus dux Normanniæ, vexillo ſibi miſſo ab Alexandro papa, & collecto grandi exercitu

(a) Anno, ſcilicet, ſanctitate inſignis.

in Angliam apud Altingas appulit, & Haroldum qui ſe regem fecerat, vicit & occidit. Quo facto, in die Natalis Domini Londoniæ ad regnum Angliæ coronatur. Deinde nobiles Angliæ deprimens, cuncta ſibi ſubegit, & Nolitigandum Cantuarienſem archiepiſcopum incarceravit, ubi obiit; & apud Altingas, in loco ubi victoriam habuit, abbatiam in honore S. Martini fundavit; & ante fundaverat in Normanniam apud Cadomis abbatiam S. Stephani. Interea partita terra militibus ſuis, diverſas patitur irruptiones ab hoſtibus, contra quos dimicans multas in eos ultiones exercuit. Subactis denique cunctis hoſtibus, per totum regnum Angliæ pacem miſit. Habebat autem idem rex uxorem Mathildem nomine, filiam Baldoini comitis Flandriæ, quæ nata erat ex Richilde ſorore Henrici regis Franciæ, de qua idem Guillermus rex genuit Richardum, qui adoleſcens mortuus eſt, & Guillelmum Rufum regem Anglorum, qui poſt eum regnavit, & Robertum Curtam-ocream, cui ducatum Normanniæ dedit, & Henricum cui dedit poſſeſſionis maternæ prædia, qui in Anglia poſt Guillelmum Rufum regnavit; & Cæciliam abbatiſſam Cadomenſem, & Conſtantiam uxorem Alani comitis Britanniæ, & Adelam uxorem comitis Stephani Bleſenſis, filii Odonis comitis Campaniæ.

Romæ poſt Alex. drum Gregorius, ſub quo fundatum eſt cœnobium quod Moliſmum dicitur, in dioœceſi Lingonenſi. Eodem anno idem papa celebrata ſynodo, ſimoniacos anathematizat, & uxoratos ſacerdotes a divino officio removet, & laïcis miſſas eorum audire interdicit, novo exemplo & inconſiderato præjudicio, necnon & contra ſanctorum patrum ſententiam, qui ſcripſerunt quod ſacramentum altaris, baptiſmus, & criſma, nec bonorum diſpenſatorum meritis amplificantur, nec malorum peccatis attenuantur; ex qua re tam grave ſcandalum in eccleſia oritur, quod antea ſancta eccleſia nullius hæreſis ſchiſmate tam graviter eſt attrita. Tunc in provincia Galatum, quæ Ros vocatur, inventum eſt ſepulchrum Galvani nepotis regis Arturi.

Anno Henrici imperatoris x. & Philippi regis VI. Gregorius papa totus in Henricum imperatorem invehitur, & quoſcumque poteſt ab eo verbis & ſcriptis avertit, animum etiam Agnetis matris ipſius ab eo alienat, ipſumque imperatorem Romæ excommunicat.

Anno Henrici imperatoris XI. & Philippi regis VII. dedit Fulco *Rechin* comes Andegaviæ Philippo regi Franciæ caſtrum Laudunenſe, fratre ſuo vivente, quem tenebat in carcere, ea conditione, quod non cogeret eum fratrem ſuum a carcere liberare.

Anno Henrici imperatoris XII. & Philippi regis VIII. conſilio papæ, omnes Henricum imperatorem abjurant, & Radulphum ducem Burgundiæ ſuper ſe regem ſtatuunt, corona ei a papa Gregorio miſſa, cui erat inſcriptum:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Radulpho.

Eum etiam in regem Sigifredus Maguntiæ archiepiſcopus benedixit.

Anno Henrici imperatoris XIII. & Philippi regis IX. abſtulit Fulco *Rechin* comes Andegaviæ Ambaſiæ caſtrum cuidam Arnulpho, qui illud tenebat. Nam tunc temporis erant tres domini in Ambaſia, Sulpitius dominus Turris lapideæ, & Fulco de Taurigneio, qui tenebat Motam Fulconis, & Hernulphus qui habebat conſulis domicilium.

Anno Henrici imperatoris XIV. & Philippi regis X. duxit Fulco comes Andegaviæ in uxorem filiam Archembaudi de Borbone, de qua poſtea genuit Gaufridum Martellum ſecundum.

Anno Henrici imperatoris XV. & Philippi regis XI. Baldoino juniore comite Flandrenſium contra Hernulphum fratruelem ſuum Flandriam occupat, & homagia recipit & munit.

Anno Henrici imperatoris XVI. & Philippi regis XII. Arnulphus filius Baldoini comitis cum Philippo rege Francorum occurrit patruo ſuo Roberto, & pugna conſerta, Arnulphus perimitur, & Philippus rex fuga liberatur, & multis occiſis, hîc Richildis mater Arnulphi, & ex alia parte Robertus capitur, & altera pro altero relaxatur. Bellum inter eos vario eventu protrahitur.

Anno Henrici imperatoris XVII & Philippi regis XIII. cum Guillelmus nothus rex Angliæ medicinam purgantem a phyſicis accepiſſet, & ob hoc in lecto per dies aliquot jacuiſſet, Philippus rex Francorum hoc audiens, arriſit eum dicens: Eum jacere ut puerperam mulierem. Quo audito, Guillelmus rex Angliæ reſpondit: Cum ad miſſam iero, centum millia candelarum ei librabo.

Anno Henrici imperatoris XVIII. & Philippi regis XIV. menſe Auguſto Guillelmus rex Angliæ, coadunato exercitu, Medantum commeavit; ſed a calore contraxit morbum, & ideo ſic remanſit, ne Franciam devaſtaret. Eodem anno in Lemovicenſi territorio quidam vir egregiæ ſanctitatis STEPHANUS nomine apud Muretum locum, qui nunc Grandis-mons dicitur, primitus quaſi in heremo converſavit, agenſque ibi celibem vitam ferme quinquaginta annis, pluribus ſibi aſſociatis, ſub ſanctæ paupertatis propoſito idus Februarii ſpiritum exhalavit. Ex cujus doctrinæ ſanctæ fonte puriſſimo, ſacer ordo Grandimontis ſic incipiens in plures beatæ paupertatis rivulos emanavit.

Anno Henrici imperatoris XIX. & Philippi regis XV. Autiſſiodorum civitas igne penitus eſt cremata.

Anno imperatoris Henrici XX. & Philippi

regis XVI. obiit Bartholomæus Turonenſis archiepiſcopus, cui ſucceſſit Radulphus cognomine Dei-inimicus.

Anno Henrici imperatoris XXI. & Philippi regis XVII. Autiſſiodori poſt Godefridum Robertus, qui miræ ſimplicitatis, motus carnis in tantum compreſſit, ut vix aliquando vinum bibere acquieverit.

Anno Henrici imperatoris XXII. & Philippi regis XVIII. totum tempus æſtatis nimis calidum ſine pluvia fuit, & vindemiaverunt in menſe Auguſto, & vinum optimum fuit, & abundanter fluxit, & tunc incœptum eſt cœnobium S. Salvatoris in inſula, quod dicitur Aquiſcinctus.

Anno Henrici imperatoris XXIII. & Philippi regis XIX. Turci in oriente Arabas & Sarracenos devincunt, & Armeniam & Syriam incurſantes, multas urbes necnon & ipſam Antiochiam capiunt.

Anno Henrici imperatoris XXIV. & Philippi regis XX. factus eſt terræmotus magnus cum gravi terræ mugitu.

Anno Domini MLXXXI. & Henrici imperatoris XXV. & Philippi regis XXI. ejectus eſt Radulphus Dei-inimicus ab archiepiſcopatu Turonenſi a Fulcone *Rechin* comite Andegavenſi, de mandato Philippi regis Franciæ, eo quod idem Radulphus favebat Amato & Hugoni Dienſi epiſcopo legatis Romanæ eccleſiæ, qui auferre regi epiſcopatus regni ſui ſubdole præſumebat, & ſuper hoc ſtare juri in curia regis, ſicut juraverat, renuebat. Quo facto, prædictus Radulphus a Gregorio papa petiit per nuntios, ut comes Andegavenſis & canonici beati Martini Turonenſis cum toto pago excommunicationis ſententia ligarentur, cum ipſi legatos ſuos in proceſſionem recipere noluiſſent; ad quos papa » reſpondit: Ego & multi alii in legatione Tu» ronis fuimus, nec proceſſionem ab eis peti» vimus, nec petendam judicavimus, ſed om» nia alia non ex debito, ſed ex caritate ab eis » recepimus. Præterea multi prædeceſſores mei, » ſcilicet Gregorius, Sergius, Stephanus, Adeo» datus, Leo, & multi alii cum ſuis ſubditis » eccleſiarum paſtoribus, eccleſiam B. Martini » ab omni conſuetudine & ſubjectione liberam » & quietam fecerunt, & eam exemtam eſſe » penitus decreverunt; & cum tales tantique » viri eam in tanta ſublimitate firmaverint, » qua auctoritate auſus fuero eam a ſtatu ſuo » immutare vel in aliquo derogare? Quem enim » honorem eccleſia tantæ dignitatis ſummo » pontifici ulterius reſervaret, ſi legato noſtro » proceſſionis gloriam exhiberet? Et ita legati archiepiſcopi revertentes, nihil potuerunt contra beati Martini eccleſiam impetrare, & tunc orta diſcordia eſt inter eccleſiam beati Martini & archiepiſcopum & clerum S. Mauricii, & omnino ceſſavit fraternitas & dilectio quæ inter dictas eccleſias uſque ad hæc tempora perdurarat.

Anno Henrici imperatoris XXVI. & Philippi regis XXII. epiſcopo Meldenſi defuncto, Hugo Dienſis epiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus ibi Robertum abbatem epiſcopum ordinavit, quoniam Senonenſem archiepiſcopum excommunicavit, aliumque in ejus locum epiſcopum ordinans ſubrogavit, eo quod ſine ejus aſſenſu fuerat inſtitutus. A Nativitate Domini uſque ad hunc annum produxit chronicam ſuam Marianus Scotus.

Anno Henrici imperatoris XXVII. & Philippi regis XXIII. idem imperator expugnatis urbibus & caſtellis quæ contra ſe pro Hildebrando id eſt Gregorio papa erant, Romam Leonianam obſidet, qua non multo poſt capta, ipſam Romam obſidione circumdat.

Anno Henrici imperatoris XXVIII. & Philippi regis XXIV. Romani Henricum imperatorem in urbe recipiunt, & eorum judicio Hildebrandus, qui & Gregorius papa, abdicatur, & Guibertus Ravennæ archiepiſcopus in ſedem apoſtolicam ſubrogatur, & Clemens nominatur: Henricus vero imperator patricius Romanorum conſtituitur, & a Clemente papa in imperatorem benedicitur.

Anno Henrici imperatoris XXIX. & Philippi regis XXV. idem imperator Maguntiæ, concilio adunato, exegit ab omnibus, ut Gregorii papæ depoſitionem & Clementis ordinationem ſcripto appropriarent, cui aliqui manu & ore favebant, corde tamen Gregorio adhærebant. Tunc Guichardus Normannus Apuliam, Siciliam & Calabriam cum XV. millibus Normannorum cepit, Venetos devicit, Alexium imperatorem Bizantii vicit, & Henricum imperatorem Alemanniæ a Roma expulit, & expulſo Guiberto, Hildebrandum papam in ſede reſtituit, nec multo poſt mortuus eſt Venuſi Apuliæ, cujus epitaphium tale eſt.

Terror mundi Guichardus hic expulit Urbe
Quem Ligures regem, Roma, Lemannus, habent.

Quo ita mortuo, Guibertus revocatur, & Hildebrandus qui & Gregorius papa, Salernum exiliatur, eo quod excommunicabat eos, qui annulum & baculum paſtoralem de manu laïca accipiebant. Guichardo vero ſucceſſit Buamundus filius ejus, qui dux Apuliæ fuit.

Anno Domini MLXXXVI. & Henrici imperatoris XXX. & Philippi regis XXVI. incœpit ordo Cartuſiæ tali modo: Sanctus Hugo Gratianopolitanus vidit per ſomnium in ſolitudine Cartuſiæ Dominum JESUM-CHRISTUM domicilium quoddam conſtruentem, ſtellas etiam VIII. ducatum itineris ſibi præſtantes. Nec mora ad ipſum epiſcopum veniunt VII. viri, qui uno deſiderio ſuccenſi locum eremiticæ vitæ quærebant, nec adhuc reperierant: Quorum primus fuit magiſter Bruno religione & ſcientia clarus, & alii IV. litterati & duo laïci, quos ſanctus Hugo gratanter

ſuſcepit, & voti compotes fecit. Ipſo namque conſulente, juvante & comitante, Cartuſiæ ſolitudinem intraverunt, ædificia conſtruxerunt, & ibi quaſi in eremo Domino ſervierunt.

Anno Henrici imperatoris XXI. & Philippi regis XXVII. in Italia Venetianis meditantibus auferre corpus S. Nicolai a Mirea Liciæ a Turcis deſolata, præoccupaverunt eos Barenſes cives numero XLVII. & ab Antiochia Miream venientes, a IV. monachis tantum ibi inventis, tumbam ſancti ſibi petierunt oſtendi, qua effracta, oſſa ſancti in olei liquore natantia extraxerunt, & Barum cum gloria detulerunt anno DCCXLV. a depoſitione ejus. Tunc Gregorius papa qui & Hildebrandus apud Salernum exulans obiit, cui Victor ſucceſſit, ſed diſſenteria diſſolutus, non multum poſt moritur, & dictum fuit quod ad primam miſſam veneno in calice poſito extinctus fuerat: & eodem anno obiit Guillelmus Nothus rex Angliæ apud Rothomagum anno regni XXII. ducatus LII. vitæ LIX. & Cadomis in eccleſia quam fecerat ſepelitur VIII. idus Septembris juxta Mathildem conjugem ſuam, quæ elapſis IV. annis, defuncta fuerat ante eum. Cui ſucceſſit Guillelmus Rufus filius ejus in regnum, & XIII. annis regnavit, in principio bonus, ſed in fine peſſimus: nam reditus eccleſiarum in fiſco poſuit, & Anſelmum archiepiſcopum exiliavit, & multa alia mala fecit, & in ducatu Normanniæ ei ſucceſſit Robertus Curtaocrea filius ejus, frater iſtius Guillelmi regis.

Anno Domini MLXXXVIII. & Henrici imperatoris XXXII. & Philippi regis XXVIII. in Hiſpania rex Galliciæ Amphuſus Sarracenos debellat, & Toletum urbem per aliquot dies obſeſſam expugnat, & in ea Chriſtianitatem dilatat.

Romæ poſt Victorem Urbanus contra Henricum imperatorem in papam electus. Nam Henricus imperator & maxima pars cardinalium & univerſi de imperio quemdam elegerunt quem Paſchalem vocaverunt, regno Angliæ eis favente; pars vero cardinalium Urbanum elegit. Qui non multo poſt Franciam veniens, a rege Franciæ necnon & regni primatibus tamquam pater & papa ſuſcipitur, ab eiſque Paſchalis reſpuitur, & tamquam ſchiſmaticus excommunicatur, & in fine Paſchalis quaſſatur, & Urbanus ab univerſali eccleſia approbatur. Eodem anno obiit magiſter Berengarius grammaticus, fidelis & vere Catholicus, ſuper cujus tumulum tale epitaphium eſt inſertum.

Quem modo miratur ſemper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit,
Quem ſanctæ fidei veſtigia ſumma tenentem,
Jani prima dies abſtulit, auſa nefas
Illa dies, damnoſa dies & perfida mundo,
Qua decus & rerum forma ruina ruit;
Qua ſtatus & virtus, qua ſpes, qua gloria cleri,
Qua cultor juris jure ruente ruit.
Quicquid Philoſophi, quicquid cecinere poëtæ,
Ingenio ceſſit eloquioque ſuo.
Cui veſtis textura rudis, cui non fuit umquam
Ante ſitim potus, nec cibus ante famem,
Quem natura parens cum mundo contulit, inquit,
Degenerant alii naſcitur iſte mihi.

Hic Berengarius uſque ad finem vitæ in inſula S. Coſmæ feliciter converſatus, in clauſtro beati Martini Turonis eſt ſepultus.

Anno Domini MXC. & Henrici imperatoris XXXIV. & Philippi regis XXX. clarebat Gaufridus comes Vindocinenſis ſignifer eccleſiæ B. Martini Turonenſis.

Anno Henrici imperatoris XXXV. & Philippi regis XXXI. reliquit Fulco comes Andegavenſis uxorem ſuam de qua genuerat Gaufridum Martellum, & accepit ſororem Amaurici de Monte-forti, de qua genuit Fulconem regem Jeruſalem.

Anno Domini MXCII. & Henrici imperatoris XXXVI. & Philippi regis XXXII. quidam canonici B. Martini, relictis ſuis honoribus & præbendis, in vigilia Natalis Domini ſe ad ſanctorum Coſmæ & Damiani inſulam contulerunt, vincti compede Chriſti, & ſub diſcipliña canonicæ regulæ Domino ſervituri. Quorum nomina hæc ſunt, LETARDUS canonicus & ſecretarius B. Martini, RAINARDUS ſuccentor, UMBERTUS ſacerdos matutinalis, JOBERTUS adoleſcens litterarum ſcientia eruditus, & HUGO phyſicus. Iſti ſimul ſua conferentes, officinas conſtruxerunt, & alios quoſdam deinceps in ſuum conſortium aſciverunt.

Anno Domini MXCIII. & Henrici imperatoris XXXVII. & Philippi regis XXXIII. jaculum ignitum a meridie ad Aquilonem per cœlum ferri viſum eſt calendis Auguſti prima hora noctis, & eodem anno in vigilia Pentecoſtes in eccleſia S. Johannis, dum fontes a canonicis S. Martini benedicerentur, abſtulit Philippus rex Franciæ Fulconi *Rechin* comiti Andegaviæ uxorem ſuam ſororem Amaurici de Monte-forti, de qua poſtea genuit Philippum & Florum; ſed prius de uxore propria genuerat Ludovicum Groſſum; pro quo Francia ſuppoſita fuit interdicto.

Anno Henrici XXXVIII. & Philippi regis XXXIV. in Gallia & Germania gravis fuit hominum mortalitas, & tunc obiit Radulphus Dei inimicus, Turonenſis archiepiſcopus, cui ſucceſſit alius Radulphus.

Anno Henrici imperatoris XXXIX. & Philippi regis XXXV. & Incarnationis Dominicæ MXCV. venit Urbanus papa in Franciam, & per Burgundiam & Franciam habitis conciliis, Gregorii papæ decreta renovavit, & Philippum regem Franciæ pro uxore comitis Andegaviæ excommunicavit.

Anno Domini MXCVI. Henrici imperatoris XL. & Philippi regis XXXVI. Urbanus papa

apud Turonos menſe Martio concilium congregavit, & eccleſiam Majoris-monaſterii dedicavit, & in media quadrageſima in eccleſia B. Martini more Romano coronam palmarum ſe coronavit, & ibi miſſam ad altare Dominicum celebravit. Poſt in Ramis palmarum combuſta eſt eccleſia B. Martini cum omnibus ornamentis, quæ in adventu papæ extracta erant a theſauro, & clauſtrum ſimul, & ob hoc mandavit papa omnibus quod in remiſſionem peccaminum iſti eccleſiæ ſubveniant.

Anno Domini MXCVIII. & Henrici imperatoris XLII. & Philippi regis XXXVIII. Philippus rex Franciæ dimiſſa uxore comitis Andegaviæ, pro pœna amiſit omnes electiones epiſcopatuum regni ſui; comes vero pro recompenſatione uxoris ſuæ habuit electionem epiſcopi Andegavorum. Tunc etiam Gaufridus Martellus jam adultus & miles, comitatum Andegavenſem regebat pro Fulcone *Rechin* comite patre ſuo, qui tunc ſenex erat. Hic Martellus Gaufridum Barbatum patruum ſuum, qui ei comitatum quitaverat, de carcere liberavit; tamen eum bene ſervare faciebat, Hugonique de Calvo-monte ſororem ſuam cum tota Ambaſia in uxorem dedit, & in multis locis cum Guillelmo Rufo rege Angliæ ſæpe pugnavit.

Anno Henrici imperatoris XLIII. & Philippi regis XXXVIII. occiſus eſt Gaufridus Martellus Candæ caſtro, eo quod probus erat, & a noverca ſua, Fulcone comite Andegaviæ patre ſuo conſentiente, & ſepultus eſt in eccleſia S. Nicolai Andegavenſis.

Anno Domini MC. Henrici imperatoris XLIV. Philippi regis XL. concilium Pictavis celebratur, nec multo poſt abbatia Fontis-Ebraldi in Pictavenſi diœceſi fabricatur.

Eodem anno Guillelmus Rufus rex Angliæ in ſilva venaturus progrediens, a Galterio Tirello milite pro cerva ſagitta percuſſus interiit, & ad Wintoniam eſt ſepultus. Cui ſucceſſit Henricus frater ejus minor.

Anno Domini MCII. Henrici imperatoris XLVI. & Philippi regis XLII. factus eſt primo conventus in eccleſia S. Coſmæ de inſula quindecim & amplius canonicorum.

Anno Domini MCV. Henrici imperatoris XLIX. & Philippi regis XLV. Henricus rex Angliæ cepit Robertum fratrem ſuum, &c. Qui in Franciam veniens, filiam Fulconis comitis Andegaviæ duxit in uxorem, ſed propter conſanguinitatem poſtea ſeparantur.

Anno Domini MCIX. & Henrici imperatoris tertio, & Ludovici regis primo, obiit Fulco *Rechin*, comes Andegaviæ; cui ſucceſſit Fulco filius ejus, qui poſtea fuit rex Jeruſalem.

Anno Domini MCX. & Henrici imperatoris IV. & Ludovici regis II. Fulco comes Andegavenſis duxit in uxorem Eremburgim filiam Eliæ comitis Cenomanenſis, de qua genuit Gaufridum, qui ei ſucceſſit, & Héliam poſtea comitem Cenomanenſem, quem Gaufridus frater ſuus poſtea uſque ad mortem Turonis in carcere mancipavit. Ipſe vero Fulco ſæpe vicit Henricum regem Angliæ in prælio; ſed poſtea pace inter eos reformata, idem Fulco comes dedit filiam ſuam Guillelmo filio Henrici regis Angliæ in uxorem cum comitatu Cenomanenſi & tota Normannia ei a patre ſuo Henrico rege Angliæ conceſſa, de quibus homagium Ludovico regi Franciæ fecit, & tunc etiam Fulco comes Hugoni de Calvo-monte reddidit Mont-Ricardum.

Anno Domini MCXIII. & Henrici imperatoris ſeptimo, & Ludovici regis quinto, S. Bernardus cum XXX. ſociis & amplius ſub abbate Stephano Ciſtercium eſt ingreſſus, anno ætatis ſuæ XXII. Factum eſt poſt breve tempus ut Ciſtercienſis eccleſia, quæ rebus & gente pauper, necnon & ſterilis fuerat, plures jam abbatias nobiliſſimas parturiret. Prima quidem Firmitas fuit, ſecunda Pontiniacus, tertia Clarevallis, quarta Morimundus, quinta Prulliacus; ex quibus aliæ innumeræ diverſis locis & diverſis temporibus ſunt per eas propagatæ.

Anno Domini MCXIX. & Henrici imperatoris XIII. & Ludovici regis XI. obiit Radulphus Turonenſis archiepiſcopus, cui ſucceſſit Gillebertus.

Anno Domini MCXXI. & Henrici imperatoris XV. & Ludovici regis XIII. fundata eſt abbatia Oratorii in epiſcopatu Andegaviæ, a Fulcone comite, & Eremburge uxore ejus.

Anno Henrici imperatoris XVI. & Ludovici regis XIV. combuſta eſt eccleſia beati Martini & caſtrum per guerram clericorum & burgenſium.

Anno Domini MCXXIV. & Henrici imperatoris XVIII. & Ludovici regis XVI. Fulco comes Andegavenſis Muſteriolum caſtrum ſuper Giraudum Berlaii obſeſſum cepit.

Anno Domini MCXXVII. Luitherii vel Lothárii primo, & Ludovici regis XIX. obiit Gilebertus Turonenſis archiepiſcopus. Cui ſucceſſit Hildebertus prius Cenomanenſis epiſcopus, in verſificando & dictando ſcientia clarus, de quo quidam ait:

Inclytus & proſa verſuque per omnia primus
Hildebertus olet prorſus ubique roſam.

Anno Domini MCXXVIII. & Luitherii imperatoris II. & Ludovici regis XX. Baldoino rege Jeroſolymitano mortuo, Fulco comes Andegavenſis in regem eligitur, relinquenſque comitatum Andegavenſem Gaufrido filio ſuo, & in Syriam proficiſcens, in regem Jeruſalem coronatur.

Anno Domini MCXXIX & Luitherii imperatoris tertio, & Ludovici regis XXI. Mathildis imperatrix filia regis Angliæ data eſt uxor Gaufrido comiti Andegavenſi, de qua genuit Henricum, qui poſtea fuit rex Angliæ, & Guillelmum Longam-ſpatam, & Gaufridum *Plantagenet*, qui filiam Conani co-

mitis Britanniæ cum comitatu accepit in uxorem.

Anno Domini MCXXXIV. & Luitheri imperatoris octavo, & Ludovici regis XXVI. obiit NORBERTUS archiepiſcopus, Præmonſtratenſis eccleſiæ fundator, & Hildebertus Turonenſis archiepiſcopus, cui ſucceſſit Hugo.

Anno Domini MCXXXV. & Luitherii imperatoris IX. & Ludovici regis XXVII. cometa apparuit. Tunc obiit Henricus rex Angliæ largitatis & juſtitiæ ſingularis, eccleſiarum reparator, defenſor & recreator egentium, propugnator æquitatis, criminum vindicator, & apud Radingas ſepultus eſt anno regni XXXV. Poſt cujus obitum Stephanus comes Bononiæ, ex ſorore nepos, filius Stephani comitis Bleſenſis, frater Theobaldi comitis Campaniæ in Angliam veniens, epiſcopo Guenceſtreæ fratre ſuo eum adjuvante, ad regnum Angliæ coronatur: cui Mathildis imperatrix filia Henrici regis Angliæ, uxor Gaufridi comitis Andegaviæ pro ſe & pro filio ſuo Henrico viriliter occurrens, non ſinebat eum in pace regnare, nec multo poſt ipſa imperatrix auxilio Ludovici regis Francorum, ducatum Normanniæ occupavit cum fautoribus ſuis, mirifice in Anglia defendens partes ſuas, ne Stephanus rex dominium dilataret.

Anno Domini MCXLIII. & Conradi imperatoris VI. & Ludovici regis VI. in feſto beati Martini æſtivalis, dum Fulco rex Jeroſolymitanus venatum iret & leporem inſequeretur, equo ceſpitante ruens, mortuus eſt, per miraculum rupto collo. Ipſe enim quamdiu comitatum Andegavenſem tenuit, eccleſiam B. Martini Turonis in quantum potuit infeſtavit.

Anno MCXLVI. & Conradi imperatoris IX. & Ludovici regis IX. obiit Joſcelinus fundator eccleſiæ de Greſſu in Turonia ſitæ, & tunc primo inſtitutus eſt prioratus. *

*ordinis S. Auguſtini.

Anno MCXLIX. & Conradi imperatoris XII. & Ludovici regis XII. Hugone archiepiſcopo mortuo Engebaudus ſucceſſit.

Eodem anno MCXLIX. Henricus Ludovici regis Franciæ frater, prius theſaurarius beati Martini Turonis, poſt apud Claram-vallem monachi veſte indutus, provehitur ad epiſcopatum Belvagicæ civitatis.

Anno Domini MCLI. & Conradi imperatoris XIV. & Ludovici regis XIV. capitur Moſteriolum caſtrum ſupra Giraudum *Bellay* a Gaufrido comite Andegavenſi, nec multo poſt idem comes obiit, & Cenomannis in eccleſia ſancti Juliani ſepelitur, cui ſucceſſit Henricus filius ejus. Et eodem anno Giraudus *Beſlai* obiit, qui ſeptem annis Moſteriolum caſtrum a Gaufrido defenſarat.

al. MCLII. Anno Domini MCLI. & Conradi imperatoris XV. & Ludovici regis XV. facta eſt abbatia Clari-montis Ciſtercienſis ordinis. Tunc Ludovicus rex Franciæ zelotypiæ ſpiritu inflammatus, cum Alienorde uxore ſua in Aquitaniam vadit, munitiones removet, gentes ſuas exinde reducit, & poſtea rediens apud Baugenciacum caſtrum, jurata conſanguinitate, uxorem ſuam repudiat: quo facto, regina Bleſim rediit, ſed Theobaldo comite Bleſenſi eam per vim nubere volente; de nocte fugit, & inde evadens Turonis venit; cumque Gaufridus *Plantegeneſt*, filius Gaufridi comitis Andegavenſis, frater Henrici, ipſam in uxorem ducere, & apud portum de *Piles* rapere voluiſſet, ipſa ammonita ab angelis ſuis, per aliam viam reverſa eſt in Aquitaniam regionem ſuam, ibique Henricus dux Normanniæ eam duxit in uxorem, pro quo inter ipſum & Ludovicum regem Franciæ magna diſcordia inſurrexit. Genuit autem idem Henricus poſtea de eadem Alienorde regina Henricum juvenem regem Angliæ, Richardum regem Angliæ, Gaufridum comitem Britanniæ, Johannem regem Angliæ, reginam Apuliæ, quæ fuit poſtea comitiſſa S. Ægidii, reginam Hiſpaniæ, & uxorem ducis Auſtriæ, poſtea reginam Hieroſolymorum, &c.

Tunc Gaufridus *Plantegenet*, qui Cainonem, Lodunum & Mirebellum in partem hereditariam habebat, ab Henrico fratre ſuo comite Andegavenſi invaditur, eique quorumdam ſeductione prædicta caſtella protinus auferuntur. Erat autem idem Gaufridus forma decorus, militia inſignis, & ita largitate omnibus antepollens, quod in quacumque villa arma ſua nova fiebant, ſtatim ut de villa exibant omnia arma militum, quæ in villa illa facta pro pretiis tenebantur, militibus etiam non quærentibus reddebantur, & de burſa dicti comitis pretia creditoribus ſolvebantur.

Anno Domini MCLIII. Friderici imperatoris primo, & Ludovici regis XVI. Ludovicus rex Franciæ Normanniam aggreſſus, caſtrum, quod *Vernon* dicitur, in deditionem recipit. Interim dum Henricus dux Normanniæ contra Stephanum regem Angliæ fortiter dimicaret, idem Stephanus rex labore debilitatus eſt & ſenio, necnon defuncto Euſtachio filio ſuo, ſpe heredis deſolatus, in hujuſmodi pacem cum Mathilde imperatrice & Henrico filio ejus convenit, quod Henrico poſt eum regnum Angliæ remaneret, & Henricus eum in patrem & ipſe Henricum in filium adoptaret: quod & factum eſt, de quo Mellinus ait: *Nocebit poſſidenti ex impiis pietas, donec ſeſe genitore induerit*; & ita Stephanus in regni ſolio in pace reſedit, & Henricus vices regis agens in ſtatum priſtinum totam Angliam reformavit: unde Mellinus ait: *Catuli leonis avita tempora renovabunt.*

Anno MCLIV. Friderici imperatoris II. & Ludovici regis XVII. pax & concordia inter Ludovicum regem Franciæ & Henricum ducem Normanniæ reformatur; nec multum

post mortuo Stephano rege Angliæ, Henricus dux Normanniæ in regni solio sublimatur. Hic Henricus Angliam, Normanniam, Cenomanniam, Andegaviam, Turoniam, Pictaviam, Aquitaniam viriliter regens, necnon & volens alas suæ potestatis per universas extendere regiones, maximam partem Hiberniæ acquisivit, de quo Mellinus ait: *Sextus Hiberniæ mœnia subvertet.* Sextus enim de progenie Eduardi filii Emmæ.

Anno MCLVII. Engebaudo archiepiscopo Turonensi mortuo, successit Joscius Brito, qui ecclesiam beati Martini in quantum potuit infestavit.

Anno Domini MCLIX. & Friderici imperatoris VII. & Ludovici regis XXII. obiit Adrianus papa; quo mortuo, cardinales pro electione facienda in beati Petri ecclesia convenerunt, & pluribus nominatis, omnes unanimiter, excepto Octaviano S. Martini presbytero cardinali & S. Pisano & G. Cremensi, Rollandum cancellarium, qui Alexander dictus est, elegerunt. Cumque eum pontificiali clamyde induere festinarent, ipseque sicut bonus pastor se subtrahere laboraret, dictus Octavianus occurrit, & comminans ex parte imperatoris, ne illud fieret inhibuit, & manibus cardinalium mantum arripuit, & secum abstulit. Quod dum nobilis quidam senator aspiceret, de manibus illius mantum excussit, & aliis cardinalibus reddidit. Quo facto, Octavianus clericum suum & mantum quod occulte asportaverat extrahens, idem Octavianus extracto pileo, demisso capite, cum prædicti cardinales complices ejus in partem aliam discessissent, a clerico suo sibi fecit mantum imponi, quod ambabus manibus arripiens, & collo circumvolvens, capitio dependente, ad terram autem fimbriis dependentibus dum quidam adversæ partis in eum insurgerent, & tali clamyde vellent exuere, ipse manibus circa collum vestem stringens, *Te Deum laudamus* sicut potuit exclamavit; tunc occurrentibus complicibus ejus, qui in angulo latitabant, & portis ecclesiæ apertis, amici ejus & consanguinei extractis gladiis in ecclesiam irruerunt. Cumque cohors illa Judaïca ad capiendum Alexandrum summum pontificem, Juda præcedente, concurreret, aliis ridentibus, aliis flentibus, Guillelmus * Cremensis super eum pallium suum jactavit, & postea cardinales cum suo papa in munitionem S. Petri se continuo retraxerunt. Quo facto, Octavianus per legatos imperatoris pecunia deceptos, per amicos & consanguineos, per senatores pactione corruptos, per partem plebis errore deceptam, eis comminans diebus pluribus, illos ibi obsedit, & interim per legatos & litteras cunctos provinciæ accersivit: qui venientes & factum ejus admirantes, nec minis potuerunt ad hoc nec blanditiis emolliri; sed omnes, excepto Ferentino episcopo, qui scholastica societate devictus, & castri promissione deceptus fuerat, intrepidi responderunt: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Tunc Octavianus videns episcopos suam præsentiam abhorrere, & etiam parato convivio non venire, nocte profugit ab Urbe: alii autem de custodia educti, pulsatis tintinnabulis, a currente & plaudente conductu nobilium Romanorum, de Romana urbe cum Alexandro papa egressi, Nympham devenerunt, ibique papam consecraverunt, schismaticos nisi infra octo dies resipiscerent excommunicantes, qui elapsis octo diebus excommunicati fuerunt. Octavianus vero schismaticus oppidis circinatis, duos cardinales, scilicet episcopum Tusculanum & Ferentinum, & alium Apuliæ episcopum *de Melfet*, qui propter proditionem expulsus de regno Siciliæ exulabat, per nuntios evocavit, & ab eis XV. die post consecrationem Alexandri papæ, maledictionem pro benedictione suscepit. His ita gestis, imperator tam injuriis & damnis quam verberibus & vinculis omnes a parte Alexandri studuit revocare; & cum ad hoc præcipitari non possent, ipse cum suis episcopis Octaviano schismatico assensum præbuit, & auxilium impertivit. Rex vero Franciæ Ludovicus, & rex Angliæ Henricus cum suis episcopis, omniaque regna Hispaniæ Alexandrum in papam & dominum susceperunt.

Anno Domini MCLX. & Frederici imperatoris octavo, & Ludovici regis XXIII. mortua regina Franciæ filia imperatoris Hispaniæ, Ludovicus rex accepit in conjugem Alam filiam comitis Theobaldi, quam Hugo Senonensis in reginam Franciæ Parisius consecravit, præsentibus tribus cardinalibus.

Anno Domini MCLXI. & Frederici imperatoris IX. & Ludovici regis XXIV. obiit Guillelmus comes Nivernensis, cui filius ejus Guillelmus successit, qui a comite Joviniaci & comite Sacricæsaris multas infestationes sustinuit, sed tandem prævaluit.

Anno Domini MCLXII. & Frederici imperatoris X. & Ludovici regis XXV. fuit ingens fames per totum regnum Franciæ. Tunc Mediolanenses diutius obsessi, cum victualium penuria laborarent, & alias Italiæ urbes a rebellione defeciſſe conspicerent, imperatori se dedunt, qui civitatis muros destruens, & Turcos dejiciens, totam urbem dispersit in vicos. Quo facto, Raynaldus Colonensis archiepiscopus corpora trium Magorum, qui Dominum in Bethleem adoraverunt, a Mediolano Coloniam transportavit. Nec multo post Alexander papa Gallias venit, & a Franciæ & Angliæ regibus est susceptus. Sanctus Thomas Cantuariæ archiepiscopus ordinatur.

Anno Domini MCLXIII. & Frederici imperatoris XI. & Ludovici regis XXVI. Alexander papa Turonis concilium in Pentecosten celebravit, & schismaticos cum omnibus episcopis

* l. Guido.

episcopis & aliis qui ibi aderant, excommunicavit, & in festo B. Martini de Maio (a) in ejusdem Sancti ecclesia ad portam parvæ aræ coronatus, missam ad altare Dominicum decantavit. Tunc Guillelmus Nivernensis comes Stephanum Sacricæsaris juxta Marchiam in bello devicit, & de suis multos occidit & cepit.

Anno Domini MCLXIV. & Frederici XII. & Ludovici regis XXVII. S. Thomas Cantuariæ archiepiscopus exulat in regno Francorum, primo apud Pontiniacum moratus, postea Senonis in cœnobio S. Columbæ expensis regiis sustentatus.

Anno Domini MCLXV. & Frederici imperatoris XIII. & Ludovici regis XXVIII. Alexander papa Romam reversus, cum magnis processionibus suscipitur a Romanis; & eodem anno in octavis Assumtionis B. Mariæ, nocte Dominica, natus est Philippus Ludovici Pii Francorum regis filius, & fuit in crastino baptizatus.

Anno Domini MCLXVI. & Frederici XIV. & Ludovici regis XXIX. obiit Radulfus Autissiodorensis thesaurarius, genere & moribus clarus.

Anno Domini MCLXVII. & Frederici XV. & Ludovici regis XXX. idem imperator odio Alexandri papæ Romam obsidet, cujus exercitu pene toto peste interemto, ipse cum paucis ad sua cum magna tristitia remeavit. Tunc magna discordia inter regem Franciæ & regem Angliæ exorta. Mathildis imperatrix mater regis Angliæ moritur. Guillelmus rex Siciliæ, obit, cui Guillelmus filius ejus successit.

Anno Domini MCLXVIII. & Frederici XVI. & Ludovici regis XXXI. fuit talis pestis in Jerosolymis, quod fere omnes mortui sunt peregrini, ibique obiit Guillelmus Nivernensis comes sine herede, cui Guido frater ejus successit. Tunc in Sicilia erat regis cancellarius Francigena, quem Siculi quidam potentes curiæ odientes, litteras ab ultimo sigillo regis signatas per Apuliam direxerunt, ut quotquot Franci invenirentur, capitaliter punirentur: quod & factum est. Tandem rex auctores illius seditionis pari sententia condemnavit.

Anno Domini MCLXIX. & Frederici XVII. & Ludovici regis XXXII. Cathania & aliæ urbes & castra Siciliæ a terræ motu penitus sunt subversa, ubi episcopus & clerus, & abbas de Milleto cum XL. monachis, & fere XV. hominum millia perierunt.

Anno Domini MCLXX. & Frederici XVIII. & Ludovici regis XXXIII. in transmarinis partibus fuit horribilis terræ motus IV. calendas Julii, ubi urbibus subversis & oppidis, Christiani & pagani innumerabiliter perierunt. Ruit etiam magna pars Antiochiæ, & civitas Jerusalem tremuit; sed, Deo miserante, non periit. Et eodem anno Henricus rex Angliæ fecit coronari Henricum filium suum post Pentecosten, S. Thoma Cantuariæ archiepiscopo contradicente, licet apud Senonas in Galliis exularet; nec multo post Henricus rex Angliæ eum revocat, & pace inter eum & regem facta, ab Anglis honorifice susceptus est.

Anno Domini MCLXXI. Frederici XIX. & Ludovici regis XXXIV. IV. calendas Januarii præfatus Thomas Cantuariæ archiepiscopus, trigesima die postquam applicuit, feria tertia occisus est ab impiis ministris Henrici regis Angliæ in ecclesia metropoli Cantuariæ, sed longe ab altari, hora vespertina, glorioso martyrio factus gratissimum Deo sacrificium vespertinum, de quo quidam ait:

Annus millenus centenus septuagenus
Primus erat, primas dum cadit ense Thomas.

Anno Domini MCLXXII. canonizatus est S. Thomas ab Alexandro papa in capite jejunii. Et tunc in mense Martio orta guerra inter Henricum regem & uxorem ejus & tres filios ejus majores, Henricum, Richardum, & Gaufridum, consilio Radulfi de Faia, & Hugonis de S. Maura.

Anno Domini MCLXXII. & Frederici XXI. & Ludovici regis XXXVI. III. idus Februarii apparuerunt de nocte igneæ acies in septentrionali plaga, & lux tanta emicuit, quod nummus cujus monetæ esset posset cognosci; & eodem anno filii regis Angliæ patrem infestantes, auxilio Ludovici regis Franciæ & procerum ejus Normanniam graviter vastaverunt, & ibi multi mortui sunt. Tunc obiit Joscius Turonensis archiepiscopus in tanta paupertate, quod de rebus suis vix inveniri potuit de quo posset mortuus sepeliri. Fuit enim magnanimus, sed versutus. Nam in tantum ecclesiam B. Martini Turonensis, necnon & Henricum regem Angliæ molestavit, quod in litis naufragio quidquid habere potuit dissipavit. Cui successit Bartholomæus genere clarus, sermone facundus, consilio providus, divitiis repletus. Hic episcopum Dolensem, qui per longa tempora rebellis fuerat ecclesiæ Turonensi, post longa certamina, auctoritate apostolica suæ subdidit ditioni. Florebat tunc temporis Petrus Comestor magistrorum Parisius primas, vir facundissimus, & in scripturis divinis excellenter instructus, qui utriusque testamenti historias uno compingens volumine, opus edidit satis utile, satis gratum, ex diversis historiis compilatum.

Anno Domini MCLXXIV. & Friderici XXII. & Ludovici regis XXXVII. obiit Amorricus rex Jerosolymorum, cui successit Baldoinus filius ejus. Obiit & Noradinus rex Turcorum, cui successit Salahadinus armis strenuus; qui rege Ægypti peremto, regnum Ægypti suo regno addidit & tenuit, & tunc mense Sep-

(a) Subventionis dicto, quod celebratur 12. die mensis Maii.

tembri inter Henricum regem Angliæ, & filios apud Montem-Laudiacum juxta civitatem Turonis fuit pax reformata, Ludovico rege Francorum præsente; & sequenti mense Novembri fuit aquarum inundatio inaudita, quæ villas submersit, sata absorbuit; unde & sequenti tempore vehementissima fames inhorruit; quamobrem multi dicebant natum esse antichristum, cujus prænuntia pernicia tanta foret.

Anno Domini MCLXXV. & Frederici XXIII. & Ludovici regis XXXVIII. fuerunt tenues segetum messiones, & tunc facta est fraternitas ecclesiæ B. Martini Turonensis & beati Martini de Campis.

Anno Domini MCLXXVI. & Frederici XXIV. & Ludovici regis XXXIX. fuit maxima fames in Gallia, in qua ad sustentationem pauperum ecclesiarum invadiata suat ornamenta, & sanctorum feretra decrustata, & maxima Cisterciensis ordinis apparuit munificentia in pauperibus sustentandis.

Anno Domini MCLXXVII. & Frederici XXV. & Ludovici regis XL. venit apud Avenionem adolescens nomine Benedictus, dicens se a Domino missum, ut pontem super Rodanum construeret, qui derisus est, cum sumtus non haberet, & cum præ magnitudine fluminis nullus crederet hoc facturum: sed populi ab eo nutu divino commoniti, illud opus citius perfecerunt.

Anno Domini MCLXXVIII. & Frederici XXVI. & Ludovici regis XLI. idem imperator cum papa Alexandro pacem componit, & abjurat schisma, publice satisfacit, sic quod pax redditur ecclesiæ ob suorum dissensionem membrorum diutius desolatæ. Et eodem anno innumerabilis multitudo paganorum Jerosolymam venit; sed a Christianis qui imparcs erant, numero, viribus, apparatu, devicta recessit.

Anno Domini MCLXXIX. & Frederici XXVII. & Ludovici regis XLII. Alexander papa Lateranense concilium Romæ post medium quadragesimæ celebravit. Tunc in transmarinis partibus milites Templi ope regis & principum coadjuti, in loco qui dicitur Vadum-Jacob, castrum firmissimum munierunt. Quod cum aliquamdiu timuissent Turci, Templarios seditione capiunt, castrum expugnant, & ad terram dejiciunt. Nec multum post filia Ludovici regis Francorum Constantinopolim ducitur, imperatoris filio desponsatur. Eodem anno in festo Omnium-sanctorum Philippus Ludovici regis Francorum filius, a Wilhelmo Remensi archiepiscopo avunculo suo in Remensi ecclesia in regem Franciæ consecratur, anno ætatis XV. præsente Henrico juniore rege Anglorum, qui sororem ejus duxerat. Tunc obiit Petrus Comestor doctor famosissimus, pauperibus & ecclesiis cunctas dividens facultates; cujus sepulturæ hoc epitaphium in ecclesia sancti Victoris Parisius insertum est:

Petrus eram quem petra tegit, dictusque Comestor,
Nunc comedor: vivus docui, nec cesso docere.
Mortuus, ut dicat qui me videt incineratum:
Quod fuit iste sumus, erimus quandoque quod hic est.

Anno Domini MCLXXX. & Frederici XXVIII. & Ludovici XLIII. & Philippi filii ejus II. idem Philippus rex duxit in uxorem Isabellam filiam comitis Hanonensis, neptem Philippi comitis Flandriæ de sorore, & cum ea recepit Atrebatum cum omni terra, quæ fuerat comitis circa fluvium qui dicitur *Lis*: quam Guido Senonensis archiepiscopus unxit apud S. Dionysium in reginam: quod matri ejusdem Philippi regis, & ejus fratribus valde displicuit: & ob hoc castra suæ dotis mater contra filium munire præsumsit. Quo comperto, a filio expulsa, ad fratres suos confugit, & propter hoc eorumdem fratrum contra regem discordia incandescit. Sed non multo post difinito consilio illa reducitur, & pax inter regem & proceres reformatur. Eodem anno Ludovicus rex Franciæ morbo fatigatus & senio obiit anno regni XLIII. & in monasterio a se constructo, quod dicitur Sanus (a) portus honorifice tumulatur. Fuit enim honestate laudabilis, supplex & benivolus, & erga subditos unica moderatione usus: & quia pacis amator erat, guerras etsi aliquas, tamen raras aut intulit aut pertulit, suumque regnum tranquille & strenue gubernavit, & ideo sub ipso tot novæ villæ conditæ sunt, & veteres ampliatæ, tot excisa nemora, ordinesque diversarum religionum in diversis locis multipliciter propagati. Tunc obiit Manuel imperator Constantinopolitanus, cui successit Manuel filius ejus adhuc juvenculus, qui filiam Ludovici regis Franciæ duxerat in uxorem. Inter Fredericum vero imperatorem & Saxoniæ ducem erat tunc concertatio dura, qua multi & capti & peremti sunt, multæ villæ & ecclesiæ succensæ sunt & destructæ. Inter Philippum etiam regem & Guidonem archiepiscopum Senonensem contentio orta est, eo quod rex volebat sæcularium rerum causas in sua curia diffiniri, solaque illa quæ ad jus ecclesiasticum pertinent, archiepiscopali judicio reservari; & in tantum super hoc ira regis incanduit, ut archiepiscopum juberet aut sedem relinquere, aut suis jussionibus assentire. Qui maluit subire exilium, quam contra justitiam regium implere præceptum. Verum paulo post rex pœnitentia ductus, accepto consilio saniori, exulem revocat, & ut prius suum jus ei in omnibus reformat. Tunc temporis in Senonico territorio, in villa Cudo, erat quædam puella genere infima, officio bu-

(a) *l.* Sacerportus, vulgo *Barbeau*. [a]

bulca, quæ gravi admodum & diutino prius est castigata flagello, adeo ut propter influentem de toto corpore saniem, suis quoque fieret in horrorem. Sed qui contemtibilia mundi elegit & infima, post patientiæ probamenta, humilitatem ejus respexit, & eam in camino tribulationis bene excoctam digniorem effecit, corpus ejus redintegrans, spiritalique alimento sustentans: ita vero sui impotens erat, ut non nisi ab altero moveri posset, jacens continue resupina, præter caput & dextram, membris ceteris sui vigore officii destitutis: cumque nullum cibum posset trajicere, ad trajiciendum tamen Viaticum naturalem meatum habebat libere præparatum: in corpore tamen erat perexilis, & marcida, corpulenta, & facie venusta, intestinis erat præ longa introrsus inedia vacuatis, frequenter autem in excelsum rapiebatur, & angelo duce freta, loca pœnarum, nunc bonorum gaudia percurrebat: ad se postea rediens, quid & cui proferret satius cogitabat, spiritu docente interius quid silere debeat, quid proferre. Cum autem in festivitatibus Domini vel Matris, sicut dicitur, raperetur, & post unum diem vel plures regrederetur, dicebat quod videbatur ei de ampliſſima luminis claritate in tenebras rejici, mundumque vidisse in modum pilæ rotundum, solem terra majorem, terram velut ovum in medio pendulam, aquis undique circumcinctam, rerumque rationes & causas abditas proferebat, & plerumque absentia, plerumque futura in spiritu prævidebat.

Anno Domini MCLXXXI. & Frederici XXIX. & Philippi regis III. Henricus comes Campaniæ a Jerosolymis per Asiam rediens, a Turcis rapitur: sed ab imperatore Græciæ liberatur. Verum ubi terram attigit, homines suos, quos ex reditu suo lætificaverat, de suo obitu mox contristavit. Erat enim tam largissimus, quod quæcumque habere poterat statim erogaret, & propter hoc consiliarii sui eum sæpius abscondebant. Tunc Baldoinus rex Jerosolymorum ætate juvenis, lepræ contagio deformatur. Apud Aurelianis quadam Dominica dum missam quidam presbyter celebraret, & duas hostias, unam sumendam & alteram reponendam super altare posuisset, cum diceret *Pater noster*, hostia quam tenebat sanguine manans, manus ejus & corporalia purpuravit, & ita in formam carnis lividæ rex & populus qui ibi accurrerat illam hostiam inspexerunt. In Burgundia vero, & apud Brennam oppidum, & apud Vindocinum, & apud Atrebatensem urbem similia evenerunt, nec immerito. Nam, teste scriptura, nihil in terra fit sine causa. Nempe Henricus Albanensis episcopus ab Alexandro papa mittitur in Gasconiam ad delendam hæreticorum perfidiam, altaris non credentium sacramentum: qui prædicationum verbo nec militum peditumque infinito exercitu dictos hæreticos expugnavit. Tunc inter imperatorem Alemanniæ & ducem Saxoniæ pax reformatur tali pacto, quod ducatum non reciperet, nisi prius septennio exulasset; & ob hoc ipse dux & uxor sua cum filiis suis Wilhelmo & Othone postea imperatore, ad Henricum regem Angliæ, cujus filia erat, in Franciam venerunt, ibique cum rege longo tempore permanserunt. Interim Alexander papa obiit, cui Lucius vir grandævus successit. Eodem anno Philippus comes Flandriæ, dux Burgundiæ, Wilhelmus Remensis archiepiscopus, Theobaldus comes Blesensis, Stephanus Sacri-Cæsaris confœderati conspirant in regem, totam Franciam perturbantes. Porro rex videns se plurima parte suorum destitui, Brabenciones in auxilium evocat, cum quibus terram Stephani comitis devastavit. Interim autem comes Flandriæ terram regis invadens, & villas & oppida incendit, diruit, spoliavit.

Erat tunc per Franciam formido non minima, nam Fredericus imperator adversariis regis se sponderat subventurum, exercitus suos submovens per totum imperium contra regem. Henricus autem Angliæ cum filiis suis Henrico scilicet rege, & Richardo Aquitaniæ duce, regis Franciæ partem fovebat, quibus tandem mediantibus, pax integra inter prædictum regem & comites reformatur. Tunc Manuel imperator Græcorum obiit, in cujus imperium Andronicus de imperiali prosapia natus, se violenter intrusit, & filii imperatoris adhuc juvenculi se tutorem effecit, suggerens exterminandos Græcos ubi Latini a Græcia tollerentur: nam Manuel imperator quamdiu vixerat, Latinos dilexerat: ita quod per eos solummodo expeditiones agebat, & primis eos palatii honoribus decorabat. Latinam etiam conjugem duxerat, & susceptum ex ea filium Latinæ conjugi, scilicet Ludovici regis Francorum filiæ copulaverat. Quo Græci animati, irruunt in Latinos, & quotquot inveniunt trucidant, aut ex urbe proturbant. Andronicus palatium occupat, portus incenditur, ibique opes innumeræ & ædificia concremantur.

Anno Domini MCLXXXII. & Frederici XXXI. & Philippi regis V. apud Constantinopolim Andronicus imperatorem exterminat, imperiumque usurpat. Nec multum post Henricus rex Angliæ junior, in Lemovicino territorio apud castrum quod dicitur Martellum obiit, & apud Rothomagum sepelitur, vir armis strenuus, humilis, largus, pulcherrimus, sapiens & facetus, &, ut verius loquar, nulli secundus. Tunc inter Lucium papam & Romanos orta dissensione, idem papa proturbatus ab urbe a Romanis impetitur, multisque injuriis lacessitur. Nam multis qui erant ex parte papæ eruerunt oculos, & im-

posuerunt mitras, & remisere mitratos, recepto ab eis juramento, quod papæ præsentarent taliter se videndos. Quo viso papa, tot conflictus ferre non valens, Veronam se contulit, sperans sibi auxilium ab imperatore ferendum. Per idem tempus Saladinus rex Turcorum partes Jerosolymorum aggreditur & devastat: sed non longe post repulsus abscedit.

Anno Domini MCLXXXIV. & Frederici XXXII. & Philippi regis VI. secta eorum quos Capuciatos vocant, quæ anno præcedenti apud Anicium incœperat, in Francia est deleta; & tunc in festo S. Mathiæ abjurata est communia burgensium Castri-novi, quam contra ecclesiam beati Martini Turonensis fecerant auctoritate Lucii papæ & Philippi regis Francorum, coram Guillelmo Remensi archiepiscopo, & Herveo abbate Majoris-monasterii, a domino..... super hoc judicibus delegatis.

Anno Domini MCLXXXV. & Frederici XXXIII. & Philippi regis VII. obiit Baldoinus rex Jerosolymorum, Baldoino nepote ejus adhuc puerulo in regem substituto. Tunc inter Philippum regem Franciæ & Philippum comitem Flandriæ iterum discordia recrudescit, eo quod uxor ejusdem comitis sine herede obierat, pro qua regionem Viromandorum idem comes tenebat, quam rex dicebat ad se jure regni debere devolvi. Tandem post multa damna hinc inde perpessa, illa regio regi remansit, præter pauca castra comiti dum adviveret derelicta. Eodem anno Guillelmus rex Siciliæ Andronicum usurpatorem imperii Constantinopolis navali exercitu aggreditur & terrestri, & Salonicam & alias multas urbes obtinens & devastans. Andronicus vero multos Græcorum perimit, & maxime nobiles, ideoque exosus & suspectus omnibus habebatur. Quidam tamen de imperiali semine procreatus, *Tursac* nomine, Constantinopolim venit, civium animos sibi concilians, & a patriarcha ut coronaretur obtinens. Quo facto, Andronicum cum suis aggreditur, eum faciens per pedum manuumque juncturas truncari, & per urbem super camelum trahi, & post ei oculos erui, linguamque præcidi, & tunc temporis inæstimabilis vini copia redundavit.

Lucius papa Veronæ moritur, cui Urbanus successit. Nec multo post Græci Siculos devincunt & occidunt, & Salonicam receperunt. Circa hos dies venit quidam juvenis in Franciam, statura brevi, capillo nigro, sermone facundo, Francica lingua & Latina & Græca admodum eruditus, qui se Manuelem imperatorem Constantinopolis & filium Manuelis magni imperatoris Constantinopolis & de filia Ludovici Pii, regis Francorum generatum esse dicebat, Philippumque regem Franciæ suum avunculum appellabat. Hic enim subtili ingenio, ob reverentiam regis Franciæ, a multis ditatus est & receptus, multosque fallaciis suis seduxit: sed qui scrutator est cordium & conscius secretorum, ad extremum fallaciam illius fefellit, ad nihilque perduxit.

Anno Domini MCLXXXVI. & Frederici XXXIV. & Philippi regis VIII. idem rex liberat castrum Virgiacum a duce Burgundiæ longa obsidione conclusum. Tunc Henricus, Frederici imperatoris filius, in regnum Italiæ a patre præficitur, ducens sororem regis Siciliæ in uxorem; inter quem & Urbanum papam gravis simultas incanduit. Soror Philippi regis Franciæ prius uxor Henrici junioris regis, in Hungariam ducitur, regi Hungariæ desponsanda. Baldoinus rex Jerosolymorum adhuc puerulus obiit; cui Guido Joppensis comes, qui matrem ejus habebat in conjugem, in regno successit, quod comiti Tripolitano displicuit, & ob hoc tam regi quam suis cœpit multimode adversari. Per hos dies venit ex Calabriæ partibus ad Urbanum papam, Veronæ morantem, quidam abbas nomine Joachim, qui divinitus intelligentiæ donum acceperat a Deo, ut facunde & discrete enodaret difficultates quaslibet scripturarum: dicebat enim quod ei ignoranti litteras attulerat angelus Domini librum, dicens: *Vide, lege & intellige*, & ita divinitus fuerat instructus. Asserebat etiam Apocalypsis mysteria hactenus latuisse, sed modo per eum claresceere in spiritu prophetiæ, sicut liquet ex opusculo quod conscripsit. Dicebat insuper quod sicut veteris testamenti tempus quinque ætatum sæculi ab Adam usque ad Christum decursarum continet; sic liber Apocalypsis ætatis VI. a Christo inchoatæ cursum exponit. Ipsam ætatem sextam in sex ætatulas dispertitam, easque singulas singulis hujus libri periodis satis congrue designatas: Dicebat ergo hæc revelata fuisse in fine ætatulæ v. atque in proximo succedere VI. repletam tribulationibus & pressuris, sicut in apertione sigilli & in VI. libri periodo ostenditur. In libello quoque ejus hoc suspectum habetur, quod mundi diffinit terminum, & infra duas generationes, quæ juxta ipsum annos faciunt LX. arbitratur, implendum quidquid de antichristo legitur eventurum.

Anno Domini MCLXXXVII. & Frederici XXXV. & Philippi regis IX. in Jerosolymis in cal. Maii, Christiani cum Turcis sunt congressi, primo victores & postea victi; ubi Rogerus magister Hospitalis vir clarissimus occubuit, multis Templariis & aliis tam captis quam occisis. His diebus turbatur Gallia, rege Angliæ & rege Franciæ discordantibus. Nam Philippus rex Franciæ cum exercitu infinito castrum Exoldunum diripit, & castra constituit non procul a Castro-Radulphi, in quo Henricus rex Angliæ & Richardus dux Aqui-

taniæ tunc aderant cum gentium multitudine inaudita : ſed Dei interveniente clementia, cum expectaretur utrimque conflictus, pax ſubito reformatur. Tunc Saladinus Galilæam aggreditur, Tyberiadem obſidet, obſidionis fama circumvolat. Quo audito, Guido rex Jeroſolymitanus, Templarii, Hoſpitalarii, epiſcopi, proceres, populuſque in unum conveniunt, hoſtibus occurrunt, hoſtes obſidionem deſerunt, & ad fontes milliariis IV. circa Tyberiadem caſtra ponunt. Quarto igitur nonas Junii progrediuntur in bellum acerrimeque concertant, ſed prælium nox dirimit. Ea die noſtri geſſere fortius, niſi quod aquam præoccupatam ab hoſtibus perdiderunt, diurno perinde conflictu, æſtu ſitique confecti laborabant, eo quod aquam non haberent. Mane hoſtes ſe præparant, necdum ſe noſtri armaverant, cum eos vident irrumpere & congredi jam paratos, ad arma concurritur, princeps & primi exercitus ad regem feſtinant, & quid facto opus ſit in commune deliberant. Rex quemdam de numero equitum Johannem nomine, qui cum Turcis ſæpius militaverat, & eorum nomina noverat, accerſiri & diſquiri jubet ab eo, quid in inſtanti negotio ſit agendum. Qui veniens conſulit, ut totis viribus irrumpatur in cuneum ubi Saladini vexillum altius eminebat : quia ſi pars illa poſſet devinci, alii de facili vincerentur. Placet univerſis conſilium ; ſed interim comes Tripolitanus, malitia verbiſque potens, improviſus advenit, allegans contraria, & quod Johannes ſuaſerat penitus diſſuadens, dicens non eſſe credendum Johanni, qui quandoque noſtros abjuraverat, & Turcis fidelitatem juraverat, rurſuſque ruperat juramentum ; ſed potius montana præoccupanda, ut inde ſecurius pugnent, & hoſtes validius impetant. Conſilio itaque utili diſſipato, acquieſcitur proditori. In hoſtes mox irruunt, ſed, proh dolor ! tam æſtu quam ſplendore ſolis oppoſito viſum reverberante gravati, hoſtilium pilorum imbribus obruuntur. Tripolitanus vero comes detegens ſeditionem quam fecerat, arma projicit, fugit e prælio, & ad caſtrum quod dicitur Saphetum ſecedit. Fit noſtrorum interim mirabilis ſtrages, & uſque ad internecionem cæduntur. Aconenſis epiſcopus, dum crucem Domini ferret, lethaliter vulneratus, tradit eam alteri, & ille regi. Bello undique vehementius perurgente, Guido rex capitur, crux Domini aſportatur. Templarii quippe & Hoſpitalarii, proceres, virique fortiores, aut capti ſunt aut occiſi. Sic exigentibus ſuis meritis Chriſtiani traditi ſunt in manus gentium, & gentibus ſubjugati. Rarus enim in monaſteriis, rarus in ſæculo, quem non morbus luxuriæ vel avaritiæ infeciſſet. Porro Saladinus habito de noſtris triumpho, ad pontem Tiberiadis rediit, ibique manubias præcepit dividi, ſed meliora Damaſcum deferri. Quotquot ibi de Templariis & Hoſpitalariis ſunt reperti, eo jubente, pariter decollantur. Guido vero rex in monumentum victoriæ reſervatur, ſolo magiſtro ad petitionem conceſſo. Princeps autem Rainaudus, qui poſt Raymundum Antiochiæ primatum obtinuerat, & Sarracenos ſemper oppreſſerat, ab ipſo Saladino decollatur. His ita geſtis, Saladinus Ptolemaïdem obſidet, & poſt biduum jam in deditionem recipit, manere ibi volentibus non fuit hoſtilis oppreſſio, & recedere volentibus data eſt vitæ conductio. Id ſane Saladini liberalitatem commendat, quod nullum gravari ſuſtinuit, qui ei vellet ſe ſubdere & degere ſub tributo. Erat inſuper ſuorum tenax dictorum, ſui cuſtos integer juramenti, & tam magnanimus & liberalis, ut nec jus negaret cuiquam quod petiiſſet. Aconenſi itaque urbe recepta, Turci ad alias urbes & oppida capienda concurrunt, & pauca eorum per vim capiunt ; ſed plura in deditionem recipiunt. Tota quippe regio exterrita tremebat, viris privata fortioribus, & ſuis tutoribus deſtituta. Inter hæc Corrardus marchio filius marchionis de Monteferrato, a Conſtantinopoli tendebat Jeruſalem. Is ſororem imperatoris *Turſac* habebat in conjugem, ideoque cum quodam nobili Græco, qui *Turſac* volebat deponere, & ſe intrudere, apud Conſtantinopolim pugnaverat, eumque peremerat. Et inde, ſicut dicitur, rediens navibus, comperto quod Acon teneretur a Turcis, Tyrum applicuit, ibique permanſit. Tunc comes Tripolitanus, qui illuc venerat, videns potentiam marchionis, omnibus ſuſpectus, & omnes ſuſpectos habens, Tripolim fugit. Cui ſtatim Saladinus mandavit, ut pactum quod ſibi juraverat, jurari faceret & a ſuis. Comes, civibus convocatis, jurare illos imperat, dicens cedendum tempori, nec poſſe Saladino reſiſti. Reſpondent cives ſe juraturos nemini, niſi prius formam audiant juramenti, & ſuper hoc inducias uſque mane petunt, petitas recipiunt. Ea nocte comitem illum ultio divina percuſſit. Nam in ſtratu ſuo eum mane mortuum reperiunt. Res diſſimulari non potuit. Nam corpore defuncti nudato, quod nuper circumciſionis ſtigma ſuſceperat, apparuit. Unde palam fuit, quod ſe Saladino confœderans ſectam Sarracenicam ceperat obſervandam. Poſt eum Tripolis urbis dominium filius principis Antiochiæ de jure obtinuit parentelæ. In terra illa Corrardus marchio fortiter agit, terra & mari ſæpe de hoſtibus triumphans.

Eodem anno natus eſt in vigilia Aſſumtionis B. Mariæ Ludovicus Philippi Francorum regis filius. Nec multum poſt Turci Aſcalonem obſident, & eam aſſiduis urgent aſſultibus, ad muros machinas applicantes. Videntes vero cives quia pauci ſunt, nec vires

ad reſiſtendum, nec victualia ſuppetunt, urbem dedunt pridie nonas Septembris, vita & mobilibus ſibi conceſſis. Urbe tradita, Salahadinus turres occupat, deputatque cuſtodes civibus extra villam ſecure conductis. Per hos dies Turcomanni Laodiciam urbem impetunt, & cum principe Antiochiæ congreſſi, multos de ſuis occidunt. Deinde Antiochiam & circumjacentem regionem profligant cædibus, incendiis & rapinis, terramque illam copioſam quæ Nerei-mons dicitur rapinis & incendio ſunt depaſti. Sed cum redirent, ab Antiochenis devicti ſunt & fugati. Interea Jeroſolymitæ, & qui de vicinis locis confluxerant, omni ſe ſupplicandi genere afflictabant. Agebantur ab omnibus creberrimæ letaniæ, confeſſiones, jejunia, quodque miſerandum erat, ætas parvula in his ſpecialius inſiſtebat. Aſcalone itaque munita, Salahadinus cum Turcis Jeruſalem obſidet, & urbem a parte Occidentis oppugnans IX. diebus continuis dat aſſultus: ſed civibus fortiter reſiſtentibus, cum nec ſic proficeret, ab Aquilonis parte urbem petrariis, mangonellis, & inauditis & infinitis aſſultibus ſunt aggreſſi. Conſiderantes obſeſſi obſeſſoribus non poſſe reſiſti, quid agere debeant in commune pertractant. Placuit demum ut inſtanti periculo cederent, ſeque dederent Salaadino tali conditione, quod ab his qui decem annos & ſupra exceſſerant, decem biſantios pro redemtione acciperet de capitibus ſingulorum, ſicque ab utraque parte proceſſum eſt. Secundo itaque Octobris die, qui erat ab obſidione XIV. ſcilicet feria ſexta, urbs ſancta, quod dici dolor eſt, Salaadino redditur: qui ſtatim eccleſiarum campanas fecit confringi. Turci enim in eccleſiis ſtabulavere jumenta, & ſordes quaſlibet perpetrarunt. Sed Surjani eccleſiam S. Sepulcri auri pretio redemerunt, ne pateret gentibus, nec ſordibus ſubjaceret. Templum vero Domini venerabantur Turci, cujus parietes Salahadinus fecit aqua roſacea intus & extra ablui, antequam vellet illud ingredi. Turci autem crucem magnam deauratam, quæ erat ſuper pinnam templi, ad terram dejecerunt, & in Chriſtianorum opprobrium clamoſo ululatu eam per plateas detraxerunt. Porro a noſtris exacta eſt taxata redemtio; cumque pauperum & debilium multa milia ibi eſſent, qui ſe redimere non valerent, a Salaadino penitus ſunt quitati. Plures vero utriuſque ſexus, quos faciei venuſtas & juventus, & decor corporis commendabat, aut apud ſe retinuerunt, aut aliis diſtraxerunt: aliis vero, qui ſupra muros incluſi abſtinentiæ & orationi vacabant, juſſum eſt ut abirent. Porro infirmis qui ſervabantur in hoſpitali juſſit Salaadinus per aliquantum temporis de fiſco proprio neceſſaria miniſtrari. Audita deditione Jeruſalem, multa caſtra quæ vix capi poſſent ab homine, in deditionem ſunt recepta. Patriarcha Heraclius, cleruſque univerſus, & de monaſteriis diverſorum ordinum profeſſores, turbaque cujuſlibet ætatis & ſexus innumera, de Jeruſalem receſſerunt. Alii Antiochiam profecti ſunt, alii Alexandriam, ut inde Siciliam navigarent. Suriani vero, Georgiani, Jacobitæ, Græci & Armenii in Jeruſalem remanſerunt ſub Turcorum dominio conſtituti. Tranſmarinæ calamitatis hiſtoria ubi per Occidentem inſonuit, gravi mœroris aculeo corda omnium fauciavit, quod ibi emarcuerit Chriſtiana religio, ubi floruit ejus principium, & princeps provinciarum facta eſt ſub tributo. Urbanus papa cum tam flebilem rem audiſſet, nimis indoluit, & ex dolore langueſcens, non multo poſt obiit, & apud Ferrarias, ubi de Verona nuper advenerat, ſepelitur. Cui ſucceſſit Gregorius, de cujus promotione Fredericus imperator lætatus, juſſit principibus & præfectis eidem papæ reverentiam exhibere, tranſeunti per terram ſuam de fiſco neceſſaria miniſtrare. Gregorius itaque papa dignitate ſuſcepta, penſare cœpit attentius, qualiter labenti rerum ſtatui ſubveniret; videbat namque eccleſiam per vitia diffluentem, & ambitione, avaritia, luxuria, necnon hæreſibus quaſi quibuſdam hoſtibus vineam Domini totam fere depaſtam. Hoc meditabatur die ac nocte, hæc ejus cura, hoc ſtudium, ut ſui negligens viveret omnibus, & per eum cooperante Domino, facies eccleſiæ marcida refloreret. Imprimis igitur ad ſubventionem Jeruſalem totis inhiabat viribus, & ad concitandos principes & populos per Occidentis provincias litteras deſtinat & legatos, Orientis cladem exponens & pœnarum abſolutiones promittens Jeruſalem profecturis: ſed, proh dolor! in ſuo mox exortu flos decorus exaruit; nam poſt duos menſes cum Piſam veniſſet, & inter Piſanos & Januenſes diſcordantes concordiam reformaſſet, inſtante Natale Domini humanis eximitur, & apud eamdem urbem honorifice ſepelitur. Cui Clemens ſucceſſit. Tandem imperator Conſtantinopolis & rex Siciliæ poſt longam profligationem reducuntur ad pacem.

Anno Domini MCLXXXVIII. & Frederici XXXVI. & Philippi regis X. Philippus rex Franciæ & Henricus rex Angliæ dum pro ſedando inter ſe diſſidio ad colloquium veniunt, Tyrenſi archiepiſcopo adhortante, ſigno ſe crucis inſigniunt, quorum exemplo barones & milites permoti, turbaque conditionis cujuſlibet infinita ſignum crucis Dominicæ aſſumſerunt. Fredericus quoque imperator eodem peregrinationis voto ſe alligat, & per totum imperium, necnon & per univerſum orbem eadem vota & ſtudia efferveſcunt. Poſt hæc conſilio regis & procerum agitur, ut ad auxilium peregrinorum hominum ad eccleſias pertinentium mobilia decimentur, quod quidem in grandem perniciem eſt converſum.

Nam plures ex his qui decimationes exigebant, violentius eccleſias aggravabant, ex quo peccato creditur accidiſſe, quod iter propoſitum impediretur. Nam Sathan lætis principiis invidens, inter principes diſcordias ſeminavit, ut adimpleretur quod dictum eſt per prophetam: *Effuſa eſt contentio ſuper principes, & errare fecit eos in invio & in via.* Nam inter Philippum regem Franciæ comitemque Richardum, & Henricum regem Angliæ patrem ipſius, recrudeſcit diſſidium quod putabatur ſopitum. Commoventur populi, expeditiones parantur. Philippus rex in Bituria Dolenſe caſtrum diripit, aliaque plurima aut deditione recipit, aut vi capit, nullaque ei poterat obſtare munitio. Nam foſſores, id eſt talparios habebat, qui ad modum talpæ ſubterranea fodientes, murorum & turrium firmitates ferramentis validiſſimis prorumpebant; his aliiſque machinis omnia de facili obtinebat. Tunc Templarii, Hoſpitalarii, virique fortes quamplurimi cum plurimo armorum, equorum & victualium apparatu transfretant, ut oppreſſis ſuccurrant. Guillelmus quoque rex Siciliæ per Margaritum claſſis ſuæ ducem, iter marinum liberum a piratis tutumque reddiderat, & tam ſubvectionibus navium, quam rerum quarumlibet copia noſtris trans mare ſatis munifice ſuccurrebat. Ipſo anno nimius æſtus incanduit, & fuit ſiccitas inaudita, adeo ut in multis locis fluvii, fontes & putei ſiccarentur, plurimæque ignium clades per Gallias acciderunt. Nam Novum-caſtrum Turonenſe ab igne domus Heliæ cantoris, in vigilia S. Johannis Baptiſtæ combuſtum eſt, & in feſto S. Magdalenæ Autiſſiodorum & Treca civitas, ubi tunc nundinæ celebrabantur, in quibus innumeræ opes, innumeri homines comburuntur. Belvacus quoque, Carnotum, Pictavis & plures urbes aliæ ſimiliter ſunt combuſtæ. Salahadinus urbes & oppida quæ noſtris abſtulerat, muris reparat, & roborat munimentis, inter quæ Acon maxime præmunivit; munitiones quoque paucas quas noſtri tenebant, & præcipue Tyrum impugnat; ſed cum damno ſuorum ſæpe victus & confuſus abſcedit.

Anno Domini MCLXXXIX. & Frederici XXXVI. & Philippi regis XI. Ravennenſis & Piſanus archipræſules cum multo Italorum agmine transfretantes, & appulſi Tyrum, Tyrenſibus fiunt non modicum adjumentum. Fredericus imperator cum duce Suaviæ filio ſuo iter peregrinationis arripiens in feſto ſancti Georgii, cum multitudine infinita Hungariam ingreditur, & a rege Hungariæ honorifice ſuſcipitur. Dehinc tranſito Danubio, per Bulgariam tendit in Turciam; ſed cum ei imperator Græcorum negaret tranſitum, vias obſtrueret, divertit in Græciam, & Græciæ partem occupans, per aliquantum temporis inibi demoratur. De Friſia & Dacia L. naves pariter fœderatæ eamdem peregrinationem arripiunt. De Flandris quoque XXXVIII. rates ſequutæ ſunt, & dum per Hiſpanias tranſeunt, Sarracenorum urbem nomine Silviam obſident, & poſt XL. dies captam diripiunt, nulli ætati parcitur, ſexus uterque pariter trucidatur. Poſtea opes inventas inter ſe æqualiter dividentes, urbem tenendam regi Portugalliæ reliquerunt, multa alia Sarracenorum oppida devaſtantes. De Francia autem & de Campania iter illud ſubeunt viri fortes, & illuſtres, & militiæ titulis glorioſi. Interim inter regem Franciæ & regem Angliæ ferveſcente diſſidio, plurima fit caſtrorum urbiumque direptio. Turonis urbs capitur, & Cenomannis diripitur. Poſt hæc inter reges pax redditur, & paulo poſt Henricus rex Angliæ defungitur, anno regni XXXVII. nimio, ut dictum eſt, abſorptus dolore: quia videret ſe a rege Franciæ ſic oppreſſum, & a Richardo duce Aquitaniæ filio ſuo, qui ad regem Franciæ fugerat derelictum. Sepultus eſt autem in cœnobio virginum, quod Fons-Ebraudi dicitur, multis ab eo redditibus & muneribus ampliatum; vir prudentia geſtiſque famoſus, lætis florens ſucceſſibus, perpetuaque dignus memoria, niſi quod S. Thomam fuerat adverſatus: in cujus vindictam ſanguinis, ipſe qui tyrannos ſemper oppreſſerat, foveratque ſubjectos, a filiis ſuis creditur impetitus; cui ſucceſſit Richardus filius ejus, & apud Londoniam ad regnum Angliæ coronatur. Per eoſdem dies cum multa noſtrorum millia apud Tyrum exiſterent, Acon urbem petunt & obſident: quibus Salahadinus occurrit, ut obſeſſis ſuccurreret & impetat obſeſſores. Cumque noſtri hoſtium aſſultus aſſiduos ferre non poſſent, valla & aggeres in gyro caſtrorum extruunt, & ſic tutiores pugnam acerrimam cum hoſtibus conſerunt, ubi multi noſtrorum occubuerunt, & ſic in obſidione morantes, tum per incurſus hoſtium, tum per aëris inclementiam, tum per victualium indigentiam calamitates innumeras patiuntur. Innumeri etiam morbo diſſenterico perierunt. Ipſo anno rex Siciliæ moritur, cujus mors multis intulit detrimentum. Nam cum non haberet heredem, Henricus Frederici imperatoris filius dicebat ſe debere fieri ſucceſſorem, & pacto promiſſionis & jure propinquitatis, quia ſororem regis duxerat in uxorem. At Siciliæ proceres inito conſilio, Tancredum virum illuſtrem in regem ſubſtituerunt. Grandis igitur utrimque fit turbatio, concutiuntur provinciæ, & imprimis Campania & Apulia profligantur.

Anno Domini MCXC. & Frederici XXXVIII. & Philippi regis XII. idem Philippus rex Franciæ & Richardus rex Angliæ, Odo dux Burgundiæ, Philippus comes Flandriæ, Henricus comes Campaniæ, Theobaldus comes Bleſenſis, Stephanus comes Sacri-Cæſaris, archiepiſcopi, epiſcopi quamplurimi, & fere

regni proceres univerſi, & qui alicujus nominis in militia habebantur, ſigno Crucis Dominicæ inſigniti, cum infinito agmine & incredibili apparatu iter arripiunt, diverſos adeunt portus, naveſque conſcendunt. Mare tunc ſolito procelloſius tumeſcebat, in tantum quod navium quædam vi ventorum ad littora ſunt repulſæ, & aliæ ſunt ſubmerſæ. Philippus & Richardus reges Meſſanam urbem Siciliæ vix appulſi, nec valentes progredi, inibi hiemaverunt. Sed non multo poſt ferveſcente diſcordia inter ipſos, negotium Domini varie perturbatur. Tunc venit ad eos abbas Joachim de ſuo evocatus monaſterio in Calabria conſtituto, qui ab eis de futuris ſciſcitatus, reſpondit quod mare tranſituri eſſent; ſed nihil vel parum proficerent, necdumque adeſſe tempora quibus liberanda foret Jeruſalem & regio tranſmarina. Tum Fredericus imperator cum *Turſace* imperatore Græcorum qualicumque pace compoſita, Boſphoro tranſito, perambulans Aſiam, multa ſuorum damna patitur, tam per aſſultus hoſtium, quam per penuriam victualium. Timebat enim per æquora tranſmeare, quoniam dicitur in hiſtoriis ſuis, quæ Fredericæ nuncupantur, quod fatum erat ei in aqua mori. Ipſe vero ſoldanum Iconii, qui forum venalium ad eum veniens deturbabat, uſque Iconium perſecutus, circumjacentia loca ſuccendit; deinde cum ad quaſdam locorum veniſſet anguſtias, reperit Turcorum multitudinem infinitam, cum quibus congrediens, eos viriliter debellavit. Habito itaque de hoſtibus inſigni triumpho, dum quemdam fluvium, qui Saleſtricum dicitur, tranſiret, heu! tantus princeps demergitur, ſuffocatur & moritur, vir quidem magnanimus, ſtrenuus, largus, facundus, prudens, geſtiſque præclarus, ac ſibi rebellium fortis edomitor, & qui adeo imperium dilatarat, ut poſt Carolum-Magnum parem geſtorum magnificentia vix habuerit. Eo itaque mortuo, exercitus ejus Antiochiam venit, ubi dum feſſa reficiuntur corpora, & impunite epulis ſe diſtendunt; tot & tanti ex eis ægrotant & obeunt, ut de tanto exercitu vix pauca millia remanerent. Imperatoris filius, ſcilicet dux Suaviæ, corpus patris uſque Tyrum detulit: quo ibidem ſepulto, cum ad Ptolemaidis obſidionem veniſſet, paulo poſt obiit. Obeunt & Philippus comes Flandriæ, Theobaldus comes Bleſenſis, Stephanus comes Sacri-Cæſaris, procerumque ac nobilium turba quamplurima, ibi de diverſis mundi partibus aggregata. Circa idem tempus cum apud * Galliciam in Aucienſi-eccleſia de conſuetudine haberetur, quod quolibet anno in feſto epiphaniæ trium Magorum repræſentarent miraculum, & in loco ſtellæ criſtallum concavum ponerent, intuſque candelam accenderent: accidit quadam die epiphaniæ, quod populis ex diverſis provinciis ante eccleſiam epiſcopalem, quæ in honore B. Martini Turonenſis dedicata eſt, congregatis, Magiſque ſuis ſecundum conſuetudinem apparatis, non poſſet lapis ille criſtallinus a cuſtodibus inveniri, ſicque ſtupefacti, & B. Martini auxilium præſtolantes, quid agerent ignorabant. Et ecce ſubito ſtella de cœlo deſcendens, in conſpectu omnium, Magos illos uſque ad locum ubi puer erat perduxit, & poſtea ab oculis omnium evanuit.

Henricus filius Frederici tempore Clementis, Cæleſtini, & Innocentii imperat annis VII. menſibus V. Hujus anno primo, & Philippi regis XIII. Clemens papa moritur; cui Cæleſtinus vir grandævus ſucceſſit, qui in ipſo die Paſchæ conſecrationem accepit, & in craſtino Henricum Frederici imperatoris filium ad imperium coronavit. Tunc Philippus rex Franciæ & Richardus rex Angliæ mare intrant: ſed Philippus directo itinere Ptolemaidem appulit, ibique honorifice ſuſcipitur. Richardus vero cum ſuis galeis & ratibus Cyprum venit, ibique inveniens quemdam pſeudo-imperatorem inſulæ dominantem, ipſum cepit, ſibique inſulam ſubjugavit. Interim Philippus rex ad expugnandam Acon regem Angliæ expectabat. Condixerant enim quod nonniſi pariter expugnarent. Igitur cum veniſſet, primo foſſata implere ac coæquare contendunt. Sed cum a Philippo Richardus ſæpius diſſentiret, & ut dicebatur, perurgendis aſſultibus diſſimulanter ageret, Philippus tamen vehementius inſiſtebat, petrarias faciens adhiberi quamplurimas, quibus nocte & die inceſſanter jactantibus, pars murorum confringitur. Turris quoque mirabilis firmitatis foſſoribus cuniculos ſubtus agentibus conquaſſatur. Tunc hoſtes vehementer arctati, cum nullam ſibi viderent adeſſe potentiam reſiſtendi, regis colloquium expetunt, urbem & ſua pariter ſeque dedunt. Acon igitur III. idus Julii a noſtris recipitur, poſt decurſum fere biennium ex quo cœperat obſideri. Porro Turci intra urbem reperti, cum pacta quæ cum rege inierant tenere non poſſent, alii evaſere redemti, alii ad ſerviendum compedibus ſunt detenti, alii gladio trucidati. Audita præfata captione, timor irruit ſuper hoſtes, & Aſcalonem, & alia caſtella, quæ noſtris abſtulerant, diruunt, vacuaque dimittunt. Tunc Henricus imperator Neapolim obſidet, ſed ibi ægrotans Alemanniam redit, nec multum poſt Philippus rex Franciæ, apparatu ſuo ſub manu ducis Burgundiæ commendato, orta diſcordia inter eum & regem Angliæ, redit a partibus tranſmarinis. Rex vero Richardus ibi remanſit, qui eos qui Japhe incluſi jam quaſi capti erant, ſuo auxilio liberavit, & multa alia bona, quæ enarrare longum eſt, ibi fecit. Et eodem anno facta eſt ordinatio canonicorum beati Martini Turonenſis.

* f. Galliam.

Anno

Anno Domini MCXCII. & Henrici II. & Philippi regis XIV. noſtri qui trans mare remanſerant, parum proficiunt, ac demum inter eos & Salahadinum induciæ uſque in triennium ſtatuuntur, ſic tamen quod Aſcalonem, quam noſtri cum magno labore & expenſis conſtruxerant, rurſus diruerent, ſicque in vaſtitatem civitas nobilis eſt redacta. Corradus marchio, dum in urbe ſua Tyro per plateam ingreditur, a duobus ſicariis, quos Aſſideos vocant, cum cultellis occiditur: quorum unus illico occiditur, alius captus vivus incenditur. Odo dux Burgundiæ multique nobiles poſt paucos dies abeunt, pauci repatriant. Tunc Henricus comes Campaniæ, uxore marchionis accepta, ad principandum eligitur.

Anno Domini MCXCIII. & Henrici III. & Philippi regis XV. Richardus rex Angliæ, dum in patriam ſuam lætanter per Auſtriam tranſire deliberat, a duce Auſtriæ capitur, & imperatori Alemanniæ traditur, a quo per annum in cuſtodia detinetur. Ipſo anno Salaadinus moritur, regno ſuo inter filios compartito. Tunc Philippus rex Franciæ Normanniam ingreditur, Giſortium caſtrum capit, aliaque plurima vel vi, vel deditione pervaſa aut incendit, aut diruit, aut retinuit, & firmius communivit. Non multo poſt idem rex miſit legatos in Daciam ad regem Canutum, ut Inſumbergim ſororem ſuam ei concederet in uxorem: qua conceſſa, occurrit ei rex Franciæ, Ambianiſque in vigilia Aſſumtionis beatæ Mariæ eidem regi per Guillelmum Remenſem archiepiſcopum deſponſatur, & in reginam Franciæ in craſtino coronatur: ſed miro Dei judicio ubi eam accepit, ſic exoſam habuit, ut ſtatim eam relinquere vellet, & de divortio cogitaret; tandem quibuſlibet ad ſua remeantibus, regina remanſit ſola ſolius camerarii ſui ſolatio confortata.

Anno Domini MCXCIV. & Philippi regis XVI. Richardus rex Angliæ infinita exactione redemtus in terram ſuam regreditur, ſtatimque caſtrum Locharum obſidet, quod Guido de * Valle Guinoſa ex parte regis Franciæ tenebat, nec multo poſt expugnat, & ſic fecit de multis aliis caſtris in terra ſua a rege Franciæ ſic detentis; & tunc in feſto beati Barnabæ apoſtoli expulit Richardus rex Angliæ omnes canonicos ab eccleſia B. Martini Turonenſis, & ita ubique diſperſi, quidam in Franciam fugerunt, alii apud Sodobriam remanſerunt. Tancredus rex Siciliæ & Rogerus filius ejus jam in regem promotus, regni ſimul ac vitæ exitum ſortiuntur. Quo Henricus imperator audito, Apuliam & Siciliam terra marique aggreditur, ſuſceptuſque a principibus totam terram ſuæ ſubjugat ditioni. Tunc Philippus rex Vernolium caſtrum obſidet & oppugnat, Ebroaſque urbem incendio ſubruit.

Anno Domini MCXCV. & Henrici V. & Philippi regis XVII. Henricus imperator de Sicilia rediens, uxorem & filium Tancredi regis & primates regni, qui contra ſe conſpiraverant, ſecum adduxit, & theſauros regum Siciliæ aſportavit, conjuge ſua cum filio apud Panormum derelicta. Ipſo anno ab Oriente transfretat in Hiſpaniam Sarracenorum exercitus infinitus, regemque Hiſpaniæ in bello devincit, partemque Hiſpaniæ rapinis & cædibus occupat & profligat. Per idem tempus vehemens fames Gallias atterebat, quæ per quatuor annos continuos ita confecit populos, ut qui antea divitiis floruerant, publice mendicarent.

Anno Domini MCXCVI. & Henrici VI. & Philippi regis XVIII. idem imperator expeditionem parat in Siciliam, de Alemannia infinita virorum millia ſecum trahit, per totum imperium ingens fit motio; archiepiſcopo Moguntiæ & duce Saxoniæ, necnon pluribus epiſcopis & principibus voto ſe obligant ſanctæ Crucis. Imperator quoque per Apuliæ & Siciliæ littora tam in navibus quam in victualibus copioſum exhibet apparatum, & ad liberationem regionis tranſmarinæ inhianter intendit. Eodem anno celebratum eſt divortium inter regem Franciæ & uxorem ſuam, ſororem regis Canuti, conſanguinitate probata inter illam & aliam quam rex ante duxerat.

Anno Domini MCXCVII. & Henrici VII. & Philippi regis XIX. Teutonici qui mare tranſierant, dum omnia tribulanter actitant, induciis quas noſtri cum Turcis inierant, abſumpunt, urbemque Berinthum oppugnant & capiunt. Quo Turci permoti, Joppe civitatem pervadunt, obtruncant omnes, munitionem diruunt, ſoloque coæquant. Tunc Philippus rex Franciæ duxit in uxorem filiam ducis Meraniæ & Bohemiæ, de qua poſtea genuit Philippum comitem Bononiæ, & uxorem ducis de Lovanio; & eodem anno circa feſtum Magdalenæ facta eſt ſecunda ordinatio canonicorum in eccleſia beati Martini Turonenſis. Tunc regina Hungariæ ſoror Philippi regis Franciæ, mortuo marito, Ptolemaïdem tranſiit, ibique paulopoſt obiit. In eadem quoque urbe & eiſdem diebus Henricus comes Campaniæ, qui uxore marchionis accepta, ibidem principabatur, dum in ſuperiori palatii ſui cœnaculo cuidam feneſtræ vertendo ſe applicat, miſerabili præcipitio colliſus expirat, cujus mater Maria nomine, quæ comitatum Campaniæ viriliter regebat, cum de morte filii ſui & ſororis ſuæ reginæ Hungariæ nuntium accepiſſet, nimis indoluit, nec multo poſt obiit: cui Theobaldus filius ejus, frater dicti Henrici, in comitatu Campaniæ ſucceſſit. Duæ autem filiæ Henrici comitis, quas de uxore marchionis genuerat, cum matre apud Ptolemaïdem remanſerunt. Tunc Petrus cantor Pariſienſis, vita & ſcientia clarus,

* al. de Valle Guinoſſe.

apud cœnobium quod Longus-Pons dicitur obiit, & eodem anno ſuppoſita eſt Francia interdicto a Cæleſtino papa, propter divortium reginæ Franciæ. Nec multo poſt idem papa obiit, cui Innocentius ſucceſſit, qui menſe Januario die VIII. electus eſt apud Septi-folium, de quo ipſe dixit:

Qui Petro pridem cathedram, tibi terminus idem
Præbens illud idem quod Petrus ſumpſit ibidem.
Sorte magiſtratus, ubi quando fuit cathedratus;
Accipiens apicem quem petit atque vicem.

Hic quantum fuit glorioſus ejus operibus demonſtratur. Fecit enim hoſpitale S. Spiritus, & S. Sixti eccleſiam renovavit, librum de miſeria hominis, & decretales infinitas compoſuit. Inſtituit etiam primo pontificatus ſui anno in urbe Romana conventum canonicorum regularium in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, in quorum regula hoc adjecit. Quod redditus & proventus ſuos in tres partes dividerent, de quarum prima hoſpitalitatem ſervarent, de ſecunda captivos redimerent, & ſe tertia ſuſtentarent; & ita propter mortem Cæleſtini papæ & iſtius Innocentii innovationem. Inſtituit & ordinem Minorum, qui omnibus abrenuntiantes, more apoſtolorum, nudi pedeſtres ambulant. Ipſo anno Henricus imperator in Sicilia commoratus, quorumdam contra ſe conſpirantium inſidiis appetitus, ſed per fugam elapſus, conſpirationis auctores horrendo ſupplicio condemnavit, nec multo poſt apud Meſſanam obiit, Frederico filio ejus admodum parvulo, & uxore ſua in manu Innocentii papæ relictis, ſed Philippo fratri ſuo pro dicto puero re-

Anno MCXCVII. & Henrici VII. & Philippi regis XIX. circa feſtum Magdalenæ facta eſt ordinatio canonicorum in eccleſia B. Martini Turonenſis.

Anno MCXCIX. & Philippi imperatoris II. & Philippi regis XXI. Richardus rex Angliæ dum quoddam caſtrum comitis Lemovicenſis, quod de Chalucheureo dicitur, oppugnat, ſagitta tranſfigitur, nec longo poſt eodem ictu moritur, anno regni X. & apud Fontem-Ebraudi ſepelitur; vir quidem animoſus ac belliçoſus, donis largiſſimus, armis ſtrenuiſſimus, in militari negotio circumſpectus, a militibus dilectus, & a clero & populo honoratus, eccleſiæ patronus, & divini officii auditor indefeſſus, cujus bella & facta in libro dierum regum Angliæ ſunt conſcripta; cui ſucceſſit Johannes frater ejus, juvenis quidem remiſſioris animi, amans quietis, & ob hoc pacem cum rege Franciæ quantocius reformavit. Tunc interdictum generale in toto regno Franciæ, propter divortium regis & reginæ generaliter obſervabatur.

Anno MCC. Octavianus epiſcopus Oſtienſis legatus Petrum de Corbolio, qui litteraturæ ſæcularis & theologiæ prærogativa famoſus in ſcholarum regimine Pariſius diu claruerat, & de cathedra Magiſtrali ad Cameracenſis eccleſiæ cathedram nuper aſſumtus fuerat, Michaëli Senonenſi archiepiſcopo mortuo, in Senonenſem eccleſiam inthronizavit.

Anno Domini MCC. & Philippi imperatoris III. & Philippi regis XXII. Richardo rege Angliæ ita defuncto, Arturus comes minoris Britanniæ, in quantum potuit ſaiſivit Andegaviæ comitatum, Andegavenſem & Cenomanenſem urbes, Guillelmo de Rupibus ei auxiliante, viriliter occupavit. Robertus vero de Torneham & Girardus de *Athies* * Quinnonum, Lochas, & alias munitiones ex parte regis Angliæ munierunt. Et ſic in Paſchali Arturus puer Turonis veniens, more debito, in eccleſia B. Martini in canonicum eſt receptus, & in ſtallum decani in veſtibus chori, ſicut canonicus, inſtallatus. In ſequenti Dominica ante Aſcenſionem, dominus Americus vicecomes Thoarcii, Hugo Brunus, comes Marchiæ, Gaufridus de Lezigniaco, & plures alii barones Pictaviæ, cum maxima multitudine armatorum Turonum veniunt, villam deprædantur, gentes capiunt, dicto Arturo cum paucis infra civitatis mœnia exiſtente & Johanne rege rex Angliæ propter coronamentum ſuum in Anglia commorante. In craſtinum autem Guillelmus de Barris ex parte regis Francorum, Turonum veniens Pictavos inſequitur; ſed eos conſequi non valens, Turonum eſt regreſſus. (*a*) Tunc Philippus rex Francorum, pueritiæ Arturi compatiens, & ei jus ſuum reſtituere cupiens, Balum caſtrum obſidet & expugnat. Interim autem Guillelmus de Rupibus, pueritiæ innocentiam obliviſcens, Arturum deſerit, & Cenomanicam urbem Johanni regi Angliæ reddit. Quo audito, rex Franciæ Turonum abiit, & Arturus puer apud Andegavenſem urbem velox & exterritus pertranſivit. (*b*) Poſtea vero Philippus rex Franciæ & Johannes rex Angliæ habito inter ſe colloquio, confœderantur ad invicem. Itaque quando rex Johannes venit Pariſius, a Philippo rege, necnon a clero & populo honorifice receptus, & contra Arturum nepotem ſuum, pecunia data, de comitatu Andegaviæ fuit per

* Chron.

[a]

[b]

(*a*) In alio codice quem præ manibus habuit eruditus vir dominus *Carreau*, hæc adduntur: *Per idem tempus erat in toto regno Franciæ lugubris eccleſiæ facies, quod nulla celebrabantur in eccleſia ſacramenta vel divina officia, præter viaticum & baptiſma; negabatur etiam mortuis ſepultura. Erat igitur per regnum mœſtitia circumfuſa, cum ſic eccleſiæ ſilerent organa, & ora cunctium Domino clauderentur. Nec mora Octavianus Oſtienſis epiſcopus, a domino papa legatus in Franciam regnum abſolvit, & Philippum regem Franciæ ad hoc induxit, ut reginam quam expulerat in regnum reducat. Anno* MCCI. *& Philippi imperatoris* IV. *& Philippi regis* XXIII. *Philippus rex Franciæ pueritiæ Arturi compatiens, &c.*

(*b*) In codice quo uſus eſt dominus *Carreau*, additur: *Et eodem anno eccleſia B. Mariæ de Mirebello Pictavienſis diœceſis dedicata eſt, & ibi canonici inſtituti.*

curiæ regalis judicium investitus; Arturo puero fere per duos annos Parisius commorante.

Anno MCCII. & Philippi imperatoris v. & Philippi regis XXIV. toto fere orbe ingruit fames gravis, totamque Italiam & Hispaniam Galliasque profligat. Per idem tempus cum inter Franciæ & Angliæ reges crederentur res esse quietæ, subito quibusdam de causis disrupta pax deficit, & vetus illud dissidium recrudescit. Paratis igitur expeditionibus, Philippus rex Franciæ terram aggreditur, & munitionum quas cepit, quasdam funditus diruit, quasdam detinet ac communit. Gorneacum castrum situ loci stagnisque cingentibus munitissimum, facta prius diruptione stagnorum, occupat & incendit. Archas itidem castrum firmissimum obsidet, nec obtinet, sed Normanniam pervagatur, prædiis & incendiis depopulans universa circumquaque.

His diebus tota Aquitania gravi fervescit discordia, gravi depopulatione vastatur. Nam Johannes rex Angliæ, ejus quod promiserat oblivisçens, Hugoni Bruno comiti Marchiæ Isabellam filiam Aimari comitis Engolismæ, quam ipse desponsaverat, violenter abstulit, & sibi matrimonio copulavit. Tunc talibus injuriis Aquitani proceres lacessiti, homagia sua regi Angliæ reliquerunt, & se ad regem Franciæ, fidelitate pollicita, contulerunt. Qua rex Francorum permotus injuria, adunato exercitu, Normanniam est ingressus, ibique apud Gorneacum castrum Arturum puerum militem fecit; & ad debellandum Aquitaniam, Pictaviam, Andegaviam, Turoniam, cum comite Marchiæ & vicecomite de Castro-Eraudi, & Goffrido de *Lezignen*, & aliis Aquitaniæ proceribus eum misit, cum flore militiæ totius Aquitaniæ & Pictaviæ. Qui cum Alienordem reginam, matrem Johannis regis Angliæ, amitam scilicet suam, intra Mirabellum castrum obsedissent; proh dolor! Johannes rex Angliæ cum infinita multitudine Coterellorum militum & serviensium ex insperato veniens, cum cum omnibus suis infra dicti castelli mœnia in die festo beati Petri ad Vincula comprehendit, eumque statim in Normanniam ducit, illumque postea ad Rothomagum, sicut dicitur, interfecit. Alios vero qui cum Arturo capti fuerant, quosdam datis obsidibus relaxavit, quosdam carcere mancipavit, plures in carcere mori fecit. Vicecomitem quoque Toarcii, & Guillelmum de Rupibus senescallum suum, quorum auxilio hostes suos superaverat, capere clam tentavit. Quo comperto, vicecomes & Guillelmus de Rupibus ad munitiones suas fugiunt, & paulo postea ad regem Franciæ se convertunt. Tunc Amelinus de Roorta miles, qui civitatem Turonis pro Guillelmo de Rupibus diu servaverat, & majorem partem domuum burgensium Castri-novi coæquaverat solo, & alias omnes redemerat, necnon & burgensibus & ecclesiæ B. Martini infinita damna intulerat, auditis istis rumoribus, fugit, urbemque vacuam dereliquit. (a) Graves proinde variasque perturbationes & direptiones castrorum & urbium utrimque fiunt. Turonis enim civitas, cum castro illo nobili ædificiis divitiisque insigni, & quod insignius est, B. Martini reliquiis decorato, quia in confinio partium utriusque regis sita erat; nunc ab iis, nunc ab illis pervaditur, & in solitudinem pene redigitur. Nam Philippus rex Franciæ, collecto exercitu, Turonis properat, urbem obsidet & expugnat, Blandinellum etiam qui in munitione erat, salvis equitaturis & spoliis cum suis abire permisit, & ibi Gaufridum de Rupibus militem dereliquit.

Vix tamen Philippus rex Franciæ redierat, & ecce Johannes rex Angliæ cum inaudito exercitu tam Coterellorum quam militum, Turonis furibundus accelerat, terram destruit, & prædatur, urbem obsidet & obsessos diversis assultibus præmolestat. In ejus tamen adventu, scilicet in festo decollationis S. Johannis Baptistæ, oppidani utriusque sexus, & ætatis, necnon & clerici ad B. Martini ecclesiam fugientes, & confessoris egregii clementiam lachrymis implorantes, portas obstruunt, turres muniunt, Domini misericordiam expectantes. Coterelli vero cum Martino *Algar* duce eorum Castrum-novum ingressi cuncta rapiunt, gentes vinculant, vel occidunt, vinculatos inauditis suppliciis cruciantes, nulli ætati, sexui, vel ordini parcentes, sed ecclesias Dei frangentes & spoliantes, & quod deterius est, in contemtum Dei in imaginum facies expuentes. Die itaque in timore & luctu & clamore completa, in crepusculo noctis totum claustrum & Castrum-novum accenditur, & ab ecclesia S. Hilarii usque ad ecclesiam S. Mariæ Divitis, penitus concrematur. Quid plura? omnes stupore insolito attoniti, & exire extra ecclesiam non audentes, quid agerent ignorabant, neque enim ignis unius venti impetitione recto occidentis tramite cursum dirigebat, sed nunc Euro, nunc Austro, nunc Notho, aliquando Borea grassabatur; sed hoc quoque mirabile videbatur, quod decem & amplius domos transvolans inopinato dolore longius sitas & intactas consumtione velocissima rapiebat.

O dolor! heu luctus! heu pectora plena dolorum!
Lumine quo capitis potuistis cernere sævum
Wulcani dentem, subito tam magna vorantem?

[a]

(a) Hic additur in codice domini *Carreau*. *Quo audito rex Angliæ Turones venit ibique Brandinellum Coterellum cum aliis servientibus in munitionem reliquit. Graves proinde, &c.*

Verum ut alia breviter ſupprimamus, tanto incurſu, tanto ſtrepitu & ventorum conflictu totam villam ſibi protinus vindicavit, ut magnum ignem venturi judicii crederes adveniſſe. Interea dum ſic villa tota cremabatur, clamor immenſus, pectorum cæſio, lacrymarum effuſio, capillorum detractio, & omnia quæ humanus luctus ſibi timore mortis & damni intolerabilis miniſtrabat, univerſos & ſingulos perturbabant. Quantus vero tumultus, quantus labor omnium in illa nocte fuit, quanta clades orto ſole apparuit, deficit lingua ſterilis enarrare, gens enim illa dicere poterat cum propheta: *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Die itaque tertio obſidionis urbem expugnat, & obſeſſos in carcere mancipat, & Giraudum de Atheis ad tuendam munitionem præficit & delegat.

Arturo itaque, ſicut dicitur, interfecto, & Alienorde ſorore ejus exilio relegata in Angliam, Conſtantia mater eorum comitiſſa Britanniæ Guidonem de Toartio accepit in maritum, ſed poſtea ſqualore lepræ moriens, ex eo filiam procreavit, quæ poſtea data eſt uxor Petro, filio Roberti comitis Drocenſis cum comitatu Britanniæ.

Circa feſtum vero Omnium ſanctorum Sulpicius dominus Ambaſiæ, qui ad regem Franciæ ſe converterat, collecto grandi exercitu, Turonis venit, civitatem incendit, & in Caſtro-novo milites & ſervientes poſuit, qui gentes regis Angliæ in munitione tenerent, & regionem adjacentem ab hoſtibus defenſarent; ſicque ibi tota hyeme reſederunt, & ſeſe ab utraque parte aſſiduis aſſultibus affecerunt.

Anno Domini MCCIII. & Philippi imperatoris VI. & Philippi regis XXV. idem Philippus rex Andeliacum caſtrum munitiſſimum & murorum ambitu & Sequanæ circumflexu, ſubita irruptione obtinet & incendit, quod tamen poſtea reparat & communit. Caſtrum quoque Vallis-Radolii prævalide communitum, obſidet & expugnat, necnon & caſtrum qui dicitur Rigidus-pons multimoda munitione firmatum obſidet, obtinet expugnatum, & a Normannia rediens Turonis obſidet, obtinet, & Guillelmum de *Batillé* & alios obſides quittans penitus & abſolvens.

Anno Domini MCCV. & Philippi imperatoris VIII. & Philippi regis XXVII. Philippus rex Franciæ Leuchas caſtrum obſidet & expugnat, & Girardum de Atheis ibi captum infinita pecunia redimit & liberat. Caſtrum quoque Locharum Guidoni de Melloto & heredibus ejus in perpetuum donat, qui caſtrum illud tota hyeme obſederat, & viriliter debellarat. Quo facto, rex Franciæ Cainonem caſtrum aggreditur, quod Guillelmus de Rupibus prius fere per annum obſederat, caſtro quod dicitur *Rouſſel* prius acquiſito, & ſic rex illud in feſto S. Johannis-Baptiſtæ expugnarat viriliter machinis applicatis. Quo facto, tota Turonica & Andegavia a regis Angliæ dominio liberata, rex Franciam remeavit.

Anno Domini MCCVI. & Philippi imperatoris IX. & Philippi regis XXVIII. Bartholomæus Turonenſis archiepiſcopus longo tempore quartanis febribus fatigatus obiit, anno epiſcopatus XXXIII. cui Gaufridus de Leuda Pariſienſis archidiaconus ſucceſſit, vir vitæ laudabilis & mirificæ ſanctitatis: ſed ſtatim iniquorum conſilio toxicatus, eccleſiam B. Martini Turonenſis, in qua a puerilibus annis beneficiatus fuerat & nutritus, ſuper juriſdictione abbatiæ Belli-montis aggreditur; ſicque beatus vir, qui abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum ſtetit, non diu in illa cathedra peſtilentiæ ſtetit.

Anno Domini MCCVIII. & Philippi imperatoris X. & Philippi regis XXX. tertio calendas Maii obiit Gaufridus de Leuda * Turonenſis archiepiſcopus; quo mortuo, ſuper electione ſchiſma inter Turonenſes clericos inſurrexit. Nam quidam eorum Johannem de Faia, decanum eccleſiæ elegerunt, alii Robertum de Vitreio cantorem Pariſienſem nominaverunt; alii nominare aliquem noluerunt: ſicque omnes ab omni parte appellantes, Romam celeriter perrexerunt. * Leak

Tunc Innocentius papa auditis ab utraque parte rationibus Turonenſium clericorum ſupra diſſenſione electionis, illos qui nominare aliquem noluerant, neutrales in electione judicavit, & electionem Roberti de Vitreio, qui ægrotans in villa Romæ, jamque mortuus erat, quaſſavit, & Johannem de Faya decanum eccleſiæ, qui abſens erat, in Turonenſem archiepiſcopum confirmavit; qui in Franciam rediens, ab Hamelino Cenomanenſi epiſcopo, apud Turonos in archiepiſcopum conſecratur. Statim ſuper juriſdictione abbatiæ Belli-montis, eccleſiæ S. Coſmæ, eccleſiæ S. Venantii, & eccleſiæ S. Petri de Cardineto, eccleſiam B. Martini aggreditur Turonis, & hinc inde cum expenſis magnis primo coram judicibus Aurelianenſibus, deinde cum Bituricenſibus, & poſtea cum Carnotenſibus litigatur. Interea Galo S. Mariæ in Porticu diaconus cardinalis legatus in Franciam veniens, eidem Turonenſi archiepiſcopo pallium apportavit, multaque inſtituta auctoritate apoſtolica renovavit.

. . . . . bem acriter impetunt, aſſiduoſque & urgentiſſimos dant aſſultus, & primo ſuburbia capiunt, diruunt, & incendunt. Videns Rogerus quod invaleſcerent noſtri, nec ſic afforet potentia reſiſtendi, ad noſtros egreditur, rogans ut ſola ſuis vita conceſſa, egredi liceat quo libuerit. Vix tandem impetrat quod requirit. Egrediuntur monaſterium, & ſolis induti lineis tam re-

bus quam fide vacui dimittuntur: ſed Rogerus ſub arcta cuſtodia detinetur. Noſtri urbe potiti, libere cuncta vendicant, copiarum omnium infinita congeries reperitur. Simon de Monte-forti, vir armis ſtrenuus ac fidelis, de communi conſilio urbi & regioni præficitur, & quidquid in urbe repertum eſt, & pars exercitus ſub ejus dominio deputatur. His ita geſtis ceteri regrediuntur ad propria. Ipſo anno Johannes Brenenſis comes a partibus tranſmarinis electus in regem, cum multo transfretat apparatu, & in vigilia exaltationis S. Crucis Acon urbem applicat, & & in craſtino uxorem ducit Corradi marchionis quondam filiam, cui regnum hereditarie debebatur. Porro in Dominica poſt feſtum S. Michaëlis cum favore principum & populi apud Tyrum ſolemniter coronatur. Per eoſdem dies Otto imperator intrans Italiam, a pleriſque urbibus veneranter excipitur, & favente ſibi Innocentio papa, & ad promotionem ipſius modis omnibus aſpirante, tandem Romæ die Dominica, circa feſtum S. Michaëlis, imperialem benedictionem ſortitur, quibuſdam ab eo præſtitis juramentis ſuper fidelitate Romanæ eccleſiæ, & ſuper regno Siciliæ nullatenus impugnando; quæ tamen violat & diſrumpit, ac per hoc inter ipſum & Innocentium papam gravis ſimultas protinus incandeſcit. Noſtrates qui in Albigenſi & Carcaſſonenſi provincia remanſerant, multas interim moleſtias patiuntur; cum enim timore exercitus qui nuper receſſerat indigenæ pavefacti, ad ſanctæ matris eccleſiæ gremium confluerent, & ſe velle renaſci per reconciliationem, ſi forte in aliquo peccaſſent contra fidem, ſimulantes, ſemper & ubique agninam faciem prætendebant, lupinam interius rabiem palliantes; ſed ſeipſam non cohibens, interioris veneni malitia diu latere non potuit. Nam cum noſtros, utpote incautos & ſimplices, ſibi credere & ab eorum malitia ſibi minime conſpicerent præcavere, per caſtella clanculo diſcurrentes, ſurripere munitiones feſtinant, tam milites quam clientes ad caſtrorum cuſtodiam derelictos, captivant alios, alios necant; quamplures & aurium & narium cum labro ſuperiori vel aliorum membrorum detruncatione deformant; eos autem qui munitiones obtinebant, machinationibus hujuſmodi deludebant: boves & oves, ſeu quælibet animalia, ſaccoſque ſtramine repletos & paleis in ſtrata publica ante oppida deponentes, inſidiabantur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua, & ſi forte horum concupiſcentia abſtracti & illecti egredi præſumſiſſent, ſedentes in inſidiis, ut incautos deciperent & occiderent innocentes. Sane quantæ ſint crudelitatis, & quod parcant nemini, nec religioni deferant nec ætati, ex his quæ perſtringimus ſatis liquet. Cum quidam Ciſtercienſis ordinis abbas provectæ ætatis, miræ ſimplicitatis, cum ſuo monacho & converſo pro quibuſdam negotiis iter ageret, caſu incidit in inſidias impiorum, in quem omnino lupina rabie debacchantes, quinque lethalibus inflictis vulneribus, mortuum abjecerunt, converſo quoque ejus diverſis cruciatibus interemto, monachum diverſis macerantes vulneribus, & proprio ſanguine volutatum, in arenæ medio reliquerunt, mortuum æſtimantes: vivus tamen per Dei gratiam inventus, delatus Carcaſſonam, tandem ſanatus eſt, abbate & converſo in majore eccleſia civitatis ejuſdem honore quo decuit tumulatis. Sane vitam abbatis & meritum oſtendit latens ad carnem cilicium in obitu patefactum. Porro in quodam oppido erant præter indigenas capellanus unus, milites VI. multa prædicti probitate, cum ſervientibus L. erat eis vicinus quidam de indigenis potens nimis Girardus de *Papion*, qui noſtris dexteras dederat, ab eis in familiaritatem receptus. Hic ipſa Dominicæ Nativitatis die poſtera tamquam proditor & perjurus cum armata multitudine irruit in incautos, cumque non poſſet ad libitum obtinere, blandis promiſſionibus a munitione arcis, in qua continebatur, eos extrahere procuravit, juramentis ſe obligans, quod cum armis & equitaturis totiſque mobilibus liberos abire permitteret, & uſque ad ſuos ſecure conducere. Eadem nocte ad menſam propriam eos recepit, ſed poſt menſam Judam ille alterum ſe oſtendit: nam cunctis tam militibus quam ſervientibus, capellano etiam primo, rebus omnibus ſpoliatis, in profundiſſimo turris loco depoſuit univerſos, poſtea eductis militibus, capellano & aliis ibi derelictis, ignem & paleas, ligna quoque quamplurima ſuperjecit, miniſtris ejus deſuper clamantibus, & B. Mariæ exprobrantibus in hunc modum: Ah meretrix domina S. Maria. Deinde ſuper turriculam aſcendentes, explorant utrum miſeri animas exhalaſſent. Quos cum necdum mortuos inveniſſent, ignem ſicut prius fecerant fecerunt, B. Virginem iteratis blaſphemiis impugnantes. Hi itaque hujuſmodi ludibria & verbera experti, & tormenta innumera, in vinculis & carcere triduo permanſerunt, ignis quidem attacti incendio, ſed non uſti; nam virtus Altiſſimi obumbravit illos. Porro milites quos ad explendam ſævitiam reſervabant, educunt a carcere, tentantes eos diverſis cruciatibus Chriſtum Dominum fidemque catholicam abnegare. Tandem perſiſtentes in fide pollicibus propriis exoculant, auriculas radicitus amputant, & nares, labiumque ſuperius: quorum unus ita in pœnis glorioſus martyr occubuit, & alius ſupervixit. Denique Fuxenſis comes, non princeps, ſed proditor & perjurus, rupto fœdere quod cum noſtris inierat, filioque proprio necnon & unico obſide derelicto, reverſus ad vomitum, hæreticam pravitatem

catholicæ prætulit puritati. Nam caſtrum quoddam fortiſſimum, quod, quorumdam puerorum nobilium fuerat cuſtodiæ mancipatum, invaſione clandeſtina, indigenis eum recipientibus, ſubintravit. Cumque pueros qui in arce erant extrahere blanditiis non valeret, demum extraxit inedia compellente, prius tamen præſtito juramento, quod eos cum omnibus ſuis uſque ad ſuos conduci faceret liberos ac ſecuros. Sed, proh dolor! cum ejus præſentiæ fuiſſent oblati, præcepit eos illico jugulari. Cabarectum præterea caſtrum inexpugnabile, non procul a Carcaſſona ſitum, ubi plures perfecti hæretici confluxerant, noſtris erat inviſum penitus & infeſtum. Tot & tantis oblitus anguſtiis Simon de Monte-forti princeps fortis, & in forti fide munitus, viriliter agebat in omnibus, fideles protegens, & infideles execrans & inſectans.

Anno Domini MCCX. & Othonis imperatoris II. & Philippi regis XXXII. grandis fit iterum motio noſtrorum tam epiſcoporum quam procerum & vulgarium. Erat enim iſta peregrinatio celebris & votiva, tum propter zelum fidei fidelium animis accenſum adverſus fidei corruptores, tum propter pœnarum remiſſionem a ſede apoſtolica repromiſſam. Accedentes igitur, adunato exercitu, Biterrim obſident caſtrum munitiſſimum, non longe a Carcaſſona ſitum, noſtris omnimode permoleſtum. Obſeſſi denique ad deditionem ſe offerunt; cumque daretur omnibus optio, ut qui ab hæreſi reſipiſcerent, immunes evaderent, ex illis reperti ſunt circiter CLXXX. qui maluerunt incendio concremari, quam ab hæretica pravitate converti. Obſtupuerunt videntes tam irrevocabilem miſerorum pervicaciam, qui rationis perturbato judicio, nec monitis ſalutaribus cederent, ſed ad ſupplicium ſpontanei feſtinarent. Nec eſt ulli fidelium ambigendum, quin tales diaboli martyres, poſt temporalem flammam ſtatim tranſeant ad æternam. Deinde obſident caſtrum, quod Termas dicitur, ita acceſſu difficile, quod vix poſſet petrariis vel aliis machinis expugnari; cum enim ad implenda foſſata contenderent, unus de baliſtariis caſtri peregrinum collo ramaria deferentem, perculit in loco ubi ſignum Crucis gerebat in pectore; ſed ſpiculum tamquam in ſaxum percutiens, longius reſilit repercuſſum: accurrunt undique & mirantur cum vivum quem mortuum æſtimabant, non inventes in eo vel diſruptionem veſtis vel corporis læſionem. Multa quidem & alia ſigna ibi cœlitus contigerunt, quæ nos oportet, quoniam brevitati ſtudemus, ſub ſilentio pertranſire. Prædicti denique caſtri habitatores longæ obſidionis pertæſi, noctu tentantes fugere, ſed a noſtris excubantibus comperti intercipiuntur, & quotquot ibi reperti ſunt gladiis obtruncantur. Otho imperator Innocentium papam, qui eum excommunicaverat, omnimodis inquietat, caſtra ejus pervadit & diripit, & ad regnum Siciliæ pervadendum contendit; & ſic inter eum & papam longa concertatio eventu vario perduravit. Henricus Conſtantinopolis imperator congregato exercitu pervagatur Græciam, reſiſtentes ſubjicit, ſubjecta pacificat, & ditionis ſuæ terminos circumquaque dilatat. Erant per idem tempus quidam ſcioli litterarum in Francia, ſed peſtilentis doctrinæ, clanculo diſcurrentes, vana quædam & impia dogmata fideique omnino contraria latenter plurimis ſuſurrantes, & niſi prævenifſet eos virorum prudentum cauta ſagacitas, plures in barathrum perfidiæ demerſiſſent. Nam de communi epiſcoporum conſilio miſſi ſunt, qui actus eorum ſagaciter explorarent, per quos comperti & derecti, captique, & adducti Pariſius cuſtodiæ mancipantur. Erant autem numero XIV. quorum erant aliqui ſacerdotes, curam animarum habentes, quibus fecerat favorem ad populum palliata ſpecies honeſtatis & vitæ gravitas ſuperducta. Congregato igitur Pariſius epiſcoporum concilio, præſentibus etiam & aſſidentibus magiſtris Pariſienſibus, propalantur eorum ineptiæ, omniumque judicio reprobantur, & ſic judicati hæretici, exponuntur publicæ poteſtati, ex quibus decem traduntur incendio, reliqui IV. murali recluſione damnantur. Nec ſine fructu hoc actum eſt, quia inde & area Domini eſt mundata, & inimici zizania ne fidelium fruges cortumperent evulſa. Pleriſque etiam timor incuſſus eſt & repreſſa temeritas, ne novis inventionibus adhærerent. Habuit autem initium hæc prophana verborum adinventio a quodam nomine Amorrico, quem non longe ante defunctum, judicaverunt anathemate percellendum, feceruntque corpus illius a tumulo erui, & velut hoſtem fidei extra locum fidelium procul poni, librorum quoque qui de naturali philoſophia inſcripti ſunt, & ante paucos annos Pariſius cœperant lectitari, interdicta eſt lectiotribus annis, quia ex ipſis exorta erroruminemina videbantur.

Anno Domini MCCXI. & Othonis imperatoris III. & Philippi regis XXXIII. majorum & minorum de Francia fit iterum grandis profectio adverſus hæreticos Albigenſes, & coadunato in unum exercitu, Lavallis caſtrum obſident, & hoſtes fidei fortericiam petunt & coarctant. Sed interim dum in hac obſidione morantur, noſtra caterva permaxima juxta caſtrum, quod Mons gaudium dicitur, tranſiens, intercipitur, & pro fide decertans, ab hoſtibus fidei trucidatur: ad quorum meritum declarandum, lux cœleſtis emicuit, & globus igneus ſuper corpora proſtratorum viſus eſt deſcendiſſe, videntibus hæc plurimis, & hærentibus præ ſtupore; ad quod accurrentes epiſcopi, abbates, &

clerici ordinum diverſorum, ibi cimiterium dedicant, ibique reverenter ſepeliunt defunctorum corpora beatorum. His itaque geſtis, habitatores Lavalli, dum noſtrorum impetum ferre non ſuſtinent, ad eorum libitum ſeſe dederunt. Noſtri ſic caſtro potiti, cunctis arma diſtrahunt, & magnates eorum in tutiſſimo loco ponunt, quorum in craſtino reperti ſunt LXXIV. milites, qui timentes & nolentes errorem relinquere, tam mutuo inter ſe ſuſpendio, quam propriis glādiis periere. Quo viſo, rogus ingens extruitur, datur omnibus optio, aut ab errore reſipiſcere, aut incendio deperire: quorum multi maluerunt comburi, ſe mutuo cohortantes, & rogum accénſum ultronei ſubeuntes. Caſtri etiam domina Girauda nomine, quæ de fratre & filio ſe concepiſſe dicebat, projecta eſt in puteum, & acervus lapidum ſuperjectus. Eodem anno apud urbem Lemovicas matrona quædam virum habens, gravi infirmitate decumbens occubuit, & paratis obſequiis, ſudario involuta juxta morem fidelium ſervabatur; cum ecce ſubito de morte reſurgens, ſtuporem ingerit univerſis, dicens beatam Mariam Magdalenam ſibi apparuiſſe, ſibique labia tetigiſſe, ſeque ita ſpiritum reſumſiſſe.

Tunc Raimundus comes Toloſanus, cognito quod foveret hæreticos, cunctis ad diripiendum eſt a noſtris expoſitus, tamquam refuga fidei & publicus hoſtis eccleſiæ judicatus. Virgo venerabilis Alpais de Cudo, de qua loquuti ſumus, naturæ debito perſoluto, moritur, in cœlis cæleſti choro virginum ſociatur. In Hiſpania quidam preſbyter nocte Nativitatis Dominicæ cum muliere viriliter obdormivit. Cumque primam miſſam nec contritus nec confeſſus celebrare præſumſiſſet, & peracto ſacramento, orationem Dominicam decantaſſet, ſubito columba cum impetu advolans, roſtro miſſo in calicem, quod inerat totum abſorbuit, & hoſtiam de manibus ſacerdotis arripiens, evolavit. Et ſicut preſbytero in prima miſſa contigit, contigit in ſecunda. Tunc preſbyter timens, & ad cor rediens, ſacerdotem diſcretum adiit, cui crimen quod de nocte commiſerat revelavit, ſicque confeſſus & contritus, accepta pœnitentia, miſſam tertiam inchoavit. Poſt orationem vero Dominicam, columba rediit, & roſtro miſſo in calicem, quidquid inde hauſerat, totum revomuit, poſitiſque ad pedem calicis duabus hoſtiis evolavit.

Per idem tempus Ferrandus alienigena, ex partibus Portugalenſibus accipit in uxorem Johannam Flandriæ comitiſſam, filiam comitis Baldoini, qui fuit, ſicut diximus, Conſtantinopolis imperator. Hoc apud regem Francorum regina Portugalenſis, Ferrandi matertera, quondam uxor Philippi comitis Flandriæ, ſicut dicitur, pecunia procuravit.

Sed rex poſtea de facto iſto pœnitens, matrimonium quod male & vi fecerat, male & vi ſimiliter, ſicut dicitur, poſtea revocavit.

Eodem anno circa Auguſtum menſem, fuit intempeſtæ noctis ſilentio fellaria Turonenſis concremata, ubi duæ virgines calore ignis compulſæ, a vertice domus lapideæ in medium ignem inferius poſitum ſalierunt, ſtatimque communione accepta ſpiritum Deo reddiderunt. Multi etiam alii ibidem hujus ignis anticipati incendiis obierunt.

Anno Domini MCCXII. Othonis imperatoris IV. & Philippi regis XXXIV. menſe Julio accidit in Hiſpania miraculoſa victoria de paganis. Convenerat cum Meramolim rege Cartaginis multitudo maxima paganorum, adverſus regem Caſtellæ Amphulſum nomine, qui illuſtres reges Arragonum & Navarræ in auxilium habens, totam illam Sarracenorum multitudinem in virtute Chriſtianæ fidei debellavit. Significavit enim per litteras idem Amphulſus Innocentio papæ totius belli eventum, & victoriæ veritatem, aſſerens quod vix inventi ſunt XXX. homines cecidiſſe de exercitu Chriſtiano, cum ex parte adverſa ceciderunt pluſquam centum millia paganorum. Ibique Reginaldus de Parata natione Aquitanicus & miles ſtrenuiſſimus, martyr occubuit glorioſus. Aſſeruit etiam idem rex, quod cum poſt bellum cum ſuis in caſtris gentilium moraretur, ad omnia quæ coquenda erant, non aliis lignis uſi ſunt Chriſtiani, niſi ſagittis & lanceis Sarracenorum, nec in eorum uſibus pluſquam medietas eſt conſumta. Cumque exercitus Dei victualibus & aliis fere deficeret propter longam morani factam in deſertis locis, ibidem tantam ciborum, armorum, equorum, & aliorum jumentorum copiam invenerunt, quod ſinguli pro ſua voluntate plus reliquerunt ex magna abundantia quam ceperunt. Fuerat enim numerus Sarracenorum qui venerant in prælium CLXXXV. millia equitum, numero peditum infinito, pro ut relatione eorum, qui capti fuerant, eſt compertum. Poſt paucos dies in captione Ibidæ, quæ eſt civitas magna, munita & fortis, perierant LX. millia paganorum, exceptis multis qui retenti ſunt vivi ad obſequium Chriſtianorum & monaſteria reparanda. Hoc anno fuit ſiccitas, ſed fructuum plenitudo.

Tunc in Turonenſi diœceſi prope caſtrum Ambaſiæ, in loco, qui Mons-cæleſtis dicitur, moniales IV. pervenerunt ſpiritu Dñi inflammatæ, ab illo monte ad alium cæleſtem montem aſcendere cupientes: quarum duæ, ſcilicet Hermengardis de Pleſſeio & Petronilla Aimera egreſſæ ſunt de congregatione monialium Belli-montis, & aliæ duæ, ſcilicet Agnes *de Legnere*, & Peregrina de congregatione S. Aviti diœceſis Carnotenſis: hæ omnes uno eodemque ſpiritu agitatæ, ſub ordinis Ciſter-

cienſis regula, ibi primo parvum tugurium ligneum intraverunt, & ſic in illo loco fere per tres annos vitam eremiticam deduxerunt; ſed cæleſtis ſponſus eccleſiæ cupiens ſponſæ ſuæ fimbrias dilatare, cordi cujuſdam civis Turonici, Pagani Hermenardi nomine, miſericorditer inſpiravit, ut illi novellæ plantulæ ſubveniret; qui domum lapideam cum pluribus officinis, necnon & eccleſiam ibi miro opere fabricavit, ibique XX. moniales & Hermengardin priotiſſam inſtituit, eiſque victum & veſtitum in perpetuum acquiſivit. Quam domum lapideam dictæ moniales anno Domini MCCXVI. VI. calendas Januarii ſolemniter intraverunt, & poſtea eccleſiam VII. idus Junii a Mauricio Cenomanenſium epiſcopo dedicari fecerunt.

In diebus iliis ſuſcitavit Dominus inimicum Othoni imperatori, qui dudum ob multiplices ſuos exceſſus ſententiam depoſitionis acceperat. Nam in iſto XV. anno poſt mortem Henrici imperatoris, venit latenter in Teutoniam Fredericus Apulus adoleſcens, filius Henrici imperatoris & Conſtantiæ reginæ Apuliæ, miſſus ab Innocentio papa ad archiepiſcopum Moguntinum, a quo & a quibuſdam aliis epiſcopis & principibus venerabiliter eſt ſuſceptus. Cumque poſtmodum veniſſet apud Vallem-coloris, quod eſt caſtrum Lotharingiæ ſuper fluvium Moſam, ut dicitur, ſitum, rex Philippus miſit illuc cum multis regni heredem & filium ſuum Ludovicum, ut mutuam hinc inde confœderationem inirent in depreſſionem Othonis. Quo facto, Fredericus rediens apud Moguntiam, coronam regni Teutoniæ in feſto B. Nicolai ſuſcepit.

Anno Domini MCCXIII. & Othonis imperatoris V. & Philippi regis XXXV. VII. idus Aprilis; Philippus rex Francorum convocata apud Sueſſionis multitudine procerum regni ſui, habuit cum eis ſecretum conſilium de exercitu ducendo in Angliam. Advocaverant enim eum populi Anglicani, ut in Angliam veniens pugnaret bella Domini, ultionem ſumturus de rege eorum Johanne homicida & perfido: qui propter impuritates quas fecerat per V. annos & amplius, ſe excommunicari & regnum ſuum permiſerat interdici. Cumque poſt Paſcha ob iſtam cauſam rex Francorum & ſui principes multitudinem navium præparaſſet, armiſque aliis neceſſariis oneraſſet, quidam miſſi a rege Angliæ latenter venientes, fere totam illam multitudinem navium rapuerunt, ſecumque in Angliam perduxerunt, quorum fuit dux & auctor præcipuus Raginaldus comes Bononiæ, qui pro delictis ſuis a facie regis Francorum fugiens, tunc cum rege Angliæ morabatur. Paucas autem naves quæ remanſerant juſſit rex iratus comburi, ſed & quamdam villam in portu ſitam, eo quod incolæ irruentes cognoverant & conſenſerant adveniſſe. Rex igitur propoſito navigandi in Angliam inermiſſo, & acceptis ex civibus Flandriarum obſidibus, ad propria remeavit. Porro Ferrandus comes Flandriæ, perditis duobus caſtris, ſancto ſcilicet Audomaro & Area, quæ Ludovicus filius regis occupaverat, & perdita etiam benevolentia regis, eo quod a rege Anglorum denaria ſibi miſſa receperat, fugit in Angliam, regique Anglorum confœderatus, reverſus eſt in Flandriam, eamque protinus acquiſivit, quamvis rex Francorum ſecum Flandriarum obſides adduxiſſet. Facta eſt magna concertatio inter regem Francorum & Ferrandum comitem, rege Angliæ Ferrandum fovente, & in uſus guerræ pecuniam impendente. Per idem tempus recepit rex Francorum in gratiam & in conjugales affectus Iſemburgim reginam legitimam uxorem ſuam, quæ per XIX. annos Stampis villa victu tenui & arcta cuſtodia tranſegerat dies ſuos. Tunc Stephanus Cantuarienſis archiepiſcopus permiſſus eſt venire in Angliam, & fungi in omnibus debita dignitate: vexatio namque regi Angliæ dederat intellectum: nam cognoverat omnibus ſe exoſum, tum propter vitam impuram, qua ſeipſum polluerat, tum propter ſævitiam inauditam quam exercuerat in ſubjectos. Nam quaſi alter Herodes a bimatu & infra pueros occidebat, alios excoriabat, alios in aquis mergebat, alios ſuſpendebat, alios in aquis calentibus bullire faciebat, alios fame afflictos, ſocios & etiam ſemetipſos devorare & comedere faciebat. Timuit igitur timore magno, videns quod eſſet in periculo honor ſuus, & ſe auxiliis deſtitutum, & ob hoc univerſis quos læſerat ſatisfecit: nam placavit ſibi papam muneribus, principes manſuetudine, archiepiſcopum indulgentia revertendi, abſolutionem a papa obtinens & ab eo recipiens regnum ſuum, mille marcas in recognitione annis ſingulis ſoluturus, ſeptingentas ſcilicet ex Anglia, & trecentas ex Hybernia, quam ſibi excommunicationis tempore ſupradictæ acquiſivit, & ſic Anglia & Hybernia factæ ſunt de feodo S. Petri.

Poſtea pridie idus Septembris feria V. infra octavas Nativitatis B. Mariæ, commiſſum eſt bellum inter hæreticos & Murellum caſtrum, non longe a Tholoſa: faverant enim Tholoſani hæreticis, habentes ſecum Petrum regem Aragonum, qui venerat in auxilium comitis Tholoſani ſororii ſui. Diſplicuit ergo Domino via ejus, eo quod hæreticis præberet auxilium, & eorum protectori amicitia jungeretur. Unde cum in ipſo conflictu bellico multi hæretici occumberent, & ipſe occubuit inter multos, quamvis ex parte fidelium unus tantum miles repertus eſt cum paucis aliis cecidiſſe.

Eodem anno venit Johannes rex ab Anglia, & Rochellam applicuit cum multitudine copioſa: contra quem Philippus rex miſit filium

lium ſuum Ludovicum : ipſe vero collectis viribus, Ferrando Flandriarum comiti reſiſtebat.

Anno Domini MCCXIV. & Othonis imperatoris VI. & Philippi regis XXXVI. nonis Julii die Dominica, laxatum eſt Angliæ interdictum, cui ſubjecta fuerat per ſex annos & menſes tres : nam cum anno præcedenti rex abſolutus fuiſſet, non permiſit clerus interdictum laxari, donec ablata omnia ſolverentur. Porro cùm rex Angliæ in Pictavia per aliquantum temporis demoraſſet, Ligerim tranſiens, Rupem-monachi expugnavit. Deinde collectis viribus, urbem Andegavum occupavit. Erat enim tunc temporis Andegavum civitas tum propter guerram, tum propter Guillelmi de Rupibus ſeneſcalli Andegavenſis violentias, viris & divitiis deſolata, necnon muris & propugnaculis viduata. Quo audito, Ludovicus Philippi Francorum regis primogenitus, qui tunc apud Cainonem in Turonia morabatur, undequaque collectis viribus, regi Angliæ properat in occurſum ; cumque apud Andegavum civitatem Johannes rex Angliæ Ludovicum venientem cum hoſtium ſuorum multitudine necnon & juvenili animo cognoviſſet, Andegaviæ abrenuntians, Ligerim tranſit, & in Aquitaniam revertitur, ſicut Eſau vagus & profugus omnia derelinquens. In diebus illis quando hæc agebantur, ſcilicet VI. cal. Auguſti, Philippus rex Franciæ commoto exercitu de Tornaio apud Inſulam remeabat. Quo cognito, imperator qui apud Valentianas in auxilium Ferrandi comitis Flandriarum advenerat, & tunc a rege diſtabat per V. milliaria, de Moretania movit exercitum, juxta villam quam Bovinas appellant, non longe a Tornaco, ut in retrogardam regis Franciæ inſultum faceret inconſulte. Cumque rex imperatorem venientem cum exercitu cognoviſſet, juſſit acies ſuas ſtare, viſoque quod hoſtes caſu divino territi non venirent, juſſit iterum acies properare : & cum jam fere medietas ſui exercitus pontem Bovinarum tranſiſſet, & rex prope pontem poſt exercitum jam veniſſet, Otho imperator appropians, & poſt retrogardam tranſiens a latere exercitus verſus ſeptentrionem, protinus eſt reverſus ; quod rex Francorum audiens, tubis inſonuit, aſſumtiſque armis regalibus, ſuas acies revocavit, & eas de tuenda corona regni Franciæ diligenter commonens, adverſariorum exercitui appropinquavit, partemque campi maximam occupavit. Quid plura ? fere per ſpatium totius diei invicem pugnaverunt. Tandem rex Francorum, Dei fretus auxilio, obtinuit quod optavit, & licet diu fortiterque pugnaverit, diuque ad terram proſtratus jacuerit, tandem recuperato equo, hoſtes undique ſuperavit. Otho autem imperator, dux Lovaniæ, dux de *Lamborc*, Hugo de *Boves*, & multi alii victi, tergaque vertentes fugæ præſidio ſe ſalvarunt, imperialia inſignia relinquentes. Comes vero Flandriarum Ferrandus, Reginaldus comes Boloniæ, & Guillelmus comes Saliſberienſis, & frater ejus, & duo comites Alemanniæ, & Arnulphus de Audenarde, & Bernardus de *Hucemaigne* ſummus Othonis conſiliarius, & multi magni nominis tam barones quam alii victi capiuntur, victique in Franciam adducuntur. Ceterorum qui capiuntur infinitus eſt numerus. Multi tamen ex parte Othonis, pauci vero ex parte regis Franciæ perierunt ; & ſicut illi qui capti fuerant aiebant, numerus militum erat mille quingentorum, & aliorum bene armatorum CL. millia præter vulgus, & infra diem tertium habituri erant quingentos milites & pedites infinitos : ſed miſericors Dominus, in rege Franciæ & ſuis Moyſi canticum adimplevit. Nam perſequebatur unus mille & duo fugabant decem millia. Rex autem, peracto negotio, captiſque hoſtibus per caſtella ſua in arcta cuſtodia deputatis, Ferrandum comitem Flandriæ ſecum ducens, Pariſius eſt reverſus, ibique a clero & populo cum gaudio lachrymabili & inauditis laudibus exceptus eſt cum triumpho.

De hoc ſiquidem bello quidam ait :

Anno bis ſeptem Domini cum mille ducentis
Junge diem quintam Julii finem facientis,
Frangunt Francigenæ Flandrenſis mœnia gentis,
Multis principibus tecum Ferrande retentis.
Tu quoque victus Otho, quid poſſit Francia ſentis,
A facie regis fugiens tua terga ſequentis.

Nec mora habito conſilio rex, treugam firmavit uſque in quinquennium cum rege Angliæ, qui adhuc in Aquitania morabatur. Porro rex Siciliæ Fredericus Apulus, qui in partibus Suaviæ morabatur, audiens quod æmulus ſuus Otho a partibus Flandriarum ſine victoria remeaſſet, obſedit cum multo exercitu Aquiſgranum : ſed cum multis diebus obſediſſet, ibidem nec poſſet famem & frequentes incurſus ulterius ſuſtinere, cum multo exercitus ſui diſpendio, vix in propria ſe recepit.

Anno Domini MCCXV. & Othonis imperatoris VII. & Philippi regis XXXVII. inſurrexerunt in regem Angliæ proceres regni ſui, pro quibuſdam conſuetudinibus, quas obſervare nolebat, ſicut firmaverat juramento. Favit magnatibus plebs pedeſtris, manus ſcilicet ruſticana, & plurimæ civitates. Siquidem propter victoriam Othoni imperatori apud *Bovinas*, a Domino denegatam, defecerunt in tantum ab ejus auxilio viri multi, quod fortunæ cedens, & ab infortunio non diſcedens, in patrimonio ſuo, ſcilicet in terra Saxonum deguit in longo tempore, quaſi imperio denudatus, necnon & ſociorum ſuorum ſolatio deſolatus. Illo igitur ſic cedente, Fredericus rex Siciliæ Aquiſgranum revertens, obſidet & expugnat, ibique VIII. cal. Auguſti in regem Germaniæ ſublimatur. Mox

ne honore percepto ingratus Deo exiſteret, ſignum crucis aſſumſit, in ſubſidium terræ ſanctæ cum aliis profecturus. Porro menſe Septembri paſſi naufragium ſubmerſi ſunt viri multi nobiles tam Brabantini quam Flandrenſes, volentes tranſire in Angliam in auxilium regis, qui profuſa ſtipendia venientibus promittebat. Lætati ſunt igitur adverſarii regis, ſuper interitu ſubmerſorum, & ad rebellandum vehementius animati, aſſerentes quod eſſet manifeſte in omnibus manus Domini contra regem. Timentes tamen ne poſſent ei uſque in finem reſiſtere, Ludovicum regis Francorum primogenitum de ferendo ſibi auxilio per internuntios convenerunt, promittentes ei, expulſo rege ſuo, totius Angliæ monarchiam: qui acceptis obſidibus ab eiſdem, militum eis multitudinem deſtinavit. Tunc cum Robertus *de Corbin* S. Stephani in Monte-cælio preſbyter cardinalis jam fere per biennium ob negotium crucis Franciam peragraſſet, & propter temeritatem ſuam exoſum omnibus ſe feciſſet, tandem concilium apud Bituricas convocavit, in quo epiſcopi & abbates Franciæ appellarunt, viri improbi impetum formidantes, eumque poſtea in generali concilio Romæ ita reddidere confuſum, quod Innocentius papa multiplices ejus exceſſus a prælatis Franciæ ſibi petiit relaxari.

Ipſo anno menſe Novembri, Innocentio papa tertio præſidente, pontificatus ejus anno XVIII. celebrata eſt ſancta & univerſalis ſynodus Romæ in eccleſia Salvatoris, quæ Conſtantiniana vocatur, in qua ſynodo fuerunt epiſcopi CCCC. & XII. inter quos erant duo de præcipuis patriarchis, ſcilicet Conſtantinopolitanus & Jeroſolymitanus; Antiochenus vero gravi languore detentus venire non potuit, ſed miſit pro ſe epiſcopum Audan-
*Antaraden-ſem. denſem, *Alexandrinus etiam ſub Sarracenorum dominio conſtitutus fecit quod potuit, mittens pro ſe diaconum germanum ſuum: primates autem metropolitani LXXI. abbates quoque & priores conventuales octingenti; archiepiſcoporum, epiſcoporum, abbatum, priorum & capitulorum abſentium, non fuit certus numerus comprehenſus. Legatorum vero regis Siciliæ jam in Romanorum imperatorem electi, imperatoris Conſtantinopolitani, regis Jeroſolimitani, regis Franciæ, regis Cypri, regis Angliæ, regis Hiſpaniæ, aliorumque regum & principum ingens affuit multitudo. Ibique ſancta ſynodus multa conſtituit multaque conſtituta a retroactis temporibus confirmavit, quorum pauca ſtuduimus breviter annotare ſcilicet: Quod metropolitani cum ſuffraganeis ſingulis annis concilia celebrent ad exceſſus ſubditorum canonice corrigendos. Quod in qualiber eccleſia cathedrali magiſtrum theologiæ habeant, qui fructum præbendæ illius eccleſiæ percipiat, quamdiu perſtiterit in docendo.

A Quod in quibuſlibet provinciis de triennio in triennium eligantur duo abbates Ciſtercienſis ordinis, qui alios duos ſibi aſſocient, cum quibus in abbatiis & prioratibus conventualibus, convocato capitulo, ordinent & corrigant quæ viderint expedire. Abbas juriſdictionem & monachus locum monachi in diverſis abbatiis habere non præſumat. Quod nullus de cetero novam religionem vel novam regulam inveniat. Quod judicium aquæ vel ferri vel duellum numquam fieri de cetero permittatur. Quod chriſma & eu-
B chariſtia in cunctis eccleſiis ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur, nec per ea poſſint aliqua nefaria exerceri. Quod quiſlibet ſaltem quolibet anno confiteatur peccata ſacerdoti proprio, & ad minus in paſcha recipiat euchariſtiæ ſacramentum, niſi de conſilio ſacerdotis duxerit abſtinendum. Quod medici corporum ad infirmos vocati, prius infirmos moneant & inducant quod advocent medicos animarum, & quod pro corporis ſalute ægrotis non ſuadeant, quod in periculum animæ conveniatur. Quod eccleſia cathedralis vel ruralis ultra tres men-
C ſes non vacet, alioquin ad ſuperiorem electio devolvatur. Quod ſi electio communiter ab omnibus fieri nequeat, fiat per ſcrutinium trium fide dignorum, qui ſecreto & ſingillatim vota cunctorum exquirentes, & in ſcriptis redigentes, illum in quem major pars vel ſanior conſenſerit, mox publicent in communi, vel ſaltem viris idoneis committatur. Quod electio per ſecularem poteſtatem facta non valeat. Quod qui poſtulaverint cedendi licentiam, cedere com-
D pellantur. Quod nullus habeat duo beneficia, quibus cura animarum ſit annexa, vel in una eccleſia plures dignitates vel perſonatus, etiam ſine cura animarum. Quod clericus ſine cauſa laïco fidelitatem non faciat. Quod conſtitutiones principum non præjudicent eccleſiis. Quod patronus eccleſiæ qui clericum occiderit vel mutilaverit, jus patronatus amittat. Quod talliæ vel exactiones numquam a clericis exigantur. Quod nullus excommunicetur, niſi competenti monitione præmiſſa. Quod copula conjugalis quartum conſanguinitatis gradum vel affinitatis inferius de cetero non excedat. Quod teſti-
E monium de auditu in cauſa matrimonii non valeret. Quod religioſus ſine conſenſu abbatis & majoris partis capituli ſui, non fidejubeat, vel mutuo accipiat ultra ſummam expreſſam, alioquin conventus non teneatur ſuper hoc reſpondere. Quod antiquæ reliquiæ extra capſam nullatenus oſtendantur. Quod pro conſecratione epiſcoporum, benedictione altarium, ordinatione clericorum, receptione monachorum, monialium vel aliorum regularium, ratione ſepulturarum, exequiis mortuorum, benedictione nubentium, nihil de cetero requiratur; ita quod

consuetudo laudabilis non mutetur. Quod Judæi a Christianis immoderatas usuras non recipiant, & ad decimas & oblationes solvendas quas de domibus & possessionibus suis a Christianis percipere consueverant, per censuram ecclesiasticam reddere compellantur; & quod ipsi & Sarraceni a Christianis habitu distinguantur, & quod in diebus lamentationis & passionis Dominicæ in publicum minime videantur. Quod numquam super Christianos justitiis secularibus vel aliis publicis officiis præferantur. Hæc & multa alia ibi instituta sunt, quæ longum est enarrare. De negotio autem crucis ita statutum est, quod qui laborem illum in propriis personis & expensis subirent, plenam veniam suorum peccaminum reportarent, de quibus ore confessi fuerint, & contriti: aliis qui non in propriis personis, sed propriis expensis juxta sui facultatem illic viros idoneos destinarent, & aliis qui in personis propriis, sed non expensis propriis illuc irent, plena concessa est venia peccatorum. Hujus autem remissionis fuerunt participes juxta quantitatem subsidiorum, omnes illi qui ad subventionem terræ sanctæ de bonis congrue ministrarent, vel ibi consilium vel auxilium impenderent opportunum. Clericis autem cruce-signatis concessum est, quod redditus ecclesiasticos usque ad triennium quasi residentes perciperent, vel pignori obligarent, essentque omnes tam clerici quam alii immunes a talliis & collectis, bonaque eorum quieta, sub protectione apostolica remanerent, donec de ipsorum obitu vel redditu aliquid certissimum audiretur. Si vero juramento usuras reddere tenerentur, ad remittendum juramentum & usuras similiter creditores protinus cogerentur. Et si Judæis debita solvere non possent, quod seculares principes sic utili dilatione providerent, quod post iter arreptum usuræ non currerent, donec de ipsorum obitu vel reditu certi essent. Torneamenta quoque usque ad triennium, & guerræ usque ad quadriennium omnino cessarent, pace integra, vel firma treuga in toto orbe Christiano firmiter observata. Ad opus ergo tam arduum peragendum dedit Innocentius papa xxx. mil. libras, & insuper tria millia marcarum argenti, quæ de quorumdam eleemosynis ei remanserunt ad peregrinorum navigia præparanda. Cupientes autem prælatos & clericos universos in merito & in præmio fieri participes & consortes, statuerunt ut omnes clerici tam subditi quam prælati vicesimam ecclesiarum proventuum usque ad triennium integre solverent in subsidium terræ sanctæ, exceptis quibusdam religiosis & cruce signatis, qui cum aliis erant in subsidium profecturi. Raimundus quoque comes Tolosanus & filius suus Raimundus tamquam hæretici condemnantur, multique alii hæretici fautores eorum gladio anathematis feriuntur. Libellus etiam vel tractatus de Trinitate, quem abbas Joachim contra magistrum Petrum Lombardi edidit, reprobatur, & perversissimum dogma magistri Amorrici, tamquam impii & hæretici, condemnatur.

Sane mense Decembri circa octavas beati Andreæ venerunt Londonias milites missi a Ludovico in auxilium eorum, qui in Anglia conjuraverant contra regem. Præoccupaverant enim civitatem conspiratores prædicti, cum adhuc pateret civitas universis, nec ex præcepto regio adversantibus clausa esset: unde factum est, ut suos in ea fautores reciperent, & exinde circa se suos terminos dilatarent. Per idem tempus cum Otho imperator diu interdictum sanctæ matris ecclesiæ observasset, morboque dissenterico laborasset, convocatis episcopis alioque clero, cum lacrymis absolutionem petiit, petitamque recepit; sicque accepta pœnitentia, naturæ debitum suum solvit. Erat autem corpore magnus, facie lætus, sermone jucundus, consilio providus, militia strenuus, donis largissimus, omnibusque moribus adornatus.

Fridericus Apulus rex Siciliæ filius Henrici imperatoris, mortuo Othone, sub Innocentio & Honorio imperat. Non tamen ad præsens imperiali benedictione munitus.

Anno Domini MCCXVI. & Frederici imperatoris I. & Philippi regis XXXVIII. circa cal. Maii venit Simon comes Montisfortis in Franciam contra Aragones auxilium petiturus, aquibus propter necem Petri regis Aragonensis assultus assiduos sustinebat: ideoque infra dies paucos circiter CXX. milites de Francia secum duxit. Eodem tempore venit Galo S. Martini presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, qui diligenter monuit Ludovicum, ut a proposito transeundi in Angliam desisteret, patremque suum regem Franciæ, ut filio transitum dissuaderet, denuntians eis excommunicationis sententiam, quæ jam in concilio lata fuerat in omnes regi Angliæ adversantes. Cumque nihil proficeret, navigavit in Angliam, compositurus si fieri posset inter regem Angliæ & proceres Anglicanos. Parata igitur navigatione permaxima, feria VI. in crastino Ascensionis Dominicæ, scilicet XIII. cal. Junii circa horam nonam a portu Flandriæ, quem *Cales* dicimus, aggressus est navigium Ludovicus regis Franciæ filius anno ætatis XXIX. Recreatus est autem in insula *Taneth* propter ægrotationes plurium & labores, sequenti secunda feria apud *Sandurs*, portum scilicet australem, nemine sibi resistente, Angliam est ingressus. Disparuit etenim rex Anglorum, qui prope portum consistens, cum multitudine copiosa videbatur paratus terra & mari occurrere classi ac militiæ Gallicanæ. Ludovicus vero ab his qui vocaverunt eum jocunde & reverenter exceptus, fidelitates eorum homagia-

que recepit. Rex autem Angliæ mala quibus undique premebatur, enerviter se agebat, cujus vice & loco cardinalis prædictus pugnavit ut potuit, gladium Petri quem solum habuit evaginans: nam terras eorum qui Ludovico adhæserant, interdicto suppositi, & personas eorum vinculo anathematis innodavit. Porro III. idus Junii apud Thessalonicam moritur Henricus Constantinopolitanus imperator, anno imperii XII. Post cujus decessum Petrum de Cortenaio Autissiodori comitem, defuncti imperatoris sororium, imperatorem communiter elegerunt, & ad eum quærendum in Franciam solemnes nuncios destinarunt. Porro XVII. calendas Augusti moritur apud Perusium Tusciæ civitatem Innocentius Papa III. litteratura clarissimus, & facundiæ singularis. Sedit autem in papatu annis XVIII. mensibus V. diebus IV. cui successit Honorius papa III. qui prius Johannis & Pauli presbyter cardinalis Chinthius dicebatur. Tunc Johannes rex Angliæ decimoquinto cal. Novembris ignominiose moritur, de cujus morte execrabili accidit res miranda. Nam cum in quadam abbatia, quæ est in ecclesia cathedrali episcopatus Wiresbrensis, corpus dicti regis sacrilegi fuisset ad Summi regis dedecus, & ad ejus supplicium inhumatum, circa mediam noctem a * custodibus ecclesiæ fuit circa ejus sepulchrum terribilem repererunt, sicque supramodum attoniti, ad abbatem suum & monachos qui in dormitorio ecclesiæ quiescebant celeriter. * Quo audito, abbas & monachi surgentes, attoniti ad ecclesiam veniunt, secum aquam benedictam, crucem, & Eucharistiam deportantes, & sic ab illis ecclesiam intrantibus terribilis vox auditur, umbra horribilis reperitur, clamans se Johannem quondam regem Angliæ tormentis variis lacerandum, quamdiu corpus ejus maledictum, esset in terra cimiterii benedicta & maxime in ecclesia tumulatum. Quod cum monachi timidi audivissent, rostris terram effodiunt, & ab ecclesia & cimiterio corpus ejiciunt maledictum, nec postea vocem ejus audierunt, vel umbram viderunt, nec, quod dictu horrendum est, corpus quod foris jactaverant, repererunt; & sic ad cognomen suum penitus est reversus, nam priusquam regnum reciperet, Johannes Sine-terra ab omnibus vocabatur, & antequam a regno discederet, sine terra esse ab omnibus videbatur, & in morte sua terra eum numquam recipere dignabatur. Quo ita mortuo, successit ei Henricus filius ejus puer decennis, & a Galone legato crucis signaculo insignitus, ad regnum Angliæ coronatur. Quo facto, circa intrantem Martium reversus est in Franciam Ludovicus, exercitu suo in Anglia derelicto; passus tamen sed & ultus Anglorum insidias in recessu.

Anno Domini MCCXVII. & Frederici imperatoris II. & Philippi regis XXXIX. post Pascha idem Ludovicus, congregata equestri pedestrique multitudine, in Angliam remeavit, ægre sustinens & indigne, quod quidam ex nobilioribus Angliæ in absentia sua eum, spretis juramentis, reliquerant, & in partem transierant novi regis. Tunc temporis Honorius papa consecrat Petrum comitem Autissiodorensem & Yolem uxorem ejus ad Constantinopolitanum imperium, Dominica qua cantatur *Misericordia Domini*, in ecclesia S. Laurentii extra muros. Nono igitur die consecrationis, recedit imperator ab Urbe cum uxore & IV. filiabus, ducens secum circiter CLX. milites & servientes plurimos, ad pugnam armis & animis præparatos: cui Johannes de Columna, presbyter cardinalis, & in Romania & Venetia apostolicæ sedis legatus, apud Brundusium occurrit, seque ei ad transeundum in Græciam sociavit, statimque mari transito, urbem Dyrachium obsidet imperator. Promiserat enim Venetis, & litteras inde confecerat, quod dictam urbem, quam sibi olim violentia ducis ablatam dicebant, eisdem protinus resignaret, si sibi capiendi eam a Domino copia præstaretur. Igitur multis diebus in obsidione consumtis, inutiliter non sine suorum dispendio obsidionem deserit imperator. Post hæc intuitu Dei, cujus judicia abyssus, cum suis in terram ingreditur cujusdam tyranni, qui Theodorus Communio vocabatur, & dux erat Dyrachii civitatis. Cumque fuissent inter montes nemorosos & fluvios ad meandum difficiles constituti, & victualia eis deficerent, necnon & Theodorus cum suis eos cominus sequeretur, cum Theodoro congredi decreverunt. Theodorus ergo videns imminere tempus, quo concepta impietas in partum prodire poterat actionis, loquitur secretius cum legato, pacem affectare se simulat, pollicetur imperatori & suis securum conductum & competens forum victualium, dummodo eorum arma penitus deponantur. Firmata igitur pactione, per simulatorium juramentum & per alterum osculum inde suadente legato, qui rem verius agi credebat quam concipi, simulate arma deposita hostibus committuntur. Paulopost servientibus imperatoris paululum congregatis, imperator & milites universi, legatus, archiepiscopus Salocensis, Guillelmus comes Sacri-Cæsaris, & alii nobiles per diversa loca carceribus recluduntur. Servientes velut oves congregatim ducuntur ad loca devia, nudatique omnibus, soli fortunæ miserabiliter exponuntur. Circa hos dies Thomas comes Perticensis juvenis, cum multis aliis occiditur apud Lincolniam Angliæ civitatem. Quo Ludovicus audito, & tactus dolore cordis intrinsecus, incensis machinis suis apud Doveram, quam in diebus illis obsederat, transtulit Londoniam se & suos. Cumque pluries tentarent plurimi, ut ei ex Francia subveni-

* Hic quædam videntur omissa quæ facile ex sequentibus possunt suppleri.

* *Supple* cucurrerunt *vel quid simile.*

rent, tandem circa octavas Assumtionis B. Mariæ quidam nobiles ad eum in manu valida festinantes, quosdam ex Anglis in mari obvios habuerunt, consertoque navali prælio, capti sunt multi Francorum nobiles, reliquis omnibus interfectis, præter paucos qui se fugæ præsidio salvaverunt. Denique in Exaltatione S. Crucis vel circiter, cum jam cœpisset Londoniarum civitas famis incommodo laborare, habito diligenti tractatu de pace, circa quam prædictus cardinalis efficaciter satagebat, concessum est Ludovico cum suis omnibus remeare, prius tamen præstito juramento, quod staret mandato Ecclesiæ, & quibusdam aliis conditionibus interpositis, quarum mysterium revertentes noluerunt omnibus revelare, & sic anno ætatis suæ XXXI. IV. cal. Octobris in Franciam remeavit. Circa dies illos venit in Franciam uxor illustris Simonis comitis Montisfortis contra hæreticos auxilium petitura; ita enim arctaverant virum suum comes Tolosanus & Aragones, quod perditis quibusdam castris, vix spem haberet de reliquo detinendo, nisi succursus ei celeriter præstaretur. Ipso anno sit ventus vehementissimus, qui multas ecclesias & domos evertit, & evulsit arbores infinitas.

Anno Domini MCCXVIII. & Frederici imperatoris III. & Philippi regis XL. Simon comes Montis-fortis dum Tolosam obsidet, ictu petrariæ percussus moritur in crastino S. Johannis Baptistæ. Erat enim eleganti forma, fide & armis strenuus & laude dignus: nam ex eo tempore quo primum cœperunt Franci in partes Albigensium proficisci ad exterminandam hæresim, qua infecta fuerat provincia Narbonensis, numquam præter semel in Franciam est reversus. Fuit autem Dominus cum eo, qui omnia ejus opera dirigebat, per manum ejus hæreticos extirpando. Misit enim Dominus singulis annis tam ex Francia quam ex terris aliis adjutores, qui sibi in pectore signum Crucis ex devotione propria assuerunt, cum eo contra hostes fidei ad minus XL. diebus commorantes, propter indulgentiam a sede apostolica super hoc eis factam. Guillelmus quondam Bituricensis archiepiscopus, cum jam diu miraculorum gloria claruisset, canonizatur a papa Honorio, & sanctorum catalogo sociatur. Eodem anno de diversis mundi partibus tam episcopi quam barones necnon militum & vulgarium numerus infinitus Jerosolimitanum iter arripiunt, Crucis Dominicæ signaculo insigniti. Postea mense Octobri vineæ & arbores ita gelu non modico sunt exustæ, quod majorem exustionem ejusmodi nemo se vidisse assereret vel accidisse. Tunc Herveus comes Nivernensis mari transito, cum multo nobilium comitatu, circa festum apostolorum Simonis & Judæ applicat [Damietam.] Damieta civitas secus ripam Nili, inter metropoles Ægypti nobilis plurimum & antiqua sane. Johannes de Brenna rex Jerusalem, vir potens, strenuus & fidelis, ac dux Austriæ, ad hanc singulariter expugnandam cum valido exercitu antea mense Maio accesserant, ceteris paganorum urbibus prætermissis: dicebant enim quod si dicta civitas capi posset, quod de facili poterat terra sancta a gentilibus emundari. Deo autem favente, res eo usque devenerat, quod nostri cum labore nimio & strage multorum expugnaverant quamdam turrim in alveolo Nili sitam, & ad sui præsidium sufficienter necessariis prænunitam. Porro quia multi de populo perierunt, clerici, processionibus factis, in pane & aqua triduanum jejunium omnibus indixerunt; nam in vigilia sancti Andreæ apostoli intumuerunt fluctus maris, crescentes & excursus facientes usque ad castra fidelium, & ex alia parte illos incautos inundans fluvius occupavit, unde navium & victualium damna non modica pertulerunt. Duravit autem hæc tempestas assidua per tres dies: invasit præterea dolor repentinus quorumdam pedes & crura..... caro corrupta gengivas & dentes obduxit, potentiam auferens masticandi, quorumdam vero tibias horribilis nigredo fuscavit, & sic longo tractu doloris afflicti, cum multa patientia ad Dominum migraverunt. Plurimi siquidem usque ad tempus vernale durantes, caloris beneficio incolumes evaserunt. Sane in festo sanctæ Agathæ virginis Pater misericordiarum & Deus totius consol. ionis, nostris in obsidione positis conferre dignatus est victoriam glorioſam. Cum enim parati essent nostri, ut fluvium transirent, causa obsidendi undique civitatem, soldanus Babyloniæ & sui, qui cum multo exercitu super ripam fluvii tentoria fixerant, divino terrore perterriti, ante lucis auroram in fugam conversi sunt, sua tentoria relinquentes; quod quidam apostata, qui cum soldano diu militaverat nostris protinus indicavit. Summo igitur diluculo, cum officium diei, scilicet *Gaudeamus omnes in Domino*, esset per Christianorum oratoria inchoatum, factum a Domino miraculum gaudio plenum regi & legato & aliis nunciatur. Itaque fugientibus Ægyptiis, nostri certatim & alacriter fluvium transeunt, nemine resistente, castra fugientium occupant, spoliaque reperiunt infinita. Nocte sequenti multi bellatores territi propter inopinatum transitum fugerunt de Damieta, & sic per gyrum in crastino firmiter est a nostris obsessa.

Eodem tempore mense Februario Philippus fecit hanc constitutionem de Judæis suæ potestatis: Quod nullus Judæus traderet mutuo pecuniam Christiano, qui propriis manibus laboraret, sicut est agricola, sutor, pelliparius, carpentarius, & hujusmodi, vel monacho, vel canonico regulari, nisi de con-

ſenſu abbatis & capituli ſui, & quod debitum curreret ultra annum a mutuo facto: nec libra per ſeptimanam ultra duos denarios lucraretur, nec acciperet in vadum ornamentum eccleſiæ, aut veſtimentum ſanguinolentum, aut madidum, aut ferrum carrucæ, aut bladum non ventilatum; multaque alia conſtituit, quæ longum eſt enarrare. Eodem anno in die Palmarum Sarraceni, collecto innumerabili exercitu, ſuper nos apud Damietam irruerunt, prælioque commiſſo, hinc inde multi ceciderunt mortui. Tandem hoſtes fatigati ſe cum damno maximo retraxerunt. Per idem tempus Jeruſalem regina civitatum, quæ munita inexpugnabilis videbatur, foris & intus deſtructa eſt a Coradino filio Saphadini: nam muri ejus cum turribus in acervos lapidum ſunt redacti, præter templum Domini & turrem David. De ſepulchro autem Domini deſtruendo conſilium habuerunt; ſed huic temeritati nemo præſumpſit manus apponere, propter reverentiam ſancti loci: ſicut enim in Alcorano libro eorum ſcriptum habent, credunt Dominum JESUM CHRISTUM de Maria Virgine conceptum & natum, ſine peccato viviſſe, prophetam & pluſquam prophetam, leproſos curaſſe, cæcos illuminaſſe, mortuos ſuſcitaſſe, & ad cœlos aſſeverant firmiter aſcendiſſe. Unde in tempore treugarum ſapientes ipſorum Jeroſolymam aſcendentes, codices evangeliorum ſibi exhiberi poſtulabant, & oſculabantur & venerabantur propter munditiam ſanctæ legis quam Chriſtus docuit, & maxime propter evangelium Lucæ, ſcilicet: *Miſſus eſt Gabriel angelus*, quod litterate inter eos ſæpe repetunt & retractant. Lex autem eorum, quam diabolo dictante miniſterio Sergii monachi apoſtatæ & hæretici, Marcometus * Sarracenis dedit, ſcripta eſt Arabice, & a gladio incœpit, & per gladium tenetur, & in gladio terminabitur.

* *l.* Mahometus.

Anno Domini MCCXIX. & Friderici imperatoris IV. & Philippi regis XLI. Ludovicus filius regis Franciæ cum copioſo exercitu cruce ſignatorum de cunctis Galliæ partibus, iter movet adverſus hæreticos Toloſanos, primumquecaſtrum, quod Mirmanda dicitur, ab hæreticis munitum obſidet & expugnat. Quo facto, Toloſam obſidet & impugnat, ſed, ſicut dicitur, proditione aliquorum nobilium partis ſuæ interveniente, redire inefficax eſt compulſus. Poſt cujus reditum noſtri, qui remanſerant a Toloſanis hæreticis ſolito audacioribus factis, multas moleſtias patiuntur, nonnulla caſtra dimittentes, quæ proditione quorumdam hæretici in ſuam redegerunt poteſtatem. Eodem anno menſe auguſto Herveus comes Nivernenſis cum uxore ſua a partibus rediit tranſmarinis, noſtri vero in obſidione Damietæ poſiti, tota æſtate captione civitatis per ingeniorum erectionem, & lapidum fulminationem, necnon & per terram & aquam frequentem aſſultum operam impendebant. Sarraceni enim eos bellis ordinatis fortiter impugnabant, & noſtros a propoſito, quod aliquando videbatur proximum effectui, revocabant. Quadam autem die Sarraceni noſtrorum licias intraverunt, ſed milites templi eos inde viriliter & celeriter ejecerunt. Videntes itaque noſtri quod ſine bello eſſet difficile totum perficere, de communi conſilio cum navali & terreſtri exercitu equitum & peditum, in feſto S. Johannis Baptiſtæ contra Soldanum exeunt ad pugnandum. Verum quia tamquam nihil timentes, ſed in fortitudine ſua confidentes, non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum, nec cum lacrymis & devotione, ſed cum pompa & elatione, multi etiam propter lucrum & commodum temporale id agere præſumſerunt, propterea traditi ſunt in manus gentium, & dominati ſunt eorum qui oderunt eos. Nam Sarraceni qui prius fugiendo ceſſerant, videntes quoſdam ex noſtris, Romanos videlicet, æſtum ſolis ferre non valentes, & veluti coram teſtudine terga vertentes, necnon & non fugatos fugere, ſtatim illos celeriter inſequuntur, & facto hinc inde congreſſu, multi de noſtris cadunt, non tamen ſine damno militiæ paganorum. De noſtris autem capti ſunt viri nobiles Milo de Nantolio electus Balvacenſis, vicecomes de ſancta Suſanna, & Galterus camerarius regis Franciæ, & quidam alii Francigenæ potentes, titulo militiæ glorioſi. Die illa Johannes rex Jeruſalem viriliter ſe habuit, igneque Græco fere combuſtus fuit: ſed pius & miſericors Dominus ſuum militem conſervavit, & aliorum noſtrorum ſuperbiam ſic oppreſſit. Præterea noſtris invitis & ignorantibus, quandoque per terram, quandoque ſub aquis, per fluvium multi civitatem ingredientes, non modicum iis qui in civitate erant ſolatium inferebant. Tandem noſtri hoc comperto, rete magnum in tranſverſo fluminis protendentes, facti ſunt hominum piſcatores, tranſeuntes Sarracenos retibus capientes. Jam vero fere omnibus attentis, noſtri quid amplius facerent ignorabant. Nam longe fortior erat civitas quam in principio obſidionis, ſed Dominus ſibi victoriam reſervabat, & tamen noſtrorum laboribus meritum non negabat. His diebus Yolis imperatrix Conſtantinopol. obiit, qua defuncta, cum Petrus imperator maritus ſuus adhuc in carcere teneretur, noſtri qui in Græcia remanſerant, habito diligenti maturoque conſilio, legatos in Franciam tranſmiſerunt, qui unum de filiis Petri imperatoris Robertum nomine, ætate juvenem, cum aſſenſu regis Franciæ, in Græciam perduxerunt, eumque Conſtantinopolitani imperii diademate ſublimarunt. Tunc temporis apud Viennenſem provinciam accidit res miranda, nam apud Gratianopolim quidam rivus qui ſtagnum S. Lau-

rentii vocabatur, cursu concito inter duos montes decurrens violenter erupit, fereque omnes mercatores, qui apud Gratianopolim in nundinis morabantur, submersit, Isaræque fluvio adjunctus, dum in Rodanum præcipitare nititur, pontes diruit, arbores evulsit, castella & villas subvertit, homines & jumenta, aliaque sibi obviantia cursu rapacissimo secum traxit.

Anno Domini MCCXXII. & Frederici imperatoris VII. & Philippi regis XLIV. obiit Guillelmus de Rupibus seneschallus Andegavensis, vir armis strenuus, & in ecclesia monialium Cisterciensis ordinis, quæ Bonus-locus dicitur, quam ipse de novo juxta Castrum-Lidi fundaverat, sepelitur. Cui successit in seneschallia Amorricus de Credone, qui filiam ejus primogenitam duxerat in uxorem. Tunc etiam Herveus de *Danzé* comes Nivernensis, arcus justitiæ inflexibilis, & hostium tempestas assidua, veneno occiditur, & apud castrum S. Aniani, quod paterni juris erat, honorifice tumulatur; sed postea a monachis Pontiniaci Cistercienſis ordinis sepeliendus apud Pontiniacum deportatur, relinquens unicam filiam suam, quæ data est uxor Guidoni comiti S. Pauli.

Eodem anno in festo S. Luciæ instituti sunt primo vicarii in ecclesia B. Martini Turonensis, redacto ad certitudinem numero præbendarum. Per idem tempus cum barones Britanniæ & maxime Leonenses, auxilio Amorrici seneschalli Andegaviæ, Petrum comitem Britanniæ filium Roberti comitis Drocensis longo tempore debellassent, eumque fere redactum ad nihilum, accidit res miranda. Nam cum ex una parte ei Britones occurrissent, & Amorricus de Credone seneschallus Andegaviæ cum suis fautoribus invasisset, terramque Gaufredi domini Castri-Briani, quæ de feodo comitis erat, intrasset, eamque penitus devastasset; Petrus comes Britanniæ, monitione facta, ut a terra sua recederet, ei v. nonas Martii cum paucis militibus, sed multitudine peditum occurrit, & sic inito certamine, Normannis & Cenomanensibus, qui ex parte seneschalli erant, fugientibus, dictus comes Britanniæ Amorricum seneschallum cum Johanne de Montorio comite Vindocini, & Hardoino domino Malliaci, & multis aliis, in bello continuo superavit, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam: *Homo cum in honore esset non intellexit.* Eorum vero qui capti fuerant, fuit pars maxima infra Pascha sequens redemtione nummorum & equorum liberata, nam in eodem conflictu tanta fuit ab utraque parte equorum occisio, quod pauci equi illic incolumes remanserunt. Seneschallus autem & comes Vindocini fere omnibus aliis redemtis, in Thoso prope Nanneticam civitatem in ergastulo carceris vitam solitariam deduxerunt.

Anno Domini MCCXXIII. & Frederici imperatoris VIII. & Philippi regis XLV. Amorricus de Credone seneschallus Andegaviæ filiam unicam quam habebat, ætate tenerrimam concessit Arturo puero filio Petri comitis Britanniæ in uxorem. Tunc etiam maxima insuper redemtus pecunia a carcere liberatur.

Rege autem Philippo, sicut dicitur, tumulato, Ludovicus ejus primogenitus VIII. idus Augusti, scilicet in festo S. Sixti in Remensi ecclesia a Guillelmo Remensi archiepiscopo cum Blancha uxore sua ad regnum Franciæ coronatur anno ætatis XXXVI. Johanne rege Jerosolymitano præsente, necnon clericorum & militum multitudine infinita. Sequenti vero mense Septembri Turonis veniens in ecclesia B. Martini, & post in ecclesia S. Mauricii honorifice cum processione recipitur, & inde per Andegaviam & Normanniam in Franciam rediens, & homagia omnium & fidelitates recipiens, & sic totum regnum Franciæ circuiens pervagatur. In crastino autem S. Luciæ Johannes rex Jerosolymitanus Turonum veniens, in ecclesia B. Martini cum processione recipitur, ibique iterum prima Dominica sequentis quadragesimæ rediens, baculumque peregrinationis accipiens, apud S. Jacobum est profectus.

Anno Domini MCCXXIV. & Frederici imperatoris IX. & Ludovici regis II. III. nonas Maii celebravit Ludovicus rex apud Parisius concilium generale, in quo Honorius papa indulgentiam, quæ in Lateranensi concilio contra Albigenses hæreticos fuerat instituta, auctoritate propria ad tempus revocavit, & Raymundum comitem Tholosanum fide catholicum approbavit.

Eodem anno Dominica ante Ascensionem Domini apud Prulliacum castrum Turonensis diœcesis, levatum est corpus S. Melanii episcopi Redonensis a Jo. archiepiscopo Turonensi & aliis vicinis episcopis, capsaque argentea cum summa reverentia collocatum. In octavis vero sequentis Pentecostes Johannes rex Jerosolymitanus, a peregrinatione S. Jacobi Turonis est regressus, cum filia regis Gallicienſis, quam in illis partibus duxerat in uxorem, quæ in ecclesia B. Martini solemniter est recepta, domino rege in eadem ecclesia baculum peregrinationis, quem ibi acceperat, deponente. Nec multo post in festo S. Johannis Baptistæ Ludovicus rex Francorum cum episcoporum, comitum, baronum, militum & servientium infinito exercitu Turonis urbem adiit, & inde Monsteriolum castrum tendens, treugam usque ad annum cum Amaurico vicecomite Toartii reformavit.

Infra octavas Assumtionis B. Mariæ apud Montem-pessulanum auctoritate apostolica concilium celebratur. Nam Honorius papa Narbonensi archiepiscopo dederat in man-

datis, quod ibi modum pacis, quam Raymundus Toloſanus comes & alii Albigenſes ſanctæ matri eccleſiæ offerebant, audiret, & quid inde faceret, remandaret. Qui convocatis totius provinciæ epiſcopis, abbatibus & clericis univerſis, a comite Toloſano, aliiſque baronibus juramenta recepit, quod terram ſecuram & obedientem Romanæ eccleſiæ redderent, & clericis reditus ſuos in integrum reſtituerent, eiſque pro damnis xv. millia marcarum infra tres annos perſolverent, & de hæreticis confeſſis vel convictis juſtitiam indilatam facerent; & pro poſſe ſuo per univerſam provinciam pravitatem hæreticam extirparent.

In craſtino vero S. Bartholomæi in eccleſia S. Simplicii Turonenſi accidit res miranda. Nam dum ad miſſam evangelium legeretur, mulier quæ fere duobus annis tibiis recurvata fuerat, in eadem eccleſia reſtituitur ſanitati. Tunc temporis fundavit Paganus Hermenardi civis Turonicus, domos & oratorium in civitate ad fratres ordinis Minorum hoſpitandos. Per idem tempus in feſto S. Lucæ evangeliſtæ, ſcilicet feria VI. circa mediam noctem combuſta eſt fere tota parochia S. Simplicii Turonenſis. In ea ſiquidem multitudo mulierum longo tempore converſaverat in contubernio lupanari. Sed qui reſpicit terram & facit eam tremere, & ad innocentiæ exemplum habitacula earum diſrupit, & parochiam illam ab earum ſordibus emundavit, ut merito poſſim dicere cum propheta: *Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.*

Hoc anno Petrus comes Britanniæ caſtrum Cellarum obſidet & oppugnat, ſed Theobaldus Criſpini ejuſdem caſtri dominus obſtat ei viriliter & repugnat: nec multo poſt, ſcilicet in vigilia S. Mauricii, Petrus comes Britanniæ caſtrum Cellarum diverſis machinarum aſſultibus maceratum in deditionem recepit & expugnat, & Theobaldum Criſpini dominum caſtri illius a terra exiliat. Nam fere per xxv. annos & vicinam ſibi terram ſpoliaverat, & nautas tranſeuntes per Ligerim inceſſanter denudaverat rebus omnibus, in carcere mancipaverat; & ſic in illo meritis ſuis exigentibus adimpletum eſt quod dictum eſt per prophetam: *Poteſtas Dei eſt, & tibi, Domine, miſericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera ſua.*

Per idem tempus, ſcilicet in feſto ſancti Matthiæ apoſtoli, dum monachi S. Juliani Turonenſis matutinum officium celebraſſent, factus eſt repente de ſummo ſonus, & quod dici dolor eſt, pars maxima ejuſdem eccleſiæ ad horam ruit, cunctaque ſubmiſſa penitus conquaſſavit. Nam cum ibi petrarum cumulus ſuper altare in honore B. Martini conſecratum corruiſſet, lampademque coram altari ardentem & oleo repletam ad terram diſtu ptis vinculis dejeciſſet, nec altare confregit, nec lampadem oleo vacuavit.

In octavis S. Andreæ Ludovicus rex Pariſius concilium celebravit, ibique multa de regni negotio ſunt tractata.

Anno Domini MCCXXV. Frederici imperatoris X. & Ludovici regis III. in octavis Aſcenſionis Ludovicus rex concilium Pariſius celebravit, ubi cum Romano S. Angeli cardinali, qui de novo in Franciam legatus advenerat, multa de negotiis regni regiſque Angliæ, & terræ Albigenſium tractavit.

In paſſione Petri & Pauli dictus legatus Turonis venit, & ſequenti tertia die cum rege Franciæ Cainonem petrexit, ubi rex cum Amaurico vicecomite Toarcii, treugam uſque ad feſtum Magdalenæ prolongavit: ſtatimque rege in Franciam remeante, legatus Turonis repedavit. Per hos dies Robertus Buſençaii dominus in quodam tyrocinio præ calore nimio ſuffocatus ſpiritum exhalavit. Nam a menſe Martio uſque ad Auguſtum menſem tanta ſiccitas, tantuſque calor inhorruerat, quod ſegetes & prata & maxime ſiliginis penitus perierunt, fructus etiam arborum, exceptis pomis & nucibus, ad nihilum devenerunt.

In vigilia Magdalenæ Ludovicus rex Pariſius concilium convocavit, ibique legato necnon & regis Angliæ nuntiis præſentibus, vicecomes Toarcii homagium regi fecit.

Circa hos dies in eccleſia B. Martini Turonenſis quoddam philacterium, ubi ſancti Juliani Cenomanenſis reliquiæ continentur, ſine aliquo offendiculo divinitus movebatur, ita quod de illius motu mirabili populus mirabatur. Nec mora in vigilia S. Jacobi & Chriſtophori circa mediam noctem intra foſſata urbis Turonicæ pars maxima concrematur.

Anno Domini MCCXXV. & Ludovici regis III. in octavis Omnium ſanctorum, Ludovicus rex Franciæ concilium convocat Meleduno, ibique archiepiſcopi & epiſcopi Franciæ, &... a ſuis baronibus juriſdictionem omnium hominum ſuper mobilibus, de quibus homines eccleſiarum in cauſam traherent coram ipſis, & de juriſdictione iſta dicebant inveſtitam eſſe eccleſiam Gallicanam. Quibus rex ſe opponens, argumentis evidentiſſimis afferebat, hoc eſſe diſſonum rationi, cum cauſa mobilium non ratione juramenti, vel fidei, vel teſtamenti, vel maritagii petitorum, mera ſit laicalis, nec ad forum eccleſiaſticum videatur aliquatenus pertinere. Saiſinam eorum ſuper his aſſerens irritam & inanem, cum eo necnon & Philippo bonæ memoriæ patre ſciente vel vidente, de iis umquam ſaiſiti fuerint: & maxime cum nullus poſſit de jure partem ſui domini deteriorem facere, vel vendere, vel quittare, ne per eum alius in eum alterius dominium uſurparet. Tandem interveniente Dei gratia & legato, cauſa iſta ab utraque parte poſita

eſt

est in suspenso. In eodem nempe concilio satis tractatum est de treuga inter regem Franciæ & regem Angliæ reformanda, necnon & de negotio Albigensi. Sed ad præsens nihil super iis potuit reformari.

In festo S. Andreæ apostoli dictus legatus convocatis archiepiscopis, episcopis, abbatibus & capitulis totius Franciæ, Bituris concilium celebravit, ubi Raymundus comes Tolosanus veniens, & gremium sanctæ matris ecclesiæ sibi aperiri petens, absolutionem humiliter postulavit, sui purgationem offerens & emendam, & pro posse suo de omnibus terræ suæ hæreticis convictis vel confessis justitiam indilatam, & ad eos deinceps exstirpandos operam efficacem. Promittens etiam quod terram suam obedientem de cetero Romanæ ecclesiæ redderet, & pacificam & securam, & quod clericis suos redditus in integrum restitueret, & damna eis congrue resarciret. Quibus Amorricus comes de Monteforti obvians, litteras papæ *Innocentii*, necnon & *Philippi regis Franciæ* ostendebat, in quibus continebatur, & dicti comitis Tolosani damnatio, & terræ Albigensium Simoni de Monteforti patri suo facta donatio, sicuti asserebat. Tandem post multas altercationes, legatus & episcopi super hoc secretum consilium habuerunt, & sic negotio infecto comitem ad propria remiserunt. Præterea cum legatus ex parte dñi papæ per totum Franciæ regnum peteret fructus duarum præbendarum in unaquaque abbatia, & in qualibet ecclesia cathedrali, & in aliis ecclesiis conventualibus fructus unius præbendæ, ad summi pontificis usus in perpetuum retinendos, & jam ad hoc episcoporum aliqui consensissent, capitulorum nuntii iis omnibus coram legato & coram omnibus obviarunt, asserentes capitula pro quibus venerant, hoc nullo modo facturа, nulloque tempore concessura. Adjecit etiam legatus, quod dominus papa duobus episcopis dederat in mandatis, quod ad dictum quatuor abbatum quos ad visitandas abbatias totius Franciæ & ad corrigendos excessus earum destinaverat, abbates deponerent universos. Quo audito, archiepiscopi & episcopi se per hoc in abbatiis jurisdictionem omnimodam perdidisse videntes, se hoc numquam quamdiu viverent concessuros, unanimiter responderunt. Et sic præcepta apostolica tam de præbendis, quam de depositione abbatum, in pendulo remanserunt. Tunc fere octoginta magistrorum Parisius, qui contra legatum in supradicto assultu fuerant, & ligatos legati sententia se videbant, absolutionem a peccato in dicto concilio petierunt, petitamque protinus receperunt.

Cum Universitas scholarium Parisiensium in præjudicium Parisiensis ecclesiæ sigillum proprium confecisset, dictoque sigillo Universitatis negotia sigillaret; Parisienses canonici coram legato, qui Parisius venerat, super sigillo scholares conveniunt, & multum ab utraque parte allegantes quid sit juris, in legatum protinus compromittunt, illudque sigillum proprium ei reddunt. Qui habito super hoc admodum festinato consilio, præfatum sigillum coram omnibus ibi fregit, omnesque qui deinceps Parisius sigillum Universitatis facerent, vinclo anathematis innodavit. Quo audito, clamor in cœlum attollitur, rumor per urbem egreditur, scholares conveniunt, & ad domum legati cum gladiis & fustibus conveniunt tamquam ad latronem. Quorum adventum legati homines cognoscentes, portas obstruunt, arma rapiunt, se dominumque suum a furibundis scholaribus defendentes. Tandem per urgentes assultus scholarium, per portarum fractionem, per lapidum fulminationem, cum fere legatus suique homines caperentur, Ludovicus rex, qui paulo ante a Meleduno venerat, & infortunium legati audierat, servientes & milites ibi misit, qui scholares minis & aliis repulerunt, & legatum & gentem suam indemnem, non tamen sine effusione sanguinis, servaverunt. Quo facto, legatus ab urbe egreditur cum conductu, excommunicans generaliter eos qui hunc assultum fecerant & alios qui ex parte eorum interfuerant in assultu.

Tertia die post conversionem S. Pauli, scilicet feria IV. Ludovicus rex Franciæ & legatus generale concilium Parisius celebrarunt, in quo idem legatus auctoritate domini papæ Raymundum comitem Tholosanum suosque complices excommunicavit, & terram illius tamquam damnati hæretici, Ludovico regi Franciæ & heredibus ejus in perpetuum confirmavit. Amorricus etiam comes de Monteforti & Guido patruus ejus, quidquid juris habebant in prædicta terra regi Franciæ & illius heredibus quittaverunt, & litteras inde confectas eidem regi protinus reddiderunt. Quo facto, rex habito diligenti consilio, sequenti feria VI. cum omnibus fere episcopis & baronibus regni sui signo crucis Dominicæ insignitur, ut a vinea Domini Dei Sabaoth, quam jamdiu aper ille Tholosanus exterminaverat, inutilia eradicaret, & utilia propagaret. Sicque legatus super fide regis, & principum commotus nimia pietate, per regni provincias delegat viros probabiles, qui in remissionem omnium peccatorum crucem assumendam contra Albigenses hæreticos prædicarent, & excepto voto peregrinationis Jerosolymitanæ, eos ab omnibus aliis votis, necnon & delictis absolverent. Cum assensu etiam quorumdam episcoporum addidit legatus in hoc gratiam pietati, quod quolibet anno usque ad quinquennium, centum millia librarum super decimam redituum & proventuum clericorum promisit regi coram omnibus se

daturum, & si ad hac decima non posset sufficere, thesauros ecclesiæ traditurum.

Anno Domini MCCXVI. & Friderici imperatoris XI. & Ludovici regis IV. idem imperator apud Cremonam Italiæ concilium celebravit super extirpatione hæreticorum Italiæ & negotio terræ sanctæ & concordia civitatum. Sed urbes Italiæ ob adventum ejus confœderatæ, ei obedire eumque recipere noluerunt: immo eum inefficacem redire versus Apuliam compulerunt.

*al. IV. idus. * Idibus Maii obiit Amorricus de Creone Andegaviæ seneschallus, & in abbatia Andegaviæ, quæ Rota dicitur, honorifice tumulatur. Erat autem ætate juvenis, forma decorus, nitore mirabilis, militia singularis, qui nisi seneschalliam, pro qua opprimebat ecclesias & pauperes, habuisset, si dici fas est, super omnes militia floruisset.

Tunc Henricus rex, audito quod Ludovicus rex Francorum apud Avenionem moram faceret cum majore parte militiæ Gallicanæ, sperans aliquid obtinere in ducatu Normanniæ vel Andegaviæ vel Pictaviæ comitatu, quod pater suus Johannes quondam rex Angliæ pro Arturio nepote suo quem occiderat, per judicium curiæ Philippi regis Franciæ amiserat, proposuit transire in Franciam, & gentes innumeras navigiumque paravit. Sed auctoritate apostolica super hoc inhibitionem recipiens, quod proposuerat retardavit.

In obsidione enim Avenionensium rege Ludovico muros eorum sic incessanter machinarum assultibus diruente, Avenionenses mortis exitum præstolantes, nisi a baronibus Franciæ, qui contra regem occulte conspiraverant, turbaretur negotium, illo assultu a Francis civitas caperetur. Nam cum Petrus comes Britanniæ ab Honorio papa litteras impetrasset super divortio inter Ferrandum comitem & Johannam comitissam Flandriæ celebrando, & etiam matrimonium accusaret, eamque consentientem sibi desponsandam præordinasset; rex tratus hoc audiens, nec operi nefando consentiens; Ferrandum comitem XL. millibus librarum Parisiensium redemit, eumque in sequenti Nativitate Domini, receptis ab eo & baronibus Flandriæ munitionibus & obsidibus, a carcere liberavit; ob hoc Petrus comes Britanniæ cum Campaniæ & Marchiæ comitibus multisque aliis baronibus, contra omnes, rege non excepto, conspiraverant, sicuti dicebatur, Avenionenses & comitem Tholosanum in tantum fovens & adjuvans, quod ad eos suos nuntios cum muneribus transmittebat, eorumque munera nuntiosque recipiens, sese suspectum regi & omnibus exhibebat.

Tandem expugnata est & capta civitas Avenionensis a rege Ludovico, qui repatriando obiit apud Montem-Pessulanum anno Domini MCCXXVI. Quo sepulto, Ludovicum puerum filium ejus primogenitum anno ætatis XIII. in vigilia S. Andreæ apostoli, per manus Jacobi Suessionensis episcopi, vacante sede Remensi, ad regnum Franciæ solemniter coronarunt. Sed Campaniæ & Britanniæ comites, comes Marchiæ & alii Pictavienses ad coronamentum regium evocati, nec venerunt, nec nisi verborum contumeliis excusaverunt. Immo cum nuntiis regis Angliæ de die in diem conventicula faciebant, & ad destruendum regem & regnum Franciæ, & submittendum auxilium suumque consilium regi Angliæ promittebant.

Regno etenim Franciæ sic in manu mulieris & pueri derelicto, Savaricus de Malolione & alii, consilio, sicut dicebatur, magnatum Pictaviæ, nulli ordini, sexui, vel ætati parcentes, quemcumque terra & mari capere poterant rapiebant, in tantum se regi Angliæ submittentes, quod Richardum fratrem ejus ad Rupellam, aliamque terram regis Franciæ destruendam, in auxilium vocaverunt, eumque factis homagiis in suis oppidis receperunt.

Ex alia parte Petrus comes Britanniæ fomentum facinorum & velut alter Decius, sanctæ matris ecclesiæ persecutor, episcopos clericosque Britanniæ inauditis injuriis fatigabat, & res eorum omnino dissipans & dilanians homines sub eis manentes, quos assequi poterat, carcere mancipabat, & post eos diversis pœnis veluti Dacianus afficiens, usque ad quadrantem ultimum redimebat; alios vero manus ejus sacrilegas evadentes & ad ecclesias fugientes, fame & siti afflictos, custodiri præ foribus faciebat, eosque, portis ecclesiarum cemento & lapide obturatis, infra ecclesias includebat, & insuper ecclesias pro muris suis faciendis solatenus coæquabat, & ita in regno Franciæ adimpletum est illud proverbium Salomonis: *Væ terræ, cujus Dominus puer est.* Videbant enim regni Franciæ pervasores per manus mulieris & pueri necnon & cujusdam senis scilicet Bartholomæi de Roia, eorumdem consiliarii, regnum Franciæ gubernatum, & ob hoc credebant illud consilio & auxilio destitutum.

Anno MCCXVII. XI. cal. Martii, scilicet die Sabbati, venit Turonis rex Franciæ Ludovicus cum Blanca matre sua & infinito armatorum exercitu. In crastino autem apud Cainonem profectus, & deinde apud Lodunium cum Britanniæ & Marchiæ comitibus, eorumque fautoribus, apud Charretam Curcaii fere per XX. dies intervenientibus nuntiis renuit parlamentum. Theobaldus enim comes Campaniæ & Henricus Barrensis comes, qui contra regem conspiraverant, & in conductu regis ad parlamentum venerunt, ibique cum Richardo fratre regis Angliæ, & aliis ejusdem regni nunciis, baronibusque Pictaviæ multa nefanda & acerba consilia contra regem Franciæ tractaverunt. Sed Do-

minus cujuslibet eorum mentem ita mutavit, & divisit ab alio, quod singuli pro se, aliis inconsultis, infecto negotio, desolati apud Thoartium remanserunt.

Interea Richardus frater regis Angliæ, & Savaricus de Malo-leone, qui diu expectaverant, comitem Campaniæ & comitem Barrensem, qui extra muros Thoartii morabantur, capere tentaverunt, sed compertis eorum insidiis, clam a Thoartio fugientes, se in omnibus homagiis regi Franciæ submiserunt. Quo facto, rex Vindocinum rediit, munitioneſque muniens, ad defensionem terræ ducentos milites reliquit. Dumque sic rex rediret, Britanniæ & Marchiæ comites videntes quod universi & singuli eos unanimiter dereliquerant, loquebantur labiis & movebant caput, in conductu regis XVII. calendas Aprilis Vindocinum pervenerunt, ibique coram legato factis homagiis, in hunc modū pacis devenerunt: Rex Franciæ Ludovicus Johannem fratrem suum puerum octennem Yolendi filiæ Petri comitis Britanniæ despondandum promisit, eique Andegaviæ comitatum concessit, dictoque comiti Britanniæ urbem Andegavensem, Bougeium & Bellum-fortem & Cenomanicum post mortem reginæ Berengariæ cum pertinentiis, exceptis homagiis, usque ad XII. annos prædicto puero dereliquit, & insuper S. Jacobum de Bevronio & Lapidariam, & Belisma castrum cum eorum appendiciis eidem comiti & hæredibus suis donavit in perpetuum & quittavit. Comiti vero Marchiæ dotalitium uxoris suæ reginæ quondam Angliæ, necnon & pactiones regis Franciæ Ludovici patris sui, remittenti penitus & quietanti, infinitam pecuniam erogavit, & sic eos schismaticos, pœna remissa, recepit in gratiam & absolvit. Quo facto, rex puer nuncios cum Richardo fratre regis Angliæ & Savarico de Malo-leone usque ad festum sancti Johannis, & cum Hugone Thoartii vicecomite, usque ad quindenam ejusdem festi, treugam, datis hinc inde sacramentis, firmavit, & post in Franciam remeans, milites, quos ad tuendam terram reliquerat, revocavit.

BREVIS HISTORIA
TURONENSIS S. JULIANI MONASTERII.

Ex mſ. ejuſdem monaſterii.

TIberio successore Justiniani Romani imperii monarchiam tenente; Francorum quoque regnum gubernantibus Chilperico, Guntranno atque Sigeberto filiis Clotharii, quem genuit Clodoveus primus in Francorum regibus Christianissimus, præsulatum Turonicæ urbis Gregorius est indeptus. Hic primus S. Juliani reliquias Turonus advexit, easque in monasterium, quod monachi antiquitus, ut a nostris majoribus audivimus, & in archivis ecclesiæ nostræ annotatum reperimus, ex Arvernico pago illuc gratia fundandi cœnobii venientes, in honorem sui constituxerant patroni, devotissime locavit: Quod non noviter fundatum, nec a se dedicatum tunc temporis præfatus præsul scribit; sed solummodo peculiaris sui patroni ipsam ædem nobilitasse exuviis. Duæ si quidem ecclesiæ, ut in antiquissimis Turonicæ ecclesiæ invenimus polegiis, longe ante Gregorii præsulatum fabricatæ fuerant: una in honorem matris Domini, altera in veneratione S. Juliani: quæ in monastica religione usque ad tempora suæ destructionis nobiliter floruit. Tertia vero post obitum Gregorii constructa est in memoriam S. Albini: fundatores cujus eam suis patrimoniis & alodiis dotaverunt; quæ cum omnibus rebus sibi pertinentibus in dominium postmodum devenit S. Juliani. Est ibi vinea quæ vocatur ad clausum sancti Albini. Ligeris quoque fluvius ante ipsam vineam & ecclesiam diffluens usque ad alteram ripam per transversum de ipso alodo est; viridarii etiam ecclesiæ S. Juliani cum terra culta & inculta contermina suburbio civitatis. Liger æque fluvius cum insulis, quæ partim habentur in dominio, partim tenentur ab aliis, per transversum pontem versus cum terra alterius ripæ de monasterio S. Juliani est. Burgus quoque qui vocatur Burgus-novus, S. Saturnini metas capiens, cum burgo S. Petri, cum medietate Ligeris, partim de patrimonio Theotolonis episcopi, partim est de alodo ecclesiæ S. Albini. Vinea de Junolio cum pratis & cum terra usque in medio Caris fluminis, cum calceata quarta ante portum, omnia hæc de prædicta ecclesia sunt. De terris atque aliis altaribus ecclesiæ S. Juliani, cum ad id pervenero, quæ & quanta sint, & quibus locis sitæ, prout verius valuero, enarrabo. Verum de ejusdem loci desolatione,

deinde de illius reſtauratione in meliorem ſtatum prius eſt dicendum.

Optimis, ut credimus, regibus ad cœleſtia tranſlatis, Dagoberto, Pipino, Carolo-Magno & Hludovico auguſtis, quatuor filii hujus Hludovici, cupidine regni illecti, apud Fontanidum campum atrociter, obliti fraternæ germanitatis, inter ſe dimicarunt, ubi Franciæ, Aquitaniæ, Burgundiæ atque Britanniæ omnes pene milites mutuis ſe concidérunt vulneribus; barbarica e veſtigio irruptio Danorum, Suevorum, quos omnes Norhmannos, id eſt Aquilonares homines vocamus, ſubſecuta, univerſas prope Galliæ regiones, cum ſuis accolis, præcipue utraſque ripas Ligeris & Sequanæ ambientes, depopulata eſt, atque incendio tradidit. Tres ſiquidem irruptiones a tribus Satrapis Norhmannorum factæ referuntur: prima ab Haſtingo, ſecunda ab Haroldo, tertia a Rolo, cui poſtea Northmannia in ſortem venit. His irruptionibus Nannetis vaſtatur, Andegavis crematur, Aurelianis ſubvertitur, Turonus obſidetur: quæ, Deo protegente, meritiſque beati Martini ab hoſtili pervaſione liberatur. Jam clerici beati Martini formidantes ſancti præſulis monaſterium everſum iri, reliquaque omnia ædificia peſſumdari, corpus ejus introduxerunt intra mœnia urbis; barbara vero immanitas monaſterium ſancti præſulis exurit, eccleſiam quoque S. Juliani a fundamentis eruit, reliquaſque eccleſias incendit, clerici fugantur, monachi hac illacque diſperguntur, corpus B. Martini Autiſſiodoro a ſuis cum maximo honore defertur. Verum ubi glorioſus rex Carolus, Hludovici imperatoris filius, cognomento Calvus, exheredatis perfidis fratribus, ſolus regnum Francorum obtinuit, Deo largiente, viribus reſumtis, paganamque gentem, prohibita depopulatione ſui regni, in Norhmanniam ſecedere compulit, metaſque ei, Arvam ſcilicet fluvium, conceſſit, ad gratiamque baptiſmatis evocavit. Poſt multa annorum curricula corpus B. Martini ad propria remeavit, cujus clerici optimateſque eccleſiam reædificaverunt, & ne leviter amplius opprimerentur, muro cinxerunt.

Monaſterium autem S. Juliani uſque ad tempora pontificis Theotolonis vacuum monachali officio manſit. Hujus enim eccleſiæ rebus amiſſis, & ab extraneis pervaſis, qui cor ad reſtaurationem illius apponeret, nemo extitit. Hic itaque vir Theotolo alto ſanguine cretus, B. Martini decanus, ob meritum probitatis atque prudentiæ ad culmen pontificalis dignitatis cum aſſenſu clericorum, tum favore laicorum rapitur, ac ſacris altaribus ſiſtitur. Anno igitur Incarnati Verbi DCCCXXXVII. ſuæ autem ordinationis II. poſthabitis aliis curis, monaſterium ſancti Juliani reædificare decrevit, quod devotiſſime, Deo adjuvante, complevit.

Expleto autem hoc opere, officiniſque monachis aptis perfectis, præfatam eccleſiam in honorem Dei genitricis ſanctique Juliani propriis manibus dedicavit XVI. calendas Septembris anno DCCCCXLIII. regnante Ludovico rege anno VIII. Et ut ampli cordis munificentia tantæ devotioni adjungeretur, eo die ſui patrimonii ſuæ quoque ſororis Gerſindis, ipſa gaudenter hortante, omnes poſſeſſiones S. Juliano munificus doctor obtulit. O quam pulchra res! quam memoriæ digna, ut filius hereditatem matri conferret in die ſuæ deſponſationis! Quid autem & qualiter dederit, ipſe qui dedit melius enarrabit:

Ego THEOTOLO *in die dedicationis eccleſiæ S. Juliani, ego & ſoror mea* GERSENDIS, *res noſtras, quæ nobis ex jure hereditario obvenerunt, vel quas ego alicubi legaliter acquiſivi, eidem cœnobio vel monachis cum incolentibus in perpetuum tradimus poſſidendas: vineam quæ dicitur Palſictum in ejuſdem eccleſiæ vicinio ſitam, quam datis meis pretiis terram arabilem comparavi, III. quarterios, necnon & aripennum I. plus minus, quem concambievi ex poteſtate S. Martini, pertinentem de granica fratrum, pro quo dedi alodum, qui fuit quondam Unfrago & Gauzvino, quem comparavi de Herlanno S. Martini canonico, nepote eorum; quem etiam iterum commutavi & dedi alodum qui fuit quondam Miloni, & de Guinemanno diacono comparavi. Commutavi etiam quarterium unum plus minus in ipſo Palſicto de ſancti Martini theſauro, cum domno Gualterio theſaurario; pro quo dedit alodum qui fuit Adalranno ſacerdoti, quem comparavi de Guilleberto. Dono quoque pratum aripennum VII. quod dicitur ad Eſtappum, qui ſunt juxta pratum Deodato, qui fuerunt quondam Milonis & Bernonis, quos comparavi de Guinemanno, & non longe ab ipſo loco II. aripennes ex proprio alodo, qui fuerunt quondam Andraldi fidelis noſtri. Trans Ligerim vero in villa quæ dicitur Cerſilla, eccleſiam S. Petri cum ceteris ad ipſam pertinentibus, Alnetum videlicet Banlilium, & in villa Cancellis, quod viſi ſumus habere, & villam Kerutionem cum eccleſia in Oximenſi villa, quæ vocatur Mons Edralis, capellas duas cum molendinis ac ceteris appenditiis ad ipſos pertinentibus: & item Sauriacum & Malvallum & Montem-Dadonis, & cetera quæ ex ſucceſſione avunculorum noſtrorum Hieronymi, Sigeberti, necnon Otgerii atque Rambaldi nobis obvenerunt. Hæc igitur omnia, quæ vel in mancipiis vel in terris cultis & incultis inquiſita ſunt vel inquirenda, ad prædictum locum tradimus, ut inde monachi quidquid eis vel ſucceſſoribus eorum utile fuerit, faciendi liberam habeant poteſtatem.*

Gerſendis ſoror ejus nobiliter ſubſcripſit. Teſtes Neſingus decanus, Guntelmus, Arbertus præcentor, Herlannus ypodiaconus.

Data menſe Aprili in civitate Turonus anno

DCCCCXLIII. *regnante Ludovico rege anno* VIII.

A primordio igitur ædificationis nobilium tam clericorum quam laïcorum personæ cœperunt undecumque confluere, se suaque Deo cupientes dare.

His ita peractis, præfatus præsul coadunatis fratribus abbatiam perficere cupiens, Odonem abbatem, Cluniaci cœnobii fundatorem, qui tunc apud S. Benedictum morabatur, advocat. Nec mora ille jussis obsequitur sodalis amici, ac regimen suscipit sancti Juliani cœnobii. De hujus gloriosa vita plura scribere possemus, si non ad alia festinarem; vitam namque ejus refertam virtutibus quidam Johannes incondito stylo composuit ipsius monachus, de qua dicere modo supersedeo. De obitu vero ejus, quia, Deo disponente, in nostro monasterio contigit, eloquar paucis.

Postquam reverentissimus vir Odo multa monasteria construxerat, plurima correxerat, multos mundi ludicra spernere docuerat, ac utilia ecclesiæ scripserat, hymnos & antiphonas in beati Martini laudem compte composuerat, jam silicernius, jam longæ ætatis senio fessus, tamquam præscius suæ vocationis: (optaverat enim sarcina deposita carnis glebam sui corporis juxta corpus peculiaris sui patroni, domni scilicet Martini, si posset fieri, tumulari,) ad proprium cœnobium Turonis redire disposuit. Præ ceteris enim monasteriis ob vicinitatem supradicti confessoris, meritisque sanctissimi Juliani, locum ipsum diligebat, dum illic demoraretur, gregem monachorum qui jam quadragenarium excesserat numerum, quem verbis atque exemplis coadunaverat, quemque in longa pace rexerat, de die in diem ad æthrea regna scandere ammonebat. Ipse vero, ut sibi moris erat, jejuniis, vigiliis, continuisque orationibus intentus erat. Interea adveniente beati solemnitate Martini, venerabilis pater cum suis monachis ad matutinorum solemnia processit. Constituerant enim ipse vir Dei Theotoloque pontifex, ut monachi sancti Juliani per singulos annos in festivitate de transitu confessoris multo ante lucem surgentes, matutinale officium peragerent ante corpus B. Martini (*a*) ob amorem sancti præsulis. In quo suo more cum Deo laudem cum ceteris exhiberet, frigdorem permolestum per imbecillia membra sensit irrepere, ac post paululum per nervos artusque calorem quam maximum subire, sicque nunc algorem, nunc calorem pati, ut visinochis febribus solet fieri. Decursis itaque matutinis, ad monasterium rediit, & juxta ecclesiam B. Albini in quodam suo peribolo membra languida locavit. Et ut se ostenderet numquam a beati cessasse laude Martini, versus in ejus honore composuit, quorum initium est: Martini *renitet en speciosa dies.* (*b*) Sicque unoquoque die unum versum dictavit, octavo vero die duos ultimos composuit: *Theotoloni servi ceteriſque tuis miserere, ô Martine.* Et hos ita finivit.

Audiens autem beatus archipræsul hac corporali molestia eum prægravari, cum magno angore animi ad eum properavit. Cumque coram eo resideret, lacrymæque magni indices doloris ejus genas irrorarent, ait ad eum venerabilis pater: « O antistes cunctorum reverentissime mortalium, desine flere, « quia procul dubio in æthereis sedibus post « obitum carnis locantur, qui in hac ærumnosa peregrinatione Christo devote famulantur. Mors mihi quando datur, requies « non pœna paratur: & quia natura mihi fecit « adesse finem vitæ, suscipienda est Dei sententia sine ulla contradictione. » Cui respondit heros: Non modo, mi pater, meam lugeo desolationem, verum multorum maximeque ecclesiæ mihi commissæ communem « destitutionem. Nam variis hujus mundi negotiis præpediti, in te uno respirabamus, « tuis optimis consiliis fruebamur. » Ad quem « vir Dei: Desine, inquit, pater, desine flere, « quia potens est Deus post defunctionem nostri « multo valentiores nobis suis præficere ecclesiis. Nos nihil aliud nisi pulvis atque umbra « sumus. Vale, pater beatissime, Odonisque « tui semper sis memor supplex deposco. His « mutuis allocutionibus finitis, benedictioneque super eum data, sacer ad urbem rediit (*c*) antistes. Octavo igitur incommodi die sentiens sibi horam imminere extremam, circum adstantibus cunctis fratribus, viatico Corporis & Sanguinis Domini se fideliter munire curavit. Dein in ecclesiam S. Albini (*b*) quæ proxima erat se deferri jussit, luminibusque piis ac manibus in cœlum intentis, Christo quem fidelis portitor semper in pectore bajulavit, semper in ore habuit, animam reddidit: qui obiit XIV. calendas Decembris senex & plenus dierum. Sepultus est autem a sæpedicto pontifice in crypta S. Juliani subtus altare ipsius martyris ad dextram partem cum magno triumpho, maximisque concentibus clericorum atque monachorum. In quo loco postea sæpefatus antistes suum corpus sepeliri jussit, postquam Turonicæ ecclesiæ præfuit annis XIII. mensibus IV. diebus XII. fuitque intervallum XI. mensibus. Cui successit Joseph; qui præfuit annis XI. mensibus II. diebus XII. Quem Froterius sequutus est annis III. Hardoinus post eum

[*a*] [*b*] [*c*] [*d*]

(*a*) Hactenus fratres nostri S. Juliani die festo S. Martini pergunt ad ejus basilicam, media nocte vigilias seu matutinale officium ibidem celebraturi.

(*b*) Hunc hymnum ex Gemmeticensi codice descriptum Mabillonio communicavi edendum in Annalibus Benedictinis, tom. 5.

(*c*) Extabat proinde tunc extra urbem Turonensem monasterium S. Juliani, quod hodie media in civitate situm est.

(*d*) Destructa nunc est illa ecclesia, cujus ne vestigium quidem apparet. Videtur fuisse infirmorum oratorium, juxta antiquam ordinis S. Benedicti consuetudinem.

præſidet annis XIX. menſibus XI. diebus IX. Hugo annis XVIII. menſibus V. diebus IX. Ante Hugonem ſedit Archambaldus annis XX. menſibus XI. diebus IX. Arnulfus epiſcopus ſedit annos XXXI. menſes VIII. dies XIX. Huic ſucceſſit Bartholomæus.

Odo vir Dei ubi e terris ad cœlos migravit, vir venerabilis Georgius S. Juliani monachus in locum ejus ſubſtituitur. Hujus temporibus Hugo Magnus dux Francorum conceſſit S. Juliano per deprecationem Rotberti ſui vaſalli eccleſiam de Cancellis perpetualiter ad habendum. Conceſſit etiam per deprecationem Girardi clerici eidem ſancto, & per aſſenſum Adelelmi ſui vaſalli portum de Cohordone cum omnibus rebus eis pertinentibus, regnante Lothario rege.

Defuncto Georgio, Ingenaldus ſucceſſit. Hic dum a Roma reverteretur de monaſterio S. Pauli, cujus rector erat, inter Apenninas [a] Alpes a Sarracenis interemtus eſt. (a) Quo mortuo, Bernardus regimen ſuſcepit loci. Hic turrim maximam ante portam monaſterii S. Juliani a fundamentis conſtruxit. Quo defuncto, Ebrardus vir totius religionis ſucceſſit. Hic reliquias S. Juliani, de capite ſcilicet ipſius, Turonus a Brivate advexit, auxiliantibus eis Pontio comite & Blanchia uxore ejus: quæ hactenus in capſa aurea ſervantur ſuper altare ejuſdem ſancti.

Anno DCCCCLXXXIV. ab Incarnatione Domini circa hoc tempus Landegavis caſtrum a Fulcone comite conſtruitur, civitas Turonis ab eodem obſidetur & capitur; ſed non multo poſt a Berta regina matre Odonis recipitur.

Poſt Ebrardum præfuit monaſterio ſancti Juliani Gauzbertus I. ejuſdem cœnobii monachus. Iſte plures abbatias rexit, aliquantas a fundamentis conſtruxit cum abbatia ſancti Juliani, & cum adjutoriis monachorum. Hic tenuit abbatiam Majoris-monaſterii ſatis tunc pauperculam. Hic fundavit monaſterium S. Petri Burgulienſis, ſancti Petri Malliacenſis, [b] ſancti quoque Petri (b) Cenomanenſis. Hic omnem ſuam operam foris exhibuit, loco S. Juliani parum profuit: teſtes ſunt libri, ornamenta, & alia utenſilia a monaſterio præfati ſancti ſublata, & novellis monaſteriis locata. Hic cum equivoco ſuo Gauzberto juniore Romam adiit, de omnibus rebus S. Juliani privilegium a Girberto papa, qui Silveſter dictus eſt, firmare fecit, quod hac- [c] tenus in archivis noſtræ eccleſiæ de papyro (c) factum ſervatur.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVI. Roberto rege regnante, anno L. Gauzberto abbate abbatiam S. Juliani tenente, Archambaldus Turonorum pontifex omnia altaria S. Juliani, quæ per totam ſuam diœceſim erant, libera & immunia atque quieta ab omni ſervitio Turonicæ matri eccleſiæ debito fecit, atque omnes conſuetudines ipſarum eccleſiarum per aſſenſum Boſonis Froterii ac aliorum archidiaconorum omniumque canonicorum S. Juliano perpetualiter dedit.

Anno DCCCCLXXXIV. monaſterium B. Martini ſatis ſpectabile igni crematum eſt. Pro quo Herveus theſaurarius ſancti præſulis jecit fundamenta hujus monaſterii, quod hodieque ſupereſt, jacuitque corpus ſancti præ- B ſulis in eccleſia lignea quæ fuit in clauſtro ejuſdem XX. annis. Anno vero Dominicæ Incarnationis MXIV. dedicatum eſt hoc monaſterium Turonus ab Hugone archiepiſcopo.

Defuncto Gauzberto abbate, alter Gauzbertus ei ſucceſſit . . . . . Hic peritus litterarum ſatis fuit, philoſophiæ ſtudiis adornatus. Hoc tempore viri clariſſimi valdeque ſapientes fuere, Fulbertus Carnotenſium, Sasqualo abbas S. Launomari, Rainaldus Turonicus, & alii quamplurimi. Iſte vir valde ſuæ eccleſiæ, ſancti ſcilicet Juliani, proficuus fuit. Teſtantur ejus vigilantiſſimum ſtudium optimi libri ab eo conſcripti, ornamenta C quoque eccleſiæ pretioſa ab eo comparata, capſæ aureæ, philacteria, tabulæ altarium ab eo fabricatæ, pueri ab eo nutriti, nepotes præcipue ejus, Hugo, Ebrardus, Giraldus, & alii quos enumerare longum eſt Hic eccleſiam in honore ſanctæ Trinitatis ante S. Juliani monaſterium conſtruxit. Hic reliquias ſanctorum multorum antea ignotas in quadam capſa vetuſtiſſima cum caliga Domini, ut ibi ſcriptum demonſtrabatur, repperit. Ipſe monaſterium S. Petri Prulliacenſis emit, & præceptum exinde regi Rotberto firmare fecit; ſed malignitate archiepiſcopi poſt obitum viri Dei Gauzberti a dominio D S. Juliani ablatum eſt. Hujus temporibus, id eſt anno Dominicæ Incarnationis MXIX. bellum Ponleviatis geſtum eſt.

Anno Incarnati Verbi MXXII. Herveus (a) [d] theſaurarius S. Martini vir valde ſanctiſſimus obiit. Hujus vitam virtutibus plenam memoriæ poſterorum tradidiſſem, ſi verum relatorem reperiſſem. Hunc proxime ſequutus eſt archiepiſcopus Hugo morte corporis. Huic Arnulfus ſubſtituitur; reliqua opera E Gauzberti abbatis & bona ejus ſtudia enarrabo, cum res ejuſdem eccleſiæ deſcripſero. Poſtquam annis X. & VIII. præfuit, ad cœleſtia migravit anno MXXV. regnante Roberto rege . . . . . .

Poſt mortem Gauzberti variis eventibus contigit locum S. Juliani peſſumdari, totaque ſe imarmene * infeſta nimis oppoſuit. Nam * Vox corrupta.

(a) Nullus hic locus Frotario, quem Sammarthani ex abbate S. Juliani faciunt archiepiſcopum Turonenſem.

[b] Vulgo de Cultura dictum.

(c) Id eſt ex cortice, cujuſmodi viſuntur hactenus in aliis etiam monaſteriis aliquot ejuſdem Silveſtri bullæ.

(a) Ejus vitam ex antiquo codice Trecenſis Oratorii deſcriptam edidimus in tomo 3. Analectorum.

Arnulfus archiepiſcopus abſque voluntate A monachorum, patrem ſuum ALBERTUM illi loco præpoſuit. Quo poſt triennium ejecto, abbati FREDERICO monaſterium commendavit. RICHERO etiam tunc viro probo & induſtrio prioratum commiſit, qui poſtea eidem loco optime præfuit.

Frederico itaque, qui duobus annis; EVRARDOque, qui uno cœnobio S. Juliani præ-
[a] fuerunt abraſis, RICHERIUS (*b*) præficitur, de quo ſupra locuti ſumus.

Anno Domini MXXXII. menſe Decembri hoc anno qui eſt Rotbertus rex moritur annis XXXVII. potitus imperium Francorum. B Huic ſucceſſit filius Hainricus.

Anno MXXXVII. Odo comes obiit.

Anno MXL. Fulco comes obiit.

Sub regimine Richerii viſa eſt aliquantulum reſpirare abbatia S. Juliani. Anno MXL. RICHERIUS abbas monaſterium novum a fundamentis inchoavit, quod vetuſtate nimia confectum cadebat. Hic terram cum eccleſia de Dedra de Teſcelino Petuerienſi per voluntatem ISEMBARDI Aurelianorum pontificis omniumque canonicorum, de cujus beneficio erat, emit centum libras denariorum & L. libras auri ad uſus monachorum ſancti Juliani. Quæ circa tempora ejus loco ſancti Juliani provenerunt, cum ad id tempus ventum, fuerit plenius dicentur.

(*b*) De hoc Richerio hæc lego in pervetuſto fragmento hiſtorico ante annos 600. exarato, & inter Mabillonii ſchedas reperto: *Contra tot incommoda taliumque cetera prudentiſſimo conſilio prudens congregatio, de quo ſupra, egregium elegit* RICHERIUM, *cujus probitate mira, mira & prudentia opus erat per omnia ad reſtauranda omnia: qui datus Bleſis & noſtra gubernator abbatiæ, utramque ut decuit viriliter tenuit; ſed quo magis eguit, noſtræ magis ſtuduit pro . . . . . & profuit. Vir iſte, ut fertur, Britanniæ indigena fuit, qui poſt litterarum ſtudia in Galliæ, ſanctæ Mariæ pauperculæ presbyter extitit. Ubi cum plurima probitate floreret, beati Martini canonicus eſſe voluit, nec valuit, decano prohibente. Prohibenti tamen fertur reſpondiſſe, ut aiunt, ſpiritu prophetiæ, & canonicum futurum, & vellet nollet ſeſſurum. Quid multa? Contigit, ut prædixit, Majoris-monaſterii monachus effectus ex presbytero, Bleſis & noſter abbas ex monacho. Futurum hoc ita dudum præſignavit, cum de capitulo in abbatis ſtallo novitius ſedit. Qui interrogatus cur hoc præſumſerit, quod decano dixerat abbati vetuit. Riſum movit omnibus res relata, miramque admirationem rei eventus poſtea* [*probavit.*] *Sedit enim, ut prædixit, in decani ſede Bleſis & noſtræ abbas abbatiæ. Sed Bleſis abbatiam, comite inquietante, deſeruit. & ad noſtræ reſtaurationem totus totum ſe contulit. Ad quam poſtea, ſed coactus rediit, deſtructam enim a comite & comitis abbate reperit. Tenuit itaque & rexit utramque, utramque, ut decuit, viriliter tenuit. Hæc & alia hujuſmodi.*

HISTORIA
MONASTERII S. FLORENTII
SALMURIENSIS.

Ex manuſcripto ejuſdem monaſterii.

OBSERVATIO PRÆVIA.

HANC monaſterii Salmurienſis S. Florentii hiſtoriam, non unus, ſed plures ſcripſerunt auctores, incœptum ab alio opus continuantes, atque ea quæ ſuis temporibus contigerant ſingularia litteris commendantes. Id arguit non modo ſtili, ſed codicis etiam manuſcripti, unde eam eruimus, diverſitas caracteris. Et certe quatuor ejus ſcriptores deprehendiſſe mihi videor: unum qui Glonnenſis monaſterii everſionem & corporis S. Florentii in Trenorchienſe cœnobium in Burgundia diœceſis Cabilonenſis tranſlationem; alterum qui Salmurienſis monaſterii fundationem geſtaque abbatum uſque ad Guillelmum I. proſecutus eſt. Nam cum in tranſlatione corporis S. Florentii, Trenorchienſe cœnobium, quod perperam Tornacenſe appellat, ſitum eſſe in Burgundia aſſerat, in decurſu vero hiſtoriæ poſitum in Arvennia, patet hæc non ab eodem fuiſſe relata ſcriptore, in quem tam craſſus error incidere nequiviſſet; ſed ſaltem a duobus, quorum poſterior Tornacum ſive Trenorchium, ut rectius loquamur, Burgundiæ, cum Turnone Arvernæ oppido confundit. Tertius auctor geſta Guillelmi I. abbatis & ea quæ ſequuntur, uſque ad electionem Michaëlis abbatis conſcripſit, nec alius plane quam ipſe Michaël agnoſcendus eſt, qui ut ibi dicitur: Quæ vidit ſcripſit & teſtimonium perhibuit veritati. *Quæ vero de Michaële & de ſubſequentibus narrantur abbatibus quartum agnoſcunt auctorem.*

Hinc colliges quanto hæc hiſtoria habenda ſit in pretio, quam quatuor ſaltem, omnes fere coætanei, conſcripſerunt auctores, ea quæ viderant aut ab oculatis teſtibus acceperant enarrantes. Et certe quamvis primus in aliquibus forte ceſpitaverit, quæ ab aliis referuntur; præſertim de Geſtis abbatum, de quorumdam monaſteriorum fundatione, & de bellis conſulum Andegavenſium ſatis æſtimari nequeunt, nec ſine fructu ab eruditis viris legentur. Hanc hiſtoriam ſequetur breve monaſterii ejuſdem Chronicon, ex quo nova lux hiſtoriæ affulgere poterit.

INCIPIT

INCIPIT PROLOGUS de eversione Glonnensis monasterii.

1. Licet omnipotentis Dei judicia usque adeo profunda sint, ut abyssus multa per propheram esse dicantur: illud tamen videtur nobis non absonum a vero nec abhorrens, quia sanctorum corpora quotiens transferuntur, ideo fieri certissime creditur, ut Dei & domini sui cui vixerunt in mundo, & cum quo vivunt in regno, per eos latius nomen laudetur & innotescat. Hinc procul dubio hoc alludit sermoni, quod multa proinde fiunt miracula, multæ construuntur ecclesiæ: numquid enim a vestræ mentis elapsum est memoria, quam multi in translatione protomartyris a diversis curati sunt incommodis? Sed me fortasse redarguendum existimabitis, quod in commune sanctorum exemplum unum ex majoribus produxerim. Quibus non imparatus respondeo, quia licet plurimis major habeatur Stephanus; mirabilis tamen, teste propheta, Deus habetur in omnibus. Veniamus igitur divina propitiante gratia ad ordinem nostræ narrationis & B. Florentii corpus qualiter quibusve de causis translatum fuerit, quantis ipsius translatio eluceścat miraculis, sub brevitatis cingulo perstringamus.

2. Temporibus igitur CAROLI CALVI regis præcellentissimi, cum idem esset juvenis princeps ordinatus a patre suo, LUDOVICO scilicet imperatore Aquitaniæ atque Neustriæ aliorumque regnorum, & cum sub manu ipsius eadem regna florerent, subborto turbine longæ concertationis a LOTHARIO imperatore Romano & a Saxonico rege LUDOVICO jam dicti fratribus principis; post interfectiones plurimorum, vastationesque terrarum, hi tres duces convenerunt in prælium apud pagum Fontanicum, aut longe a palatio Aquisgrani. Patrata siquidem hominum cæde lamentabili, tandem CAROLUS Deo propitiante, licet cum magno suorum discrimine, belli triumphum obtinuit, fratremque suum Lotharium turpiter effugavit. Quapropter tellus suis mundata cultoribus præda patuit gentibus alienis. Dani namque atque Suevi gens videlicet Aquilonalis, istius rei rumore captato, cum maximo navium apparatu littori appulerunt Neustriæ. Impletumque est vaticinium Jeremiæ, quod *ab Aquilone panditur omne malum* habitatoribus terræ. Recepti siquidem tuta statione terrarum, mercimonii speciem præferentes, primo sui adventus conamine urbem Namneticam, tunc nobilitate sublimem, sunt aggressi: quam vacantem hominibus vacuamque reperiunt, quoniam dies festivus Natalis B. Johannis Baptistæ cunctum ad matrem ecclesiam populum invitaverat: in sinistro cujus absíde Go-

A HARDUS super aram B. Ferreoli divina celebrabat. Perscrutantes igitur advenæ quonam essent præfatæ civitatis accolæ, eos comperiunt ad prælibatam ecclesiam convenisse, in quam barbarico furore citius irruentes, hac illacque gladio debaccantes, inermem cum episcopo populum cæde miserabili mactaverunt. Depopulata itaque pro libitu civitate Namnetica, flammarumque incendiis penitus adnullata, circumjacentem regionem undequaque ferro pariter & igne vastaverunt. Erectis deinceps carbasis, ad alia climata Neustriæ aquatico cursu transvolantes, B universos fines maritimos inter Ligerim & Sequanam constitutos pessumdare decreverunt; & quamvis illustrissimus rex CAROLUS eis multotiens restiterit, stragesque de eis non minimas dederit, & quemdam pontem pro ipsis arcendis super Ligerim construxerit; eos tamen prorsus e terra delere nullatenus valuit. Ipse enim post mortem Lotharii in Romanum imperatorem assumtus, tam infinitis curis detinebatur, ut in Neustria seu Aquitania mansionem sedulam habere non posset. Nonnullo igitur annorum curriculo elapso, C dum vice quadam in Gallia properando, Romana urbe solito remearet, magno cum luctu suorum apud Ticinum veneficiis pessimorum defungitur. Cujus obitu gens effera comperto, multiplicato suorum exercitu, quam aliquantulum omiserant, fiducialius invadunt provinciam. Sed quæ lingua sufficeret ad narrandum tot direptiones urbium, tot incensiones oppidorum, tot deprædationes terrarum, tot strages hominum, tot delubria non solum virginum, sed etiam matronarum. Heu, heu, me pudet referre plurima, quæ sub illa tempestate in Christi contigerunt ecclesia. Hæc autem sunt divina ju- D dicia, quæ quamvis mortalibus sint occulta, numquam tamen in Dei providentia sunt injusta. Quid deinceps de cœnobiis olim admirandis tam monachorum, quam canonicorum, quam sanctimonialium desolatis & solotenus adæquatis referendum? Verum inter cætera tantæ persecutionis discrimina, nobile quoddam cœnobium Mons Glonna antiquitus nuncupatum, miræ congregationis & pulchræ dilectionis fomentum, forma religionis, & totius honestatis exemplum, barbarica rabie lamentabili desolatione legitur attritum. Est autem locus iste in extre- De Glonensi
E mis Aquitaniæ partibus, non longiuscule Li- S. Florentii monasterio.
geris a ripa sepositus: quo in loco beatissimus Dei confessor Florentius diuturno tempore Deo deserviens, felicem vitam feliciore fine consummans, felicissimus migravit ad Christum: cujus nectarea diu sunt ibidem implorata suffragia, ac celebriter honorata solemnia, quoadusque gens improba dispersit, ut diximus, oves Christi & pariter ovilia. De situ autem & constructione loci hujus nobis fuerat dicendum, si facultas ingenii vel

rerum memoria ſuppeditaret ad ſcribendum. Fertur quippe iſtud cœnobium a CAROLO-MAGNO imperatore columnis marmoricis olim nobili ſtructura fabricatum, prædiis innumeris, pluribuſque donariis nobilitatum, non minus etiam a LUDOVICO prole ipſius cognomento Pio poſſeſſionibus egregiis inſignitum, a CAROLO quoque Calvo inter eximia dona quibus prætactum nobilitavit cœnobium, cum univerſa regali exactione conſuetudinum ab omni ſynodali cenſu ſuis cum eccleſiis legimus abſolutum. Quod ſi de ſancti virtutibus & laudum præconiis notitiam quis habere deſiderat, libellum quo mirabilis ipſius vita conſtituitur, diligenti lectione percurrat. Illic enim reperiet qualiter Deo acceptus extiterit, quantis miraculorum virtutibus floruerit. Mortuum namque ſuſcitavit, leproſos mundavit, dæmoniacos curavit, arreptitios ſanavit, diverſaque languorum incommoda divinitus effugavit. Hæc de loco ſanctique virtutibus tacta ſufficiant. Nunc autem ſcribendi articulum deflectamus ad cetera.

Glonnenſes monachi cũ corpore S. Florentii fugiunt a facie Normannorum.

3. Igitur ſub memoratæ perſecutionis tempore Glonnenſe cœnobium multa rerum opulentia relucebat, copioſo etiam monachorum numero & merito copioſiori pollebat. Hi ſiquidem cœnobitæ clariſſimi audita tantæ devaſtationis procella, ingenti pavore percuſſi, fugam præparant, & fugæ neceſſaria, acceptoque almi patris Florentii theſauro corporis pretioſo, ſubito fugam arripiunt, egreſſique priſtinum religioſæ converſationis habitaculum, ſilenter apud advenas, exules ipſi magis & advenæ, commorandi veſtigant hoſpitium. Tunc mons Glonna, habitatio quondam monachorum florigera, barbaris in proximo vaſtantibus devaſtanda, cum mœrore & gemitu ineffabili relinquitur, tantuſque luctus a diſcedentibus committitur, quantus poſt incenſionem loci illius a Nemenoio Britone Deo odibili patratam fuiſſe non refertur. Quibus itaque fugientibus, S. Philiberti de Bolonnio monachi, haud longe a monte Glonna commanentes, obvio concurſu ſociantur, barbaricæ perſecutionis rabiem pari propoſito fugientes. Qui partes Burgundiæ pariter decreverunt expetere, ſimulque propoſuerunt quocumque Chriſtus eos direxerit commanere. Inclyti vero Florentii portitores toto itinere conſocios B. Philiberti monachos alimonia propria ſuſtentavere, & ubicumque ponebant metatum B. Florentii cortinis effigiebatur tentorium. Tandem una pervenere Tornacum, antiquum fundum S. Philiberti monachorum, ibique reverendiſſimi cœnobitæ S. Florentii benigniter a ſodalibus invitati, cum præfato ipſius ſancti theſauro, ornamentiſque inæſtimabilibus, hoſpitalitatis gratia multo tempore ſunt recepti. Toto igitur perſecutionis tempore B. Florentii fratribus ibidem in tuto commorantibus, tandem divinæ pietatis clementia reſpexit Franciam hoſtili gladio jam pene conſumtam. Triplex itaque perſecutio perſecutoribus barbaris divinitus irrogatur. Alios enim fames excruciat, alios ferrum trucidat, alios peſtis cœlitus immiſſa ſubita morte catervatim extinguit. Barbaris vero tum fame, tum ferro, tum peſte pereuntibus, partim tamen in patria refugientibus, pax rediit terris, in ſua rediere coloni. Tunc locum ſuum quiſque ſuperſtes adiit, quiſquis caſu patriæ plorabundus ingemuit, urbes videlicet dirutas, oppida vallibus adæquata, eccleſias olim divino cultu celebres annullatas, villas in ſolitudinem redactas. Quis enim enumerare valeat, quot & quanta tormentorum genera ſceleratiſſimus ille Normannorum exercitus, nec Deum timens, nec homines reveritus, in noſtrates exercuerat? Audito itaque deſideratæ pacis nomine, memorati fratres B. Florentii, qui tunc temporis erant ſuperſtites, non mediocri gaudio gratulantur, hoſpites adeunt, grates referunt devoti, ſupplicant tali precum affamine, devotius alloquuntur: Gratias humanitati veſtræ referimus, quia prout debuiſtis caritatem veſtram nobis expoſuiſtis exulibus: nunc vero ultimum vale vobis cum gratia referentes, repatriare diſponimus, lares noſtros, deſertoſque ceſpites reviſere, Deo favente, unanimiter deſideramus. Veſtram igitur fraternitatem propenſius exoramus, ut ſacrata pignora quæ caritati veſtræ commiſimus, theſaurum videlicet patris noſtri Florentii, veſtri gratia reportemus; quibus S. Philiberti monachi tale reddiderunt reſponſum: Primores & populus hujus regionis theſaurum quem petitis non concedunt: tanto ſe privari patrono regio Burgundiæ non admittit. Nos etiam tanto ditati munere jure ſocietatis & hoſpitalitatis, vobis eum alio non patimur tranſportare: proinde qui vult nobiſcum vita comitante manere, maneat; qui vero noluerit, quocumque placuerit diſcedat. Redite ergo ſi vultis in patriam, nobis enim ſanctiſſimam quam apportaſtis, non reportabitis ſarcinam. Sic illis pretioſum ſancti corpuſculum cum multiplicibus ornamentis violenter & amare retinentibus, monachi cum ingenti luctu hac illacque diſperſi ſunt.

Reverti expetuntibus reſtituitur S. Florentii corpus.

Trenorchiũ ſe recipiunt.

4. Habebat autem beatiſſimus Florentius ante ſui corporis fugam nutritum quemdam juvenem, ABSALON nomine, jam liberum cuſtodia. Hic divina diſpenſatione Cenomanum perrexerat, abbatis ſui tranſmiſſus licentia, parentes ſuos viſitandi gratia. Aliis ergo omnibus cum pretioſa corporis B. Florentii gleba imminente barbarorum rabie fugientibus, ſolus iſte Cenomanis remanſit cum parentibus. Hæc etenim civitas ab hoſtibus manſit intacta, ceteris circumquaque ruentibus tempeſtate Normannica. Erat au-

Salomon Glonnenſis monachus accedit Trenorchium.

tem Abſalon vir iſte religioſiſſimus, ordinis peritiſſimus, divinæ legis amantiſſimus, litteris plurimum eruditus, Deo placens & hominibus: cujus vitam religionis abſtinentia ſemper maceratam, exitus vitæ religioſior comprobavit. Hic cum audiſſet quid ſuis fratribus infortunii contigiſſet, eos videlicet Tornaco cum gemitu diſceſſiſſe, corpus patris Florentii ab illorum poteſtate in jus alienum tranſiiſſe, tantum ſe condolens amiſiſſe patronum, ſecum gemebundus conqueritur, gravi dolore concutitur, Dei miſericordiam corde ſupplici deprecatur, ut luctus ejus in gaudium convertatur. Nec defuit divina miſeratio precibus ſupplicantis. Tunc ille divinitus inſpiratus, dilationis impatiens, callem quæ Tornacum dirigit feſtinanter aggreditur. Quid plura? Haud longius inde perveniens, prudentis ſatis utens conſilio, claudum ſe fimulat, quaſi contractus ſe genibus pariter & manibus niſu reptili ſe repræſentat. Sub hac mendacii ſpecie Tornacum rependo pervenit, volens quaſi debilis apparere, ut liberæ mentis ſuæ deſiderium liberius valeat implere. Habitu religioſus, vultu placidus, moribus egregius, ſermone modeſtus, humilitate conſpicuus in eleemoſynam ſuſcipitur, abbatis ſe præſentiam deſiderare profitetur: ad abbatem deducitur, quis vocetur, unde & cur veniat requiritur. Se dici Abſalon confitens, unde fuerit reticens, aliunde ſe eſſe mentiens, eorum vitam religioſiſſimam ſui cauſam adventus fatetur, ſe velle cum eis mori pariter & vivere proteſtatur. Parent Tornacenſes, Abſalon fraterno cœtui ſociatur. qui cognitus in brevi pervigil in omnibus, in Dei ſervitio ſerventiſſimus, in jejunando ſtrenuus, in orationibus aſſiduus; placet omnibus, diligitur ab omnibus, plangitur ab omnibus, oratur ab omnibus, ut ei membrorum ſanitas condonetur. Mox ægritudinis cauſam requiſitus, ſe non naturaliter aſſerit ægrotare, ſed accidentaliter, jam grandiuſculum ægritudinem contraxiſſe. Illi tractant de recuperanda ſanitate, quam adhuc habens ſecum attulerat, iſte mollitur, ut fallat ac deſerat quod ſecum non attulerat. Nec multo poſt totius ordinis cura regimenque ſcholarum ad inſtruendos pueros ei committitur, poſtmodum cantoris officium totiuſque librorum armarii clavis concreditur, poſtremo ſecretarius efficitur: nec enim ipſum fallere poterat hora noctis ad ſurgendum certiſſima. Qui injuncto ſibi congaudens officio, devotius ſolito fratrum incumbit obſequio. Nam ut tutius fallat, amplius placere deſiderat.

Præficitur ſcholis & ſacriſtiæ.

5. Die quadam Absalon abbatem conveniens, ſibi memorat in viſu revelatum ſanitatis beneficium ſeſe plenius fore recepturum, ſanctorum corpora ſi videret, ſi tangeret, ſi frequens aſſiſteret, ſi jugiter cum eis orationibus inſudantibus inſudaret. Nec mora ſanctorum reliquiæ deferuntur in medium, conſpiciuntur, tanguntur, cominus aſſiſtitur, orationes multiplicantur, ſed miraculum nullum eſt proſecutum, quia nullum fuerat neceſſarium. Tunc Abſalon accepta pro voto licentia, clandeſtina ſagacitate perquirit, quonam modo deſiderium ſuum compleat, qualiter ad arcam vinclis ferreis circumſeptam pertingat, qua arte deſideratum theſaurum inde extorqueat; nec ad effectum deſiderium ſuum ante perduxit, donec ferras pro voluntate quidem acutas quodam unguento ne darent ſonitum delibutas præparavit. Diſſimulata capitis ſanitate, peram cervinam, veſtitum laicalem, equum velocem, baculum peregrinalem per fideles neceſſarios ſilenter & occulte quæſivit. Quadam itaque ſolemnitate celebri fratribus nimio dolore & labore prægravatis, potionibus nectareis & ſomno conſepultis, contractus noſter demum erigitur, foribus eccleſiæ repagula fortiter opponit, fortius obſeravit: mox arcam cum ferra velox aggreditur, vincula rumpit, arcam reſerat, ſcriniolum intus poſitum aperitur, de quo ſancti reliquias tam devote quæſitas devotius enucleat, & in pera cervina feliciter collocat. His ita peractis, voti compos, lætus efficitur, ſilenter egreditur, veſtem mutat, equum aſcendit, & ſub totius noctis ſilentio latro fidelis abſcedit. Poſtera lux tacitas ut primum reppulit umbras, caballum itinere fatigatum in latibulo quodam dimittit, & ut fortis teripes iter incœptum arripit. Interea ſat dicti monachi ſomno latius indulgebant, nam vini nimietas eorum mentes & oculos conſepultos habebat. Tandem lucente diluculo, ſubito expergefacti lumine, velocius ſurgunt ſpreto ſtramine; abbas vero feſtinus currit anterior, pulſat ad oſtium, obſeratum invenit, clamat ſemel & iterum, nullus aperit, nullus reddit reſponſum: quapropter oratorium circumiens, oſtium apertum reperit, fratres intus recipit, qui ſynaxim ob nocturnalem, eo ſignum pulſante, decantant matutinalem. Poſtmodum Abſalon quæritur, abeſſe deprehenditur, ſanctiſſimi confeſſoris Florentii ſcriniolum vacuum reperitur, furtim ſublatas eſſe reliquias invenitur. Statim capitulum pulſatur, fratres convocantur, quod contigit oſtenditur, clamor ingens exoritur, dolor cum lacrymis & ſingultibus geminatur, fit ſubitus populorum concurſus, cauſa doloris requiritur: qua cognita, mœror amplius augmentatur. Statim equites deſtinantur, per univerſum regnum diſcurritur, circumquaque ſecretarius quæritur, qui, volente Deo, nequaquam invenitur. Die tamen tertia tres ex quærentibus milites in quadam planitie quem quærebant iter agentem, quaſi de longinquo venientem & jam deprehendi metuentem conſpiciunt, ægrum pedibus, intonſum capite, propter ſimulatam ægritudinem, pro la-

S. Florentii reliquias furatur & fugit.

bore itineris ſe baculo ſubnitentem; ſed, volente Deo, quem conſpiciunt, non agnoſcunt. Accedentes itaque ſciſcitantur quis eſſet, unde veniret, quo tenderet, ſi contractum quemdam monachum per illud triduum equitantem vidiſſet. Quibus ille, fateor, inquit, me pridie monachum quemdam obvium habuiſſe, ſed ſi erectus contractuſve fuerit non quæſiiſſe. Quibus ille redeuntibus reſumta fortitudine, cœptum iter non deſtitit maturare. Poſt aliquot dies cum quoddam flumen aquis tumeſcentibus & ſuper alveum excreſcentibus tranſmeare diſponeret, hoſtilem exercitum ſubito reſpicit, perſequentes intelligit, ſe notatum a longe comperit, timore percuſſus talem ad Deum orationem, B. invocando Florentium, flexis ad Orientem genibus, effudit. Tu, inquit, pater Florenti, qui ab Eois partibus pro multorum ſalute divino ammonitu ad nos veniens flumen Rodanis lembo undique confracto tranſmeaſti, quique illuc energumenum ſanum reddidiſti, erue me famulum tuum huc tui amore ductum tuis precibus a manibus perſequentium. Itaque vexillo crucis præmiſſo, gurgitem tranſivit more apoſtolico, lympha vix ejus attingente genua. Quo viſo, inimici perſequentes monachum inviti omittentes, ſuas cum confuſione repetierunt regiones, eum ſequi ultra non audentes.

6. Præfatus vero monachus iter arripiens, Corbonis ad rupes devenit haud longe ſepoſitos ab urbe Turonica. Perſcrutanſque in circuitu diligenter omnia, quibus ſarcinam decenter deponeret, loca invenit oportuna. Deinde Ligeris tranſiens fluvium, qui Reſtis vocatur, pervenit ad locum: cujus antra avidius explorata Abſaloni minime videntur habilia. Ex hinc ergo digreſſus, viamque juxta Vigennam fluvium ſequutus, devenit tamdem ad quoddam prædium, ipſius ſancti liberalitate regia antiquitus poſſeſſionibus attributum; quod in parrochia S. Mariæ de Lentiniaco ſitum, barbaris cuncta vaſtantibus, coloniſque quaquaverſum fugientibus, in ſolitudinem redactum, inſtar eremi fuerat effectum. Habebat autem locus iſte ab Occidente caſtrum nomine Truncum, quod Chriſtiani tota perſecutione tutiſſimum ſibi fecerant latibulum, a boreali vero climate memoratum Vigennæ fluvium. Adveniens itaque novus hoſpes loca ſingula, ſedulus explorator indagat, ſi forte locum ſacri corporis congruum reperire valeat. Reperitur tandem rupes concava in montis latere verſus Aquilonem ſeceſſum præbens amœnum, quem licet humilem & indignum, pro loco tamen & tempore ſacris oſſibus collocandis judicavit accommodum. Huc ergo ea conferens, & cum qua potuit reverentia in abdito ſpeluncæ reponens, orationum & vigiliarum perſolvit officia, humano quamquam ſolatio deſtitutus, & in acquirendis neceſſariis occupatus. Plurimo ſiquidem tempore juxta hominibus ignotus, donec paſtores paſcuarum gratia gregibus ſuis providendarum longius intra ſolitudinem progreſſi eum deſertis locis commorari comperierunt. Quocirca formidans, ne ſi hominum notitiæ appareret, depoſiti ſui damna quodammodo ſuſtineret, ſine minitando ab acceſſu ſuo eos arcere cœpit. Quadam die dum in rupis ſuæ ſcopulo ſolus ſederet, & ſecum de cuſtodiendo theſauro ſuo tractaret, repente quoſdam conſpexit Ligerim fluvium puppi conſcenſa tranſmeare paratos. Quibus viſis, ad ripam nihil moratus acceſſit, ſciſcitatuſque ab eis an aliqui Normannorum depopulationi ſupereſſent, qui regiones circumjectas incolerent; audivit apud Doadum plures exiſtere, qui ſe ſuaque in ſpecubus ſubterraneis occultantes, barbaricam feritatem declinaſſent. Quo comperto, Abſalon monachus hilaris effectus, per mediam ſolitudinem viam arripit, & ad hominum habitaculum greſſum tendit. Audita interim trium virorum fama, qui gloria celebres, opibus ferebantur locupletes, ipſos ſpecialiter viſitat, ipſis omnem peregrinationis ſive ſuæ reverſionis hiſtoriam referat, quoque modo corpus ſancti retulerit, quove loco occuleret intimat: unde inæſtimabili gaudio perfuſi, manibus ad ſidera protenſis, Deum qui mirabilia ſolus operatur mirabiles extolliunt, Abſalon ac ſi angelum deſtinatum de cœlo reverenter ſuſcipiunt, ardent animæ in honorem ſancti confeſſoris almi templum Deo conſtruere, ac de facultatibus ſuis vel propriis magnifice ditare. Ne quid tamen inconſulte præſumant, comitem Theubaudum, cujus ditioni regionum occiduarum pars non modica parebat; adeundum cenſent, quem enim compererant ablatione beati confeſſoris vehementer fuiſſe triſtatum, confidunt audita relatione ejuſdem nihilominus gaviſurum. Aditur ergo comes, exponit monachus rei totius ſeriem. Comperta relatione monachi, comes quidem gaudet, parum tamen monacho fidem habens, ex ſuis amicis delegavit, quos Tornacum dirigit, petituros exſeniarum B. Florentii particulam, quorum audita petitione, abbas & monachi innovato rurſus dolore plangunt, defraudatoſque ſe corpore confeſſoris egregii furto cujuſdam monachi contracti pandunt. Legati nihil impetrantes, ad comitem redeunt, quæque ab abbate & monachis acceperant exponunt, comprobatur vera dixiſſe monachus, exultat comes nobiliſſimus. Tum monacho & his qui advenerant: Ite, inquit, bonum veſtrum deſiderium complete, locum habilem perquirite, monaſterium Deo confeſſorique eximio conſtruite. Quod ſi in aliquo ad conſtructionem ejus ſumptus vobis defuerit, mihi notificate, quibuſcumque indigueritis de meo

Comitem Theobaldum adit, ac eo favente, Salmurum ſe recipit.

præberi faciam ipſe. Monaſterium vero illud in Glonna monte ſitum a Normannis combuſtum nullatenus reparare præſumatis, ne ſi forte in Gallias rurſus irruptionem fecerint, exulare denuo ſancta oſſa cogantur, locuſque ipſe in deſolationem redigatur. Illi itaque principis auctoritate ſuſcepta, gaudentes repatriant, locum aptum perquirentes eligunt.

Ibidem novũ conſtruitur cœnaſteriũ.

7. Fuit in loco ubi nunc Salmurus eminet, ab antiquo fabricatum caſtellum, quod a parvitate ſituſque loci anguſtia, Truncum vocabulo ferebatur, in cujus medio lacus erat lutoſæ aquæ plurimum continens, ubi cum fundamentorum ponendorum opportunitas reperta eſſet, niſi lacus obſiſteret, tentaverunt præfati viri tali ſagacitate lacum exhaurire, haud modica nummorum quantitate circa laci ripas aſperſa, cœperunt undique quamplurimi ad auditum pecuniæ confluere, locumque quoquo poterant modo ſub omni feſtinatione paludibus emundare. Cumque temporis plurimum laborando conſumerent, ſed in nullo penitus prævalerent, præciſo montis latere, quidquid paludis egeſtum ibi ſupererat, in ſubter labentem fluvium devolvi fecerunt. Sicque loco mundato, altius fodientes, menſuris adhibitis, fundamenta jecerunt. Cumque in notitiam memorati principis perlatum eſſet, quia jam dicti tres viri ex ſuo tam immenſum opus conſummare nequirent, præcepit ipſe conſul munificus quæcumque neceſſaria forent, religioſo operi de ſumptibus ſuis ſufficienter provideri. Exinde operi cura impenditur, tandemque non abſque labore magno perficitur. Conſtituto temporis die adeſt ipſe princeps ſereniſſimus cum epiſcoporum & Francigenarum cœtu non minimo, ad conſecrationem baſilicæ venerabiliter congregato. Interim a ſpelunca qua repoſitum fuerat ſanctum corpus transfertur, & in baſilica S. Baptiſtæ Johannis juxta poſita collocatur. Procedit huc epiſcoporum ceterorumque miniſtrorum eccleſiæ ſacer conventus, multicoloribus ornamentis decenter & religioſe decoratus. Subeunt ſacerdotes humeris beatorum membrorum ſarcinam, a cervina ſportula in ſcrinium corneum repoſitam; cumque ad ingreſſum novæ baſilicæ propinquarent, tanta mole beatiſſimum corpus figitur, quod comes aliique portitores ferre non valerent. Factum quidem mirabile, ſed Dei procuratum diſpoſitione. Tunc tantum pondus ſuſtinere non valentes, cuidam magnæ molis ſaxo levaminis gratia in media platea reliquias ſuperponunt. Ne quis autem incredulus id falſo fictum attenderet, ſaxum adhuc in teſtimonium ſpectantibus apparet. Poſt paululum reſumtis viribus, comes ceterique corpus attollere conantes, cum penitus nequeunt, nutu illud divino teneri præſentiunt. Terque ſolo proſtrati cum universa multitudine princeps & epiſcopi orant confeſſorem glorioſum, ut ſe tranſferri permittat in eccleſiam tantis ſumtibus tantoque labore ob ſui honorem honorifice fabricatam; cumque nullus precantes ſequeretur effectus, conſilio inito, quidam ſenior ceteris pulſat principem affamine. « Scias, glorioſe princeps, hoc prodigium iſtudque miraculum divinitus eſſe patratum, ne te lateat hujus rei ſignificatum, quatinus qui ſancto huic præparaſti domum, conveniens quoque provideas ſervitium. Hortor igitur, ut illi conſtituas cœnobium præparando victus monachorum competenter in illo futurorum. Porro priſtinas ſancti poſſeſſiones ab exteris occupatas, monachis Deo & ſancto amodo ſervituris reddas: alioquin ſcias iſtum nullatenus hinc dimovendum, donec iſtud totum conceſſeris devotivum. Comes autem totum ſpondet Deo annuente ſe facturum. Flexo igitur genu, dextera protenſa, offert ſancto de copiis ſuis prædia proventuum fertilitate multiplicia, ſimiliter & ceteri pro facultate propria plura de facultatibus ſuis offerunt donaria. Inde ſanctum corpus attollentes ſine ullo labore, pſallentium concrepante jubilo intra domus ſacratæ limina deferunt, & ſuper altare divinum honore divino componunt VI. nonas Maii. Itaque ex more omnibus conſummatis, tres illi, qui labore ſuo & induſtria fabricam monaſterii erexerant, ſæculo renuntiantes, animumque cum habitu mutantes, in reliquum vitæ ſuæ Deo famulari ſub monachali propoſito decreverunt: quorum vocabula, quia ſuperius ſilentio compreſſimus, hic & nuſquam opportunius proferenda cenſemus: Othbertus de Furris, Helias de Liniaco, Raginaldus de Reſte. Horum Heliam abbatem præficiunt, Raginaldum futuræ congregationis præpoſitum, Abſalon vero patroni ſui cuſtodem & famulum ſuo pro velle conſtituunt. Comes autem eis quamplurima prædia donavit, omnemque ſuam illius provinciæ dominicaturam attribuit. Præterea ſuas eccleſias omnimoda conſuetudine abſolutas iſtis addidit ſanctique terras ab omnibus liberas reddidit, quod valde placuit omnibus religionis etiam nihil habentibus. Et ut compleverunt omnia ſancto die illa competentia, regreſſus eſt comes, Francigenæ & proceres ad propria.

Cujus primus abbas Elias de Liniaco.

8. Ex illa autem die præfatum cœnobium tam in numero quam in devotione accreſcebat quotidie, plurimo ſic permanens tempore. Cujus ſupplemento affuit quidam monachus nomine Guallo, parentibus nobilis, ſed fide nobilior, qui ſervire Deo maluit quam animæ detrimentum lucrari in ſæculo. Quem virum decentis regulæ peritum in omnibus & approbatum ſeniorem ſui fratres apud S. Florentium direxerunt, ne alii Normannis inde diſcedentibus, occuparent locum. Qui derivatus, neminem niſi Bernar-

Glonnenſe monaſterium per Guallonẽ monachum reſtauratur.

dum Pennatum invenit, cui caro ferina cibus & victus erat, venabulo pariter & pedicis capta, nec in clibano, ne Normanni fumum viderent, cocta, quem comprehendere, vel loco ab illo exterminare nullatenus valuere, quamvis canibus homines indagantibus, hunc vero nescientibus, utpote pedestris qui non ibat, sed quibusdam instrumentis cervini in modum pedis ascultis calciatus erat . . . . persequerentur grandia per nemora. Habebat quoque venabulum in posteritate ita incisum, ut terram inde tactam caprinum putares vestigium. Qui cum somnum capiebat, summas arbores ascendebat. Gualo autem postquam monasterium subintroivit, illius criptas tam silvaticis scrofis, quam illarum fetibus plenas evacuavit. Tunc adjudicavit in clientelam equites coligere, qui locum a perfida quidem gente, sed non minus a solitudine destructum redintegrarent, & sancti prædia feliciter munirent, & ab externis supervenientibus defenderent. Dein exenia prudenter præparat, quæ Hastensem ad Normannorum ducem delegare valeat, adhuc morantem in urbe Nannetica: quæ laudabiliter præparata per seipsum ut sagax ad ducem destinat, quem ut dux ad se cum donis agnovit adveniſſe, protinus surgit, relicta sede, orique illius os suum cœpit imponere: etenim utcumque Christianus dicitur fuisse. Deinceps Gualonem sciscitat quæ sit itineris causa, vel quid appetat, præcipiens nihil ut tenebris abdat, sed totum patefaciat. Tunc Gualo mente exhilarata duci se percuntanti quid appeteret manifestat. Quo dux agnito, tubam eburneam tonitruum nuncupatam, dedit monacho, hæc illi addens, ut suis in prædam exeuntibus, ea buccinaret, & nequaquam de suo timidus esset, ubicumque a præflatoribus audiri posset. Monachus itaque reclusus prædictum pro posse locum cœpit ædificare, & socios ad se attrahere, cum quibus Deum laudare & dignas grates valeret exsolvere: cujus vernaculi, cum quem cervum accipiebant, sepum inde extrahentes servabant, & monacho deferebant, de quo summa pro dignitate lumen faciebat sancti ante altare. Quadam cum nocte unus ex vernaculis lumen illud accendisset, ex more ostium monasterii meditaretur exire, aspicit ecce vas continens luminare suum ante conspectum assistere: quod statim accipiens, cum rubore retrogradus devexit ad altare. Quo accenso, alia vice cum monasterium vellet claudere, subito videt priori similitudine illud post se extinctum affore. Tunc ira permotus, & sibimet incredulus, putans se quod fecerat non feciſſe, vas cum lumine retrotulit accedens tertia vice; denique cum reverteretur, ostiumque reseraretur, vasculum magno impetu allidens, ostium admirabilem dedit fremitum; quo vernaculus fugit pavefactus, & quid sibi acciderat narravit coram omnibus. Ex illa vero die non sepum, sed ceram oleumque illic accenderunt. Ex tunc temporis miracula, Deo auctore, locum cœpere multis atteſtantibus frequentare, quorum plurima continentur descripta, & nonnulla prætermissa sunt scribenda, & dum illic crevit congregatio fide & moribus adornata, creverunt & patrocinia & sancti prodigia, quia absens corpore licet, tamen virtutibus præsens aderat. Hunc enim locum ipse elegerat, in quo beneficia & divina mysteria fierent, ex quibus scribere peroptaremus plurima, si nobis omnimoda non deesset scientia. Attamen confisi Dei adjutorio, utcumque referemus quatuor, quæ multi procul dubio post Guallonis discessum loco viderunt in illo. Horum duo abbate Girardo visa fuerunt, reliqua duo Frederico evenerunt.

9. Igitur cum prædictus locus aliquantulum præditus, non ut postea esset refertus monachis, quidem perfecte ordinem tenentibus, sed non minus divitiis eisdem affluentibus, illuc affuit quidam sacerdos Albericus, qui cum quadragesimali tempore a monachorum tenebris, ut erat solitus, ad Mariolum populum tenebras dicturus regrederetur, factus est in rama sonus psallentium in aëre divinitus, ita pulcherrimus, ac si esset vox & cœtus angelicus. Quod canticum ille æstimans dignum ut retineretur, nihil audiens percepit aliud, nisi solum quod dicitur, *Et erit in pace memoria ejus*, Dei mirabilis. Diversi diversa cogitando possunt volvere, sed nullus vera disputando ratione quid talia sunt audet adstruere. Paterna tamen traditione instruimur, quo tendebat sacerdos prædictus, monachos extitisse antiquitus. Quibus hac in re non contradicitur, quia verisimile videtur. Ignorat etenim nullus illo ex provincia ortus, quatenus illa vicus in valle prope Ligerim situs, sæpe ipso fluvio exundante permanet ablutus, ex tunc a pluribus magnifica metalla inveniuntur.

10. Deinde alia vice cum matutinæ fuissent celebratæ, monachorum conciola in dormitorium redeunte monasterii, dextro in absside aliis cum clericis suoque doctore Theobaldi residente, qui monachus postea effectus castrum illud petrina circumdedit septione, ecce processio candidatorum virorum veniens a Septentrione, ecclesiam intravit angelico more: qui omnes flexo poplite veniam petebant ex ordine protomartyris Stephani ante altare. Dein recto itinere sanctam ad Mariam in cryptas cœperunt tendere, psallendo satis dulcisona voce. Quorum de cantu nihil percepere, nec eorum aspectus præ nimia claritate clerus jam scriptus valebat sustinere.

11. Fertur quoque nonnullos excubiarum castri officium excubandi deseruisse, & nimias ob coruscationes neglexisse, quos singulis

noctibus in monaſterium videbant deſcendere, ex quibus illam regionem univerſam, ac ſi die, aſtruebant coruſcare. Una ſiquidem noctium cum FREDERICUS abbas valde religioſus aliis in ſtatu quieſcentibus ex more ſolus oraret, ſubito tam præclara lux eum circumfulſit, ut pene dies ſubſecuturus lucere magis non æſtimaretur. Quam abbas nullatenus tolerare valens, repente foras eſt egreſſus, tam admirando lumine ſtupefactus. Iſtud aliis cum innumerabilibus manſueto guſtavit in pectore, donec ita Deo ſacratus militavit in corpore. Dei etenim ſervitio mente & opere fuit ſtudioſus, nulli ut puto inviſus, quippe aptum & pium ſe exhibebat omnibus, exceptis dumtaxat irrationabilibus, cujus in vita Patris Florentii ſtupenda accidiſſe noſcuntur inſignia, & facundiori ſcriptura & multiplici relatu digna; ſed tamen ex illis unum quod ſupra polliciti ſumus ut remur non eſt adhibendum ulterius.

12. Die itaque quæ Dominicam antecedit, cum poſt veſperas viri reſiderent in plateis, jam noctivagis incumbentibus tenebris, ecce vir ſenex veneranda decorus ſpecie, & candida indutus veſte, per aerem venit ab orientali climate, crucem purpuream in manu geſtans, cujus fulgore totum & remittere cœpit & rutilare; ſed ſimul ac ſuper pinnaculum monaſterii viris aſpicientibus devolavit, ſtatim ex eorum oculis evanuit. Nec iſtud, nec cetera quæ hac parvidica continentur ſchedula a quoquam ſunt aſpernenda, quoniam etſi ineloquenter ſunt dictata, tamen in hiſtoria realiter fuerunt facta, & in facto permanent vera, unde & habemus idoneos teſtes & veritatem non fallentes.

13. Unum adhuc ad laudem B. patris Florentii referamus miraculum, quod nequaquam eſt ſilentio ſepeliendum. Cum per annos circiter xxx. gens Normannica nonnullas civitates & caſtella Neuſtriæ & Aquitaniæ depopulando vaſtaſſet & vaſtando deprædaſſet, ventum eſt tandem ad monaſterium S. Benedicti, cognomento Floriacum, quod pridem fuerat ab eis crudeliter incenſum. Ubi a venerabili abbate HUGONE, adjutorium ſibi ferente nobiliſſimo comite Autiſſiodorenſium GILBALDO nomine, invaſi, ejuſque ad interitionem deleti ſunt. De quo certamine vix aliquis evaſit, qui eventum rei nunciaret ceteris; in quo conflictu INGELGERIUS Andegavorum comes, Fulconis Rufi filius interfectus eſt. Pauci igitur Normannorum, qui evaſerunt præſidio vitam tuentes, cum copia tam captivorum quam rapinarum tranſmarinas compulſi ſunt repetere ſedes. Et cum a ſtatione ſua quam habuerant in inſula huic monaſterio ſubpoſita, ultra non reverſuri diſcederent, preſbyterum quemdam, qui ſolus in obſequio S. Florentii remanſerat, apprehendunt, ſecumque in una navium ſuarum ſtrictum compedibus junctum projiciunt, ſicque per Ligerim diſcedentes, in patriam redire diſponunt. Preſbyter vero ægre ferens ſeparari a tali tantoque patrono, reductis poſt tergum oculis, vidit monaſterium humano habitatore vacuum atque deſolatum; tunc in hanc vocem fertur exclamaſſe ſacerdos: Heu! tu, ſancte Florenti, quare me pateris ſic a te diſjungi? Cur me ita rapiunt iſti Deo odibiles pagani? Hæc cum dixiſſet, ſtatim navis cum qua vehebatur in vertigine rotari cœpit, atque omnibus qui aderant mortem minari? Preſbyter vero divinitus a vinculis ſolutus, aquis ſe Ligeris credidit, & nando adducitur ripæ citeriori. Normannos autem qui illum captivum ducebant fluvius omnes abſorbuit, ipſe autem in ſilvam nomine Bivonem ingrediens, monaſterio S. Florentii, qui illum liberaverat, ſeſe recepit. Hæc ſuper Florentii ſenioris loco ſermone ſignificaſſe compendioſe legenti non ſit faſtidio. Nam noſtra, ut diximus, narratio ex parte pendet ab illo. Nunc autem & eum in quo pater Florentius poſt Normanniæ tempus ab Abſalone, ut memoravimus, perpulchre fuit depoſitus, Deo annuente ſtilum divertamus, & miſericors annuat ut infacunda aridaque puſillanimitas ſaltem parvum quid inde proloqui valeat.

Ad novum monaſterium adducti e Floriacenſi monachi.

14. Igitur ædificio novi monaſterii conſummato, & theſauro reverendi corporis intus debito cum honore repoſito, venerabilis comes THEOBAUDUS ex S. Benedicti Floriacenſis monaſterio religioſos fratres adduxit, eiſque memoratum Heliam, ut diximus, abbatis loco præfecit. At de ornamentis pretioſis, quibus olim Glonnenſis locus præfulgebat, a præfato comite Tornacenſes monachi quædam reddere ſunt coacti, ſcilicet vas cœnæ Dominicæ, thuribulum cum peredibus a S. Eligio fabricatum, miſſale quoddam, pſalterium quoddam, in quibus ſanctus pater Florentius fertur legiſſe. De libris autem, chartis, reliquiis, veſtimentis, palliis, pauca quidem & viliora reddiderunt. Quos cum ſæpedictus comes meliora & numeroſiora reddere compelleret, Francorum regem adierunt, eumque pecunia corruptum præſidio habuerunt.

15. Primus igitur abbas in eodem novo monaſterio fuit Helias miræ religionis & Deo devotus, qui multum in conſtructione loci ejuſdem deſudavit. Hic ex vitæ merito domum abbatiæ promeruit, ſed non diu eamdem abbatiam tenuit. Ipſe etenim Helias ſacri cœnobii Salmurenſis conſtructor, auctorem tanti operis Theobaldum Bleſis comitem, regia ſtirpe progenitum, quibuſdam proventuum utilibus compulſus, conſulendi gratia longe poſitum adivit. Cumque peracto negotio lætus rediens jam ſoli proprii limen ſulcaret, de equo in terram corruens, ruptis inteſtinis, erat enim magnus ſtatura, Salmuro delatus eſt. Et cum inter multa pietatis &

& conſolationis colloquia de ſucceſſore eos allocutus fuiſſet, III. Idus Martii Chriſto ſpiritum reddidit, corpuſque illius in preſbyterio devota fratrum concio ſepelivit. Hujus tanti patris defunctione novella plantatio Salmurenſis eccleſia mœrote adoperta in deſolatione luctuoſa remanſit.

Amalbertus ſecundus abbas.

16. Tunc vero Theobaudus comes ex monaſterio S. Benedicti Floriacenſis alumnum quemdam AMALBERTUM nomine, virum prudentiſſimum & religionis amicum in abbatem præfecit, qui in ornamentis eccleſiæ auro & argento conſtruendis plurimum deſudavit. Hic etiam poſt XXIV. annos, quibus abbatiam S. Florentii tenuit, abbas effectus eſt S. Benedicti, & utramque abbatiam cœpit regendam. Hic qualis, quantuſve, quamque ſollicitus fuerit, noſtræ facundiam narrationis excedit. Nam baſilicam imperfectam cum officinarum ædificiis excellentiſſime peregit, ac pene cuncta picturis optimis decoravit. Quæ profecto baſilica quinque tunc aris in ſanctorum patrociniis noſcitur titulata, videlicet in Dominica ſanctæ Trinitatis, apoſtolorum Petri & Pauli memoria, matutinale in pii Patris Florentii reverentia. Tertium altare in ſiniſtro abſide erat in honore ſanctæ Virginis Mariæ, quartum in dextra parte S. Johannis evangeliſtæ, & qua ſtabat fixum noſtræ ſalutis judicium erat altare S. Crucis, quod in medio navis ſitum maceria circumdatum girari poterat. Tria tantummodo altaria, hoc eſt matutinale & membrorum parva ſolum maceria arcuata tegebat, reliquum ædificiorum lignorum camera depicta operiebatur. In porticu baſilicæ quatuor unius altitudinis erant maceriæ, ſuper quas in alta fabrica lignorum ſigna majora congruentis magnitudinis dependebant. Mediæ vero maceriæ & navis eccleſiæ columnis arcuatis conſiſtebant. Campanæ horis diurnis in choro trahebantur ad caput monaſterii uſque ad foſſatum domus GELDUINI domini quondam ejuſdem caſtelli, viridarium alto muro vallatum gratum levamen erat. In capella abbatis vel infirmorum, cujus frons dormitorium duo altaria inferius S. Benedicti, ſuperius vero S. Michaëlis fecerunt: quorum uno ſolo alterum quoque per dormitorii ſolarium orationum obtentu viſitabatur. Cujus oratorioli longo poſt tempore, quidam ex intromiſſis canonicis opportunitatem explorans, cauſa ibidem agendæ ſcripturæ, S. Benedicti altare deſtruxit, ſed mox languore correptus, numquam deinde ſanus fuit. Alia vero capella foris ædificata fuit inter viam & altare S. Mariæ ſitum in membro ſiniſtro. Aquæ penuriam clauſtri puteus exterior relevabat. Nam ſuffoſſis eccleſiæ parietibus, fortis cemento & lapidum curvatura occulto meatu aqua in lavatorium emergebat, & per ceteras officinas curſu ſubterraneo derivabat. Hic autem puteus foris ſecus cellarium exiſtebat.

Novi monaſterii eccleſia dedicatur, in eamque S. Florentii corpus transfertur.

17. Interea coruſcantibus ſæpiſſime beatiſſimi Florentii miraculis, famaque exteras regiones volitante, in brevi tempore plurimi virorum illuſtrium ibidem religionis habitum ſuſceperunt, qui cum innumeris ſancti ſuffragium depoſcentibus, eumdem locum ditatum ornamentis mirabilem reddiderunt. Nonnulli juxta utrumque teſtamentum filios ſuos offerentes, Sancto devotiſſime contulerunt. Tandem aliquorum nobilium cœnobiorum ritu baſilica per annos complures completa, comes THEOBALDUS aſſumto Turonicæ civitatis antiſtite ARDUINO & epiſcopo Andegavenſi, cum infinita multitudine nobilium Francorum & affinium utriuſque ſexus, una cum domino abbate AMALBERTO XII. calendas Junii locum ſolemniter conſecrarunt, corpuſque beati Florentii ſolemnius tranſtulerunt. Nec multo poſt venerabilis abbas Amalbertus tantum theſaurum ſub firmiori cuſtodia conſervare decernens, in vaſculum æneum in quo nunc concluſa retinentur tranſpoſitum obſeravit. In ipſa vero tranſpoſitione declaranda cujus eſſent meriti quæ viſebantur oſſa, ſeu ad confutandam præſumtorum irreverentem audaciam, quid geſtum ſit præſente abbate & monachis ſuis quamvis imperito ſtylo referam. Monachus ille, Abſalon ſcilicet nomine, qui ſupradicti ſancti reliquias a partibus * Arvernis, a monaſterio ſancti Philiberti, Tornaco nomine, quo Normannorum motu pridiano tempore fuerant deportatæ, Deo ſibi auxilium ferente, propriam retulit ad ſedem, in quoddam ſcrinium corneum eas ad tempus poſuit conſervandas. De quo cum in illud, ut diximus, in quo nunc conſervantur, jam dictus abbas cauſa tutioris cuſtodiæ tranſmutaſſet, fabrum ferrarium qui eas extraheret, non enim aliter poterant aperiri, venire præcepit. Qui cum veniſſet juſſus ab abbate ad mauſoleum, forcipes in manibus habens, audacter ac ſi ad incudem ſuam acceſſit, forcipes tetendit, clavum momordit. Et quia nullam ſancto impendens reverentiam hoc agere tentavit, ultio divina confeſtim affuit, quæ fabrum impudentem merito ſuæ irreverentiæ manifeſta ſenſus amiſſione mulctavit. Quædam enim divina vis ac ſi vehemens turbo a capſella ſancti progrediens illum inviſibiliter in fronte percuſſit, moxque forcipibus elapſis e manibus, ipſe retro ſtupefactus corruit. Recepto tamen poſt paululum ſenſu, reſumtiſque viribus recedere quamcitius tentavit, & quod illuc ultra non recederet jurando confirmavit. Abbas vero non ſine divino nutu hoc fieri perpendens, inde triduanum fratribus indixit jejunium, & ut unanimi devotione ſancti auxilium exorarent, qualiter ipſe erga ejus ſanctiſſima membra quod diſpoſuerat agere, ipſe ſanctus fieri pateretur, eos ammonuit. Peracta autem ſupplicatione & jejunio,

* inmo Burgundiæ.

junio, illuc cum magna cordis contritione accedunt, vasculum aperiunt, veneranda ossa inde extrahunt, & in illud metallinum fusili opere compositum, in quo nunc continentur, aspiciente cuncto populo castri Salmuri, recondunt. Et ut cunctis liquido pateret, nullum de membris sancti abesse, sed omnia per jam dictum monachum ab Arverniæ partibus relata fuisse, excepta quadam particula capitis, quæ illic divina dispositione remansit, ut & in illis regionibus nomen sancti digno honore veneraretur. Testantur namque illius loci incolæ divinitus per eam miracula patrata se vidisse. Sæpedictus abbas cunctis audientibus atque videntibus talia dicebat: En brachium S. Florentii, en crus, en costæ; & ita per omnia membra dicendo, omnique populo cuncta ostendendo in præparato a se vasculo collocavit, ostioluque tanta industria concluſit, quod a nemine postea potuit aperiri. Hæc ideo memoriæ litterarum tradere dignum duxi, quæ a veracium fideliumque testium relatione didici. Deinde comes THEOBALDUS divino fervore repletus, domni Amalberti hortatu, inter multiplicia bona lecticum super aram matutinalem situm dedit, & capsam B. Florentii vas æneum in se continentem superposuit, cujus frontem & latera decentibus imaginum sculpturis operuit. Retro vero prominentes ligneas imagines depixit, tabulamque argenteam ante Dominicum altare composuit, cujus margo superior hos capiebat versus:

Quisquis nescit honos quorum hæc veneranda tur in ara,
Prospiciat Petrum Paulumque assistere Christo.
Quam comes argento Theobaldus tomere jussit,
Quamque Amalbertus abbas jubet effigiari.

Amalberto abbati eccleſiæ S. Lupantii donat Theobaldus comes.

18. Quodam vero tempore domnus Amalbertus cognito THEOBALDI comitis Cainone adventu, sole lucente, Salmuro illuc tendens, sub aëris axe ad cujusdam arboris radicem nocte jacuit. Hinc summo mane in curiam nimia pro solito gratulatione exceptus, noctis super molestia plangitur ab omnibus. Tunc venerabili comiti suum pandens arcanum, inspirante Deo, quod quæsivit obtinuit. Nam magnificus comes, confirmante Turonorum præsule Arduino, cujus juris erat, anno Incarnationis DCCCCLXXIII. tradidit Amalberto abbati ad glorificandum nomen Domini, sanctorumque illic quiescentium, sacræ venerationis oratorium, in quo sanctus Lupantius ac socii ejus requiescunt. Quo audito, quidam, ut fertur, Cainonensium clericorum cum vita S. Lupantii aliisque ornamentis pretiosis aufugit, & in Vigennam fluvium corruens, secum vitam memorati sancti cum ipsius ornamentis submersit. Illud quoque inter cetera paginis est imprimendum, quod de gestis B. Florentii nihil aliud est a Tornaco relatum, quam quod in requietionis ejus nocte legitur. Ut autem temporibus opportunis lectio de illo sufficiens haberetur, quidam Ingilbertus litteris eruditus, ejusdem sancti monachus secundum prioris vitæ dictamen largiori stylo aliam est prosequutus, scilicet *Daniel divinæ attestationis*, cum procemio *Mirabilem Domini*.

Mors Abſalonis monachi.

19. Interea præclarus Christi minister, Galliæ occiduæ decus, ac singularis operator, Absalon, dictum Sapientiæ imitatus *Fortis est ut mors dilectio*, ac Dominici, *ut ponat quis animam pro amicis suis*, vas electum, Paracliti templum, beatum vitæ ordinem a primis infantiæ rudimentis acceptum, XV. calendas Martii in longævo feliciter complens senio, sepultus est diligenter cum multo tamen mœrore in monasterio, in prospectu corporis beatissimi patris nostri ante aram Dominicam, quod multis anxiis dat levamen.

Et Theobaldi comitis.

20. Eodem tempore speculum nobilitatis & religionis amator comes THEOBALDUS post multa beneficia, quæ nostræ contulit ecclesiæ, viam universæ carnis ingressus est, cujus animam qualiter a malignis spiritibus beatus pater Florentius liberaverit, versibus talibus placuit subscribere.

Cum cunctis certe sit dandum, præcipiente
Christo, poscenti cuncto præstetur egenti,
Præcipue famulis Christi, nimium reverendis
Cleris, & monachis divinæ legis amicis,
Pluribus in scriptis hi mandantur bene cunctis
Semper honorari summi seu regis amici.
Horum nam precibus quamplures eripiuntur
Ignibus ex erebi, datur & spatium miserendi.
Ut fuit ereptus THEOBALDUS Francigenatus
Terræ dux & herus post regem nobilis hujus.
Qui vivens turres altas construxit & ædes,
Unam Carnotum, sed apud Dunense featum
Non minuit proprium, turritum dans ibi castrum.
Multaque construxit, quæ non sine crimine fecit.
Verum conventus construxit, in hoc benedictus.
Econtra multos monachorum nempe per istos
Concessa venia, gaudens scansurus ad æthra,
Sumptibus ex propriis & plurima templa peregit.
Denique defunctus larvis est quam cito raptus,
Quod fictum minime, sed verum dicitur esse.

HARMATENUS (a) enim referens hoc pluribus olim
Ipse monasterii bonus abbas tunc Ficlaci,
Hic affirmabat certum fore quod referebat.
Huc ab Jerusalem quem cum multis redeuntem
Suscepit quondam dubio procul insula quædam,

[a]

(a) Nullus hujus nominis abbas legitur in Chronico Figiacensi ab erudito viro Stephano Baluzio vulgato tom. 2. Miscellaneorum, sed neque in serie abbatum illius monasterii quæ extat in nova Gallia Christiana.

In quam per pontum tempeſtas impulit illum.
Illic & quemdam viderunt tunc eremitam,
Cui percuntati de qua tellure creati,
Dixerunt: Pagus nobis eſt Gallia carus,
Quam nunc THEOBALDUS ſub rege comes regit altus.
Numquid, dixit eis, hunc defunctum fore ſcitis?
Tertia nam lux eſt, quod ſæclo mortuus hic eſt,
Cum quo lethiferæ repetebant tartara turmæ,
Illa phalanx lucum confregit eundo per illum,
Et monſtravit eum, dubitarent ne fore verum,
Et ponebantur turres collum ſuper ejus,
Cum monachi plures illum venere ſequentes,
Et nimium flentes & talia verba ferentes:
Florenti vero nobis pater auxiliare,
Eripe nunc iſtum, qui conſtruxit tibi templum,
Antea quam turrem, nec quam ſibi conderet ædem,
Ante monaſterium quam ſanctis conderet ullum.
Tuque veni prius: nam te prius eſt veneratus.
Protinus alacris venit Florentius aſtris,
Agmine cum magno prior in ſplendore ſuperno,
Quem ſimul ac cœtus venientem vidit iniquus,
Has voces ſubito cœpit depromere ſancto.
Quid vultis? non jure venitis, nam reus eſt hic
Præceptor veſter, noſtrates nec Deus aufert,
Et judex juſtus noſtrum non captat habere:
Sed quicquid trahimus tenuit, nec quicquid habemus.
Lethifer iſte dedit: Cui ſanctus tale remiſit.
Hic vobis claret qui dimittatur oportet,
Quem Rex juſtitiæ nobiſcum vult retinere:
Atque data venia jubet hunc ſua ſcandere regna.
Hos ad ſermones animam liquere phalanges
Lethiferæ, ſecum quam ſuſcepere catervæ.
Nec mora ſunt ceteræ ſic pſallendo retrogreſſæ.
Felices juſti Patris Chriſtique beati
Cuncti dicuntur, quorum delicta teguntur.
Hæc eremita maris retulit ſupra memoratis,
Scilicet abbati cum multis ſic redeunti.
Exin digreſſi terramque ſuam repedati,
Hora ſignata ſic viderunt fore cuncta.
Doxa Deo trino, majeſtas adſit & uno.

21. Florenti meritis ſat florens centuplicato
Atque cluens ſerto ſuper æthera congeminato,
Martyr honoraris, confeſſor glorificaris,
Et quamvis lictor tibi defuit & lacerator,
Non quin multotiens ſæviſſima verbera ferres.
Aſt occidendo vitamque tibi removendo,
Palmam martyrii non amittis pretioſi,
Martyr ſeu meritus, ſed gaudes jure beatus,
Prorſus digne Deo pro nobis ſiſte precator,
Ut pius & juſtus per te noſtros regat actus,
Et tuus obtentus cuncto ſit tempore promptus.
Quæſumus atque datus tibi complaceat famulatus,
Ut tuus hic cœtus tibi patrono ſtabilitus,
Fluctibus ereptus, portus & gaudia nactus,
Gaudeat in requie qua te jam credimus eſſe.
Sic & cunctorum tibi conventus monachorum
Interceſſorem mereantur te meliorem,
Sentiat & patrem, qui te veneratur in orbem,
Sanctis atque parem, qui te vult eſſe parentem,
Cunctis divinam conquiras tu medicinam
Nullus in hac vita, qui non ſit egens ope tanta,
Pro noſtra certe pro multorumque ſalute
Divinos vultus ſtudeas placare benignus.
Partibus occiduis tenebris per te carituris
Lumina dona ſancti, dum Chriſtum notificaſti,
Ut bonus athleta ſpreviſti terrea cuncta.
Nempe ſequi meditans Dominum, terreſtria vitans,
Hujus in agreſti veniens, pia dogmata Chriſti
Et Domini prorſus fidens præcepta ſecutus,
Liquiſti ſeclum, cupiens adquirere cœlum,
In quo cum ſanctis aſtris ut lucifer altis
Fulges pro meritis: adſis ſpes firma ſalutis
Nobis & cunctis, qui gaudes cœtibus altis,
Siſque pius ductor, noſtrique benignus amator,
Nam te laudamus, cupimus, veneramur, amamus.
Hunc omnes vere debemus ſemper amare,
Atque ſuos actus per eum quos eſt operatus,
Cunctiporens actor noſtri, clemenſque redemtor,
Gloria debetur cui laus & vera refertur.
Promere dignetur per quem quod adhuc operatur,
Et ſibi majorem virtutibus addat honorem,
Et faciat ſanctum crebris virtutibus altum,
Per quem nos almo deſcribat Chriſtus in albo,
Et ſibi congeminos faciat ſuper aſtra beatos.
Providus & caſtus prorſus fuit & tunicatus
Annis divinis & moribus iſte benignis,
Sortis apoſtolicæ fuit, & vir maximus iſte,
Quem ſibi prænitidus connectit apex duodenus.
Iſtius ægroti curantur munere ſancti,
Atque per hunc dantur largiſſima quæque petuntur.
Cujus per meritum per ſæcula mirificatum,
Poſcimus ut Dominus nos reſpiciendo benignus

Moribus & ditet, ditandoque munus adeptet,
Ucque polo reddat, quibus ad se pergere mandat.
Cum quo longævum gaudere queamus in ævum,
Florenti digna nimium ditare corona
Laudis magnarum virtutum plene tuarum.
O felix vere pro nobis sancte precare,
Regnet cum Christo per te chorus iste precato,
Ut veniat per te nunc fœdera pacis amatæ,
Nobis munimen te poscimus atque juvamen.
Te nunc laudamus nobis præstes quod amamus,
In te speramus servire tibi valeamus.
Laus tibi cum Genito, Pater, & cum Flamine sancto,
Felicem vitam tribuas terramque beatam;
Laudes æternæ cui sint grates quoque magnæ.
O Deus immense, cœlestis fercula mensæ
Redde tuis famulis, quibus adsis nauta fidelis,
Et cunctis te da, quos mundat sanguinis unda.
Sit bonus & justus vir Christo quisque renatus,
Spesque fides dentur, quæ nos semper comitentur
Cedant & noxæ, det Christus munera doxæ,
Reddat gestorum qui cunctis dona suorum,
In quo sat freti valeamus degere cuncti.
Præcedant mores, sæcli fugiamus amores,
Tantum quæramus cœlestia quæ teneamus,
Vincatur sensus qui sæpe manet male suasus,
Subque manum Christi possimus vivere læti.
Fiat quisque novus desistens esse vetustus,
Laudetur Dominus trinus qui sistit & unus,
Omnes hunc laudent, recitent & semper adorent,
Respiciat qui nos semper sibi corde benignos,
Exaltent omnes deicæ non laudis inanes.
Nobiscum Dominus, dæmon procul atque tyrannus.
Temet des nobis, quo tu sine fine manebis
In sanctis factis per te rex Christe beatis
Virtus ornetur, Zabuli virus vacuetur,
Suscipiat Christus quos amittit maledictus,
His præstet Christus bona quæ præstare suetus
Judex terribilis, cum venerit agnus herilis.
Cum sat miranda doxa nimis atque tremenda,
Et sibi communes dextros acceperit omnes
Suscipiens nosmet secum super astra reformet,
Tranquillam pacem quo det claram quoque lucem.

Robertus abbas III.

22. Eodem vero tempore venerabilis Amalbertus, Floriacensis & Salmurensis ecclesiæ duplici prælatione sublimatus, post excursum vitæ spatium glorioso fine quievit. Post cujus tristissimam pausationem, Salmurensis caterva, habito cum primoribus suis consilio, unum de suis fratribus ROBERTUM Blesis, famosum, castum, nobilem, in sede regiminis abbatem præposuit. Qui sagacitate prudentiaque strenuus, agilitate & honestate splendidus, ingenio profundissimus, sanctitate eximius, licet angelis proximam in terris ageret vitam, activæ tamen vitæ studiis tam pervigil & indefessus deserviebat, ut aliis patribus singulis videretur & primus. Hic ergo patroni sui exemplo annuali oratu Turonis redeuntis, quos domi positus flendo exorabat, eorum Romæ sepulchra frequentabat, atque ut apis prudens in decorem & munimentum sibi a Deo traditæ ecclesiæ, multa deferebat. Sed quoniam per pagum Andegavum sitæ juris S. Florentii ecclesiæ antiquo ritu adhuc episcopali inquietudine, scilicet de censu & procuratione ipsius episcopi & clericorum suorum, aliisque pravis exactionibus quatiebantur, ut hæc aboleretur violentia, & novum Salmurense cœnobium, ut quondam Glonnense, cum suo pastore omnino esset liberum, RAINALDUS Andecavorum antistes communi clericorum suorum assensu, valentiorem ceteris scilicet ecclesiam S. Johannis Ligeris alveo vicinam, dudum a rege S. Florentio datam, in sancti Mauritii suamque ditionem præfatus episcopus, tradente memorato abbate, recepit, & quæ idem abbas expetebat libentissime omnia concessit. Cujus nobile privilegium in papyro conscriptum, sub obtentu BERTÆ reginæ ac filiorum ejus THEOBALDI atque ODONIS, Romæ JOHANNES papa divinæ majestatis apostolorum cunctorumque sanctorum protestatione communivit, atque eumdem B. Florentii locum tuentibus vel augmentantibus, horum omnium implorans benedictionem ac protectionem; in malefactoribus vero tartari perennem damnationem promulgavit, neque accusatio cujusdam prælati vel patris in ecclesiæ B. Florentii abbatem objecta, nisi sub duorum vel trium pontificum experimento recipiatur: quæ libertas hactenus manet inviolata, ut in subrogatione abbatum quocumque loco sacratio daretur, ut vidimus & accepimus, nullus Andegavorum præsulum professionem vel obedientiam expetivit. In eodem etiam privilegio continetur nullum omnino monachum nostrum ab aliquo prælato absque canonico judicio posse vel excommunicari vel interdici.

Privilegium libertatis impetrat à papa.

23. JOHANNES *episcopus servus servorum Dei, dilecto filio* ROBERTO *venerabili abbati monasterii S. Florentii confessoris Christi, siti in loco qui dicitur Salmurus, ejusdemque successoribus cunctisque in eodem loco commorantibus fratribus perpetuum vale.*

Johannis papæ XVIII. privilegium.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus in benivola compassione succurrere,

& promptum animi impertiri aſſenſum. Tunc enim lucri potiſſimum præmium apud conditorem omnium Deum reponitur, quando venerabilia loca opportune ad ſtatum rectitudinis ſunt perducta. Igitur quia poſtulaſti a nobis, quatenus monaſterium S. Florentii confeſſoris Chriſti, ſitum in loco qui dicitur Salmurus, in territorio Andegavenſi, privilegiis ſedis apoſtolicæ decoraretur; libenti animo petitioni tuæ adſenſum damus. Quia vero ipſum monaſterium olim a CAROLO *imperatore nobiliter conſtructum fuerat in loco vocabulo Glonna, ubi S. Florentius poſt diutinam vitam ſpiritum cœlo reddidit, & præceptis imperialibus atque privilegiis cum ampliſſimis poſſeſſionibus roboratum atque ditatum eſt. Similiter a Ludovico cognomento Pio ejus filio, omnis fiſcalis exactionis, vel cujuſcumque legalis ſeu officiariæ penſionis, ſimul etiam ſynodalis debiti omnium eccleſiarum, quæ ipſi monaſterio ſubjacent, immunitate ditatum; nos eidem antiquo monaſterio faventes, precibus domnæ* BERTÆ *reginæ ac filiorum ejus* THEOBALDI *&* ODONIS, *apoſtolica auctoritate in perpetuum confirmamus atque conſtabilimus, ut ſi quis harum rerum temerator extiterit, ſeu poſſeſſiones, eccleſias, terras vel aquas ejuſdem loci violare tentaverit, ſub anathematis indictione damnatus ſit. De illo novo cœnobio, quod poſt vaſtationem Normannicam conſtructum eſt a nobiliſſimo comite Theobaldo, in loco qui dicitur Salmurus, in abbatia ſanctæ Dei genitricis Mariæ & ſancti Johannis-Baptiſtæ, quæ a Carolo filio Ludovici collata fuerat eidem S. Florentio, poſtulantibus ſupradictis filiis noſtris, ſtatuimus apoſtolica cenſura ſub divini judicii obteſtatione, ne aliorum quorumlibet dominio ſubjiciatur aut inferiori poteſtati ſubdatur, ſed in perpetuum per ſuccedentes heredes Theobaldi atque Odonis regatur atque defendatur. Si quis autem eorum ipſum locum cuicumque extraneæ perſonæ tranſfuderit, ſeu quæcumque perſona eumdem locum ab eis expetere aut coëmere tentaverit, cum Juda proditore in extremo judicio anathema ſit. Alligamus etiam eodem anathemate eos qui aliquid de his quæ ad præſens idem locus poſſidet, vel deinceps acquiſierit, auferre tentaverit, ſeu novas leges addere, niſi quantum conſtitutum eſt ab archiepiſcopo* ARDUINO *& comite* ODONE *filio* THEOBALDI. *Statuimus etiam ut ſi decreto epiſcoporum pagus ille excommunicationis ſententiam exceperit, liceat eidem cœnobio miſſas & reliqua ſacra celebrare, neque ab epiſcopis propter hoc aliquod præjudicium ſuſtinere cogatur. Quod ſi abbati ipſius loci aliqua calumnia vel crimen impingatur, liceat eum ſub duobus aut tribus epiſcopis cauſam dicere, neque irreverenter ſine judicio illorum debeat moleſtari. Sint itaque ſervi Dei monachi ibidem habitantes, quieti ab omni moleſtia cupidorum, & liceat eis propria bona diſponere, Deo favente, ac noſtra apoſtolica auctoritate confirmante, ut nulla unquam perſona, cujuſcumque dignitatis, aliquid de rebus vel poſſeſſionibus quæ ad eos pertinent quoquomodo auferre vel alienare præſumat. Hæc autem ſunt fiſcus Lentiliacus cum eccleſia in honore S. Mariæ & capellis S. Hilarii ac S. Vincentii, & omnibus quæ in caſtro ſita ſunt, vel quicquid amplius ad ipſum pertinet. Item, villa quæ dicitur Diſtriacus cum eccleſia S. Juliani martyris, alia quoque villa quæ dicitur Ulmis cum eccleſia S. Vincentii, & capella quæ dicitur Mainiacus cum terris quæ ad eas pertinent. Poſſeſſio etiam quæ dicitur Capriniacus, cum eccleſia S. Georgii & capellis, quæ vocantur vulgo S. Helerus & Sævoja, cum terris quæ ad eas pertinent; villaque uoque vocabulo Cadvernis cum Daneziaco & eccleſia ibidem ſita. Poſſeſſio quoque cum caſtello Carnonis, & S. Andreæ ſanctique Lamberti cum terris ad eas pertinentibus, eccleſia S. Petri cum capella S. Johannis. Item, alia villa quæ dicitur Alomna, cum eccleſiis in honore S. Johannis & S. Docelini, cum terris ad eas pertinentibus. Alia quoque villa nomine Mironio, cum eccleſia in honore S. Cæſarii & terris quæ ad eam pertinent. Hæc omnia auctoritate B. Petri apoſtolorum principis coram Deo ac terribili futuro judicio per hujus apoſtolici noſtri privilegii confirmationem eidem loco ſancimus atque decernimus, & quæcumque a fidelibus eidem loco deinceps collata fuerint, ut ſi quis nefarius contradicere, invadere aut calumniare præſumpſerit, anathematis vinculo innodatus a Chriſtianorum ſocietate in perpetuum ſeparetur. At vero qui pio intuitu obſervator ac in omnibus extiterit cuſtodiens hujus noſtri apoſtolici conſtituti, benedictionis gratiam a miſericordiſſimo Domino Deo noſtro multipliciter conſequatur, ac vitæ æternæ particeps effici mereatur. Scriptum per manus Georgii notarii ac ſcriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ in menſe Aprili* Anno 1024. *indictione ſecunda.*

24. Sub tempore patris hujus ROBERTI clauſtralis fabrica mira lapidum ſculptura cum verſuum indiciis ac picturarum ſplendoribus eſt pollita. Ipſe enim præfatus pater multitudinem copioſam ornatuum inauditorum diligens exquiſitor adquiſivit, videlicet magnorum ex lana doſſalium, cortinarum, faſterdium, tapetum, bancalium, ceterorumque ornatuum varijs imaginibus inſculptorum. Nempe duas mirificæ qualitatis & quantitatis componi fecit aulæas, quas trapezitæ conductivi pretioſa ſeta elephanteas imagines venuſte continentes conſuerunt. Binos etiam ex lana doſſales texi præcepit, quorum unus dum texeretur, memorato abbate in Franciam profecto, cum frater cellerarius mixtum ſolitum trapezitis vetuiſſet; en, inquiunt, in abſentia boni domini noſtri opus non deſeremus, ſed ut vos nobis, ita & nos vobis opus inverſum faciemus, quod uſque hodie univerſum aſpicitur. Item, clariſſima leonum ſpecie multæ longitudinis ſed & latitudine competenti, ſanguineos geſtantes campos alios fecerunt, in quibus margo erat candidus, beſtiæ vel aves rubeæ. Cujus in opere exem-

Eccleſiarum ornamenta decorat abbas Robertus.

plum hujus patris circa compoſitum, uſque ad tempus abbatis WILLELMI cunctis clarius palliis manſit nobiſcum. Nam in præcellis ſolemnitatibus abbas elephantinis veſtibus, alius priorum leoninis induebatur. Sed & alterum pallium detulit rotatum validum & magnum, quod ad maceriam cum ceteris tenditur. Ternas quoque inter quaſdam alias auro late circumtextas decoravit albas, ſtolamque ac manipulum eodem ornatu compoſuit, in quibus pendentes ad præcinctorium palmulelæ tintinnabulis organizabant argenteis. Caſulam quoque purpuream religioſus ROBERTUS rex Francorum dedit, & uxor ejus CONSTANTIA regina albam levitæ circa collum & humeros aureis ligaturis intextam. Duo jaſpidis albi, zonis aureis alligati habita ſunt dalmatica, quorum celebrius ex ſemetipſo ſunt, manicæ ſiniſtræ fimbriæ plectro cernuntur retortæ, recordationem prætendentes contra mundi principem Dominicorum præceptorum. Duo etiam præcipua tapetia a tranſmarinis partibus a quadam regina ſunt directa. Verum quot & quantis ornamentorum copiis prædicti patris inſtantia ſacer ille locus refulget, non eſt noſtræ facultatis evolvere.

Eccleſia S. Michaëlis in Eremo data S. Florentio.

25. In illis diebus AIMERICUS Toarcenſium proconſul, & poſtmodum Nannerenſis comes, magnifica B. Florentio conceſſit beneficia, videlicet eccleſiam S. Michaëlis quam dicunt in Eremo. Porro hoc donum in plures annos eſt retentum, & a patre ROBERTO jam ætate provecto diutius conſervatum. Sed quadã vice Pictavorum comes illo deveniens, ſcutellatam piſcium multorum, unde locus affluit, a monacho præpoſito ſibi per nuntium expetivit: qua ſibi denegata, præ nimia triſtificatione S. Florentii monachos inde expulit, & abbatiam fore conſtituit. Hic prænotatus AIMERICUS prole carens, quaſdam ſui juris villas S. Florentio in ſucceſſione condonavit. Cui domnus abbas ROBERTUS prope Toarciacum caſtrum libram optimam tantum in vita delegavit; ſed illo obeunte, RODULFUS frater ſuccedens anteceſſoris ſtatuta contemſit.

Fulco & Gaufridus Andegavorum comites S. Florentio infeſti.

26. Per illud tempus FULCO Gaufridi filius Andegavorum tenebat comitatum, hoſtium callidus & fortis debellator, ferus nimis & proſperis eventibus famam & fines eorum dilatans. Qui poſt mortem primæ uxoris, cum ELISABETH quoque cauſa adulterii concremaſſet, HILDEGARDAM puellam illuſtrem duxit uxorem. Cujus primogenitus GAUFREDUS a fabri uxore apud Locas caſtrum educatus, MARTELLUS cognomen accepit. Hi duo pater & filius, ut natura dictabat, feritate viribus, crudelitate feris pene fuerunt feriores, hoſtium calcatores, cujuſvis ordinis immiſericordes, expeditionibus inſiſtentes, eccleſiarum jura fiſco proprio redigentes, & inde ſuis oppida militibus extruentes, ad ſuum munimen ſuæque provinciæ motus vel vicarias ad libitum componentes, contra quos nec muſſitando reniti ſummis etiam ſacerdotibus fas erat: quia durum & avarum cor eorum nullius ordinis vel tenuem auditum impunitum præteribat. Ab his itaque raptoribus eccleſia noſtra tum Perionæ pervaſione, tum ſcriptorum amiſſione graviſſimum ſubiit detrimentum. Nam eccleſiæ noſtræ ſub eorum non dominio, ſed tyrannide conſtitutæ, ab anteceſſoribus nobis attributæ, ne in ſacris laici participarent, ſimulata religione per prædictos tyrannos alienis eccleſiarum miniſtris potius ſunt venditæ quam donatæ.

Conani & Gaufridi Britanniæ comitum mors.

27. Eodem tempore ortum eſt bellum inter CONANUM comitem Britonum & prædictum FULCONEM comitem Andecavorum: cujus belli victoria poſt multam utrorumque interfectionem, Conano necato, Fulco potitus eſt. Proinde proverbium eſt vulgatum: Bellum conquirentium quo tortum ſuperavit rectum. Hujus Conani filius GAUFRIDUS prælibati Fulconis ex ſorore nepos, Galone monacho impetrante, dedit S. Florentio locum Livriacum dictum, fœdere inito, ut cum orationum auxilio patris ſui Conani anniverſarium ut monachi fieret, ſuum vero feſtivum. Sed & GALTERIUS Redonenſium præſul ſuorum exactionibus illum abſolvit. Qui Gaufridus nobilitate, viribus & armis preditus, Romanum pro oratu iter carpens, cujuſdam matronæ hoſpitium ingreſſus eſt: cujus accipiter mulieris gallinam invadens occidit, unde a tumultuoſa muliere caput lapide percuſſus, ſua re diſpoſita mortuus eſt, ALANUM ſanctimonialium Redonenſium abbatiæ fundatorem, & EUDONEM filios ſuos hæredes relinquens.

Sanctorum Mevenni & Judicaëlis tranſlatio.

28. Tempeſtate Normannorum beatorum Mevenni atque Judicaëlis artus Pictavo territorio, loco Exionenſi delati ſunt. Pars quorum in eccleſia ſancti ſub tabulis tumulatur. Alia vero ligneo diligenter contecta loculo, caſtro Toarcenſi in Eccleſia S. Martini diutius reconditur. Tempore vero abbatis Roberti inde cum ingenti gaudio apud Salmurum in cœnobio B. Florentii ſummum in divinis & humanis ſubſidium tranſlati ſunt.

Capitis S. Pauli epiſc.

Nec ſummi Britanniæ ſacerdotis Pauli donũ nobis a Deo collatum debeo præterire. Nam ſub prædicta vaſtatione caput B. Pauli in bufeto Nannetis ſatis inculte, ſed non incaute reconditum eſt. Quod Toarcenſis & Nannetenſis princeps conſultu S. Florentii cœnobitarum terno igne ligni terniſque ſarmenti combuſtionibus examinavit, poſtmodum vero in Glõnnenſi cœnobio monacho ſubvehente reponendum tranſmiſit. Cujus auctor operis per Andegavum reverſus, ut fertur, Doado poſtea necatus eſt. Jam vero rumor iſte pene evaneſcebat, cum quidam Britannorum monachus Glonnam veniens, tale dubitantibus retulit indicium, quia retro ipſum

caput ad cloacam Marſi quondam regis dum ſimul in loculo portaretur paululum attenuum erat. Jejunioque peracto hoc repetiens, S. Pauli veriſſime caput eſſe proclamavit. Solebat autem feſtivitas de hujus capitis delatione cum tribus lectionibus celebrari: verum capſa ſancti per noctem divinitus in Glonna ædituos inquietante, domnus SIGO abbas ſancti venerationem a ternis lectionibus ad XII. promovit.

De tribus ſanctis monachis.

29. Adhuc nactum a Deo ſuffragium eſt enodandum. Nam quidam ſancti monachi, Hilbertus, Roardus, & Anianus clericus, cum aliis quibuſdam a beato MAXIMINO Mitiacenſis abbatiæ ſe ſequeſtrantes, haud longe a caſtro Salmuro oratorium cum manſiunculis compoſuerunt, Deoque ibidem non ſegniter adhærentes, doctrina plurimos ac virtutibus inſtruxerunt, quibus defunctis ibique ſepultis, locus cum manſiunculis poſtea funditus eſt deſtructus. Poſtmodum vero Angomaro, genere Cenomannico, Salmurienſi priori, quidam in viſu adſtans, qui eſſent, vel quo in loco, quandoque ipſi cum ſacro loco excoli deberent indicavit. Qui viſionem diſſimulans, tertio increpatus, tandem quid viderat prodidit, & de ſubumbræ albæ ſpinis extracta ſanctorum corpora intra veteris macceriæ veſtigia cum ſarcophagis & membranis ſanctis abbas ROBERTUS omniſque plebs repoſuit, & deſuper in honore S. Vincentii ligneam eccleſiam ædificavit. Fuit autem hic Robertus multum agilis in opere Dei. Nam tam laudabili ſtrenuitate ſibi commiſſum gubernavit, ut nihil illo ſuperſtite de abbatia S. Florentii diminutum fuerit, ſed plurima adduxit, nihil umquam ſua inertia amiſit, ſed velocitate multa acquiſivit;

Robertus abbas factus Mitiaci.

& poſtquam abbatiam S. Maximini ſuſcepit, tunc utrumque ovile ab inſidiantibus lupis paſtorali ſollicitudine defendit, ibique apud S. Maximinum obiit. In cujus dormitione quoddam divinitus factum audivimus, quia videlicet cum in extaſi factus eſſet, fratribus luctivagas voces emittentibus, & inter mortem & vitam hæſitantibus, Boſo præpoſitus ejuſdem loci & monachus ſic eos alloquitur: Fratres, ut certi de hoc patre noſtro ſimus, pilos de pedis ipſius pollice evellite, & ſi adhuc ſpiritus in eo eſt, pedem retrahet; ſin autem, mortuum reputate. Qua probatione reductus: Parcat, inquit, vobis Dominus, fratres. Quibus quid mali egiſſent interrogantibus, ille reſpondit: Ego coram domino noſtro Maximino aliiſque patribus noſtris aſtabam, qui multa cum eis colloquentem hinc me educere cupiebant, ſed vobis pulſantibus ſum reverſus. At vero vobiſcum ultra non ero, commendo vos omnipotenti Deo. Valete, filii mei. Sicque a ſæculo migrans ſepultus eſt in clauſtro ante arcellum capituli anno MXI. VI. id. Auguſti. Hujus dormitionem patris aliud præceſſit præſagium. Nam in Salmurenſi cœnobio voces canentium ſæpius audiebantur: *Migremus hinc*, quod ſignificabat domnum Patrem Robertum ſub alieno climate ſepeliendum.

Adhebertus abbas.

30. Poſt cujus deceſſum domnus ADHEBERTUS ſubſtituitur, qui ex pago Turonico, Cainonis caſtro extitit oriundus. Hic ſub patre Amalberto in B. Florentii baſilica ſuſceptus in monachum & educatus, in ſancto habitu converſatus eſt. Fertur autem cum feciſſe duo candelabra argentea, quæ ſunt inter duo preſbyterii altaria. Hic autem poſt felicis vitæ ſpatium plenus virtutum odoribus & moribus glorioſo fine quievit.

Geraldus abbas.

31. Sane de ſucceſſore facta eſt altercatio. Quidam enim fratrum & GELDUINUS Salmuri dominus, Galonem monachum S. Florentii procuratorem præferebant; alii vero cum ODONE comite Giraldum ex Toarcenſi caſtri primoribus ortum eligebant. Hic Giraldus INGELBALDI divitis cognomento Gonelli frater extitit: quod ſupernomen in Toarcenſi pago diffuſum, per ſucceſſores eo usque poſſeſſiones ſervatur in ævum. Prævaluit, comitis ſibique faventium voluntas, & quem præ ceteris elegerant, Giraldum abbatem præficiunt, qui mundo clarus, & mundi favoribus inhians, tyrannica poteſtate utens, multa B. Florentio diſtraxit beneficia. Hic autem ſuis fautoribus, adulatoribus, parentibus & amicis, prædia, terras, manſuras, domos, & decimas concedebat. Multis etiam ſub libero homagii ſervitio terras donabat. Nam ſub memorata conditione idem Giraldus dedit Alberico Montis Johannis caſtri domino, eccleſiam S. Albini, Caſtello-Penus dictam, cum omnibus ſuis appendiciis. Simili modo Petro ejuſdem caſtri militi, cujus filium Amalbertum in baptiſmo ſuſcepit, in ſigno filiolatus ex Maſnilii S. Mariæ eccleſia totius parrochiæ medietatem conceſſit. Sed multo poſt, FREDERICI ſcilicet tempore, afferentibus quibuſdam non perenniter abbatem Giraldum hoc donum feciſſe, ipſe Amalbertus, jam patre defuncto, monachos rogavit, ut quoad viveret dimitterent, ſe vero mortuo, libere reciperent. Quod monachis abnuentibus, in Glonnenſi S. Salvatoris ſanctique Florentii eccleſia judicii examen manu propria tulit, & donum æternaliter factum ſalvus ex judicio confirmavit.

De dono Poſturam denudantes cognitionem, Polierni Caroli imperatoris optimatis magnum donum non tacebimus, cujus corpus in Glonnenſi eccleſia ante altare S. Radegundis ſub armario eſt ſepultum. Conſtat etenim ſanctum Machariam olim cum paucis Spiritu ſancto perductum, juxta Domini præceptum duplicatum certamen reportare, talem tum apud Eſpetuam Gortiacumque, vel, ut nunc dicitur, Roriacum in pago Medalgico deveniſſe, ubi in vaſtiſſima ſolitudine, aliiſque

liciai optimatis.

locis diversa monachis cum oratoriis extruxit habitacula. Monachos vero ad eum confluentes ibidem recepit, eosque datis redditibus largiter ampliavit. Tandem post longum tempus, Polierno tradente, prædicta loca cum universis appenditiis suis S. Florentio sunt attributa. Quod donum monachi ab omni episcopali & laicali violentia plenius absolutum sub regia firmitate posteri immune diu tenuerunt: unde etiam post excidium occidentalis Franciæ, redeuntes monachi sicut Glonnensem pagum, & hunc quoque repetierunt, qui apud Espetuam, lapidea diruta, majorem ligneam construxerunt ecclesiam, ævo in nostro senio jam consumtam. Quæ potestas CXL. terræ mensuras contiguas habebat, cujus partem GIRALDUS abbas suis consanguineis per homagium GAUFRIDI Toarcensium vicecomitis & posteris suis tradidit. In alia vero quæ monachis remansit, Vitalem nepotem suum præpositum constituit.

Giraldus abbas moritur ornatior.

33. Hic Giraldus ad Sepulchrum Domini orare desiderans, Jerosolymam perrexit. Sed antequam illuc perveniret, comprehensus est a paganis, a quibus multa supplicia perpessus, cum nomen Christi constantissime fateretur, tandem inter verba orationis gladio vitam finivit. Nam cum decollaretur, repetendo dicebat: *Omnes sancti orate pro nobis.* Testatur domnus ANSBERTUS sancti Florentii monachus, qui cum ipso multa in eodem agone supplicia pertulit, sed tamen, Deo sibi auxilium ferente, vivus evasit; exinde reversus, nobis qualiter martyrisatus est per ordinem retulit. Qui postea merito suæ prudentiæ abbatiam Pontelevis cœnobii regendam suscepit, & quamdiu advixit vigilanti sollicitudine gubernavit. Hic enim Giraldus ODONIS comitis imperio EVRARDO Majoris-monasterii abbati suam abbatiam commisit; deinde cum tribulato spiritu veniam poscens & valedicens, iter multis comitantibus aggreditur. Tandem emenso terrarum spatio in urbe Licaonico cum pagano quodam divite hospitatus est, a quo vas argento & auro pulcherrimum, quod ferebat abbas, paganus flagitans, petitione frustratus est. Paganus vero iratus cum pluribus armatis semitam occupavit. Tunc abbatem per semitam transeuntem, jam martyrium anhelantem & letaniam a capite decantantem, maleficus ille paganus capite truncavit, & vas memoratum cum quibusdam spoliis absportavit. Socii vero de morte patris condolentes, assumto corpore cum lacrymis, abierunt, & in quadam haud longe ab ecclesia arena humilem fecerunt sepulturam. Et inde progressi apud quoddam cœnobitarum monasterium diverterunt; cujus abbas monasterii illorum incommodo compassus est, missisque fratribus, post caritatis solatia, cadaver abbatis fecit apportari, dignaque sepultura in suo monasterio sepeliri. Ansbertus autem monachus, Salmuriensis ecclesiæ prior, Toarcensis natione, in seditione prænotata sagitta ventre perfossus est: qua in illo remanente, per diversa quietem exquirens pro vulneris incommodo vile stramen & pellem sibi supponebat. Confecto tandem itinere, a sancta urbe rediens idem Ansbertus convalescens Salmuro pretiosum pallium hodie conservatum detulit, multo post zona circumdata. Eo tempore casuali igne cum parte castelli Salmurense comburitur cœnobium, ornatumque aliquod perpessum damnum denuo viriliter reparatur. Præsidebat nostræ tunc ecclesiæ domnus EVRARDUS Majoris-monasterii abbas, consilio & eloquentia magnus, licet suspectus. Hic ab abbate Giraldo pro pecunia traditum redemit ornamentum, pluraque alia melioravit.

Frederici abbas.

34. Giraldo vero abbate hominem exuto, Odonis comitis præcepto ac nobilissimorum voto anno MXX. VII. calendas Septembris ex B. Martini disciplina eligitur FREDERICUS in abbatem, Letardus in priorem, diversæque ætatis honestorum fratrum copia, per omnes monasterii gradus est disposita; qua maturante actione, Andegavis a pontifice HUBERTO calendis Septembris, abbate EVRARDO præsente Fredericus consecratur, propriisque in locis ab eodem Evrardo, præsente comite, de Majore-monasterio personæ Salmuro stabiliuntur: quos pacificos invenerunt claustrales dimiserunt; inquietos autem, ut ordo monasticus omnimodo teneretur, navigio Turonus direxerunt: qui gravitatem ordinis non ferentes, paucis post diebus aufugerunt.

Evrardo abbati Majoris-monasterii committitur regimen congregationis S. Florentii.

De Galone Glonnensi præposito.

35. Itaque domno Evrardo ad sedem suam regresso, FREDERICUS abbas novus Glonnam nostri primordium tendens, a memorato Galone foribus obseratis repulsus est. Sed cum Letardum priorem isse cum aliis ad Fulconem Andegavensem comitem audisset, tandem cessit consilio, abbatemque cum suis recepit. Ipse vero Galo ex præcepto abbatis & voluntate propria, inscius quem circa se abbas animum haberet, usque ad Salmurum abbatem secutus est: quem abbas in claustro manere compulit, aliumque loco ipsius subrogavit, iterumque propter suam virilitatem Glonnam remissus est: ubi demum vitam finiens sepultus est deforis juxta membri dextri maceriam, quo nunc sacrarium habetur XIII. calendas Novembris. Ferunt quemdam clericum hujus Galonis temporibus antiqua privilegia nostra furtim substituisse, & BUDICO Nannetensium comiti præsentasse. Qui Budicus cum magnam terræ suæ partem sancto Florentio deberi vidisset, igne cremavit. Inter hæc dum turgida Majoris-monasterii concio cum justitia mixta plerumque impietate Salmuro debaccharet, illorum quidam pravitatis zelo accensus, claustri conspicabilem sculpturam cum quodam martello ca-

pita & cetera membra confringendo ſcelera-
tiſſime deturpavit.

De Bernerio clerico.

36. Sub his diebus Bernerius quidam clericus valde eccleſiaſticus, primus a FREDERICO abbate ſacra veſte induitur, qui poſtea ædituus inſtitutus, cymbalum deliberavit. Cum vero ſignorum faber metallum conflatum transfunderet, illo ut creditur deſtruente, tertio deperiit, qui execratur ablationem pectoris. Cunctis ergo deſperantibus, GELDUINUS Salmuri dominus ad Bernerium monachum veniens, «noli, inquit, anxiari, trade mihi metallum reſiduum, & recede, forſitan ego opus complebo.» Ante cujus horam effuſionis ipſe quoque Gelduinus ad S. Ciricum receſſit, factumque ſignum ab auctore ſuo GELDUINUS eſt dictum. Vocatur tamen ab aliquibus ob ſoni puritatem *Clarellus*.

De Frederici abbatis virtutibus.

37. Fuit autem FREDERICUS abbas Turonis ex ſervili ſancti Mauricii conditione ortus, qui merito ſanctitatis atque juſtitiæ quaſi lucifer refulgens, abbatiam ſuo tempore multifarie multiſque modis decoravit. Fuit enim magnæ religionis, ſuperbiæ deſtructor, humilitatis amator, in lectione aſſiduus, in vigiliis & jejuniis & oratione devotus, in dulcedine ſanctæ compunctionis & abundantia lacrymarum Spiritu-ſancto incitatus. Quod docuit voce, prius fecit opere: quamdiu vixit duplici doctrina præfuit ſuis diſcipulis. Huic venerabili patri mos erat, ſicut de Caſſio Narnienſi epiſcopo dicitur, quotidianas Deo hoſtias offerre, ita ut nullus pene dies vitæ ejus abſcederet, quo non omnipotenti Domino hoſtiam placationis immolaret. Cui cum ſacrificio valde concordabat vita: nam cum ad horam offerendi ſacrificii veniſſet, veluti totus in lacrymis defluens, cum magna cordis contritione ſemetipſum mactabat. Ab initio ſuæ ordinationis uſque ad tempus incenſionis atque captionis Salmuri, quæ facta eſt a FULCONE Andegavorum comite, manſit in Salmuro. Ordinem monaſticum invenit tepidum & depravatum, & pene jam lapſum, quem & prædicando & operando fecit fervidum & erexit atque commutavit in meliorem ſtatum. Habitatio caſtelli erat valde oneroſa, & animabus fratrum periculoſa atque damnoſa, ſed liberati ſunt inde ordinatione divina.

Columna igneavisa ubi futura erat eccleſia S. Florentii.

38. Ex prioribus Salmurienſis eccleſiæ alumnis, quidam erat Girardus nomine, gibbo preſſus, ordine ceteros & vita tranſcendens, cui omnipotenti oraculo ſuper fluvium Thoerium, ubi B. Florentii futura erat eccleſia, illo præmonente qui humilia reſpicit, columnam igneam miræ rutilationis a terra uſque ad cœlum protenſam, felix contemplator aſpicere meruit.

Bellum inter Odonē Campanienſem & Fulconē ducem Andegavenſem.

39. Jam Salmurenſis locus, Deo fautore, plurimum nobilitatus non ſolum monachis ordinem inclyte tuentibus, ſed etiam quotidianis facultatum augmentationibus, jam Majori-monaſterio impar minime videbatur, jam quaſi caput aliorum cœnobiorum excreverat ſublimius; cum diſcordes motus ſubite cœperunt inter ODONEM cognomento Campanenſem, THEOBALDI comitis heredem, & FULCONEM Andegavorum ducem, Gaufridi Tuditis anteceſſorem. Tantum enim inter memoratos duces emerſit bellum, ut Odo ob Fulconis motum a ſuis parentibus Salmurum murorum ambitu jam munitum amplius muniret, & victualium & armorum munimentis firmaret, ut inde ſicut regnum ſuum defenderet. FULCO vero callidus ingenio, cum ELISABETH conjugem ſuam Andegavis poſt immane præcipitium ſalvatam occidiſſet, ipſamque urbem paucis defendentibus flammarum incendiis concremaſſet, Jeruſalem petiit, ubi paganis ſanctuarium Domini poſſidentibus, ad Crucem pro urina pigmentum in pixide paratum emiſit, barbamque flendo decerpſit; poſtea repatriare diſponens, Romam devenit, in quo itinere prædones quoſdam ſedem S. Petri violantes, & tranſeuntibus inſidiantes, aliis vitam, aliis vitæ ſubſidia rapientes, deſtruxit. Nam Rainerius comitis archiarius ducem prædonum ad feneſtras turris cum comite loquentem nomine Creſcentem, in pectore ſagitta perfodit, & turre ſic capta, patriam a prædantibus, ut papa Sergius expetierat, liberavit. Reverſuſque cum magnis laudibus pro peccatorum venia, ſicut ſpoponderat, Bellocenſe locavit cœnobium, & quas de Domini Sepulchro vel a ſede Romana detulerat illuc condidit reliquias, ſanctorum ſcilicet Laurentii archidiaconi, Chryſanti & Dariæ; ipſumque locum ODONI venerabili abbati S. Genulfi ad conſtruendum commendavit. Cui Fulconi cum a Burgolio uſque Ambaziacum in ripa Ligeris nullum eſſet domicilium, Turonus cum adeſſet, in ſilvæ opacitate manſiunculam ſibi concedi fieri ſimulative ab Odone comite expetiit ad ſuum canumque cubile: quam corilorum vimine intextarum, vallibus & armis præmunitam Odo comes inſidiarum ſe proſpiciens, ad evertendum accedens, repulſus eſt. Quod FULCO ut audivit, caſtrum inſtituens Lenniacum, quia Lennæ rivulo ſuperjacet, vocitatum, ad oppida quæſivit, quæ ſui priores varia ſorte acquiſierant leviora, præbuit introitum, hoc eſt Ambaziacum, Locas, *Julenſtrats*, Haia.

Fundatio monaſterii Bellilocenſis

40. Anno quoque MXVI. feria VII. inter ODONEM & FULCONEM Pontelevenſe actum eſt bellum, in quo Andegavorum exercitus pene vaſtatus eſt, ſigniferque comitis Sigebrannus de Chimilliaco peremtus. Ipſe etiam FULCO Ambaziacum aufugit. Quod audiens HERBERTUS cognomento EVIGILA CANEM, Cenomannorum comes eo tetendit. Dumque cum ſociis Odo in Caro flumine a vado Cheſeaco belli plus leuca diſtante, membra

Præliū Pontilevenſe.

propter

propter æſtum lavarent, celerrime Cenomanenſes currunt, qui diſperſos atque laſſatos Francos ſole occumbente, illorumque inſuper oculos reverberante, iterato bello invadunt, infinitaque proſtrata multitudine victoriam penes Fulconem fecerunt.

Fundatio S. Nicolai Andegavenſis.

41. Quodam tempore Fulco comes ſecundo ab Jeruſalem reverſus, per Andegavis aulæ feneſtras columbam cementum ſæpe ferre & cavitatem cujuſdam petræ implere conſpexit. Tunc quod in maximo maris periculo voverat & mente tractabat, monaſterium S. Nicolai e veſtigio lapidis anno MXX. fundavit: dumque equum ſuum ad Meduanam aquam ſub caſtello S. Mariæ adaquatum mitteret, pavore valido equus cum ſeſſore percuſſus eſt. Tum comes: Propter hoc, inquit, ô inimice, modò monachos illuc mittam: quod & fecit, primùſque fuit abbas Baldricus ex Majori-monaſterio aſſumtus. Qui poſtmodum ſolitariam vitam eligens in eremum ſeceſſit: cujus ſucceſſor Hildinus ex monaſterio S. Albini aſſumitur, & poſt eum Arraudus.

42. Eodem tempore præerat Salmurienſi dominio Gelduinus vir nobiliſſimus, natura ferus, armis ſtrenuus, forma decorus, longo baronum & equitum agmine conſtipatus, hoſtes finitimos armis penetrans, longinquos ſola fama deterrens. Quotiens Fulco Andegavorum comes per illius viciniam tranſibat, » metu conterritus aiebat: Fugiamus Salmu- » rienſe dæmonium; nam ſemper eum mihi » videor ante meum videre conſpectum. Denique illius virtute oppreſſus, tandem Salmuro copioſum exercitum admovit. Tunc Gelduinus nuntium ad Fulconem dirigit,

Trevæ caſtri conſtructio.

ut trevas faceret. Fulco vero ut doloſus & cupidus hoc verbum fraudulenter interpretans, ſiſti jubet exercitum, & in locum Clementiniacum prius dictum caſtrum exſtruxit, quod Trevas nuncupavit, ad Salmurienſium reprimendam potentiam. Nam a priſcis Franciæ regum temporibus Andegavam atque Neuſtriam regionem libere tenentium, a caſtro Salmuro politiſſimam dominationem, vulgariter vicariam dictam, terminabat Gegina vicus. Tunc temporis in Montis-Buelli vertice, verſus urbem Turonicam, Fulco caſtrum firmiſſimum fecit, quod Odo comes cum exercitu magno obſidens, Fulco vero ex adverſo repelliere nitens, viribus utrimque collectis, publicam condixerunt pugnam, ad quam Gelduinus cum Salmurenſibus, Cainonenſes quoque & Inſulani cum Francis evocati conveniunt. Cumque Fulco jam villam Brenoldem attigiſſet, obvium quemdam habuit, qui Francos multipliciores & multo

Expugnatio & deſtructio caſtri Salmuri.

numeroſiores nunciavit. Tunc Fulco Salmurum vacuum eſſe & ſolum recogitans, retro greſſum dirigit, Ligerique ac Vigenna tranſvadatis, cum gravi exercitu inſperate caſtellum obſidens, vi accepit, & a caſtro ruinam incendii funditus perpeſſuro reverendam patris Florentii glebam extraxit. Abbas autem Fredericus & monachi gravem conſiderantes exercitum, gravius metuentes flammarum incendium, aſſumto corpore ſancti patroni, & ſanctorum reliquiis, exierunt ſicut Loth de Sodomis, vel ſicut Abraham de Ur Caldæorum, anno MXXV. In hujus perturbationis miſeria ubique pallidi deſperatique erratice diſcurrentes, B. Docelini corpus frequentiſſimum virtutibus, oppidani ac monachi conclamando, quorumdam priſcorum more, ad portam orientalem hoſtibus opponunt, pauciſque qui remanſerant occidentalem valide defendentibus, irruentes per orientalem adverſarii Sancti corpus auferunt & abſcondunt, & eum multimodis ſpoliis ad ſedes ſuas devehunt: ſed ubi hactenus eſt obſcurum. Tria ſignorum præcipua tantum igni fuerunt ſubducta, ſcilicet *Vox Domini* vocatum, & aliud a ſeniore Gelduino compoſitum, necnon memoratum ab ejus filio Gelduino factum. Campana quoque argento permiſta, ſonora atque dulciſſima: quæ longe poſt in novo facto monaſterio in nocte Aſſumptionis ſanctæ Dei Genitricis, lecto ab abbate Frederico evangelio, ſuperpluvio tractu ſuper arcuatam turrem cadens, minutata, denuo ab aurifice Oldorico minus valens eſt conflata. Hora jam quaſi nona die calamitatis, paucos ſed tamen robuſtos repugnatores captos, manuſque poſt terga ligatos Fulco comes ante ſe minabat, continuum malum Fulconi & exercitui ejus ſæpius imprecantes. Quorum quidam vaſſus magnus & validus Gaſtho nomine, qui cum abbate Giraldo dudum Jeruſalem perrexerat, ictu gravi a Fulcone percuſſus oculum amiſit. Caſtri vero præpoſitum Americum cognomento Pirum, viginti quatuor filios fratres germanos habentem, Doado incarceravit, qui poſtea latenter evaſit; filiique ejus nonnulli concapti, nam plures cum Gelduino exierunt, Andegavis pœnis attriti ſunt. Interim LX. fuiſſe dicuntur qui in tumultu eodem e ſqualoribus egreſſi, ignem oppido admoverunt, comite ſæpius clamante: S. Fiorenti ſine te concremari, meliorem enim Andegavis tibi habitationem extruam. Cum cujus gleba cum adjudicaſſet repetere Andegavum, ſuis ſanctum ferre non valentibus, a monachis delatus, quamdam in prorim protinus inſilivit, & ſic utcumque a Trevis per jus ſancti ultra eam non delaturus pervenit. Nam mirum in modum ſui cum transnavigare naucleri terram ſancti ſatagerent, videbatur eis, ut quo altius latebat unda fluminis, illic a ſabulo detineretur ratis, eo tranſcendente portum. Tunc cunctis viribus adniſi nullatenus digredi de finibus valuerunt ſancti. Sed ſimul ac dux cum reliquiis nulla conditione poſſe progredi, nec ſanctum a ſuo velle ſeparari monaſterio agnovit, impium & ruſti-

cum illum vocans, nullumque bonum ſibi velle fieri, ſpreta voti ſui Andegavis honoris cumulatione, continuo eas deſeruit, & abſque haud admiratione receſſit. Abbati vero ac monachis repetere ſtationem ſuam in Salmuro, ut prius, dixit: ſed illis multas ob anguſtias renitentibus, annuit orationi & ad prævidendum monaſterio locum aptum denotato tempore una cum conjuge ſe aſſerit advenire. Tunc monachi illum Beatum ſuſcipientes, gaudio cum ineffabili reduxerunt, ſanciente comite nihil agi ulterius violentiæ. Fratres igitur proni oratione emiſſa contra impetum fluvii levius ſunt retrogreſſi, quam antea naucleri illos copia remigii impellente fuerant derivati. Deinde ad eccleſiam S. Hilarii ad locum cui Cryptas nomen eſt impoſitum pervenerunt: ubi depoſito onere, tam metu quam itinere admodum fatigati reſederunt. Tunc conventu navigio Glonnam directo, FREDERICUS abbas & Letardus prior cum ſepteno ſimul fratrum numero tamdiu manere definierunt, facientes pro poſſe opus divinum, donec prædicto oneri electo in loco inchoaſſent receptaculum: omnem enim terram finitimam in Sancti jure poſſidebant. Quibus locum perquirentibus, nec mora prælectus a Domino locus eſt inventus, qui olim Bonali-vadum eſt dictus, ſecus Thoerii fluvium ad campum ſpinoſum, ubi anno MXXVI. menſe Auguſto illud magnificum, Deo auctore, novum cœperunt monaſterium: cujus fabricæ externus quotidie per diverſa operariorum numerus inſiſtebat: cumque per diem omnes ſollicite numerarentur, unus ſemper inveniebatur in opere, qui nuſquam apparebat in retributione. Huic ſtructuræ ſanctitate ac pietate præcipua HILDEGARDIS comitiſſa præſtantiſſimum contulit adjumentum. Suum inſuper carnetum retro B. Mariæ cryptam, favores ſeu adulatores vitando, ædificaverat: quæ cum diro mariti premeretur jugo, ſapientiſſimis actibus illius mitigabat ferocitatem.

Novum conſtruitur monaſterium.

43. Anno igitur MXXX. VI. nonas Maii, onus memoratum feliciter tranſtulerunt in novum monaſterium adhuc imperfectum in dextro membro, ſuper altare S. Johannis Baptiſtæ, ubi congregata eſt immenſa multitudo non ſolum affinium, ſed etiam longe poſitorum. Affuit quoque Tudites GAUFRIDUS Fulconis filius, cum ſuo patre ac matre & univerſis Andegavorum primoribus. O quam pulchro & mirabili modo antiquum nomen Bonali-vadum huic eximio competit loco, quoniam qui huc bono vadent animo, ad ſolidum ttanſibunt de lubrico, ad lucidum ingredientur de tenebroſo. Enimvero vadendo ad conſortium inibi commorantium, ad æthereum vadent contubernium.

In quo tranſfertur S. Florentii corpus.

Salmurii obſidio.

44. Interim GELDUINUS audito quod a Fulcone captum eſſet Salmurum, anxius & dolens ODONEM comitem cœpit rogare ut continuo exercitum Salmuro applicaret: ſed ille cœpta nolens omittere, ſpopondit ſe, ſi Salmurum non poſſet, aliud caſtellum Gelduino reſtituere. Poſt menſem dierum Odo comes Salmurum obſedit; ſed incluſi fortiter reluctantes, machinam quam ex lignorum congerie Franci paraverant, incenderunt. Quod comes ægre ferens, tædio laboris & vindemiarum inſtantia, Francos ad ſua dimiſit. Poſt aliquantulum temporis Odo comes & filius ejus THEBAUDUS cum multo exercitu iterato Salmurum obſederunt: qui prope cœptum novum monaſterium in clauſo vinearum tentoria fixerunt. Tandem in colloquio monachorum Andegavenſis & Bleſenſis comites diffinierunt, ut Odo Salmurum relinqueret, & Fulco Montem-Boellum deſtrueret. Quo facto, Gelduinus ab Odone Calvum-montem recepit. Tunc Gelduinus reminiſcens patroni ſui Florentii ex ipſius inſtitutione Pontelevis abbatiam fundavit: ubi memoratum ANSBERTUM cum quibuſdam e fratribus regulariter inſtitutum, a noſtro cœnobio eductum abbatem præfecit. Qui diu ipſum locum feliciter extruens, feliciuſque gubernans, caſu Turonis apud Majus-monaſterium decedens ſepultus eſt. Denique FULCO comes verſus Toarcenſes in jus S. Florentii caſtellum ex monte & nido *Falconem* nuncupatum inſtituit: quod XII. coacti a monachis Eſpenam degentibus cum aliis operariis peregerunt. Cujus loci adminiculator prælibatus VITALIS nepos abbatis Giraldi, rapinis inhians, inde monachos expulit. Qua de cauſa præda non modica militari manu Glonnam deducta eſt: quam Vitalis omni emendatione pollicita recepit; ſed ipſe promiſſa tamquam mendax præteriens, monachos S. Florentii duos illuc ab abbate Frederico ſicut prius tranſmiſſos etiam inſectando effugavit. Subſequenti tempore quemdam Eſpetuam parrochiæ potentiorem, nomine Jovinum, Auſterius caſtri Mauritaniæ dominus cepit: cujus captionis anxii monachi. *

Fundatio abbatiæ Pontiſſelvii.

*Hic videtur aliquid deficere.

45. Denique BUDICUS Nannetenſium comes, cum ipſe ac ſui prædeceſſores Andegavenſium comitibus ſervire ſolerent, quibuſdam cauſis incurrentibus contraria cœpit agere ſervus in dominum. Fulco vero cum filio Gaufredo & uxore Agnete, quam defuncto viro ſuo Aquitanorum duce anno MXXX. inceſto conjugio duxerat, Glonnam montem tetenderunt, & in occidentali parte montis caſtellum determinaverunt: quod excidium monachi cum habitatoribus reverentes, multis precibus ne caſtellum ibi fieret comitibus perſuaſerunt. Qui comites paululum cedentes, priſcam defenſionem duarum eccleſiarum cimiterium ambientem, quod ritu veteri crux ad Orientem & alia ad Occidentem ſita propter infractiones præmonſtrabat, conſtruxerunt, & monachis ad cu-

ſtodiendum dimiſerunt. Aggerem quoque in proſpectu monaſterii cum turre lignea erexerunt : quod caſtrum cum officinis clauſtri duo monachi Glonnenſes, Thetbaudus præpoſitus & Albaldus cellerarius, lapideo robore concluſerunt, qui per annos circiter LX. mirabili inſtantia ipſum locum gubernaverunt & inſtauraverunt. Omnes antea conſuetudines ſeu redhibitiones tam in terra quam in Ligeris aqua, ut antiqua confirmatione ſtatutum erat, S. Florentio cedebantur. Unde illi comites partem aſſumſerunt, partemque monachis reliquerunt. Telonium autem aquæ Ligeris omnium navium ſeu calannorum ſurſum inferiuſque euntium, totum cum eſſet monachorum, præter ſolummodo quartam partem magnarum navium duobus aut pluribus lignis compoſitarum, ipſi comites totum prædictis abſtulerunt monachis. Quod cum monachi nimis dolerent, contra impiiſſimos tyrannos nihil dicere auſi ſunt. In prædicto autem comitis aſilo clientela comitis illic commanens, rapinis & cædibus inſiſtebat, & ſeditioſa in monachos & eorum homines augebat. Sæpe enim ipſius cœnobii portæ ſanguine fœdabantur, & per totum oppidum & in clauſtro ſagittis volantibus homines vulnerabantur, Sed tandem domni SIGONIS abbatis ac ceterorum fratrum precibus, memoratis comitibus defunctis, turris & prædicta firmitas a GAUFRIDO minore Gaufridi Martelli nepote deſtructa eſt. Additum eſt etiam ut idem caſtellum omnino ſub dominatione maneat monachorum, excepto quod aliena non introducatur perſona. Alia vero dudum ſub veteri caſtello domus ab HILDEGARDE comitiſſa ædificata in valle fuerat, ſed hac exſtructa, illa deſtructa eſt : quod Budicus comes Nannetenſis non æquanimiter ferens, cum exercitu advenit, ſuiſque mox per paſcua ad prædam concurrentibus cum reliquis, quantum ex burgo potuit incendit atque vaſtavit ; ſicque diſcedens non quantum voluit malum peregit. Quod ultum fuiſſe inter alios ſenſit nobilis quidam juvenis SIMON miles tunc XXX. boum inde raptor & poſſeſſor, demum cæcus factus & contractus, uxorem ſtrenuiſſimam ſibi adjungens, amplius quam L. annos pecunias augmentando, poſtea vivens, aliorum manibus vel equa ſua vehebatur, peccatique ſui memor, monachis S. Florentii apud Bonovrium ſibi vicinantibus beneficia plurima contulit. Sed quia ſuper ſeniore Florentio interſeruimus mentionem, de ipſius reſtitutione aliquam reddamus rationem.

De reſtauratione monaſterii Glonnenſis.

46. A deſtructione igitur monaſterii S. Florentii, quæ facta eſt a Nemenoio Britone, ſeu ab adventu Normannorum, quod utrumque factum eſt regnante Carolo-Calvo, uſque ad tempus illud, quando relatum eſt corpus S. Florentii a Tornaco per Abſalonem monachum, & in caſtro Salmuro recondi-

tum, quid actum ſit de monachis qui tunc diſperſi fuerunt, quove abierunt, ſeu qualiter poſtea converſari ſunt, nobis omnimodo incognitum habetur, niſi hoc quod in noſtris cartis reperimus ; poſt ſecundam deſtructionem hujus cœnobii a Normannis factam, quod monachi cum corpore ſancti Florentii, juſſu piiſſimi regis Caroli in partibus Franciæ, ad locum S. Gandulfi, quem idem præcellentiſſimus rex jam pridie huic loco contulerat, poſt combuſtionem hujus loci a Nemenoio Britone illatam, abierunt, ſed quomodo exinde migraverunt, & ad Tornacum perrexerunt omnino ignoratur. Et hoc habemus certum, quod iſtud S. Florentii monaſterium deſertum fuit & deſolatum, & omni humana habitatione vacuum. Arbores in eo creverunt, ſues agreſtes & cetera animalia agreſtia converſationem in eo habuerunt, & ubi ſolebant audiri voces monachorum laudes Deo canentium, audiebantur nihilominus balatus atque fremitus quorumlibet agreſtium animalium. Altaria omnia quæ Deo fuerant conſecrata, violata ſunt atque confracta ; ſub qua deſtructione maceriæ veternoſæ hedera repletæ non multæ altitudinis clauſtri ſpatium quadrifarie claudebant, portentantes quatuor magnas domos ibi fuiſſe, diverſis miniſteriis attributas. Quæ maceriæ a domo dextro membro contra meridiem adhærenti ad orientem extenſæ, infirmorum officinas viridariumque continebant : ſed quoniam modernis uſibus erant diſcordes, ad mediocrem conventum, pluribus everſis manſionibus, conſtituerunt duos propter domorum fundationem puteos, unum in refectorio, alterum in cellario, obturantes alios, foderunt.

Dedicatio eccleſiæ Glonenſis.

47. Anno igitur Incarnationis Dominicæ MLXI. indictione X. epactis XXVI. concurrentibus VII. ciclo lunæ XIV. termino Paſchæ V. idus Aprilis, die Dominico Paſchæ XVII. calendas Maii. Menſe Junio XVIII. calendas Julii dedicatum eſt monaſterium S. Florentii ſenioris a domno EUSEBIO Andegavorum epiſcopo, in honore S. Salvatoris & S. Florentii confeſſoris, eadem videlicet antiqua dedicationis ejuſdem monaſterii dignitate confirmata. Altaria vero ipſa denuo ſunt conſecrata, ſed additum eſt aliquid ab eodem venerabili pontifice in unoquoque eorumdem altarium, quod antea non fuerat. Nam quod ante erat ſolummodo ſanctorum martyrum Dionyſii ſociorumque ejus, nunc ſimul eſt omnium martyrum. Quod olim erat tantum S. Stephani protomartyris, modo ſimul habetur omnium ſanctorum. Quod erat S. Johannis-Baptiſtæ, nunc eſt & Evangeliſtæ & omnium ſanctorum apoſtolorum. Et quod erat S. Radegundis, nunc eſt ejus & omnium virginum. Quod erat S. Martini, nunc eſt ejus & omnium confeſſorum. Tria vero ſunt in eadem æde altaria, quæ ſine

aliquo additamento sunt reconciliata atque benedicta. Id est altare Dominicum quod est proprie S. Salvatoris, & altare capitis quod est S. Florentii, tertium autem est S. Hilarii Pictavorum pontificis. Causa hujus secundæ dedicationis fuit, quod idem monasterium olim a Carolo Magno constructum, & a ceteris regibus nobiliter sublimatum, postea a Nemenoio Deo odibili Britone crudeliter legimus incensum. Nam cum ad illud usque tempus, Britones regibus Franciæ servire soliti fuissent, ipse primus quamvis non de regibus, nec de regali, sed de ignobili progenie ortus, contra Carolum-Calvum se erexit, & ei servire contemnens, Rhedonenses Nannetensibus jungens vicit, sicque monasterium a patre Ludovico & ab avo Carolo-Magno fundatum atque nobilitatum aggressus incendit atque vastavit; sed a sancto cui isdem locus olim fuerat divinitus concessus, invisibiliter percussus, data non minima pecunia, damnum quod sancto intulerat, quantum potuit emendavit. Verumtamen signum suæ percussionis semper secum habuit, nam quamdiu vixit claudus permansit.

Reginaldus Andegavēsis scholæ magister scribit miracula S. Florentii.

48. Hoc in loco multa magna fiebant antiquitus miracula: ideoque sabbatorum diebus *maximus illic infirmorum* agebatur concursus, ex quibus Raignaldus vir singularis exempli & Andegavensium scholarum magister, FULBERTI episcopi doctrina eruditus, Frederici abbatis monitu, S. Florentii miracula cum præfatiuncula, scilicet ab *Ardente puero in metallica regione* usque ad *fauciatum spina in Arvernica patria* descripsit. Illa quoque responsoria temporibus domni ROBERTI abbatis, quia non eis grata erant, idem Raignaldus nova, qua nunc utimur verborum serie composuit. Stéo vero Carnotensis ecclesiæ decanus, ipsiusque Fulberti cum ceteris a puero doctor, cantum fecit. Duos quoque hymnos ipse Raignaldus dictavit: *Canat chorus fidelium*, & *Sancte confessor*.

49. Sub prædicto monte Glonna est memorata B. Dei Genitricis ecclesia, Mariolum * dicta, cujus ante frontem Hiberis * fluvius decurrit, per quem quondam æstiva amnis tenuitate duo collegæ rustici pecudes ad pascua deducebant, piscemque magnum percham vocatum, unus illorum intuens, & ad profundiora sequens, signum aureum fere centum librarum pedibus offendit, calciamque primo putans ad ansas signum esse cognovit: adscitoque collega cymbalum foris trahunt, & aurum cognoscunt, dolique ignari, Galoni Glonnæ priori notificatum præbentes, ab eo terræ borderiatam loco munetis recipiunt: quod audiens BUDICUS Nannetensium comes, a curia Fulconis Andegavorum comitis revertens, monachos qui tres aut quatuor ibidem commanebant conveniens, idem signum utpote illorum, sicut sui prædecessores, adhuc dominus, minarum improbitate pro decem libris denariorum extorsit. Constat ergo hanc perpetuæ Virginis Mariæ antiquam ecclesiam juris esse ab antiquis temporibus S. Florentii, servitricibus sanctimonialibus opulentam, claramque virtutibus: quæ gentis maritimæ procella, ad quamdam suarum refugerunt ecclesiam, ob quamdam illarum sororem absentibus ceteris a quodam stupratam: quod quia delirando commissum est, aliis ad iracundiam provocatis, *Delire* est vocata.

* *Marillais.* * *Eure.*

50. In prædicta S. Mariæ ad Mariolum ecclesia, fuit quædam ejus imago Dominum amplectens brachiis: quam cum fur ultra Iberim, unde venerat, ferre voluisset, & aquam transire non posset, suo imaginem volens nolens restituit loco. Hic fuit quidam presbyter nomine Jovinus, qui nocte in castello jacens in lecto, serviebat enim ad crucifixum castro inclusis, sicut in hac fundatione statutum est, nunc ad memoratæ ecclesiæ plagam, nunc & B. Florentii signa, aliique viri religiosi sæpius audierunt, aliosque non audientes si id audirent perquisierunt. Qui presbyter capellam S. Johannis Baptistæ in valle super Iberim sitam consensu monachorum, ob annuam inundationem destruxit, & in monte illam transtulit, jamque prope perfecta, seneque defuncto cuidam viro in visu a sanctis, Surge, inquit, & S. Johannis ecclesiam deversam reædificare satage: quia non Dei est voluntas illam destructam permanere: qui pro negligentia insanus factus est. Deinde admonita religiosa mulier Alberga nomine, ecclesiam suo loco restauravit, in qua juxta maceriam dexteram sarcophagum aperuerunt, anulumque aureum cum digito & catholum argenteum & quinque solidos antiquæ monetæ argenteos invenerunt, nomenque Rainaldi scriptum erat in anulo. Tunc ossa rapientes, humo sicut & innumera operuerunt. Erant enim cimiteria mausoleis lapideis plena terra obtecta, quæ abstracta confringentes in ædificiis imponebant, vel in calcem fundebant.

Corporalia in igne illæsa.

51. Quodam æstivo tempore in ecclesia S. Mariæ, quæ Mariolensis vulgo dicitur, res accidit talis. Nam Dei permittente judicio, domus Rainaldi cognomento Mauzelli eidem ecclesiæ adhærens, ab igne apprehensa est, nulloque penitus defendente, ecclesia quæ tota, præter vetustissimas macerias, erat lignea, ab igne est consumta. Post paucos vero dies ecclesia jam ex parte aliqua de immensitate carbonum mundata, quidam clericus juvenis advenit, nomine Johannes, cognomento Forestarius, clavos & firmaturam arcæ, quæ juxta altare erat, requirens: Qui repente corporalia, ubi presbyter tunc nomine Thebaudus mysteria sacrificabat, invenit. Reliqua tam vestimenta quam libros vel calicem cum ipsa arca combusta & ad

nihilum penitus redacta, corporalia candidissima apparuerunt, in unius tantum capite parvum signum ignis remanente ob fidem credulis intimandam. Quod mox palam facto, a domno abbate GUILLELMO & fratribus jussum est, ut numquam deinceps in usu existerent, sed inter sanctorum reliquias servarentur.

Latrones divinitus puniti.

52. In sequenti vero quadragesima, in quinta scilicet hebdomada, in castro sancti Florentii duo latrones occulti venerunt: qui cum tam in foro sabbato, quam in Dominica Ramis Palmarum, ubicumque poterant plurimorum bursas truncarent, clamore facto post sermonem in cimiterio præfatæ ecclesiæ B. Mariæ, ubi tunc ad crucem buxatam monachi venerant, a Giraldo S. Petri presbytero validissime sunt excommunicati, moxque sicut erant inter ceteros ad invicem divisi, pallere cœperunt & contremere: qui ita detecti capiuntur, ligantur, distrahuntur; sed tamen ut salvis membris dimitterentur, Benedictus prior & monachi præceperunt.

Theutbaldus secretarius punitus ob extinctam candelam ardentem ad altare S. Florentii.

53. In quodam sabbatorum die, in nocte vergente, quædam mulier devotionis instinctu candelam super altare S. Florentii matutinale obtulit, quam Theutbaudus secretarius tollens super quoddam artificium ad hoc factum ardentem affixit. Cogitans autem aliis horarum necessitatibus ipsam candelam posse reservari, dum ad eam extinguendam vellet accedere, arripitur timore. Quod iterum attentans, iterato fremit timore. In tertia vice tantæ timiditatis se in cogitatu reprehendens, audacter ad lucernam accedit. Sed extensa manu ad extinguendum, antequam eam contingeret, valide ab invisibili in maxilla percussus est: qui quasi semivivus cadens in terra, tota nocte ibi jacuit, cui digitorum vestigia per plures postea dies in maxilla nigra apparuerunt. Mane vero facto die Dominica, Theobaldus idem a loco percussionis inter duo altaria infirmorum domo sublatus, vix per mensem convaluit.

De variis tumulis repertis.

54. De illis tribus tumulis qui inter duo altaria, matutinale scilicet & Dominicum, inventi fuerunt tempore domni FREDERICI abbatis, hæc ratio reddenda est nostris successoribus. Mausoleum S. Florentii in quo sanctissimum corpus ejus sepultum fuit, ibi a majoribus & prioribus nostris sciebatur, & a parte pedum per foramen parietis cernebatur. Duo vero tumuli, qui hinc & inde apparent, inventi fuerunt, paululum in retro traxerunt: quos cum invenissent scrutati sunt singulos, & invenerunt ossa miræ pulchritudinis, sed cujus essent [scire] nequiverunt. Nulla enim erat notitia, nulla epigrammata indicantia qui essent, qui in tali sanctuario sepulti fuissent. Quorum nihilominus invenerunt sarcophagum non cum illis tribus, sed ad lævam juxta maceriam videlicet sub fenestra rotunda: de quibus omnibus hoc fiducialiter dicere ausi sumus, quod magni apud Deum credebantur esse meriti, qui tam honorifice meruerunt sepeliri. Tumulum quoque longo post tempore haud longe a monasterio cum aperuissent, quoddam phylacterium super pectus defuncti invenerunt, quem cum ceteris in monasterio collocaverunt. Alium vero in loco quo domus infirmorum, quæ in veteri claustro sita est, aperientes, spatam cum vagina juxta eum invenerunt: quem comitem aut magnum potentem fuisse æstimaverunt: quia antiquitus personæ cum signo suæ potentiæ tumulabantur; mulieres quoque cum armillis & inauribus & annulis variisque ornamentis. Firmatus etiam S. Florentii monachus, dum quoddam sarcophagum, ossa ut de ceteris erepturus, aperuisset, funditus lumen amisit. Tertioque die, duce Pino, ad sarcophagum veniens, Deo sepultoque veniam petiit, vovens se ulterius sepulcrum alicujus numquam effracturum, lumen recepit. Nunc ad novum sancti Florentii locum redeamus.

Nota.

Dedicatio ecclesiæ novi monasterii.

55. Postquam illud magnificum operis ædificium Deo juvante est perfectum, convocavit abbas FREDERICUS quatuor episcopos ad dedicationem; ARNULFUM Turonensem, HUBERTUM Andegavensem, ISEMBERTUM Pictavensem, GALTERIUM Nannetensem; affuit & GAUFREDUS Andegavensium comes cum honorabili matre sua HILDEGARDE & conjuge sua, nomine AGNE, & cum eo multi viri nobiles, necnon populus utriusque sexus infinitæ multitudinis, abbates & monachi, & clerici quorum non est numerus. Tum dedicata est ecclesia in honore sanctæ Trinitatis, & honore sanctæ Mariæ semper virginis, & in memoria B B. apostolorum Petri & Pauli, & S. Florentii confessoris. Anno Domini Incarnationis MXLI. facta fuit ista dedicatio. Pauperes erant utræque S. Florentii ecclesiæ, sed ditavit eam jam dictus pastor textis, crucibus, libris divinæ auctoritatis atque calicibus & aliis ecclesiasticis ornamentis. Ob ejus industriam commissa est ei abbatia S. Juliani Turonensis per plures annos.

Detectio SS. Lupantii & aliorum.

56. His temporibus sanctissimus Lupantius in monasterii sui choro humatus jacebat incertus, præstans multis remedia sanitatis: qui fodiendo quæsitus, & inter alios inventus est, quorumque essent corpora in singulorum tumulis repertæ litteræ demonstrabant. Levati ergo honorifice sanctus scilicet Salicus & S. Lupantius, necnon sancta Lachia & S. Coremarus: in crypta majori sub altari sunt cum sarcophagis depositi pridie nonas Maii.

De Bellaio & Grisca ejus conjuge & de eorum filiis.

57. Eodem tempore BELLAIUS dominus Mosterioli castri defunctus est. Cujus corpus abbas FREDERICUS & Letardus prior afferentes in locutorio, quo pedes pauperum abluuntur, honorifice sepelierunt. Hujus conjux vocabulo GRISCIA postea Andegavensis comitissa,

annuentibus filiis ejus, GIRALDO Andegavis in cœna Domini cum aliis interfecto, & RAINALDO multo post Remensium archiepiscopo; dedit S. Florentio terram in territorio Pictavensi apud Triangulum castrum, aliaque plurima beneficia ipsa Grisia comitissa S. Florentio concessit. Sed & memorata AGNES comitissa dedit S. Florentio locum qui Fossas dicitur, situm in pago Pictavo, qui sanctæ Crucis monachabus antea extiterat, adaugens plura quæ illarum non fuerant, concedentibus PETRONILLA abbatissa cum monachabus filiisque suis comitibus GUILLELMO & GUIDONE, fide etiam spondentibus hoc donum numquam violaturos. Multa quoque prædia ibidem monachi S. Florentii a pluribus magna pecunia emerunt. Miles quidam Dominicus Sigebrandus de monte Glisiaco ejusdem loci S. Hilarii ecclesiam cum rebus ad eam pertinentibus S. Florentii monachis tradidit. Girorius quoque quidam *Vassais* territorii Lauduni communem judicem, ut aperiret pulsanti, S. Florentii in ecclesia, ipso postulante, a domno FREDERICO monachus consecratur. Qui pro suæ animæ redemtione eidem loco contulit ecclesiam S. martyris Cistronii: sanctissimi Clementini ecclesiam stupendorum miraculorum frequentia inclytam, Guido de Valle sepefato sancto concessit.

58. A tempore vero Normannorum usque ad abbatem Fredericum, abbatia S. Florentii sub potestate seu dominatione comitum primogeniei THEOBAUDI fuit. Antea vero usque ad destructionem quæ facta est a Britonibus sive Normannis, non quoslibet alios, sed reges Francorum habebat dominos. Idem certe sanctus confessor habuit nonnullas possessiones in diversis provinciis, quas quia tempore prædictæ Normannicæ seu Britannicæ persecutionis amiserit, visum est nobis & multis aliis, de quibus notitiæ tantummodo atque cartæ apud nos remanserunt, quæ nobis indicant qualiter illas ipse sanctus acquisivit, sed indicare nesciunt quomodo eas amisit. Regit autem domnus Fredericus congregationem sibi commissam annis triginta quatuor & uno mense diebus tribus. Requievit in Domino IV. calendas octobris, magnum luctum gregi suo relinquens MLV. regnante Henrico rege, consule Gaufrido, Eusebio pontifice.

Sigo abbas. 59. Huic succeſſit domnus abbas Sigo, vir valde venerabilis, IV. calendas Novembris, columbina simplicitate præditus, liberalibus litteris, grammatica, dialectica, rhetorica, arithmetica, musica, & ceteris artibus per omnia imbutus, & insuper litteras hebraicas & græcas peritissimus legendi & scribendi. Hic bibliothecam nostram, psalterium, missales, textus, epistolas Pauli, Actus apostolorum ad unguem correxit & emendavit. Totum studium ejus fuit in meditandis scriptu-

ris sanctis, caritatem & misericordiam omnibus præbens, eleemosynis largus, amator fratrum, & ut filios diligens, infirmitates animarum & corporum spirituali & corporali medicamine curans. Erat enim gaudens cum gaudentibus, & flens cum flentibus. Siquidem quotiescumque illi ad percipiendam pœnitentiam quis lapsum suum confessus esset, ita flebat, ut etiam illum flere compelleret. Videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat loquebatur. Bonum relinquens exemplum posteris suis, ut intercessores magis sint apud Deum, quam accusatores apud homines. Omnibus omnia factus est, ut omnes salvos faceret, & quid dicam de eo? Summæ potestates hujus sæculi, comites, episcopi & abbates, præcipui clerici ut prudentem, & veræ simplicitati deditum honorabant & mirabantur. Domnus abbas HUGO Cluniacensis cœnobii, vir valde venerandus, magistrum suum cum esse dicebat, & quasi superiorem se conspiciebat. In Francia & in Aquitania, & in Italia ejus fama volitabat. Suo tempore ecclesia nostra multum dilatata est in acquirendis possessionibus, & ecclesiis, & in personis nobilium clericorum & laicorum sæcularem vitam relinquentibus, & ob famam tanti viri & nostri loci ad Deum concurrentibus. In ornamentis quoque pulchris construendis de auro & argento circa duo altaria quæ sunt in presbyterio, ut domnus abbas FREDERICUS, sagax fuit.

Maxima quis periculorum e vitæ periculo eripuit.

60. Quodam tempore venerabilis SIGO abbas, a Salmurensi ad Glonnense cœnobium navali remigio per Ligerim descendebat; venitque ad locum quo Meduana fluvius ad Ligerim conjungitur, ibique quamdam ad insulam die inclinata diverterunt; quæ autem corpori ad victum erant necessaria quærentibus, piscator quidam cum piscibus ultra amnem advenit, & accepto pretio, cum servientibus abundantissime refectus est. Piissimus vero pastor ad familiam suam reficiendam quædam ei jussit dari, cum quibus dum alacer rediret, nocte terras obumbrante, cum navicula submersus est. Proinde clamore exorto, propter noctem eum quærere desiverunt. De vita illius desperati anxius abbas, totam in mœstitudine transegit noctem: mane itaque facto, in summitate pali cujusdam excluſæ a periculo ereptus salvus inventus est. Requisitus autem q[ua]liter id ei accidisset, respondit se in aqua m[u]l[t]um, abbatis memorati pannis protectum [u]ndis, & baculo suo sustentante, illo adduxisse salvum. Idem enim abbas semper in manu gestabat baculum, facto more peregrinorum, vexabatur enim calculi incommodo, pro cujus gravedine ex hac vita recessit.

61. Cum NORMANNUS de monte Rebelli minoris dominus, cum Andegavensium co-

Normannus S. Florentio infestus per merita Sigonis abbatis vincitur.

mite discordatus, illius terras, eo quod remotæ essent, nequiret devastare, Glonnensis cœnobii tellurem, quæ sub comitis erat tutela, promisit invadere. Quod reverendus abbas SIGO ac reliqui fratres Glonnenses cognoscentes, duos ex suis monachis ad eum dirigunt, exposcendo misericordiam. Qui cum non minus quam M. promissis solidis a Normanno remedium possent invenire, Glonnam reversi sunt. Tunc SIGO pater venerabilis ad eum venit, supplicans tyrannum. Cumque ei quingentos solidos perdonasset, de mille, abbas adhuc precibus insistens, ejus se pedibus stravit; sed largiorem misericordiam non inveniens, recessit ad villam quamdam S. Florentii, quæ Bornus dicitur, prandii causa illi præparati. Guinibertus vero nihil ibi refectionis sumens, concitus Glonnam accurrit, omnibus sub præconis voce indicens, ne propter cujusquam raptoris vocem clamoris in campis ullus exiret. Facta autem cum tyranno * licet gravem egressus, agebat equidem tunc nuptias, sororem BOELLI Nannetensium comitis viduam ducens uxorem; jussit suis ut simulata via quasi in terram S. Florentii pergerent, sicque retrogradum revertentes, ex terra montis S. Johannis insperatam multam vi raperent prædam. Quod advertens RODULFUS montis Rebelli majoris vicecomes, erant enim eo tempore ambo castella pene contigua, quantum suorum potuit aggregans, per ripam Hiberis fluvii suos quosdam in loco dimittens, accurrit ad S. Florentii monasterii portas, introspiciens repente Johannem monachum tunc secretarium, nescio quid operis agentem in monasterio, aspiciens sæpe eum ferociter, monachum inclamitando ad se evocans, ignorabat ejus proprium nomen, ut S. Florentii illi aliquod vexillum daretur, contra ejus & suos inimicos ad bellum ferre volens, ut vulgariter vocamus ad Voariam. Quo illico accepto, hostes cum maxima præda redeuntes, ad quercum Arbaldi invenit, & validam ex eis stragem fecit, ceterisque turpiter fugatis, seu raptis, duos etiam Normanni fratres cepit. Affirmabat quoque ipsum dominum abbatem se vidisse baculum suum gestantem in ipsa acie candidis revestitum vestibus, ipsumque se * vicisse. Cum magno sacramento ipse NORMANNUS asserebat monachis aliisque quam plurimis se tam perspicacissimæ profunditatis ingenii virum non vidisse.

Hic videtur aliquod verbum deesse.

*f. se jurasse.

Restauratio regularis observantiæ in S. Melanii monasterio.

62. Tempore memorati Patris accidit apud urbem Redonicam, quod abbatia S. Melanii ad tantam paupertatis extremitatem redacta est, quod vix uni monacho, qui ibidem solus remanserat, inopis vitæ necessaria superessent: cujus ecclesiæ casum illustris comes Britanniæ GOFFRIDUS cognomento BASTARDUS cum dolore percipiens, consilio & hortatu venerabilis uxoris suæ BERTHÆ, Salmurum ad memoratum abbatem nuntios delegavit, obsecrans & multa supplicatione implorans, ut prætaxatam abbatiam reformaret, eamque velut propriam in perpetuum possideret. Tunc reverendus pater, communicato fratrum consilio, precibus comitis adquiescens, sæpe dictam S. Melanii abbatiam de manu ipsius comitis sub firma ejus donatione jure perpetuo possidendam suscepit, eique fratrem EVENUM illustrem genere, summæ religionis & industriæ virum, abbatem præfecit. Hic igitur EVENUS suscepto abbatis officio, circa locum sibi commissum tanta vigilantia desudavit, ut cum sub brevi tempore ordine, & monachis, & domorum ædificiis, & libris, & ornamentis quam pluribus ampliaret. Cognita igitur ejus sagacitatis industria, & per totam provinciam divulgata, & assensu comitis, postulantibus clericis, acclamantibus laïcis in archiepiscopum Dolensem promotus est; sicque duplicis honoris radio archiepiscopus pariter & abbas toti Britanniæ coruscavit. Cum autem viginti septem annis in regimine abbatiæ strenue præfuisset, ad diem extremum perveniens, intra monasterium cujus impiger restaurator extiterat, cum multo planctu omnium est sepultus. Post multum vero temporis, tempore venerandæ memoriæ GUILLELMI abbatis ejusdem monasterii, accidit ut concors fratrum congregatio ejus sepulchrum gratia relevationis effoderent: qui superposito lapide revoluto, tabulam plumbeam ad caput ejus invenerunt, litteris inscriptam sub verbis talibus:

Evenus abbas S. Melanii deinde Dolensis archiepiscopus.

Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXI. *Romano pontifice Gregorio* VII. *consule Redonensi Gaufredo & Silvestro episcopo*, VII. *calendas Octobris obiit domnus Evenus Dolensis archiepiscopus & abbas S. Melanii, vir strenuissimus, omniumque morum honestate præclarus, pater piissimus, cœnobiique hujus restaurator mirificus. Namque ut primum abbatiam suscepit, unum tantummodo in ea monachum reperit, infra vero* XXVII. *annos, quibus monasterio præfuit, in tantum congregatio crevit, ut die obitus sui perfectus numerus centum fratrum ibi remansit. Idcirco credendum est eum a Domino non tricenum, nec sexagesimum, sed potius centesimum percepisse fructum.*

Sigonis obitus.

63. Præfuit autem venerabilis pater SIGO in regimine hujus abbatiæ annis XIII. mensibus VII. diebus XX. Tandem vero cum jam plus morum quam annorum maturitate canesceret, placuit patri gratiarum & luminum granum suum, quod jam albescebat ad messem, in horreo felicitatis recondere, & militem qui jam legitime certaverat, honore pariter & gloria coronare. Sic ergo in senectute bona, plenus dierum non noctium, cujus vita tota fuit diei non noctis, II. idus Junii feliciter migravit ad dominum. Cujus venerandam corporis glebam fratres

quos doctrina & religione plenius informaverat, juxta prædeceſſorem ſuum Fredericum retro altare crucifixi cum honore debito tumularunt. Recte etenim juxta crucem meruit ſepeliri, cui ſemper aſſuit gloriari niſi in cruce Domini noſtri JESU CHRISTI.

Guillelmus abbas.

64. Poſt exceſſum venerabilis vitæ Sigonis, quidam bonæ indolis adoleſcens, GUILLELMUS nomine in abbatem præficitur, quem claritudo natalium & religioſa morum flagrantia ceteris inſtantius illuſtrabant. Hic eccleſiam noſtram tanta religionis honeſtate decoravit, ut per mundi terminos ſanctitatis & opinionis ipſius radii coruſcarent. Omnes enim tam vicini quam remoti ad orationes hujus ſancti patris & fratrum ſibi commiſſorum, tamquam ad angelica ſuffragia confluebant. Audiens tam clarescentem famam illuſtris dux Apuliæ G. compunctus corde & inſpirante gratia viſitatus, præclara ornamenta & eximia exenia pretioſa huic eccleſiæ deſtinavit, eamque ab omni debito abſolvens, anniverſarium ſuum apud nos annuatim fieri benefactor magnificus impetravit.

65. Præterea A. nobilis vicecomes Thoarcii tam celebri fama perculſus, obedientiam de Caſa B. Florentio obtulit: quam cum omni libertate donatam miris & magnis redditibus ampliavit. Sed & clariſſimus vir J. Dolenſis dominus, hujus patris noſtri frater ſecundum carnis originem, amore Dei & ammonitu fratris, quem affectuoſe diligebat, obedientiam nobis apud *Dol* præclaram donavit, & multis eam terris & proventibus ſublimavit. Nec ſolum in minore Britannia, ſed etiam in majore ad tranſmarinas partes fama patris noſtri convolavit, ubi Monemutam, & quicquid habemus in Anglia merito ſuæ religionis acquiſivit. Quid plura? ipſæ etiam abbatiæ ſuis paſtoribus deſtitutæ ad hoc cœnobium tamquam ad unicum ſalutis ſpeculum recurrebant, & conſilium exigebant. De hac ſiquidem eccleſia, exigente ſanctitatis merito, multi ſunt in abbates electi, apud S. Jovinum, apud S. Nicolaum, apud S. Melanium, apud S. Maurum, apud S. Julianum, qui omnes abbatias ſibi commiſſas ſtrenue & vigilanter rexerunt, eaſque ſanctis moribus & rerum copiis multipliciter ampliarunt. Tempore venerabilis patris Guillelmi reſtituta eſt ſancto Florentio obedientia S. Gundulfi, quam per incuriam & inertiam monachorum ſanctus amiſerat. Multa acquiſivit & pauca perdidit. Hic cum per decem & octo annos abbatiæ noſtræ ſtrenuus adminiſtrator ſollicite præfuiſſet, III. calendas Junii feliciter migravit ad Dominum. Qui dum ſepulturæ mandaretur, patefacto ſepulchro prædeceſſoris ſui, abbatis videlicet SIGONIS, corpus ipſius integrum omnino eſt inventum, veſtimenta quoque omnia incorrupta penitus & illæſa.

Multi abbates ex S. Florentii cœnobio prodierunt.

Hinc ſiquidem evidentius poteſt agnoſci, quanti meriti fuerit, cujus corpus & veſtes omnes corruptio lædere formidavit. Eſt etiam aliud præcedentibus adnectendum, quod tempore præſcripti patris quidam ex fratribus noſtris ANGERIUS nomine, orationis gratia Jeroſolymam profectus eſt; cumque in tranſmarinis partibus moraretur, cognita ejus honeſtate & induſtria, in Cacanenſem epiſcopum meruit promoveri. Qui apicem tantæ dignitatis adeptus, matrem ſuam, ſcilicet eccleſiam noſtram, in cujus gremio a primis elementis fuerat educatus, ad memoriæ dulcedinem renovavit, eique pretioſa quædam ornamenta cum præclaris exeniis filius in nullo degenerans deſtinavit.

Angerius Cacanenſis epiſcopus.

Stephanus abbas.

66. Poſt memoratum patrem piæ recordationis Guillelmum, XII. calendas Julii ſucceſſit in abbatem egregius quidam ex fratribus noſtris STEPHANUS nomine, natione Burgundio, clarus genere, ſed clarior honeſtate, vir apprime litteris eruditus, & in adminiſtratione temporalium impiger & diſcretus. Hic in regimine ſibi credito vita pariter & doctrina proficiens, miris virtutum odoribus enituit, & circa hujus eccleſiæ utilitates & negotia omni vigilantia vigilantius excubavit. Tandem vero cum in abbatis officio XIII. annum compleſſet, ſublatus de medio VII. idus Aprilis feliciter in fata conceſſit: cujus exequias unanimis fratrum congregatio devotiſſime celebravit, ejuſque corpuſculum cum debita veneratione in capitulo ſepelivit.

Matthæus abbas.

67. Poſt tranſitum felicis memoriæ Stephani, regimen abbatiæ ſuſcepit ſtrenuus quidam ex noſtris MATTHÆUS nomine, de caſtro Lauſduno claris parentibus oriundus, quem litteraturæ profunditas & ſanctitatis religio præ ceteris illuſtrabant. Hic in ſuſcepto paſtorali regimine verum paſtorem ſe exhibens, pro negotiis hujus eccleſiæ ad tolerantiam laborum ſe totum expoſuit, & in habitis defendendis, & non habitis acquirendis, ſtrenua ſollicitudine deſudavit. Ipſe enim pro jure eccleſiæ ſuæ ſibi commiſſæ contra moniales Nidi-avis, (a) & contra Xantonienſem epiſcopum & canonicos viriliter decertans, hos & illas in Romana curia ſuperavit. Nam eliminatis monialibus data juris ſententia Arbaudum obtinuit, ſanctum quoque Bibianum de Ponte contra memoratum epiſcopum & canonicos multis laboribus & impendiis acquiſivit. Fecit etiam hic venerabilis pater dorſalia duo egregia, quæ præcipuis ſolemnitatibus extenduntur in choro, in quorum altero XXIV. ſeniores cum cytharis & phialis depinguntur; in reliquo Apocalypſis Johannis opere eſt deſcripta eleganti. Fecit inſuper quoſdam miræ pulchritudinis pannos, ſagittariis & leonibus & ceteris quibuſdam animantibus figuratos, qui in navi eccleſiæ

[a]

(a) Nidus-avis eſt monaſterium virginum Benedictinarum in diœceſi Andegavenſi.

feſtis

festis solemnibus appenduntur. Ipsa quoque de qua loquimur navis ecclesiæ, arcuato opere ejus tempore incœpta est & completa. Sub ejusdem quoque tempore quidam de fratribus nostris FULCANDUS nomine, sacrista hujus ecclesiæ, apud S. Julianum Turonensem in abbatem promotus est. Alius insuper sacrista noster GUILLELMUS de Gasconia, & post ipsum alius GUILLELMUS de Normannia, apud S. Maurum abbatis dignitatem & officium susceperunt. Cum autem venerandus iste MATTHÆUS huic cœnobio per viginti octo annos pastorali sollicitudine præfuisset, exigentibus ipsius honestatis meritis, in Andegavensem episcopum assumtus est; cumque in suscepto pontificali regimine sex annorum curricula jam complesset, III. idus Martii apud Oratorium (a) felici consummatione defungitur, ibique cum veneratione debita sepelitur.

[a]

Stephanus II. abbas postea episcopus Redonensis.

68. Cum autem divina gratia memoratum patrem de abbate in episcopum promovisset, venerabilis STEPHANUS prior istius cœnobii, de Rocha Fulcaudi non obscuris parentibus oriundus, vir eloquens & discretus, pari voto & assensu fratrum unanimi concorditer est electus: qui tempore suæ electionis, priusquam benedictionem abbatis susciperet, meritis suis exigentibus in Redonensem episcopum est assumtus. Hic siquidem dum prioratu hujus cœnobii fungeretur, capitulum hujus ecclesiæ sub dormitorio situm, arcuato opere sub tam egregia venustate & artificiosa subtilitate construxit, ut per universum regnum Franciæ vix aut numquam consimile valeat reperiri. Fecit insuper capellam infirmorum domui cohærentem in honorem Virginis Mariæ, sanctique Nicolai, sanctorumque abbatum Benedicti atque Columbani ab ULGERIO Andegavensi episcopo, & ITERIO Nannetensi celebriter consecratam. Hic itaque & quando prior & quamdiu vixit episcopus, in discutiendis cunctis tam sæcularibus quam ecclesiasticis tanta discretione & facundia coruscavit, ut in præsentibus & etiam in remotis partibus nulla fere negotia sine ipsius consilio vel præsentia diffinitionis sententiam sortirentur. Postquam autem placuit ei qui sibi tantam gratiam honoris & honestatis contribuit, decem annorum curriculis in episcopatu feliciter evolutis, felicius migravit ad Dominum nonas Septembris, sepultusque est apud S. Melanium in claustro monachorum, in ipso ingressu oratorii, ut sicut ipse adhuc vivens postulaverat, omnium patesceret tam intrantium quam exeuntium pedibus conculcandus.

Ogerius abbas.

69. Huic siquidem venerabili Stephano cum ad episcopatum assumtus esset, successit prior hujus cœnobii, OGERIUS nomine, de terra S. Florentii veteris oriundus, vir sapiens & honestus, & in administratione temporalium impiger & discretus, ad cujus vitæ custodiam, si diu superesset Lacheſi quod torqueret, tanta fœcunditatis affluentia locum istum uberem reddidisset, ut opes Crœsi pro inopia reputares. Sed quia humanæ vitæ terminos ab auctore rerum stabili providentia constituros nullus potest mortalium præterire, cum prædictus pater post susceptam abbatis benedictionem, XXIII. dies in regimine transegisset, XIV. calendas Augusti sarcinam humanæ carnis felici consummatione deposuit, eumque in ingressu capituli post columnam marmoream devota fratrum congregatio sepelivit.

Philippus abbas.

70. Successit autem memorato abbati prior hujus ecclesiæ PHILIPPUS nomine, natus de castro Salmuri, vir religiosus & morum honestate clarus, qui tempore suo cœnobium sibi commissum multis acquisitionibus ampliavit, multis honorum venustatibus decoravit. Ipse enim obedientiam S. Gundulfi contra Virgionensem (b) abbatem ejusque monachos in Romana curia sub triumphali titulo in perpetuum acquisivit. Hujus patris tempore translatum est corpus B. Florentii in capsam novam studiosius præparatam, in qua nunc Sanctus veneratione debita requiescit: ad cujus translationem ex præcepto felicis memoriæ papæ Adriani accesserunt JOSCIUS archiepiscopus Turonensis, MATTHÆUS Andegavensis, STEPHANUS Redonensis, WILLELMUS Cenomanensis, LAURENTIUS Pictavensis, BERNARDUS Nannetensis, qui omnes summo honore & reverentia ossa venerabilis confessoris Florentii venerantissime transferentes anno ab Incarnatione Domini MCLIX. VI. nonas Maii, universis fidelibus ad eumdem terminum pia devotione beatissimi Florentii suffragia postulantibus remissionem & indulgentiam peccatorum annis singulis concesserunt. Iste insuper venerabilis pater PHILIPPUS a nobilissimo tunc duce Normanniæ HENRICO, comitis GAUFREDI filio, Salmurensem feriam impetravit. Dormitorium quoque monachorum incœpit, sed incœptum perficere præventus morte non potuit. Cum autem quatuor annos in regimine fratrum expleviſſet, viam universæ carnis ingreditur, atque in capitulo ad lævam prædecessoris sui abbatis Stephani sepelitur.

[b]

Frogerius abbas.

71. Huic autem successit venerabilis prior de Rocha Fulcaudi, nomine FROGERIUS, natus de S. Loantio, vir sapiens & litteratus, & universa morum honestate conspicuus. Hic contra Xantonensem episcopum & ejus clericos apud Senonas coram domino papa ALEXANDRO S. Bibianum de Ponte sub sententia triumphali obtinuit, & insuper præse-

(a) Oratorium est monasterium ordinis Cistercienſis in diœcesi Andegavensi.

(b) Virzionense monasterium S. Benedicti in diœcesi Bituricensi.

cturam burgi ejusdem S. Bibiani, quam quidam hereditario jure reclamabant, post multos sumtus & labores quamplurimos in perpetuum acquisivit. Hujus in patris tempore claustrum monachorum novo & eleganti opere est constructum, & arcus lapideus qui inter capitulum & dormitorium est erectus. Pontem etiam de Salmuro, tradente venerabili rege Anglorum HENRICO, data tamen non modica quantitate pecuniæ, quæ pro eodem ponte Turonis debebatur, recepit. Cum autem annos XIV. in abbatis officio peregisset, feliciter est ad patres suos appositus, & in monasterio ante altare crucifixi venerabiliter est sepultus.

Radulfus abbas.

72. Successit autem huic patri venerabilis prior Salmurensis castelli, nomine RADULPHUS, natione Normannus, vir litteris imbutus, & religione præclarus, qui cum per duos annos abbatiam rexisset, apud sanctum Florentium veterem IX. calendas Julii ab hac luce discessit, quem devotio fratrum in dextro absidе monasterii juxta ostium sacristariæ venerabiliter sepelivit.

Maynerius abbas.

73. Successit autem huic patri MAYNERIUS sacrista ecclesiæ istius, nobilis genere, sed nobilior fide & honestate. Erat enim discretus in singulis, districtus in elatos, compatiens in afflictos, affabilis extraneis, liberalis domesticis, virga correctionis in oves, baculus defensionis in hostes, erogativus in pauperes, circa Martham laborando sollicitus, circa Mariam contemplando suspensus, caritativus in hospites, vermiculus prosperitatis in prosperis, clypeus constantiæ in adversis. Hic ecclesiam istam recto moderamine rexit viginti sex annis & sex mensibus, plenus dierum XVI. calendas Maii spiritum Domino a quo sumserat reddidit; multa bona acquisivit, multa ædificia fecit, utpote introitum ecclesiæ cum galilæa, (a) refectorium, domus infirmorum, locutorium, & illos muros circa vineas diligenter incœpit, & viriliter consummavit. Hunc venerabilem abbatem MAYNERIUM absolvat Altissimus, Altissimi Filius, cujus memoria semper sit in benedictione, ut ibi requiescat ipsius anima, ubi requiescunt sanctorum animæ. Amen.

Michaël abbas.

74. Qui vidit hæc scripsit & testimonium perhibuit veritati, filius equidem suus MICHAEL in Domino, quem post eum Dominus per gratiam suam ad regimen ecclesiæ suæ quamvis indignum sua miseratione prælegit, huic Maynerio successit, de Salmuro natus, prior tunc temporis hujus cœnobii, vir urbanæ eloquentiæ & per cuncta vitæ laudabilis, providus in temporalibus, & in spiritualibus discretus: qui per totum tempus quo tenuit & ecclesiam istam rexit, personas quas sentiebat religiosas & honestas ad divini cultus augmentum, alliciens eas divinis exhortationibus, sedulus adunavit, nec umquam eo vivente numerus monachorum sexaginta & amplius in conventu persistentium fuit diminutus. In temporalibus vero rebus tantam ei Dominus gratiam contulit, quod nec priorem similem, nec haberet sequentem in ædificiis faciendis. Ædificavit autem Florentiam novam regiam & fere omnes alias domos extra locutorium, & molendina nostra quæ sunt in Toario, contra voluntatem omnium Salmurensium, propter redundationem ejusdem aquæ, satis efficaciter ædificata & velocius completa. In ornamentis ecclesiæ, scilicet palliis, infulis, cappis, dalmaticis & tunicis sericis, ita providit huic ecclesiæ, quod acquisitio sua potest comparari ad valorem quingentarum librarum & amplius. De servitute procurationum, qua opprimebatur ecclesia ista in nundinis Salmurensibus, videlicet de Passavanto, de Malo Leporario, de Trevis, & S. Christophori in Tur. baronum & plurimorum aliorum, deliberavit ecclesiam istam ad valorem centum librarum annui reditus & amplius. Multa acquisivit, & pauca perdidit. Ad ultimum circa finem suum ædificavit cameram suam novam magnam triplici architectura, & eleganti opere, sicuti modo apparet. Præterea quanto magis proficiebat apud Deum & homines, tanto magis sæviebant contra eum æmuli & invidi, multa falsa objicientes in eum, ex quibus aliqui æterno carcere damnati, quidam per diversa loca dispersi, & nonnulli divino judicio correcti, morte pessima sunt oppressi. Præterea majora signa turris nostræ sumtuoso opere fecit fieri, & de Carnotensi civitate fecit adduci. Qui dum adhuc esset in bono statu corporis sui, & octavum decimum annum duceret in regimine pastorali, pro quadam magna expeditione apud Andegavum profectus, in domum nostram de *Balee* diversatus causa hospitandi, viribus corporis repente cœpit destitui, vocatisque fratribus suis utriusque abbatiæ, una cum religiosis personis ecclesiasticis & sæcularibus ejusdem civitatis, omnes benedicens, & ab omnibus benedici postulans, feliciter vitæ terminum adimplevit; & inde translatus ad abbatiam nostram Salmurensem, a reverendis patribus JOHANNE archiepiscopo Turonensi, & GUILLELMO episcopo Andegavensi, in sinistra parte capituli inter duas columnas, non sine dolore & mœrore circumstantium venerabiliter est humatus III. nonas Julii, anno ab Incarnatione Domini MCCXX. regnante illustri rege Francorum PHILIPPO, in Romana civitate papa HONORIO.

Johannes de Loduno abbas.

75. Successit autem huic venerabili patri Michaëli JOHANNES de Loduno, prior hujus cœnobii, & præpositus sancti Laurentii de Moteyo, ætate quidem senior & sensu ma-

(a) Galilæa est ea ecclesiæ pars, quæ vulgo navis nuncupatur.

turus, qui terram S. Florentii-veteris longo tempore procuraverat, vir potens in opere & sermone; regibus, principibus, & magnatis notus & amicus; vir pecuniosus & rebus sæcularibus locuples, qui extremis diebus prædecessoris sui bonæ memoriæ Michaëlis, ad supplementum hujus ecclesiæ & relevamen, quæ propter guerras & parvas collectas & multitudinem monachorum, conversorum, & condonatorum, aliquod onus debitorum, sed tamen portabile, incurrerat, prior procreatus fuit, & statim per ejusdem providentiam ecclesia nostra ad optimum statum rediit. Hic tamen JOHANNES in regimine ecclesiæ paucis diebus duravit, quia infra quatuor menses ab electione sua apud sanctum Georgium de castro *Yson* vitam finivit; exinde translatus ad abbatiam, & juxta tumulum abbatis Michaëlis est sepultus.

Nicolaus abbas.

76. Successit autem huic venerabili patri Johanni de Loduno NICOLAUS natione Francus, tunc temporis cellerarius S. Florentii-veteris, vir urbanæ eloquentiæ, ætatis & ingenii sufficientis, sed infirmitate corporis detentus, quem credimus, si longo tempore vixisset, valde huic ecclesiæ profuisset. Sed cum jam quasi mortuus in electione sua fuisset, morte præventus, naturæ debitum reddidit infra novem menses, & apud sanctum Florentium-veterem in parte dextra capituli humatus est. Hi tres quasi uno anno vel infra quindecim menses obierunt.

Iterius abbas.

77. Successit autem huic NICOLAO Franco venerabili abbati ITERIUS tunc temporis prior de Rupe-Focaudi, de eodem castro vel territorio natus, qui longo tempore illum prioratum gubernavit, & ibidem multa ædificia construxerat, & molendina *Doulerac* a primis fundamentis erexerat: satis senex & infirmitate corporis depressus cum regimen abbatiæ per duos annos tenuisset, apud Rocam Focaudi invalescente infirmitate sua ad ultimum diem vitæ suæ pervenit, & ibidem humatus est, quem credimus, si longo tempore vixisset, hanc ecclesiam multis modis accrevisset: attamen eam in bono statu reliquit, nec aliquid de rebus ecclesiæ devastavit.

Gaufridus de Valeia abbas.

78. Post istum venerabilem patrem Iterium surrexit in loco ipsius GAUFRIDUS DE VALEIA, tunc temporis prior S. Loantii, homo sensu & ætate senex, de communi assensu omnium electus, per omnia laudabilis & discretus: qui quamdiu vixit, regimen hujus abbatiæ tam in spiritualibus quam in temporalibus optime administravit; sed pro tenui acie luminis oculorum cum non posset sine scandalo officium pastoris sibi commissum peragere, completis quatuor annis, quibus hanc feliciter rexit ecclesiam, propria voluntate regimini resignavit, qui postea per decem annos & amplius in prioratu de Verria vitam deducens laudabilem, decrepitantis ætatis optantis exitum jam pene proximum sentiens in se promotos anhelitus, sanctiora appetens, mundana respuens & vagitus, ad claustrum rediit pauper in sæculo, dives in Domino, in quo sub brevi temporis degens curriculo, demum exutus est carnis ergastulo anno Incarnationis Dominicæ MCC. (a) [a]

Gaufridus II. abbas.

79. Surrexit post istum Gaufridum in regimine hujus abbatiæ alter Gaufridus, tunc temporis ejusdem cellerarius, natione Vindocinensis, in ista ecclesia a prima juventute nutritus, qui dum in principio regiminis sui aliquos per abrupta vitiorum ire conspiceret, eos fortiter redarguit, & malitiam ipsorum viriliter compescuit: & cum essent cum magnis possessionibus ecclesiæ priores & baillivi, ad claustrum revocavit, & alios in loco ipsorum substituit. Qui cum sibi conspicerent illicita non licere, assueta relinquere coacti, conati sunt de morte ejus tractare, & ad velamen malitiæ suæ fecerunt aliquos juvenes verbis fallacibus contra prædictum Gaufridum insurgere, & appellationes multas quasi de bona conscientia promulgare. Sed vir prudens nec terrore concutitur, nec eorum appellatione deterretur: immo contra eos ad Romanam curiam solemnes nuntios misit, & contra prædictos malefactores inquisitionem impetravit, quæ ad episcopum Cenomanensem MAURITIUM a summo pontifice directa fuit, & ab ipso pontifice apud S. Florentium-veterem prædictis malefactoribus dies assignatus fuit; quorum principalis magister tunc temporis sacrista ejusdem loci existebat, nomine Radulfus, vir quondam magnæ auctoritatis, & homo litteratus, & in ista abbatia multo tempore armarius, ad ultimum peccatis suis exigentibus recognovit coram prædicto episcopo, potiones mortiferas contra prædictum abbatem fieri procurasse, & usque ad degustum ejusdem pervenisse, sed nihil Domino concedente ei nocuisse; unde contigit quod prædictus episcopus una cum sociis suis prædictum Radulphum æterno carcere damnavit, in quo longo tempore miserabilem ducens vitam, ad ultimum miserrimam vitam finivit: quo casu alii perterriti, sive timore Dei correpti, nullam ei ex tunc molestiam inferre præsumserunt. Sed tempore tamen hujus venerabilis patris post obitum reverendissimi & excellentissimi GUILLELMI Andegavensis episcopi, hujus monasterii defensoris, surrexit quidam episcopus nomine MICHAEL, vir magnæ auctoritatis & excellen-

(a) Error hic est in numero, legendumque cer seo MCCXXXVII. vel circiter. Nam ab obitu Michaëlis abbatis, qui anno MCCXX. mortuus est, effluxisse videntur anni XVII. quippe Johannes de Losduno qui ipsi successit, quatuor dumtaxat mensibus ses rexit, Nicolaus novem, Iterius annos duos, Gaufridus de Valeia quatuor annos; quibus post. resignationem decem supervixit annis, quæ omnia annos XVII. aut paulo plus conficiunt.

tiſſimi ingenii, & maximus advocatus, qui contra iſtam eccleſiam, & contra prædictum abbatem, ita impetuoſe ſurrexit pro territorio S. Florentii-veteris, quod in eodem territorio omnia jura epiſcopalia exercere diſpoſuit. Sed prædictus abbas, conſilio & auxilio reverendorum patrum JUHELLI archiepiſcopi Turonenſis, & PHILIPPI primatis Bituricenſis, & multorum aliorum peritorum, contra prædictum epiſcopum in Romana curia & in metropolitana per ſpatium decem annorum & amplius viriliter dimicavit, & ſemper contra prædictum epiſcopum ſententia lata fuit in prædictis curiis, excepta compoſitione quæ inter nos & prædictum epiſcopum in præſentia domni ODONIS Tuſculani epiſcopi ſummi pontificis legati, pro bono pacis ordinata fuit, ita quod prædictus epiſcopus per manum abbatis Salmurenſis haberet de cetero octo libras ſingulis annis, quaſi pro ſervitio ſuo impendendo, & labore, quotieſcumque opus eſſet, in territorio S. Florentii-veteris exercendo, ſed conventibus utriuſque abbatiæ una cum prioribus & baillivis hanc pactionem contradicentibus, iterum contra dictum epiſcopum dimicatum eſt, & non remanſit ei quicquam de octo libris, niſi triginta & tres ſolidos & quinque denarios pro rata prioratuum, exceptis eccleſiis territorii prædicti, & nobis facultas proſequendi ſuper reliquo non negatur, immo omnino conceditur. Tandem idem GAUFRIDUS pro expeditione eccleſiæ contra prædictum epiſcopum & alios, apud Lugdunum coram INNOCENTIO ſummo pontifice ire compulſus, cum cauſas ſuas viriliter procuraſſet, aliquam ægritudinem in corpore ſuo ſentiens, & odium Andegavenſis epiſcopi prædicti circa iſtam eccleſiam expaveſcens, dum hanc adminiſtraret, vigeſimum ſecundum annum agens in adminiſtratione eccleſiæ, in præſentia domni papæ INNOCENTII ægritudinem & ætatem præponens, præſentibus pluribus de fratribus noſtris ad curiam cum litteris conventus deſtinatis, ad alterum eligendum ex voluntate propria reſignavit, & apud S. Laurentium de Moteio de conſcientia domni papæ ſibi manſionem elegit, in quo diu diutinum exhibuit famulatum.

Raginaldus abbas.

80. Poſt hunc GAUFRIDUM, convenientibus in unum ad eligendum, prædictis fratribus in Romana curia adhuc manentibus, in nullo obſtante, ſed conſentiente ſummo pontifice, RAGINALDUS tunc temporis prior de Diogilo, non præſens ſed abſens, in abbatem electus eſt, natione Francus, vir ſimplex atque mitiſſimus, dulcis alloquio, dulcior animo; cujus electione conventui cognita, ad promovendum ipſum ad ardua magnus fuit plauſus atque lætitia; ſed brevi tempore poſt magna gaudia creverunt gemitus atque ſuſpiria. Nam anno ſecundo ſui regiminis in eum intrat mors & ſit caro cinis.

Petrus de Nozilio abbas.

81. Poſt deceſſum vero dicti venerabilis Raginaldi, in capitulo monaſterii S. Florentii convenientes fratres, unanimiter elegerunt fratrem PETRUM DE NOZILIO, natione Turonenſem, virum litteratum, urbane eloquentem, mitem, prudentem, & tempore electionis de ſe factæ jam ægrotantem; qui quidem Petrus tempore ſui prædeceſſoris prædicti major prior fuerat monaſterii ſupradicti. Sed idem aſſumto dicti monaſterii regimine, cœpit mox acrius infirmari, in tantum quod poſt amiſſionem proprii oculi, non vixit ſed languit, & elapſo biennio a tempore aſſumti regiminis, expiravit: cujus corpus ad caput prædeceſſoris ſui in capella abbatis traditum eſt ſepulturæ.

Rogerius abbas.

82. Quo defuncto, fratres undique ad electionem futuri paſtoris dum de electione ſimul haberent tractatum, inimico inter eos zizaniam ſeminante, diſcordes fuerunt, quam diſcordiam mala & damna innumerabilia tam in ſpiritualibus quam in temporalibus ſunt affecuta. Nam quidam ex ipſis plus nationem quam rationem ſecuti, Rogerium Cellerarium, S. Florentii-veteris priorem, natione Normannum: alii vero ſimili ducti errore, Aubertum priorem de Diogilo, natione Engoliſmenſem perperam elegerunt. Lato vero prædictæ diſſentionis negotio ad venerabilem patrem MICHAELEM Andegavenſem epiſcopum, poſt labores & expenſas dicti monaſterii infinitas, dictus epiſcopus, electione amborum caſſata, de perſona dicti Auberti providit; propter quod ex parte dicti Rogerii & ſibi adhærentium fuit ad ſedem apoſtolicam appellatum, dicto vero Rogerio in perſona propria, Auberto ſiquidem per procuratorem dictum negotium proſequentibus, omnibus quæ habebant conſumtis, & monaſterio fere incredibili ſumma pecuniæ mercatoribus curiæ tam per litteras capituli, quam etiam apoſtolicas obligato, dominus papa Alexander mandavit epiſcopo Abrincenſi, ut dictum Rogerium benediceret in abbatem monaſterii prædicti, & quod ipſum benedictum inſtitueret, & in poſſeſſionem mitteret, & defenderet in eadem, mandans etiam prædicto Auberto competenter de bonis dicti monaſterii provideri, dum tamen inſtitutioni non contradiceret ſupradictæ; ſi vero contradicens perſeveraret, dominus Abrincenſis epiſcopus per cenſuram eccleſiaſticam auctoritate apoſtolica compelleret Andegaviæ comitem & ipſius allocatos, dictum Rogerium miſſum in poſſeſſionem dicti monaſterii tueri. Et ſic dictus Rogerius abbas effectus, dicto Auberto de prioratibus de Gometo & Diogilo providit ab ipſo vita comite poſſidendis, & promiſit omnia debita ſolvere tam ab ipſo quam a dicto Auberto ratione dictæ diſſenſionis contracta, & poſt multis prioratibus ex melioribus dicti monaſterii clericis ſæcularibus ad firmam

quamdiu viverent assignatis, necnon firma seu censa aliorum prioratuum non duplicata, sed etiam triplicata, dictus Rogerius convenit cum dictis mercatoribus, & pro arestandis usuris debitum duplicavit, illud prout inter eos conventum extitit, per annos singulos ab eodem eisdem persolvendum. O quanta mala, quantæ miseriæ, quanta divini servitii & elecmosynarum & hospitalitatis subtractio occasione istius dissentionis provenerint posset quis enumerare? Nam ex hoc conventus dispersus est, & plures monachi per singula sunt monasteria relegati, prioratus extrancis sunt concessi, cultus divini nominis diminutus, hospites & pauperes a consuetudine beneficii defraudati. Rebus vero his se in hunc modum habentibus, is abbas solertis ingenii in dicto regimine se habens viriliter, satisfacto suis creditoribus, ruinis reparatis, multa de novo utilia & necessaria construxit ædificia, & plures redditus comparavit, & per quindecim annos, per quos dictum rexit monasterium, arctam pœnitentiæ vitam agens, sibi quoad præmium proficiens, & aliis quoad exemplum, longo fessus senio, factis & verbis discipulos docens, obdormivit in Domino: cujus corpus positum est in crypta, quam sibi ædificaverat subtus altare virginum.

Garsiadus *Moretel* abbas.

83. Successit autem huic Rogerio GAUFRIDUS dictus *Moretel* subprior dicti monasterii, natione Andegavensis de parrochia S. Martini de Platea oriundus, vir simplex, & justus, & timens Deum, & recedens a malo, mitis ad omnes, & fratres suos præcipue diligebat, & quamdiu in administratione ista fuit, circa opus pontis lapidei viriliter desudavit, unum de cymbalis quem abbas Michaël fecerat, fecit conflari & etiam reformari, & plura bona feciſſet, nisi vitæ brevitas faciendi aditum concluſiſſet. Per annum & dimidium in administratione degens, hydropisis morbo laborans, cum recepiſſet a physicis medicinam, nec ad bonum eidem cederet, postmodum extinctus est; cujus corpus inter altare Dominicum & ostium ecclesiæ quod ducit ad infimitorium, traditum est sepulturæ, sub quodam opere arcuato.

Guillelmus *Lorier* abbas.

84. Post hunc GUILLELMUS LORIER præpositus S. Laurentii de Moteyo natione Andegavensis, de parrochia de *Verric* oriundus, abbas in isto monasterio creatus est, senex & provectus dierum, homo mitis, amator claustri, & ordinis zelator, non recedens a clausto, nisi cogente necessitate: per annum & dimidium vixit post assumptum administrationis officium, cui multa facere non licuit propter temporis brevitatem; ecclesiam tamen in bono statu dimisit, cujus corpus ante altare martyrum in ecclesia est humatum.

Guillelmus de Culturis abbas.

85. Successit autem eidem GUILLELMUS cognomine DE CULTURIS, natione Pictavus, homo mitis, & suis fratribus curialis. Hujus autem tempore plures de prioribus istius monasterii super omnes alios divites reputati, utpote de Rupe-Fulcaudi, de Diogilo, de Braiosa, de Coceyo, de Livreyo, & de Dolis, & de S. Georgio de Sella, de Monemuta in Anglia, & plures alii locupletes obierunt, qui pecuniam ab ipsis habitam felicius expendiſſet, ut creditur, nisi malorum consilio usus fuiſſet. Sed quia de statu suo a quibusdam qui zelum ordinis sui habebant, sed non secundum scientiam, eidem quæstio movebatur, idcirco plura expendere & facere est compulsus, quæ alias non fuiſſet facturus, nec etiam expensurus; & licet ejus æmuli coram NICOLAO Andegavensi episcopo sententiam depositionis obtinuiſſent contra eum, ex parte ipsius extitit ad sedem Turonicam appellatum: cujus sententia depositionis extitit confirmatata, a qua confirmatione pro parte ipsius extitit ad sedem apostolicam appellatum; & lite pendente in statu remanens, cum per novem annos totidemque menses & viginti dies vixiſſet in regimine pastorali, v. cal. Decembris Domino reddidit spiritum: cujus corpus sepultum fuit ad ostium ecclesiæ afforis, quo itur ad infirmitorium, prope capellam virginum, sub quodam opere arcuato, cujus anima requiescat in pace. Amen.

BREVE CHRONICON MONASTERII S. FLORENTII SALMURIENSIS.

Ex mſ. codice ejusdem monasterii.

ANno DCCLXXXXIX. hic renovatur monasterii ordo: fratres promittentes regulam sub Albaldo viro sancto.

DCCCX. feria II. hora diei V. eclipsis apparuit.

DCCCXI. Pippinus rex Italiæ filius Caroli Magni obiit VIII. idus Julii.

DCCCXII. Carolus Caroli Magni filius major obiit II. nonas Decembris.

DCCCXIII. Nicephorus imperator obiit, cui Michaël succeſſit.

DCCCXIV. Ludovicus imperator Romanorum creatur Aquisgrani. Carolus imperator optimus Aquisgrani moritur V. cal. Februarii, omnes anni regni ejus XLV.

DCCCXXII. Lotharius victus est.

DCCCXXIII. Pippinus filius Ludovici rex factus est.

DCCCXXIV. Carolus Calvus natus est.

DCCCXXV. Hilbodus abbas efficitur obeunte Arnulfo.

DCCCXXXIII. Ludovicus regnum amisit.

DCCCXXXIV. Itemque Ludovicus illud recepit.

DCCCXXXVII. Normanni vastant Britanniam.

DCCCXL. Ludovicus Pius obiit filius Caroli-Magni.

DCCCXLI. Initium regni Caroli-Calvi. Prælium factum eſt inter fratres apud Fontanetum.

DCCCXLIV. Namnetis a paganis capitur vice prima.

DCCCL. Hoc anno Ludovicus imperator, interfecto duce Sarracenorum Amalmac. Beneventum recepit. Nomenoius Britannorum tyrannus cœlitus percutitur: cui ſucceſſit Heripoius filius ejus.

DCCCLIV. Lotharius filius Ludovici obiit.

DCCCLV. Herardus archiepiſcopus ordinatur.

DCCCLVI. Heripoius filius Nomenoii rex a Salomone occiditur.

DCCCLVIII.* Nicolaus papa obiit, cui Adrianus ſucceſſit. Tranſlatio S. Mauri in Foſſatenſe monaſterium. Cometes viſa fuit diebus xx. & fames horribilis fuit eodem anno.

* f. D CCC. LXVIII.

DCCCLXXIII. Civitas Andecava obſidetur a Carolo Calvo & Salomone rege Britonum ad expellendos de ea Normannos.

DCCCLXXIV. Salomon rex Brito interfectus eſt a ſuis. Fames valida per totum regnum Franciæ incubuit. Cometa viſa eſt menſe Julio, & eclipſis fuit v. calendas Novembris.

DCCCLXXVII. Hoc anno Carolus-Calvus rex obiit xxxvii. ann.... Et eclipſis ſolis facta eſt mirabilis hora octava.

DCCCLXXIX. Ludovicus, qui nihil fecit, obiit regni ſecundo anno.

DCCCLXXXIII. Ludovicus filius Ludovici obiit.

DCCCLXXXVI. Carolomagnus filius Caroli-Calvi obiit. Hic clericus factus oculis mulctatus eſt.

DCCCLXXXVIII. Hugo abbas obiit. Normanni aſcenderunt uſque Pariſius & Senonas.

DCCCLXXXIX. Odo rex factus eſt.

DCCCXCIII. Carolus-Stultus filius Ludovici factus eſt rex.

DCCCXCVIII. Odo rex obiit. Robertus frater ejus ſucceſſit.

DCCCCIII. Eccleſia S. Martini cremata eſt II. cal. Julii.

DCCCCXI. Apud Carnotum prælium eſt die ſabbati contra paganos per Richardum atque Robertum ſex millia octingenta paganorum occiſa.

DCCCCXIII. Hoc anno baptizatus eſt Rollo a Francone Rothomagenſi epiſcopo. A morte Caroli-Magni anni C.

DCCCCXVIII. Carolus-Follus rex a ſuis relinquitur.

DCCCCXX. Richardus dux obiit, & Robertus dux unctus eſt in regem.

DCCCCXXIX. Carolus-Stultus vel *Capet* obiit XLIII. an.

DCCCCXXXIV. Hoc anno venerunt Hungari in Galliam.

DCCCCXXXVI. Rodulfus rex obiit, & Ludovicus filius Caroli Ultra-marinus regnare cœpit.

DCCCCXLII. Cometes apparuit menſe Octobri per XXI. dies, quem peſtis boum ſubſequuta eſt.

DCCCCLV. Lotharius filius Ludovici Tranſmarini rex factus eſt.

DCCCCLVI. Amalbertus abbas efficitur.

DCCCCLVII. Obiit Hugo dux & abbas S. Martini, pater alterius Hugonis, qui poſtea rex fuit.

DCCCCLXVI. Hoc anno IV. idus Maii, in maxima parte hujus regni, in omnibus fere villis in quibus eccleſiæ ſunt, cœleſtis ignis ſine vento & turbine, nec hominem nec pecus lædens cecidit, & in quibuſdam locis dæmones apparuerunt.

DCCCCLXVII. Ludovico ſuccedit Lotharius.

DCCCCLXXIII. Obiit Lotharius, in quo progenies Caroli-Magni deſtruitur.

DCCCCLXXIV. S. Loantius S. Florentio datur. Obiit Nefingus epiſcopus.

DCCCCLXXV. Raignaudus epiſcopus ordinatur.

DCCCCLXXVIII. Obiit Gaufredus pater Fulconis. Otho Pariſius imperator venit cum magno exercitu.

DCCCCLXXIX. Amalbertus abbas S. Benedicti efficitur.

DCCCCLXXXVIII. Obiit Gaufridus Griſigonella comes, pater Fulconis comitis XII. calendas Auguſti. Hugo dux Francorum factus eſt.

DCCCCXCII. Cometa viſa eſt per dies LXXX. & ſiccitas magna fuit. Prælium Concareticum. Robertus rex fit.

DCCCCXCVI. Hugo dux cum filio ſuo Roberto levantur in regnum.

DCCCCXCIX. Urbs Andegava incenſa eſt poſt combuſtionem comitiſſæ Elizabeth.

MV. Rainaudus epiſcopus obiit.

MVI. Hubertus ordinatur epiſcopus. Gaufredus comes natus eſt II. idus Octobris.

MXI. Obiit Robertus abbas VI. idus Auguſti, cui ſucceſſit Adebertus.

MXIII. Adebertus obiit VI. idus Aprilis, cui Giraudus ſucceſſit.

MXVI. Prælium Pontelevis inter Odonem & Fulconem comitem II. nonas Julii.

MXX. Monaſterium S. Nicolai fundatum eſt.

MXXII. Hoc anno Fredericus abbas efficitur monaſterii S. Florentii.

MXXIII. Obiit Hugo archiepiſcopus, IV. calendas Junii, cui ſucceſſit Arnulfus nepos ejus.

MXXV. Salmurus capitur.

MXXX. Corpus B. Florentii transfertur a Frederico abbate de eccleſia ſancti Hilarii de crypta in monaſterio novo adhuc imperfecto, in dextro monaſterii membro ſu-

per altare ſancti Johannis-Baptiſtæ.

MXXXII. Robertus rex obiit.

MXXXIII. VI. calendas Octobris captus eſt Willelmus Pictavorum comes a Gaufrido filio Fulconis.

MXXXVI. Initium belli pluſquam civilis inter Fulconem & filium ejus Gaufridum.

MXXXIX. Obiit Fulbertus Carnotenſis epiſcopus.

MXL. Fulco comes obiit Jeroſolymitanus.

MXLI. Dedicatio novæ baſilicæ S. Florentii idibus Octobris.

MXLIII. Hoc anno fuit fames in Gallia. Thebaudus filius Odonis comitis a Goffrido comite Andegavenſi captus eſt XII. calendas Septembris. Poſt triduum civitatem Turonenſem reddidit.

MXLV. Obiit Hildegardis comitiſſa.

MXLVI. VI. nonas Martii obiit Hubertus epiſcopus, cui ſucceſſit Euſebius.

ML. Obiit Mathias comes.

MLI. Dedicatum eſt altare Crucifixi ab Euſebio epiſcopo Andegavenſi.

MLIII. Leo papa obiit.

MLIV. Fredericus primus abbas & fundator hujus cœnobii obiit. Sigo ſucceſſit. Ab initio regni Caroli filii Ludovici, quo regnante, facta deſtructio monaſterii S. Florentii a Nomenoio Britone uſque ad Fredericum computantur anni CLXXXIII.

MLIX. Obiit Henricus rex Francorum XXIX. anno regni ſui. Gaufredus comes Martellus filius Fulconis comitis, factus eſt monachus S. Nicolai, Abrardo abbate.

MLXIV. Gaufredus Barbatus traditur, & barones interfecti ſunt.

MLXVI. Willelmus dux Normanniæ Angliam conquiſivit. Cometa terribilis apparuit.

MLXVII. Willelmus dux Normanniæ Angliam conquiſivit.

MLXX. Obiit abbas Sigo II. idus Junii, cui ſucceſſit Willelmus IV. calendas Julii.

MLXXVIII. Exercitus de Fiſſa.

MLXXXII. Obiit Euſebius epiſcopus.

MLXXXV. Fames valida.

MLXXXVI. Guido Pictavorum comes obiit menſe Septembri, & Guillelmus rex Anglorum.

MLXXXVIII. Hoc anno data eſt Caſa S. Florentio.

MXCIII. Aimericus vicecomes Toarcenſis, qui dedit nobis Caſam, obiit. Gaufredus epiſcopus VI. idus Octobris.

MXCV. Urbanus papa venit in Galliam, & exercitus Chriſtianorum abiit in Jeruſalem.

MXCVI. Gaufredus de Meduana ordinatur epiſcopus.

MXCIX. Obiit Urbanus papa.

MC. Hoc anno Jeruſalem capta eſt IV. calendas Julii VIII. die obſidionis ſuæ. Obiit Guillelmus Angliæ rex.

MCI. Hoc anno fundata eſt abbatia Fontis-Ebrardi.

MCVI. Hoc anno cometa rutilans apparuit. Gaufredus Martellus occiditur.

MCVII. Obiit Philippus rex.

MCIX. Fulco comes moritur & filius ejus Fulco accipit conſulatum. Hoc anno ingens penuria ſalis. Exercitus de Doë. Obiit Helias comes.

MCXIII. Exercitus de Bracco-ſacco.

MCXVI. Ventus terribilis nonis Decembris.

MCXVIII. Obiit domnus Willelmus abbas III. calendas Julii, cui ſucceſſit Stephanus.

MCXX. Calixtus papa venit Andegavum. Fulco comes obiit in Jeruſalem. Filius regis Anglorum necatus eſt cum pluribus.

MCXXIII. Exercitus de Doado.

MCXXIV. Exercitus de Moſterolo. Peſtilentia & fames.

MCXXV. Ulgerius epiſcopus ordinatur.

MCXXVI. Obiit W. dux Aquitaniæ. Aremburgis filia comitis Eliæ.

MCXXVII. Aimericus vicecomes dolo ſuorum interemptus eſt.

MCXXIX. Fulco comes Jeroſolymam pergit.

MCXXX. Exercitus de Mirebello.

MCXXXI. Fulco rex Jeruſalem ordinatur.

MCXXXIII. Obiit domnus abbas Stephanus VII. idus Aprilis. Hainricus natus eſt.

MCXXXIV. Exercitus de Candeio.

MCXXXV. Obiit rex Angliæ Henricus.

MCXXXVII. Siccitas magna a Martio uſque in Septembrem.

MCXXXIX. Mathildis imperatrix tranſit in Angliam. Stephanus rex Angliæ capitur in bello.

MCXL. Excidium Caſtri-Celſi.

MCXLI. Innocentius papa obiit, & Fulco rex.

MCXLII. Cæleſtinus papa obiit. Goffridus comes totam Normanniam acquirit.

MCXLIII. Obiit Lucius papa. Stella cometes apparuit, fames magna.

MCXLVII. Caſtrum Doadi capitur. Rex Franciæ & imperator Alemanniæ Jeruſalem pergunt.

MCXLVIII. Obiit Conanus dux Britonum, & Ulgerius epiſcopus.

MCL. Obſidio Moſteroli.

MCLI. Hoc anno Moſterolum capitur. Comes Gaufridus obiit.

MCLII. Thebaudus comes obiit. Henricus dux ducit Alienor a rege Franciæ ſeparatam.

MCLIII. Normannus epiſcopus obiit, & papa Eugenius & Bernardus abbas Clarevallenſis. Aſcalona capta eſt.

MCLIV. Stephanus rex Angliæ obiit. Henricus fit rex.

MCLVI. Matthæus abbas factus eſt epiſcopus Andegavenſis, & Stephanus Redonen-

ſis. Poſt hoc factus eſt Ogerius XXII. die- A bus & obiit, cui ſucceſſit Philippus abbas.

MCLVIII. Goffredus obiit Nannetis. Henricus rex Nannetim accepit & Thoartium.

MCLIX. Hoc anno domnus Henricus rex dedit feriam, quæ eſt in Maio, Deo & B. Florentio in manu Philippi abbatis. Adrianus papa obiit.

MCLX. Obiit domnus Philippus abbas IV. idus Maii, cui ſuccedit domnus abbas Frotgerius IV. nonas Junii.

MCLXI. III. Idus Martii obiit Matthæus epiſcopus ſexto anno epiſcopatus ſui. Fames B magna.

MCLXIII. Baudinus rex Jeruſalem obiit. Terræ motus factus eſt menſe Auguſto. Turonenſe concilium.

MCLXV. Terræ motus XII. calendas Julii.

MCLXVI. Exercitus de Filgeriis.

MCLXVII. Guerra inter regem Franciæ & regem Angliæ. Obiit Mathildis imperatrix.

MCLXX. Thomas Cantuarienſis epiſcopus occiditur.

MCLXXI. Obiit Amorricus rex Jeruſalem.

MCLXXII. Guerra inter regem Angliæ & C filios ejus.

MCLXXIII. Obiit domnus abbas Frotgerius, cui ſuccedit Radulfus.

MCLXXVI. Obiit abbas Radulfus, cui ſuccedit Mainerius III. calendas Novembris.

MCLXXVIII. Idibus Septembris eclipſis ſolis hora diei tertia.

MCLXXIX. Lateranenſe concilium. Ungitur in regem Philippus filius Ludovici calendis Novembris.

MCLXXX. Obiit Ludovicus Pius rex XIII. calendas Octobris.

MCLXXXI. Obiit Alexander papa III. calendas Septembris. Ventus terribilis XIII. calendas Aprilis.

MCLXXXIII. Obit Henricus rex junior III. idus Junii.

MCLXXXV. Hoc anno venit Eraclius patriarcha in Galliam & Angliam auxilium quærere. Contigit autem cum rediret cum rege Henrico de Anglia XVI. calendas Maii, contremuit tota Anglia, & multa ædificia ſubverſa ſunt, & facta eſt eclipſis calendis Maii hora nona.

MCLXXXVIII. Hoc anno fuit guerra inter Philippum regem Franciæ, & Henricum E regem Angliæ.

MCLXXXIX. Nonis Julii obiit Henricus rex Anglorum apud Cainonem caſtrum, & Richardus filius ejus unctus eſt in regem.

MCXC. Fredericus imperator Alemanniæ & Philippus rex Francorum, & Richardus rex Anglorum Jeroſolymam perrexerunt.

MCXCIX. VII. idus Aprilis obiit Ricardus rex apud caſtrum *Chalaz*, Johannes frater ejus factus eſt rex.

MCC. XIV. calendas Julii capta eſt civitas Andegavis a Johanne rege.

MCCII. Ludovicus comes Bleſis. Baldinus Flandrenſis, & Marquiſius de monte Ferrato iverunt Jeroſolymam.

MCCIII. Hoc anno obiit Mainerius abbas.

MCCIV. Hoc anno obiit Alienordis regina Angliæ.

MCCVI. Obiit Bartholomæus Turonenſis archiepiſcopus, cui ſucceſſit Johannes de B Faia.

MCCXIV. Hoc anno Johannes rex Angliæ obſedit Rupem-monachi, ſed non audens expectare adventum Ludovici primogeniti Philippi regis, confuſus receſſit. Eodem anno & die dictus Philippus rex Francorum, pugnavit cum Othone imperatore Alemanniæ in Flandria, & comitem Flandriæ & Brabantiæ cepit.

MCCXV. Hoc anno apud Romam univerſale concilium ſub Innocentio III.

MCCXX. Hoc anno orta eſt inter Petrum comitem Britanniæ & Amoricum de Credo- C ne & barones multos guerra.

MCCXXI. Hoc anno mortuus eſt Michaël abbas vigilia S. Martini æſtivalis. Hoc anno mortuus eſt W. de Rupibus ſeneſcallus Andegavenſis. Eodem anno in Nativitate Domini terræ motus in Italia & abſorpta eſt Biſſia civitas. Eodem anno pluit pulvis in modium cineris.

MCCXXIII. Obiit Philippus rex Francorum, cui ſuccedit Ludovicus primogenitus ejus.

MCCXXIV. Hoc anno ſubjugavit dictus D Ludovicus rex fere omnes nobiles Pictaviæ. Magnus ventus factus eſt.

MCCXXVI. Hoc anno obiit Ludovicus rex, qui primo anno regni ſui in Pictavia contra Anglicos Rupellam, *Niort*, & S. Johannem Angeliacenſem, & quam plurima alia caſtra in Gaſconia expugnavit.

MCCXXXV. Hoc anno Ludovicus rex, filius Ludovici filii regis Philippi, duxit in uxorem filiam comitis Provinciæ, & eodem anno dimicavit contra Petrum comitem Britanniæ, & cepit caſtrum Brientii & caſtrum Odonis, & redditum ei fuit Caſtrum-Celſum a dicto comite, dum idem rex eſſet in ejus E obſidione, & totam terram comitis circa id locorum devaſtavit, & villas ſuccendit, & combuſſit. Item eodem anno fuerunt inundationes aquarum & glacies & pruinæ, & occaſione glaciei rupti fuerunt pontes Salmurenſes & pontes Turonenſis metropolis civitatis, & apud Turones per ruptionem pontium ſubmerſi fuerunt homines infiniti. Item anno ſequenti fames mirabilis per totum orbem.

FRAGMENTA

FRAGMENTA CHRONICORUM COMITUM PICTAVIÆ, DUCUM AQUITANIÆ.

Auctore, ut videtur, monacho ſancti Maxentii.

1. TEmporibus EGENALDI Pictavenſis epiſcopi, Ebles dux Aquitaniæ & Pictaviæ comes, adepto Dei gratia principatu hereditario, & per donationem Willelmi glorioſæ recordationis viri, ducis Aquitaniæ, comitiſque Arverniæ; Hadelliam duxit uxorem Adeſtani regis Angliæ filiam. Cum ſucceſſiſſet Rannulfo fratri comitis Pictaviæ, ducis Rannulfi patris ſucceſſori, cœnobium augmentavit in Cluniaco & in Charitate ad Ligerim in honorem B. Mariæ Virginis Dei Genitricis & Johannis Baptiſtæ, omneſque poſſeſſiones quas ibidem habebat, donavit viris religioſis ejuſdem cœnobii. Vitam finivit in Pictavia pius & devotus ille comes dux Aquitaniæ, temporibus regis Franciæ Lodoici Tranſmarini.

2. EGFRIDO Pictavenſi epiſcopo, Ebles ille dux Aquitanienſis & comes Pictavenſis genuit ex Adellia Willelmum Caput-Stupæ nuncupatum & etiam Eblem. Ille verò princeps vir EBLES Lemovicenſis fuit epiſcopus dum vixit, atque de novo reſtauravit ſancti Martialis cœnobium, & S. Michaëlis in eremo cœnobium in Pictavia noſtra, ſicuti ſancti Adjutoris Maxentii noſtri cœnobium. Dux autem Ebles Aquitanienſis creavit Arnoldum fratrem vicecomitem de Thoarcio poteſtate magna in principatu ſuo; cumque vir Arnoldus optimates omnes in Aquitania ſuperaret animi fortitudine, bellum intulit Britonibus, quos vicit in terra ſua, fugavitque. Dedit Arnoldo vicecomiti Fulco comes Andegavorum Rufi cognomine, comitis Ingelgerii filius, Roſcillam filiam ſuam in uxorem, totamque terram de Moſterolo, & nati ſunt ex Arnoldo & Roſcilla Ebles vicecomes de Thoarcio poſt Arnoldum patrem, etiam Fulco vicecomes, & Arnoldus vicecomes.

3. FROTHERIO Pictavenſi epiſcopo, Willelmus Pictaviæ comes fuit & dux Aquitaniæ poſt Eblem patrem, junctuſque matrimonio cum una filia Rolli ducis optimi Normanniæ, ex qua ſuſcepit filium Willelmum Ferocis-brachii nuncupatum. Fuit etiam ex ejuſdem Willelmi progenie vicecomes Ebles de Thoarcio, cui nupſit Hildegarii Lemovicenſis vicecomitis filia Altrudis nomine; cumque ſuſcepiſſet Ebles ille vicecomes filios duos, Widonem videlicet atque Trullum ex Altrude conjuge, contendebat armis cum Ademaro in Lemovicenſi pago, defuncto Hildegario vicecomite, unde maximum Lemovicenſibus perveniſſet exitium, niſi Willelmus dux Aquitanienſis brevi obiiſſet, ſedato bello unicuique quod erat ſuum reſtituendo.

4. In his temporibus Fulco vicecomes civitatem conſtruxit de Breſturio in terra de Thoarcio Ebles fratris ſui vicecomitis, & defuncto Fulcone, civitatem illam tenuit ejus filius Willelmus de Breſturio, a Widone vicecomite de Thoarcio ejuſdem agnato. Arnoldus quoque vicecomes Ebles frater germanus, caſtrum & civitatem de Malo-leone conſtruxit in Pictavia noſtra, & ſucceſſerunt illi Ebles de Malo-leone, Arnolduſque de Caſtromurio filii ejus ex Humberge conjuge, ex Radulfo genita de Mauritania.

5. Temporibus ALBOINI & PETRI, & etiam GISBERTI epiſcoporum Pictavenſium, Willelmus cum eſſet comes Pictaviæ noſtræ & etiam Arverniæ, dux quoque Aquitaniæ, pietatis intuitu & amore Dei, & illius aſſenſu ejus uxor eccleſias erexit S. Nicolai ad Pictavum & B. MARIÆ ad Xantones, virginum etiam de Trinitate civitatis Andegavenſis, atque cœnobii civitatis Vindocini, illiſque dedit eccleſiis præfecturas omnes ſuas ad Villam-novam, & virginibus de Trinitate Andegavenſi ducentas libras terræ ad curiam Petroſi.

6. Ex illius autem Willelmi comitis progenie Wido fuit comes de Thoarcio, vicecomitis Ebles filius, & erexit ille in foro caſtri ſui eccleſiam unam in honorem beatæ MARIÆ Virginis Dei Genitricis & beatorum apoſtolorum, cum Agnete conjuge, ex qua genuit Odonem vicecomitem atque Willelmum vicecomitem. Habuerat autem illa terram fere omnem de Salmuriaco ab Odone patre comite Turonenſi. Defuncto Widone ſucceſſit illi Trullus frater in vicecomitatu de Thoarcio, Trulluſque vicecomes cum Rhadaguna conjuge cœnobium augmentavit B. Michaëlis in Eremo, & cum filiis ſuis

Willelmo Ferrum-ſectore de Podio Auguſti, & Hugone archiepiſcopo Turonorum, adſtante de Oenaco vicecomite Abomaro ejuſdem Radagunæ fratre germano.

7. Willelmus dux Aquitaniæ curavit eccleſiam ædificari Malleaci cum uxore ſua, & Willelmo comite filio, totamque terram ſuam Malleacenſem viris regulariter ibi viventibus uſque ad mare donavit, videntibus ex ejuſdem progenie proceribus Trullo vicecomite de Thoarcio, & Theobaldo de Breſturio, Willelmi de Breſturio filio, & laudantibus Gumbaldo archiepiſcopo, Gilberto Pictavenſi epiſcopo aliiſque plurimis. Supervixit uxori ſuæ exiſtente filio duce Aquitaniæ & comite Pictaviæ. Obiit in Domino longævus atque magnanimus Willelmus dux Aquitaniæ Pictavis in cœnobio B. Cypriani, ibique vixit cum cœnobitis pie atque ſancte annos quatuor, dum in Francia regnaret rex Robertus.

8. Ebles frater Willelmi ducis Aquitaniæ, epiſcopus Lemovicenſis fuerat, regnante Lodoico Tranſmarino rege Franciæ, obiitque in Domino temporibus regis Lotharii, & illius corpus humatum eſt in eccleſia cœnobii S. Michaëlis in Eremo, quod erexit in vita ſua. Et poſt mortem Trulli de Thoarcio vicecomitis, corpus ejuſdem humatum eſt ab abbate Dione in eccleſia ſua S. Michaëlis in Eremo. Ejuſdem Trulli vicecomitis filius & ſuperſtes Willelmus Ferrum-ſector, civitatem tenuit de Podio Auguſti ab Odone vicecomite de Thoarcio conſobrino, deditque illi Rainaldus de Mauritania Mathildem filiam in uxorem, totamque terram de Podio Fagi in confinio terræ ſuæ de Mauritania, uſque ad ripam Sayvriæ in terra B. Laurentii eccleſiæ, in confinio terræ de Malo-leone, & etiam terræ de Caſtro-murio, & in confinio de Podio Auguſti ad eccleſiam uſque S. Pauli, cœnobitis noſtris S. Adjutoris Maxentii. Willelmus Ferrum-ſector donavit libras centum terræ ad curtem ſuam ſancto Maxentio, cum uxore Mathilde filiiſque ſuis Trullo de Podio Auguſti & Rainaldo de Podio Fagi, in præſentia Brixii abbatis, laudante Gilberto Pictavenſi epiſcopo; defunctoque Willelmo corpus illius humatum fuit in eccleſia S. Michaëlis in eremo, temporibus regis Francorum Roberti.

9. Isamberto Pictavenſi epiſcopo, deceſſit Willelmus comes Pictavenſis & dux Aquitaniæ Willelmi Caput-Stupæ ſuperſtes, temporibus regis Francorum Roberti, & ſucceſſit illi filius ex Amata conjuge Willelmus Magnus Aquitaniæ dux & comes Pictaviæ. Ille vero genuit ex Almodia conjuge Willelmum ducem Aquitaniæ, & ex Agnete conjuge ultima alterum Willelmum Aquitaniæ ducem & Pictaviæ comitem dictum Audacem, & Willelmum etiam minorem in ſua vita ducem Aquitaniæ, junctum cum Aldeade, ex qua genuit Willelmum comitem Pictaviæ & ducem Aquitaniæ.

10. Willelmus autem comes noſtræ Pictaviæ, dux etiam Aquitaniæ, erexit eccleſiam in ſuburbio Pictavenſi in honorem B. Johannis evangeliſtæ, ac etiam B. Andreæ apoſtoli, ibique fundavit cœnobium monachorum Cluniacenſium. In illis temporibus ex ejuſdem progenie Odo vicecomes de Thoarcio Widonis vicecomitis filius augmentavit de Quinſſaio cœnobium cum Alixa conjuge a Willelmo genita comite Engoliſmenſi, filiiſque ſuis Willelmo vicecomite & Reginaldo Theofagiorum; cujus Odonis aſſenſu fundavit Alixa capellam unam in eccleſia ſancti Pauli Pictavenſi. Odone defuncto, illius frater Willelmus de Thoarcio fuit vicecomes, campoſque ſalinarum quos habebat apud Curſonem, donavit cœnobitis B. Michaëlis in Eremo; cui donationi aſſenſit ex Mathilde conjuge filius Willelmus de Aſpero-monte. In his temporibus ex eadem familia Radulfus de Malo-leone Ebles filius, eccleſiam erexit in honorem B. Petri apoſtoli... & militum ſuorum hominumque conſenſu, decimaſque ſuas donavit eidem eccleſiæ Hylaria conjux, confirmante Rainaldo de Malo-leporario fratre ſuo. Nam in illius caſamento erant illæ decimæ, propter dilectionem Radulfi viri ſui in eadem eccleſia ſepulti, filiique ſui Ebles de Malo-leone, & Willelmus de Talamundi illam donationem ratam habuerunt, aſtantibus Arnoldo de Caſtro-murio Arnoldi ſuperſtes, Trullo de Podio Auguſti, & Rainaldo de Podio Fagi fratre ſuo, Roberto de Mauritania, Roberto de Sauſſaio, & Rullo de Argentonio militibus. Cum erexiſſet Willelmus inclytus gratia Dei dux & comes in Pictavia & Aquitania collegium de novo monachorum Chaſſani, ex ejuſdem Willelmi proceribus Arnoldus de Caſtro-murio Chaſſani cœnobitis donavit ſuas decimas Puteï-Thoneſi cum Adelmoda conjuge & Raimundo filio. Trullus etiam de Podio Auguſti Ferrum-ſectoris Willelmi ſuperſtes, poſſeſſiones omnes quas habebat apud Loretum, Chaſſani cœnobitis donavit pietatis ejuſdem intuitu, cum uxore Mahauda, filiiſque ſuis Willelmo de Podio Auguſti, & Rainaldo de Floſcellaria. Illas enim fere omnes poſſeſſiones habuerat Mahauda a Callo patre ſuo vicecomite de Oenaio. Rainaldus quoque de Podio Fagi, Trulli frater germanus, poſſeſſiones ſuas de Henſſionenſi donavit abbati Alarico cum Helviſa conjuge, filiiſque ſuis Hugone atque Willelmo. Rainaldus fuerat Franciæ camerarius in vita regis Henrici, ante regis illius obitum: cumque ſupervixiſſet Helviſa Rainaldo viro ſuo, nupſit iterum Valeranno Franciæ camerario, fuitque genita ab Hugone nuncupato Bardulfo, qui tenuit Puirium caſtrumque de Bello-fonte & etiam de Novigento. Helviſæ primogenitus Hugo

Rainaldi primi viri ſui filius caſtrum de Podio Fagi tenuit a Roberto de Mauritania conſobrino, terramque totam de Podio Fagi citra & extra ripam Sayvriæ in omni rure caſtellaniæ mero & mixto imperio, cum nobilitiis, hoſtagiis, hominibus, cenſibus, terris & reditibus, pedagiis, præfecturis, vacantiis, & albinis, reſque de Podio Fagi ſingulæ non poſſunt alienari, earumque dominus jus tantum habet utendi, fruendi, ſalva ſubſtantia. Succedunt illi filii ſui complures habito ordine naſcendi viciſſim inter ſe: defunctoque filiorum ultimo, filius primogeniti filii, aut illius heres maſculus habet inveſtituram ejuſdem caſtri atque caſtellaniæ de Podio Fagi. Hugo vero cœnobium augmentavit S. Johannis Angeriacenſis cum Petronilla conjuge & Gaufredo filio, adſtantibus Willelmo Franciæ camerario, Hugonis fratre germano, & Willelmo Ferrum-ſectore comite Engoliſmenſi, Gaufredi quondam comitis filio, & comitiſſæ Petronillæ, ac etiam fratre Petronillæ ſupra nominatæ. Deinde Willelmus ipſe domini Philippi Franciæ regis camerarius, pietatis amore & Hugonis de Podio Fagi fratris ſui exemplo, S. Johannis Angeriacenſis abbati Odoni, cœnobitiſque donavit poſſeſſiones ſuas S. Luciani. Addidit ſuam decimam Willelmus de Surgeriis, Hugonis Maengo filius & Perronellæ cum Alipſa conjuge, ſupra memorati Willelmi ſorore: qui quidem Willelmus genuit Hugonem, Willelmum & Mahaudam ex Adellia conjuge, Yvonis filia comitis Belli-montis atque Adelliæ comitiſſæ. Dux autem Willelmus inclytus Aquitaniæ obiit in Domino apud Chiſiacum, & inde corpus ejus tranſlatum eſt in civitatem ſuam de Pictavo, & ſepultum eſt in eccleſia quam erexit in honorem B. Johannis evangeliſtæ ac etiam B. Andreæ apoſtoli. Succeſſit illi Willelmus Pictaviæ, Aquitaniæ dux & comes Pictaviæ, filius ejuſdem.

11. Willelmus ille vero pietatis intuitu monaſterium illud augmentavit, ejuſque perfecit ædificium, & nuncupatum fuit Monaſterium-novum; & cum Urbanus papa ſummus pontifex ex Roma in Franciam veniſſet, Willelmi ducis noſtri precibus Pictavim venit, eccleſiamque dicavit Monaſterii-novi Deo omnipotenti ſub auſpiciis ſancti Johannis & ſancti Andreæ.

12. Petro ſecundo & Willelmo primo epiſcopis Pictavenſibus, ex proſapia vicecomitum de Thoarcio Willelmus vicecomes fuit per obitum Odonis vicecomitis fratris ſui, & filium genuit Willelmum de Aſpero-monte. Succeſſit Willelmo vicecomiti Willelmus vicecomes primogenitus fratris Odonis vicecomitis, illoque defuncto ſine liberis, illius frater Aimericus de Theofagiis vicecomes fuit de Thoarcio, uxorem duxit Mahaudam ex proſapia ſua, nam erat filia Willelmi de Podio Fagi, qui Franciæ camerarius erat in vita regis Philippi. Suſcepit ex Mahauda, Agnes dicta, filium & ſuperſtitem Widonem vicecomitem de Thoarcio, & augmentavit Aimericus S. Adjutoris Maxentii cœnobium, illoque defuncto Gaufridus abbas ejuſdem corpus ſepelivit in eccleſia ſua. Mahauda vero Agnes dicta illius relicta nupſit iterum Ramelino, cum ſucceſſiſſet regibus Aragoniæ Sanctoni & Aufreti ſuis fratribus: licet vitæ monaſticæ ſe devoviſſet antea: nam ſummi pontificis diſpenſatione ſe junxit legitimo matrimonio cum illa Mahauda, ex qua unam filiam genuit heredem Aragoniæ regni, quæ filia Raimundo comiti Barceloniæ juncta fuit in vita ſua.

13. Temporibus autem Willelmi Pictaviæ ducis Aquitanienſis, Gaufridus de Podio Fagi filius Hugonis ex ejuſdem ducis progenie, Bertham dedit filiam in uxorem Johanni comiti primogenito Galfridi Griſagonellæ comitis Vindocinenſis, atque Mahaudæ Caſtridunenſis, & omnes poſſeſſiones quas habebat in Pictavia ab Hugone de *Lezignen* patre ſuo Mahauda, ex qua ſuſcepit Bertham Gaufridus, & nati ſunt ex Johanne comite Vindocinenſi & Bertha conjuge ſua Burchardus, Lancelinus, Galfridus & Mahauda, ex cujus viri principis Gaufredi progenie Hugo, filius Willelmi Franciæ camerarii, fuit etiam regis Lodoici ſexti camerarius nobilis & Franciæ regni. Willelmus frater ejuſdem epiſcopatum Pictavenſem obtinuit, & Amitta Mahauda [nupſit] Aimerico vicecomiti de Thoarcio, ex qua ſuſcepit Willelmum vicecomitem.

14. Hugo vero camerarii Willelmi filius & Theophania conjux Burgundia nuncupata, conſiderantes ante diem obitus, quod divina pietas invitat nos in dies dicens: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*; ac etiam quod eleemoſyna liberat a morte perpetua; idcirco pro Dei omnipotentis amore, & B. Mariæ Virginis, angelorumque omnium & ſanctorum, donaverunt abbati viriſque religioſis de Malo-leone villas duas quas habebant in terra de Malo-leone, illiſque conceſſerunt, ut quidquid de feodo de Podio Fagi dono vel emtione acquirere poſſent, poſſideant in perpetuum abſque coſduma, in remedio quoque animarum Willelmi atque Adelliæ patris & matris Hugonis ejuſdem, ac etiam Mauricii, qui tenuit in vita ſua Credonium in pago Andegavenſi, atque Theophaniæ, Anguillæ nuncupatæ, patris & matris ejuſdem Theophaniæ Burgundiæ, filiorumque eorumdem atque amicorum. Huic dono adhibitis teſtibus Hugone de Credonio fratre Burgundiæ Theophaniæ, Eble de Monte-leone, Willelmo de Podio Auguſti, Rainaldo de Vieriis, Roberto Camiliacenſe, & Johanne de Haia, regnante Lodoico ſexto Francorum rege, Willelmo

duce in Aquitania atque Pictavia, & Willelmo Pictavenſi epiſcopo. Hoc donum denique conceſſerunt Hugo de Podio Fagi & Rainaldus, Hugonis ejuſdem filii duo, atque Theophania.

15. Dux autem Willelmus Aquitaniæ, pœnitentia ductus malorum operum, iter ſuſcepit ſanctæ peregrinationis, & antequam ad S. Jacobum in Galicia proficiſceretur, teſtamentum ſuum condidit in hoc modo videlicet:

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, quæ eſt una Deitas, hoc eſt teſtamentum quod ego Willelmus *Dei gratia cum* Willelmo *epiſcopo facio in honorem Salvatoris mundi & beatorum martyrum & omnium confeſſorum & virginum, maxime Virginis* Mariæ, *cogitans de meis innumerabilibus peccatis, quæ ſuadente diabolo, temerarie perpetravi, & timens tremendi judicii diem, videns bona quæ videmur tenere, ſicut fumum in aëre, inter manus noſtras evaneſcere, noſmet etiam in hac peregrinatione ſine peccato una hora non poſſe vivere, & ſatis parvo tempore manere, & omnia quæ putamus poſſidere, eſſe caduca, & ſuis poſſeſſoribus gravamen, commendo me Deo, quem relictis omnibus ſequi volo. Filias meas regis domini mei protectioni relinquo,* Leonoram *collocandam cum domino* Ludovico *regis filio, ſi baronibus meis placuerit, cui Aquitaniam & Pictaviam relinquo. Peronellæ vero filiæ meæ poſſeſſiones meas & caſtella, quæ in Burgundia, ut proles* Gerardi *ducis Burgundiæ, poſſideo. Atque ne videar degenerare, ſed imitari ſancta veſtigia parentum meorum in bono opere, & commendare me Deo & ſanctis ejus, & in bonis operibus ſocietatem ſervorum Dei, & benedictionem accipere, do omnibus monaſteriis dominationis meæ mille libras terræ, diſtribuendas prout baronibus meis placuerit. Et quicumque hoc noſtrum teſtamentum diſrumpere tentaverit, excommunicatus a Deo & hominibus exiſtat. Qui vero in hoc coadjutor fuerit, ſit in omnibus particeps. Et ſubſcripſit* Willelmus *ille dux, &* Leonora *ejus filia, videntibus qui ſequuntur adhibitis teſtibus, dominus comes Alverniæ, dominus* Rainaldus *vicecomes de Thoarcio,* Ebles *de Malo-leone baro,* Willelmus *de Talemundi frater illius,* Brocardus *comes,* Galfridus *de Podio Fagi,* Willelmus *camerarius Franciæ frater illius,* Willelmus *de Podio Auguſti,* Richeldus *baro frater illius,* Rainaldus *de Mauritania,* Rainaldus *de Floſcellariis, &* Willelmus *de Herbertis, ejuſdem* Willelmi *ducis Aquitaniæ dapifer.*

Deinde ad S. Jacobum in Galicia peregre profectus, morbo correptus, vitam finivit Willelmus dux Aquitaniæ, ut putabatur, & illius teſtamentum adimplevit rex Francorum Lodoicus Groſſi cognomine. Innocentius ſummus pontifex filium ejuſdem Lodoïcum Juniorem dictum unxit in regem, & coronavit cum Remos acceſſiſſet, & terra Aquitaniæ & Pictaviæ deſtituta domino, Alienordem filiam & heredem Willelmi dedit in uxorem filio ſuo Lodoïco regi rex ipſe Francorum, & Peronellam ſororem Alienordis Radulfo comiti Viromanduorum donavit etiam in uxorem. Deinde evoluto non longo tempore, morte obiit rex ipſe Lodoïcus nuncupatus Groſſus. In illis temporibus grave contigit infortunium Chriſtianis in Hieroſolymitanis partibus. Nam Parthi cum Alapho eorum duce, diabolico inducti ſpiritu, magnam Edeſſam urbem ceperunt, ſtrage magna Chriſtianorum, cujus infortunii fama cum ad regem Juniorem perveniſſet . . . . . .

Magnus hic hiatus pluribus foliis avulſis.

. . . . . matrimonio tandem diſſoluto inter Lodoïcum regem Francorum & reginam Alienordem, illa requiſivit terram ſuam, nempe Aquitaniam, & poſt receſſum a Lodoico, ſolemniter fuit deſponſata Pictavi ab Henrico duce Normanniæ, qui poſtea ſublimatus eſt in regem Angliæ, defuncto rege Stephano avunculo ſuo, anno reparatæ noſtræ ſalutis MCLV. Rex vero Ludovicus filias duas ſuſceperat ex Alienorde, Mariam videlicet atque Alipſam. Illas autem deſponſavit, Mariam Henrico comiti Palatino Trecenſi, & Alipſam Theobaldo comiti Bleſenſi fratribus. Denique ſibi junxit conjugio Conſtantiam Hiſpaniarum regis filiam, ex qua genuit unam filiam, nominatam Margaritam.

16. Henricus vero rex Angliæ dux Normanniæ & Aquitaniæ, comes Pictavenſis, Andecavenſis & Cenomanenſis, fratrem Gaufridum inſtituit comitem Andecavorum atque Cenomanenſium. Nam Henricus, Gaufridus ac etiam Willelmus nati fuerant ex Gaufrido nuncupato Formoſo Andecavenſium comite, & ex Mahauda conjuge, Angliæ regis Henrici filia & herede. Et fuit genitus comes Gaufridus Fulcone Andecavorum comite ex Adellia comitiſſa Cenomanenſium ejuſdem uxore, qui comes Fulco obiit in regno ſuo Hieruſalem, in Francia regnante Lodoïco juniore nuncupato. Nam ſucceſſerat regi Balduino, poſtquam deſponſavit filiam Mileſendem, ex qua ſuſcepit in ultimo connubio Balduinum atque Almaricum. Sed quod Henricum primum regem Angliæ ſpectat, Willelmo fratri ſuo regi ſucceſſit, & tres illi fuerant geniti a Willelmo filio notho Roberti ducis Normanniæ; qui cùm fuiſſet heres inſtitutus ab Eduardo rege Angliæ, tamen Araldus quidam regnum illud occupabat. Sed Willelmus nothus Normanniæ cum copiis auxiliariis regis Francorum Philippi prælio vicit Araldum & interfecit. Deinde rex fuit Angliæ, & gubernavit regnum in tota vita ſua legibus ſuis. Genuit ex Mahaude conjuge ſua, Balduini comitis Flandriæ filia, Robertum, quem inſtituit Normanniæ ducem,

deinde Willelmum Rufi cognomine regem Angliæ, Henricum denique heredem totius ſui theſauri, & Alipſam filiam connubio junctam Stephano comiti Bleſenſium & Carnotenſium, qui genuit ex Alipſa Willelmum, Theobaldum atque Stephanum. Rex autem Angliæ Willelmus Rufus deceſſit ſine liberis, & illo defuncto, Henricus frater regnum occupavit Angliæ, invito Roberto Normanniæ duce fratre primogenito, quem vicit in prælio, & incarceravit, illo obcœcato. Sed ut redeam ad Henricum regem, virum Alienordis, ex illa ſuſcepit filios quatuor, totidemque filias, Henricum ſcilicet, quem regem coronavit, ſed mortuus eſt ſine prole vivente patre; Richardum nuncupatum Cor-leonis. Is rex fuit Angliæ duxque Normanniæ, & ſine liberis deceſſit; Gaufridum, vir ille princeps uxorem duxit Conſtantiam Britanniæ dominam, ex qua genuit Alienordem de Britannia; Johannem denique genuit cognominatum Sine-terra. Et ille rex fuit Angliæ in vita ſua, dux etiam Normanniæ & Aquitaniæ, comes Pictavenſis, Andegavenſis & Cenomanenſis. Rex Henricus & Alienordis regina Pictavum auxerunt, longoque muro circumdaverunt, cum præpoſuiſſent huic urbi atque Pictaviæ Willelmum de Podio Auguſti ex progenie ejuſdem reginæ, illo Willelmo deſponſato Hadelliæ Hugonis vicecomitis caſtri Heraudi filiæ, ex qua deinceps filiam Hadelliam genuit.

Ex noſtra chronica temporibus LAURENTII, JOHANNIS *&* WILLELMI *Pictavenſium epiſcoporum.*

17. Nupſit Henrico regis Henrici atque Alienordis reginæ primogenito Margarita regis Lodoici Francorum filia & reginæ Conſtantiæ, Normanniamque tenuit Henricus homagio ligio a rege Lodoico. Deinde Ricardus Cor-leonis nuncupatus, filius alter regis Angliæ, fidem juravit Lodoico regi propter Aquitaniam & Pictaviam noſtram, cùm junctus eſſet matrimonio cum Mahauda Raymundi comitis Barcelloniæ filia & herede. Gaufridus etiam regis Angliæ filius tertius, homagium fecit Lodoico regi Francorum juniori dicto, propter Britanniam Armoricam, & comitatum Andecavenſium atque Cenomanenſium; ſed Henricus dux Normanniæ ab Henrico patre rege coronatus in regem obiit in Domino, regnante Francorum rege Philippo II. nuncupato Deodato, & liberos non procreavit, illiuſque corpus ſepultum eſt in eccleſia B. Mariæ Virginis apud Rothomagum; Gaufridus etiam dux Britanniæ Armoricæ, Andecavenſis comes & Cenomanenſis, deceſſit non longo tempore poſt mortem fratris Henrici Pariſius, & illius corpus jacet in eccleſia B. Mariæ Virginis. Sed ipſius uxor Conſtantia prægnans remanſit & peperit filium nuncupatum Arturium. In his temporibus Wido fuit comes de Thoarcio, & ſucceſſit Willelmo patri vicecomiti, & Hadelliæ matri Radulfi comitis Aug. filiæ; & cum uxorem duxiſſet Hadelliam, Willelmi de Podio Auguſti filiam & hæredem, ex ea ſuſcepit filios ſuos, Aimericum nempe vicecomitem, Hugonem & Savaricum vicecomitem. Et Hadellia conjuge defuncta, deſponſavit Conſtantiam Gaufridi ducis Britanniæ relictam, ex qua genuit filias duas, Alipſam videlicet atque Catharinam. Nam Alipſam dedit in uxorem Petro comiti Drocarum nuncupato Malo clerico; & Catharinam Andreæ de Vitreo. Ex illius autem vicecomitis progenie Ebles de Malo-leone augmentavit cœnobium abbatis Willelmi Abſiæ, cum Alipſa conjuge, Hugonis de Podio Fagi filia, ex qua Radulfum genuit atque Savaricum; & Sigebrandus *Chabotz* de Volvente cum Hadellia conjuge ejuſdem Hugonis filia, Abſiæ cœnobium augmentavit etiam in illo tempore. Deinde Theobaudus eorum filius & ſuperſtes, patris atque matris donationem ratam habuit.

Ex chronica noſtra temporum AIMARI, WILLELMI IV. *&* PHILIPPI *Pictavenſium epiſcoporum.*

18. Alienoris Angliæ regina & ducissa Aquitaniæ ſupervixit Henrico regi viro ſuo, & poſt mortem regis Angliæ Richardi filii ſui Pictavum venit, ibique remanſit aliquot annis, vacans in omni pia opera. Præfecit atque Pictaviæ Hugonem de Podio Fagi ex ſua progenie ſeu familia, poſtquam deſponſavit illum Valentiæ ex conſenſu Galfridi de *Leſignen* patris ejuſdem & regum conſanguinei: cui dedit in dotem mille libras terræ apud Larmenum; & deinceps nati ſunt ex Hugone & Valentia Galfridus de Podio Fagi & Rainaldus. Obiit in Domino Andecavis regina Alienoris longæva, & corpus ejus ſepultum eſt in tumulo Henrici regis Angliæ viri ſui, in eccleſia cœnobii de Fonte-Ebraldi.

19. Francorum rex Philippus Auguſtus agnominatus, regi Lodoico patri ſucceſſit, cumque voluiſſet Arturum Britanniæ ducem defendere contra Johannem regem Angliæ, exercitu collecto, Pictaviam intravit, & munita civitate Pictavi, illam Hugoni de Podio Fagi commiſit. Interim Johannes rex cepit urbem Andecavis, totamque deſtruxit; cumque Wido de Thoarcio vicecomes a regis Philippi fidelitate receſſiſſet, totam illius terram devaſtavit rex Franciæ, rege Angliæ Johanne apud Thoarcium exiſtente. Poſtremo Willelmus de Rupibus de Caſtro-Lidio, mareſcallus Francorum regis noſtri Philippi, de Thoarcio vicecomitem cum ſuis copiis confecit, ac etiam Savaricum de Malo-leone ex ejuſdem familia. Sed cum rex Angliæ Johannes Arturum fratris ſui primogeniti fi-

lium vita privavit, odio fuit omnibus. Anno vero MCCXXIII. defuncto pridie idus Julii Philippo rege Francorum, Lodoicus ejus primogenitus filius ex Iſabella comitis Hannoniæ Balduini filia ſucceſſit illi, Remiſque fuit coronatus a WILLELMO Remenſi archiepiſcopo ætatis ſuæ XXXVI. Deinde urbem adeſt Turonum cum exercitu valido, & ad Thoarcium tendens, tamen treugam fecit cum Aimerico de Thoarcio ad annum videlicet. Nam ſucceſſerat Aimericus Widoni vicecomiti patri ſuo defuncto; & pergens ad Niortum rex Lodoicus obſeſſit caſtrum Niorti, & cepit deditione Savarici de Malo-leone, qui cum pluries Anglorum infidelitatem expertus fuiſſet, ſe ſubmiſit regi Lodoico. Deinde cum illo rediit in gratiam per deprecationem Hugonis de Podio Fagi avunculi ſui, & fecit homagium regi Lodoico Francorum Savaricus de Malo-leone. Rex autem Angliæ Johannes vitam finivit infeliciter, & filios reliquit duos Henricum atque Richardum. Et Henricus ejus nominis quartus fuit rex Angliæ. Lodoici Francorum regis opera & ſummi pontificis INNOCENTII precibus erga regem Lodoicum, condonavit Aimerico vicecomiti de Thoarcio rex Lodoicus Francorum. Et illi fecit homagium ſuum Aimericus vicecomes: qui prolem ſuſcepit nobilem ex Agnete conjuge de Lavallia Widonis filia. Et ejus primogenitus Wido fuit, deinde alteri ejuſdem filii fuere Aimericus, Hugo & Rainaldus. Savaricus autem vicecomes de Thoarcio fuit poſt mortem Aimerici fratris ſui, ſecundum uſum in illo vicecomitatu receptum. Ex Agnete conjuge, & Erardi domini Valeriaci camerarii Franciæ filia Widonem genuit & Rainaldum de Teophagiis. Ex eorumdem proſapiâ Hugo de Podio Fagi cum uxore ſua Theoſania Burgundia, & filiis ſuis Hugone, & Rainaldo, S. Adjutoris Maxentii cœnobium augmentavit, Atemaro abbate exiſtente; & Hugo de Podio Fagi ejuſdem ſuperſtes cum uxore Valentia, ducentum libras terræ apud Larmenum abbati & monachis eccleſiæ Malleacenſis donavit, quam donationem deinceps ratam habuit Galftidus de Podio Fagi eorumdem ſuperſtes, Raimundi & Meluſinæ proles. Sed ut ad regem Lodoicum Francorum redeam, dux fuit Aquitaniæ & Normanniæ, comes etiam noſter Pictavenſis atque Andecavenſis & Cenomanenſis per forisfactum regis Angliæ Johannis agnominati Sine-terra, quando ferro necavit Arturum ducem Britanniæ, primogeniti fratris ſui filium & heredem; & genuit ille rex Lodoicus filios plurimos ex Blanca Caſtiliæ regis filia, Philippum videlicet, Lodoicum, deinde Robertum, Adelphonſum, Carolum, poſtremo Johannem & obiit in Domino die Dominica in octavis Omnium Sanctorum, anno Domini MCCXXVI.

Ex temporibus JOHANNIS DE MELEDUNO, *&* HUGONIS DE CASTRO RUEO *epiſcoporum Pictavenſium a me ſupra memorato Pictavenſis eccleſiæ theſcurario deſcriptum* GUALTERO *Pictavenſe epiſcopo exiſtente.*

20. Regi Lodoico Francorum ſucceſſit Lodoicus ejus, & cum nondum ad ætatis ſuæ annum decimum tertium perveniſſet, in regem coronatus, regnum ſub protectione curatoria reginæ Blancæ matris ſuæ. Anno vero quinto decimo regni ſui Adelfonſo fratri ſuo conceſſit terram Pictaviæ, terram etiam Alverniæ, terraſque Albigenſium perpetuo poſſidendas, cum eum antea ſociari fecerat matrimonio cum Johanna Raimundi comitis Toloſani filia. Exiſtente vero comite noſtro Adelphonſo, cœnobium augmentavit fratrum Prædicatorum Pictavi Galfridus propter dilectionem Hugonis de Podio Fagi patris illius, & Valentiæ de *Leſignen* matris ejuſdem, quorum corpora in eorum fratrum eccleſia ſepulta ſunt. Deinde fratribus illis eccleſiam dedit Rupeliæ, cum Agnete conjuge, amore Dei omnipotentis, eorumque filio Aimerico, ac etiam cum Widone de Thoarcio ejuſdem Agnetis fratre. Nam ex Aimericó vicecomite de Thoarcio & Agnete uxore nati ſunt Wido & Agnes illa. Præfecit autem dominus comes Adelfonſus Galfridum de Podio Fagi terris ſuis Albigenſium, & in illa præfectura remanſit uſque ad profectionem ſecundam Lodoici regis optimi in partibus tranſmarinis. Nam in illo tempore crucem aſſumſit cum domino Adelphonſo, & intravit mare cum rege, fuitque in illo bello cum quinquaginta lanceis. Sed poſt regis obitum in obſidione Tunarum, ad propria Galfridus rediit incolumis & longævus. Obiit in domino apud Rupellam, & ſepultus eſt cum uxore Agnete de Thoarciis apud eccleſiam FF. Prædicatorum quam erexit. Rainaldus de Podio Fagi frater Galfridi, Hadelliam duxit uxorem, Savarici vicecomitis de Thoarcio filiam, & genuit ex illa Rainaldum & Johannem, illumque præpoſuit Alverniæ dominus comes noſter Pictavenſis, & Aimericum Galfredi de Podio Fagi filium atque ſuperſtitem deſponſavit Emmettæ, domini Widonis de Lavallia defuncti & Philippæ de Vitreo defunctæ filiæ, cui dominus Wido de Lavallia frater aſſideavit libras trecentum in terra ſua, & dominus comes mille libras donavit Aimerico in terra Pictaviæ ejuſque ſucceſſoribus. Ex Emetta genuit Aimericus Widonem de Podio Fagi, Rainaldum, Catharinam & Johannem. Sed ut loquar de domino Adelphonſo comite noſtro Pictaviæ & Toloſæ, & de ejus fine laudabili, ſciendum eſt quod cum rediret ad propria, cum rege Philippo Francorum nepote ſuo, a via peregrinationis ſuæ tranſmarinæ & Jo-

hanna comitissa uxore sua, ad quoddam ca- A stellum divertisse..... *Reliqua desiderantur.*

Ex antiquo chronico S. Michaëlis in Eremo.

Trullus de Thoarcio vicecomes in Pictavia, & Altrudis mater ejus, & Radaguna uxor ejus augmentaverunt abbatiam nostram B. Michaëlis in Eremo, & huic donationi subscripsit Willelmus Ferrum-sector de Podio Augusti Trulli filius, & Radaguna, vidente Dione abbate cum plurimis monachis. Post obitum Trulli in ecclesia cœnobii B nostri sepulti, Willelmus Ferrum-sector de Podio Augusti & Mathildis ejus uxor dederunt & concesserunt in puram, & perpetuam eleemosynam Deo & B. Mariæ Virgini, & & B. Michaëli, & ejus monachis Deo servientibus in Eremo, terram suam B. Dionysii de Peyrato. Hujusce donationis testes fuere Willelmus comes Pictavi, Arnoldus de Castromurio, Robertus de Mauritania, Willelmus Maengo, & Radulphus Rupis-cervorum, appositione sigillorum suorum, regnante Henrico rege Francorum; & Gilberto Pictavense existente.

Deinceps ad majorem confirmationem earum rerum quæ præmittuntur, Trullus de Podio Augusti & Rainaldus de Podio Fagi, Willelmi Ferrum-sectoris ex Mathildis conjuge filii, apposuerunt sigilla sua cartæ hujusce donationis.

Rainaldus camerarius regis & Helvisa conjux, amplius cœnobium nostrum B. Michaëlis in Eremo dotaverunt, pro remedio animarum Willelmi de Podio Augusti atque Mathildis, patris & matris ejusdem Rainaldi & successorum salute, ac etiam pro animæ remedio Hugonis Bardulphi atque Berthæ, patris & matris Helvisæ.

Hugone de Podio Fagi concedente uxor ejus Petronilla ecclesiæ B. Michaëlis in Eremo donavit feodum B. Dionysii, in casamento Willelmi camerarii Franciæ, fratris Hugonis ejusdem, & donationem illam ratam habuit ejusdem pietatis intuitu, & memoriæ Rainaldi camerarii patris sui defuncti.

CHRONICON RICHARDI PICTAVENSIS MONACHI CLUNIACENSIS.

Ab anno DCCLIV. ad MCLIII.

Ex manuscripto Colbertino.

CONSTANTINUS Leonis filius imperat annis XXIII. mensibus II. diebus II. Stephanus papa Romanus sedit annis XV. mense I. diebus X. Hic pergens in Franciam Pipinum unxit in regem anno ab Incarnatione Domi- Pl. DCCLIV. ni * DCCXXIV. misit Pipino regi imperator Constantinus cum aliis donis organas musicas, quas in Francia posuit. Domnus autem Pipinus postquam unctus est in regem, cum Carolo filio suo veniens in Aquitaniam cepit castella plurima, deinde expugnavit Lemovicas & castrum *Thoarz* & Lochas, quæ erant in itinere suo, & sæpius intrans Aquitaniam, Tolosam, Narbonam, Albiensem, Galvaldanum, Bituricas civitates munitas cepit, pervenitque usque Garonam fluvium, capiendo castra. Sequenti anno cepit Xantonas civitatem cum matre Waiferii & sororem & neptem. Quidam autem princeps Waiferii sibi adduxit ejus uxorem captam. Inde venit Petragoricas, & commisso prælio, occisus Waiferus. Hoc bellum per IX. continuos annos protractum est, non sine Francorum multo interitu. Pipinus autem Franciam rediens morbo intercutis aquæ, cum regnum per XV. & eo amplius annos administrasset, vitam finivit, in basilica S. Dionysii sepultus, planxeruntque eum Franci planctu maximo, regnaveruntque filii ejus Carolus & Carlomanus pro eo. Paulus natione Romanus sedit annis X. mense I. Stephanus Siculus sedit annis III. mensibus V. diebus XXVII.

Leo Constantini filius imperat annis V. hic ad breve tempus simulatione facta, visus est esse pius, cœpitque largiri pecunias quæ a patre suo ei dimissæ fuerant & inique congregatæ. Ex monachis autem in primis sedibus metropolitanos collocavit, & ordines in urbe regia ampliavit.

Herene Leonis uxor cum filio suo Constantino imperat annis X. mensibus II. diebus II. hi

duo mater ſcilicet cum filio cœperunt recreare monaſteria, & omne bonum manifeſtare. Per id tempus in longis muris Thraciæ homo quidam fodiens invenit arcam lapideam, quam cum expurgaſſet, & revelaſſet, virum jacentem reperit, & litteras continentes hoc: *Chriſtus naſcitur ex Maria Virgine, & credo in eum. Sub Conſtantino & Heirene imperatoribus ſol me iterum videbit.* Horum anno VIII. facta eſt ſynodus Nicæna II. CCCL. ſanctorum patrum, qui fidem orthodoxam confirmaverunt. Adrianus papa natione Romanus ſedit annis XXIII. menſibus X. diebus XVII. Hic fecit Carolum regem venire Romam propter Deſiderium Longobardorum regem, & factus eſt Romanorum patricius, id eſt defenſor Italiæ.

Conſtantinus ſolus expulſa matre imperat annis VII. Heirene rurſus imperat ſola annis V. menſibus II. diebus XII. Leo papa ſedet annis XX. menſibus V. diebus XX. Hic eſt cœcatus & in arcta cuſtodia poſt poſitus paucos dies viſum recepit, & lingua ſibi abſciſſa ad loquendum illi reſtituta eſt. Hic coronavit Carolum qui ultus eſt inimicos ſuos amare, & eum item in ſedem ſuam reſtituit. A tempore a quo Longobardi invaſerunt Italiam uſque ad hunc ſunt anni CCXVI.

Nicephorus imperat annis IX. Mauritius filius ejus imperat menſes duos, dies VI. Hic in loco ubi pater ejus mortuus eſt, inſanabili vulnere percuſſus, vix a pugna vivus exivit. Tamen paternæ malitiæ germanus hæres, multa frequenter dehoneſtavit. Unde facto conſilio, Michaël Curopalates imperator a toto ſenatu appellatus eſt, atque ita factum eſt, ut dum orientale imperium pene deveniſſet ad nihilum, nec niſi nomen imperii apud Biſantium reſervatum eſſet, domnus Carolus piiſſimus auguſtus ita occidentale ſuſcitavit imperium, ut nulli auguſtorum jure debeat vocari ſecundus, propter factorum multitudinem & magnitudinem.

Michaël Curopalates imperat annis II. vir orthodoxus & amabilis omnibus, omnes qui orthodoxæ fidei adverſabantur prout poterat curabat extinguere. Prætores vero & nobiles deſperati ab imperatore, Leonem patricium virum ſtrenuum eligunt. Porro Michaël, hujus acclamatione audita, cum Procopia uxore ſua natiſque ſuis in oratorium Fari accurrens, detonſis capillis, monaſtica induit veſtimenta. Amaverat autem ſemper ſacrum habitum monachorum, qui divinæ philoſophiæ eſt gymnaſium. Porro Leo imperator regnavit annis VII. menſibus V. diebus XV.

Domnus vero Carolus, ut paulo altius repetamus, regnare cœpit anno ab Incarnatione Domini DCCLXVIII. quo anno rex Pipinus pater ejus obiit, relictis duobus filiis ſuis, qui elevati ſunt in reges. Primus Carolus de quo nunc agitur & Carlomannus frater ejus, domnus Carolus in Noviomo civitate, Carlomannus vero Sueſſionis civitate. Qui in principio regni ſui contra Hunaldum Aquitaniæ ducem perrexerunt in Waſconiam, illumque ceperunt. Carlomannus inde reverſus, Bertam reginam duxit uxorem; qui poſt biennium mortuus eſt quam regnare cœpit. Carolus etenim conſenſu omnium Francorum ſuper duo regna rex conſtituitur. Regnavit idem glorioſus princeps annis XLVII. Hic quarto regni ſui anno ſubegit Italiam, & Deſiderium regem Longobardorum in Papia urbe cepit: ſed filius ejus Angiſulfus fuga lapſus, Bizantium venit. Idem Carolus XXIII. anno regni ſui a Leone papa imperator factus eſt. Habuit autem multa prælia cum Saxonibus, eo quod rebelles & infideles ſemper contra eum exiſterent. Deſtruebat ſiquidem fana eorum, & Chriſtianum nomen tam apud eos quam apud ceteras gentes, tum timore tum amore propagabat. Conſtruebat enim in eorum terra caſtra, urbes ad monumentum ſui, & ut terram taliter occuparet & ut Chriſtianiſmo ſubderet. Intravit autem dominus Carolus in Hiſpaniam uſque Cæſar-auguſtam, ubi quorumdam regum Sarracenorum recepit obſides; ſuperatiſque inibi pluribus oppidis, atque caſtellis in deditionem acceptis, ſalvo & incolumi exercitu revertitur, præter quod in ipſo Pyrenæi jugo Waſconiam perfidiam parumper in redeundo contigit experiri. Nam cum agmine longo, ut loci & anguſtiarum ſitus permittebant, porrectus iret exercitus, in ſummo montis vertice poſitis inſidiis, (eſt enim locus ex opacitate ſilvarum inſidiis opportunus,) extremam impedimentorum partem, & eos qui noviſſimi agminis incedentes ſubſidio præcedentes tuebantur, deſuper incurſantes in ſubjectam vallem dejiciunt, conſertoque cum eis prælio uſque ad unum omnes perimunt: ac ſic beneficio noctis inſtantis adjuti, cum præda celerrime diffugiunt: in quo prælio Egihardus regiæ menſæ præpoſitus, Anſelmus comes palatii, *Hurvodland* Britannici limitis præfectus, cum aliis pluribus interficiuntur. His temporibus Abdela Sarracenus, Bunaugi regis filius, a fratre ſuo regno pulſus, ad Carolum venit, ejuſque manibus ſe commendavit, quem cum Ludovico filio ſuo in Hiſpaniam reverti fecit, ut ei contra fratrem ſubveniret. Miſit autem imperator alium filium ſuum Pipinum ad diſponenda quædam negotia Italiæ. Legatus autem Ildefonſi regis Galliciæ & Aſturiæ nomine Froia venit ad eum, præſentans ei miræ pulcritudinis papilionem; & poſt pauca, rex idem prædata ſuper Sarracenos Ulixibona, miſit eidem imperatori legatos cum muneribus. Poſt illa tempora dum Carolus Roma rediens, cum in Auguſtum a Leone papa & omni populo ordinatus eſſet, terræ motus factus eſt Romæ, & ex maxima parte baſilica

lica S. Pauli cum trabibus decidit. In quibusdam locis urbes montesque ruerunt. Per hæc tempora rex Persarum inter cetera dona etiam horologium mirabilis fabricæ transmisit, ac Christianos qui sub ejus erant imperio, rogante hoc domno Carolo, mitius tractavit. Erat autem tantæ admirationi apud exteras gentes, ut etiam ab eis Pater orbis appellaretur. Per hoc tempus Ludovicus filius imperatoris, quem jam pater suus regem Aquitaniæ fecerat, Tortosam civitatem Hispaniæ obsedit: sed quia munita nimis erat, inefficax rediit. Hoc etiam tempore Mauri & Sarraceni Corsicam, Sardiniam, & Baleares insulas, quæ omnes sub dominio imperatoris erant, nimia vexatione vastabant, & Normanni regiones imperii valde affligebant. Est enim Normannia contermina Dacis sive Danis, ita ut sæpe Normanni, id est Daci vel Dani vocentur. Godefridus vero rex Normannorum ab ea vana spe inflatus erat, ut sibi totius Germaniæ potestatem promitteret, Frisiam, Saxoniam suas provincias æstimabat. Jactabat enim se brevi Aquisgrani venturum cum magnis copiis: quod revera facere inchoasset, nisi morte præventus esset. Dum imperator pacem cum Leone imperatore Constantinopolitano, & cum Hemingo Danorum rege haberet, in tres partes divisit exercitum; unum trans Albiam in Livones quos vastavit, castellum etiam superiori anno a Wilcis destructum in ripa Albiæ fluminis reædificavit. Alterum in Pannonias contra Hunos misit exercitum; tertium in Britones, qui in quodam cornu Galliæ super littus oceani resident: qui omnes rebus prospere gestis, & perdomitis gentibus ad quas ierant, incolumes ad imperatorem regressi sunt. Anno sequenti Carolus filius imperatoris, qui major natu erat, obiit, & imperator Aquisgrani hiemavit. Pipinus autem alter filius ejus, quem regem Italiæ fecerat, jam obierat, qui filium Bernardum nomine reliquit, quem domnus imperator pro patre regem fecit Italiæ. De domno imperatore si quis plenius desiderat nosse quæ gessit, gesta Francorum diligenter exquirat. Habuit autem imperator uxores plurimas, filiam scilicet Desiderii regis Longobardorum, quam post modicum repudiavit. Habuit & Ildegardam nobilissimam feminam de Suevorum gente, de qua tres filios habuit, id est Carolum, Pipinum, & Ludovicum, totidemque filias. Habuit & alias tres filias, duas de Fastrada regina, tertiam de concubina quadam. Defuncta vero Fastrada, Ildegardam duxit uxorem, post cujus mortem tres concubinas habuit, ex quibus omnibus filios genuit & filias. Aquisgrani regiam exstruxit, ibique extremis vitæ annis usque ad obitum suum habitavit.

Anno igitur ab Incarnatione Domini DCCCXIV. dum Aquisgrani degeret, LXXI. ætatis suæ anno, regni vero in Francia XLVII. imperii XIV. accedente ad febrim lateris dolore, septimo postquam decubuit die, hora diei tertia, oleo sancto perunctus, sacra communione percepta, V. calendas Februarii, viam universæ carnis lux Francorum ingressus est, sepultusque Aquis in basilica Dei Genitricis, quam ipse construxerat; corpus vero aromatizatum, & in sede aurea sedens positus est in curvatura sepulchri, accinctus ense aureo, evangelium aureum tenens in manibus & genibus, reclinatis humeris in cathedra, & capite erecto honeste, ligata aurea catena ad diadema. In diademate vero lignum Crucis positum est, & sepulchrum repletum est aromatibus, pigmentis, balsamo, musco, & thesauris. Vestitum est corpus ejus imperialibus vestimentis, & sudario sub diademate facies ejus cooperta est. Sceptrum aureum & scutum aureum, quod Leo papa consecraverat, ante eum posita sunt, & sigillatum est sepulchrum ejus. Nemo enim referre potest quantus fuerit luctus per universam terram, non solum a Christianis, sed etiam a gentibus. Hoc autem sciendum quod nulli imperatori secundus religione & actibus extiterit. Antea vero quam moreretur, advocatis omnibus sui imperii metropolitanis, omnes thesauros eis tradidit, ut ipsi per subjectas sibi diœceses, ecclesiis, viduis, orphanis, pauperibus, ut ubicumque opus essent, dividerent. Stephanus papa sedit annis VII.

Lodovicus Caroli filius imperat annis XXVII. adhuc imperante apud Bizantium Leone imperatore. Domnus Lodovicus post patris necem * primo legatos, qui ad patrem undequaque venerant, absolvit, & alios ad patrem venientes simili modo suscepit. Jussit autem domnus imperator fieri regulam canonicis de diversis patrum sententiis exceptam, ut sicut monachi respiciunt ad regulam S. Benedicti, sic perlegant clerici librum vitæ clericorum. Operis hujus auctor extitit AMALARIUS diaconus, qui librum de officiis & aliis contexuit. Congregavit autem synodum Ludovicus, ubi abbates regni sui convocavit, & multa utilia eis teneri præcepit, admonens ut regulam S. Benedicti tenerent, & ut minus quam sex monachi in una cella non morarentur ab eodem roboratum est. Posuitque abbatias omnes in manu sua, ut nemo comitum vel episcoporum eas inquietare posset. Eo tempore Lotharium primogenitum suum imperatorem coronavit, & consortem imperii constituit. Ceteros vero reges appellatos, unum, id est Carolum Calvum, quem de Judith regina susceperat, Franciæ & Burgundiæ, Ludovicum Germaniæ, Pipinum Aquitaniæ præfecit. Iste Pipinus Angeriacense monasterium jussu patris construxit, ubi etiam caput Johannis Baptistæ reposuit. Tunc Rabanus Magnentius

* id est mortem.

monachus magiſter * Alcuini in divina philoſophia claruit. Hoc autem ſciendum eſt, quod piiſſimus imperator conſilio epiſcoporum & optimatum ſuorum ea quæ contra Bernardum nepotem ſuum, & circa Adelardum abbatem geſta ſunt, ei ſua reſtituendo, publica luxit pœnitentia, & confeſſionem egit, & reconciliatus eſt fratribus ſuis, quos invitos tonderi juſſerat. Denique quidquid ipſe vel pater ejus domnus Carolus contra aliquos iniuſte perpetravit, eam culpam emendavit, & cum ſumma devotione ſeſe correxit. Item Normanni Herio inſulam, quæ eſt in pago Pictavenſi, facta per mare irruptione ſuccendunt, quæ deſtituta eſt a generali monachorum habitatione. Ibi enim domnus Carolus imperator fecerat monaſterium S. Philiberti: unde his temporibus corpus S. Philiberti Normannorum infeſtatione de Herio inſula effoditur VIII. idus Julii, & in Burgundiam a monachis defertur, & poſt duos annos Pipinus rex Aquitaniæ filius imperatoris obiit, ſepultus Pictavi apud S. Radegundem. Paſchalis papa ſedit annis VII. menſibus III. diebus XV. Eugenius ſedit annis IV. Valentinus ſedit anno I. diebus X. Gregorius ſecundus ſedit annis XVI. Sergius ſecundus annis III. Hic coronavit Ludovicum (a) imperatorem, quamvis alii de Stephano papa hoc aſſerant. Leo ſedit annis IX. menſibus III. diebus VI.

Lotharius filius Ludovici poſt patrem imperat annos XVI. ſed facta eſt altercatio inter eum & Ludovicum regem Germaniæ & Carolum regem Franciæ pro regno Aquitaniæ, quod Pipinus eorum frater ſine liberis mortuus vacuum reliquerat. Anno II. poſt mortem domni Ludovici Carolus Calvus & Ludovicus rex Germaniæ, regnum Aquitaniæ invicem partiti ſunt. Alio quoque anno Seguinus comes Burdegalenſis & Xantonenſis comes a Normannis capti & occiſi ſunt, & Xantonis civitas a Normannis capta eſt & concremata, theſauris ejus optimis exportatis. His temporibus Normanni diffuſi ſunt per Aquitaniam, quia duces ejuſdem regionis inter ſe bellum deciderant, nec erat qui eis reſiſtere poſſet. Ideo concrematæ ſunt ab eis iterum Herio inſula, & monaſterium de Oias inſula, Burdegala, Xantonas, Engoliſma, Lemovicas, Pictavis, Andegavis, Turonis, Aurelianis, Pariſius, Belvagus, Noviomus, & innumera monaſteria, & caſtella deſtructa ſunt. Per idem tempus canonici S. Martialis apud Lemovicas in monaſticum habitum ſe ſponte transferunt. E contrario S. Martini monachi Turonenſis, ante corpus ejuſdem, abjecto monachali ſchemate, ſchema induunt canonicale: ſed mox in iiſdem peſtilentia irruit, ut una nocte omnes morerentur. Tunc idem locus in reliquum a canonicis habitatur. Benedictus papa & Zeno ſedit annis II. menſibus VI. diebus IX. Paulus ſedit annis X. menſe I. Stephanus ſedit annis IV. menſibus V. diebus XXII. Nicolaus ſedit annis VII. menſibus IX. diebus X.

Carolus-Calvus poſt mortem fratrum ſuorum regnat ſuper Francos annis XXIX. & nobilem eccleſiam apud Compendium de novo conſtruxit, multiſque reditibus & prædiis illam ditavit, inſuper reliquiis quas de Jeroſolymis & Conſtantinopoli advexerat eamdem inſignivit; inter quæ pretioſiſſimum ſudarium Chriſti Domini, quod in ſepulchro habuit, in præfata eccleſia repoſuit, quod uſque hodie ibidem conſervatur. Quo tempore Normanni Aquitaniam graviſſime affligebant, necnon & alias Francorum provincias. Turpio comes Engoliſmenſis cum Normannis congreſſus, occidens eorum regem nomine Maurum, & ab eo ipſe occiditur. Emeno autem frater ejus Engoliſmæ pro eo comes efficitur, qui poſt biennium cum Xantonenſi comite confligens interemtus eſt, relinquens parvulum filium ſuum nomine Ademarum.

Adrianus papa ſedit annis III. menſibus XI. diebus X. Hic unxit Carolum-Calvum oleo & imperatorem conſtituit, primo anno ordinationis ſuæ & ultimo vitæ Caroli anno.

Ludovicus-Balbus ſuper Francos tantum regnat annis IV. vel ſicut alii volunt duos. Hic nihil ſtrenue geſſit ob brevitatem vitæ, niſi quod monacham unam, ut ferunt, de monaſterio Kalæ traxit, & eam uxorem duxit, nec ultra aliquis de regibus Franciæ ſumſit imperium, eo quod a patribus degenerarent. Johannes papa ſedit annis decem diebus II.

Carolus Simplex ſive Stultus, Ludovici filius regnavit annis XXV. infeliciter. Per idem tempus Ramnulfus comes Pictavis filium habuit Eblum nomine. Ramnulfus vero conſanguineus erat Willelmi Pii Aquitanorum ducis & Arverniæ comitis. Interim Ademarus filius Emenonis prædicti comitis Engoliſmæ, cum non haberet terram, a rege Odone vocatus, comes Pictavi provectus eſt: ſed cum non haberet prolem, una cum Sancia uxore ſua de his quæ poſſidebat, multa Chriſti eccleſiis conceſſere. Sanctus vero Geraldus clam Pictavi ſubductum Eblum Ramnulfi filium, ne forte necaretur, Willelmo Pio, cui propinquus erat, tradidit nutriendum.

Eo tempore dux ipſe Willelmus, cum non haberet heredem, Cluniacum monaſterium in fundo proprio, qui eſt in Burgundia, pago Matiſcenſi conſtruxit, eidemque loco Bernonem abbatem præficiens, magnos de ſuo reditus præfato loco jure dedit hereditario.

Anno igitur ab Incarnato Verbo DCCCCX. primum præfuit eidem loco Berno abbas annis XVI. Villelmus Pius immatura morte præ-

* l. diſcipulus.

[a]

(a) Cum Petri ſedem occupare cœpit Sergius II. jam e vivis ſublatus fuerat Ludovicus rex, quem proinde non potuit coronare.

ventus locum imperfectum reliquit, & ducatus sui Eblum factum Pictavensem comitem reliquit heredem. Ex tunc igitur Pictavorum comites duces Aquitanorum fuere. Ebo vero Biturícus, dum Cluniacus cœpisset institui, similiter cœpit ædificare Dolense cœnobium in honore Matris Domini, quod postea filius ejus Radulfus redintegravit, & magnam monachorum cohortem ibidem congregavit, & sufficientem eis victum contulit. Martinus papa sedit anno I. mensibus V. Adrianus sedit annis II. mensibus IV. quo pontificante Cluniacense cœnobium a Willelmo duce fundatum est. Stephanus sedit annis IV. mensibus VII. diebus XIV. Formosus sedit annis IV. mensibus VII. diebus XIII. Hic confirmavit Bernoni cartas & donaria quæ fecerat Gignensi ecclesiæ. Bonifacius sedit annis V. Stephanus sedit anno I. mense I. diebus XVIII. Romanus sedit annis IV. diebus XX. Deodatus sedit diebus XXVI. Johannes sedit anno I. Benedictus sedit annis IV. mensibus VI. diebus XIV. Berno Cluniacensis abbas obiit. Leo sedit mense I. Christophorus sedit mensibus VI.

Radulfus regnavit post mortem Caroli super Francos annis XIII. Sergius papa sedit annis VII. diebus XXIII. Anastasius sedit annis II. mensibus II. diebus XXIII. Lando sedit diebus XXVI. Johannes sedit annis XIV. mensibus II. diebus IV. Hoc tempore Oddo abbas Cluniacensis obiit.

Ludovicus Caroli-Simplicis filius regnavit annis XVIII. Post hæc tempora Heblus prædictus Pictavorum comes & dux Aquitaniæ duxit Abdelam filiam Rolli Rothomagensis, in conjugium, genuitque ex ea filium Willelmum Caput-Stupæ. Circa hæc tempora Willelmus Sector-ferri filius Alduini, comes erat Engolismæ, qui de genere Caroli-Calvi habebatur. Hic restituit reliquias Carrofo monasterio, quas monachi ejusdem loci infestatione Normannica Engolismæ transfugerant. Nam iidem Normanni crebras irruptiones per Pictavorum terminos, & usque Carrofum, vel ultra, sæpius facere consueverant. Tunc Ademarus abbas Cluniacensis per decennium claruit, ante quem fuerat Oddo abbas Cluniacensis tempore Rodulfi regis, cujus jussu cœpit disponere regulariter Floriacense cœnobium. Præfuit autem idem pater Dolensi, Maciacensi, Aureliacensi & omnibus fere Aquitaniæ cœnobiis, quæ regulari disciplina coërcuit. Hic rexit Cluniacense cœnobium annis XVIII. Leo papa sedit mensibus VII. dies XV. Stephanus papa sedit annis II. mensibus II. diebus XII.

Lotharius Ludovici filius super Francos regnavit annis XXX. Hic est in regem unctus Remis, & Hugo Magnus factus est dux Francorum. Hic Hugo fuit filius Roberti tyranni, qui interfectus est a Carolo, quem habuerat a sorore Herberti comitis Veromanden-

sis. Secundo anno post hoc ipse Hugo comitem Pictavis obsedit, unde expulsus rediit. Altero anno obiit ipse Hugo Magnus, sepultus in basilica S. Dionysii. Cui successerunt tres filii, Hugo, Otto, Henricus. Hugo factus est dux Francorum, Otto Burgundionum. Mortuo Ottone duce, successit ei frater suus Henricus. Johannes papa sedit annis IV. mensibus X. Ademarus Cluniacensis abbas obiit Cluniaci. Leo sedit annis III. mensibus VIII. diebus X. Stephanus sedit annis III. mensibus IV. diebus XV. Martinus sedit annis III. mensibus VI. Agapitus sedit annis IX. mensibus VII. diebus XXVIII. Johannes sedit annis VIII. mensibus IV.

Ludovicus Lotharii filius super Francos regnavit annis V. Hic adolescens immatura morte præventus, nullum reliquit heredem. Carolus autem frater ejus, sive, ut quidam volunt, patruus ejus illi succedit in regnum. Captus est autem Carolus cum uxore sua, scilicet filia Herberti comitis Trecarum ab Hugone duce, & ductus Aurelianis in custodia: ubi genuit duos filios, Ludovicum & Carolum, & ipse in carcere post tempora plurima mortuus est. Tali enim exitu genus regium sive Caroli apud Francos defecisse legitur. Leo papa Romanus sedit anno I. mensibus III. Benedictus sedit mensibus II. diebus V. Johannes sedit annis VI. mensibus XI. Maiolus abbas qui per XL. annos Cluniacensi præfuit cœnobio obiit.

Hugo *Chaped* filius Hugonis Magni super Francos regnavit annis X. Dux Aquitanorum & alii regni proceres potestatem super episcopos, quam antea reges habuerant, tenere cœperunt. Per hæc tempora Majus-monasterium quod est Turonis, consensu domni Maioli abbatis proprios cœpit habere abbates. Otto III. Romanis imperat, Benedictus papa sedit mensibus II. diebus V. Bonus sedit anno I. mensibus V. Bonifacius sedit mensibus II. diebus XII. Benedictus sedit annis IX.

Robertus Hugonis filius regnavit annis XL. Hic fuit regum piissimus, & sanctæ religionis amicus. Per idem tempus dominus Odilo abbas annis LVI. Cluniacensi præfuit monasterio. Hoc tempore Willelmus Caput-Stupæ dux Aquitanorum in pago Pictavensi monasterium Malleacense construxit. Per hæc tempora Berengarius vita & scientia philosophus florere cœpit. Erravit in fide; sed postea correxit errorem, manibusque suis juxta præceptum apostoli laborabat, & pauperibus quicquid undecumque habere poterat tribuebat, nihil sibi reservans si non deerat cui largiretur. Johannes sedit mensibus IX. Johannes sedit mensibus IV. Johannes sedit annis IX mensibus V. diebus X. Gregorius sedit annis II. mensibus VII. Johannes sedit mensibus X. Silvester sedit annis IV. mensibus V. diebus XII. Johannes qui vocatus est

Sicco ſedit menſibus VI. Johannes qui & Fanaſſus ſedit annis VII. menſibus VII. Sergius qui vocatus eſt Os porci, ſedit annis II. menſibus IX. diebus XXII. Benedictus frater Alberici majoris ſedit annis IX. menſibus IX. diebus XXI. Johannes frater ejus, qui & Sigerius ſedit menſibus III. diebus XXV.

Henricus Roberti filius ſuper Francos regnat annis XXIX. Apud Bizantium Michaël imperat. Henricus ſecundus Romanis imperat & Alemannis. Per idem tempus Sanctius rex Chriſtianorum, in Hiſpanis ſceptra gerebat, quo defuncto Frederannus filius ejus regni ſuſcepit habenas. Per hæc tempora Odilo abbas qui per LVI. annos præfuit Cluniacenſibus obiit. Per hæc tempora eidem cœnobio præeſſe cœpit domnus Hugo abbas, præ ceteris genere, eleemoſynis, prophetiæ ſpiritu clarus. Tunc Willelmus dux Aquitaniæ præerat, quo ſine prole defuncto, frater ejus Wido ducatum ſuſcepit regendum. Hi duo fratres Waſconiam ſibi ſubjugaverunt. Per hæc tempora Pictavi cum Andegavenſibus haud longe a caſtro quod dicitur Chevoltunna, grave prælium habuerunt, & victi ſunt Pictavi cum multa ſtrage ſuorum, multique ex vivis inter mortuos latuerunt, & ſic incolumes evaſerunt. His temporibus florere cœpit in Theutonica terra Menegaldus philoſophus, divinis & ſæcularibus litteris ultra coætaneos ſuos eruditus. Uxor quoque ejus & filiæ religione florentes, multam in ſcripturis habuere notitiam, & diſcipulos proprios filiæ ejus prædictæ docebant. Damaſus qui & Poppo ſedit diebus XXXIII. vel menſibus II. diebus VI. Leo nonus qui & Bruno Tullenſis epiſcopus, ſedit annis VI. Ejus tempore Odilo Cluniacenſis abbas obiit. Victor qui & Gebehardus ſedit annis II. menſibus III. diebus VI. Stephanus, qui dictus eſt Fredericus, ſedit menſes VII. Benedictus Veliternenſis epiſcopus ſedit menſes IX. diebus XII. Nicolaus qui & Geraldus, ſedit annis II. menſibus XI. diebus XV. Alexander qui & Anſelmus, ſedit annis XI. menſibus V. diebus XX.

Philippus Henrici filius ſuper Francos regnat annis XLV. * Apud Bizantium Alexius imperat, ſuper Romanos & Theutones Henricus III. Circa hæc tempora in Africa a Mauris Maroch civitas nobiliſſima conditur. Per hoc idem tempus Robertus Wiſcardi de Normannia exiens, vir pauper, miles tamen, ingenio & probitate ſua Apuliam, Calabriam ſuæ ditioni ſubmiſit, & inſulam Siciliam de manu Iſmaëlitarum liberavit, Rogeriumque fratrem ſuum ejuſdem inſuiæ comitem appellavit, deinde mare tranſiens, Duratium urbem nobilem cepit, Dalmatiamque & Bulgariam ſupra Alexium imperatorem acquiſivit, inſuper eum ter bello fugavit, & Romanum Henricum ſemel ab urbe fugere compulit, & pontificem Romanum, quem coperat, ab eo liberavit. Numquam victus eſt, quamvis ſæpe pugnaverit. Wido autem dux Aquitaniæ Novi-monaſterii cœnobium Pictavi a fundamentis erexit: quem de propriis reditibus juxta magnificentiam ſuam valde ditavit, domnoque Hugoni abbati Cluniacenſi ad diſponendum tradidit. Robertus autem Wiſcardi in terra mortuus eſt imperatoris, ubi cum magno exercitu terra marique contra eum perrexerat: de quo quidam aiunt, quia veneno necatus eſt. Sepultus eſt apud Venuſiam in cœnobio monachorum, quod ibidem ipſe adhuc vivens conſtruxerat. In eadem urbe Venuſia Horatius poëta conditus eſt in quadam turre veteri, quæ muro urbis adhæret.

Philippus præfatus rex Francorum relicta uxore propria, de qua filium Ludovicum, qui poſt eum regnavit, genuerat, conjugem comitis Andegavenſis, eo vivente, ſibi conjunxit, ideo a Romano pontifice Urbano in Claromontenſi concilio excommunicatus eſt: qui tandem reſipuit, abjecta adultera. In præfato concilio de via Jeroſolymitana verbum factum eſt, & ad finem uſque perductum. Nam Franci, Deo inſpirante, crucem veſtibus inſuentes, cum robore exercitus, quamvis labore inexplicabili, per Conſtantinopolitanam urbem iter facientes, prius Nicæam, deinde Antiochiam, poſtremo Jeruſalem & & alias urbes plurimas, cum caſtris fere innumerabilibus, Turcis & Arabibus jure bellico abſtulerunt. Capta eſt Jeruſalem a Francis anno ab Incarnatione Domini MXCIX. Huic exercitui præfuerunt nobiles viri dux Godefridus cum fratribus ſuis Baldoino & Euſtachio claris conſulibus, Raymundus comes S. Ægidii, Boamundus Roberti Wiſcardi filius, Petrus eremita, Tancredus, Stephanus Bleſenſis comes, Robertus dux Normannorum, Hugo Magnus frater Philippi regis Francorum. Capta autem Jeruſalem, ducem Godefridum regem in ſancta civitate conſtituerunt. Quo mortuo, fratrem ejus Baudoinum loco ejus regem ſtatuerunt. Rurſum eo vita excepto, Baudoinum nepotem ejus in regem promovent, jam tamen Lodovico Francorum rege regnante. Willelmus autem dux Aquitanorum, dum cum magno exercitu ad eorum auxilium properaret, turpiter in Græcia a Turcis amiſſo exercitu ſuperatur, conſenſu, ut aiunt, Alexii imperatoris Conſtantinopolitani, eo quod ſtrenuitati Francorum ſemper Græci invideant. Reliquit enim Robertus moricus filios duos, Boamundum, quem adhuc privatus de privata uxore genuerat, & Robertum ducem Apuliæ, quem de filia principis Salerni ſuſceperat, quibus terram ſibi acquiſitam dimiſit. Robertus dux autem filium Willelmum genuit, & ducem poſt ſe Apuliæ reliquit, qui ſine herede mortuus eſt. Boamundus vero dum poſt mortem patris ſui Francorum proceres Jeroſolymam

* l. XLVIII.

tenderent, eis, relictis omnibus ut dictum est, se sociavit, & consortem laboris se fieri rogavit. Qui postea a Francis capta Antiochia, princeps ejusdem urbis factus, magnum ob suæ probitatis meritum dedit posteris documentum, necnon ob morum elegantiam, Philippi regis Francorum filiam Constantiam nomine, uxorem habere meruit, de qua filium juniorem Boamundum juniorem suscipiens, post se reliquit heredem. Rogerus autem comes frater sæpe dicti Wiscardi, Rogerium filium suæ dominationis successorem moriens instituit. De quo filio suo dicendum plenius arbitror. In hoc tempore Anselmus philosophus in Francia floruit, deinde Cantuariensis archiepiscopus ordinatus sanctitate pollens migravit ad Christum. Willelmus cognomento *Rossesh*, qui Anglis imperabat moritur. Henricus vero frater ejus suscepit regnum ejusdem. Fuerunt ambo filii Willelmi Bastardi, qui Angliam acquisivit. Willelmus de Campellis vita philosophus in Francia moritur. Circa hæc tempora Cartusiæ monasterium in Alpibus construitur, ubi monachi in cellis habitant, orationi, lectioni, & contemplationi vacantes. In illo tempore illud famosissimum cœnobium feminarum quod dicitur Fons-Ebraldi, construitur in pago Pictavensi a Roberto de Bruxello, juvante cum Petro Pictavorum episcopo, cujus sanctitatem crebra miracula tumuli ejus loquuntur & prædicant. Post aliquot annos Cistellense cœnobium ædificatur, unde tanta seges efflоruit religionis, ut omnem fere Latinitatem repleverit. Post hoc tot & tam diversarum sectarum monasteria in Galliis fabricata sunt, ut non sit facile de singulis memorare. Gregorius septimus qui & Ildebrandus sedit annis XII. mense I. diebus XXII. Victor qui & Desiderius abbas Cassinensis sedit mensibus IV, diebus VII. Urbanus qui & Oddo Cluniacensis monachus, & postea Ostiensis episcopus, sedit annis XI. mensibus VI. Hic primus iter ad capiendum Jerusalem in Claromontensi concilio prædicavit & prævaluit. Nam a Francis capta est & retenta, facto ibi rege Christiano Godefrido. Paschalis qui & Rainerus cardinalis sedit annis XVIII. mensibus VII. diebus II. Hugo abbas Cluniacensis obiit.

Ludovicus Philippi filius Francis præfuit annis XXIX. Hic fuit rex mitis & liberalis, & in multis regnum dilatavit & melioravit. Bellum præcipuum cum Henrico rege Anglorum habuit, in quo tamen seditione & quorumdam factione victus est & fugatus. Willelmus Aquitanorum dux, cui infortunium in via Jerosolymitana contigit, ante hæc tempora contra paganos in Hispaniam movit exercitum: qui non longe a Corduba, cum septem regibus gentis illius bellum iniens, alios eorum peremit, alios opibus vacuatos fugavit, ille vero cum hoste incolumi sospes regreditur. Rogerius R. Wiscardi nepos, mortuo Willelmo Apuliæ duce, & Boamundo juniore Antiochiam migrante, utriusque possedit hereditates. Et cum omnia prospere sibi concessissent, regem se vocari maluit, & multos nobiles, ne sibi forent contrarii, alios exheredavit, alios occidi præcepit, & eorum terras solus possedit. His temporibus Baudoinus rex Jerosolymorum moritur, cujus loco Fulco comes Andegavensis, ejus filia conjugio accepta, rex efficitur. Per hæc tempora surrexit in Jerusalem novum militiæ genus, more monachorum viventes, castitati dant operam, domi & bello disciplinam servant, cum silentio edunt, omnia illis communia, contra gentiles tantum arma sumunt, & multum dilatati sunt. Sunt qui dicant, quod nisi fuissent ipsi, diu est quod Franci Jerusalem & Palæstinam perdidissent. Hi vocantur milites de Templo, quia in porticu Salomonis sedem suæ religionis statuerunt. Per hæc tempora domnus Pontius abbas Cluniacensi cœnobio XIII. præfuit annis. Post quem domnus Hugo secundus III. mensibus: quo & defungente domnus Petrus Venerabilis abbas idem monasterium regendum suscepit. Interim Henricus famosissimus rex Anglorum cum omnium dolore vita defungitur, & Stephanus nepos hujus regnum invadit. Willelmus itaque dux Aquitanorum, dum in Hispaniam ad S. Jacobi limina orationis gratia pergeret, in ejusdem ecclesia ante altare die sancto Parasceves dum Christi passio legeretur, viatico sancto munitus reddidit animam. Hujus ducis filiam rex Francorum Lodovicus filio suo Lodovico nuptui tradidit, & post pauca idem Lodovicus pater obiit. Sepultus est autem in basilica S. Dionysii. Hic coronari fecerat Philippum filium suum majorem natu se præsente, sed morte subita Parisius moritur præcipitatus equo. Eo defuncto, alium juniorem Lodovicum Innocentius papa Romanus jussu patris in regem unctum Remis coronavit. Qui post patrem regnum Francorum suscepit. Circa hæc tempora Gislebertus cognomine Universalis, natione Britannus, in divina philosophia claruit, sed postea Londonensis episcopus parvo supervixit tempore. Post quem Remis civitate Albericus surrexit non illo fama minor in divinis: qui etiam provectus in archiepiscopum Bituricensem, modico duravit spatio. His temporibus multi philosophi floruerunt in Galliis. Gelasius papa qui & Johannes Gaditanus sedit anno I. Callixtus qui & Guido Viennensis archiepiscopus sedit annis V. Honorius qui & Lambertus Hostiensis episcopus sedit annis V. Innocentius qui & Gregorius diaconus S. Angeli sedit annis XIV.

Ludovicus junior Francis imperat annis..... Hic duxit uxorem filiam prædicti Willelmi Aquitanorum, & rex Franciæ & dux Aqui-

taniæ appellatus est, pro eo quod præfatus dux sine filiis mortuus est. Eodem tempore Gaufridus comes Andegavensis contra Stephanum regem Angliæ, Normanniam vastabat & sibi subjugabat: quam quia tunc subjugare non valuit, tamen post annos aliquos consensu regis Francorum totam acquisivit. Nam & ipse regnum Angliæ quasi heres habere peroptat, utpote qui filiam Henrici regis Anglorum unicam accepit in conjugio. Illa tamen publica fama quæ de Andegavensibus habetur, quod sint parcissimi & superbi, multum ei ad acquirendum regnum nocuit. Hugo de S. Victore vita philosophus Parisius obiit, vir præclari ingenii & in quadruvio doctissimi. Divinarum autem scripturarum tantam habuit scientiam, & memoriam, ut nulli sui temporis secundus extiterit. Reliquit autem ad monumentum sui scripta perplurima, id est librum de Sacramentis, de Ecclesiaste, de Archa Noë, librum qui inscribitur Didascalicon, & alia nonnulla opuscula valde utilia. Sequenti anno Petrus Baalardus peripateticus, vir famosissimus & vita philosophus, Cabilonis moritur & in basilica B. Marcelli martyris sepelitur. Hæc duo Latinorum luminaria in Francia studuerunt. Scripsit autem Petrus Baalardus opuscula quadam, quæ pluribus habentur in locis. Hujus epitaphium huic opusculo inserere voluimus. Eodem anno Fulco rex Hierosolymorum dum leporem sequitur, præcipitatus equo, morte subita moritur. Post quem Baudoinus puer filius ejus, in regem promotus est. Eodem anno Sanguis Turcus rex de *Alep* cepit Edessam civitatem, & Francos ibi captos aut morte aut servitute multavit, archiepiscopum vero civitatis, quasi ducem gregis, in medio urbis cum omnibus clericis suis, quia noluerunt abnegare Christum, coram se decollari præcepit, uno solo evadente, qui amicitiam cum quodam Turco nobili habuerat, qui eum ne perimeretur obtinuit, sed sanum quò vellet ire permisit. Purpuratur itaque Edessa novorum sanguine martyrum, modo primum a gentibus possessa, ex quo ab Abgaro rege Christo est dedicata. Dolor ingens, desolatio multa, sacratæ virgines dantur incestui, loca sancta stabula fiunt jumentorum. Corpus B. Thomæ apostoli gentilium contactu polluitur, nomen Christi derisio fit hostium. Conculcata sunt omnia, profanata sunt universa. Nam Sanguis Turcus, ut fertur, super B. Johannis Baptistæ aram tres speciosissimas matronarum maculavit. Cælestinus qui & Wido de Castella papa Romanus sedit mensibus v. Luciusque & Gerardus de S. Cruce sedit anno I. Eugenius qui & Bernardus monachus Cistellensis sedit annis IX. *Altera manu* Anastasius qui & Curradus episcopus Sabinensis sedit anno I. mensibus IV. Adrianus qui & Nicolaus Albanensis episcopus sedit.

FRANCISCI CARPESANI FLAMINIS PARMENSIS COMMENTARIA SUORUM TEMPORUM LIBRIS X. COMPREHENSA,

Ab anno circiter MCCCCLXX. ad annum MDXXVI.

Ex mſ. codice olim bibliothecæ Altaempenſis, deinde cardinalis Ottoboni, qui poſtea fuit Alexander papa VIII. eruit Mabillonius.

OBSERVATIO PRÆVIA.

PRODEUNT *nunc primum in lucem Franciſci Carpeſani flaminis Parmenſis commentaria ſuorum temporum, libris* X. *comprehenſa, ab anno circiter* MCCCCLXX. *ad* MDXXVI. *quæ, cum Romæ ageret, deſcribi curavit Mabillonius ex mſ. codice eminentiſſimi cardinalis Ottoboni, qui poſtea fuit Alexander papa VIII. cujus in bibliothecam ex Altaempenſi tranſierant: opus ſane Gallis non minus quam Italis ipſis exquirendum, cum non Italicas modo res ſui temporis auctor proſequatur, ſed bella etiam ſub tribus magnis Francorum regibus, Carolo VIII. Ludovico XII. & Franciſco I. adeo florenti & eleganti deſcribat ſtilo, ut ſtudioſiſſimum quemque ad ſui lectionem facile alliciat. Hinc colliges quanti æſtimanda ſint hæc commentaria, in quibus & orationis gratia delectet & auctoris diligentia non deſideretur. Nihil enim refert quod non viderit ipſe, aut ab oculatis acceperit teſtibus.*

Quis autem fuerit Franciſcus Carpeſanus, ex hac ejus lucubratione diſcimus. Nam flaminem ſeu presbyterum Parmenſem non uno in loco ſe appellat, & Parmam non ſemel, maxime tamen libro IV. *natale ſolum agnoſcit. Fuiſſe etiam ſcribam a ſecretis antiſtitis Parmenſis declarat libro* I. *ubi de bello Ferrarienſi agens*, Sequebar, *inquit*, ego Franciſcus Carpeſanus pedes, Antiſtitis Parmenſis Inſubrium legati ſcriba a ſecretis, ut Ludovico Sfortiæ per ſtratores communi ſociorum conſilio tractata diſcuſſaque ſignificarem. *Libro quinto res adverſus Gallos proſpere geſtas a Julio ſecundo ſummo pontifice vivis coloribus adumbrans, Placentinos & Parmenſes ad obſequium papæ ultro rediiſſe aſſerit*, Et tunc, *inquit*, miſſi ad hoc publicitus ab utroque populo oratores, & a patria mea Parma in primis

decem optimates viri, cum honesto comitatu, duoque flamines, quorum ego alter fui: qui dato illis publice senatu, in Julii II. pontificis maximi & Romanæ ecclesiæ verba solemni religione concepta, fidemque venerabundi juraruut. *Septuagenarius erat cum a Carolo V. imperatore obsidione cincta est Parma anno Christi* MDXXI. *tum Galli quibus urbis custodia incumbebat, miseros cives*, uti calones & fossores, ad aggeres erigendos, eruendasque fossas ex penitissimis larium nostrorum latibulis.... nullo ætatis aut ordinis respectu discrimineque *trahebant:* Cujus rei, *inquit*, ego sum locupletissimus testis, qui septuagenarius flamen in has operas talari veste amictus fueram abstractus, nisi Thomas ipse Lencius, qui sub muris armatus cum globo cataphractariorum excubabat, me intuitus, dimitti mandasset, veluti mancipium labori ferendo invalidum & inutile.

PRÆFATIO AD HIERONYMUM Sanvitalem comitem Belforti.

QUum mihi, heros amplissime Hieronyme Sanvitalis, ab operosa vita vacationem senium faceret: & rursus inertis otii tædio animus inquietus negotium sibi aliquod quæreret, subiit animo cupiditas, nec (ut ego arbitror) reprehendenda, meorum temporum res, laboresque in annales libros redigendi: non quod ex rudi stylo famam quærerem; sed ex fide historiæ auctoritatem scriptis fieri posse putarem. Sciebam popularem esse eloquentiam, quæ verborum flosculis tamquam pigmentis exoticis, & purpurisso illita, mortalium animis scire blandiri posset: nec ignorabam historiam, quamvis incultam & hirtam, veritate ipsa gravem, majestatem potius ex horrore, quam ex mollitudine gratiam sibi comparare posse. Nam præter id, quod in utramvis partem, fortunæ ceu vacillantis exempla varie in ea afficiunt; tum vero excellentium populorum, & amplissimorum principum res gestæ, fidelibus commentariis commendatæ, mirum in modum prosunt. In ea enim callida consilia, vafre dicta, fortiter gesta apparent. In ea eventuum ad instruendam vitam, & ad imitandum vel declinandum exemplorum copiosa supellex, unde privatim publiceque rerum documenta hauriri possint; non more philosophorum in umbra docentium, sed in ipsa veritatis luce, quasi in speculo, inspicienda proponitur. Hinc juvenes ad res gerendas instructiores redduntur, & majoribus natu multo plus peritiæ suppeditatur, quam vel longa ætas afferre potuerit: ut etiam superioribus sæculis vixisse videri possint. Nec propterea hæc velim dicta, ut oratoriæ invidiam facerem, aut illam in crimen advocarem, quam suspicio & admiror; mihi quoque succensens, & displicens, quod illam non fuerim assecutus: sed ut etiam sine ea ipsa immortalitatem historiæ non negari, & honorem illi fore apud omnes contenderem, præsertim si fideliter, caste, ac sine assentatione fit scripta, a quo quidem assentationis genere tantum abhorreo, ut non minus mihi peccare videantur, qui ad gratiam aliquid confingere, quam qui pejerando aras & testata numina violare convincuntur. Ego enim in his commentariis, nec consulto quicquam præterii, ne laudarem; nec sciens interverti, ne offenderem; nec ut a Lucio Luceio Cicero sibi fieri exigebat, plus quam satis est, cujuspiam amori, nemini addictus, concessi: & quamvis non essemus nescii, hæc per partes ab aliquibus tractata, tamen quod carptim, & interpolatim in perpetua historia inserta fuerant; nos tum audita, tum visa, ab universi ratione segregantes, in unum corpus compingere, ac suo ordine contexere curavimus. Ea propter hæc mea qualiacumque pro fructu legi, non pro cultu probari, & potius meam deffendi industriam, quam audaciam accusari posse ratus, eo libentius edidi, heros illustris Hieronyme, quod tibi sacrabam, non tam quod illustriore loco natus, & majorum gloria sis clarus, ac opibus affluens, quam quod ea es animi indole, ut a te tui posteri gloriosius numerari, quam tu a majoribus tuis possis, & quod præter patrias & avitas dotes, ac laudes, adeo emunctæ naris es in litteris, adeoque absoluti judicii, ut si a te hujusmodi probetur editio, tuis auspiciis in lucem tuto prodire possit. Sin tibi digna videbitur, quæ non tam pro argumenti indignitate, quam pro verborum scopulis in spongiam incumbat, supprimatur, honestius fato interitura, quam ad quotidiana vulnera & flagra vitam victura miserrimam, nisi tute, heros clarissime, idemque eruditissime, lucubrationes nostras, tamquam vernas miseratus tuos, politioribus musis tuis & studiis exornare, & suaviloquenti lingua, qua in hoc adolescentiæ tuæ flore æquales principes omnes viros antistas, partus nostri informem offam, more ursæ lambere, & effigiare malueris, ut vel tuo beneficio perenne vivat, vel suo scelere moriatur. Accipe igitur, Hieronyme, fidei meæ pignus, studiique in te mei monumentum; in quo si nihil aliud commodi ad te perveniſſe senties, at saltem reputando, quæ de reliquiis nostrarum calamitatum,

per

per ætatem videre potuisti, remotiora, quasi præsentia legendo, frui te fœliciore sæculo gaudeas, quam nos, qui turbulentissima tempestate editi, in malis consenuimus. Vale.

FRANCISCI CARPESANI Flaminis Parmensis suorum temporum commentaria

Liber Primus.

Ambitio bellorum parens.

1. QUum nuper pertæsus laborum, quibus ab annis pubertatis meæ jactata fuit Italia, tot bella exhausta mecum animo reputarem, quererque sæculum nostrum graviora passum, quam quæ de Peloponesiaco bello, quod septem & viginti annis steterat, Athenienſium prope excidio, aut quæ de secundo bello Punico, quod vix decimo septimo anno positum resedit, traduntur: repericbam id paucorum ambitione, qua nulla feralior pestis est, contigisse. Is enim morbus & contagies, omnibus aliis vitiis, quæ in mortalium animis radicata soboleſcunt, ad evertendam publicam, privatamque tranquillitatem plurimum valere dignoscitur: nam, ut externa omittam, paucis nostrorum contentus exemplis, illæ Marianæ, Cinnanæ, ac Syllanæ seditiones, bellaque civilia, prima cadentis Romanæ libertatis incunabula, unde prodiere, nisi a dominandi libidine? Quid porro Julium Cæsarem, quid Cneum Pompeium, tam arcta necessitudine devinctos, in arma concitavit plus quam civilia, nisi eadem imperandi æmulatio, ulli cedere nescia? Denique quid triumviratus ille, quo totus prope conflagravit orbis, Romanaque libertas funditus concidit, sibi volebat, quid moliebatur, nisi ut unus tandem, sociis summotis, cuncta usurparet? Semper idem studium, eadem inexplebilis rabies hominum mentes incessit, incessetque, dum sol cursu suo terras perget collustrare: sed quum alias hujusmodi regnandi furor modo concitatius, modo Dei optimi miseratione remissius invaluerit, tum nostra tempestate complures annos per totam Italiam debacchatus, perpetuo cursu omnia humana divinaque commiscuit, & dum hæc scriberem, etiam gravius immiscebat, & quasi ex incendio torris adustus adhuc fumabat.

2. Tam lato itaque ad hujusmodi palæstram patente campo, nostrorum temporum historiam, vel potius annales scribere adorsus, ne otius senex nihil agerem, ab Galeatii Mariæ Sfortiæ Insubrium ducis excessu, qui in annum septuagesimum septimum supra millesimum & quadringentesimum virginei partus incidit, initium capere operæ pretium existimavi, ut sciret posteritas, si nostris scriptis vita dabitur, quamdiu hujusmodi ambitio, tamquam dira Erynnis ab inferis excita, regna, principatus, & potentium populorum respublicas in Italia partim everterit, partim ita pessumdederit, ut parum ab summo excidio abfuerint.

3. Interemto Galeatio Maria Sfortia Mediolanensium duce intra divi Stephani fanum, in ea civitate, ejusdem solemni & festo die, a tribus conjuratis, Johanne Andrea Lampugnano, Carolo vicecomite, & Hieronymo Algiato, civibus Mediolanensibus honesto loco natis, ad Bonam Galeatii uxorem pro Johanne Galeatio impubere primigenita prole, cui regnum per manus debebatur, legitima rerum administratio deveniebat, donec puer ex ephebis egressus, imperio esset idoneus; verum quum femina in deliciis & mollitudine alita, & consilii impos, tantæ administrationi impar animum desponderet, haud gravate, Cicho Simonetæ Calabro, summo epistolarum magistro, obscuro quidem genere homini, sed qui consilio & longo rerum usu polleret, summam reipublicæ credidit. Ipse cooptato protinus aliquorum primatium senatu, in speciem Aristocratiæ, in qua tamen, tamquam in navi clavum tenens, alios potius regeret, quam communibus sententiis regeretur, postquam per tormenta & quæstiones, percussores principis, temere tam atrox facinus ausos, nec cujuspiam opibus fidentes, quibus parricidii impunitatem, aut rerum novarum spe, salutem sibi polliceri possent, comperisset, sumpto de sceleratis supplicio, ad componendum reipublicæ statum recenti cæde consternatum convertitur, Itaque demissis per urbem suopte ingenio minime seditiosam, vicatim, tributim, ac insulatim principibus civitatis, ac per quascumque regni civitates magnæ auctoritatis novis magistratibus, qui popularium animos vel attonitos vel fluctuantes sedarent, publice privatimque monendo, benigne quemlibet compellando, promissis onerando, decretis lenioribus demerendo, portoria ac vectigalia minuendo, facile effecit, ut omnes in fide & officio persisterent; tum foris ab regibus, excellentium rerum publicarum populis, amicis & fœderatis, nunc per litteras, nunc per oratores, rogando obtestandoque petere, ut amici vel socii principis indigna peremti morte, casum miserati, amicitiam, fœdusque sancte colerent, reputarentque animo ad se imprimis pertinere, suaque perquamplurimum interesse, ut nomen regium a diis immortalibus in terris secundum, & imperii majestas, quam maxime inviolata, tutaque ab injuriis esset: id fieri posse, si conjunctis opibus, consensuque, alter alteri in hujusmodi temporum difficultatibus auxilio essent; ut ceteris ab hisce sceleribus deterritis, regnum eis posterisque firmum stabileque maneret.

Summa tumultus in Mediolan.

4. Sed quum undique omnia pacatioria nuntiarentur, resedissentque ubique provinciarum tumultus, ab ipsismet, ut ajunt, inte-

ſtinis & fimbriis cordis gravior morbus & mali labes erupit, quæ nec ullo medicamine ſanari, nec vi reſecari aut convelli valeret. compererat Cichus Simoneta, ut erat rerum omnium, quæ publice privatimque ac domeſticatim gererentur, diligens & ſagax indagator, per ſubdititios exploratores, apud Sfortianos fratres, pueri ducis patruos, nova conſilia agitari, nocturnoſque conventus haberi, & non tantum illos ad imperii gubernacula aſpirare; verum etiam fortaſſis caput ſuum peti; quamobrem, quum illi ad cavendum aſtutia non deeſſet, prope aſſiduus ei erat in arce incolatus, & ſi quando in publicum prodiret, circum ſe amicorum & clientum ſemper præſidia habebat. Indignabantur, maximeque fremebant, magnæ ſpei & ſummæ indolis adoleſcentes, SFORTIA ſecundus dux Barri, major natu, & LUDOVICUS, ac OCTAVIANUS: nam ASCANIUS longe junior a conſiliis excludebatur, ipſos a FRANCISCO SFORTIA majore, & BLANCHA MARIA vicecomite ortos, & ad imperium natos, paternarum & avitarum opum participatione, & publicis honoribus defraudatos, a ſervo, ſordido loco nato, in ordinem redigi. inſederat altius hic dolor, nec intra pectoris clauſtra titillans dominandi libido comprimi poterat: quum tamen liquido deprehenderent, aut illi ſerviendum eſſe, aut ſolum vertendum, ſi incolumes eſſe vellent.

Robertus Sanſeverinius.

Perurgebat aſſiduis ſtimulis juveniles ſpiritus, etiam plus quam ſatis eſſet, ſponte ſua faucios, ROBERTUS SANSEVERINIUS, comes Calatinus, fratribus pernecceſſarius, in Sfortianis armis cum ſumma rerum geſtarum gloria a puero alitus, quique ſemper plus bellum quam pacem mallet, uti ſe ſervitio eximerent, imitarenturque patris veſtigia, qui rebus præclare geſtis famam cœlotenus protulerat, unum Cichum a patre humo evectum, & tantis opibus ornatum, invidere illorum virtuti, & ipſorum libertati indigne nimis obſtare.

5. His compertis Cichus, rem eo deductam conſiderans, ut minime tuto diſſimulari poſſet, Donatum, cui a comite agnomen fuit, bellicæ rei ſcientiſſimum, & nonnullos impios viros, qui audaciam ſuam ad omne facinus, regulis fratribus ſpoponderant, a prætoriana cohorte, quæ in illius erat poteſtate, corripi, & in tetrum carcerem conjici, adactoſque quæſtione ad confeſſionem, in vinculis ſtrangulari jubet. Perterriti illo exemplo juvenes, & hominis truculentiam veriti, nulla mora diverſi, fuga ſe domo & patria proripuerunt. OCTAVIANUS, dum Abduam flumen ex Lario lacu in Padum influens trajicere equo tentat; male exploratis vadis, rapidi amnis vorticibus obrutus, in mediis undis periit; LUDOVICUS SFORTIA, cum SFORTIA ſecundo duce Barri, cui tamen poſtea in patria regreſſum fata negarunt, eo febre conſumto, per Ligures evadens, quum aliquamdiu Piſis in Ethruria ſubſtitiſſet, Neapolim, quam tum imperio tenebat FERDINANDUS Aragonius, Alphonſo rege prognatus, ad opes regias deprecandæ reſtitutionis gratia confugerat; ROBERTUS, quum ægre præfecti celerum, qui ejus veſtigia premebat, manus pernicitate equorum evaſiſſet, quod eum jam trans fluvium Ticinum navigio trajectum aſſequi non potuit, ad res novas concitandas in Galliam ulteriorem profectus, quum regem domeſticis implicitum bellis offendiſſet, Genuam Liguriæ emporium ſe contulit, urbemque ſponte diſcordioſam ſua præſentia contra Sfortianum ducem impuberem ſollicitans, brevi effecit, ut urbs, quæ hactenus fuerat in fide Inſubrium, deficeret, & PROSPER ADORNIUS, qui illam præfecturam pro Sfortianis adminiſtrabat, ſibi imperium vendicaret. Hac perfidia commota BONA Johannis Galeacii ducis parens, annitente Cicho, delectu paulo plus minuſve triginta millium armatorum accuratiſſimè habito, PETRI FRANCISCI vicecomitis ductu, contra Genuam movit, ut arcibus, quæ adhuc pro duce ſtabant, opem ferret, illincque in urbem irrumperet. Sed ſive ductoris imperitia, ſive Roberti virtute, ut erat magna virtute in armis, ſive perruptarum rupium iniquitate, per quas ſubeundum erat, aut locorum anguſtiis, quæ ab hoſtibus occupata, captu laboriosa, & difficillima erant, ſeptimo idus Auguſti ab anno virginei partus milleſimo quadringenteſimo & ſeptuageſimo octavo, fuſi fugatique ſunt Inſubres, & citra internecionem tamen, omnes ad unum ſpoliati, ita ut nullam graviorem plagam ante complures annos ſe accepiſſe victi atteſtarentur.

Genuæ defectio ab Inſubribus.

Fractiani Genuam Inſubres.

Fuga Sfortianorum.

6. Haud multo poſt LUDOVICUS SFORTIA Ferdinandi Aragonis maritimo terreſtrique innixus auxilio, adjuncto ſibi Sanſeverinio, quem ad hoc exauctoraverant Ligures, appendicibuſque voluntariis provincialibus, qui Ibletum Fliſcum ſequebantur, Apennini ſupercilium ſuperans, per Serravallem, quam præterlabitur Scrivia, olim Iria, in quo loco ſunt veſtigia Liburnæ vetuſtæ urbis, in patentium camporum planiciem deſcendit, & nullo negotio, ut erat ingenio & vultu ad promerendam gratiam comparato, populares omnes ſibi conciliat, ab Alexandrinis, Statilienſibus & Derthonenſibus animis perquam gratanter exceptus, nec jam ſibi aliquid obſtabat, quin recta, nullo ſe illi opponente, Mediolanum contenderet: aberant enim eo tempore omnes Inſubrium prope copiæ, Florentinis laborantibus auxilio miſſæ; & ſi quæ domi erant, cum ipſo Ludovico ſentiebant. Hac animorum inclinatione mota Bona, clam Cicho, quem vi arcere non poterat, ultro admittit: itaque optimo quoque, honoris & officii cauſa, ſibi obviam prodeunte, Mediolanum ingreſſus Ludovicus, pro-

Reditus Ludovici in gratiam.

Scrivia fluvius.

tinus in regni administrationem pro fratris filio se insinuavit; capto, & capitis obtruncatione Cicho damnato, jure, an injuria in medium relinquo. Quod si Cichus, ab excessu Galeacii, ab omni invidiæ calumnia per otiosam vitam, & a publicis negotiis jam annis gravior, se subtraxisset, longe melius secum profecto actum fuisset.

Bellū Etruscum ob cædē Juliani Medicis.

7. Nondum resederant in Etruria arma, post cædem Juliani Medicis in templo Reparatæ a Paciis viris patriciis, & aliis conjuratis, principem locum in civitate captantibus, sublatis Mediceis, Florentiæ patratam, quo tumultu Franciscus Salviatus antistes Pisanus conjurationis conscius, a summis atrii senestris suspendio necatus est, & Raphaël Riarius, in ipso adolescentiæ flore, inter supremi ordinis sacros patres cooptatus, qui tunc ibi æstivabat, suspectus cædis, publice custoditus fuit; quibus rebus graviter indignatus SIXTUS pontifex maximus hujus nominis quartus, diris, & anathemate Florentinum populum perculit, & sacris interdixit, moxque bellum, sociatis sibi Aragoniis armis, & Senensibus auxiliaribus, opinione cerius intulit. Pontificiis copiis præfuit FEDERICUS FELTENSIS, Urbinatum dux, bello & consilio nemini ea ætate secundus; regiis, ALPHONSUS ARAGONIUS, primigenia Ferdinandi proles, odio & avito & paterno in Tuscum irritatior, ita tamen, ut totius rei summa omnino apud Federicum esset: excepere Florentini & LAURENTIUS MEDICES, qui fratre Juliano interemto, insidiantium sibi quoque percussorum manus evaserat, intrepide tantam belli molem: sed quia a Venetis & Insubribus sociis, qui bello adhuc Othomani Turcorum regis distinerentur, Veneti, & Insubria cæde Galeacii ducis nondum domesticis laboribus libera esset, serius auxilia advenerant, ademta sunt Tusco aliquot loca, antequam hostes in hiberna concederent; sed Veneti tandem, compositis cum Othomano rebus, CAROLUM MONTONIUM sub veris initium cum valido equitatu suppetias Tusco misere; verum Montonio paulo post fato sublato, protinus ROBERTUS MALATESTA princeps Ariminensis, vir præclara indole, illi sufficitur. Is haud multo postquam illi imperium decretum est, cum Matthæo Campano & aliis ductoribus pontificiis, ad Perusiam congressus, exercitum Romanum fudit fugavitque; cæsi multi, capti complures, & impedimenta quæque in prædam victori concessere. A Florentinis vero ad montem Bonicium, qui in Podii imperialis nomen abiit, infeliciter pugnatum fuit. Eam autem cladem acceptam referebant Herculis Attestini, & Federici Gonzagæ Mantuani ducum, qui ab Insubribus auxiliares advenerant, discordiæ ex veteribus simultatibus ortæ, qua Herculis periculo armis inter eos in ipsismet castris decertatum

Federicus Feltrensis.

Robertus Malatesta.

Funduntur Florentini.

est. Eo itaque illinc abeunte, & ab Insubribus ob recentem tumultum revocato, alia clades a Florentinis accepta est, & castra amissa, & Podium imperiale cum Colle oppido captum. Inclinatis propterea Tuscorum animis ad pacem, Laurentius Medices, reipublicæ Florentinæ moderator, ad cujus opes evertendas, totum illud bellum conflatum fuerat, ut eam æquioribus conditionibus impetraret, Neapolim ad FERDINANDUM navigans, re ex sententia composita, non multo post in patriam remeavit, multo amicior regi quam umquam antea; & quamvis pacatis in Ethruria rebus bellum posuisset, tamen arma Aragonia circa Senam versabantur, & plurimus miles in his locis stativa habebat; Alphonsus Aragonius in urbe sedebat. Senam urbem inclytam in Thuscis novam esse, & anno ab hinc paulo plus septingentesimo a Carolo, cui Calvo nomen fuit, erectam fuisse traditum est. Contendit tamen Blondus a Johanne XII. pontifice maximo de Perusinorum, Clusiensium, Aretinorum, Fesulanorum, Florentinorum, & Volateranorum sex pagis deductam coloniam, & ab eo numero nomen adeptam, adeoque opibus, & frequentia convenarum adauctam, ut inter Etruscos, secundum locum potentia obtineat, suis legibus & patriis institutis libera, nisi quod per seditiones & ambitionem civilem, ita sæpenumero agitatur, ut modo patricii, modo plebei, modo tyranni cives reipublicæ gubernacula sibi usurpent. Eam ob rem tum Senensium libertas ex intestinis discordiis in aperto erat discrimine, Alphonso Aragonio prægravante, qui specie ibidem componendæ libertatis, hujusmodi tumultibus quassatæ, rem eo deduxerat, ut brevi dominatum urbis esset arrepturus, nisi pericula omnia, & domestica inde avertsum in patriam revocassent: nam Turci ex Aulonis littoribus, oræ Macedonicæ, per Ionium pelagus, cursu quinque & quinquaginta millium passuum (nec enim illa navigatio ad Italiæ littora longior est Ptolomæi mensura) Hydruntum Apuliæ & Calabriæ conterminum, ubi Salentini veteres fuerant, classe tenuerant; eoque expugnato, veluti e belli arce, latius in Mediterranea vagari cœperant, & ex hostico prædas raptare: & nisi prope diem Mahometes illorum rex fato opportune decessisset, actum de Italiæ salute videbatur; sed conversis omnibus ad hujusmodi extinguendum incendium, cito inde deturbantur, recipiturque Hydruntum.

Pacata Etruria.

Sena urbs.

Turci ad Hydruntum in Apulia.

8. Per ea tempora LUDOVICUS SFORTIA consortis impatiens, ASCANIUM MARIAM fratrem germanum, quem ipse ab exilio revocaverat, ex eo tempore, quo ipse Ludovicus in patriam reditum aperuerat, quique postea summi ordinis antistes fuit, laribus patriis exegit, Ferrariæque relegavit, quia in regni

gubernaculis ſeſe inſerere vellet. Dein quum omnibus copiis CONSTANTIUM SFORTIAM Piſaurienſem patruelem præfeciſſet, ita ut ſic Robertum Sanſeverinum auctorem ſuæ reſtitutionis, indignantem ſibi prælatum æmulum, & ſe contemtum, alienavit, ut cogeret ſibi timentem, ad Venetos tranſitionem facere; erat autem Robertus a Sanſeverinio comite Calatino (eſt autem Calatia, nunc luxato nomine Caiatium in Campania, non procul a Stellatibus campis) & ex ſorore Franciſci Sfortiæ majoris ortus, ab ineunte ætate, inter arma Sfortiana ſub avunculo alitus, & provectus, & ab eodem honeſta ditione, in ipſo Inſubrium principatu ornatus, ac propter rerum geſtarum gloriam admodum popularis, & celeber, ſed quia in regni adminiſtratione plus ſibi arrogaret, quam LUDOVICUS SFORTIA pati poſſe videretur, ideo illi ſuſpectior: verum cum non multo poſt, Conſtantii Sfortiæ eumdem Ludovicum tædium etiam & ſocietas cœpiſſet, ſolus, eo dimiſſo, & pacis, & belli habenas moderari perſeveravit.

Robertus Sanſeverinus.

9. Interea bellum Ferrarienſe exarſit, non ab re ita nuncupatum, quod grave, quod diuturnum, quia ab hac radice latius propagatum, omnes principes & populos Italiæ laboribus involverit. Ejus auctores & ſatores Veneti, conciliato ſibi SIXTO IV. pontifice Romano, qui illorum ambitionem, Ferrariam urbem, Romanæ ſedi vectigalem, non pontificiæ poteſtati, ſed ſuæ reipublicæ vendicare ſtudentium, imprudens, & minime malus homo inita ſocietate fovebat, contra Herculem Atteſtinum, inauctorato Sanſeverinio, movere, vere jam adulto, anni octogeſimi ſupra mille & quadringentos ab Chriſti ortu. Verona igitur Sanſeverinius cum inſtructiſſimo exercitu digreſſus, partim cymbis & ſcaphis, partim via paluſtri cratibus & ſarmentis ſtrata, per ſtagnantes aquas, in Ferrarienſem agrum trajecit, quum parvo negotio tranſitus impediri potuiſſet, ſi hoſtis ad reſiſtendum paratior fuiſſet; eo inopinato, & repentino trajectu, Mellara, & quatriduo poſt Caſtrum-novum, oppida ſane obſcura, in Padi ulteriore ripa ſita, occupantur, non ſine Federici Urbinatis periculo, qui huic bello a FERDINANDO Aragonio, & LUDOVICO SFORTIA, Florentiniſque ſociis, dux declaratus, Navithalamo, ſive, ut vulgo dicitur, Bucentauro navi Ferraria ſolvens, ad Inſubres adverſo amne navigabat, quo maturius belli apparatus expediretur. Dum hac prætervehitur, pene in hoſtem diſcurſantem per ulteriorem fluminis marginem, jam oppidocapto Mellara, affixiſque in ſumma arce ſignis Venetis, incautus & inermis, ut erat loripes ex caſu equi, & luſcus ex certamine equeſtri a prima juventa, incidit; quare deſcendens in terram, inſeſſo aſturcone, qui unicus cum ſequebatur, cum duobus ad ſummum ſtipatoribus, Oſtiliam vicum Pado adjacentem rapido curſu petivit. Sequebar ego Franciſcus Carpeſanus pedes, antiſtitis Parmenſis Inſubrium legati ſcriba a ſecretis, ut Ludovico Sfortiæ per ſtatores communi ſociorum conſilio tractata diſcuſſaque ſignificarem, mox ſub veſperam pedeſtris inſolens itineris, lapſante per putre ſolum ex recenti pluvia veſtigio, ægre Ficarolum regreſſus, trajectu Padi, Herculi Atteſtino, & ſociorum legatis, qui illuc uſque officii cauſa Feltrenſem eodem navigio fuerant proſecuti, rem ſignifico. Hoc tam triſti nuntio commotus Hercules, ubi pro temporis anguſtia præſidio, & aggere, foſſaque eum locum communiſſet; avecta inde cathena ferrea magnæ molis, quam ad cingendum ab utraque ripa fluvium, illinc ad ſtellatam arcem e regione poſitam, uti ſolebat quoties ex uſu ſuo navigationem impedire vellet, Ferrariam repetiit, ut facile intelligeres, nullam ſpem illi fuiſſe Ficaroli retinendi. Itaque eo vix dum digreſſo, ROBERTUS ſuccedens, caſtris locatis, jam tormenta muralia arci excindendæ admoverat, quum increbeſcente rumore, hoſtem repentino incurſu ad Mellaram cuncta infeſtare, commeatum raptu ne in caſtra importaretur impedire, prædas agere, & quoſque obvios capere accepiſſet, ipſe continuo, conclamatis vaſis, machiniſque revulſis, in hoſtem refertur, ſed nemine invento, quia hoſtis a tumultuaria diſcurſatione ſe ſubtraxerat, ſatiſque habuerat hoc ſtratagemate hoſtem ludificare, & ab incœpta obſidione (ut fecit) avertere, donec ad Stellatam citerioris ripæ arcem, ex condicto ſociorum copiæ cum ipſo Feltrenſi duce tam tempeſtive conveniſſent: quia ROBERTUS in ipſo itu & reditu diutius immoratus, in priora caſtra redire potuiſſet, ad inchoandam rurſus, quam intermiſerat, oppugnationem. Ad Ficarolum autem eum caſtra habentem, & arcem tormentorum molibus innumeris noctes dieſque quaſſantem, diutius tenuit obſidio, quam vel loci infirmitas, vel murorum imbecillitas pati poſſe videretur, quum illud oppidum, ad principum Atteſtinorum delicias & receſſum potius, quam in arcis munimentum, erectum olim fuerit, tantum in ludificanda Roberti ferocia Federici Feltrenſis viri conſilii promtiſſimi aſtus & induſtria valuit: ſedens enim ad Stellatam, cum exercitu, noctu ſarmenta ad aggeres erigendos, tribulorum acuminatorum magnam vim, ad configendas ſubituri hoſtis plantas, & malleolos ad jaculandum faculas igneas, commeatum, foſſores, tela & recentiora præſidia per tecta navigia, quæ Barbotà vocant, ſubmittebat, necnon tormentorum aſſiduo repercuſſu oppugnationem retardabat: ſed dum terreſtres copiæ illic ſedent, Chriſtophorus Mulla maritimæ claſſis Venetæ præfectus, claſſiariis turmis,

Bellum Ferrarienſe.

Federicus Urbinas.

Caſtra ad Ficarolum.

Adriæ expugnatio.

Adriam in ora maritima expugnat, urbem quidem vetuſtate nominis celebrem, quæ Adriatico mari nomen dedit, quum prius Atriacum ab Atrio antiquiore verbo nuncuparetur, nunc pagus eſt. Nec multo poſt Comaclum captum, urbs quidem nunc titulotenus, olim potens, ſed pridem a Venetis incendio abſumta, quod ALBERTO BERENGARII Longobardorum regis filio contra ſe ingenti claſſe auxilio veniſſet, propterea nunc vaſtitate & agricolarum raritate pene nullam, niſi quod ſalinis, & piſcatione Atteſtino duci vectigalis. Sub idem ferme tempus Damianus Maurus, cui fuit imperium in aliam claſſem fluvialem, lembis, celocibus, (a) mioparonibus, & id genus navigiis numero ducentis, ad Piloſellam Pado imminentem, qua ad lævam Ficaroli Padus primo alveo finditur, adverſo flumine defertur, caſtella contra Venetorum vim, dextra lævaque excita, magna cæde expugnat, Johannem Bentevolum, qui illam oram duobus prope peditum millibus ſervabat, diſpalatum longius ſubmovet, agrum villaſque ferro ac flamma fœdiſſime vaſtat, armenta, pecora, hominesque in captivitatem abducit. Mox cum eadem claſſis, adverſis undis, ad oſtia Padi, non procul Ficarolo, qua a Stellanitis copiis conſpici poſſet, porro ſubiiſſet, ab Hercule Atteſtino, ænearum machinarum ferreis pilis ita quaſſatur & diſcerpitur, ut curſu adverſo relabens, ab crebris ictibus, quibus erat obnoxia, ſe ſubducere cogeretur. Scinditur Padus infra Ficarolum, & Stellatam pari intervallo in duo brachia, quibus ambobus, mox ſex oſtiis in mare exoneratur; in hoc primo fluminis divortio fit inſula, lata illa quidem & longa, haud deltæ litteræ abſimilis, in qua ſita eſt Ferraria, a Sinaragdo quondam Italiæ exarcha mœnibus primum cincta, felicius a ferro Ferraria, quam Argenta Ferrarienſe municipium ab argento, & Aurelium Forolivienſis agri oppidum, ejuſdem Sinaragdi opus, ab auro nomen ambo ſortita; in hujuſce inſulæ fronte, quæ quatuordecim millibus paſſuum ab ea urbe diſtat, juſſus ANTONIUS MARTIANUS vir in armis exercitus, propere erigere munimentum, unde poſſet ad uſque ejus urbis mœnia libere adequitando diſcurſare, & patentibus campis, multis illam incommodis afficere, trajecto per noctem flumine, cum non parva foſſarum & calonum manu, duabuſque peditum cohortibus, perdius, pernoxque molem excitabat, foſſaſque circumducebat; ſed non potuit, aut tam repente, ac tam tacite munimentum ſurgere, quin Hercules, re comperta, hominem incurioſius inſidias caventem, intra ipſius propugnaculi opera, pendentia adhuc & imperfecta irrumperet, & prandentem interciperet, cohorteſque, & agreſtium omnium atque calonum inconditam turbam ad internicciem cæderet, multoſque nando evadere nixos in ipſis undis obrueret. Mox claſſi, qua Veneti trajecerant, ignis injectus tam luculentam flammam excitavit, ut non illepido cavillo FEDERICUS URBINAS jocatus direxit, Venetos in lætitiam urbis Romæ, ab ALPHONSO ARAGONIO obſeſſæ (nam is propius urbis caſtra admoverat) igneis illos excitaviſſe: non multo poſt tamen Ficarolum oppidum ad tertium calendas Julias quadrageſimo quinto poſt die, quam obſideri cœptum eſt, tandem vi expugnat, Rhodigiumque metropolis ejus regionis, quam inter Padum ſitam & Atheſim, Policinum vulgo dictitant, Cherroneſum Græci, ſed & Latini nuncupant, in Venetorum venit poteſtatem, ademptaque duo juris Rhodigini oppida, Lendendria, & Abbatia, cum latis & uberibus campis adjacentibus. Sed quum annus jam in autumnum vergeret, in majoribus Venetorum caſtris, morbo Sanſeverinii, & morte Antonii Lauretani legati, & tabe pro cœli gravitate paſſim inter milites debacchante, quæ etiam claſſiarios corrupit (ad viginti enim hominum millia terra & aquis conſumta utrimque dicuntur) virtus & terreſtris & claſſiaria ita elanguit, ut nullum aliud egregium facinus poſthac editum fuerit, niſi quod adverſo abhinc ad Argentam Pado appoſitam male ab Atteſtinis pugnatum eſt: nam quum SUPERANTIUS Venetæ claſſis ductor, priuſquam in Ferdinandum moveretur, illo ſe contuliſſet, ejus occupandæ ſtudio, occurrentibus ipſi cum tribus tam peditum quam equitum millibus SIGISMUNDO ATTESTINO, NICOLAO CORRIGIA, ac UGONE SANSEVERINIO, pugnare coactus, primo quidem ſuccubuit, maleque acceptus fuit, magna ſuorum cæde; ſed quum Atteſtini prædæ intenti nihil de hoſte quaſi jam fuſo ſolliciti eſſent, a trecentis ſtratiotis Græcis ab fuga circumvectis incauti & palati opprimuntur, gladioque in eos graſſante, quum nuſquam evadere poſſent, qui reliqui fuerunt, paluſtribus immerguntur aquis. Capti NICOLAUS TOGA clarus & armis, ac UGO SANSEVERINIUS, Roberto perneceſſarius: SIGISMUNDUS ægrè pernici equo evaſit.

10. Nec quietiores res tunc erant in Parmenſibus, ſollicitato ad defectionem per Venetos inter ipſa belli Ferrarienſis initia PETRO MARIA Rubeo regulo, qui late in ea regione dominabatur, & GUIDONE TAURELLIO, ut Ludovicum Sfortiam per domeſticos & inteſtinos tumultus a defenſione alienarum rerum averterent: ſed adulto jam autumno alterius anni, quum Petrus Maria ſera perduellionis pœnitentia, & animi tædio, ſenioque deceſſiſſet, arcium etiam ſuarum expugnatione, bellum ſopitum eſt. Guidoni Taurellio impunitas conceſſa, pluribus gravibus

Comaclum captum.

[a]

Antonius Martianus ab Hercule cæſus.

Ficarolum expugnatur.

Cherroneſus Rhodigina venit in poteſtatem Venetorum.

Clades Atteſtinorum ad Argentam.

Petri Mariæ defectio.

Guido Taurellius.

(a) Celoces ſunt naves breves & veloces, unius remorum generis. Mioparones ſunt naves ſpeculatoriæ.

auctoribus eum ad officium revocantibus. Tenuerat autem id bellum biennium integrum a regulorum Parmenſium potius inteſtinis inter ſe odiis, quam a rebellandi ſtudio conflatum. Floruerunt in Parmenſibus multis ante ſæculis, quatuor in primis ſplendidiſſimæ familiæ, opibus, ditione, clienteliſ, & oppidorum præfecturis pollentes, Palavicini, Rubei, Corrigienſes, & Sanvitales, adeoque potentia in urbe valuerunt, ut eam quaſi in quatuor tribus diviſam, partium venenis infecerint, civeſque non Gibellinorum, aut Guelphorum titulis, ut alibi, ſed a ſe, & familiis ſuis cognominatos, ſæpe ad funeſta impulerint certamina, vel ab ipſorum civium exulceratis animis excitata foverint potius, quam ſopire maluerint: quibus quidem alii patriis exacti laribus, alii fortunis, alii vita ſpoliati, & in eam ætatem, cui barbarus immaniſſimus parcit, dum ſibi quiſque & parti ſuæ in poſterum reponi injurias reformidat, gladii diſtricti fuere. Quum vero ipſi reguli a prima origine, & ab incunabulis ipſis inimicitias, quaſi per manus traditas, & cum ipſo lacte imbibitas, inter ſe ſemper exercuerint, tum vero hac tempeſtate, inter Palavicinorum & Rubeorum proceres ab æmulatione, & inexpiabili odio coorta & exacerbata contentio, cauſam turbulentibus his motibus dediſſe videtur. Indignabatur Petrus Maria, qui inter Inſubrium purpuratos opibus & dominatu eminebat, in tutela Johannis Galeacii ducis impuberis, Palavicinum æmulum ſibi prælatum, ſe prætermiſſum, ſibi in adminiſtratione reipublicæ nullum relictum locum, Cichum Simonetam ſummum epiſtolarum magiſtrum ſibi amiciſſimum, a Galeacii ducis interitu rerum habenas moderantem, a Ludovico Sforcia, ubi primum ab exilio veniſſet, capitis obtruncatione mulctatum. Itaque præſentem rerum ſtatum maledictis convellere, Palavicinum criminari, inter ſuæ partis cives, qui ei non ut regulo, ſed ut regi parebant, voces turbulentas, & ſeditionum ſemina ſpargere, imperium detrectare, Venetorum qui jam Ferrarenſe bellum adorti vel adorturi, tumultibus Mediolanenſes involvere nitebantur, ſtipendio & opibus arma clam parare; denique qui tot annos, & uſque ad id ætatis molliter & in profunda pace vitam egerat, natu jam grandior, iraque & ambitione præceps, bella meditari, & rerum novarum agitare conſilia. Non deſiſtebat tamen Ludovicus Sforcia intempeſtiva hominis alienatione commotus, eum blande appellando, in officio & fide continere velle; verum ille verborum ambagibus eum fruſtrabatur, & per ſpem ſpeciemque concordiæ ludificando diſtinebat. Tandem quum vocatus Mediolanum ad cauſam dicendam, ætatis imbecillitatem cauſaretur, Guidonem filium pro ſe ſatisfacturum, ſed tamen non

Quatuor factiones Parmenſium.

A niſi ſub fide publica, eo mittit; ille præſcriptam a patre mandatorum formulam non exceſſurus, ubi primum ei Mediolani ſenatus datus eſt, adeo iniquis poſtulationibus in rem ſuam, apud Ludovicum Sforciam & patres inſtitit, ut leges daturus, non acceptaturus veniſſe videretur, nec diuturnam illi pacem fore appareret.

11. Ea indignitate exaſperati Ludovicus Sforcia, & ſenatorius ordo, ſuſpicatique ea omnia ad defectionem pertinere, graviter increpitum urbem faceſſere jubent, nec multo poſt patrem filioſque hoſtes judicant, publicantque, matureque bellum decernunt. B Tum multo ære ab civibus Parmenſibus, qui eis ſtudebant, extorto, delectus habetur. Scribuntur raptim milites, & aliqui cives proſcribuntur, alii in ſpontaneum eunt exilium, dein aliquot oppida, & arces de Rubeis vi & bombardis per eam æſtatem capiuntur. At Petrus Maria jam pridem ex profeſſo hoſtis, quum Venetorum vexilla ab arcibus explicuiſſet, Amoratum Taurellium regulum Parmenſem, bellicis imperatoriiſque artibus inſtructum, qui ejuſdem perduellionis & commilitii ſocius, in id bellum conſpiraverat, ſeſeque illi junxerat, C & Guidonem Rubeum filium, cum non contemnendis cohortibus externis ac civibus voluntariis, in agrum Parmenſem prædabundos immittit, ut Sforcianos ab oppidorum ſuorum oppugnationibus averteret. Hi etenim modo conferti, modo per partes in hoſticum evagati, agros, villas, pagos, ſegetes jam ad meſſem albeſcentes, præterquam contribulium & ſui corporis hominum vaſtant, diripiunt, ferroque & igni corrumpunt, armenta, pecora, agreſtes, & cives quotquot indipiſci poſſent in captivitatem abducunt: tum villæ & agreſtium domus, linqui cœptæ, villicos, agricolas in munitiora loca ſe ſubducentes, impuberes, mulieres, & ſenes paſſim trahi, ſuppellectilem omnem abduci, cernere erat. Sed quum ſæpe alias hoſtes ad urbis uſque mœnia populabundi, adequitaſſent, tum vero aliquando urbi, inſtructa acie, propius ſuccedentes, pauci quidem primo ſeſe oſtendere, reliqui idoneum ad inſidias locum adepti latuere. Paucitate hoſtium deſpecta, cives æris campani crepitu tamquam claſſico ad arma conciti, nullo certo duce, nullo ordine, nullo præcurſorio ſpeculatore temere erumpentes in E hoſtem ferebantur: verum quum vix dum manum cum illis paucis conſerere cœpiſſet, non prius ſe fraude petitos animadverterunt, quam circumfuſſi ab equitatu hoſtili gladios in ſe ſtrictos, & in eorum capita vibratos ictus viderunt. Itaque multi vulnerantur, cæduntur plures, qui in prima illa acie fuerunt, plerique ſemineces, pluribus acceptis vulneribus pro comploratis & mortuis habiti, vix evaſere; inter quos Sertorius Belliardus ejuſdem

Conflictus apud Parmam.

centuriæ Tribunus, oris vulneribus informis, sed virtutis insignibus decorus, diu superfuit: reliqui, qui nec laborantibus opem ferre, nec tuto aut loco consistere, aut resistere posse hosti confidebant, præcipiti cursu in urbem relati, portas multo obice firmaverunt, ne consternata ea clade civitate, hostis intro irruptionem tentaret; nec enim res aberat periculo, si fortunam experiri ausus fuisset. Ducti multi in captivitatem, in terrimum carcerem, illuvie & pedore squalentem, injecti, salutem pretio redimere sunt coacti.

12. His successibus ferociens hostis, omnia terroribus complebat, nihilque ad injurias reliqui faciebat, tam contra adversarum partium studiosos, quam ipsarum factionum principes, nec ipsis parcebatur necessitudinibus. Oriunum excidium. Nam quamvis Gibertus Sanvitalis heroum unus Petro Mariæ ex filia gener esset, tum Oriani arx, quæ Giberti fuit, in edita & præcipua rupe sita, præfecto prodente, noctu per fraudem occupata, incendio absumpta, & solo æquata fuit: pagani qui sub arcem habitabant, omnibus fortunis spoliati fuerunt. Sale oppugnatio. Ad Salam quoque ipsius Giberti sedem signa sunt admota, & vis intentata. Abest Sala tertio lapide ab Telino municipio, unde ceu ab arce belli, incursiones in agrum Parmensem quotidie fiebant: in planicie siquidem eadem sita, murorum crassitudine munita erat. Sed quamvis latis profundisque fossis cincta esset, ob aquarum inopiam minus valida ad perferendam magnam vim videbatur. Erat tamen Petro Mariæ admodum suspecta illa vicinitas, nec cum genero ac socero satis Donella vi- convenienbat. Servabat eam arcem, absente ga. marito Giberto, DONELLA, infracti animi heros, cum bina prole adhuc impubere, nec magno admodum præsidio; & quamquam Petro Maria orta esset, tamen non minus hostilia a patre timebat, quam a quovis insensissimo hoste, adeo civilium discordiarum furor, etiam in propria viscera grassabatur. Hanc igitur arcem oppugnare adortus Amoratus, Donellæ pernecessarius, non minus crudeliter, quam pertinaciter bellum administrabat, certamque & sibi & militi victoriam repromittens, fossas sarmentis, virgultis, viminibus, & omni materia implere perstitit, quoad in summum æquor strata planicies, pediti cursum sub ipsius muros expediret. Postquam igitur patuit ad arcem via, scalas muris admovit, centuriones & milites suæ virtutis admonens, ad prædamque invitans, qui in eas agrestes omnes fortunas suas ingessisse compertum haberet, alacres confirmabat, segnes castigabat, subnixusque arbori haud procul ab arce, munia imperatoris administrabat, nec enim propius tormentorum metu succedere, aut toto se corpore ostendere audebat, tantum hunc & illum compellando, quid fieri vellet imperabat.

13. Eam oppugnationem DONELLA supra muliebrem animum, magnos spiritus in ea rerum difficultate ostendens, fortiter sustinebat, aderat propugnatoribus armis accincta, constantiaque virili hortando, monendo, amicitius appellando, ac per propugnacula discursando, vires & studia defensorum augebat, promissisque onerabat. Conspicata autem inter obeundum eminus Amoratum, paludamento ambitiosiore conspicuum, quo facile a gregario & quovis alio dignoscebatur, ab arbore quam maxima poterat voce elata suos inclamantem, laudantem, modo Egregium fœminæ facinus. brachia, modo suras, modo armos, modo totum corpus, pro animi affectibus gestiendo, ut cujusque vel strenuitatem, vel ignaviam animadvertebat, efferentem, stomachanti similis, numquam hodie, inquit, nisi me spes fallat, homo necessitudinis & officium oblitus, nostris mœnibus impune successerit, atque correpto ferreo sclopo, quod illi forte fuit ad manum, explosam igne plumbeam glandem in coxendicem ejus juxta femur lethaliter adegit. Eo vulnere quum statim moribundo similis procubuisset, qui pro mœ- Amorati mors. nibus pugnabant in scalis, aut qui subibant, exaudito oppidanorum clamore, lætitiam exanimati ducis testante, animadversoque suorum tumultu ac concursu circa seminecem ducem, protinus obsidium dissolvere, & aversi fugientes, non sine multorum cæde ad suos se recepere, qui nulla mora dispalati, ut cuique commodum fuit, retrocessere. Ita Amorato intra triduum exanimato, quod illi ad boni viri æstimationem abjuratæ fidei & perduellionis labes ademerat, totum ad laudem DONELLÆ, & ad perennem famam accessit. Ea enim non solum est ulta injurias, verumetiam pro Oriani arce excisa & vi sibi intentata, vicissitudinem speciosam gratiamque reposuit, ut non minus publicitus statuam virtutis insigne meruerit, quam quondam Spartanæ mulieres, quibus pro patria ab imminente hoste servata, armatæ Veneris simulacrum in curia erectum fuisse comperio.

14. Morte Amorati rebus Rubæorum inclinatis, tamquam ab hydra Lernæa, pro uno capite reciso, aliud mox repullulans caput, nonnihil opis, adminiculique attulit: nam Monticulum oppidum dolo capitur. Guido Taurelliis Amorati frater germanus, qui divi Petri sacris initiatus, ad arma Martia transierat, Monticulum oppidum, mille & quingentis passibus a monte Clariculo patrio oppido, Nicia flumine dirimente, distans, per fraudem noctu occupat: arcemque præsidio & commeatu vacuam ad deditionem facile compellit. Nihil enim Hercules Attestinus, cui id oppidum parebat, tamquam in media pace, de Taurelliis finitimis sollicitus erat, quamvis longus rerum usus satis illi potuerit documento esse, quam parum duris & dubiis rebus fides in hominibus con-

ſtare ſoleat. Ea propter, tam inopinato caſu commotus, verituſque ne ea peſtis latius ſerpens uſque ad Regienſes pertineret, Borſium Corrigiam cum cataphractorum ala & peditatu, præſidio Regienſibus mittit. At Guido Taurellius in meditullio poſitus (nam Monticulum pari intervallo ab urbibus Parma, Regioque diſtat) poſtquam primi conatus ſuceſſerant, accerſitis copiis fraternis, noviſque Venetorum auſpicio inauctoratis, cuncta terroribus immiſcere, prædas undique raptabundas agere, legato Venetorum, qui apud ſe divertebat, auctor eſſe, ut vicorum Parmenſium agreſtes, ſolemni tabella in nomen Venetum verbis conceptis jurare compelleret, vagandoque quam late poterat, agros villaſque vaſtare, Regienſibus tamen frequentius quam Parmenſibus infeſtus, qui illi, nullo dividente fluvio, injuriis accipiendis magis obvii eſſent. Itaque bruma jam premente, dum quotidianis dat operam populationibus, ſæpenumero accidebat, ut hi vagando, iſti ſefe opponendo, hoſtes inter ſe occurſantes *levia inirent certamina*, ſed quum, utriſque equorum pabulo defectis, forte accidiſſet, ut ad ſtabulum paſtorale, in quod alendo boum pecudumque gregi abunde fœnum congeſtum fuerat, paribus interſtitiis ab illis diſtans, animum ambo adjeciſſent, eamdemquemet diem ad hujuſmodi prædam deſtinaſſent, neſcii alter alterius: Guido tamen, explorato diligentius hoſtium conſilio, de multa nocte movens, declinatoque itinere, domum ſemotam nactus, haſtatorum, ſclopetariorumque aliquot cohortibus clam implet, & centurionibus quid fieri velit imperat: ipſe circumflexo in viam militarem regreſſu, quo utriſque longiore, ſed diverſo tamen tramite ad fœnilia illa erat iter, ubi Borſium Corrigiam cum cataphractorum ala & peditatu ſtructa acie viæ inſidere, & calones, agreſteſque in plauſtra & veterinos equos prædam congerere animadvertit per indices ſpeculatorios, protinus illis occurrit, ſine mora ferro decernere adortus. Erat ſane locus anguſtior, quam qui equeſtri pugnæ idoneus eſſe poſſet. Nam præter id, quod hinc paluſtri gurgite, qua boves aquari ſolent, illinc foſſa cænoſa minime equo pervia claudebatur, tam loricati equi, in putri imbribus hibernis ſolo, & cœcis lacunis, nec circumagi, nec pedes commode alternare, quantumvis feroces, poterant: concurrebatur tamen, & magno nixu cominus decernebatur; ſed quum utrique pari laborarent loci iniquitate, ſi lapſantibus equorum veſtigiis, vanis & irritis inter ſe ictibus digladiabantur, ut ſimulacrum potius pugnæ, quam hoſtilis conflictus videri poſſet. Eis itaque inter ſe aliquandiu colluctantibus, pedites ex inſidiis coorti, a tergo & a lateribus Borſianum equitem haſtis, ſclopetis & baliſtalibus ſagittis urgent, premunt, feriunt, bini, terni, pluresque ſingulos armis graves, & nullo equorum officio uſos circumſtant, & confoſſis equis prehenſant, humi ſtratos capiunt, & ad deditionem inerti data dextra compellunt; Borſio vix cum duobus equitibus dilabente, Taurellius præda & carris cum ſubjugalibus bobus potitus, captivos complures præ ſe agens, in queis fuit Galeacius Borſii frater, jure veteris hoſpitii, præter ignominiam adverſi certaminis, nihil hoſtile paſſus. Monticulum ſe recepit, nec quicquam aliud per eam hyemem molitus eſt, niſi quod tentata oppugnatione arcis Guardaſoni, quæ in arduo colle ſita, citra amnem patriis finibus & ſibi affinis fuit, ſollicitatoque ad defectionem arcis præfecto, fruſtratus omni ſpe, deinceps ab omni injuria temperavit, quod jam de retrahendo eo ad officium & imperium, per fidos internuntios, ſecum agi cœptum erat, nec multo poſt ad imperium rediit.

Conflictus Guidoni proſper.

15. At circa Rubeos res deteriore loco eſſe cœperat. Per autumni tempus PETRUS MARIA febre, ſenio & animi tædio, amiſſis pluribus oppidis, fato deceſſerat, vir ſane & corporis ſpecie, & fortunæ blandimentis, opumque affluentia abunde felix & clarus, ſi quemadmodum mollioribus annis pacis ſtudia, & molliorem vitam coluerat, ita exacta ætate, otium ſenibus agnatum, bello prætuliſſet, nec extremum vitæ, ceu comœdiæ actum, tamquam iners poëta neglexiſſet. Tum Guido filius curarum plenus, cum Sanctum Secundum ejus nominis oppidum in campis patentibus poſitum, paluſtribus aquis & munitiſſima arce validum hoſtes obſiderent, defendendum pertinaciter ſuſcepit, damnaque non levia præliarium machinarum diſplosionibus obſidentibus inferebat, & quantum per eum licuit, hoſtium arma ab muris arcebat, quumque multi ex Sfortianis caderent in dies, aut membris mutilatis, fœdiſque totius corporis vulneribus, fœda de ſe præberent ſpectacula, tum vero BONIFACIUS generoſa Luporum ſtirps, qui ducis Inſubrium ſtipendia in his caſtris merebat, pila trajectus plumbea, in veſtigio concidit. Verum quum innumeris muralium tormentorum concuſſibus muri terebrati procumberent, & jam fames intus ſentiri cœpta eſt, ipſeque Guido per ſtagnantes aquas lembo nequicquam fugam tentaſſet, gravante inedia, præteritorum impunitatem pactus, aliquandiu in fide fuit, dato filio Philippo obſide; verum non multo poſt conſiliorum pertæſus, ſive formidine & diffidentia parum ſinceræ reconciliationis, ſive ex radice veterum ſimultatum, ſoboleſcentibus odiorum ſtimulis, ſive Venetorum impulſu, quibus vigente bello Ferrarienſi uſui erat, in Parmenſibus bellum manere, rurſum hoſtilia meditari cœpit, ſed diſſimulanter, donec ver appeteret, & Philippus filius, qui Mediolani obſes, apud neceſſarios

Petri Mariæ Rubeni fatum.

Sancti Secundi obſidio.

Montiſerrati munitio.

Bonromerios

Bonromerios ſatis libera cuſtodia agebat, ab eo præmonitus, fuga inde ſe proriperet ad Venetos; ſed cognitus adoleſcens oris ingenua ſpecie, & liberali, mentitum ſervi habitum prodente, & ex fuga retractus, auxit ſuſpicionem fidei parum integræ; itaque decreto rurſus in eum bello, LUDOVICUS SFORTIA dimiſſo jam conventu ſociorum ad Caſale majus dudum indicto, poſtquam ver adoleviſſet, comparata grandi armatorum manu, in Rubeum ducens, non prius gravare hominem deſtitit, quam omnia ejus oppida vi & armis expugnaſſet, vel deditionem facere cœpiſſet, & Guidonem præſentibus viribus diſſiſum, ſuperato Apennini jugo, per Liguſticos in Etruriam itinere circumacto, ad Venetos ſui excidii auctores, ſe fuga recipere compuliſſet.

Lud. Sforzia in Rubeum.

16. Sed ut ad inſtitutam rerum ſeriem ſtylum convertam; id eſt, dum hæc in Parmenſibus aguntur, ne FERDINANDUS Aragonius rex, Herculi genero, tam difficili bello implicito opem ferre poſſet, valida Venetorum claſſis Apuliæ & Calabriæ oram infeſtare cœpit, urbemque Galeopolim in maritimis Calabris poſitam expugnavit. Fuit tamen id certamen durum & atrox, ſed dum MARCELLUS, ejus claſſis præfectus, ex prætoria navi ferocius pugnam ciet, ſocioſque navales hortatur ad occupandos muros, baliſtali ſagitta trajectus concidit exanimis. Verum ferventibus oppugnatorum ſtudiis circa muros, urbs prius capta fuit, quam milites cognoſcerent ſe ſine duce viciſſe. Id tamen aliquanto poſt contigit, quam ALPHONSUS Calabriæ dux, regia proles primigenia, defunctus bello Mahometico, delecta potius quam copioſa equitum manu, per Marſos & Æquos, qui nunc Ceculi habentur, non longe a Tybure populos, agrum Romanum vexaſſe cœpiſſet: nam quum SIXTUS pontifex maximus pertinacius quam conſultius, cum Venetis ſentire pergeret; ipſe ALPHONSUS, ut quavis ratione animum hominis immutaret, averteretque a Venetorum amicitia, Latium vaſtabat, pluribuſque oppidis de eccleſia occupatis, tam infeſtus Urbi erat, ut non multum ab legitima obſidione res abeſſet. Contra eum ROBERTUS MALATESTA ab Venetis miſſus cum his copiis, quas SIXTUS intra urbem tenuerat, magis ab inteſtinis tumultibus in factioſa civitate, quam ab externo hoſte timens, bello decernere ſtatuit: utriſque autem pari animorum ferocia, verum impari pugnatorum numero confligentibus, fuit acre & anceps prælium, raroque majore animorum conſtantia inter duos exercitus in Italiam concurſum eſt; ſed tandem ſtetit fortuna unde majores vires, tanta Aragoniorum procella, ut totus omnino exercitus funderetur, plurimi cæderentur, & optimi quique in captivitatem venirent, ducerentque Romam in triumphi ſpeciem, ante Roberto victorem. Alphonſus autem, ubi profligatum vidit, nec ſpem eſſe acici reſtituendæ, ſolus ſtrigoſiſſimo equo, inpacatum ſe recepit, unde reliquias fracti exercitus colligeret. Pugnatum eſt autem in Veliterno agro, loco cui ad Campum-mortuum nomen eſt, vigeſimo ab urbe lapide, a Marino octavo, qua iter ad Anxures, nunc Terracinam, quo declinavit fugiens Alphonſus. Fuiſſet clara ſane, & ſpecioſa victoria, ſi ROBERTO fuiſſet felicior: is etenim paucos poſt dies morbo in Veliterna pugna contracto, qui labor fuit illi omnium noviſſimus, fato deceſſit, in templo divi Petri Romæ ſepultus, hoc tumuli elogio, *Veni, vidi, vici, lauream Sixto dedi, invidit mors gloriæ*, eodem ferme die, quo hic Feltrenſis FEDERICUS dux Urbinatium, in peſtilenti Ferrarienſium cœlo morbo contracto, diem vitæ clauſit extremum.

Bellum in Marſos.

Pugna Aragonio adverſa.

Roberti Malateſtæ mors, & ſepulchri elogium.

Federici Urbinatis fatū.

17. Convaluerat jam ROBERTUS SANSEVERINUS, & ad Lacum-obſcurum, qui locus Pado apud Ferrariam imminet, ponte ſuper navium foris ſtrato, exercitum in citeriorem fluminis ripam trajecit, urbique quanto propius potuit, ſucceſſit, proceſſitque prædabundus uſque ad ſepta ac vivaria ferarum, quæ Varro in agricultura Theritrophilon dixit, noſtri vulgo parcum, in quibus Atteſtini principes & alii ad venationem & voluptatem clathris aut parietibus claudere eas conſueverunt, maximumque terrorem civitati injecit, ne mœnibus inſtaret, & ſummo certe in periculo res fuit, prope conclamata, omnium opinione, urbis ſalute, quum ſubito reſipiſcens SIXTUS pontifex, ſaniore conſilio alienatur a Venetis, quod ſociatus illis fuiſſet. Veritus enim Ferrariam, vetuſtiſſimum eccleſiæ vectigal, non ſibi, ſed Venetis acceſſuram, ſi expugnaretur; primum Venetos monet ab armis recedant, tributariam ſedis pontificiæ urbem oppugnare deſinant, & quum nihil proficeret, diris & imprecationibus execratos, etiam ſacris cum urbe interdicit. Mox ſancito cum FERDINANDO Inſubre ac Florentino populo fœdere, etiam bellum indicit. Ad novam in Venetum nomen conjurationem, ALPHONSUS Calabriæ dux in Æmiliam tranſiens, duobus equitum millibus ad Ferrariæ tutelam relictis, in tranſpadanam oram, ubi ſociorum conſilium indictum erat, oppidum celebre in Cremonenſibus, quod abradit Padus, Caſale-majus petivit. Hoc conventu in quo & multi celebres viri, & omnium ſociorum legati affuere, bellum intra viſcera Venetæ ditionis decernitur, ut cura rerum ſuarum parcerent alienis.

Caſtra Roberti ſub Ferrariam.

Conventus ad Caſale-majus.

18. Verum illi in tanta re minime ſegnes, primum RENATUM Lotharingiæ ducem (is fuit ex Renati majoris filia nepos) cum ducentis cataphractis Gallis, qui cum levis armaturæ equitibus mille & ducentos equos capiunt, adjectis etiam mille peditibus, ſti-

pendio conducunt, & delectu exquisitiore habito, novum militem centuriant, qui sub signis Lotharingii, oppugnationi Ferrariensi incumbant. Ille quidem superatis Alpibus, ad destinatam expeditionem se contulit, omnia molitus, quo de capta urbe gloriam ad suos referret, sed certe nulla re memorabili gesta, cum cœli inclementia aut intemperantia ille Gallicus ardor mollitudine elanguisset, opportune sibi Ludovici regis obitu nuntiato, cujus regni ex testamento tutor decretus fuerat, haud multo post in Galliam retrocessit.

19. Sanseverinius vero inter ipsius belli apparatus, cum magna exercitus parte Adduam transire jubetur, ut si e republica esse videretur, usque ad Mediolanensium penetrans intima, tumultu cuncta involveret. Persuasum enim habebant Veneti, eam civitatem intestinis dissidiis laborantem, & pro gravi simultate quæ inter Ludovicum Sfortiam, & Bonum Galeacii defuncti ob regnandi æmulationem intercedebat, ac in primis Sanseverinii præsentia, cujus erat nomen apud Insubres celebre, ad res novas concitatum iri posse. Sed quum conatus omnes irriti fuissent, in Brixianos citato gradu revertitur, in quos omnis belli tempestas incumbebat, armis totius Italiæ in Venetos conspirantibus. Erant certe contra illos sub signis centum viginti equitum cataphractorum alæ, & legionum non contemnenda manus. Nam Ludovicus Sfortia qui jam, ut diximus, bellum Parmense profligaverat, conjunctis castris cum Alphonso, qui equitatum ex Ferraria revocaverat, primum in Bergamotium fines signa intulit, mox auctus sociorum copiis, superato Ollio flumine, cuncta hostiliter diripiebat. Capiuntur ex Venetis multa oppida, & quidquid vicorum & agrestium locorum inter Mellam fluvium & Novos-orcios interjacet, diripitur subigiturque; demum in Brixienses, qui cum Bergomatibus Cenomani sunt, castra translata fuere, gravante hoste.

Arma in Brixianos.

20. Ubi Sanseverinius, tam fœdam procellam ingruere, nec se tantis copiis prædam parem videt, similis fugientibus in collibus castra habere, numquam castra castris opponere, aut fortunam belli tentare, aut quoquomodo lacessere, sed ne se ostendere quidem satis habens, urbes, quæ majoris essent momenti, ab injuriis tueri, ac propterea quum hostium castra ad Balneolum in Brixiensibus locata essent, ipse ad Regianum in colle leviter fastigiato, quinto a Brixia lapide consedit, hostium observans vestigia. Interim Aragonia classis triremium quinquaginta, cui præerat Federicus, secunda proles regia, Delmaticam oram circumvecta, Lysam insulam de Venetis ferro & igne devastavit; deinde in Coryctam Nigram, quæ a nostris Volga dicitur, transmittens, in ea fortius defensa, quam oppugnata, quingentos e suis amisit.

Tumultus in Delmatia.

21. Jam autumno senescente, quum aliud nihil scriptu dignum scriptum esset, fuerunt tamen varii bellorum eventus diversis in locis, & aliquot cædes parvæ illatæ & acceptæ: nam ad Steliatam agri Ferrariensis, quam in Padi margine sitam diverso ab hinc loco diximus, quum iam armis Venetorum, duce Thoma Himosano, intercepta fuisset, cæso, ejectove præsidio, tam tempestive Hercules cum equitibus, & Ferentariis affuit, ut & arx reciperetur, & hostium pars, aut ferro perimeretur, aut in undas Padanas mergeretur, & ipse Thomas cum aliquibus in hostium venerit potestatem, nec profuit quicquam Venetis, qui ad Lacum-obscurum in obsidione urbis Ferrariensis castra habebant, uti ab sensu ejus tumultus, quem ad Stellatam concitaverant, hostem averterent, adusque urbis mœnia discurrisse, & in suburbana tecta flammas injecisse, quin & Johannes Hemus legatus, qui suis ad conflictum auxilio veniebat, quum sternaci equo veheretur, præceps in caput provolutus, haud multopost ex eo casu, animam exhalavit, melior quidem navarchus, quam equiso.

Cædes ad Stellatam.

22. Sub idem anni tempus Alphonsus Aragonius Villa-Franca potitus, agrum Veronensem populabundus infestabat, & quum Sanseverinius cum omni exercitu ad urbem successisset, nec ab Alphonso tamen ad pugnam elici posset; Assulam municipium celebre, & loci situ & industria communitum, vi expugnavit: dein quum ab Hercule sororio precibus expugnaretur, ut ad opprimendas hostium copias, quæ ad Lacum-obscurum castra metabantur, volucri cursu veniret, ventoque reflante serius cum copiis illo advenisset, navigatione parum prospera, a Sanseverinio, qui Athesis cursu secundiore eum præverterat, ut suis præsto esset, præventus frendebat, & fortunam increpabat, & euros, quod a capulari, & acherontio sene velocitate victus fuisset, Xerxem imitatus, qui Neptuno vincula & ventis flagra intentabat, sibi non obsecutis. Pressi nihilominus undique Veneti, quum forte etiam ducaria eorum sedes Venetiis de nocte conflagrasset, re in religionem versa, & pro portento habita, & jam inauspicatæ expeditionis omnes patricios pœniteret, pro magno habuere negotio, Ludovicum Sfortiam, qui plurimum apud socios & potentia, & auctoritate pollebat, magno auri pondere sibi conciliare & tantam belli molem a se amoliri. Ille autem non gravate in pacis fœdera concessit, non tam studio pacis, quam quod ad spoliandum principatu fratris filium, ad quem prærogativa pertinebat, votis omnibus anhelaret; in quo quidem conniventes habuit Venetos, cum quibus tamen, aut non conjungi, aut postmodum non se jungi præstasset: conjunctione enim tragicum fa-

Assula expugnata.

Consilia pacis.

cinus admiſſum eſt, neceſſitudinis & officii jure violato; disjunctione vero Gallicum bellum in ſe contraxit, quo prorſus corruit, Venetis ad opprimendum eum cum Gallo poſtea conjurantibus. Pace itaque ſancita, ad diem ſeptimum Auguſti anni ſalutaris octogeſimi quarti, ſupra milleſimum & quadringenteſimum, res cuique redditæ præter Rhodigium & Rhodiginæ ditionis cum omni eo Cheroneſo oppido, quibus mulctatus fuit Atteſtinus princeps.

Pax Italiæ anno 1484.

A

B

FRANCISCI CARPESANI Flaminis Parmenſis commentariorum.

LIBER II.

Novum bellum in Campania.

1. JAm dudum bellum Ferrarienſe, quod trieteridem pene tenuit, poſuerat, ſed in FERDINANDUM regem Neapolitanum novi bellorum motus, inteſtina procerum conjuratione, gliſcebat, non tam odio in illum, aut ſtudio rerum novarum, quam metu ALPHONSI ejus filii, ad quem per manus regnum legitime deveniebat, poſt parentis fata. Is Alphonſus, ut erat truculentus & ferox, dum in Ferrarienſi expeditione adhuc ageret, palam teſtatus fuerat, ſe quum in patriam revertiſſet, regnum ex ſententia compoſiturum, pluribus heroum excidio ſublatis. Perterriti hac denunciatione regni proceres, ſibi quiſque timentes (res enim in vulgum emanaverat) inito inter ſe conſilio, ſub belli Ferrarienſis exitum, INNOCENTII pontificis maximi ejus nominis octavi, qui Xiſto ſub idem tempus vita functo ſucceſſerat, ad quem regni jura pertinerent, ope & patrocinio implorato & impetrato, ducem belli habuere ROBERTUM SANSEVERINIUM. Hic a Venetis exauctoratus, ad eam expeditionem profectus cum Urſinis regulis, regias partes ſecutis, quibus acceſſerant ſociæ Inſubrium & Florentinorum copiæ (nam neutri adhæſerunt Veneti, jure fœderis, ut dicebant, prohibiti) bello in Faliſcis decertans, illos damnis & affecit & viciſſim affectus eſt, nec tamen illi in regnum patuit iter, opponentibus ſe illi hoſtibus, quum nihilominus Alphonſus eluſo ab Ferrarienſi expeditione veniens, eo invito, incolumis cum ſuis in patriam redierit. Pugnatum eſt aliquamdiu in Latio, ſed levibus certaminibus pro occaſione partium initis, & Nomentum ex Urſinis expugnatum eſt & direptum, & Virginius Urſinus, cujus ædes Romæ igne injecto conſumptæ fuiſſent, connivente (ut creditum eſt) Innocentio pontifice, ex reſiduo diſſidiorum urbanorum, quæ ab ultimo Xiſti anno originem habuerant, tam inſignis memor injuriæ, agrum Romanum hoſtiliter vaſtabat.

Innocentius VIII. pontifex.

C

D

2. Penetraverat autem alio agmine, uſque in Samnium JOHANNES ROVEREIUS urbis præfectus, Xiſti ex ſorore nepos, vir armis acer & impiger, qui ſtipendia pontificia merebat, populabunduſque omnia terrore complebat & tumultu: tandem quum utraſque partes pertæſum eſſet damnorum & laborum, INNOCENTIUS antiſtes, cui pacis conditiones æquæ & honeſtæ proponebantur, otii cupidiſſimus, avide pacem complexus eſt, heroibuſque, quantum fieri potuit, cavit, ne illa ſeceſſio illis fraudi foret, quamvis Sanſeverinii in illo fœdere parum ex fide ratio habita videri potuit; vel ſi habita, tamen ab Alphonſo Aragonio neglecta, aut violata, quum hunc in cauſa cæteris heroibus & ſibi communi, pro Calatia urbe Campaniæ, nunc Calatio, quam jure avito gentilitioque ditione tenebat, incolumem eſſe oportuerit: verum a pontifice exauctoratus, quum per Flaminiam iter faciens Bononiam infenſam haberet, accepiſſetque ſe a Venetis minime receptum iri, & Mediolano pridem extorris eſſet, cunctabundus & erroris ac concilii inops, ab ALPHONSO Aragonio, cum majoribus copiis ſecuto & aſſecuto, omni equitatu, quem trahebat, ſpoliatur, vixque cum filiis veredorum citatiſſimo curſu evaſit, Ravennam progreſſus.

Pax Ferdinando a pontifice.

Robertus ob pios exuitur per inſidias.

3. Jam ad calcem æſtivorum venerat annus a partu Deiparæ octogeſimus ſextus ſupra mille & quadringentos, quum MAXIMILIANUS FEDERICI imperatoris filius, Germanorum principum ſuffragio patrii ſceptri ſucceſſor & Romanorum rex declaratur. Erat hic quidem vir magno & excelſo animo, miraque indole, quippe qui vixdum annos duodeviginti natus, Cardi Belgarum ducis Annam unicam prolem ſibi deſponſatam, necdum tamen ob ſoceri cædem, traductam, cum matre obſeſſam, & patriis ſpoliatam regnis a Gallis, bello aſſeruit, regnumque dotale, quod ampliſſimum fuit, ab eiſdem pari virtute prope totum recepit & vindicavit, ac quinque graviſſima bella, Gallicum, Eburonicum, Sicambricum, Batavicum & Morinicum novem annis vindicavit, eo triumphis & victoriis illuſtrior, gravioribus bellacium nationum procellis exagitatus, & pertinacius ipſam perdomuit invidiam, & reluctantem fortunam ſibi accedere coegit; quare omnibus in ejus admirationem converſis, ſuperſtite adhuc parente Auguſto, Cæſar omnium votis meruit appellari & ſalutari.

Maximilianus imperator.

E

4. Erat illi patruelis Sigiſmundus Auſtriorum genus & dux, qui ſine liberis decedens, poſtmodum eum aſcivit heredem. Jungitur Auſtria Germanorum regio ad ortum ſolis Pannoniis, ad occaſum Noricis, quos noſtra ætas Bavaros dicit: qua ſeptentrionem ſpectat, Moraviæ, finitimæ Bohemis; & meridie Striæ, quæ olim Valeria, a Valeria Diocletiani filia, ſic cognominata fuiſſe creditur Rhætioſque attingit, per Tridentinos ſaltus Venetis conterminos. Fuerat inter utroſque, Venetos videlicet & Sigiſmundum diuturna

Sigiſmundus Auſtraſius.

pax & vetus hoſpitium: verum orta tunc inter eos de finibus contentione, aut certe jactis hoc prætextu tum pro ferri fodinis in Noricorum terra jam dudum à Veneto poſſeſſis, belli ſeminibus, atrox diſſidium inter ipſos conflatum fuit, prius a Sigiſmundo illatum bellum, quam per feciales indictum, aut repetitæ res fuiſſent. Quamobrem a Venetis imparatis, utpote nihil tale metuentibus, confeſtim Roberto Sanſeverinio contra ſubitariam vim ſenatuſconſulto decernitur ſcribiturque tumultuarius miles ad veteranas copias, jubeturque Sigiſmundo occurrere, qui ut bellum jam pridem animo conceptum pareret, tandem Rhætiorum, Vindelicorum, Suitenſium aliorumque Alpinorum populorum copiis, cum non tam ſtipendii mercede, quam prædæ amore ſecutis, ductu comitis Amaſiæ agrum Venetum circa Veronenſium fines infeſtiſſime vaſtabat, & jam Roboretum, citra arcem tamen, occupaverat. Servata aliquamdiu arx magno uſui Veneto fuit ad remorandum hoſtem, donec Julius Camers ex Umbria cum copiis, & aliunde alia auxilia advenirent, & jam erant ſub ſignis armatorum viginti millia. Placuit itaque ducibus Venetis, compacto ſuper navibus cum tabulatu ponte, cohortes & omne robur exercitus trans Atheſim mittere. Ad reprimendas hoſtium concurſationes, continendoſque in fide ſocios, æque propterea aliquoties ex occaſione pugnatum, ſed ex provocatione duorum illuſtrium & fortium virorum ſemel: nam Antonius Maria Sanſeverinius Roberti filius & Georgius Gomborgius genere Germanus, ambo ætate, armis, corporis & animi pares præſtantia, inſpectante utroque exercitu, ex equo haſtis inſeſtis concurrere; neutro violato, mox pedeſtri pugna gladiis, cæſim punctimque ſe invicem inceſſere; quum neque hinc cruor elicitus fuiſſet, pede pedi collato mutuis amplexibus colluctati, utrique in latus cecidere, dum colliduntur neuterque promovetur, Germanus brevi pugione, quem in hos uſus accinctum habuit, Antonii Mariæ femur bis tranſfixit deſtititque poſthac ferire, quoniam Sanſeverinius ingenue ſe victum confeſſus, manum dedit: relatus in hoſtium caſtra equo Sanſeverinius, haud multopoſt ad ſuos remiſſus eſt; ſed parvo temporis interſtitio, rurſus in hoſtium venit poteſtatem, dum patrem laborantem ab hoſtium gladiis aſſervare ſuo periculo non dubitavit: imitatus Africanum majorem, qui patrem conſulem apud Ticinum graviter ſaucium, pari periculo ſervavit, duplici uterque corona conſpicuus, pro patre & imperatore ab ipſis mortis faucibus erepto: nam quum hoſtes ſubitariam de induſtria pugnam cientes, cuneo facto, in ipſum ducem omnem belli molem convertiſſent, ut eum in primis exciperent, reſque difficili loco eſſet, Antonius Maria &

Bellum in Venetos ab Auſtraſienſibus.

Robertus Sanſeverinius in Sigiſmundum.

Comes Amaſiæ.

Duellum ex provocatione.

Antonius Sanſeverinius bis captus.

A Venantius Julii Camertis filius acrius inſurgentes, omne periculum in ſe converterunt: verum duce ſervato, ipſi hoſtium multitudine circumdati & a ſuis excluſi, deditionem facere coguntur: ita Antonius Maria, fortuna ejus virtuti & pietati invidente, bis capitur.

5. Alibi tamen a Venetis, quia per partes pugnabatur, felicius dimicatum eſt, repenſæque cum fœnore clades; in ipſius enim vallis Suganiæ faucibus, duæ peditum cohortes ex hoſtibus ferro ignique cum ipſis munimentis ſunt interceptæ. Item alio loco ad B Burgum (vicus is eſt quem Medoacus fluvius adhuc tenuis dividit) hoſtem intra munimenta pepulerunt, flammaſque in tecta injecerunt; & ut eſt in bellorum caſibus ſæpius rerum viciſſitudo, ad Celatium alibi amiſſæ ſunt a Venetis per inſidias duæ peditum centuriæ, expugnatoque præſidio, par clades recepta. Hac pugnandi varietate, dum Amaſiæ comes militem ſtipendio defraudatum, annonæque inopia dilabentem, ſub ſignis tenere non poſſet, fieretque in dies in caſtris *inſignior paucitas, pacis ab eo diſſimulanter* per diem mentione facta cum hoſte, noctu Roberti arce, quam paulo ante C per deditionem receperat, incenſa, cum exercitu in Germaniam retroceſſit.

Amaſiæ comitis fuga.

6. Roboreto ejus digreſſu recepto, erant meliore loco Venetorum res, & quum Camertius comes, cui erat æquatum cum Roberto imperium, morbo implicitus caſtris exceſſiſſet, curandæ valetudinis cauſa; Robertus ea occaſione uſus, flumine trajecto, nonnulla ignobilia loca recepit, Nomum capit & diripit, mox in Tridentinum agrum bellum tranſlaturus, inter Petram & Biſinum noctu conſedit, & Lucio Malvitio viro impigro cum expedita hippotoxotarum manu D præmiſſo mandat, ut circumacto per ſaltus milite, ubi exaudiſſet clamorem, hoſtem, ſi opus eſſet, adoriretur. Succedentem per collium anfractus Lucium conati ſunt accolæ, qui anguſtias ſervabant, tranſitu prohibere; ſed dum ferocius pugnant quam felicius, metu perculſi in tutum receſſere, tum media copiarum pars a Roberto trans fluvium mittitur. Erant autem ſub ſignis quadraginta equitum turmæ, & quinque peditum millia, pars reliqua ad pontis cuſtodiam relinquitur; copiæ quæ pontem ſuperaverant, nullo ordine paſſim in prædam diſcurrere cœperant, minime de hoſte ſollicitæ: rumor hoſtilis incurſus Tridentinos cum duabus Germanorum equitum & totidem peditum turmis ad arma concitaverat. Itaque ex urbe erumpentes in prædatores vagos & diſpalatos feruntur, cæduntque obvios, alios in fugam agunt, Roberto nequicquam reclamante, & modo hos, modo illos verbis caſtigante, paucitaremque hoſtium atteſtante, nullo imperio detineri potuit miles, quin præcipiti ad pontem curſu perterrefactus eva-

Lucius Malvitius.

Pugna infelix & ultima Roberto.

deret. Robertus nihil ſecius ingruentem hoſtem, equitum globo, quos mors obtulerat, ſeptus, fortiter excipiebat; ſed quum gravius premeretur quam ſuorum paucitas ferre poſſet, ſeſe paulatim recipiebat. At qui longius a ſe receſſerant, fugam rati, conſternati animo pontem occupant, ſeque confertim collidentes, ſtudio ad ultiorem ripam penetrandi, ex illa colluctatione magnam ſibimet ſtragem intulere. Multi enim in flumen detruſi obruuntur, paucis admodum in tutum nando tranſmiſſis, pons quoque ruens, quem neſcias caſu an juſſu diſſolutum (utrumque enim traditur) per violenti fluminis vortiginem quamplurimos abſorbuit, pluresque equites dum flumen rapidiſſimum vadare moliuntur, metu mortis mortem oppetunt: alii raptis ex pontis ruina tabulis nantes, aut vadantes, aut ſaxis periclitantes periere, pauci certe ad ulteriorem ripam incolumes pervaſere; ipſe dux Robertus aut fluvii obrutus undis, aut pugnans interemtus, certe nullibi repertus eſt. Reliquiæ tamen ejus a filiis curioſius quæſitæ, poſtmodum fuiſſe Mediolanum relatæ dicuntur: certe illi in templo divi Franciſci mauſoleum erectum inſigne extat. Sed extra aciem Antonius Tolentinas ab hoſtibus captus, in ipſo animorum ardore furentium ex recenti pugna occiditur; ſolus Guido Rubeus Parmenſis heros, poſt exilium militiam ſecutus Venetorum, cum ſua equitum ala pugnam reſtituit, & hoſtem cecidit fugavitque, pluresque ſuorum ſervavit, lauſque omnis rei bene geſtæ apud unum eum fuit.

Guidonis Rubei virtus.

7. Poſt hanc pugnam tumultuarioſque alios conflictus, quum multæ utrimque acceptæ illatæque eſſent clades, tandem annitente INNOCENTIO VIII. pontifice pax eſt ſancita. Pacata, ut videbatur, Italia, duo principes in Æmilia ſibi finitimi, non obſcuri nominis, domeſticis inſidiis ferro tranſiguntur. Hieronymus Riarius, qui Forolivienſibus & Forocornelienſibus dominabatur, a civibus aliquot conjuratis, & Galeotus Faventinorum princeps, dum nihil illi prodeſt ex matheſi cui ſtudebat fatum prævidiſſe, lethali vulnere in ipſo maritali thoro ab uxore conficitur, uno ſuper alterum ictu ingeminato. Sed Catharina Hieronymi conjux, Sfortianis armis adjuta, (fuerat enim nata Galeacio Inſubrium duce, quem adverſo ab hinc loco interfectum diximus) pœnas de percuſſoribus & de civitate contumaci exegit: nam marito interemto, Catharina quæ in civium erat poteſtate, quum percuſſores & populares nimis anxie arcem ſibi vendicare conarentur, & illorum poſtulatis præfectus arcis aures obſtrueret, perſuaſit civibus, fore ut ſe auctore fierent voti compotes, ſi ad arcis præfectum introduceretur, datque obſides filios. Ubi primum in arcem admiſſa ferox femina, civitatem injuriis expoſitam ferro, ignibus, tormentiſque omne genus vaſtabat, & cum præſidium illi ab Sfortianis præſto fuiſſet, irrumpens magna vi ab arce, cives parere, & filios ſibi reddere coëgit, ſumto de ſceleratis quotquot aſſequi potuit ſupplicio. Nam aliqui ex parricidis jam ſolum verterant. In Faventinos vero, qui principis ſui nece indigniſſima non videbantur quietari, niſi exacta ultione, ſævitum eſt a Johanne Bentevolo parricidæ mulieris parente, qui tunc in Bononienſes tyrannidem exercebat; nec tamen ipſe a periculo aberat, niſi interventu Laurentii Medicis tumultus ille ſuppreſſus fuiſſet.

Hieronymi Riarii, & Galeoti mors.

Quam ulciſcitur Catharina Hieronymi conjux.

8. Vix hoc ſedato, ſævior tempeſtas & peſtis Italiam omnem pervaſit, qua omnia regna, principatus ac reſpublicæ Italici nominis prope concidere, Gallicis armis invaleſcentibus, quæ LUDOVICUS SFORTIA imprudens & parum ſuis rebus proſpiciens, in Italiam invexit, dum FERDINANDI Aragonii opes atterere & ſuas firmare ſe putat. Exercebant hi duo principes inter ſe ſimultates, erumpebantque in aperta odia, illiberaliaque convitia & probra indigniſſima, alterque alteri excidium moliebatur. Non poterat ferre Ferdinandus JOHANNEM GALEACIUM, ad quem imperii Mediolanenſis jus ſpectabat, cui neptem ISABELLAM ex Alphonſo filio prognatam connubio locaverat, adminiſtratione regni patrii defraudari, & hunc contra jus faſque habenas totius ſummæ velle moderari. Contra LUDOVICUS SFORTIA, ut regem æmulum & inſidiantem ſibi laboribus involveret, ac bellum quod jam in ſe ab illo impendebat, a ſe amoliretur, CAROLUM Gallorum regem ad repetendum armis regnum Neapolitanum, jure hereditario ſibi (ut credi voluere) debitum, accendere non deſiſtebat aſſiduis ſtimulis, amicos etiam & aulicos purpuratoſque qui gratia & auctoritate apud regem plurimum poſſent, quo illum in hanc expeditionem animarent, largitionibus corrumpebat.

Initium belli Gallici.

Cauſæ belli Gallici.

9. Quo jure autem id regnum ad Gallum pertineret, ſi longo ſyrmate altius recenſere pergam, profecto receſſerim ab inſtituto meo, qui non univerſam meſſem complector, ſed ſpicilegium carpo: ſatis conſtat LUDOVICUM regem hujus Caroli parentem, tabulis ab alio CAROLO Andegavenſi ſignatis, ſcriptum heredem hujus regni, ſi Johanna Ladiſlai regis Neapolitani ſoror, maſcula prole extincta, in regnum ſuccedens, pluribus maritis uno tempore ſuperſtitibus jam infamis, Renatum Andegavenſem hujus Caroli Andegavenſis avum ſtupri commercio, vel (ut ipſi prætendebant) matrimonio jam tertio conciliatum, in ſucceſſionem regni ſibi coaptare potuit. Fuit hic annus ALEXANDRO VI. pontifici maximo, qui Innocentio ſucceſſit, ſecundus videlicet ab humanitate Chriſti nonageſimus quartus ſupra millenos & quadrin-

Alexander VI. pontifex. 1494.

gentos, quo Gallus, assumta sibi persuasu amicorum provincia Italica, bellum exquisito apparatu instruxit, ut regn.. illud, ejecto Ferdinando Aragonio, quod Alphonsus Ferdinandi pater, velut prior maritus, extinctis Andegavensibus, pridem usurpaverat, sibi vindicaret.

Ingens fluminum inundatio.

10. Fuit hic annus insignis fluviorum incremento per omnem fere oram, quæ Padum & Alpes interjacet, multa hominum pecorumque strage pervagante, quo Patavinus etiam ager, & Carnarum ac Forolivienſium inundavit. Et Romæ, quæ prima sensit hoc malum, ita Tybris intumuit, ut pedestris itineris officio præcluso, per omnes urbis vicos insulatim ac domesticatim esculenta per naviculas & lembos esurienti populo venalia circumferrentur. De quo tetrastichon Pomponii Læti exstat:

Tempore Alexandri sexti, nonisque Decembris,
Intumuit Tybris bis senas circiter ulnas.
Insula quæque domus facta est, mediisque repente
Circumducta viis æquabat cymba fenestras.

Cui post adjecit distichon Nicolaus Leonicius.

Deucalionæ vix tantum tempore tellus
Diluvium passa est, latuit cum tota sub undis.

In agro Bononiensi Rhenus, in Ferrariensi, Mantuano & Cremonensi Padus; in Venetia Athesis & Medoacus, ac alia alibi flumina extra solitos alveos graviter inundarunt. Quæ res in prodigium versa est, creditumque eo cataclismo mutationem rerum in Italia portendi: quod rerum eventus docuit, descensu Gallorum in nostras terras, & peragrata hostiliter Italia. Eo motu primus Alphonsus Ferdinandi filius, mortuo non multo ante patre, regno quod supra LX. annos ab Alphonso majore tenuerant gentiles sui Aragonii, excedit, estque ceterorum principum, rerumque publicarum clades secuta.

11. Moverat jam per eam æstatem Aragonius in LUDOVICUM SFORTIAM, & ut Gallo venienti ab Alpibus sese opponeret; jamque cum suis & Alexandri pontificis copiis Æmiliam tenebat. Huic Sfortianus XL. equitum turmas ut remoraretur obviam misit, Johannis Franciſci Sanseverinii ex Roberto nati ductu, & in Etruria ejusdem Aragonii classis ad Arni fluminis ostia, cui Libuino nomen est, (erant enim etiam Florentini in Aragoniis partibus) in anchoris stabant, eo consilio, si posset, uti res novas Genuæ, ubi Caroli regis opulenta classis ornabatur, excitaret: verum classe hac voluntate & permissu Genuensium prope diem instructa, Claremontius comes & princeps Salernitanus, qui domo profugus militia Gallica reditum in patriam struebat, quibus ambobus æquatum erat in regia classe imperium, Campaniam, Calabriam & Bruttiorum oram infestaturi navigabant.

12. Interea utrisque exercitibus in Flaminia, ut diximus, sedentibus, nullo edito præclaro facinore, veluti quædam belli induciæ fuere. Levia siquidem & rara certamina ex occasione gesta, donec Gallorum præsidiis ingruentibus, ALEXANDER pontifex suas copias ad se revocavit, exagitatus Romæ a Columnensibus heroibus Gallicas partes secutis, & foris Ostia, maritima urbe, vi capta, quæ non longe a Tyberino portu posita, facile Romanis commeatus angustiam faciebat; quamvis Virginius Urſinus, jussu Alphonsi, pontifici præsto adesset. Commi- Carolus rex terrorem hostilis incutit.
nutis autem Aragoniis viribus in Flaminia discessu sociorum & prope fractis, CAROLUS rex sex millibus equitum & validis legionibus tum Helveticorum, tum Gallici nominis, Ticino solvens, cum multiformi fusilium tormentorum genere per agrum Placentinum & Apennini juga transmisso Druillo in Parmensibus, cui nunc Deretio nomen; dein per Ligures Appuanos qui nunc Pontremutenses sunt, ac maris inseri oram iter faciens, adeo omnem Italiam perterrefecit, ut prius debellatum crederent, quam in conspectum hostis ventum esset. Proficiscenti nuntiatur Johannis Galeatii cibus. Johannem Galeatium Galeatii ducis filium, consobrinum ejus, (erant enim duabus sororibus Sabaudiensibus prognati) morbo jam pridem implicitum, ex humanis decessisse, fato an alia causa interemtum non dixerim. Commotus rex perneccessarii adolescentis obitu, & alii Gallorum proceres, mortis genus alioquin suspectum pro tempore dissimulaverunt, itinere propterea non intermisso. Jamque Sergianum oppidum in Liguri- Gallis adjungunt se Florentini.
bus ex ruinis Lunæ vetustæ urbis conditum, quod vulgo Sarzanam vocant, ventum erat, cum Florentinis ab amicitia Aragoniorum ad Gallum transeuntibus, Petrus Medicis in ea republica tunc princeps, publico nomine regi CAROLO occurrit. Verum ille legationis potestate sibi præscripta abusus, inconsulto senatu, Sergianum, quod tunc Florentinis parebat, & Pisas illi habendas dedit. Sergianum Genuensibus a rege traditum, Pisanis reddita libertas ante centum annos amissa: quæ inde conflata in eum gravi invidia, ei præclusit in patriam reditum. Rex nihilosecius nullo non honoris genere ei adhibito, intra Florentiam cum exercitu admittitur, in qua cives se privatim & domesticatim clientum & evocatorum præsidio communierant.

13. In ea vero republica, statu a monar- Cum quibus fœdus init Carolus.
chia videlicet Mediceorum, sive ab optimatum aristocratia ad popularem democratiam mutato, cum diutius ageret rex, cunctandoque expeditionem produceret, quo Florentino populo quamlibet conditionem pro libidine imponeret, aliquot forte cives ex auctoritate summi magistratus illum adeunt,

ut fœdus componant, ac pro tempore conditiones accipiant: ſed cum ille prò aura blandientis ſibi fortunæ inſoleſcens, duriora & graviora æque imperaret, Petrus Caponius horum civium unus, in tabulas fœderum iniquiores ſtomachatus, regemque intuitus, fidenter illas deſcerpſit, ac ſimul his rejectis: Et nos, inquit, ad militem noſtrum, relictoque illico rege ad curiam pergebat. Quod ipſum CAROLUS rex admiratus, ejuſque animi magnitudinem, libertatemque uti altiora molientis veritus, ex itinere jubet revocari, nec prius ab ſe dimiſit, quin æquioribus pacis conditionibus amicitiam fœduſque cum *Florentinis componeret. Itaque pax inter eos* citra libertatis violationem conſtituitur. Occurrerat illi Franciſcus Picolomineus ſupremi ordinis antiſtes, a pontifice Romano legatus, ſed cum non exciperetur (erat enim illi infenſus rex odio veteri in Pium II. pontificem maximum, qui in regno Neapolitano Andegavenſibus fuerat adverſatus) intrepidus ac magno animo, ut facile alumnum & gentilem Pii in eo agnoſcas, ita reſpondiſſe fertur: Quando non ut legatus admittor, nec ego ut Senenſis antiſtes te regem ſalutabo; atque poſt hæc re infecta retroceſſit.

Carolus Romam ingreditur.

14. Romam mox regi ab Etruſcis profecturo ALEXANDER per oratores citro ultroque commeantes perſuadere conabatur, uti Urbem pacatus introiret; modo annonæ penuriam, modo metum civilis tumultus cauſatus, ne videlicet plebs Romana, quæ in armis erat, cum militari turba turbam cieret; imitaretur potius priſci & majoris illius Caroli, cujus & nomen referebat & ſceptra tenebat, mores & exempla, qui relictis apud Ticinum in Deſiderii regis Longobardorum obſidione copiis, inermis & venerandus Petri limina & ſummi pontificis veſtigia adoraſſet. Verum cum ille minime perſuaſus, nihilominus Romam ſtructo agmine contenderet, cedentibus pontificis juſſu Romano agro & urbe Aragoniis armis, quibus Virginius Urſinus præerat, pridie calendas Januarias, anno a Natali Chriſtiano MCCCCXCV. noctu Urbem armatus ingreditur, hoſpitio ſibi apud divi Marci ædes dato: neſcias utrum noctem ingreſſus optaverit, quo formidoloſior urbi foret, an ne exercitus, qui opinione minor erat, recenſeri poſſet. Onerabat enim potius voluntariorum nulli ſacramento addictorum, lixarum & gregariorum ex convenis colluvies, quam ornabat exercitum. Eo ingreſſo, militibuſque domeſticatim circumquaque locatis, ALEXANDER pontifex ab omnibus ſupremi ordinis ſacerdotibus deſtitutus, qui regem officii gratia ſequebantur, uno tantum URSINO antiſtite in fide perſiſtente, qui illi ſemper fidus & ſedulus comes fuit, Vaticanoque præſidiis firmato, ſollicitus de vi & injuria regia erat. Agitatum enim erat apud regem de abrogando ei pontificatu, & de expugnanda arce Adriani. Ceterum aut pontificis aſtus, aut rei magnitudo, plena invidiæ, ſi intentata fuiſſet, negotium omne ita brevi diſcuſſit, ut CAROLUS pacatus in Vaticana Petri baſilica, & *numina ſupplex* adoraret, & pontificis pedes de more pronus exoſcularetur.

15. Interea manus una Gallorum per Sabinos in Turemenſes progreſſa, Aquilanos & affines populos etiam Columnenſium impulſu in regis obſequium traxerat, omniaque ad defectionem ſpirabant, tantus terror Gallici nominis omnes invaſerat. Minime autem pari fortuna uſi ſunt Salernitanus princeps & Claremontius comes, quos valida claſſe Genuam ſolviſſe dixeramus ad infeſtanda hoſtilia littora. Jactati enim graviſſimis procellis in littuſque expoſiti, regem adhuc Romæ agentem terreſtri itinere ſunt aſſecuti. Poſtquam autem CAROLUS rex, rebus cum pontifice ex ſententia compoſitis, Roma exceſſerat, Alphonſus Aragonius ubi ſe audivit a ſociis deſtitutum, animoſque omnium popularium, tum propter acerbitatem ingenii ſui, tum propter ſuperbum & avarum imperium a ſe alienatos, ratus Ferdinandum filium XXVI. annos natum, juvenem pro morum facilitate popularem, amabiliorem cunctis fore, ac populos in fide facilius contenturum, in ordinem ſe redigens, regnum per manus filio tradidit, nec multo poſt ubi hoſtem ingruere ſenſit, cum quinque triremibus gaza onuſtis regia, in Siciliam navigavit. Manaverat in vulgum opinio, eum voti reum; quo religioni reliquum vitæ dicaverat, ſi regnum filio incolume ſtetiſſet, compotem ſe facere voluiſſe. Satis conſtat eodem die quo poſt mortem Ferdinandi patris rex ſalutatus fuerat, anno ante ſe regno abdicaſſe, & poſt anni orbitam ejuſdem diei vita exceſſiſſe.

Alphonſus regnum cedit filio ſuo Ferdinando.

16. Ferdinandus regno per manus ita accepto, caſtra quæ fecerant ſui ad ſanctum Germanum, ad Vulturni fluvii ripam tranſtulit, ut præſidio proximo Capuam tueretur. Naſcitur Vulturnus tenui fonte in Samnitibus, & eundo vires ſumens, per Campanum agrum & urbem ipſam, quam mediam interſecat, in mare devolvitur. Timebat autem ab Apulia, in quam aliquot Gallorum alæ tranſierant, ne excluderetur reditu. Vix dum autem locatis caſtris, nuntiato ſibi Neapolitanorum tumultu, ad ſedandam civitatem citato gradu Neapolim revertitur, exercitu ſub tribus ducibus, Nicolao Pitiliano, Virginio Urſino, & Johanne Jacobo Trivultio eo loci relicto. Sed quamvis ſtatum civitatis opinione tranquilliorem reperiſſet, tamen ut populum temporis turbulentia conſternatum erigeret, ejuſque voluntatem exploratius periclitaretur, principes civitatis in concionem accerſitos ita eſt allocutus: « Etſi

Ferdinandi ad Neapolitanos oratio.

» de veſtra in me voluntate, viri Neapolitani, » omnia mihi pollicear, tamen quia navem » ventis obnoxiam, ſi non in vaſto mari ob- » ruere, ſaltem jactare & quaſſare poteſt tem- » peſtas : hoc turbulentiſſimo tempore paucis » vobiſcum agendum putavi. Scio vos minime » oblitos quando per ætatem, vel per publica » negotia vobiſcum mihi familiariter eſſe li- » cuit, ut numquam a communi ſenſu aliena » mea fuerit opinio, aut conſuetudo diſcors, » & quo res florentiores fuere, me eo commu- » niorem meam vobiſcum voluiſſe eſſe fortu- » nam, longeque abhorruiſſe a mei parentis » vel avi inſtitutis & moribus, qui paulo acer- » bius aut imperioſius aliquando vobiſcum » agere viſi ſunt quam probarem. Fuere qui- » dem illi viri fortes & hoſtium victores, ſed » voluiſſem ſicut vincere, ita regnare didiciſ- » ſent. Quamquam vel rerum novitas vel pro- » cerum crebræ defectiones, vel diverſa ho- » minum ſtudia, ut eſt regnorum adminiſtra- » tio ſollicitudinis & ſuſpicionum plena, po- » tuerint eſſe in cauſa ut duriores viderentur : » nam ſæpiſſime reges a caſibus, ſicut navium » gubernatores, non tam regunt quam regun- » tur a ventis, clavumque & vela eo dirigunt, » quo ventus aut Boreas impellit. Mihi quidem » a pueris ea imprimis regnandi ratio placuit, » quæ non metu aut terrore conſtaret, ſed quæ » beneficiis & benevolentia conciliaretur. Re- » gnorum quippe tutela & ſecuritas non in » muris, turribus, arcibus, non in mercenario » milite aut fuſilibus tormentis, ſed in cordi- » bus civium, nulla exacerbatis injuria, ſita eſt. » Pervia machinis mœnia, voluntas & amor » eſt inexpugnabilis. Hanc mihi regnandi viam » ingreſſo, ab eo die quo me regem ſalutaſtis, » & fauſta feliciaque mihi imprecati eſtis, for- » tuna noſtræ quieti inſidians, invidit, & ani- » mi mei pulcherrimum ardorem, ſi non po- » tuit extinguere, certe potuit interturbare & » prolatare, dum me recenti bello implicat ; » ſed ſpero fore, ut exhauſto hoc bello, fru- » ctum uberrimum optimæ meæ in vos volun- » tatis vel cito recipiatis. Præſagit enim mens » quaſi divinitus afflata Dei opt. max. qui quos » amat maxime exercet, nec tamen ſinit peri- » clitari, ut per ærumnas & incommoda magis » ſplendeſcant, opem & patrocinium affutu- » rum. Sunt nobis lectiſſimæ copiæ, ſunt duces » uſu & conſilio inſignes, qui & in Flaminia » & ad Vulturnum hoſtes laceſſitos numquam » ad pugnam elicere potuerunt ; nec vos mo- » veat, quod relicta urbe Roma, hoſtes ad nos » traxiſſe, aut ſanctum Germanum in quo in- » ſederamus deſtituiſſe : nam illi ante ad ur- » bem Romam accedere non ſunt auſi, aut » illam ingredi, quum ab ALEXANDRO ponti- » fice impetrarent, ut præſidia noſtra quæ illic » fuere nobis remitterentur ; & a ſancto Ger- » mano ut abiremus non fuit in cauſa metus, » ſed conſilium ; ne videlicet hoſti qui dice- » batur latrocinantium more per Apuliam va- A gari, dum illic ſedeo, Samnites, Campanos & vos ſine præſidio infeſtandos darem. Nem- pe jam tertio his paucis diebus circa Lirim amnem & aciem produximus & ad eorum caſtra proceſſimus, numquam certaminis ab eis data facultate. Nunc Vulturnum obtine- mus, ibi, ut ſperare licet, ſedendo hoſtem fatigaturi, hoſtem nimirum primo impetu ferocientem ; ſed ubi remiſit ille calor, an di- cam furor, flaceſcentem, ac ſitis, inediæ, laborum impatientem, ut minime verendum ſit brevi inglorium receſſurum : præſertim cum habeamus compertum, Italiam iſtorum B mores & regnandi libidinem peroſam, jam in eos conjuraſſe, quo rebus ſit conſultum ſuis. Quis enim ferat hominum genus tam ſuperbum, tam cupidum, temulentum, tam mulieroſum, omnes alios tamquam vilia mancipia præ ſe contemnens : qui quacum- que iter faciunt, hoſpitia rapinis, ſtupris, intemperantiis & convitiis fœdant, conſce- lerant. Quod ſi hoſpitii jus ſacrum & amicos violarunt, quid in bello victos & dedititios facturos putamus ? Quocirca, fideliſſimi cives, nobis erit enitendum omnibus viribus, ne vos talia patiamini, idque, ut ſpero, efficie- mus. Veſtræ erunt partes fœdere non frangi, non mutare, non nova inire conſilia, quæ vos perditum eant, quæ vos in ſervitium graviùs morte involvant, unde puellaris pu- dor vitietur, fortunæ veſtræ in prædam abeant, pignora cara licitentur, corpora veſtra vio- lentur, jus honeſtumque confundantur. Quod ſi veſtro tamen conſenſu mecum Gallicum impetum ſuſtinueritis, certam vobis ſpon- deo victoriam, & cum virtute noſtra vice- rimus, uni fidei veſtræ & animorum con- ſtantiæ acceptam referemus. Demum ei opi- nioni quam de nobis concepiſtis, non ſolum promerendo reſpondebimus, verumetiam D ipſa re ſuperabimus in referenda gratia ſpem & expectationem veſtram, experiemini. Sin mihi apud vos nato & alito, & in veſtris aris, moribus inſtitutiſque initiato deſiveritis, aut aliquid indignum fide veſtra jurata ſtatueri- tis, teſtatum tamen apud vos relinquam of- ficium meum, & cum me nihil intentatum reliquiſſe, quod ad veſtram ſalutem pertinue- rit, cognoveritis, ſero vos delirii veſtri & levitatis pœnituiſſe ſentietis.

17. Ad hæc Neapolitani, ut ſunt ad res no- vas ſuopte ingenio faciles & proni, lingua quam manu... quam armis promtiores, & E tunc certe parum ſincera fide ita reſponde- runt : Paratos ſe quidem quamcumque for- tunam ſecum ferre, ſed mœnium ſuorum imbecillitati diffidere, ne vim hoſtilem ferre poſſint, dare modo operam, ut Capuam re- tineret, hoſtem longius ſubmoveret, cete- rum ea amiſſa tamquam regni arce, ægre Neapolim deffendi poſſe, & ejus corporis membra. Hoc tam ambiguo reſponſo com- motus rex, licet re pro tempore diſſimulata, quando

Neapolita- norum reſ- ponſum.

quando rebus dubiis cogi non poſſent, ut plura & fortiora pollicerentur, eodem quo venerat curſu in caſtra revertebatur. Dum accelerat, in itinere triſti nuntio fit certior, Capuam deditione amiſſam, exercitum diſſipatum, Johannem Jacobum Trivultium integris adhuc rebus ad hoſtem tranſiviſſe, non quaſi, ut ipſe credi voluit, fugientem, ſed veluti juſſu Ferdinandi de pace tractaturum. Ceterum in exercitu ea voce ita accepta, ut non legatio ſed defectio & transfugium putaretur, Virginius Urſinus, ceterique Urſini duces cum ſuo equitatu periculo ſe ſubtrahentes, Nolam curſu rapido deferuntur, facturi nihilominus deditionem, ſi hoſtis perurgeret, uti fecerunt. Nam hi & comes Pitilianus a victoribus capti & aſſervati in caſtris, pecunia omnis regia & caſtra ab hoſte direpta, quæ commeatu abundabant, quibus hoſtes defecti erant.

Capua deditione capta.

18. FERDINANDUS animo conſternatus, non auſus progredi, exercitûs reliquiis ex itinere utcumque collectis, Neapolim repetens, cum non reciperetur, circumacto ſub mœnibus agmine, arcem præſidio communit & annona: mox copias non procul ab arce collocat, tum triduum ibidem commoratus, eoque temporis ſpatio omnem rem quæ commode inde evehi poſſet, in naves congerens, cum a ſpecula arcis omnia tumultu commiſceri intra urbem lege & rege ſolutam, ac in primis ſtabulum regium in quo bellacium quadrupedum ſpecioſum armentum alebatur, diripi a civibus cerneret, excandeſcens in iram, non potuit contineri, quin ipſe cum paucis in medium armatæ plebis globum, qua jam ex profeſſo Gallica erat, deſiliret, adeoque gravi ſupercilio & regii oris legitima majeſtate deterruit, ut taciti cederent parcerentque ab injuria, moxque cum paucis multitudinem cohortatus, ut in officio & fide perſiſterent, nihilque proficeret, dimiſſis omnibus captivis illuſtribus, qui in eam diem majeſtatis rei in ipſa arce aſſervati fuerant, incenſoque armamentario, ac demolitis aliquot ædificiis quæ arci officere poſſe videbantur, una cum Federico patruo & noverca majore, ac neceſſitudinibus cum amicis & famulitio cum ſponte ſecutis, in arcem mari circumfluam, cui ab ovo nomen erat, tranſmiſit. Poſtridie vero ejus diei quo ceſſerat, Neapolitani cives muri parte dejecta, qua regi introeundum erat, imitatione Græcæ adulationis, gratulabundi CAROLUM regem admittunt, ſublimemque ſolio locant regio, & in regiam deducunt poſt LXIII. annum quaſi fatalem & climactericum, quo Alphonſus ſenior regnum illud adeptus fuerat.

Carolus a Neapolitanis admittitur.

19. At Ferdinandus in tanta fortunæ mutatione ab inſulari arce ſolvens, claſſe XXII. triremium in Prochytam, ſive Ænariam, quæ nunc Iſchia dicitur, tranſmiſerat. Verum cum & illic a præfecto arce excluderetur, (adeo fides dubiis & afflictis rebus apud pleroſque omnes fortunam ſequentes nutat:) ab eo vix precibus impetravit, ut vel ſolus intro ad colloquium admitteretur. Ubi introgreſſus, nondum explorata præſidiariorum voluntate, nihil moratus, præfectum ipſum in arcis primo limine pugione tranſadigit: mox converſus ad præſidiarios jam tumultuantes, adeo leni & placido ſermone illos delinivit, ut & ipſi in officio non inviti manerent, & rex facile arcem teneret. Interim cum toto regno & populi & purpurati omnes, etiam arcium deditione facta, in fidem regiam conceptis verbis ſolemni formula juraſſent, Ferdinandus rebus prorſus comploratis Prochyta ſolvens, in Siciliam navigavit, illinc rerum eventum obſervaturus.

Ferdinandus Prochytam ſe recipit ac tandem in Siciliam.

20. Per hunc modum Gallis tanto regno, ne exerto quidem contra hoſtem gladio, potitis, LUDOVICUS SFORTIA, qui diademate ducali per eoſdem dies ab legatis imperatoris Maximiliani ſolemni pompa inſignitus fuerat, ſero, ut dicitur, in equo Trojano ſapiens, de rebus ſuis ſollicitior eſſe cœperat quam antea, præſertim cum intelligeret Gallos ab obitu Johannis Galeacii ab ſe averſos eſſe. Et Venetos gravior cura inceſſerat Italii ſtatus, non minus præſentibus rebus quam futuris timentes. Videbant enim Gallorum opes acceſſione tanti regni auctas, eaſdemque Gallos amicitias pro uſu ſuo, non pro fidei ratione, aut æquitate, metiri ſolere, regemque impotentem ac regnandi cupidiſſimum, totam Italiam jam animo concepiſſe. Itaque conventu multorum legatorum Venetiis habito, non ſolum hi duo principes fœdus inter ſe percutiunt, verum etiam ALEXANDRUM pontificem maximum & MAXIMILIANUM Cæſarem, & FERDINANDUM Hiſpaniarum regem, cui ab Alfonſo majore patruo, in regno illo jus fuit, in ſocietatem aſciſcunt; idque inter fœderum capita diſerte exprimunt, ut ſi quis horum ultro cuiquam bellum inferret, per ſe id conficeret; ſin alicunde laceſſeretur, communibus ſociorum opibus propulſaretur. Carolo dies præſcripta in hæc fœdera, ſi vellet, adſtipulandi. At illum hoc audito frementem ſtridentemque dixiſſe ferunt, ſe hujuſmodi vincula, etiamſi adamantinis catenis eſſent conſtricta, peritius & fortius diſjecturum, quam Alexander Macedo Gordianum nodum diſſolviſſet. Moxque redeundi in Galliam conſilio inito, quinto poſt menſe quod Roma ierat, relicto tantum præſidii in eo regno, quantum ad tutelam ejus ſufficere videretur, cum reſiduo copiarum Romam repetebat, eo potiſſimum conſilio, ut ALEXANDRUM pontificem ab hujuſmodi averteret ſocietate. Verum ALEXANDER tam repentino regis itinere perculſus, aut ex reſiduo metu adhuc pavitans,

Fœdus principum Italiæ & aliorum.

Carolus Gallias repetens Romam tendit.

Ejus colloquium papa fugiente.

sive recentes veritus offensas, quæ utrimque A nivibus, & per anni tempora imbrium mole
interceſſerant, aut certe quin congreſſus in- sæpe tumeſcit, monteſque a quibus oritur
ter ipſos a fœderatis non probaretur, Roma ſcindens, feraces Parmenſium campos inter-
declinare cogitavit, nec crebris inter nuntiis ſecat, tam latumque alveum aquarum ita
aut ullis precibus perſuaderi aut induci po- ſibi facit, ut pluſquam quingentos paſſus
tuit, ut præſentiam ſuam illius fidei crede- hinc & hinc complectatur. Surgentibuſque
ret. Tantum reſpondit, ſi pacatus pacatum ripis in formam theatri alicubi ſinuatur, ali-
aditurus eſſet, ſe ſui copiam illi facturum cubi porrigitur, pratis virentibus & fertili-
eſſe; ſin armatus veniret, fore ut Roma illi bus campis modo luxuriat in valle a ſe facta,
relicta, ipſe in tutiorem aliquem ſeceſſum ſe modo virgultis & dumetis horreſcit. Dein
reciperet; vel ſi pergeret ejus inſequi veſti- xx. prope a montibus lapide in Padum influit,
gia, navigaturum eo ubi pontificia majeſtas Parmam urbem dextrorſum ubi propius v.
ab omni vi & injuria tuta eſſet. Cum vero millia paſſuum relinquens.
ille ſtructo agmine, Romam contenderet, B 22. Ex Fornovo itaque movens Gallus, va-
pontifex comitatu x. millo equitum (nam dato flumine, plana quæ a ripis editiora erant,
frequens clerus & Veneta Sfortianaque au- quadrato agmine ſiniſtrorſum tenebat; eva-
xilia, quæ jam ab exercitu Gallorum ſeceſſe- ſerat etiam brevem rivum cui Campanali no-
rant, illum ſunt ſecuta) Urbem-veterem con- men eſt, profundum illum quidem, ſed pe-
ceſſit. Poſtquam vero rex Romam ingreſſus rennem, & arbuſtorum fruticumque denſi-
eſt, rurſus colloquium tentavit, nec impe- tate cœcum atque umbroſiorem. Et forte
travit, pontifice ad Peruſinos potius in fugæ cum rex ſuperiorem planitiem jam cum toto
quam in juſti itineris ſpeciem abeunte. De- exercitu ſubiiſſet, nimbus repentinus etiam
mum fruſtratus omni colloquii ſpe, Senas rivi & fluminis aquas adauxerat turbulentio-
iter intendit, Tuſcanienſibus & Phaliſcis fœ- raque vada fecerat. Contra ſociorum ducis
de & immaniter obiter direptis, indignatio- Ciſtarum acie ſtructa, ita parati erant in pu-
ne, ut prætendebat, negati commeatus & gnam, ut arrectis animis ex adverſo ſtarent,
hoſpitii. C eſſentque ambo in conſpectu, cum Galli aut
per contemtum hoſtium, aut ut eos in pu-
Ludovicus Aurelianenſis dux Novariæ capit. 21. Dum hæc alibi geruntur, Novaria ex Inſubrium principatu Ludovico duci Aure-
lianenſi, (is eſt qui paulo poſt Carolo rege
defuncto in ſceptra regni ſucceſſit) nonnullis
civibus prodentibus deditur; Veneti, Sfor-
tiani & ſocii ducis periculo commoti, cum
jam præter regni Neapolitani imperium etiam
Etruria omnis Carolo obſequeretur, incen-
diumque Gallicum propius ſerperet, quam
quod tuto diſſimulari poſſet, mira celeritate
florenti & valido comparato exercitu, cum
Ludovici Sfortiæ copiis, qui alias quoque
vires hoſti novo ad Novariam oppoſuerat, D
ad Tarum fluvium in Parmenſibus, non lon-
ge ab Collium radicibus, qua deſcenſurum
ſciebant Gallum, conſtitere, non ut prohibe-
rent illos tranſitu, ſed ſi ab rectâ & regiâ viâ
aliquò ad injuriam declinaſſet, vim vi pro-
pulſarent. Jam ab Liguſtica ora Carolus
Pontremulum tenuerat ab Apennini jugis fau-
cibus non multum diſtans, incendique illud
pro parte ac totum diripi paſſus eſt ab Hel-
vetis, quod Pontremulenſes eos & pleroſ-
que, dum in Campaniam cum rege iter ha-
berent, interemerant, eorum intemperantiis E
irritati. Deinde inſtructa acie, viam ſibi ferro
facturus, ſi negaretur, ſuperatis montibus,
in Parmenſium planitiem deſcendit ſub For-
nocii vicum in his collibus ſubſidentem, no-
ctem unam moratus. Alluit Fornocium (quod
familiaris meus Bernardinus Dardanus, an-
tiquarius vir apprime doctus, & elegantis in-
genii Forum-novii appellat.) Tarrus fluvius, vel
potius torrens, primigenii fontis perennitate
parum felix, quippe qui æſtate ſubmittitur,
tenuaturque admodum, ſed liquentibus vere

bellando imperatoris & militis ſungebatur
officio, inſignique cæde edita, ita trepida-
tum eſt apud Gallos, ut rex ipſe paludamen-
tum regium & inſigne in ambigui certaminis
eventum exuiſſe & ſagum gregarii militis
accepiſſe dictus ſit. At Galli tanto dicrimine Qui vicissim cum cædant.
commoti, in hoſtem loco declivi & iniquio-
re pugnantem ferocius illati, non ſolum im-
petum ſuſtinuere, verumetiam & cædem &
pugnam æquavere, qua plures alii ſuper alios
cadentes deſiderati ſunt; magna certe culpa

Franciſcus Gonzaga Gallos adoritur & cædit.

equitum & velitum noſtrorum, qui juſſi circumjecto agmine hoſtem a tergo adoriri, in impedimenta Gallorum obvia, prædæ aviditate, deflectentes, copias quæ ad ſarcinarum erant cuſtodiam, felici quidem conflictu fundunt & trucidant, ſed oblivione officii ſui, nec laborantibus fuere auxilio, nec inter ſe de præda, a certamine abſtinuerunt: quo contigit ut celeberrima victoria equitum peditumque avaritiâ, neglectis imperiis, e manibus laberetur. Nam qui in medio agmine dimicabant ſocii, poſt ſuorum ſtragem ad flumen compulſi ſe in caſtra recipiebant. Certe Johannes Franciſcus Sanſeverinius comes Calatinus, qui primus magno quidem animo & per acclines Campanalis rivi ripas fructuoſas vix repertis vadis, diſpalato agmine pugnam capeſſerat, exceptus a confertiſſimo hoſtium cuneo, poſt aciem & ambiguam pugnam, amiſſis XIV. fortiſſimis cataphractis pluribuſque aliis egregiis viris, vix periculo ſe ſubtraxerat, & Franciſcum Gonzagam inter hoſtes bello involutum, Rodulphus Gonzaga patruus, facto impetu, ſervaverat, in tanto diſcrimine minime ipſe ſervatus, quippe qui ferali vulnere ictus in veſtigio concidit, ceteris delabentibus, non ſine magna eorum ordinum conſternatione, qui in citerioris ripæ ſupercilio integri & adhuc exortes pugnæ in acie ſtabant; & niſi NICOLAUS comes Pitilianus, qui cum Virginio Urſino apud Nolam a Gallis captus fuerat, in ipſo pugnæ fervore a Gallicis caſtris tempeſtivo transfugio fluctuantes animos confirmaſſet, teſtatus acciſis prope rebus apud hoſtes trepidari, et ſi integræ ac recentes equitum alæ immitterentur, facile poſſe hoſtium exercitum diſſipari, in quo quidem ſe ducem ſpondebat, vix a fuga temperaſſent. A metu igitur aliquantiſper recreatis, in re dubia alternante ſpe metuque, fides non eſt recepta. Stetere tamen immobiles ordines, niſi quod aliquot pedites caloneſque, Bononienſes præſertim, non ſtratis, vixque frænatis equis per mediam urbem Parmenſem dilapſi fuerant, illamque magna formidine perculſerant, eiſque auctoribus rumor profligati exercitus vulgatus erat in vicina oppida, jam ad prædam ſe accingentia. Sed pugnam quæ ſub veſperam cœpta vix ſeſquihoram tenuerat, nox diremit.

23. Ceciderunt in ea pugna ex Gallis illuſtres viri plures, inter quos Vardus Ariſteus, ſagittariorum præfectus, Daſonius & Sempleuſius natalibus inſignis, Torſuenſis, Candenſis ditiſſimus auri, Bonevenſis, Lemerlenſis, Chetenſis; Germanus regulus Turonenſis grave vulnus accepit. Dux vigilum & cohortes prætorianæ, Amprutenſis, equitum levis armaturæ ductor, tormenti ictu concidit. Præter dictos capti fuerunt Cherenſis principis filius, Fortenſis longe opulentus, item Borbonthes nothus regius ſanguis & Miolenſis, aliique quamplures viri nobiles deſiderati ſupra mille omnium ordinum. Ex Latinis ducenti prope cataphracti, & aliorum ad duo millia; ſed de viris claris in primis Rodulphus Gonzaga, Galeacius Corrigia, Ranuccius Farneſius, Bernardinus Sanvitalis, Heros Parmenſis, Vincentius Corſus tribunus militum, Robertus Strozzius, Alexander Beraldus, Petrus Maphæus, Hieronymus Recalcus Veronenſis, Johannes Malumbra Venetus, Franciſcus cognomine Frater; Albertus Vecchus ambo Parmenſes, honeſtis quidem vulneribus omnes hoſtium cadaveribus permixti, nullo reſperſi ſanguine, quia vulnerum oſcula imber diluerat, ſed major vulnerum pars in facie & in jugulo, qua brevium pugionum mucro nudam & inermem cutem rimari punctim potuerat. Apparebat etiam a pedite cataphractis immixto plurima vulnera accepta fuiſſe. Præda noſtri ſuperiores fuere, dum rapinis potius quam cædendo hoſti operam impendentes, ſocios laborantes habent neglectui. Venere enim in prædam impedimenta hoſtium omnia, regiæ opes, regiique luxus abacus, ex auro & argento veſtimenta ambitioſiſſimi cultus, ſtragulæ oſtrinæ, aureaque periſtromata, & in his umbraculum criſpanti auro rigens, quod ad ſtrati, vel regiæ menſæ apparatum fuiſſe conſtat, magno licitatum, deinde ad cultum baſilicæ Parmenſis, quod inter donaria ſacra ſtatis ſolemnibuſque diebus oſtenditur tranſlatum. Hæc præda quæ ducentorum millium nummorum aureorum pretium exceſſit, ita avaritiam græculorum ſtratiotarum ſaturaſſe dicitur, ut dolabris pretioſæ artis vaſa ex auro argentoque refracta inter ſe partirentur.

24. Galli eo loco quo pugnaverant ſubdivalem egere noctem, adeo ſollicitudinis plenam, ut rex ipſe de media nocte a prætorii tentorio declinans cubiculum, luſtrandis excubitoribus & caſtris cum ceteris proceribus ac conſultationibus ad lucem uſque impenderit. Poſtmodum auſpicante matutina luce, petitis datiſque induciis ad ſepulturam interemtorum, & in ſimulatæ pacis agitationem, biduo exacto, eruta ingenti foſſa, ſuorum cadavera, quos enormis calceorum magnitudo, & veſtium variegata ſchemata diſcernebant, tumulavere. Noſtrorum vero præter nobilium aliquot cadavera, quibus diligentius perquiſitis juſta ſeorſum perſoluta ſunt, digreſſis inde exercitibus, in grandem ſcrobem publico munere, & unico funere ſunt condita. Sed Nicolaus Sanvitalis primæ lanuginis adoleſcens, & magnæ ſpei, ubi Bernardinum fratrem, ut diximus, occubuiſſe accepiſſet, amenti ſimilis, jam exhalantem animam ex jacentium congerie medioque hoſtium cuneo rapere feſtinavit, humeriſque impoſitum in citeriorem ripam, ubi tendebat anhelans, ſeque diſcrucians retulit. Et quia in eam diem unanimes & concordibus

ſtudiis inter ſe vixerant, non ſecus quam de Caſtore & Polluce fama ſit, pietati & dolori ſe ſatisfeciſſe non putavit, niſi cum famulitio teneram cervicem cariſſimo oneri ferendo flebilis ſubmitteret, nec ante remitteret nixum, quam ad municipium paternum, quod ſecundo illinc lapide diſtinctum erat, exanime corpus ſtatuiſſet.

25. Dimicatum eſt autem pridie id. Julias anno natalis Chriſtiani MCCCCXCV. Poſt hæc Galli poſt pacis ſpecie tenus habitam irritam mentionem, non conclamatis vaſis, nec ſigno profectionis dato, labore, vigilia, fameque macerati, fauciis in medium acceptis, quorum plerique in itinere morientes, ut congeſtitia terra in tumulos pluribus locis erecta reſtata eſt, paſſim via militari ſepulti ſunt, taciti abiere, adeo inedia laborantes, ut cibariis obiter non inventis, ſemiuſtulatos ſuos, & adhuc ſanguine ſtillantes manderent, nec prius remiſere iter, quam Aſtim in Liguribus a Gallis multos jam pridem annos regnatam, magnis itineribus apPlicuiſſent. *Hos ſubſequuti Veneti Sforti*aniNovaria a Sforzianis obſidetur. que, Alexandria Statielenſi, & Derthone urbibus præſidio firmatis, ne ab hoſte præterC eunte occuparentur; ubi hoſtis pacato ſimilis ſine maleficio *intra fines Inſubrium* evaſiſſet, Novariam verſus iter reflexere, ut urbem a Ludovico Aurelienſi duce, dolo & proditione occupatam, aſſererent. Obſidebat autem eam tum Galeacius Sanſeverinius, exercitus Sforziani dux. Ubi autem Veneti acceſſere, & Ludovicus Sforzia adauctus ſociorum copiis ad numerum XL. millium armatorum, illam aggere & munimentis cingere, ac machinarum æneārum molibus quaſſare cœperunt, numquam tamen vi manuque oppugnare tentavit, quamvis hortantibus D Venetis: credo quod Ludovicus Sforzia veritus eſſet, ne urbs opulenta magno ærarii ſui interimento in prædam avari militis abiret. Eam autem magna virtute indoleque deffendebat Ludovicus Aurelienſis, inanique ſpe & varia expectatione commeatus, & præſidii a rege promiſſi populum tenebat. Multi interim *conatus utrimque fuere*, & Carolus rex totis viribus ſæpius obſidionem ſolvere tenQui miſſum obſeſſis commeatum intercipiunt. taverat, ſed nequicquam. Tandem cum idem rex Aſta Vercellas contendiſſet, ſollicitatus querelis Aurelienſis, fame cum populo laborantis, mille & quingentos milites armatos cum ſingulo quoque ſacco moliti frumenti E dorſis equinis impoſito, ſilente nocte in urbem immittere tentavit. Facti certiores ſocii per exploratores, duabus turmis equorum cum peditatu ad viarum exitus occupandos miſſis, duce Gonzaga, in inſidiis ſtetere, tamdiuque ſubſtitere, quoad crepitu hinnituque equorum auribus hauſto, atque ab exploratoribus hoſtium adventu nunciato, ita eo in itinere, ut prius in caſſes incidiſſe ſe cognoſcerent, quam audiſſent, aut vidiſſent

A hoſtem inſidiantem. Itaque onere poſito, dum omnes fugam capeſſunt, plurimi capiuntur, farina, vinum, & quæcumque alimenta quæ jumentis importabantur intercepta, ſpoliati in caſtra deducuntur, & qui in ſcrobibus noctu delituerant, a milite prodente luce, tamquam ſagaci cane deprehenſi, deditione recepti. Premebatur nihilominus Novaria, & jam eo perventum erat, ut panis furfuraceus in deliciis eſſet, principeſque & ordinum ductores ac tribuni frumento quod parce diſtributim viritimque illis dabatur, elixo alerentur, nec in rebus venalibus niſi B adulterina moneta utebatur, fruſtra reclamantibus inſtitoribus, ac idcirco de deditione agi cœptum eſt. Cumque Ludovicus Sforzia Pacis inter cum Beatrice uxore, auſpicato & conſultis gens & Sforzianam factæ, reddition Novaſtronomis (ſine quibus ne auxillum quidem varia. promovebatur) quaſi inauguratus in caſtra veniſſet, per vanas altercationes legatorum, re aliquandiu diſtracta, in has pacis conditionis inter Gienſem heroa regis nomine, & Ludovicum Sforziam ventum eſt. Quod Deus optim. maxim. bene vertat regi Carolo Francorum & Ludovico Sforziæ duci Mediolani. Sic, uti convenit, ſine fraude, ſine dolo malo, pax inter eos perpes eſto. Novariam urbem cum agro Ludovicus Aurelienſis Ludovico Sforziæ ſtatim reſtituito, reſignatoque: pro ea Aurelienſis ab Ludovico Sforzia quinquaginta millia aureorum nummorum dinumerata capito. Arcem Genuenſem Herculi Alteſtino Ferrarienſi, in fidem, tutelam cuſtodiamque in biennium Ludovicus Sforzia dato. Stipendium arcis præfecto, qui in ea fuerit & præſidio menſtruum pendito. Claſſem, quæ in anchoris, bello Neapolitano manente, Genuæ rex ipſe habuerat, ab ipſo interceptam, bona fide reddito. Olli aliam claſſem quantamlibet, intra hujuſmodi biennium, illic ſtruere, ornare, armare, & quo volet navigare, jus liberaque poteſtas eſto. Captivos omnes duello captos de regio exercitu, Ludovicus Sforzia dimittito, fidemque publicam quo tuto hiſce finibus abire liceat dato; & abeunti ollis pro arbitratu jus faſque eſto. Ferdinando Aragonio ne præſidiator, ollique neve clam, neve palam, auro argentove, aut alio quovis modo, ſuppetias ſubminiſtrato. Johanni Jacobo Trivultio, uxori, natiſque oppida, patrimonium, patriamque & quæcumque ante perduellionem illius fuerant, integre reſtituito, in eumque utique nullæ expoſtulationes, nullæ judiciorum actiones ſunto. Rex Ludovico Sforziæ duci ducenta millia nummorum aureorum pridem commodato ſibi data, bona fide reſtituito. Pax nihilominus inter pontificem maximum & imperatorem Maximilianum & Ferdinandum Hiſpaniarum regem ac ſenatum Venetum, integra & inviolata permaneto. Amicos & fœderatos utriuſque neuter violato. Quæ inter

eos convenere ut volens jubensque uterque egerit, fecerit, promiserit, sine dolo, sine fraude, bona fide, prodeunte in verba concepta tabellione, ac solemni religione, Deo teste, ad aras que jurato probaverit, legitimeque adstipulatus fuerit. Sic soluta obsidione, Ludovicoque Aurelienſi urbem arcemque tradente, eoque cum turmis equestribus ac omni peditatu libere abeunte, Novaria quidem recepta est, secundo post mense quo obsideri cœpta fuerat, & pax inter Gallum regem & Ludovicum Sfortiam utcumque fuit.

Ferdinandus Neapolim & alias amissas civitates recuperat.

26. Per eosdem ferme dies, quibus ad Parmam dimicatum est, abeunte in ulteriorem Galliam rege, regiæ naves Neapolitana deditiorumque populorum præda onustæ, a Genuensibus qui suo & Venetorum nomine aliquas naves instruxerant, fuerunt interceptæ, & FERDINANDUS Aragonius, quem dixeramus in Tenariam insulam fuga elapsum, dein in Siciliam navigasse, post discessum CAROLI regis, Neapolim classe repetens, ejectisque Gallis, magno civium consensu & applausu receptus fuit, & Capua Aversaque, quæ quondam Atella, eodem tempore veluti ex composito Aragonia vexilla extulere publice, tum multarum aliarum civitatum deditio est secuta. Nam in ora Apuliæ Veneta classis oppugnata & capta monopoli ac direpta, multa alia loca maritima, quæ in Gallorum erant potestate, ad se traxit, & Aragonii in Calabria cum Gallis acrem pugnam pugnantes, superiores quidem armis fuere, non tamen Tarentum regionis Metropolim receperunt; sed tandem apud Ebulum Samo vicinum in Campania bello victi, majorem accepere cladem quam intulerant. Hac victoria elati Galli Neapolim invadentes, paulopost, re infecta, turpiter recessere.

Virginius Ursinus Gallis se adjungit.

27. Cum vero Ferdinandus rex proceres Columnenses, jam sibi ex professo hostes, re ita exposcente & amicitia & amplissimis principatus munere conciliasset, Virginius Ursinus, quem dissipato apud Capuam exercitu Aragonio, ad Nolam cum ceteris ducibus Ursinis cursu delatum superius diximus fecisse Gallis deditionem, & tamen diutius retentum, postquam captivitatem auro redemisset in Etruria, per id tempus Mediceos pernecessarios suos in patriam, qua exulabant, nequicquam restituere tentaverat. Deinde novo stipendio a Gallis inauctoratus, per Sabinos, Amiternos, sive Aquilanos, ac Pelignos in Apuliam profectus, Gallis se conjunxit, quæ res magnam curam Ferdinando injecit, de retinenda Neapoli sollicito, quamvis jam arces ab hoste recepisset. Erant enim hostiles copiæ longe validiores amplioresque quam

Ferdinandus potens celeberrimos Venetis oppugnat.

præsentibus viribus sustinere aut propulsare posse confideret. Itaque in re angustissima nova iniens consilia, Venetis Brundusium, Tranum & Hydruntum, oræ maritimæ portus celeberrimos in Adriaticum vergentes, auro accepto, oppignerat: ita & magno auri adjutus pondere, & armorum præsidio ex fœdere adauctus est. Nam Franciscus Gonzaga princeps Mantuanus, cum parte copiarū illo fuit missus, ac non multopost castra castris contulit. Eadem ferme tempestate & Neapolitanum regnum in partes abiit, & tanta laboratum est diversis locis discordia, iis rem ad Gallos trahentibus, illis ad Aragonios inclinantibus, ut etiam in apertis locis armis a factiosis dimicaretur. In Etruscis quoque Perusia urbs, & in Flaminia Cesena civilibus agitatæ seditionibus, mutuis & alternatis necibus se fœde conficiebant. Sed majus certamen circa Pisas ortum diu tenuit, Florentinis eam civitatem ad imperium revocare nitentibus, & Pisanis pro libertate vitam devoventibus, pro quibus Veneti stabant, libidine imperii propagandi illius urbis accessione; sed in Apulia, in qua major motus fuit, Gonzaga Aragoniis junctus, collatis sæpius cum hoste signis, feliciter pugnans, multis incommodis Gallos affecit, ac in Aversam quam receperant compulit, cumque longa obsidione gravarentur, tandem virtute Gundisalvi viri Hispani, qui eo bello multa & præclara edidit facinora, quibus apud Italos nomen ejus claruit, a Ferdinando Hispaniarum rege necessario auxilio missi, detractis molis frumentariis, & intercluså fugæ facultate, urgente inediâ, deditionem facere coëgit, his conditionibus, ut duces cum copiis incolumes dimitterentur: asservatus tamen Virginius cum filio Neapoli, præter icti fœderis leges, non multo post incolumi filio fato mortuus est. Galli per speciem interim classis reparandæ, qua in Galliam reportarentur, in ferventissima regione relegati, ex magna parte gravitate cœli tabescentes, mortem obiere; pauci qui superfuere in naves impositi patriam repetentes, dubium fraude an naufragio & jactatione obruti perierunt. Nec ita multo post Ferdinandus post receptam multo nixu Cajetam, & regulos, qui in Gallorum partibus fuerant, in fidem & gratiam, impunitate promissa, receptos, sub finem ætatis vi morbi, quem ad Abellam contraxerat, flore ætatis regnique pacati usu fructuque spoliatur, credo, optimo Deo illum miserato, ne summa videret excidia. Moritur autem ab Alphonsi parentis interitu anno necdum exacto, ab avi trieteride non plena, maximo sui apud populares relicto desiderio, cum esset maxime compositis moribus, integra fide ac constantia, continentia porro mira, liberalitate & gratitudine, honesti & pietatis cultor, ac supra ingenium paternum & avitum gravis & perhumanus.

Ferdinandi obitus.

28. Suffectus in regni sceptra Federicus patruus majoris Ferdinandi filius, omnium studio, sed sinistris avibus rex salutatur. Namque haud multo post regno excidit, in

Federicus rex salutatur.

captivitatem conjectus a victore, in qua & vitam finivit, ut suo & loco dicturi sumus. Ita triennio variatum est sexies regibus in regno Neapolitano, donec ad Hispanos devenit summa rerum. Vide quos ludos sibi faciat fortuna: & quisquam qui vel paululum sapiat, hujusmodi fortunæ blandimentis fidem habeat aut insolescat.

Novi in Italia motus.

29. Commiscebant interea totam Italiam alii tumultus, & novi bellorum motus glisce-bant. Transmiserat Gallus in Italiam Johannem Jacobum Trivultium cum equitum plerisque turmis, qui ab Asta urbe, cui insederat ut bellum Insubribus inferret, quamvis inter illos pax parum fida intercederet, aut ut inclinatis in Neapolitano regno rebus opitularetur.

Maximiliani irriti conatus.

30. His ferme temporibus Maximilianus Cæsar in Italiam descenderat, Ludovici Sforciæ impulsu, & Veneti consensu; qui tamen ab initio hujusmodi consilium non probaverant, modico sane armatorum comitatu, dum sperat Florentinos cum Gallis sentientes vel sola nominis majestate in suas partes trahere: verum irriti & casſi fuere conatus, & frustra habiti, namque per Derthonenses Apennini jugo separato, Genuam delatas, mox illinc classe Liburnum munitissimam arcem portus Pisani, quod Florentini tenebant, sub autumni tempus importunum & procellosum navigavit, ventis jugiter adversis. Stans itaque in anchoris, machinis præliaribus a mari oppidum quassabat. Verum sævis tempestatibus jactatus, regredique compulsus, a proximo portu quo terram tenuit, per Parmensium juga nivosa hyeme, nec viso quidem inter eundum redeundumque Mediolano, qua venerat in Germaniam rediit.

Alexander papa arma movet in Ursinos.

31. Perstringo hoc loco Alexandri VI. pontificis maximi arma ductu Borgiæ, tum sacri ordinis antistitis, in Ursinos magna fiducia & libidine illos opprimendi mota. Fuerat illi animus totam ejus familiæ ditionem, latam illam quidem exscindere, quod Gallico tumultu contra se a Gallis stetisset; sed inveteratum odium, ab Calixti patrui olim summi antistitis Romani obitu contractum, tunc potissime ex occasione Virginii Neapoli in custodia defuncti crudescens, acriores ultionum stimulos accendebat. Itaque vehementius in illam gentem invectus Borgias, multa illis oppida expugnaverat; sed cum infestius Bracciano oppido imminet, quod Roma XXIV. millibus passuum abest, resque in summum prope discrimen deducta esset, diuturnæ obsidionis difficultate, quam tamen Bartholomæus Albianus in eam diem fortiter sustinuerat, tandem a Carolo Ursino Virginii filio, qui recens a Gallia advenerat, quique armorum auxilia undique contraxerat, longe minoribus copiis funditur fugaturque. Conati sunt Guido Urbini dux, & Petrus Gonzaga, qui pontificium merebant stipendium, pluribus locis aciem restituere; sed res semel inclinata non solum sisti non potuit, verum etiam ipse Guido bellatore excussus equo, in ipso casu ab hoste comprehenditur. Hinc factum est ut bello pacem præferens Alexander pontifex libenter Ursinis conciliatus est.

Ursinorum & Columnensium bella civilia.

32. Nec me tenebunt diutius Ursinorum & Columnensium bella civilia, in quibus non de gloria nec de imperio, sed de vita certatum est: adeo odia inter eos invaluerant & partium intestinæ seditiones. In eo conflictu cum Columnenses, multo respersо sanguine, non tam viribus quam arte superiores evasissent; tamen quia Ursini vires reparaverant, fortunam rursus tentaturi, apparebat illud certamen funestum & exitiale utrisque futurum, quod utrimque res obstinatius gerenda videretur. Eam ob rem magna parte Italiæ in ejusmodi expectationem pendente, non defuere amici adjuvatores, qui positis armis efferatos animos in pacis amicas conditiones emollirent. Suspecta fuit pontifici duarum factionum concordia, quamvis earum principes diversa secuti auspicia, peregrinam militiam obierint. Erat is annus a partu Virginis MCCCCXCVI. cum tertia diei hora V. calend. Feb. tria saxa adusti coloris magnæ molis inter Corsinam & Brentonorium, quod Brentium nuncupat Caius Plinius, in Æmilia ingenti fragore cœlo cecidere, quamquam fortassis unicum fuit, sed ipsius casus pondere potuit in tria fragmina diffluisse: quod multorum testimonio comprobatum ac receptum non incredibile videri debet, cum & pluisse sæpe alias legamus lapidibus, & saxa volitasse auctor sit Livius aliique; & in Thracia proditum est saxum vehiculi instar e cœlo collapsum, quod Anaxagoras Clazomenius futurum multo ante prædixerat. Et Othone primo imperante, saxum miræ magnitudinis, sæviente ventorum turbine & procella, cecidisse legimus. Auctorque est Eusebius in Gallia glaciem durissimam pedum XII. longitudine cœlitus lapsam sub annis salutis nostræ DCCCXXV. quamvis autem hoc animadvertere aut procurare religiosum sit apud nos, tamen res in religionem versa, credita est clades pertendere futuras & jamjam imminentes; quam religionem animorumque trepidationem augere plurimum visa est Adriani moles Romæ, quæ sancti Angeli dicta est, cœlitus tacta & magna parte adusta, quam protinus Alex. pontifex mira celeritate Tyberi circumducto instauravit & auxit.

FRANCISCI CARPESANI Flaminis Parmensis commentariorum

LIBER III.

1. FUit per ea tempora Italiæ status aliquanto pacatior, finisque malorum

Florentini Pisanos sibi subjicere tentant.

creditus est vulgo advenisse. Nam CAROLUS rex abjecta cura belli Italici, quod jam in Apulia suorum excidio debellatum esset; cum Ludovico Sfortia pace renovata, Johannem Jacobum Trivultium in Galliam revocaverat, unus tantum stipes semiustulatus residuus ex Gallico incendio, adhuc fumans, tantas postmodum flammas excitavit, ut omnis protinus Italia conflagrarit. Magnum inierat certamen Florentinus populus cum Pisano, illo Pisanos ad imperium retrahere conante ab eo tempore a se alienatos, quo CAROLUS rex in Campaniam proficiscens, eas libertate donaverat. Hoc pro libertate retinenda vitam paciscente, Venetorum patrocinio & opibus, qui non tam favebant eorum libertati, quam insidiabantur; faciebantque propterea durum negotium Florentinis. Egerat Ludovicus Sfortia & socii cum Venetis, ut Pisanorum causam omitterent, deductis inde præsidiis, cum illi se non neglecturos amicorum libertatem assererent, & aurum quod publice in ea expeditione dependerant sibi rependi resarcirique reposcerent, per flexiloquas ambages parum pacati responsi dimissis legatis, Ludovicus Sfortia & Florentini operam dederunt, ut Apennini angustiæ, quibus ex Flaminia in Etruriam iter erat, diligentius asservarentur, transituque Veneta auxilia intercluderent, ac interim Pisani bello urgerentur. In id non parvus comparatur exercitus, præficiturque illi Vitellius Typhernius, vir bello strenuus, qui continuo Pisanis intra mœnia coërcitis, urbem gravi obsidione cingebat, & machinis muralibus noctes dieſque discutiebat. Laboratum est vehementer utrimque & obstinatis animis. Pisani enim de libertate magis quam de vita solliciti, in nullo sibi deerant, nec pensi quidquam habuere animam periculis objectare, ut incolumis esset libertas, neve viventes servirent, jugum Florentinorum quod prope annos centum perpessi fuerant perosi. Cum autem Veneti subsidia amicis laborantibus nequicquam per Senensium agrum immittere tentassent, tandem Bartholomæus Albianus, Veneto sacramento recens inauctoratus, per Lavernæ montem in Cassinatem agrum improviso irrupit. Verum male auguratus, nam dum negligentius & cunctatius illic omnia aguntur, nec in hostem continuo, ut res & tempestas exigebat, signa inferuntur, duce ipso circa oppugnationem nonnullorum oppidorum tempus terente, in brumam anno jam vergente, coactus est in hostico, sed disjunctim & sparsim hyemare. Qua re comperta, Vitellius relictis aliquot cohortibus in obsidio, hostem dissipatum & per diversas stationes in ea domorum infrequentia dispalatum incautumque non uno loco opprimit, & carptim spoliat. Unus Carolus Ursinus cum suo equitatu quia longius periculo aberat, evasit. Victi totius Italiæ consensu Veneti arbitrio Herculis Attestini bello abstinuerunt.

Ludovicus XII. rex Francorum Insubrium principatum repetit.

2. Verum cum id vulnus & injuria in eorum pectora altius penetrasset, quam præ se ferrent, ac Ludovico Sfortiæ id acceptum referrent, cum LUDOVICO Aurelienſi, qui paulo ante ex CAROLI repentino obitu, duodecimus ejusdem nominis fuerat rex a Gallis salutatus, fœdus ineunt, quo Ludovico Sfortiæ pernicies destinabatur. Aurelienſi enim certum erat Insubrium principatum bello repetere, quem sibi deberi a proavo Johanne Galeacio vicecomite jure hereditario dicebat, cujus ex filia VALENTINA nomine pronepos erat, ac propterea in nummismate & in diplomatis se ducem Mediolanensium a prima juventa inscripserat. In hoc autem fœdere Cremona urbs in Transpadanis celeberrima, Veneto pretium societatis despondetur. Hinc itaque prima labes, & omnis malorum causa, quibus funditus corruit, Ludovico Sfortiæ fuit, sed nec ipsis Venetis quidem diu bene vertit adepta Cremona. His fœderum conditionibus, regnum illius ipsius Ludovici Sfortiæ, qui ante hac Italici status moderator & arbiter, non conturbator credi voluerat, quique haud sano consilio Gallos cis Alpes primus invexerat, in prædam potentiorem abiit post annum LX. quo Italia Galli exacti fuerant. Nam qui interim in Italiam venerant, alieno auspicio & stipendio militaverant; nempe qui a Francisco Sfortia Ludovici patre, Genua ante plures annos ejecti fuerant, potius seditiosæ urbis parti in auxilium venerant, quam ad imperium. Hoc autem novissimo Gallorum adventu, Galli Mediolanum cum reliquo principatu, Veneti Cremonam nobilissimam Romanorum coloniam, omniumque ejus oræ opulentissimam sibi adscivere, mox ipsi quoque præda aliis futuri: quasi enim alius alium truderet, totius ditione continentis privati, intra palustres aquas non multo post sunt coacti, ita ut in cassis quas aliis callide & ambitiose tetenderant, non immerito deciderent, auctore & quasi ultore omnium ante malorum quibus exagitata fuerat Italia eodem LUDOVICO rege.

Ludovicus rex copulata sibi Anna Britanniæ ducis filia, arma movet in Ludovicum Sfortiam.

3. Is enim ut primum regnum firmaverat finitimorum omnium pace, tum repudio prioris uxoris ætate infœcundæ, cui novo more nescio quomodo ex æquo adstipulatus fuerat ALEXANDER pont. max. ANNAM FRANCISCI ducis Britanniæ citerioris unicam sobolem morte CAROLI regis prioris mariti, ab eadem uxore, ut Galli suspicantur, veneno sublati, pactis cum isto secundis nuptiis, quod regnum dotale secum traheret, maritali lege sibi sociavit. Mox in Italicam societatem intentus, Aloysio Liginio, Heraldo Obigino, ac Johanne Jacobo Trivultio ducibus æquato imperio trans Alpes missis, cum magno apparatu exquisiti exercitus & fusilium machi-

narum in Ludovicum Sfortiam movet, castris apud Astam in Liguribus primo accessu locatis. Veneti eodemmet tempore Cremonam malefidi agminis & ductoris præsidio destitutam, cum omnibus quæ circa Adduam sunt oppidis suam faciunt. Regis legati, quod vix apud posteros credibile fiat, accepta per proditionem arce Aracii, in arduo colle sita, Annoriumque in citerioris Tanari fluminis dorso oppositum e regione alteri arci, non longe ab Astensibus, unius diei expugnatione capiunt. Alexandriam Derthonemque vacuas, delabentibus turpi fuga præsidiis, & quidquid ultra citraque Padum & plagam Ticinensem patet, tam celeriter occupant, ut hostilem fugam cursu pene præverterent, tanta omnes incesserat trepidatio. Tum Ludovicus Sfortia rerum tam subita inclinatione consternatus, & animo concidens, quia nimirum videret se duorum potentissimorum exercituum armis hinc & hinc gravari, a suis prodi & deseri, Ascanium Mariam germanum fratrem, supremi ordinis antistitem, quem jam dudum Roma evocaverat, cum liberis & magno auri pondere per Novocomensium saltus in Germaniam præmittit, arcem præsidio valido firmat, & ad sustinendam obsidionem quam longissimam communit: nam nulla machinarum vi expugnabilis erat; Bernardinoque Curtio Papiensi dat servandam. Triduo deinde antequam Mediolano abiret, cives pro concione affatus, in hunc ferme modum verba fecisse dicitur:

Sfortiæ ad Mediolanenses oratio.

» Cum nobis, viri Mediolanenses, pro rerum » difficultate nova sint ineunda consilia, operæ pretium visum est vobis illa communicare, quando causa communis est, eademque navi vecti, iisdem ventis & procellis agitamur. Quoniam igitur adversus fœderatorum infidam societatem & parricidarum scelus, qui suis penatibus arma inferre non dubitarunt, domestica arma non suppetunt, » nisi nos mœnibus velimus tueri, iter, Deo » auspice & tutelari nostro divo Ambrosio, » mihi in Germaniam proposui ad MAXIMILIANUM imperatorem, ut mecum reveham » socii agminis auxiliarem manum, quo hanc » pestem a nostris cervicibus amoliamur. Externis armis externa arma sunt propulsanda. » Verum dum propero, omnium opinione » celerius redituros, per superos vos testor, horto torque, ut hanc communem patriam, in qua » vobiscum ab incunabulis alitus sum & instituta, quam Franciscus Sfortia pater tot rebus gestis ab hostium injuriis toties vindicavit, quam ego tot annos in profunda pace » fovi, ornavi, & opum affluentia florentissimam reddidi, in adventum meum servetis » incolumem; ne vos hostium terriculamenta » ab fide avertant, quos scimus primo impetu » ferociores; ubi furor refriguit, semiviros. » Non prava parricidarum consilia fidei constantiam convellant, qui proditionibus assueti per transfugia ab Aragoniis deficientes, in gratiam Gallorum malis artibus insinuati, in patriam pariter, quam per scelus amiserunt, scelere reditum vestra pernicie sibi astruunt. Si vero fortes fueritis, & immoti steteritis, promerebimini de patria, de parentibus, de uxoribus, de pignoribus, de necessitudinibus, de fortunis, denique de vobismetipsis, quæ omnia diu sola virtute tuebimini. Sin (quod abominor) intra mœnia intulerint pedem hostes, omnia ista pessumibunt, ludibrio erit matronalis integritas, & pudor virgineus falacissimo hominum generi, & per temulentiam, vitium nationi genuinum, superbiamque, jus fasque omne confundetur. Si in contubernium, quod necesse erit, recipiantur, omnia, vobis incassum reclamantibus, illorum libidini, impuritati, atque avaritiæ parebunt & patebunt, ut sunt imperiosissimi. Quod si corpora non violent, bene vobiscum actum dicetis. Neve hæc creditu indigna videantur, ponite vobis, quæso, ante oculos, quæ triennio ante passos Neapolitanos & Campanos quamvis dedititios fama audistis, utque eorum bona, non solum in prædam abacta, verum etiam pudicitia expugnata, & in publicos turpissimos quæstus ususque molliissimos vulgata fuerit: quamquam hoc facinus detestabile Deus vindex aversatus, pœnas ab illis patriam repetentibus naufragio exegerit, præter eos quos ferrum absumsit. Quamobrem si sapitis, his copiis quas vobis hic relinquimus, & amica arce quam munitissimam cernitis, incommoda aliquot dierum fortiter tolerabitis, donec valido amici & pernecessarii imperatoris, cujus interest & suum jus & beneficium tueri, fortissimæque nationis auxilio, quæ Gallis concurrere solita, etiam vincere usquequaque didicit, & injuriarum ultor & patriæ assertor advenero. » Dimissa concione, nec expectato aliquo responso, nam urgebant curæ, & vis ab hoste invalescere nuntiabatur, & circa urbem omnia ad seditionem spectare, intus tumultu commisceri compererat, fugam subornans, Mediolano Novum-Comum transiit, inde Lario lacu enavigato, per Tellinam vallem in Germaniam transiit anno a partu Deiparæ MCCCCXCIX. ab eo autem quo Franciscus Sfortia pater Mediolano potitus fuerat, quinquagesimo. Urbs hostium accessu & principis Ludovici Sfortiæ recessu attonita, mature sibi consulens, Gallos sponte intro recepit, & haud multo post præfectus arcis Bernardinus Curtius, cujus imbellia & animi ignavia nihil deterius dici queat, turpissimam deditionem pactus est, qui vel sedens & oscitans, obsidionem in arce industria, commeatu, & præsidio omnium munitissima, vel biennium sustinere potuisset.

Mediolanum Gallis fedidit.

4. *Sub idem tempus*, quo Ludovicus Sfortia profugus in Germaniam se receperat, MAXIMILIANUS Helvetios finitimos, genus bellicosissimum,

Maximilianus bellum infert Helvetiis.

bellicoſiſſimum, pugnando exercebat, & ab illis pariter exercebatur mutuis cladibus. Hi quamvis in priſca Galliæ deſcriptione annumerentur, inter Germanos tamen linguæ commercio & Rheni affinitate nunc habentur. Multæ utrimque clades vario eventu, Helvetiis tamen ſæpius ſecundo. Id autem bellum a Ludovico Gallorum rege conflatum & fatum credebatur, ne Cæſar Sfortianis laborantibus opem ferre poſſet, domeſticis armis implicitus.

Venetis Turci.

5. Interim autem dum Veneti pro Cremonenſium ditione ſibi vindicanda occupantur, Turcorum vaſtatoria manus, in quibus fuerunt octo millia equitum levis armaturæ, Carnos, qui nunc Forojulienſes habentur, Venetis parentes, fœdiſſima populatione vaſtabant, & præter prædam inde abactam, etiam in vicos & pagos incendio, & in mortalium corpora ferro graſſabantur, quod numquam alias in hujuſmodi incurſibus a Turcis tentatum fuerat. Cauſam hujus tumultus Veneti Ludovico Sfortiæ imputavere, qui ut Venetos domeſticis laboribus exercitos a ſe averteret, auctor fuiſſet Bazetæ Turcorum regi, violato pacis fœdere, quod inter illos ictum fuerat, terra marique belli concitandi. Nam præter id claſſe utrimque parata, magno conamine inter eos certatum eſt, & Naupactum urbs Ætoliæ vetuſtiſſima, oræ maritimæ imminens, quod luxato nomine Lepanthum noſtra ætas nuncupat, Venetis ademta. Nec multo poſt Metone in Achaia, acriter quidem defenſa, ſed multo acrius expugnata, cum Coroneo & Junco urbibus in Peloponeſo, ab eiſdem Venetis erepta ac direpta fuit, ut fortunam adeptæ Cremonæ in continenti in parvi temporis uſuram non ſolum æquaverit, ſed etiam exceſſerit rerum maritimarum jactura.

Cæſar Borgia Catharinæ Sfortiæ, quam expugnato Fordivio capit.

6. Ludovico Sfortia ejecto, in Italia omnes bellici tumultus reſediſſe videbantur, nihilque uſpiam bellorum fuiſſet, niſi novi motus ſemina a Cæſare Borgia jacta totam Flaminiam armis implicaſſent. Erat is ALEXANDRO VI. pont. max. prognatus, ſub initia adepti pontificatus a patre in ſummorum ſacerdotum collegium adſcitus, multoſque annos ſub ovina pelle lupum diſſimulaverat, ſed cum animi vaſtitas intra pectoris clauſtra cohiberi jam non poſſet, non minus parentis impulſu, quam ſuopte ingenio, regnandi libidine ſe dignitate abdicaverat, & pro trabea cardinei muricis, thoraca induit æneum, pro coccineo apice, criſtatam galeam. Mox uxorem Gallici nominis alto proſatam ſtemmate ſibi matrimonio copulat; dein magno comparato exercitu, appendice Gallorum equitatu, quem in Italia reliquerat Ludovicus rex, in Catharinam Sfortiam olim Hieronymo Riario nuptam, quæ Forum-Livium & Forum-Cornelium, Imolam dicunt, in Flaminia ditione tenebat pro filiis, movet

A prætextu tributi eccleſiæ Romanæ non ſoluti, ac occupato prius Foro-Cornelio, Forum-Livium acri obſidione cingit. Illa nimium ſupra ſexum ferox & ſtrenua vim fortius repellebat, ac in luſtrandis mœnium cuſtodiis, animandiſque propugnatoribus, die noctuque militis, nedum imperatoris officium impigre obibat. Tandem exantlatis utrimque multis magniſque laboribus, & prævalente Borgianorum violentia, civitas vi capitur, mox arx magna vi expugnatur. Ipſa Catharina, ut erat ferro accincta, capta, & cum filiis adoleſcentioribus in captivitatem
B Romam deducta, in mole Adriani aliquandiu aſſervata, demum relaxatur. Debellatis Riariis, arma victricia in Faventinos vicinos traducuntur, quibus dominabatur Aſtorgius Manfredus; hic erat medius inter Foro-Livienſes & Cæſenates, & hos quidem Cæſar cum arce, pontifice connivente, fecerat ſuæ poteſtatis: ſed quamvis Aſtorgius excidium ſibi imminere non dubitaret, tamen a deſperatione animos ſumens, experiri extrema maluit, quam urgenti hoſti turpiter manum dare. Vallantur obſidione Faventini ſub initium bruinæ, quaſſantur mœnia, admotæ muris ſcalæ, & res in ſummum
C diſcrimen deducitur, ſubeunte mœnibus hoſte intrepide, verum non mediocri accepta ignominia, majore vi repulſo, multique ſtrenui & clari viri de Borgianis ſub ipſis mœnibus ſternuntur, inter quos Honorius Sabellas Romana propagine & armis illuſtris occubuit, cujus cadaver repetitum a Faventinis, matri non gravate reſtituitur. In eo certamine tanta fuit apud Borgianos animorum conſternatio, ut ſi a Faventinis facta fuiſſet eruptio, facile potuerit hoſtilis exercitus fundi atque ad internecionem cædi.
D Hac clade & frigoris inclementia, quam exaſperaverat immodicus nivium caſus, obſidionem ſolvere coactus Borgias, in hyberna ad Cæſenates abiit, nec tamen otium per hyemem aut laxamentum Faventinis datum eſt. Nam ab ſecundo lapide, qua parte Forum-Pompilii (Forum-populi vulgo nuncupatum) ſitum eſt, Michaël Valentinus illic ſtativa habens, a Foro-Livienſibus vero Remigius Lorqua Hiſpanus cum peditatu aſſiduis incurſionibus Faventinos infeſtabant, neque obſeſſorum quemquam pedem mœnibus efferre patiebantur. Ubi autem ver ap-
E parere cœpit, majore conatu civitas repetita innumeris tormentorum pilis majoribus quatiebatur, donec magna murorum parte diſjecta, Cæſar obſeſſos adortus violentius, non ſolum milites ad pugnam adhortatus eſt, verum ipſe inter primos audacter muros ſubiit. Nec tamen propterea Faventini perterriti ſubeuntibus ceſſere: ſed pro communi ſalute & in principis gratiam corpora ſua periculis opponentes, non tantum ſuſtinuere impetum, verum etiam ſummotis hoſtibus

Faventiam obſidet.

Obſidionem ſolvit.

Repetitæ obſidione.

ad duo millia hoſtium neci dedere; non tamen ipſi cladibus exortes fuerunt: verum quos nec ferrum, nec tormenta, nec ulla vis alia humana domare potuit, fames omnium neceſſitatum longe violentior, ad deditionem tandem compulit. Itaque per legatos impunitatem pacti, & quantum per eos licuit ſaluti principis conſulentes, in Borgiæ venere poteſtatem. Aſtorgius, cui inter fœdera expreſſe inter ampliſſimos ſenatorii ordinis patres locus fuerat promiſſus, Romæ haud multo poſt cum fratre indigniſſime & perquam immaniter necatus periit.

Urbs fame in deditionem venit.

Borgiæ conatus in Bononiã fruſtrati.

7. Recepta Faventia, ad ſubjugandum Bononiam animum adjiciens, ſigna continuo in illam convertit. Ubi vero agrum Bononienſem attigit, omnia terroribus complebat, quo cives ad ſeditionem inteſtinam concitaret contra Johannem Bentivolum, qui rerum illic potiebatur. Sed cum a tyranno intus omnia mature proviſa, & cives in officio eſſe comperiſſet, ſpe urbis potiendæ fruſtratus, quam ei fecerant nonnulli cives per litteras & nuntios, ab incœpto deſtitit: tantummodo aurum & turmas auxiliares in uſus belli imperata a Johanne exegit. Iratior autem Borgias, iis quorum fiducia bellum intuliſſet, miſſis ad Johannem litteris proditionis indicibus, auctor fuit ut in pleroſque honeſtos cives convictos, ſupplicio animadverteretur. Ipſe Bononiam omittens, in Etruriam copias traduxit, eo conſilio, ut rumor tenuit, quo Plumbinum, novi nominis in ora maritima oppidum, & bello & pace commodum, quem locum Romanæ eccleſiæ rerum ſcriptores ante trecentos annos Plumbinariam dixerunt, occuparet. Hæc per eam ætatem geſta fuerunt; verum cum media fere hyeme quæ anteceſſerat, Foro-Livium Cæſari acceſſiſſet, eſſetque ibidem adhuc Gallicus equitatus in hybernis, tumultuari Mediolani cœptum eſt per eam nobilitatis factionem, quæ Trivultio adverſabatur. Non enim ferre poterant optimates illi Johannem Jacobum Trivultium conterraneum & civem, qui & natalibus & fortunis eſſent meliores, rerum gubernacula moderari, & ſibi præeſſe, quamvis bellicæ virtutis gloria illum commendaret, ſi non exagitaſſet invidia; & alioquin rumor popularium auribus non ingratus percrebuerat, Ludovicum Sfortiam reditum in patriam moliri, jamque eum non pœnitenda manu iter ingreſſum. Itaque per noctes domeſticatim inibant cœtus & conſilia novandis rebus texebantur, vicatim ſeditionum voces per ſuppoſititios ſubornatores jactabantur, arma factioſus quiſque etiam interdiu cum ſtipatorum manu licentius contemptimque tractabat. Quibus compertis Trivultius, efferati leonis inſtar fremens, unum alterumque de ſeditioſorum turba correptum ſuſpendio necat, juſſitque publicis locis pendere, ut hujuſmodi ſpectaculo poneret tumultus:

Mediolani factio nobilium in Trivultium.

mox concione advocata, in hanc ſententiam verba fecit. « Non poſſum non vehementer admirari, cives, veſtrum pleroſque ita a ſe receſſiſſe, ut otio tumultus præferant, & quieti turbas, ſeditionumque ſemina in pacatiſſima civitate ſpargant. Quo enim tendant illa veſtra nocturna conciliabula? illa ferri diurna licentia, ſubmiſſi turbarum concionatores & anteſignani, ad irritandos imperitæ plebis animos, quæ velut cymba inter fluctus, ventorum flamine, parvo momento hac vel illac impellitur. Certe, ut cernere eſt, obliti eſtis veſtrum, obliti tot beneficiorum, quæ a rege benigne & largiter in vos pervenere, qui remiſſione portorii tributique urbani, fiſci rationes diminuit, qui tam familiariter inter vos fuit, ut menſa & convictu exciperet; qui genus maternum a vobis recenſens, a vicecomitum antiqua ſe ortum ſtirpe jactitat, vult & palam prædicat? Quid ulterius expetitis? quid vobis vultis? Si pertæſum eſt præſentis fortunæ, vobis profecto amiciſſimæ, videte, quæſo (ſi quis vobis ſenſus ineſt) ne profugi tyranni vana ſpe decepti, res veſtras in ſummum diſcrimen adducatis. Nam qui integris viribus adhuc, ne conſpectum quidem regii exercitus ſuſtinuit videre, quomodo regia, & arcibus munitiſſimis excluſus, & armis exutus afflictas & profligatas res reſtituet contra potentiſſimi invictique regis opes florentiſſimas? In ipſo enim illud videre videor, ut ſi quid temerarium auſus fuerit, in pedicas imprudens incidat. In vobis vero, ut ad naturam luporum, quos cervarios vocant, propius accedatis, qui poſt longa jejunia repertas ægre carnes ubi mandere cœperint, ſi quid caſu reſpiciant, ejus quæ præ oculis eſt prædæ obliviſcantur, & immemores præſentis copiæ, eant quæſitum, quam reliquerint, ſatietatem, pro carnibus umbram ſecuti. An vero a me quidquam admiſſum querimini, quod veſtris rationibus obſtiterit, vel animos merito offenderit? Num violentius quidquam in meo magiſtratu & præfectura in meos cives egi, quod invidiam pepererit? In privata ſi quidem natus fortuna non ignarus malorum, omnibus quantum in me eſt adeſſe & ſuccurrere, nemini injurius eſſe didici. Præter regiam perſonam quam præfero, in ceteris ſupercilium omne remiſi, omnibus officiis privatim & publice urbis obvius, ut profecto injuſti omnium judicio exiſtimari poſſitis, ſi mihi hunc honorem invideatis, quem commune vobis eſſe ſtatui. Quamobrem pro patriæ communis, quæ vobis debet eſſe cariſſima, pietate, amice moneo; & pro imperio edico ut ab armis recedatis, ſopitiſque tumultibus, in officio maneatis, multitudinem vos qui auctoritate præſtatis in obſequio contineatis, fidem regi de vobis promerito juratam ne violetis, ſi vobis, ſi otio publico conſultum eſſe cupitis. Nam ſi ali-«

Trivultii oratio ad cives.

» quid contumacius tentare vos ſenſero, dabo
» operam, ut plus animi mihi, & regi plus
» virium in defendenda regia majeſtate, quam
» vobis in offendenda fuiſſe, veſtro magno ma-
» lo experiamini.

Qui dimiſſo Mediolano Novariam ſe recipit.

8. Concione dimiſſa, cum non magis proficiſſet, quam qui arida nutrimenta lignaque flammis ingerendo incendium reſtinguere quis ſe putet; invaleſceretque propterea gliſcentis ſeditionis ardor, primum ferro decernere cogitavit: ſed cum imparem ſe cerneret multitudini debacchanti, neque in media urbe tute ſedere poſſet, cum uxore & filiis, in arci locum proximum conceſſit cum quatuor circiter armatorum hominum millibus. Dein Mediolano per noctem abiens, Novaram ſe recipit, eo conſilio ut revocatis e Flaminia Gallorum copiis, & Venetorum ſociorum auxiliis accerſitis, Mediolanenſes ad imperium retraheret.

Ludovicus Sforzia Mediolani exegtus.

9. Dum Mediolano cedit Trivultius, ſucceſſit illi ASCANIUS MARIA Cardinalis, Ludovici Sfortiæ germanus frater, maximaque animorum exultatione & applauſu populari excipitur. Interea Veneti Laudem Pompeianam præſidio occupabant. Aſcanium biduo poſt ſequitur LUDOVICUS frater, cum octo Germanici Italicique nominis, in queis fuere Helvetii, peditum, equitum duobus millibus, Mediolani gratanter exceptus. Nec diu ibi immoratus, Ticinum petiit, hinc protinus mittit aliquot turmas, quæ Novariam a Gallis tentam cum arce occupent. Brevi & urbs & arx, quod eſſet immunita, digreſſo inde Trivultio, in deditionem venere, incolumi dimiſſo Gallorum præſidio. Ipſe Ludovicus Papia movens, Viglevanum haud multo poſt recepit. Tum vero nonnullas Germanorum centurias ductu Johannis Caſalis, ad recipiendam Mortariam, oppidum non ignobile, ire jubet. Forte fortuna accidit, ut Galli, qui Novaria incolumes ſub fide publica fuerant dimiſſi, obiter Germanis occurrerent; quamquam non deſint, qui id conſulto & aſtu Trivultii factum contendant. Hos inexploratos & ſecuros animis quaſi per pacatum inter nemora & impediora loca Morariam verſus iter facientes, Galli adorſi fundunt, & occidione cæduntur. Johannes ductor in captivitatem avectus, pretio ſalutem redemit. Ea clades Sfortianis illata excidio initium dedit. Nam cum Germani odio genuino ſemper ab Helvetiis diſſideant; profecto illa peditum fideliſſima manus, tamquam prætoriana cohors Ludovico Sfortiæ poterat eſſe ſalutaris, ſi illi affuiſſet, cum Helvetii illum prodiderunt, & fortaſſe deſertores a flagitio deterruiſſet.

Germani a Gallis cæſi.

Galli Helvetios a Sfortianis abducſit.

10. Interim ex Flaminia equitatus Gallicus magnis itineribus veniens, primum ex itinere Derthonem portas claudentem dirigit, tum Trivultio ad Aſtam jungitur, qui tamen præſentibus viribus diffiſus, cum longe potentiore hoſte, cujus opes in dies augebantur, manum conſerere dubitavit. Nam Veneti, qui Gallo ſuppetias veniebant, irrumpere nequibant per Mediolanenſes, qui media quæque tenebant. Protinus vero Galli ad ſuas artes converſi, Helvetiorum peditatum, qui ſtipendia LUDOVICI SFORTIÆ merebat, ad ſtruendas eidem Ludovico fraudes & inſidias, auri allectum illecebra induxerunt. Sunt Helvetii inter Celtas priſca deſcriptione Gallis annumerati: ſed linguæ commercio & vicinitate Germanis nunc adſcripti, a finibus Conſtantienſium, Baſilienſium, Seduñenſiumque, uſque ad ortum fluminis Rhodani pertinentes. Ea latitudo ad finem lacus Lemani, ubi eſt pons, ſpectans, apud ipſos Helvetios anguſtior fit. Hi XII. pagos, quemadmodum per ætatem C. Julii Cæſaris, incolentes, uſque ad Sequanos, qui nunc Burgundii, limites ſuos extendunt, vergenteſque ad Italiam, poſſident agros, qui nunc vulgato nomine ſancti Gothardi dicuntur, in Novo-comenſium finibus, a nonnullis etiam Suitenſes priſco verbo, noſtra ætate fœderati nuncupati. Viri omnino pedeſtri certamine pugnaces & feroces, ſed fidei lubricitate in mercenaria militia infames. Suitenſium ergo, qui poſt compoſitam inter MAXIMILIANUM Cæſarem & eos pacem, militiam Ludovici Sfortiæ ſecuti fuerant, perfidia freti Galli, primo levia iniere certamina, quibus quidem ſuperiores evaſerant, dum ceſſim Helvetii ex compoſito recedunt. Demum noviſſimo congreſſu ferocius Sfortianum agmen gravantes, cum jam Helvetii non diſſimulanter pugnam detrectarent, fariſſis, quibus longioribus utuntur, humi ſtratis, argumentum ſcilicet defectionis & ſceleris, impediri ſe neſcio qua religione & edicto tribunorum ſuæ gentis, eos ab hujuſmodi militia revocantis, cauſati, ſed potius a ſuis ductoribus, qui præſentes erant, prohibiti, in Sfortianos magna vi irruunt, qui fraude jam facta palam diſſipati, fuga ſuæ ſaluti conſulebant: ſed tamen multi cæſi, plures intercepti vivi, LUDOVICUS ægre dilapſus, dum receptui locus non eſſet, ubi ſe irretitum, nec poſſe evadere cognoſcit, ab Helviticis partibus contendere cœpit, ut ſaltem ab eis in locum ab injuria hoſtium tutum deduceretur; nam non procul aberant evocatorum & voluntariorum Mediolanenſium non modica auxilia, quæ in re ancipiti præſidio mittebantur. At Helvetii venali fide obnoxii Gallis, receptum eum media acie, mentitoque ornatu gregarii velitis, armiſque ejus gentis indutum, inſtructis in dolum ordinibus deducebant. Hoſtis vero doli conſcius, veſtigia abeuntis agminis obſervans, & circa principia agminis ipſius gradientis, mediaque ac poſtrema ſe circumferens, nihil contra luctante Helvetio, agnitum, ut erat præſtanti & procero corpore corripiunt, equoque impoſitum,

Sfortianum exercitum fundunt.

Ludovicus Sfortia captus ducitur in Galliam.

in arcem Novarienſem, quæ jam, audito principis caſu, deditionem fecerat, deducitur, nec ita multo poſt in Galliam, rerum humanarum triſte exemplum, captivus advehitur, in illaque ſatis quidem libera cuſtodia & honeſto famulantium comitatu aſſervatus, poſt aliquot annos fato deceſſit.

Aſcanius Maria & ipſe captus ducitur Venetias.

11. Aſcanius Maria, qui Mediolani agebat, tam atroci nuntio percitus, fuga ſe inde proripiens, averſa ab hoſte regione cum magno amicorum numero, a Carolo Urſino, & Soncino Benzonio, in Placentinis campis, fruſtra tentato levi certamine, apud Ripaltam caſtellum capitur, Venetiaſque mittitur, illincque haud poſt multo, quamvis fuiſſet Venetorum præda, quod a ſuis ducibus captus fuiſſet, repoſcenti, tamen eum regi deditur. Per hunc modum Sfortiani fratres florentiſſimi dejecti imperio in Gallorum venere poteſtatem ad III. id. Aprilis.

Mediolanenſes Gallis ſe dedunt.

12. Anno MD. Mediolanenſes, cum Sfortianorum acciſas & comploratas res viderent, regiis legatis ſe dedidere: verum & ipſi & Parmenſes, & quotquot per hujuſmodi tumultum ab eodem rege defecerant, grandi auri pondere mulctati, pœnas dedere.

Galli Piſas obſident.

13. Galli rebus in Inſubribus ex ſententia compoſitis, ſub ejus æſtatis tempus quæ ſecuta eſt, in gratiam Florentinorum, Piſas oppugnaverunt, jam pridem a ſe alienatas, ut ſuperius meminimus: verum egregie & ſtrenue ſe tuentibus Piſanis, cum multa cæde repulſi ſunt, quamquam in eadem urbe oppugnanda, non tam deficerent Gallis vires quam fides, & ſtudium rei bene gerendæ, quippe qui clam obſeſſis faverent, nec vellent Florentinis eam urbem accedere. Illis autem adhuc Piſas cingentibus, CÆSAR BORGIAS dux Valentinus, quem ſupra memoravimus a Bononienſibus in Etruriam veniſſe, cum aliquandiu fruſtra habitus Plumbinates oppugnaſſet, Flaminiam repetens, nullo negotio Ariminum & Piſaurum ſuæ ditionis facit, non auſis regulis cum ſua & civitatum pernicie contra luctati. Denique revocatus a patre, cum exercitu Romam contendit, gliſcente novo belli æſtu, & circumſtrepentibus armis Gallicis in FEDERICUM novum Neapolitanum regem, ne forte intra urbem copiis barbarorum tranſeuntibus, illuc aliquis ſerperet tumultus. Nam

Ludovicus rex ad regnũ Neapolitanũ aſpirans fœdus init cum Ferdinando rege.

LUDOVICUS rex ſucceſſu rerum per ſuos legatos in Inſubribus geſtarum elatus, & de fortuna ſibi quæque pollicitus, ad recuperandum illud regnum, quo quadriennio ante exciderat CAROLUS, animum intendebat, & quo id factu facilius eſſet, cum FERDINANDO Hiſpaniarum rege inito fœdere pepigit, ut Apuliam & Calabriam Hiſpanus, reliquas regni partes Gallus haberet. Dabatur vitio FERDINANDO regi, quod non ſolum in medio belli ardore, FEDERICUM regem perneceſſarium & gentilem, cui miſerat ante auxilio Gundiſalvum, deſtituiſſet; verum etiam ejus excidio manum admoviſſet. Aliqui ideo eum a Federico alienatum credidere, quod reginæ ſenioris Ferdinandi Neapolitani uxor, Federici noverca, hujuſce Ferdinandi Hiſpani ſoror, inter illos ſimultates inſeriſſet, dum a cœlibatu regii conjugii, ad fratrem in Hiſpaniam navigaſſet. Nonnulli commiſcebantur propterea ſuccenſuiſſe Hiſpanum regem, quod Federicus, ut molem belli a ſe averteret, tributarium ſe Gallo facere voluiſſet, modo regnum teneret, quodque ad Sitiam freti in Teſſicio modico terræ Italicæ agnatam, quam aliquot annos ante Galli imperio tenuerant, ipſi Ludovico adſciſcendam opem operamque pollicitus eſſet. Hujus rei Gallum per litteras ipſiuſmet Federici, indices hujuſmodi adſtipulationis, Ferdinando fidem feciſſe. Verum ſive ea, ſive aliæ cauſæ diſſidio materiam præbuerint, omnino conſtat, (ut eſt in proverbio;) omnes ſibi bene eſſe malle quam alteri.

14. Jam Galli Johanne Franciſco Sanſeverinio Calatino principe & Bernardino Obignino regiis ducibus, per Ciſpadanos & Etruriam, perque urbem Romam in Latium venerant. Jam Columnenſes domo & arcibus exturbati fuerant, quod ſuperiore bello Gallico Aragonias partes enixius ſecuti fuiſſent. Quæ jure hæreditario poſſederant, pontificiæ ſedi ſunt attributa, Talliacotium ſive Taliaquitium, priſco nomine Vicus-Varonis, ſive Vicus-Varius, & Alba, quæ de Urſinis tenebant, occupata priore bello, dominis veteribus ſunt reſtituta. Ceterum priuſquam Galli in regni finitima penetraſſent, CAMILLUS Corati comes, & RAYNALDUS BARBIANICUS hactenus patria profugi, quod in partibus Caroli fuiſſent, Tranum quod tunc Venetis parebat, clam ingreſſi, ne a Veneto magiſtratu ſentirentur, Coratum occupant, quod tunc Federicus rex cum aliis ejuſdem juris oppidis ab Alphonſi Aragonii obitu poſſidebat; huic Camillo Alexander VI. pont. max. filiam deſponderat, & hoc ſolum dotale mercatus fuerat infauſto & tragico eventu. Nam dum Romæ adoleſcens matrimonio operam dans, noctu domum per Vaticanæ ædis veſtibulum ſe recipit, inſidiis percuſſorum excipitur, ferroque trajicitur, ægre ſervatus, ſed dum domi vulnera curantur, ab Cæſare Borgia ſororio in cubili conſoſſus, occubuit. Ita illa domus Borgiana carnificinis & inceſtuum infamia laborabat, publicaque flagrabat invidia, cujus ſcelera ſi dicendo enumerare pergam, ab inſtituto hiſtoriæ plurimum deviem. Erat cum Camillo Gallus homo vaſto corpore & ſtatura enormi, belli artibus ſtrenuus, cui Carlono a membrorum proceritate nomen inditum eſt. Hujus nominis & nationis ſtudioſi Vigilienſes ut ſunt etiam Apuli omnes in novas res natura proclives, a Federico ad Gallos deficiunt. Ser-

Camilli Corati comitis cædes.

Defectio a Frederico rege ad Gallos.

pente paſſim defectione, fit frequens circa collimitium ad Gallos tum populorum, tum equitum & velitum tranſitio, & Apuliæ, quatenus ad Federicum pertinebat, ad illos unanimis conſenſus. Raynaldus quoque, cujus paulo ante mentio eſt habita, qui Altemuræ principis filiam, jam inde a Caroli VIII. victoria, duxerat uxorem, & propterea Federico regi neceſſarius duarum ſororum connubio, ab hujuſmodi nuptiis dotalem principatum repetens, magno civitatum applauſu excipitur, facile omnium popularium ſtudiis ſibi conciliatis.

15. Interea in oram ſuperi maris ſucceſſerat claſſis regia, valida illa quidem, & quia a Baizete Turcorum rege Chriſtianæ reipublicæ aliqua tempeſtas formidabatur, illi in occaſionem motuum præſentium intento opponitur, accedentibus nonnullis triremibus ab ALEXANDRO pontifice inſtructis, claſſis etiam Ibera, niſi medio curſu peſtilente lue claſſiarii tabeſcentes in Sicilia reſediſſent, illis ſe adjunctura erat. Itaque circumacta Italiæ ora, Jonium pelagus legens, ſociam claſſem Venetorum, cui Piſarius præerat, aſſequitur. Hinc junctis viribus in Leſbum inſulam deiati, Mytilenem urbem, quæ nunc inſulæ nomen a ſe dedit Metelinum, nuncupatam, oppugnare adoriuntur. Poſteaquam vero magna pars muri diſjecta eſt, ſatis injuriis obnoxia & expugnationi viſa eſt. Galli, abſente Veneto qui ſpem ſequebatur alterius victoriæ, cupidine prædæ & gloriæ in mœnia ſcandunt, & acri pugna oppidanos præſidiarios milites premunt. Verum magna utrimque patrata cæde, Galli repelluntur, eamdem fortunam poſtea experti Veneti, poſtquam redierant, adorti enim rurſus obſeſſos, toties repulſi receſſere, quoties ſubire auſi ſunt; multis fortibus viris amiſſis, dum certatim omnes pro ſe conantur, non tamen obſidionem ſolvere propterea Veneti voluerunt. Spe urbis eximiæ potiundæ, quod a Rhodiæ militiæ magiſtro auxilia expectarentur, niſi Gallus mutato conſilio, tædio an diuturnæ expeditionis, an brumali ſidere cauſato, vel animi genitali levitate, incertum, ſolviſſet continuo; altumque tenuiſſet: fœda tamen jactatus procella, temeritatis pœnas luit, claſſe diſjecta, & prætoriæ navis naufragio, abſorptis tempeſtate octingentis & amplius viris fortibus, claſſis tamen præfectus cum XL. ſociis ægre emerſus evaſit.

Mytilenis urbis obſidio.

Solvitur.

16. Dum hæc alibi geruntur, Galli, quos Roma profectos in Latium perveniſſe prætulimus, in Campaniam progreſſi ad Lyrim fluvium, cui vulgo nunc Gariliano nomen eſt, pervenere. Lyris a Samniis, qui nunc Aprutini ſunt, duplici fonte, uno a Capeſtrallo oppido in Apennino, altero ex Poſta item oppido, aquis uberrimis coaleſcens, mox infra Soram primam in Samnio civitatem, duobus brachiis extenſus, inſulam efficit, rurſus coëns alio flumine Melfa, pariter ex Apenninis jugis orto, apud Fregellas oppidum, nunc Pontem-curvum factus adultior, non longe a S. Germani oppido in Montis-Caſſini radicibus allabens, in mare Thyrrenum decimo illinc lapide exonerat circa Minturnas paludes. Is Latium antiquum, & Marſos, Romanum denique agrum a Campano dividit. Hoc flumine ſuperato, non ſine tamen certamine & cruore, mox Capuæ admovent copias, quam præſidio cccc. equitum, & amplius mille peditum Fabritius Columna, vir conſilio & armis clarus tenebat, & trajectu Vulturni, qui mediam urbem interſecat, in ulteriorem partem penetrantes, machinis muralibus mœnia proterunt, viamque in illam ſibi patefaciunt.

Galli Capuâ capiunt.

17. Eſt Capua ab Falcone in augurio, ut aliquibus placet, ſic dicta, quia Etruſci ejus urbis conditores, Capim inaugurantes viderint, nam eo nomine Falconem nuncupant: aut ut alii a camporum latitudine, aut ab duce Samnitium Capuo, qui etiam Etruſcorum coloniam cepit, & de ſuo nomine appellavit. Urbs quidem ampla, agrorum ubertate & amœnitate ita felix & luxurians, ut exercitus ille Hannibalis, qui in malis induraverat, deliciis ejus emarcuerit. Dividitur Vulturno flumine, qui illinc ad XII. millia paſſuum in mare cadit; ſed ab eo loco quo Hannibalis ætate ſita erat ea civitas, ſecundo diſtat lapide; illam enim, licet a Romanis juſte ſibi iratis ſervata fuiſſet; tamen a Wandalorum rege Genſerico, in cinerem redactam, cum denuo ab Oſtrogottis deletam Narſetes Eunuchus poſt aliquantulum temporis reſtituiſſet, tamen poſtremo a Longobardis funditus everſam, quis eo loco poſuerit quo nunc eſt ſita, nemo eſt qui ſcribat, tantum vetuſtæ civitatis fundamenta, portarum, templorum & ceterorum ædificiorum moles extant, quibus antiquitus ita poſita colligitur. Omnino autem tam commode jacet, ut hoſtibus a Latio irruentibus oppoſita, tamquam arx & propugnaculum ſit Samnitibus & Neapolitanis. Eam ob rem Fabricius eo præſidio quod habuit, illam aggere, & munimentis vallabat contra hoſtes, nihil reliqui faciens, quod ad ejus deffenſionem pertineret. Sed mœnium ruina perterriti Campani homines delicioſi & molles, veritique ne hoſtes irrumperent, clam Fabricio ad hoſtem mittunt, qui deditionem & civitatis incolumitatem paciſcerentur. Fabricius re comperta, quia impar eſſet civitatis conſpirationi, tam vicino hoſte, & ipſe accepta publica fide, in Gallorum venit colloquium, a quibus cum impetraſſet ut ſibi uni conſultum vellent, de ſuorum militum ſalute ſollicitus petere inſtitit, ut præſidium incolume inde educere ei liceret. At illi, ut ſunt in furorem præcipites, & in victoria impotentes, cum caſtris faceſcere jubent, ho-

Capuæ origo.

ſtem eum, ſi vel quantulacumque mora ſubſtitiſſet, judicantes. Illi tali denuntiatione commoto, & conſilii indigo, nec inter ipſa hoſtium agmina receſſum, nec in urbem tutum reditum rato, aditibus omnibus occupatis, & armis undique obſtrepentibus, dum properę ſe inde proripit, obvius fuit Jordanus Urſinus. Hic Fabricium triſtem, & ſuſpenſa mente prope exanimem, ut ex vultu cernere erat, intuitus, oblitus inimicitiarum quæ graviſſimæ & quaſi per manus traditæ inter utramque familiam intercedebant, oblitus quoque quæ ſuperiore bello paſſus eſſet, quo per Columnenſes patria exciderat ditione, hominem amice complexus eſt, & bene ſperare jubens, dux & comes per infeſta hoſtium agmina intra Capuam reducem ſtatuit, Romanæ indolis priſcum exemplum omnibus ſæculis celebrandum.

18. Fabricius Capuam ingreſſus, omniaque mutata offendens, civibus ex profeſſo alienatis, & jam imperium ſuum non diſſimulanter detrectantibus, conatus eſt averſa porta cum equitatu irrumpere, & ſi fieri poſſet in pacatum abire. Ubi omnia loca obſideri comperit, duobus tantum comitibus fugam meditans, cum pernici equo in ſcrobem præceps ruens, ab hoſte comprehenditur. Campani vero ut ſtudii ſui fidem facerent, cum portarum clauſtra & repagula non ita facile poſſent concuti, a muro per ſcalas & per abrupta ruinarum quas machinæ fecerant manibus certatim porrectis hoſtes introducebant, fauſtis acclamationibus Gallicum nomen ingeminantes; ſed nec hujuſmodi applauſibus & officiis deditiæ civitati proſpicere potuerunt, quin irrumpente milite per refractos multa vi portarum obices, urbanæ opes, ſacræ ædes, & quæque ſacraria, pudorque virgineus & matronalis indigniſſima feritate, in prædam irent barbarorum & ludibrium: qua rerum miſerabili facie conſternatæ, & in furorem ex deſeſperatione actæ, aliquot ingenuæ feminæ, pudicitiam vitæ præferentes in ſubjectum amnem objecto capite ſe præcipitavere moribundæ: perempta quoque dicuntur tum militum, tum aliorum ad tria hominum millia, tuncque parum abfuit ne caput Fabricii venale eſſet. Cæſar Borgianus, qui paulo ante captam Capuam in caſtra venerat, ad pœnam & neceſſ[illegible] & patris nomine, magno illum redimere voluit: adeo illi familiæ capitaliter imminebat. Abominati facinus Galli, eumdem, licitatum tamen & auctionatum magno auri pondere, liberum dimittere maluerunt, quam hoſti immaniſſimo perdendum dare. Cum vero ad pactam redemptionem duo millia nummorum aureorum quæ reſtabant, non eſſent in promptu. Idem ille JORDANUS ſponſor & præs extitit apud Gallos, ut priſtinum officium novo beneficio honeſtius & illuſtrius redderet. Vide quantum Romanus a barbaro, & liberaliter natus ab ſpurio moribus ac ingenio differat. Hic nulla laceſſitus injuria, ſponte incenſus, ſanguinem innoxium tigride truculentior ſitiebat: URSINUS inſignes ante acceptas non ſolum nullo deprecatore ultro condonavit injurias, verum etiam in extrema fortuna periclitanti officioſiſſimum ſe præbuit, & manum, ut aiunt, ſalutarem prope ſubmerſo porrexit, ut more majorum querceam coronam pro cive ſervato meruerit.

19. Caſu tanto urbis quum pleræque aliæ civitates metu ad hoſtem defeciſſent; Federicus Aragonius, perditis rebus, quod ab initio non diſſimulanter ſe facturum dixerat, cum Gallorum principibus per colloquium pepigit, ut Neapoli & arcibus deditis, ipſi in Iſcla inſula, quæ olim Prochyta fuit, parvo freto ab Ænaria diviſa in mari Tyrrheno decem millibus paſſuum diſtante a continenti, in VI. menſes cum amicis ſequi volentibus pacatus eſſet incolatus, eo temporis ſpatio exacto, niſi diſceſſiſſet, pro hoſte haberetur. De Apulia & Calabria quæ Hiſpano accedebant, nihil in illo fœdere ictum expreſſumve fuit. Propterea ſunt Tarentum, & alia loca in eo tractu Salentinorum & Japygiæ ſive Apuliæ, quæ in Adriaticum Pelagus vergunt, ab Aragonibus retenta; in Amertinis ſive priſco nomine Turconibus, Aquilani, Marſi, Peligni, qui nunc Palermæ, & Maracini nunc Aprutii, & quidquid affinitate locorum ad regnum pertinebat, per factionis Urſinæ ſtudioſos Gallis acceſſere. Federicus Aragonius cum Gallis paciſcitur.

20. FEDERICUS autem non expectato ſemeſtri, ſponte ad LUDOVICUM regem in Galliam navigavit, exceptus benigne pro fortuna apud illum, ut apud Cyrum olim Crœſus rex Italiæ, ſatis honeſtum locum tenuit quamdiu vixit. At hujus filius..... quem pater, rebus adhuc integris, Tarenti principem declaraverat, ac cum præſidio arcem tenendam dederat, ubi Hiſpani non multo poſt, civium deditione ea urbe potiti ſuere, in arcem ſe recipiens, a Gundiſalvo Hiſpani exercitus duce obſeſſus, impetravit, ut per nuntios ei liceret parentis in Galliam profecti voluntatem ſciſcitari ſuper arcis deditione, & de ſequenti ex patris ſententia ſtatuere. Erat autem illi liberum per Gallorum terras in ulteriorem Galliam, ſeu mallet Venetias navigare. Credidere multi Federicum huic deditioni averſaturum pro inexpiabili odio in Hiſpanum regem, quod ab eo cui ſalus ſua curæ eſſe debuerat, eſſet impugnatus. Verum regius adoleſcens Gallico nomini longe infenſior, quam gentilitiis ſuis Aragonibus, non invitus declinavit ad Hiſpanorum genus, & conſanguinitatem ſecutus, quaſi per manus regnum avitum Aragonio neceſſario traderet, præſagio quodam diſcordiæ inter hos reges coaleſcentis, qua ejuſdem regni acceſſio, Gallis abactis, ad Hiſpanos facta eſt. Federicus rex Gallis fraudit, Filius ejus Hiſpanis.

Pax frustra tentata inter imperatorem & regem Franc.

21. Sub idem ferme tempus duæ validiſſimæ claſſes, Gallica portum Neapolitanum, Ibera Tarentinum tenuere, dum Cæſar Borgia in Etruriam regreſſus ex Neapolitana expeditione, cum diviſione ejus regni inter hos duos reges ex fœdere, ut prædiximus, illa pacata omnia eſſe viderentur, Plombinum oppidum toties expetitum & tentatum tandem occupat. At apud Tridentum civitatem non procul a Rhætiis, inter MAXIMILIANUM imperatorem & LUDOVICUM regem Franciæ pax tentata eſt, multiſque tractata & diſtracta conſultationibus, non ſolum non ſancita fuit, verum etiam deſperata, & exaſperati magis animi regum, pluribus nec obſcuris odiorum cauſis jam pridem exulcerati. Increbuit opinio veneno poſtea petitum MAXIMILIANUM domeſtica fraude, auctore quidem & propinatore non vulgato, verumtamen ſuſpecto: ſed rei indicio comperta, declinatum periculum.

Bellum novum Gallos inter & Hiſpanos.

22. Nec ita multo poſt atrociſſimi belli incentivum in Umbilico prope Italiam exarſit. Nam Tarento ab Hiſpanis, Calabria & Apulia receptis, ut præfati ſumus, cum aliquandiu arma ibidem quieviſſent, eſſentque in collimitio Apuliæ nonnulla loca a Raynaldo & Carlono Aloyſii Ligini ductu in principio belli obſeſſa, ut diverſo hinc loco dictum eſt, ambigui adhuc inter reges juris, Galli hæc retinere, quod uberrimum inde veſtigal proveniret, contra Hiſpani ad ſe retrahere, quæ ad ſe pertinerent nitebantur. Quapropter cum ex hujuſmodi altercatione minime inter eos conveniret, duces partium reges ſuos conſulendos rati, rem indiſcuſſam in medio reliquere, ita tamen ut neuter neutri poſſeſſione ceſſiſſe videretur. Nec multum admodum temporis interceſſit, cum Gundiſalvus, militum quidem numero impar, ſed conſilio & virtute præſtantior, indicio comperit, ad Venuſiam Gallicum exercitum cogi & in ſe arma parari.

Venuſiæ ſitus.

23. Eſt Venuſia media inter Apuliam & Lucaniam, uti Horacius de patria ſua Venuſina teſtatur: Lucanus, an Apulus anceps, nam Venuſinus arat finem ſub utrumque colonus. Terra eſt poſitu plana, fertilitate ſoli beata, & pabulationi equorum idonea, in mediterraneis loco munito jacens, ac felicis regionis caput. In Tarentinumque agrum ad faciles excurſationes patebat; ſed montana loca quæ olim fuere ubi Urii montes, illinc Lucaniæ, hinc Apuliæ, dudum vocari cœpta Baſilicata a Baſilico quodam viro fortiſſimo dicta, qui per ea tempora loca illa tenuerat, deque regione ipſa tractuque omni Salentino Græcos induſtria ſola pepulerat, atque Pœnos; quamquam aliqui exiſtiment (incertis tamen auctoribus) regionem hanc a Conſtantinopolitano olim imperatore filiæ & genero datam dotis nomine: nam hæc vox græce regiam ſonat. Et quoniam in ea ora Apuliæ & Calabriæ per partes multa per id tempus bella ſunt geſta, & de ſumma rerum pugnatum; non alienum a meo inſtituto, nec ingratum lectori puto fore, ſi ſuccinctius explicem, quæ priſca & antiqua, quæque recentiora illis terris fuerint nomina, ut qui vetera norunt, nova non ignorent, & qui recentiora & noviſſima, his priſca non ſint omnino incognita.

24. Eſt Apulia Italiæ regio mari Adriatico contermina, inter Dauniam & Calabriam, quæ & Japigia ab Japige Dedali filio, qui eam regionem tenuit, uſque ad Dauniam dicta. Apuliæ autem ea pars, quæ a Trentone flumine, quod eſt hodie Tortorium ad Aufidi ripas in Brutiis orti, & per Apuliam in Adriaticum pelagus defluentis, quem aliqui dicunt nunc Cannam, ſita, nunc appellatione eſt Capitanata, quod qui ejus moderationi ab imperatore Conſtantinopolitano præpoſitus eſſet, diceretur græco nomine Catapanus, quæ vox contractis atque interverſis litteris, a recentioribus verſa eſt in Capitanatam, quique Catapanus fuerat in Capitanium. Quæ vero Calabriæ pars olim fuit in qua Tarentum, Brunduſium ac Salentinorum maritima eſt ora, & ab Hydrunto oppido, ad quod eſt ab Macedonia Epyroque quam breviſſima navigatio, Hydruntina terra dicitur, atque ab Aufido tractus ad Calabriæ, hoc eſt Hydruntinæ fines terræ. Quo in tractu ſunt ad mare Polignanum, Tranum, Vigiliæ, Malſita, Juvenatium, quod quidam Egnatiolum ab initio dictum putant, Barrum, Barenſis vocitata eſt terra. De hujuſmodi igitur tractu, deque finibus erat controverſia contentioque pertinax inter regios partium duces, quæ tandem uni excidio fuit. Coactis igitur, ut diximus, Gallorum copiis ad Venuſiam, Gundiſalvus a prorege Gallico admonetur, ut his locis juris ambigui, ſi pacem mavult quam bellum, ultro cedat: niſi ceſſerit, armis ſubmovendum. Huic a Gundiſalvo reſpondetur ſuper ea re nihil ſibi ab ſuo rege injunctum, verum ſi vim moliatur, regiæ cauſæ vindicem non defuturum. Utriſque itaque in his intentis, cum multo paratior eſſet Gallus, equitatus & peditatus robore, brevi tota Apulia potitur, niſi quatenus ad plagam maritimam ſpectabat, ut Darulo & Adria, e qua ut firmius illam tueretur Gundiſalvus imbellem ejecit multitudinem. Hæc Tranum ſecedens, a Veneto magiſtratu excipitur per miſerationem. Ita Gallus vagatus per omnem regionem citra pauca loca Apuliam & Calabriam ſuæ ditioni adjicit eo anni tempore qui a Virgineo partu MDII. fuit.

Galli Apulia potiuntur.

25. In Etruria rurſus motus exoriuntur, Petro Medice auctore, qui extorris Florentia, non parva manu tumultuaria comparata, & Vitellianis armis Aretium urbem

Bellum in Etruria.

Etruriæ vetuſtiſſimam occupat. Inde proclivibus in Mediceum nomen popularibus, XL. prope oppida deditione recepit, reſque propterea Florentina in ſummum diſcrimen venerat, Borgia præſertim annitente, qui omnia tumultibus commiſceri volebat, quia per hujuſmodi occaſionem ad regnum Italiæ viam ſuæ ambitioni ſtruebat. Sed LUDOVICUS rex, qui peropportune in Italiam venerat, Mediolani ſederis, eo conſilio, uti propior eſſet ſupplementis in Apuliam ubi pugnabatur ſubmittendis, per ſuas copias, quæ per Etruriam iter faciebant, hujuſmodi incendium propere extinxit. Juſſus eſt enim Mediceus & qui cum eo militabant ab armis recedere, & Etruria excedere. Parentibus omnibus ad arbitrium regis, & ex Florentinorum ſententia rebus compoſitis, conatus Medicei tunc in ſumum abiere.

Compeſcit Ludovicus rex.

Quæ cauſa Ludovico fuit in Italiam movendi.

26. Veniendi autem per id tempus LUDOVICO regi in Italiam, cum aliæ multæ, tum ea cauſa viſa eſt potiſſima, ut Liguſtici litoris emporium Genuam, quæ Ludovico Sforziæ cetera ditione ſpoliato regium imperium detrectaverat, & ſe in libertatem vindicaverat, ſub jugum mitteret. Conſpiraverat autem populus in libertatem, & cum nobilitate reguliſque regionis, qui late dominabantur, quique pro rege ſtabant, graves exercebat ſimultates, & in illorum invidiam Paulum Novium, olentis fulloniæ ſordidum facientem quæſtum, qui quidem audacia in rebus turbulentioribus ſibi auctoritatem fecerat apud populares, ducem ſalutaverat, & ſublimem ſolio locaverat. Is quidem magiſtratus pridem in ea civitate conſtitutus tenuerat, ut eſſet ibidem omnium ſupremus, cum ante annum Domini MCC. ſub quatuor viris, conſulari poteſtate XC. annos ea civitas fuiſſet, qui cauſis compeſcendis & litium diſceptationibus præeſſent, vitæque ac necis haberent imperium. Dein ad prætores peregrinos publice cooptatos, annuente Federico imperatore, ſicut ceteris Ciſalpinis civitatibus conceſſerat, ſupremum jus & poteſtas devenerat. Sed & hic magiſtratus, qui tamen annuus, & hoc urbicum imperium inſtabile & nonnumquam intermiſſum varieque jactatum eſt, ut nunc conſules, nunc prætores peregrini, quandoque indigenæ moderarentur, jus dicerent, libertatem tuerentur, ac commoda publica procurarent. Legimus tamen creatos duumviros Genuenſes de gente dumtaxat patricia, domi foriſque aliquando rebus præfuiſſe ſub adventum HENRICI imperatoris: ſed poſt Henrici obitum, crebreſcentibus inter patricios & populum diſſidiis, accepto rege ROBERTO, qui pro JOHANNE pontifice maximo rem adminiſtrabat (nam ſe Romano pontifici ſubdiderant) eodemque mox ejecto, tædio hujuſmodi præfecturarum duces creari placuit, primuſque omnium SIMON BUCCA-NIGRA dux appellatus ſub annum Domini MCCCXVIII. rempublicam procuravit. Sed cum varietate temporum poeniteret conſilii, ſive ita rerum difficultas cogeret, JOHANNI VICECOMITI archiepiſcopo Mediolanenſi biennium, dein GALEATIO & BERNABOVI ſummam rerum detulerunt. Rurſus externis imperiis ejectis, per occaſionem duarum potentium familiarum Spinolæ & Aureæ inter ſe diffidentium, plebiſcito homo popularis in ſummo magiſtratu collocatus fuit, ſicut noſtra tempeſtate in hoc homine novo & humili contigerat. Itaque incondita multitudinis ſuffragio, quæ libidini potius quam rationi eſt plurimum obnoxia, in ducaria illa ſede locatus, rempublicam ab ſervitute regia & a potentiorum tyrannide aſſerere, nobilitatem a publicis conſiliis, ab omni adminiſtratione, dein ab urbe prohibere conabatur. In primis plebeiorum animos & ſtudia ſibi conciliare omnibus artibus intendebat. Fremere optimates & reguli, & tantam indignitatem iniquiſſimo animo ferre, regem in patriam irritare & armare, & ad eamdem occupandam animare & accendere, ſe auctores & adminiculatores recipere. In civitate ſiquidem ſuopte ingenio inſtabili, & pro diſcordiarum inteſtino inſanabilique morbo nova ſemper conſilia agitante, non deeſſe quibus hic rerum ſtatus non probetur; ſibi facto facile eſſe hanc peſtem inde amoliri, & hominis portentum e medio tollere, ſi vel bellum oſtentet. Ludovico regi præferoci & regnandi cupidiſſimo facile perſuaſum eſt, ut in eam gentem moveret. Itaque brevi magno formidabilique exercitu comparato, ex Cotiis Alpibus per Derthonenſes, & Seravalle ab re nomen habens, quod ſaucium illarum cuſtos ſit, non longe ab Liburniæ ruinis, cujus adhuc extant veſtigia & ædes ſacra divo Johanni ad Linvernum luxato nomine retinens, & per dorſum Apennini ac Porciferæ, potius torrentis quam fluminis, vallem, villarum ſpecie hinc & inde in collibus pendentium pulcherrimam, ſed tamen ſaxoſam & ſterilem, Genuam verſus iter intendens, caſtra ſub collem non longe a mœnibus poſuit.

Prope Genuam caſtra ponit.

27. Eſt ipſa Genua in colle ſita mari ad Africum imminens, portum ſinu amplo, ſed objectu magnæ molis manufactæ efficiens: illam ab occaſu Porcifera fluvius, ab ortu Biſamnis, alius amnis, ambo in mare deſinentes, & quaſi e regione ſe proſpicientes, alluunt; a Septentrione arduæ rupes, ſteriles quidem, ſed ſuperbiſſimarum villarum ædificiis aſpectu formoſæ circumſtant. Sub hujuſmodi montium radicibus conſederant regiæ copiæ, ſed ipſe rex paulo longius tetenderat. Oppoſuerat ſe illi urbica multitudo & mercenarius pedes, in collis ſupercilio munimento erecto, illincque inter utroſque nonnumquam, ſed levibus certaminibus

certaminibus est conversatum, & apparebat neutram partem in certamen aut discrimen totius belli venturam. Nam regi compertum erat plebem Genuensem, mutato consilio, ad deditionem inclinare, & populus cum tandem resipiscens se sine viribus animadverteret, sine duce, sine consilio contra tantos pugnare, alios ex professo formidare & labare, alios exulceratis animis mussare, & in vulgum ambiguas voces spargere, nobilitatem aversam regem sequi & illi inhærere, nec unde auxilia expectari, urbem nisi ab aliquo commeatus importetur vel a peregrinis invehatur, facile esurire, cum rege paciscitur, ut data impunitate urbem quam suæ potestatis facerent, pacatus ingrederetur. At nihilominus ille, externo milite abire jusso, & levitati hominum minime fidens, relictis sub manibus legionibus, portisque omnibus præsidio firmatis, receptaque arce, inter cataphractorum galeatos & armatos ordines, ensibus nudatis, ipse quoque galeatus & auratis armis præfulgens, urbem pedibus suis ingreditur, & in prætorium per angustos illos colles vadens, gratanter excipitur, rexque concepto in sua verba juramento salutatur. Et rex quidem nihil acerbum in ultionem contumaciæ molitus est, nisi quod illum ducem plebeium, injecto ad cervicem laqueo, in eminentiori specula pendere jussit, nec ultra tetrici alioquin regis ira processit; tantum ut indomitum populum frenaret, & in officio contineret, in promontorio mari imminenti & urbi, cui ad Briliam sive ad caput Thari nomen est, a quo Ægyptiæ pharus imagine, noctu fax ignea emicans, per vastum pelagus late navigantibus qua cursum dirigant ostendit. Mulctatitio ære arcem validissimam, & quam nulla vi humana expugnabilem quisquam crederet, a fundamentis exstrui jussit mira architectura, estque illi arci opinione celerius extrema manus imposita: verumtamen illa haudquaquam diu stetit; nam post triennium inclinatis in Insubria Gallorum rebus, Genuenses non passi tam grave jugum perpetui servitii, ea stante, majore arte & molimine quam condita fuisset, funditus exciderunt, ac ita solo æquarunt, ut ne extante quidem ullo illic arcis vestigio, eo loco frustra quæras ubi arx fuerit.

Quam deditæ capit.

24. Rex paucos dies ibi immoratus, & inter puellares cœtus ludis choreisque celebrata victoria, ubi statum urbis ex sententia composuisset, inde abiens iter Mediolanum versus intendit, quasi in nobilissima omnium Cisalpinæ Galliæ metropoli, eumdem triumphum celebraturus: quam sibi ab avia Valentina, Johannis Galeacii magni filia, ejus avia, patriam legitimam, legitimeque armis a se vindicatam credi volebat. Quapropter solemni pompa receptus, multa exuberantis lætitiæ edidit signa. Celebrata enim publice privatimque maximo apparatu luxuque regio convivia fuere, cum choraulis, tibiis & barbitis, in quibus ipse medius discubuit, in frequenti nobilissimarum feminarum accubitu, promiscue inter viros sedentium. Ipse rex, regiæ majestatis posito supercilio, statim æque choreas duxit. Demum omnibus officiis popularis de civitate benigne est promeritus.

Ludovicus rex cum pompa Mediolani excipitur.

25. Dum hæc alibi geruntur, Borgias in Umbriam perrexerat, & simulato itinere ad Camertes, GUIDONEM UBALDUM Urbinatium ducem incautum oppressérat, callide ab eo præsidium militare pontificio nomine exigens; & cum ille imperata fecisset, spoliatum armis mox etiam principatu ejecerat, minime quidem ausum illius fidei se credere, aut potentiori se opponere. Eamdem fortunam expertus JULIUS Camertium princeps, nisi quod ab eo & filio in vincula conjectis, etiam magnum auri pondus ante jam dudum congestum extortum fuit. Cùm vero Borgias omnium regulorum, qui ab eo sedibus exacti fuerant, & omnium principum, rerumque publicarum conspiratione, apud regem, uti disceptatorem injuriarum, arcesseretur, repentino & inexpectato adventu & præsentia omnium postulationes, veluti ventus nebulas, discussit. Regi namque facile insinuatus, regioque lateri ante alios in publico familiariter adhærere conspectus, omnes querelas suppressit, tacito præjudicio absolutus. Neglecta itaque spoliatorum causa, cum rex in Italia pro arbitrio cetera composuisset, Genuam reversus, haud diu ibi substitit, repetita Gallia. Borgias illum Genuam usque officii causa prosecutus, mox pedem referens, primum Ferrariam petiit, sororem graviter ægrotantem offendens. Ibi omnes Ursinos secum militantes a se defeciisse audiens, cum omnibus copiis, & Vitellium Tyfernatem ejusdem commilitem, æger animi in Æmiliam citato gradu se contulit, pro re & tempore deliberaturus. Qui deserverant MD. equitum numerum implevere, robur profecto Borgiani exercitus. Tenuit fama secessionem hujusmodi factam ab illis perterritis aliorum principum casu, ne eadem ab homine regnandi avidissimo paterentur, quæ tot innocentes principes nullo vindice indigne passi fuissent, emanaveratque in vulgum BAPTISTAM URSINUM, sacri ordinis antistitem, cum ad LUDOVICUM regem Mediolani agentem paulo ante salutandi gratia veniisset, ab ipso esse admonitum, uti ab insidiis Borgiæ ipse suique caverent, esse illi in animo e medio illos tollere & alios. Convenerant fœderati omnes in Perusinum agrum, de summa rerum consultaturi. Sed cum paulo cunctatius rem administrarent, cum potuerint hominem imparatum opprimere, spatium Borgiæ dederunt sese colligendi, accitis propere auxiliis Gallorum, & scriptis in sup-

Borgias regulos opprimit.

Ab Ursinis desertus.

plementa militiæ novis quotquot potuit militibus. Postquam vero desiit desertorum conspiratum & arma formidare, longe superior robore exercitus, dolos innectens, primo per internuntios mitioribus verbis & subdolis blandimentis cum Ursinis & sociis agere, admonere eos officii sui, commemorare patris in illos & sua beneficia, inde onerare promissis, si ad signa redeant. Cum vero nihilo secius Ursini, quamvis sero, aperte jam defectionem professi essent, sollicitarentque in eamdem professionem populos, glisceretque tumultus, jamque Guido Pheltrensis, qui Venetiis publico hospitio & convictu fuerat acceptus, prius adesse nuntiaretur quam illinc recessisse credi posset; mittitur a Borgia cum delecta manu Michaël Valentinus, scelerum potius minister & lanius, quam ordinum ductor, qui popularium seditiones in Urbinatibus comprimeret. De quorum quidem positu & situ pauca proloqui, ut locorum notitia quasi ante oculos uti in tabella ponatur, non absurdum, nec a lege historiæ alienum puto, cum de ejus regionis tumultibus habendus sit sermo.

Urbinæ urbis descriptio.

26. Est in Umbria vetusti nominis Urbinum uti metropolis, edito colle posita, cujus inter ceteros scriptores primus meminit Cornelius Tacitus Vitelliano bello, & Urbinates dixit Plinius Metaurenses, credo a Metauro Umbriæ flumine, clade Asdrubalis insigni, quod tertio a Fano Fortunæ lapide per Flaminiam in Adriaticum sinum defluit. Eidem urbi ad dextram est Forum-Sempronii, etiam vetusta civitas, cui tertio illinc lapide sinister labitur Candianus fluvius, in cujus proripio viam Flaminiam, quæ militaris est, Augustus sumptuosissimo opere, exciso lapide durissimo, quingentis in longitudinem passibus stravit, qua currus commode devehi possent, neve subjectus amnis ad tempus violentus & rapidus, viæ fundamina excedere posset, murum ab his aquis ad summum viæ quadrato lapide, interpollatis locis ubi expedire visum est, duxit, sed majori impensa saxum silicea duritie ducentorum passuum longitudine octo altitudine perforatum, curribus & quadrigis factum est pervium, a cujus forma Foruli nomen servat; docetque titulus litteris cubitalibus in fronte scalpro excisus, Titi Vespasiani, non Octavii Augusti, qui viam Flaminiam straverat, hujusmodi Forulum opus fuisse. Urbino ad dextrum latus est Callium, cujus mœnia alluit Candianus fluvius. Est & Candianum oppidum, quod ex Luceolis oppidi, vetusti propinquo loco a Longobardis excisi ruinis ædificatum dixere. Haud magno intervallo abest Ugubium, supra id est Cæsarius torrens, ad cujus fontem est Pergula, paulo etiam superius ad dextram Misa fluvius in Adriaticum cadens, Senam nunc Senogalliam quondam Senonum sedem & coloniam, postea a Furio Camillo dirutam, nostra ætate mœnibus & arce instauratam, cursu arrodit. De his igitur hoc loco scripsisse operæ pretium sum ratus, quod in hujusmodi tractu Borgias eo tempore carnificinam omni tragœdia truculentiorem exercuit.

Borgiæhuc reada carnificina.

27. Huc itaque delatus Michaël, dirus scelerum satelles, Pergulanos nova consilia agitantes, sed & adhuc suspensos & ancipites, ac propterea ipsum intra mœnia pacato agmine admittentes, tam hostiliter diripuit, ac si perfidiæ convictos armis expugnasset. Forosempronianos quoque sine certamine adeptus, pro hostibus ita exagitavit, ut non procul excidio abessent. Julium Camertem in Picentibus non procul ab Umbria, quem hactenus in vinculis habuerat, sua manu confodit. Hinc digressus cum illa vastatoria manu armatorum, certus victoriæ Urbinates petebat, ut non secus in illos grassaretur, ac alibi feciisset, prædam opimam militi pollicitus. Verum locorum insidiis exceptus, subito accolarum concursu male accipitur, quampluribus cæsis, spoliaturque ac dissipatur.

28. Interea Ursinorum copiæ Fanensem agrum infestabant & Pisauriensem, nec deerant tamen arbitri, qui reconciliandarum partium gratia ultro citroque discurrerent. Ante alios autem studiosiorem se agebat Paulus Ursinus, qui aliqua necessitudine Alexandrum pontificem attingebat, vir omnino clarus, verum curiosior in hujusmodi negotio, quam pro re sua ac suorum gentilium & fœderatorum esset, nescius quo fine res claudenda esset, & quam lubrica ac fluxa foret apud illos fides, quorum maxime sancta esse debuit. Alexander enim & natura duce & arte magistra veterator, & ad concinnandas technas callidissimus, filiusque Borgias patris artibus instructus, ex promptuaria illa cella pectorum ingeniorumque pellacium dolos nectentes, omnia foris cum summa dissimulatione mentiri, amice hortari, redirent ad officium, spondere oblivionem admissorum & impunitatem, etiam cum dignitatis amplificatione, conceptis in jusjurandum verbis, non fore illis fraudi eam secessionem, vulgata opinione pacis si nondum sancitæ, at saltem propediem sanciendæ. Guido Pheltrensis & Venantius Camers Julii filius, qui intra regnatos antea a se principatus, agrestium potius studio quam nobilium & civium conspiratu recepti fuerant, cedendum tempori rati, cum essent inermes, subduxere se periculis. Guido animo corporeque æger Tifernum a Vitellio deducitur. Eo abeunte, Urbinatibus utpote conjurationis expertibus, consultum est.

29. Interea Franciscus dux Gravinæ, & Paulus caduceator, ambo Ursini, primi omnium ad Cæsarem Pisaurum iverunt, postquam de pace convenerat. Excipiuntur ab

illo vultu in miram lenitatem formato, per quam comiter, numeranturque illis confeſtim ad confirmandam fiduciam ſtipendia, nullum non pacati animi indicium præ ſe latum, tam cite & callide diſſimulatis dolis, ut nullus hiſtrio in ſcena peritius umquam alienum vultum induerit, quam Borgias amici hominis effinxerit ora; cavere tamen ſibi, quod omnino viri perfidiam ſuſpectam habebant, multis enim argumentis cognita illi genuina truculentia, illorum animos quieſcere non ſinebat. Sedebant ceteri fœderati ad Senogalliam. Ad hos ſcribit VALENTINUS dux ſibi in animo eſſe arcem Senogalliæ oppugnare, diemque quo venturus eſſet, quoque illos adeſſe vellet, præſcribit.

28. Ea arx a Johanna Pheltrenſi Franciſci Mariæ Roborei urbis præfecti uxore tenebatur, quæ ubi audivit obſidionem parari, relicta ſub præſidio arce, ornatu virili clam ſe inde proripuit. Ipſe Borgias ad condictum poſitus ſecum agebat Waſconum legionem, Gallorum equitatu maxima parte dimiſſa, ut comitatu diminuto, Urſinis ſuſpicionis metum elevaret. Urſini illam manum non ſatis validam ad vim ſibi inferendam rati, cum Vitellio & Leporario Firmiano, qui & ipſe honeſtiſſimos ordines in Borgiano exercitu ducebat, & cum Urſinis conſilia communicaverat, officii gratia venienti occurrunt. Data acceptaque ſalute, & exhilarato in ſpem lenitudinemque vultu, amici animi ſpeciem præ ſe ferebat. Poſtquam urbem & hoſpitium principi paratum ingreſſi cum eo ſunt, declinato a turba Cæſare, & in penitiorem domus partem abeunte, ſatellites confertim in Urſinos & alios fœderatos duces, ut fuerat conſtitutum, circumfuſi manus injiciunt, vinctoſque e conſpectu alio deducunt, fruſtra illis principis fidem inclamantibus. Horum Vitellius & Leporarius tenui loro cervice eliſa, quod ſupplicii genus carnificinæ Borgianæ miniſtro peritiſſimo Michaëli Valentino perfamiliare fuit, ſine mora necantur: ſervati Urſini non ad miſericordiam, ſed quod de illis non prius quidquam ſtatuere volebat, quam ab Roma Baptiſtam antiſtitem Urſinum, & alios factionis primarios, interceptos audiſſet, ut ſi doli non proceſſiſſent in illis capiendis, minore flagraret invidia: quod eventus rei ita fuiſſe commentum poſtea docuit. Nam ut reſcivit illos paternis caſſibus tamquam venaticam prædam irretitos, eodem necis genere, filicula collo injecta omnes oppreſſit. Qui in hybernis fuere (nam bruma erat) immiſſa Vaſconum manu, paſſim crudeliter cæſi aut vulnerati fuere: pauci fuga dilapſi, & in his Fabius Pauli filius per nota viarum diverticula fugiens, infortunium evaſit. Miſſi fuerant qui Julium Urſinum Baptiſtæ filium, tum Palumbariæ arcem in Cruſtuminis finibuſque Sabinorum obſidentem, ex improviſo

Urſinorum cædes.

caperent: verum cum volucri nuntio de ſuorum caſu factus certior, in ſola fuga ſpem vitæ ponens, Cere occupat, locum Urſinorum in Etruria natura munitiſſimum, quem tamen diu non tenuit. Nam pontificiis armis paulo poſt oppugnatus, cum illud diffideret poſſe diutius tueri, ſalutem deditione pactus, cum ceteris Urſinis, qui cladi ſuperfuere, Venetias ſe recepit. Baptiſta Urſinus antiſtes in mole Adriani Romæ interim moritur, non ſine ſuſpicione hauſti veneni. Domus & pecuniæ Urſinorum publicatæ, Julii mater octogenaria laribus exacta, per urbanas porticus jacebat, nemine præ metu truculentiſſimæ aulæ manum præbente, aut eam hoſpitio victuque miſeram excipiente, cum tamen illi ætati & ſexui ab quovis truci hoſte vel ſit parſum, vel ſit habita ratio, etiam honos.

29. Dum hæc Romæ aguntur, Borgias, Senogallia direpta, in Umbriam eſt progreſſus. Baliocus Pheltrenſem ducem & Venantium Camertem ceteroſque profugos, qui per ea loca de ſalute ſolliciti latebant, velut aves timore aquilæ, ſi quando ab æthere delapſa prædam aucupans, in altum turmas infeſto roſtro invehit, pernicitate pedum, periculis ſe ſubtrahere coëgit. Deinde in Senenſem agrum vagatus, pacatiore agmine Pandulfum Petruccium, tyrannide antea dejectum & exoſorem, in patriam reſtituit, non audente populo illi obluctari. Mox Petilianum quo multi confugerant nobiliores adoritur, verum a Venetis admonitus ut a Bartholomæi Albiani & Nicolai Urſini rebus abſtineret, qui ſtipendia reipublicæ ſuæ mererent, ceſſit. Converſus inde ad vicum Varronis, Taiacotium novo nomine, (Æqui hi fuere in finibus Latii & Marſorum populi) perterritus edicto Ludovici regis, quo prohibebatur Jordano Urſino ſuis auſpiciis militanti moleſtus eſſe, oppugnationem cœptam gravate ægerrimeque ſolvit. Nam Columnenſibus principatu dejectis, ſatelles pulſis Urſinis afflictis, Flaminiaque cum magna parte Umbriæ ſubacta, nihil reliqui eſſe volebat, quod votis ejus immodicis obſtaret, modo occupata omni ditione Romana, ſolus rerum potiretur.

FRANCISCI CARPESANI Flaminis Parmenſis de ſuis temporibus commentariorum.

LIBER IV.

1. CUm rem Romanam indigniſſime laſcerant Borgiani, ſub veris initium anni ſal. MDIII. acre bellum in Japygia, quæ ad Garganum montem vergens, Apuliæ pars exiſtit, inter Gallos & Hiſpanos, ut oſtendimus, fremebat. Prævalebant multitudine Galli, ac propterea coacti ſunt Hiſpani, Medi-

terraneis campis relictis, in extimum littus, quod in Adriaticum ſinum ſpectat, ſe recipere. Illic dum munitiſſimis locis ſe continent Hiſpani, Galli contemptim nimis protervientes, illis inſultabant, etiam convitiis inceſſebant. Quæ res materiam dedit memorabili inter eos ex provocatione certamini. Nam inter hujuſmodi contumeliarum jactationes, audita eſt vox cujuſdam Galli, plus æquo ferocientis, & imbelliam ignaviamque Hiſpanis ac Italis ejuſdem commilitii exprobrantis: quam indignitatis notam minime ferendam rati Itali, miſere communi nomine ad Gallos, qui renunciarent quando imbelles ignavique a ſe haberentur, eorum præjudicio cupere ſecum manu conſerta per æquas bellatorum partes, utri bello præſtarent, experiri. Negare Galli de eorum virtute male ſentire; verum ſi uſque adeo pugnæ ſtudio arderent, & periculum virtutis facere cuperent, non detrectare certamen, his conditionibus, ut victor centum nummos aureos, & victi ſpolia equumque bellatorem cui inſediſſent, præmium virtutis referrent. Placuit utriſque ea conditio, deligun-

Singulare certamen Gallorum & Italorum.

tur utrimque XIII. fortes viri: in quibus a parte Latinorum duo fuere Parmenſes, unus Occha genere, alter municeps Guardaſonius, ac Franciſcus Salomonius Saulus, qui ſæpius in his annalibus citatus præclara alia edidit facinora: electus locus & dies pugnæ, præſcripta area metis, ne quis excederet, limitibus qui exceſſiſſet pro victo haberetur. Gondiſalvus adoratis prius numinibus, & in vota poſt accumulatas honoribus aras rite precatis, cum milites modico cibo corpora curaſſet, paucis illos eſt adhortatus: Irent alacres, auſpice & propitio Deo, in pugnam, memores ſuæ virtutis, memores ſe ex Latinis oriundos, quibus orbis terrarum quantum pateret ab ortu in occaſum ceſſiſſet, fortiter pugnarent, Gallorumque qui præ ſe omnes inani jactatione contemnant, ſuperbiam retunderent. Futurum enim ut non ſolum ea res ad gloriam gentis, & ad inſigne eorum decus pertineret, verum etiam ad totius ſummæ victoriam. Mox agonis ſtadium primi occupant, ſecuti Galli equis & armis conſpicui, illic parumper utrique conſtitere quo ſeſe in pugnam colligerent, quibuſlibet eorum expectantibus a qua parte pugnæ initium fieret. Credidere Galli eum qui prior liberiori curſu in tam anguſto ſpatio præſultaſſet, facile poſſe elabi meta, antequam equorum pernicitas, impetuſque compeſci poſſet, & illum pro victo fore qui exceſſiſſet. Sed dum utrimque ceſſaretur, Galli moræ impatientes, laxatis habenis, equos in adverſarios ſtimulis incitant. In tam brevi campo pauci haſtas fregere, cumque Galli duo Italique dum concurritur, præſcriptos caveæ limites curſu exceſſere, abſtinuereque propterea certamine; dumque res cominus, ſecuribus, enſe, clavaque acriter geritur, duo Itali conſoſſis ab hoſte equis coliabuntur, quo caſu victoriam ſibi peperere. Cum enim hi duo protinus in pedes ſe ſtatuiſſent, arreptis duobus venabulis, quæ in hos uſus fuerant parata, hoſtium equos cum cuſpidibus tranſadigunt, tum curſim ſuffraginibus cruribuſve exſectis humi ſternunt, ex equitibus unum interficiunt. Eo ſpectaculo perterriti ceteri, ſe victos protinus ingenue confeſſi ſunt. Duo pertinacius perſiſtentes, haud dubia internecione cecidiſſent, niſi monitu manus, ac tutum dediſſent deditionis ſignum. Tum ex profeſſo Itali victores, exuviis inſignes, lætum pæana, & inconditum carmen more militari canentes, ac Gallos non aliter tacitos triſteſque ac ſolcant eſſe galli gallinacei cum duello ſuccubuere, flacceſcentibus ac pendulis, ut aiunt, auribus præſe agentes, Baretum rediere inter turbarum concentus, & turbarum feſtas acclamationes ac applauſus *Italiæ* atque *Hiſpaniæ*, ſæpius alta voce repetitis. Ab oppidanis quoque ære Campano & omne genus tormentis tam gratanter excipiuntur, ac ſi jam prorſus debellatum fuiſſet, magnum profecto omen, & futuræ victoriæ præſagium. Gondiſalvus nihilominus, numero militum longe inferior, in juſtum certamen deſcendere non audebat: tantum pro occaſione hoſtem infeſtabat, in pecuaria quoque, quæ in Gallorum erant fide, incurſans, bis centum mille pecoris, armentique capita in prædam avexit, duabus prorſus excurſionibus.

Galli devicti.

2. Per idem tempus Germanorum legio per Hiſtriæ mediterranea ad mare mox, Adriatico tranſfretato, in Apuliam delata, Gondiſalvo ſe junxit. Aliunde quoque illi adauctæ ſunt vires, ut non ſolum patentibus campis caſtrametari, verum etiam hoſtem bello laceſſere auderet, & Galli interim, non parvum incommodum a mari acceperunt. Nam Præjames vir piraticam exercens, qui tunc quatuor Gallicas triremes agebat, & duas Hiſpanas eodem curſu a ſe interceptas, cum Hydruntinum portum ſubiiſſet, intuitus claſſem Hiſpanam totidem triremium, aut ventorum vi, aut deſtinato eum portum jamjam ſubituram, rebus ſuis timens, fidem Veneti magiſtratus, qui tunc ea loca ditione tenebat, implorat, poſtulatque ne ab hoſte ſibi vim inferri in ſuo portu patiatur. Contra Hiſpanus, ut in conſpectum venit, prædonem ad ſupplicium expoſcebat, aut certe XL. mill. nummorum aureorum damna quæ ille intuliſſet reſarciri. Vetuit Venetus portum violari, verum ſi inde digreſſi forent, non impedire quin in alto armis inter ſe decernerent. Præjames quia viribus ſuis diffidebat, & hoſtis imminebat in occaſionem intentus, armamentis omnibus nauticis in terram expoſitis, turmis item

Auctæ Hiſpanorum copiæ.

navalibus libertate donatis, triremes demiſit, ne hoſtis illis potiretur. Ipſe pedeſtri itinere Neapolim contendit. Hiſpana claſſis inde ſolvens, Calabriæ oram depopulata eſt: Galli vero cum x. millibus armatorum quos ſub ſignis habuere, Oretanos obſident, qui cum pleriſque finitimis ad Hiſpanos defecerant. Sed nec Gondiſalvus in novo apparatu otioſus fuit, auctus enim ſupplementis, Rubium, quod olim Rugium dixere, obſidet, qui locus a Trano ſeptem millibus paſſuum præſidio tenebatur a Paliciæ regulo, Gallo inter ſuos claro, cum centum Cataphractis militibus (hujuſmodi autem ala apud Gallos ſexcentos equos facit) & una peditum cohorte. Eum locum Gondiſalvus multa vi adortus expugnat, & ex propugnatoribus quadringentos cædit. Ceteros cum ipſo duce capit. Dein ut eſt fortuna in adverſis tenacior, quam in ſecundis conſtans, in Calabria eo ferme tempore Aubignius dux alter, æque inter Gallos illuſtris, cum ducentis equitibus Scotis prælio funditur, accepto etiam vulnere, quibus cladibus perterriti Galli, cum cetero exercitu Canuſium receſſere.

Gallos ſuo dant.

3. Fuit Canuſium quondam civibus & convenis maxime frequens, ſecundum Aufidum flumen poſitum, quod vulgo nunc Audum vocant, ejus regionis emporium. Nam Cannenſi illa Romanorum celebri clade, quatuor millia hominum, & ducentos equites a Canuſinis frumento, veſte, viatico, dum fuga illuc delati eſſent, acceptos & adjutos auctor eſt Livius, fuitque ad uſque tempora regionis caput, ſed a Roberto (hi Normanni fuere) exciſum: tempeſtate autem noſtra præter tumulum, in quo arx antea fuerat, præterque Sabini ædem, quæ tumulo ſubjacet, ſolo æquata ſunt omnia, vixque veſtigium tantæ urbis extat; ejuſque excidium non parum contuliſſe videtur Beruli affinis oppidi frequentia & augmentum, dum pro agri vicinitate rerumque maritimarum comportatu, cives a patria eo commigrant. Videbant autem Galli, niſi inſigni aliquo facinore hoſtilis victoriæ curſum reprimerent, fore ut Apulia omnis ad Hiſpanos tranſiret, ſunt enim indigenæ ambiguæ ſemper fidei, ex eventu rerum conſilia capientes, & fortunam ſequentes.

Nova in Gallos reportata victoria.

4. Gondiſalvus duorum præliorum felicitate fidentior factus, & præſentibus viribus fretus, ad Ciriniolam Apuliæ oppidum expugnandum animum adjicit, nam eo expugnato frumentationem ſibi commodiſſimam & hoſti difficillimam facturus erat. Igitur ad IV. calend. Maias ejuſdem anni caſtra movens, cum omni robore exercitus eo contendit. Habuit tunc ſub ſignis equites mille & quingentos, peditum Hiſpanorum ſena; Germanorum duo millia, levis armaturæ equites quingentos. Horum plerique dum per ſiticuloſa torridi & nimio æſtu hiantis ſolis arva iter faciunt, uſque adeo & ſiti & fervore laborarunt, ut prope tabeſcerent. Agebat tamen ſemper ſub ſignis, & ſtructa acie exercitum ad omnes caſus. Inclinabat jam ad occaſum ſol, cum pulvis denſior & micantia repercurſu radiorum ſolarium arma in campi patentibus, & nudis, hoſtem non procul abeſſe indicabant, exploratoribus oculorum propiore conſpectu idem atteſtantibus. Solliciti etenim ipſi quoque Galli de loci illius opportunitate, deque eo retinendo multum ſua intereſſe putantes, omnia experiri malebant, quam ſe inde expungi paterentur. Itaque quadrato agmine procedentes ad pugnam intenti ferebantur. Erant illis mille & quingenti equites levis armaturæ, gravioris quingenti, cum ſuo equitatu; qui gravem æquabant armaturam, peditum ſupra quatuor millia, ænearum machinarum vis ingens. His armis ſepti, aleam ſummæ recludere non dubitabant. Contra Gondiſalvus, caſtris utcumque pro tempore locatis, & in fronte ingentem ſclopetariorum manum ſtatuere. Pone ſtabant falconiti, colubrinæ vertivolantes, & alia id genus tormentorum nova nomina. His cum turma equitum & peditatu valido præfuit Fabricius Columna, dextrum cornu curabat Gondiſalvus cum Hiſpanis equitibus, velitibuſque, ſiniſtrum M. Antonius Columna cum equitatu Italorum, & tribus Germanorum cohortibus. Vix ſtructis ordinibus, clangentibus undique tubis, utrique glandibus & globis æneis inceſſere ſe cœperant, ſed cum circa machinarum explicationem ab ea parte cui præerat Fabricius, tumultuoſius ſatagitur, præ confuſione hominum inter ſe nullo ordine concurſantium, ad cujuſque officium, pulvis omnis tormentarius conflagravit, caſu, an deſtinato, parum conſtat, niſi credamus quod Gondiſalvus ſuſpicatus eſt, hujus incendii auctores fuiſſet Italos, non perfidiæ vitio, ſed metu, dum diffidunt poſſe illa ab ingruente Gallorum multitudine tueri, ac idcirco maluiſſe abſumi & perire, quam hoſtibus uſui fore. Galli omine lætati ſpe certa victoriæ, in hoſtem ſua ſponte turbatum diſſonis clamoribus ferebantur. Verum ubi cominus ventum, & manus conferri cœptæ ſunt, Fabricii hortatu, qui ſecundum tormenta conſtitere conglobati, longe fortius Gallorum impetum retudere qui ab illis illatus eſſet, coactoſque loco hoſtes inſecuti, tam fœde cecidere, ut ex tribus millibus Vaſconum pauci admodum ſuperfuerint. Hac cura liber Fabricius in aliam partem agmen convertit, qua Gallorum robur cum Italis decernebat. His quoque fuſis diſſipatiſque, brevi illic debellatum eſt. Tetrior tamen cædes ab eo cornu fuit, in quo Gondiſalvus pugnabat, nam præter equitum magnam ſtragem, multi illuſtres viri, & ordinum du-

ctores imprimisque princeps NEMESIUS prorex, & cui erat imperium in omnes, in vestigio periere, majorque clades illata fuisset, nisi victis nox præsidio fuisset, coactis Hispanis abstinere pugna, quæ vix sesquihoram tenuit, quia sub inclinantem lucem signa sunt collata. Capta confestim castra, impedimenta direpta, signa & vexilla Gallica relata, & tormenta omnia in victoris venere potestatem, qui cædi superfuere omnes Neapolim cursum intendentes, ad Podium regium non procul ab mœnibus urbis constitere, non ausi tam adversa pugna urbem ingredi & civibus se credere.

Hispanis omnia se dedunt oppida.

6. Ad famam tam funestæ cladis, tanta protinus populorum desertio secuta est, ut postridie ejus diei quo profligatum est, LX. oppida ad Hispanos transierint; deinde vulgate passim certaminis rumore, Capua, Aversa, & Neapolis regni caput, & quidquid reliqui fuerat, a Gallis sponte sua sunt alienata, quin etiam arces, una post alteram citra bombardarum explosionem vi & armis expugnatæ, Hispanis accessere. Præda ingens capta, & quidquid biennio ante, rapinis, & latrociniis in eas congesserant victores Galli, paucis diebus amisere, dedidereque præterea se multi proceres, armis & animis fracti, & rebus comploratis diffidentes. Mittitur post hæc Fabricius Columna, cum Montorii & Populii comitibus, (hæc sunt Aprutianæ oræ oppida) qui & ipsi in partibus erant, in Amiternos, Marsos, & Pelignos, qui ut diverso hinc loco diximus, Palanæ nominantur, ut montanam illam regionem ad fidem revocarent.

7. Hispani regis Aprutiani omnes isti sunt populi; unde autem id nomen sint sortiti, quia rerum scriptores variant, non ausim affirmare. Nam Aprutium ab apris aliqui deducunt, quod cum asperrimi sint montes, silvestriaque admodum in ea sint loca, apris inde frequentibus abundent. Alii quia pars ejus præcutorium quondam esset, corrupto nomine pro præcutio, Aprutium dictum volunt. Sunt qui a locorum asperitate dictum velint, & ex Asprutio Aprutium factum, idque nomen montanis primo locis inditum, post vero ab iis qui publica vectigalia exigerent, paulatim productum, plures simul regiones complexum esse. Si quidem Marsos continet, qui nunc in Taliacocienses, Albenses, Celanenses, Aquilanos Mareriosque distributi sunt, etsi Sabinorum ii quadam ex parte quam Marsorum olim magis fuere. Itemque Carpseolanos, ad hæc Piceni partem qua a Truento Aternum usque, nunc Piscariam, hinc Aquilanorum montibus, illinc Hadriana continet, isque ager ab iis qui in ea regione sunt oppidis, nomen accepit, ut Terramanus, Hadrianus, Pinnensisque. Nam quæ pars minime septentrionem spectat, quæ olim Sabinorum fuit, ea nunc Montana vocatur; Peligni qui in tres olim divisi partes erant, quæ in plano sita est, eam incolæ Valuam appellant, in qua Sulmo est nobile oppidum & regionis emporium. Reliquæ partes duæ ob cœli inclementiam ignobiles factæ, ac pene desertæ cultoribus, pabulum æstate pecori submini-strant. Quod ab Aterno & Sarnio sive Sangro fluminibus ac Majella & Coctia montibus clauditur, Hadriaque alluitur, in quo sunt Horton, Lanceanum, Anaxanum prisco nomine dictum, ac Theate, olim Marucinorum fuit, in quibus Theates præstabant. Quod est a Sarno ad Tyfernum, Ferentani tenebant, Monsque Ferentus dicitur. Post quos sunt Dauni, Ferentanorum olim celeberrimum fuit oppidum Istonium, nunc est Vastum ab Amone cognominatum. Est in eo tractu celebre oppidum Atissa, a Pelignis per Appenninum, qua meridiem spectat, Samnites & Campaniam pertingit. Nam quod ab Aterno, id est Piscaria, ac Marsorum clauditur montibus, id Ulterius nunc Aprutium nominant. Quod Marucinos, Pelignos, Ferentinos, & partem Samnitum complecti diximus: huic citeriori Aprutio nomen est. In hæc itaque loca unde digressi sumus redeamus.

Fabricius Aquilam sibi subjicit.

8. Delatus Fabricius magnam partem sibi vindicat, plurimique volentes dicto parent. Theatini armis & vi subjecti. Aquilam tunc Hieronymus Galiosus vir factiosus, qui a Gallis stabat, vi potius quam partium favore tenebat. Hæc urbs ab Amiterni excidio crevit, oppidi olim celebris. Nam cum Italia ab exteris & barbaris occupari cœpta est, post extinctum Romanum imperium, Amiternum ruinis deseti a civibus, & a convenis habitari, Aquila nova urbs cœpta est, propter agri opportunitatem fontisque ipsius usum ac aquarum libertatem & pabuli, paulatim que forum rerum venalium & emporium fuit. Profuit etiam ejus frequentiæ Furconii propinqui alterius oppidi accessio. Nam & ab ortu solis agrum Furconensem vocatum comperio, & ætate nostra deleti oppidi adhuc extant vestigia. In hanc itaqueu rbem tunc tyrannidem exercens Galiosus, multos principes viros civitatis, quod Aragonensium studiosi essent, vita spoliaverat. Huic post vulgatam adversæ in Apulia pugnæ famam, nonnullæ ab Alexandro pontifice maximo equitum turmæ, quibus Fraccassius Sanseverinius præerat, auxilio venerant, quamquam fama fuit, eas copias non Gallis supperias a pontifice fuisse missas, sed ut eam urbem suæ ditionis faceret. Nam cum una pars in pontificias partes inclinaret, essentque ejus urbis opes, ac civium facultates magnæ & vires, apparebat ut in quam ipsa urbs inclinaret & partem, Aprutii reliqui populos ferme omnes in eam traheret. Et nihilominus adeo versipellis, & ancipitis erat animi ALEXANDER, ut neutro regum de se fidente, miris

artibus ſuam fidem obſequi fortunæ ſemper affuefecerit. Averterat autem a Galioſo popularium omnium animos, tum præſens rerum mutatio, tum vero tyranni odium crudele. Itaque Fabricius his copiis quas ducebat, & novis auxiliis quæ ad eum factionis ſtudio ex vicinis confluebant, erectus, in expectationem alicujus motûs ab Aquilonis, comitem Montorii ad illorum uſque mœnia obequitare jubebat. Sub ejus acceſſum Sanſeverinius, & Galioſus non ignarus quod infeſto animo in eum eſſet civitas, urbe ceſſere, fuitque in arbitrio Montorii urbem dedititiam pacato agmine ingredi: ſed quia peſtilentia in urbem paſſim ſæviebat, ejus alioqui ſtudioſiſſimo ingreſſu ſedulo abſtinuit. Interea in Æquis quos Æquiculos, nunc vulgo dicunt Talioquitium, & Alba ad Fucinum lacum ſita. & quidquid reſiduum in Marſis fuit, præter Coruarii arcem ad Fabricium defecerat. Galli vero qui cladibus ſuperfuerant, omnibus oppidis circa oriferum mare amiſſis, Cajetam imminentem Tyrrheno mari, in cujus ſinu portus eſt opportuniſſimus, quem Antoninus Pius imperator magnis exſtructionibus inſtauravit, compellunt. Illic ſæpius urgente Hiſpano per utriuſque partis occaſionem eſt dimicatum. Vario ſiquidem eventu, & Gallis mari commeatus aliquando ſuppeditatus eſt, & in Etruria novus comparatus exercitus ab Florentinis, Bentivolis ex Bononia, & a Ferrarienſi Atteſtino, in gratiam Gallorum fuit, cui præfuit Franciſcus Gonzaga. At ab ALEXANDRO pontifice non ſolum non ſunt Gallo ſubminiſtrata ſubſidia, verumetiam pars maxima exercitus ſui ab eo exauctorata eſt, ne ſcilicet afflictis Gallorum rebus opem ferret. Quod ſi integras copias novo ſupplemento adjeciſſet, magnum additamentum, magnumque momentum reſtituendis Gallorum opibus collapſis feciſſet. Propterea creditum eſt illum clam cum Hiſpanis ſentire cœpiſſe. Eam opinionem auxit Troccii (is erat ALEXANDRO intimus & conſiliorum princeps,) ſupplicium, quod veniſſet in ſuſpicionem alienatæ a Gallis voluntatis ejus LUDOVICO regi conſilia aperuiſſe, nactuſque idcirco occaſionem in Urſinos graſſandi, nullo vindice, acciſis Gallis in Italia, iram jampridem conceptam in eam familiam truculenter exercuit, & quotquot per inſidias corripere potuit, ac nonnullos patritios Romani nominis factionis ſtudioſos morte mulctavit.

Alexander papa a Gallis deficit & in Urſinos graſſatur.

Gondiſalvus Cajetæ obſidionem ſolvit.

8. Dum hæc Romæ aguntur, Gondiſalvus, qui Gallos ad Cajetam obſidebat, ubi ſe videt nihil proficere, quandoquidem Cajetam abunde commeatus mari importabatur, & Galli munitiſſimo ſe loco continebant, ſoluta obſidione, ad quinque paſſuum millia retro abiit, hoc quamvis parvo Gallorum ſucceſſu, Germaniani ſub Caſini montis radicibus oppidi incolæ, cohorte una militum a Cajeta accerſita, Triſtanum, genere Cugnium, arcis præfectum, temere nimis & per quam familiariter quotidianæ oppidanorum conſuetudini ſe immiſcentem, incautum excipiunt, deficiuntque haud diſſimulanter ad Gallos, arcem tamen præſidio munitam ac defenſam conſequi nequeunt. Quare neceſſe fuit oppidanis majoribus Gallorum præſidiis ſibi conſulere, ne ab ultoribus Hiſpanis opprimerentur, quos non dubium erat arci auxilia immiſſuros ut fecerunt. Nam cum quingenti pedites ſub tribus ſignis, oppidanis continuo a Gallis affuiſſent, affuit e veſtigio majore manu Hiſpanus, ut & arcem tueretur, & deſertores ad imperium cogeret. Galli ſuæ paucitati, & oppidanorum imbecillitati diffiſi, fugam ſubornabant, ſe qua dilabi poſſent inveſtigantes. Verum repentino Hiſpani hoſtis adventu circumventi opprimuntur, pluribus eorum tum cæſis, tum captis, amiſſiſque duobus ſignis. Quota pars Fregellas quas nunc Pontem-curvum, ſive ut alii Pontem-corvum diſpalatim perveniunt. Galli qui Cajetæ erant, ubi indicio comperere Hiſpanos ad eas Gallorum reliquias diſſipandas Fregellas petere, antequam conflixiſſe audiſſent, alias phalanges ſuis auxilio mittebant. Verum dum inexplorato procedunt circa Itrium oppidum, v°. illinc lapide cum duce ad internecionem cæduntur. Vix cohors una infortunium evaſit. Hæc ſub finem ejus anni geſta ſunt, quo ALEXANDER pontifex diem clauſit extremum, & Borgias filius ejus graviter ægrotavit, hauſto, ut vulgo jactatum eſt, ab utroque eadem menſa imprudenter veneno, quod ipſi uni ſupremi ordinis antiſtiti victori propinandum paraverant, ejus auro inſidiantes. Ita in caſſes quas alteri intenderant, ipſimet decidere. Sed dum comitia novo pontifici creando parantur, & Rothomagenſi Gallo Aſcanioque Mariæ, ac Juliano Rovereio Oſtienſi ſupremi ordinis ſacerdotibus ad ſuffragia pontificia e Gallia venientibus, ſpatium datur; Borgias tot recentium injuriarum conſcius, quibus omnes proceres Latiales, & inprimis Urſinos affecerat, Proſperum Columnam & omnes ejus gentiles, qui Romam per hujuſce regni tempora ſe contulerant, in ditionem paternam reſtituit, ut æmulæ factionis opes contra Urſinos ſibi conciliaret. Sed quia in Urbe frequentiâ armorum, poſtquam patres omnes in curiam conveniſſent, comitia haberi non poſſe videbantur, juſſi ſunt omnes armati Urbe excedere. Borgias Nepe conceſſit, Gallorum & ſuis præſidiis innixus, qui quidem Galli contra Hiſpanos in Campaniam proficiſcentes, forte tunc illac iter faciebant.

Galli iterum cæſi.

Alexandri papæ mors.

9. Interim GUIDO PHELTRENSIS incredibili civitatum ſtudio principatum Urbinatem recepit, & JOHANNES SFORTIA populorum favore Piſaurum (citra arcem tamen, quæ mari imminens, ut erat munitiſſima, alie-

quandiu reſtitit) ſine armorum ſtrepitu recepit. Ariminum non tam facile ab Malateſta receptum eſt, quoniam arx a Borgianis valido præſidio tenebatur; & cives eidem principi, veteri in illum odio, ob morum acerbitatem averſabantur. Verum cum Bartholomæus Albianus, qui Venetorum tunc ſtipendia merebatur, ac invito, ut ferebatur, eo ſenatu, contra fidem ſacramenti a ſignis recedens, illac iter faceret, neceſſariis ſuis Urſinis ad recuperandam patriam ditionem opem laturus, magno illi adjumento fuit, ut Arimino potiretur. Deinde auctus tumultuariis copiis, in Romanum agrum properans, omnia bellis immiſcuit. Nam & Daliones domo profugos, intra Peruſium, & alios extorres, ejectis adverſæ factionis hominibus, in patrium ſolum reſtituit. Dein infeſto agmine Nepe contendens, Borgiæ acriter imminebat: quo metu (erat enim armis longe inferior) a Pio III. (is Franciſcus Picolomineus erat) tunc pont. max. declarato, impetravit Borgias, ut ſibi Romæ tuto liceret eſſe. Pius ſane ingenii mitis, abjectis armorum ſtudiis, paci conſulebat. At Urſini ſuſpicati pontificem novum cum Gallis ſentire, ad Hiſpanos protinus defecere, uno Jordano excepto, qui parentis commilitium & quaſi hereditariam fidem ſecutus, a Gallis nulla ratione divelli potuit. Sed cum idem pontifex intra paucos dies fato conceſſiſſet, (nec enim in illo ſummo honore vel menſem integrum exegit) Borgias qui tunc in Vaticano pontificis permiſſu cum valida manu ſe continebat, prementibus Urſinis heroibus & populo Romano ad ſupplicium eum poſcente, patrum decreto in Adriani mole ſervatus eſt, quaſi in eum judicio poſtmodum a futuro pontifice inquirendum eſſet. Ex quo urbana poſuit ſeditio, & comitia tranquillius haberi cœpta.

Pii papæ creatio & obitus.

Malateſta Ariminum vēdit Venetis.

10. Dum ſic, ut prætulimus, Romæ tumultuatur, Malateſta interregni pontificii commoditate uſus, dum intra Ariminum receptus, dat operam pro virili arci recipiendæ, ab Borgiana cohorte quæ ab arce eruperat, nec ejus impetum ſuſtinere poſſet, etiam ab urbe ejicitur. Rurſus vero cum a Guidone Pheltrenſi reſtitutus, diffideret eam urbem armis tueri poſſe, egit cum Venetis, ut arcem auro redimerent, poſtquam vi non poterat, eamque cum urbe ſibi haberent, ipſe ab his ſibi & poſteris Civitatulam (id oppido celebri in Patavinis nomen eſt) perpetuo poſſideret.

Qui Faventiã oppugnant.

11. Ea arce redemta, Veneti, dum comitia diutius ſummorum patrum ordinem ſacrum occupatum tenerent, latius imperium propagare volentes, Faventiam armis & tormentis oppugnatum ſibi pariter vindicant, & Cæſenam tentant, ſed fruſtra habiti deſtitere: quæ res poſtmodum in eos tantam invidiam conflavit, ut non multo poſt toto prope exciderint continentis imperio.

12. Per idem tempus cum Gallorum copiæ, quæ ad decem equitum peditumve millia fuere, ab Etruria Latioque jam Cajetam perveniſſent, ſocii qui Cajetæ ſedebant, in apertum prodeuntes, ſumma lætitia ſuis auxiliaribus adjunguntur, Molamque & Itrium repentino adventu diripiunt, arcem inde cognomine Siccam, quam Hiſpani tenebant, ſumma vi adoriuntur. Sed inde acrius repulſi, ſupra trecentos e ſuis in ea oppugnatione amittunt. Quæ res Gallos prius ferocientes adeo fregit, hoſtes vero ita animavit, ut Gondisalvus contracto ex finitimis ſtationibus milite, recedentes Gallos ad Fregelas, nunc Pontem corvum, ad pugnam elicere non potuerit. Verum dum ſanctum Germanum retrocedit, Galli Fregelas hoſtiliter invadunt & diripiunt. Mox Gulielmianum oppidum adorti, fruſtrato conatu cum ignominia rejiciuntur & multa cæde. At Hiſpani diverſo illinc itinere, Caſinatem ſaltum ductu Fabricii, mox Evandri arcem quam Galli, & in his plerique viri ſtrenui tenuere, per deditionem tandem recipiunt.

Galli Fregellas diripiunt.

Fabricius Evandri arcem capit.

13. Dum autem alternatis oppugnationibus utrique ſe infeſtant, Galli de trajiciendo Liri cogitare cœperunt, qua maxime flumen vadabile fuit, quamvis ei loco intentius Hiſpani inſiderent, quo hoſtem tranſitu prohiberent; reliquus enim alveus ſtagnantibus aquis & præruptis ripis, nuſquam vado trajici poterat, niſi ponte ſublicio deſuper ſtrato; nec ulli dubium fuit, quin Gallis, ſive traducere tentarent, ſive per id anni tempus illic ſedendum cenſerent, res illis infeliciter ceſſura eſſet. Jam enim nimio gelu tellus rigebat, nec ſub pellibus, nec ſub tectis, quæ rara & inter ſe longo intervallo disjuncta erant, hyemandi locus fuit, fameſque jam ſentiri cœpta erat, morbuſque peſtilens invaleſcebat, quo magna pars militum inutilis facta eſt. Pervenere tamen non ſolum locum quem ſemel cœperant tenere, verum etiam diſpoſitis per fluminis marginem ad impetendum hoſtem machinis, ponte amnem jungere, & tranſitum in ulteriora moliri. Jamque ſexcenti pedites penetraverant, cum re animadverſa Gondiſalvus Fabricio imperat Columnæ, uti cum aliquot cohortibus impigre illis occurrat, & e veſtigio manus conſerat. Fecit mandata Fabricius, in hoſtemque ubi confertior fuit illatus, primo impetu disjicit ac ſternit. Multi ferro trucidati, plerique fluminis vorticibus abſorpti, dum nando evadere tentant, ſuffocantur. Cecidere tamen aliquot ex Hiſpanis, tum in conflictu, tum ex colubrinarum vertivolantiumque funeſtis ictibus ab citeriore proripio diſploſis. Pontem tamen tenuere Galli, & præſidio firmarunt. Eſtque propterea per occaſionem ſæpius circa pontem dimicatum. Sed & Gondiſalvus de abſumiendo per incendium ponte cogitans, ſtipulam & ſarmenta pice, ſulphure,

Galli Lyrim fluvium tranſicere fruſtra repugnantibus Hiſpanis.

ſulphure, & tormentario pulvere conſperſa, naviculæ immiſit: quam ſecundo labentem flumine incendi juſſerat, obſervato tempore cum propius ponti ſucceſſiſſent: verum quia miniſtri celerius occupavere incendium, arentique materiæ prius ignem injecere quam res poſtulabat, in irritum conatus omnis ceſſit. Prius enim arida illa nutrimenta conflagrarunt, quam ponti appelli potuerint. Nec minus alio loco fruſtra eſt habitus Gondiſalvus, dum ponte per noctem ſtrato ſuper flumen, duobus millibus paſſuum longe a caſtris ſperat incautum hoſtem opprimere: nam ſuperato ponte, ubi primum ad hoſtem iter inteadit, tanta ſubito tempeſtas coorta eſt & nubes, ut nec ſigna ſequens, nec imperia excipiens, in tanto imbrium caſu, diſpalato agmine, proxima mapalia, villas vicoſque, ut cuique commodum fuit, raptim petere ſit coactus. Sed major pars ad Sueſam oppidum, cui nunc Sexæ nomen eſt, curſu ſe recepit: nemo tamen in tanta procella periclitatus eſt. Hinc vulgo jactatus eſt rumor, Gallis auctoribus, Hiſpanos bello fractos fuſoſque paſſim dilabi: quo figmento plura oppida hactenus ſuſpenſa & partium ſtudio incerta, ad Gallos defecere: & in his Olivetani, qui principe ſuo per vim in arcem coacto, Gallos recepere. Hi ſunt Aprutini in Campanum agrum ſpectantes: luere tamen haud multo poſt temeritatis pœnas, ab Hiſpanis expugnati & fœda populatione caſtigati.

Gondiſalvus tranſito amne Gallos fugat & omnino diſſipat.

14. Enimvero cum plus dimidio bruma jam effluxiſſet, Gondiſalvus pertæſus longioris moræ, ceteris ductoribus præter unum Bartholomæum Albianum, conſilium improbantibus, tranſitum in hoſtilia caſtra trajecto flumine molitus eſt, ſperans illos frigore, tabe & tabernaculorum incommoditate confectos, parvo negotio opprimi poſſe: nec eum fefellit opinio: namque ubi pontem clam compactum flumini impoſuiſſet, præmiſiſſetque Albianum, qui agmine præcurſorio hoſtem adoriretur: Gondiſalvus cum robore exercitus inſtructa acie ſequitur. Capitur primo impetu Sugium illis obvium. Admoniti Galli bombardarum fragore (aberant enim ſecundo illic lapide) ratique, id quod erat, hoſtem tranſgreſſum, ducentos ſtratiotas equites qui & ſpecularentur & Hiſpano occurrerent remorarenturque, præmittunt, totis viribus illorum veſtigia paulo poſt ſecuturi. At iſti facta in eos acri impreſſione, parvo admodum temporis ſpatio ſunduntur, omnibus prope trucidatis. Galli re comperta, per eos qui fuga evadere potuerant, hoſtis ingruentis ferociam formidantes, quanta maxima poſſunt celeritate machinas Cajetam præmittunt, partem in proximum amnem devolvunt, ne uſui hoſti eſſe poſſent. Dein hoſte non expectato ſe fugæ mandant Cajetam verſus, qui prius in eos hoſtes ruituros, quam poſſent imparati & diſſipati in aciem ſtrui videbant, & jam ſol inclinabat: ſed Gondiſalvo eorum fugam premente, poſtridie ejus diei luce auſpicante funduntur: & cum Galli in ipſa etiam rerum deſperatione aciem inſtaurare conati eſſent, graviore vulnere ſunt confecti: fuga enim undique facta, victi & victores eodem ferme tempore ſub ejuſdem Cajetæ munimenta pervenerunt: & quia Galli non jam de ſiſtendo agmine hoſtili aut victoria cogitabant, ſed de vita ſolliciti erant; Hiſpani impigre non intermiſſo curſu, monti qui Cajetæ imminet, quique Gallis pro arce fuit, ſuccedunt, præſidiumque hoſtium ſibi minime conſtans & pavitans, alio ſuper alium ſtrato more pecudum occidunt. Tanta vero reliquos qui procul aberant periculo, trepidatio cepit, ut conſpecta ſuorum ſtrage, quæ in edito colle edebatur, rebuſque perditis, ad navem quæ forte in ipſo Liris oſtio, qua mari infertur, in anchoris ſtatent conglobati, ſeque invicem collidentes concurrerent præcipites, in eamque ſe conſtiparent. Sed dum nimio confluentium pondere gravatur, omnes ipſa mole demerguntur perieruntque; in hiſque Petrus Medices, qui patria Florentia ejectus, ut diximus, Gallica arma ſequebatur. Reliqui qui Cajetæ mœnibus præcluſi erant, cum nec ſalutis, nec præſidii aliunde ſpes illis appareret, iniquis admodum conditionibus Cajeta exceſſere: data & illis & captivis omnibus, qui per ſuperiores conflictus in captivitatem venerant, ſive terra ſive mari abeundi in Galliam libera facultate. Eorum alii pelago in patriam avecti, alii pedibus regreſſi, frigore, fame, vulneribus, morboque tabidi, dum Romam verſus iter intendunt, omnibus ludibrio fuere & contemtui, & in lucro vitam poſuere, illis non ad miſerationem, ſed ad cumulum ærumnarum relictam: cum nemo illos ſpoliatos & ſeminudos tecto hoſpitiove juvaret. Solus Julius II. pont. max. qui Julianus Rovereius patria Savonenſis fuerat, inter ſacri ordinis antiſtites, & cujus erat in ſede pontificia annus primus, & a partu Virginis quingenteſimus quartus ſupra milleſimum, nuditatem illorum ſagulo texit; & Jordanus Urſinus comiter amiceque tranſeuntes excepit. Per hunc modum regnum Neapolitanum, quod late patet, Gallorum rebus exciſis, Hiſpanorum imperio acceſſit, præter Sipontum in Apulia & alia quædam obſcura loca, quæ aliquandiu retenta, tandem deditionem fecerunt, & præter eos portus & urbes maritimas, quas ſibi vindicaverant jam pridem Veneti a Ferdinando ſecundo rege, ut dicebant, emtas.

15. Quievit per hæc Italia a bellorum turbinibus luſtrum integrum. Nam utrique reges, tum externis, tum domeſticis enervati bellis (in ipſo enim Aquitaniæ & Celtiberiæ

collimitio, infesto inter se agmine conflixerant ambo, eventu tamen Hispanorum semper prosperiore) inducias in tres annos tandem pepigere, reparandis viribus vacantes. Erant utrique exulceratis animis in Venetos, genus quidem hominum, consilio, opibus, & amplo dominatu pollens; verum in augendo imperio, ubi ansam aliquam ad occupandum alienum jus nacti sunt, anxium; in aucto pertinacissimum. Insederat Ludovici regis imo pectori indignatio, velut quædam extuberans vomica ab illis orta. Fremere enim, se in medio belli Neapolitani ardore, non solum destitutum, verum & ab eis clam auro adjutum Ferdinandum II. Aragonium regem, demum se palam armis oppugnatum ab illis ipsis, quibus Cremonam in Transpadanis urbem clarissimam, opulentumque Insubrium vectigal, pretium societatis cesserat, dum Sfortianos ditione expungeret. Ferdinandum regem Hispaniarum non leviores injuriarum causæ, in odium illorum perurgebant. Manebat illi altius in mente repositum Brundusium, Hidruntum, Monopolim, Tranum, & alias nobiles urbes, portusque in ora Apuliæ, in Adriaticum pelagus vergentes, a Ferdinando Aragonio, dum Gallorum armis vexaretur, magno, ut dicebant, emptas, a se repetitas nec redditas fuisse, nec nisi bello vindicari posse. Itaque ambobus in illos graviter irritatis, quamvis a sincera animorum inter se reconciliatione alienis, nequaquam difficile fuit, ad ulciscendas injurias & proprias & communes in pacis fœdera coire, præsertim Maximiliano Cæsare, cujus fines carpserant Veneti, in easdem fœderum leges minime gravate accedente. Verum gravissimus auctor, & tantæ fœderationis conciliator præcipuus fuit Julius II. pontifex, Venetorum ambitioni impendio iratior, propterea quod in Flaminia Ariminum, Faventiam, Ravennam, Cerviam & pleraque municipia de ecclesia jamdudum eo invito tenerent: nec induci potuerant, ut restituerent. Itaque quinquennio decurso, ab eo videlicet tempore quo in Campania debellatum fuerat, atrox in Venetos a tam potenti societate bellum conflatum est. Celebrata autem sunt hujusce societatis fœdera in Samrobrina civitate: quæ in Belgis Galliarum tertia parte posita & nostra ætate Cameracensis* dicitur. Accessere in hujusmodi conspiratum multi principes Italici nominis: in queis Alphonsus Ferrariæ dux, cujus patrem Herculem, ante vigesimum septimum annum, ex contentione de finibus, bona principatus parte exuerant, ademtum Rhodigium, quod inter Padum, & Athesim situm, cum aliis oppidis peninsulam facit, ademta alia oppida Rhodigini juris Lendenaria, & Abbatia, campique fertilissimi. Tam grave vulnus perstringebat Alphonsum, stimulabatque ad revulsas velut a corpore particulas, pro virili, in integrum restituendas. Affuit & Franciscus Gonzaga Mantuanus marchio, ut nunc dicitur, suasque ulturus injurias. Affuere & alii, qui tamquam ad commune incendium restinguendum coorti, miro consensu Venetum undique urgere satagebant.

Fœdus adversus Venetos.

*Quibusdam dicitur Ambianum.

16. Ludovicus itaque Gallorum rex quadraginta millium armatorum copiis septus, Mediolano movens, quo sub illius veris initium destinato venerat, ultra Adduam duobus ferme passuum millibus primis castris signa posuit. Pontificius exercitus Faventiam & Ravennam in Flaminia; in Apulia vero Ferdinandus civitates maritimas a Venetis tentas, eodem ferme tempore quo confederat ad Adduam Gallus, invasere.

17. In tanto reipublicæ suæ discrimine minime segnes Veneti, delectu raptim habito, & ad veterem militem novo auctorato, quinquaginta hominum millia fidentiore animo quam feliciore fortuna Gallis objecere. Præerant universis copiis æquato imperio Bartholomæus Albianus & Nicolaus Pitilianus ambo Ursini: ambo armorum usu & arte præstantes, sed hic natu provectior, pugnandi rationem libratiori consilio inibat. Albianus spiritu fervidior & ingenio præpropero, in certaminum studia immodico ferebatur ardore. Eratque illi mens, si collega sequi voluisset, trans flumen copias prius traducere, & in hostico locare, ac præoccupare Gallorum molimina: qui jam pontem in trajectum compegerant, collegam pro cauto timidum, pro perito imbellem vocando. Contra Pitilianus tutiore loco, intra suos limites habenda castra, nec nisi ex occasione pugnandum, hostem pro crastinando & cunctando fallendum frustrandumque ducebat, nec de summa totius rei eventu unius pugnæ periclitandum existimabat. Ea propter perurgente etiam æquali imperii æmulatione, & animis & sententiis diffidebant, ut majus inter eos, quam adversus hostium legiones certamen maneret, nam cum hostes in acie inter sese omnibus locis ac temporibus certaturi videbantur, nec legati Venetorum, qui rebus bello tractandis pro more non solum interfunt, sed etiam præsunt, tam diversas voluntates pro re temperare, aut componere poterant. Neque enim ut nihil agerent, sed ut agentes eadem ratio idemque consensus ageret, laborabant: ne improvida festinatio perniciei esset. Defecerat in ipsis principiis ad Gallos Trivilium oppidum in ripa Adduæ situm. Eo nomine ira & furore percitus Venetus: illud summa vi adortus expugnat, nullo non crudelitatis genere adhibito. Sacra profanata, stupratæ matronæ, vitiatus virgineus pudor, mortalium corpora etiam & sacra violata; denique quamvis invitis ducibus, sævitum immaniter in omnes sexus, ætates & ordines: do-

Veneti Gallis resistere parant.

cumento ne deſciſcerent, ceteris futuros.

18. Indignatus Ludovicus rex Trivilium in ſuam invidiam crudelius devaſtatum, flumine per pontem uti diximus ſuperato, ipſe inter primos ripam ulteriorem tenuit: nemine hoſtium obvio, poſtquam omnes ordines cum machinis bellicis, & impedimentum trajecerat. Ripaltam ſiccam (id oppido nomen eſt) imperata facere detrectantem, vi ſumma irrumpit, populabunduſque omnia tam ſacra quam alia quæque violat & diripit, nec militi Veneto, in quovis crudelitatis genere cedens, etiam corpora licitavit. Dein ſtructa acie Pandinum ducentis ferme paſſuum millibus ab amne diſſitum, quod erat caſtris habendis idoneum, & pabulo aquationique peropportunum ire pergebat. Agebat primum agmen Johannes Jacobus Trivulcius, Inſuber genere, & bello inſignis. Mediam aciem rex ipſe pone ſequebatur, & cingebant latera Galli & Italici ſanguinis ductores in fronte, & inter ipſos ordines; ubi expedire viſum eſt, tormenta ænea locata trahebantur. His magno auſu & intrepido animo occurrebat Albianus, cum non pœnitenda peditum equitumque manu, & ipſe præ ſe agens ad jaculandum magnam vim machinarum. Inſidebat tumulo editiore Pitilianus cum validis copiis, potius ſpectator quam bellator. Aliena enim erat illi mens a pugnandi ſtudio. Dum vero Albianus iter, qua in hoſtem procedebant, junctis fruticibus ac ſcrobibus impeditum, calonibus & vaſtatoribus purgat; datur Gallo ſpatium machinamentis bellicis in frontem, in latera & ad viarum anguſtias diſpoſitis ſe munire, uti hoſti nocere poſſet, ac illius ordines disjicere. Succeſſit nihilominus Albianus quamvis ſerius acie producta. Ubi autem in conſpectum venere, manus ſine mora conferuntur, tanto utrimque tormentorum complosu, ut fragore tonitrua vincerentur, diu æquato marte, & cæde mutua dum cominus res agitur, & eminus per latera glandibus æneis utrimque inceſſunt. Ipſe Albianus immiſſa acriter legione turbare Gallum & fatigare, ac per mediam aciem irrumpere, pugnantibus ſuis adeſſe, hortari voce, manu, & inter ipſos certatores ipſe pugnare, perennem laudem, ſi fors votis aſpiraſſet, periculo vitæ mercaturus. Non ſolum autem exceperunt Galli ingruentem, verum etiam confertiſſimi, recentiore ala immiſſa, hoſtem proterunt, & ſubmovere contendunt, ſtante nihilominus contra ſe hoſte. Verum dum in veſtigio quamplurimi utrimque caderent, ſed Venetorum longe plures, in medio certaminis ardore horrida tempeſtas plurimo imbrium caſu coorta deteriorem facit rem Venetam, loci quem tenuit iniquitate. Nam inter ipſa vineta, ac enata ſtirpium virgulta, & ſcrobium inæqualitates, recenti terræ erutione & complanatu, corruptis ab aquis viis, ita lapſabant in veſtigio plantæ, ut nec ordinem ſervare, nec ſequi, nec circumagi, nec imperata facere poſſent, præſertim cum ab hoſtibus brachia porrigentibus in arcum turbarentur; & ab omni parte mira celeritate machinis diſpoſitis lethaliter petcrentur. Acceſſit ad cumulum malorum aliud incommodum, quod humectato ab recenti nimbo pulvere tormentario, nihil reliqui illis fuit ad machinarum uſum: Gallis autem, neſcio quo pacto, ad jaculandum vis integra & ſolida perſtitit, qua proſtrati protritique ſunt hoſtium cunei, ut pro Gallis ea die æthera militaſſe dici poſſit, & conjuratas veniſſe ad claſſica nubes. Jam inclinaverat acies Veneta, & ad fugam ſpectabat potius quam ad pugnam: qua re Albianus animadverſa, ubi ſe videt cinctum ab hoſte, proditum a collega & deſtitutum, nemine, laborantibus rebus & cadentibus, ſuppetias miniſtrante: pluribus etiam centurionibus dilabentibus, rem in ſummum diſcrimen deductam, more ſpumantis apri, quem plurimus perurget venator, & circumſtrepunt canes, ſummoto equo inter legionarios, ſariſta correpta pedeſtrem agebat pugnam. Sed dum incautius ſubit, & imperator & miles, vulnere accepto, debilitatur, & cognitus capitur, ductuſque ad regem ſervatur in triumphum. Tum vero teterrima edita eſt cædes, & per quamplurimi paſſim de Veneto trucidati, nemine hoſtilem vultum jam ferente. Stans Pitilianus dux in ſpecula, unde omnia oculis ejus ſubjicerentur, laborum & periculorum exors; tum a legatis juſſus, tum ſuamet formidine perculſus, cum reliquo exercitu ita rapido curſu in fugam agitur, ut perplura ſtadia hominum & equorum ornamenta & munimenta abjecta undique conſpicerentur. Inde captivorum & ſpoliorum numerus immenſus: machinarum ænearum omne genus prope innumerabile, caſtra & ſigna militaria hoſti acceſſere. Deſiderata dicuntur eo prælio ex Venetorum exercitu decem millia: nec tamen Gallo ſtetit incruenta victoria, ad quinque enim millia & eo amplius ex eis cecidere. Quod ſi Pitilianus laboranti collegæ opem ferre maturaſſet, non mediocri clade conſtituram Gallo fuiſſe ejus diei pugnam creditum eſt.

19. Verum ab ea funeſta plaga, ut mox docuit eventus, inſigne de ſe ſpectaculum cunctis gentibus præbuit Venetum imperium. Etenim patres, veluti reſpublica paulo ante florentiſſima, acciſa prorſus, & complorata fuiſſet, exercitum reparare, civitates præſidio munire, & tanto vulneri ut cumque mederi neglexiſſe viſi ſunt: ſcires altius, quod pro ſpecie, vulnus immiſſum: nam poſt tantam cladem, quæ ad XIV. diem Maii anni Domini quingenteſimi noni ſupra milleſimum, accepta fuit, intra diem tertium &

Ludovicus rex Venetos prælio aggredi pergit.

Pugnam integri excipiunt Veneti.

Qui a Gallis fundius cædantur.

Omnes Venetorum civitates Gallorum jugum ſubeunt.

vigeſimum, Veneti ab tam pulchro & flo- A
renti principatu, ad lacunas ſuas redacti ex-
cidere. Miraculo proximum fuit, tale regnum
per annum ſupra centeſim um, maximo ni-
xu, & magnis rebus geſtis, a majoribus par-
tum, tam brevi amiſſum. Verum tantus
terror Gallici nominis, homines civitateſ-
que quamvis munitiſſimas invaſerat, ut om-
nes populi veluti dato ſigno ad hoſtes de-
ficere ultro maluerint, quam vi expectata,
omnia extrema pati, quæ a barbaro trucu-
lento avariſſimoque toleranda eſſent, ſi vim
intuliſſent: & plebs alioquin rerum novarum
ſemper cupida, fidei otium, ſalutem pericu- B
lis anteponebat, præſertim Venetis reipubli-
Piſcaria ne- cæ uſque adeo attonitis & conſternatis. Sola
quicquam re- Piſcaria, opidum ad Benaci, quem Gardi
ſiſtente. nunc vulgo appellant, emiſſorium, muris
& arce munitiſſima freta, aliquandiu obſi-
dione tolerata, & bombardis diſjicitur, &
apertis muris hoſti pervia, mutua cæde ca-
pitur, in prædamque abiit fœdiſſimam: ipſe
arcis præfectus, patricius Venetus, cum filio
adoleſcente primæ lanuginis, indigno crucis
patibulo pependere: patre natu magno, ab
ipſo rege, qui expugnationi interfuit, non
ſibi ſed nato ephebo, impunitatem & ſalu- C
tem, multis ſuppliciis & lachrymis nequic-
quam deprecante. Evaſere tamen tanto pe-
riculo Antonius Bonus prætor, & Laetan-
tius Bergomenſis primipilaris. Non ultra
progreſſus Ludovicus rex, Brixiam retroceſ-
ſit: nam pro fœdere inter reges inito, tantæ
prædæ portionem ſibi addictam, & pactam
& præſcriptam ſolum arripuit, Cremonam,
Bergomum & Brixiam, multaque alia oppi-
da, quæ in illis regionibus non ignobilia,
connumerare ſupervacaneum exiſtimo. At
Maximilianus imperator etiamnum domi
ſedens, ne viſa quidem eo bello Italia, Ve- D
ronam, Vicentiam, Patavium, Goritiam, Ter-
geſte, totum Forum Julii citra Utinum; &
parte ex alia Julius pont. max. ductu Fran-
ciſci Mariæ Roverei, poſt expugnata VI. ali-
quot oppida, in Flaminia ultro Venetis per
oratores deditionem facientibus, Ravennam,
Faventiam, Ariminum, Cerviam, ad ſuum
imperium revocaverunt. Alphonſus Atteſti-
nus Rhodigium, & quicquid ad ſe pertine-
bat, pridem ſibi adempta, permiſſu ſocieta-
tis & fœderatorum omnium ſibi aſcivit, mon-
tem Siliciſi etiam & Atteſte, unde principes E
Atteſtini cognominati creduntur, Eſtenſes
vulgus imperitum vocat, novo ſibi adjecit
imperio, cum prius Patavini juris eſſent. Fer-
dinandus autem Hiſpaniarum rex, eodem fer-
me tempore Hydruntum, Monopolim, Tra-
num, brevi quoſcumque maritimos portus in
Adriaticum ſpectantes ſibi antea vindicave-
rant Veneti, in priſtinum regni corpus re-
degit, Venetis, poſtquam ita omnibus in
rebus averſabatur fortuna, haudquaquam
repugnantibus.

20. Porro cum in mora admodum eſſet Veneti Pata-
Cæſar firmandis muniendiſque præſidio ur- vinum civitatē
bibus ab ſe nullo negotio receptis, Patavium- nihil tale ex-
que tam Venetiis vicinum, quaſi neglectui gitantem ca-
haberetur (vix enim illi tenendo trecenti pe- piunt.
dites immiſſi fuerant) Venetus, qui paulo ante
de ſua ſalute deſpondere viſus fuerat, hac in-
curia animadverſa, nactus occaſionem rei
bene gerendæ, ſub decimum ſextum Calen-
darum Auguſti ejuſdem ætatis, accitas non-
nullas cohortes, ex iis quæ ex fuga cladis
Adduanæ, ad Meſtra oppidum prope ſtagna
Veneta adjacens, ſtativa habebant, Patavium
verſus per tacitam noctem adequitare jubet,
& quid fieri velit mandat. Ubi autem illu-
xiſſet, ac porta urbis mortalibus ad diverſa
officia, miniſteriaque commeantibus, nulla
ſuſpicione inſidiarum patuiſſet, miles Vene-
tus, qui in proximo latuerat, bipatentem por-
tam tam improviſo occupat, ut cuſtodes re-
pentina fefellerit irruptio, ac prius medio
foro divi Marci vexilla ſint conſpecta, quam
animadverſa vel exauditus armorum ſtrepi-
tus, ſtupor continuo urbem attonitam, nova
rerum facie occepit, cum intra urbis viſce-
ra cernerent militem graſſari. Nam primo
impetu Judæi in prædam abiere, domuſque
eorum potiſſime, qui novis rebus ſtuduiſſe
comperti fuerant, ſignanter ſpoliatæ: clamor
undique diſſonus, impuberumque quiritatus,
fœminarumque ululatus ſuam fortunam
complorantium, concurſatioque undique ci-
vium jam dudum profundæ quieti aſſueto-
rum tunc latebras meditantium, quando
quidem incognitum erat, quo progreſſura
eſſet victoris iracundia cunctis formidata.
Temperatum tamen a cædibus eſt, & urbis
nobiliſſimæ violatione. Tantum perduellio-
nis reis, qui quamplures fuere capti, & ad
ſenatum Venetias miſſi; .... in eorumque ma-
jorem partem gladio animadverſum eſt. Coer-
cita vero in primis militaris avaritia, præter
præſcriptum in prædam efferata & anhelans,
ſeveritate & ſolerti cura Andreæ Gritti pa-
tricii, qui ſummæ rei præerat. Nam aliquot
prædatorum ſuſpendio licentia militaris ſup-
preſſa, & urbs ab injuria ſervata eſt. Fecit
arcis deditionem præfectus ejuſdem poſtri-
die ejus diei, quo urbs capta fuit, Leonar-
dus Dreſanus Vicentinus, qui pro imperatore
etiam urbi præerat, & cum trecentorum præ-
ſidio incolumis abire permiſſus, protinuſque
ſenatuſconſulto, volentibus Venetis populum
recenti beneficio delinire, plebi Patavinæ
& agreſtibus in quinquennium data immu-
nitas eſt: & nexi fiſco abſoluti ſunt per pre-
conem ſolemni proclamatione. Ad eam vo-
cem omnes exhilarati, non ſolum ad offi-
cium ex fide redierunt; ſed etiam plebeii &
capite cenſi, ac ab agris voluntariorum le-
ctiſſima juventus ſub ſignis notiſſimis meru-
runt, ac poſtea ſtrenuam operam reipubli-
cæ Venetæ per ea belli tempora navarunt.

Petilianus Patavium mittit.

21. Venit poſt modum cum reliquo exercitu ex Meſtra PETILIANUS Patavium, luſtrataque per circuitum civitate, ac militè in certis ſtationibus locato, mœnia in primis portas multa materia roboris querni, ac gleba clathratis propugnaculis, foſſiſque intus foriſque altius ductis, ac aggere multiplici communire non deſtitit. Adjecitque aliquo intervallo, ubi expedire viſum eſt, colubrinas, falconetos, & omne genus fuſilium tormentorum: certus non ſolum obſidionem ſuſtinere, ſi a MAXIMILIANO, quem vulgatum erat, undique ſuorum & ſociorum auxiliis contractis, adventare, vis intenta fuiſſet: verum etiam in omnem eruptionem facere & longius hoſtem ſubmovere. Auxerant enim Veneti, undique conducto milite, & larga auri privatim publiceque coacti profuſione copias. Dum itaque in expectationem belli Veneti ſtant ſuſpenſi, ne obiter otio tempus tererent, facti certiores ſpecularorum indicio, FRANCISCUM GONZAGAM principem Mantuanum, cum ſexcentis equitibus egregie armatis, per agrum Veronenſem imperatori obviam ire, & ſuppetias expeditioni in Patavinos ferre: conſeſtim Lucium Malvitium Patricium Bononienſem, ductorem impigrum, & rebus bello geſtis illuſtrem, cum expedito equite, qui hoſtem inſidiis excipiat, ſi fors affuerit, mittunt. Accelerat mandata Lucius, & diei luce ſeneſcente, Liniacum oppidum, quod Atheſi alluitur, ingreſſus, ubi miles corpora & equos curaſſet, intempeſtæ noctis ſilentio, ad inſulam Scalæ (id loco nomen eſt a Scalanis tyrannis denominato) viginti millibus paſſuum Verona disjunctam iter tetendit, & ſpeculatoribus interceptis, ac quibuſcumque ſibi obviis, ad pagum ſuſpenſo gradu ſuccedens, hoſtem dormitantem in ipſis tabernaculis corripit. Aliquos tumultu excitos, reſiſtereque auſos trucidat. Principem ipſum increbreſcentibus clamoribus experrectum, & per poſticum domus hoſpitalis fugam molientem, in ipſo prope veſtibulo comprehendit, excuſato prius veteris hoſpitii privati & amicitiæ mutuæ jure, quod a publica cauſa ſejunctum, eum a ſcelere levabat. Dein præda pro numero hoſtium, & principis ambitiore pompa ad imperatorem euntis, ſatis opulenta militi conceſſa: Patavium magno captivorum numero cum ipſo principe captivo regreſſus, fama rei bene geſtæ prænuncia, gratanter & multo applauſu excipitur a cunctis, victoriæ omen ex primo ſucceſſu captantibus. Eo die qui divo Laurentio ſacer & ſolemnis erat, miſſus Venetias Franciſcus Gonzaga, tamdiu ibi fuit, donec bellum ſtetit. Demum annitente JULIO II. pontifice liberatus patriæ reſtituitur.

Franciſcus Gonzaga expeditionem in Patavinum inde Venetias.

Maximilianus Cæſar Patavium obſidet.

22. Nec multo poſt Maximilianus Cæſar, numeroſo diverſarum gentium cinctus exercitu, Patavinam obſidionem eſt adortus, excidium per fecialem urbi prius comminatus, niſi ei eam civitatem repetenti otius dicto obedientes fuiſſent. Erant in caſtris Cæſarianis fortiſſimarum gentium peritiſſimi duces, & ſtrenui milites, Germani in primis, dein Galli; tum a rege FERDINANDO & a JULIO pontifice, Hiſpani & Italici nominis validæ legiones, equiteſque ad numerum centum viginti millium armatorum. Erat in his Hippolitus Atteſtinus Alphonſi ducis frater, ſummi ordinis antiſtes, armis Herculi patri, quam Petro religione ſimilior, & Veneto in primis infeſtus, veterum injuriarum memoria: eapropter magnam tormentorum vim ad belli uſum in caſtra convexerat, ſub ejus obſidionis initia, ut tuto iter pateret commeatui in caſtra inferendo. Primo caſtrum Baſſianum, quod haud multo intervallo a Brintela diſtat, & quædam adjacentia oppida ſibi armis vindicat MAXIMILIANUS, munitque, aliqua diripit, nec pudicitiæ muliebris ratio ulla eſt habita a Germano, fidem deditiis etiam datam haud penſi faciente. Deinde præcurſoria manu urbem tentans, ſub ipſum vallum & aduſque propugnacula bellum ciendo, ibat: vagatuſque per ſuburbanos vicos & agros, cuncta vaſtabat, prædamque tam hominum, quam pecorum, & rerum omnium avehebat. Demum locato circa mœnia agmine, tanta ab urbe intercapedine, quantum a machinarum contortu tutus eſſet, ipſe ad Brintelam caſtra habuit. Is fluvius, quem dixere, ut opinor, falſo quidam Timavum, urbi inductus, eruta ingenti foſſa, mœnia Patavina pro parte alluit. Ab diverſa parte fluento eamdem urbem diducit. Dum autem tormentorum ingentibus molibus mœnia ita quatiunt, ut per tria prope ſtadia, ea parte, quam Caudam longam vocant, non ſolum procumberent muri: verum etiam penitus atterercntur: Cæſar meditatus tranſitum in ulteriorem ripam, unius noctis ope perpetuo adhibitis innumeris foſſoribus, ita fluenti alveum derivavit, ut tranſverſo aquarum curſu, viam ſibi trans foſſam, ſicco aperuerit veſtigio, & in aliam urbis partem extrinſecus penetraverit. Ibi ſubito trajectu ad portam ſanctæ crucis concedit, cuncta ſuburbana igni ferroque devaſtans, & cum parte exercitus corona urbem cingens, tanto obſeſſos perculit terrore, ut de ſe actum putarent. Verum enim vero PETILIANUS, & Venetorum legati, mira celeritate, & ſolertia introrſus, ita omne munimentorum genus excitarunt per totum ferme urbis girum, qua potiſſimum hoſtes impetum moliturі videbantur, ut ad tolerandos labores, & obſidionis difficultatem, contemnendamque hoſtilem vim omnes facile animarent. Erant intus quindecim peditum, equitum levis armaturæ quatuor millia, cataphracti octinginti, præter Patricii ordinis Venetos complures, viros egregios, quibus credita fuerat per par-

Veneti ad reſiſtendum præparant ſe.

tes urbis cuſtodia, & præter numeroſam Venetæ plebis multitudinem, qui omnes voluntarii pro ſua republica, ad retinendam, defendendamque urbem eam, tamquam patriæ arcem ſe devoverant. Adjacebat præterea aggeri extrinſecus foſſa altitudine pedum quatuor, porro latitudine amplior: in imo ſubſtratus erat pulvis tormentarius ad apprehendendum ignem, & omnia fumo incendioque in momento complenda, miro quidem artificio & induſtria, ad perſtringendam hoſtilium aciem oculorum, ſi reptando irrumpere tentaſſent, ſarmenta & arida fomenta pulverem convelabant. Si quando hoſtis inſurgens tentare mœnia voluiſſet, præſto erant delectiſſimi pedites, ſariſſis & venabulis muniti, introrſus imo aggeri, qui ab ea parte proclivis erat, inſidentes. Porro tribulorum ferreorum vis plurima, parata ad configendas ſubeuntium plantas. Item quali pice & bitumine illiti, & malleoli quos in morem fulgetri altrinſecus in ſubjectos ad urendum ejacularentur. Præterea lapides molares innumeri pro muris & propugnaculis præſto erant, cum omnifarium telorum genere, quæ perſpicax hominum ingenium excogitavit. Tantam autem propugnatores præferebant animi altitudinem, ut etiam hoſti jocis & cavillis militaribus illuderent, laceſſerentque vocaliſſimi ad ludicram fellis venationem, quam haſtæ longiori præfixerant in editiore propugnaculi ſpecula: erumpere etiam auſi ad concurſationes, ut aliquando per tenebras poſtico tam taciti ad caſtrorum vigiles pervenirent ut pleroſque ſopitos obtruncarent, ac bombardas octo configerent, tormentarium pulverem incenderent, mox illæſi intra munimenta, urbemque ſe reciperent. Denique dum hic ſedetur, per indices comperto, PHILIPPUM RUBEUM Parmenſem, & FEDERICUM GONZAGAM Mantuanum, magno turmarum comitatu, in caſtra Cæſaræa proficiſci, urbe clam egreſſi, qua nondum cincta erat, incautos oppreſſere, agminibus disjectis, ipſum Philippum cepere, ac vinctum abduxere. Gonzagam pernicitas equi quo inſidebat, vix periculo ſubtraxit: numquam tamen hoſtis tam formidabilis & ferox, uſquam mœnia oppugnare, aut ad certaminis aleam prodire auſus eſt. Semel tantum Hiſpani, trecenti hi fuere, munimentis inſultavere: verum ferro & igne ad unum abſumpti ceteris terrori ac documento fuere, ne temere in certa pericula ſe inferrent.

Maximilianus obſidionem ſolvit.

Deinceps plus minarum quam vis apertæ fuit, cum ſeſqui menſem Maximilianus irrito conatu, in obſidione perſtitiſſet, quamvis nulla alia urgente cauſa, quæ vulgata fuerit, aut comprehendi cogitando potuerit, niſi forte metu imbrium, qui plurimi per ea anni tempora in tam paluſtre ſolum cadere ſolent, Calendis Octobris conclamari vaſa juſſit, collectiſque confeſtim ſarcinis, re infecta, ſtatim Alpes tranſivit inglorius. Quod ſi diutius in obſidione perſeveratum fuiſſet, in tanta hominum multitudine quæ in urbe fuit, haud dubie ad ultimam rerum inopiam intus ventum fuiſſet, ut mihi retulere qui in ea obſidionis difficultate ac præſidio urbis fuerant.

23. Eo ſucceſſit Venetus, cujus paulo ante res deploratæ videbantur, elatus, & jam ſibi fidens, per brumas & imbres victricia ſigna intulit; eam tamen citra vim, quod nec præſidio nec mœnium firmitate munita eſſet, nullo negotio recepit. Mox Veronam progreſſus, totam ferme hyemem in obſidione contrivit, fruſtra nixus illam ad imperium revocare: nam major ibi laborum moles ſeſe oſtentabat, quam perſiſtendo ſuſtinere poſſet. Apparebat ſane obſidendo, non ſolum non ceſſuros ex ſententia conatus, ſed etiam periculi plenos eſſe. Galli enim qui Brixiæ finitimæ, quique plurimi per vicina hyemabant loca, & alii Mediolano ac aliis hybernis acciti, ſe illi oppoſituri erant, ut obſeſſos ab injuria liberarent; & MAXIMILIANUS Tarviſium in Venetia urbem celebrem, quam Sylus fluvius interſecat, olim Totilæ Oſtrogothorum regis, regiam ſedem & metropolim regionis, juris aliquando ſui, obſidione fatigabat: quamvis eam valido præſidio, & omne genus munimentis ita firmaſſent Veneti, ut de illa deſinerent eſſe ſolliciti. Quam ob rem ille ibidem incaſſum dum ſedet, animi tædio obſidionem quam intempeſtivius per hyemis inclementiam aggreſſus fuerat, conſultius omiſit, vaſtavitque nihilominus agrum, magnaque hominum pecorumque præda abacta, per Rhætios ſaltus exercitum in Auſtriam reduxit. Et Tarviſ.

24. Tum Veneti inflexo itinere in adverſam regionem, quæ ad Padum pertinet, Rhodegina Cherroneſa recepta, omnem belli molem in Ferrariam tranſtulere, & quaſi illam urbem omnino expugnaturi, per edicta omnes paſſim ad ejus urbis ſpolia evocabant. Jam fluvialis exercitus viginti triremium inſtructiſſima claſſe, adjectis permultis onerariis actuariiſque navibus, adverſo Pado, loco quem Guardiam dicunt (vicus is flumini adjacet) confederat, ac in ulteriore Padi proripio, qua ager Ferrarienſis eſt, militaria excitata fuerant munimenta, erecta propugnacula, circumductæ foſſæ, cum repente nuntiatur Gallos omnes ex hybernis citerioris Galliæ digreſſos, Veronam adproperare, ut protinus hinc facto agmine, Vicentiam bello adorirentur, & Venetos propriis laboribus involverent. Eo tempore ſollicitus in rem ſuam Venetus copias ad Leonicum, agri Vicentini municipium, confeſtim reducit. Claſſis, cujus imperium erat apud Angeium Triviſianum, quamvis terreſtribus copiis deſtituta, tamen loco quem tenuerat conſtitit, additamento mille equitum levis ar- Venetiadverſus Ferrariã movent.

maturæ, ac totidem peditum. Nauticus itaque miles per hoſticum vagatus, fœda populatione & cæde cuncta devaſtabat, villas incendebat, & bellico tumultu omnem regionem immaniter commiſcebat.

Eorum claſſis penitus diſſipatur.

25. Ea res etſi ALPHONSI animum graviter perſtringeret, moverentque nobiliſſimæ civitatis & vicorum damna: tamen aliquandiu intra mœnia ſe continuit. Formidanti ſimilis erat, tamen in occaſionem alicujus præclari facinoris intentus. Tandem hoſte contemptim procurſante, Gallos, Hiſpanoſque, quorum aliquot millia ſtipendio inauctoraverat, manipulatim portis emittere cœpit: & illi quidem, ut fuerant edocti, poſtquam leve iniiſſent certamen, circa hoſtilia munimenta, ſimulata fuga, ceſſim abibant, ſinebantque ſe quaſi per imbelliam & formidinem, levioribus tormentis & ceteris armis ſpoliari. Biduo triduove hoc ſtratagemate hoſte deluſo, ac propterea licentius in ſe permiſſo, ALPHONSUS infra ſua munimenta, quæ Pado immiuebant, ex adverſo ſtantis in flumine Venetæ claſſis, innumeras machinas ad miram capacitatem affabrefactas, fluviali ripæ impegit, ad æquilibrium aquæ aggere terebrato, ut inde globis ferreis in claſſem ulteriorem faceret impreſſionem. Intumuerat tunc ita forte amnis multo imbre, & ventis ex adverſo aquarum curſum remorantibus, ut ſummam riparum marginem aqua fluvialis raderet, naveſque inſtar ſcopi ad ictus expoſitas appareret. Cum autem ad arbitrium, clam hoſte, omnia maturaſſet Alphonſus, ſigna in munimenta hoſtilia noctu ſumma vi & totis viribus intulit, pro magno negotio habens, hoſtem pugnando diſtinere, & eodem ferme tempore claſſem tormentorum concuſſu quaſſare. Fervebat certamen circa propugnacula, & claſſis diſjecta obiter proterebatur, fœdeque lacerabatur. At Claſſiarii & cetera turma re inopinata perterriti, periculum periculo declinare feſtinantes, raptim in Padum deſiliebant, & nando emergere & ad littus evadere conabantur: quippe quorum frigidum pectus ſola ſalutis cura exagitabat. Omnibus itaque attonitis, naves aliquot deprimuntur, & triremes a claſſe Atteſtina, quæ inſtructior armato milite & ſecundo flumine ſucceſſerat, capiuntur. In his in primis prætoria triremis regio apparatu & luxu compta: eam poſtea Atteſtinus princeps remulco in ſiccum retractam, cum aliis quatuordecim captis reſarxit, & in trophæi pompam Ferrariam revexit, multis aliis navibus victoriam adornantibus, munimentaque in fluminis ripa ab hoſte excita, protinus expugnata fuerunt, cæſique aut capti omnes propugnatores. Fuit ea res certe ALPHONSO glorioſa & memorabilis victoria, etiam hoſtium confeſſione, qui tot tantiſque pugnis & rebus male geſtis contra Turcarum gentem, numquam acerbiorem uno prælio contumeliam ſe accepiſſe fateri non erubuere.

FRANCISCI CARPESANI presbyteri Parmenſis ſuorum temporum commentariorum

LIBER V.

Diſſidium inter Julium papam & Ludovicum regem.

1. HIs in exitum anni ſalutis noſtræ MDX. undecimo calendas Januarii, rebus ita geſtis, Ferraria, quamvis ſuſis fugatiſque Venetis, belli ſollicitudine in præſens libera videretur, nondum exhauſtis bellis modum laboribus invenerat. Aſpirabat ad illam, ceu Romanæ ſedi tributariam urbem, JULIUS II. pontifex, Alphonſo cum alias infenſus, tum hac potiſſimum cauſa, quod cum LUDOVICO Gallorum rege ſentiret, quicum Julius, reſciſſo fœdere, graves exercebat ſimultates, eoque proruperant mutua & hactenus male diſſimulata odia, ut utriſque convitiorum amaritudine ſe vellicantibus, in apertum bellum animi gliſcerent. Ardebat JULIUS mira cupiditate illum Ciſalpinæ Galliæ poſſeſſione deturbatum trans Alpes ſummovere. Gallus ſeceſſione aliquot cardinalium rebus novis, ſe auctore & impulſore, ſtudentium, & neſcio qua ſpecie conventus Chriſtiani, nunc Mediolani, nunc Piſis in Etruria indicti, JULIO pontifici in ordinem redacto, pontificatum abrogare adnitebatur. Contra JULIUS altero concilio in Lateranenſi ſede indicto, per ſpeciem ſtatum reipublicæ Chriſtianæ ac ſacerdotum mores recognoſcendi reſtituendique, illegitimum conciliabulum irritari ac fruſtrari volebat.

Julius Mutinam, Rhegium & Mirandulam capit.

2. Inter hos diſſidiorum conflictus & belli apparatus, JULIUS conſpiratu in Venetos jam dilabente, eos ipſos Venetos religione ſolutos & diris imprecationibuſque expiatos, ſibi fœdere conciliat. Mox Franciſco Maria Roverio ab obitu Guidonis Pheltrenſis, cui nulla erat maſculina proles, in principatum Urbinatium ſuffecto, copiis ſuis præfecto, in Alphonſum movet. Franciſcus Maria exercitu ad Mutinam admoto, eam facile occupat. Dein Rhegium Lepidi illi finitimum per deditionem eccleſiaſticæ ditioni adjecit, poſt ducentos triginta ſex annos paulo plus minuſve quam ab Opicione Atteſtino ad ſuum imperium deductæ fuerant. Mox Ferrariæ quinto ab illa lapide caſtra admovet. Interea etiam Mirandula oppidum non ignobile, in meditullio harum duarum urbium ſitum, aliis caſtris oppugnabatur. Sed cum res ſegniter agi videretur, ingentis ſpiritus JULIUS, qui Bononiam ab Urbe paulo ante advenerat, media hyeme, quæ nimio gelu & plurimo nivium caſu plus ſolito inhorruerat, in caſtra Mirandulana ſe contulit, inter militares cœtus, homo ſeptuagenarius, tabernaculo locato, oppugnationi inſtans, arcem-

que muralibus tormentis diſcutiens: nec prius deſtitit, quoad in arcem miles per obſtu- . . . . . & glacie concretas foſſas, ac tanta ſoliditate cruſtatas, ut ponderibus jumentorum ac frequentibus pedum concuſſibus non cederent, vi magna irrupit, diripuitque, ſola Johannis Jacobi Trivultii filia vidua jure belli capta cum omni re ſervatur, jubente JULIO, remittiturque ad parentem incolumis, eo tempore cum reliquo Gallorum exercitu Parmæ hiemantem, ac fruſtra reclamantem, querentemque Gallis crapulam per otium & compotationes eructantibus, ſocios in extremis periculis deſtitutum iri.

Alphonſus Atteſtinus copias pontificias fundit.

3. Dum hæc alibi geruntur, JULIUS compoſitis utcumque Bononiæ rebus, Romam retroceſſit: prius Lugo Gottignola & Bagnacavalo, cui loco primum Tyberiacum, mox ad Caballos nomen fuit, a præfectis pontificiis per vim ademtis. Vixdum autem applicuerat Romam, aut non longius illinc aberat Julius, cum apud munimentum Pado adjacens, quod Baſtiam appellant, ubi copiæ Julianæ inſidebant, irruente ALPHONSO ATTESTINO, inſignis accepta eſt clades a pontificio exercitu.

Bentevoli Gallorum auxilio Bononiam capiunt.

4. Per idem ferme tempus, Gallis Parma motis, ac ex profeſſo jam Julii hoſtibus, omiſſo Rhegio Lepidi, Mutinaque nequicquam tentata, dum iidem Bononiam ire tendunt, ad res novas contra Julium concitandas, Bentevoli freti eorum auxilio & partium ſtudio, Bononiam, unde antea exulaverant, ingrediuntur, introducentibus amicis, arreptoque urbis imperio, & copias Julianas & Venetas, quæ ibi in præſidio fuere, fundunt & peſſumdant: arcemque validiſſimam deditione receptam, quam paulo ante Julius magno ſumptu ſtruxerat, demoliuntur, ac funditus eruunt, ſtatuamque æneam quæ pro Petronii baſilica ad curiæ fontem, publice illi poſita fuerat, contemtibiliter & indigne ſternunt, ac in machinas conflant, nihil omittentes, quod in ejus opprobrium ignominiamque cederet.

Legati apoſtolici cædes a duce Urbinate.

5. Dum commiſcerent autem Bentevoli intrà eam urbem omnia tumultu, FRANCISCUS ALIZONIUS, patria Foro-Cornelienſis, ſacri ordinis antiſtes, cognomento Papienſis, qui legatus pro Julio pont. Bononiæ præfuerat, per arcem adhuc integram vix diem evaſerat, jamque Forum Cornelium patriam tenens, omne videbatur declinaſſe periculum, exutoque omni hoſtili metu, in pacato ſe agere exiſtimabat. Eodem ſe contulerat FRANCISCUS MARIA Urbinatium dux, Julii pronepos, cum robore exercitus, poſt fractas ad Bononiam res, qui illi admodum fuerat factus infenſior, quod comperiſſet ab illo apud patruum majorem ſe perfidiæ inſimulatum, quaſi cum Gallis clam ſentiens, rem Romanam prodidiſſet, pro eoque ab ipſo pontifice fuerat graviter increpitus. Itaque dum forte idem antiſtes mula per urbem ageretur, caſu an conſulto incertum, illi occurrit dux Urbinus. Is irarum ſtimulis perurgentibus, ne reddita quidem cardinali, qui eum prior compellaverat, ſalute, ut erat pedeſter, in ipſum adverſo pectore fertur; Et quoniam, inquit, falſa criminatione cum ſummo pontifice me committere non dubitaſti, quaſi proditorem, accipere te æquum eſt delationis pretium: moxque gladio quem eduxerat pectus illi lethaliter tranſadigit. Ille eo uno accepto vulnere, unaque tantum voce edita, qua diceret a peccatis oriri adverſa, moribundus mula concidit; labentem excipiunt famuli, & domum referunt, juſtiſque illi rite perſolutis, honeſtiſſimo funere tumulant.

Qui poſtea profugus erraverit.

6. FRANCISCUS MARIA tam atrocis flagitii conſcius, Urbinum ſe recipiens, patrui conſpectum declinavit, quamdiu vixit: qui graviter commotus violati legati ultorem ſe promittebat. Sed cum JULIUS aliquanto poſt fato deceſſiſſet, ab LEONE decimo, qui poſt illum pontificiam ſedem tenuit, gravia paſſus: poſtquam principatu dejectus, aliquot annos profugus erravit, demum ſua virtute reſtitutus, uti commodiore loco dicturi ſumus, pacata nunc fruitur ditione.

Veneti Brixiæ recuperant.

7. Per ea autem tempora Veneti Liniaci oppidi, quod Atheſi ſitum diximus, proditione amiſſi, cura in præſens omiſſa, cum Galli tunc res pontificias in Æmilia vexarent, cognito Brixienſes pertæſos intemperantiæ Gallicæ, paratos eſſe ad imperium redire: Paulum Balionem in locum demortui Pitiliani ducis cum imperio ſuffectum, in armis eſſe apud Patavium, & Andream Grittum legatum, cum aliis copiis Brixiam properare jubent, & quid fieri vellent oſtendunt. Ille mandata mature obiens, magnis itineribus, quam occultiſſime poteſt, ut Gallos falleret profectus, ſimul ac in conſpectu Brixianorum fuit, quarto nonas Februarii, pacatus urbem ſibi patentem ingreditur, portas & quæque opportuna loca civitatis citra arcem, quæ in Gallorum erat poteſtate, militaribus præſidiis communit. Demum in prætorium ſuccedens Grittus, vir inter ſuos patritios auctoritate pollens, & ingenii lenitudine maxime popularis, omnes obvia comitate excipiens, pariterque exceptus, ſuggeſtum aſcendens, populum ampliſſimis verbis laudavit, quod ſub mite Venetorum imperium, ſub quo tamdiu floruerunt, non inviti rediiſſent, libertatemque duriſſimo Gallorum jugo prætuliſſent, pro hocque ſenatum illi gratiam habiturum, ſe auctore recepit. Adjecitque, « jam ſatis conſtare, collatis barbarorum Ve- « netorumque moribus & regnandi artibus, « uter in rerum publicarum adminiſtratione « præſtaret, quæ judiciorum formula potior, « uter jus prætorium ſanctius, æquabiliuſque « coleret. Quis noſtrum, inquit, viri Brixien- « ſes,

Gritti ad Brixianos oratio.

»ſes, unquam rei privatæ veſtræ manus inje-
»cit? vim cuiquam intulit? corpora impune
»violavit? in mediis laribus veſtris hoſpitalem
»thorum ſternî, aut etiam ſupra fragilitatis
»veſtræ modum, vireſque ſibi obſonari im-
»peravit? pudori muliebri illuſit? aut quod
»cuique collibitum fuiſſet quaſi jure belli ſibi
»uſurpavit? Omnia hæc, quæ ab iſtis indi-
»gniſſime antehac paſſi eſtis, nobis vel ten-
»taſſe capitale ſemper fuit. Proinde poſtquam
»vos nobis, vobiſque reſtituti eſtis, & patria
»veſtra nexu barbarico ſoluta eſt, bono animo
»vos eſſe ac fidere jubeo, ad privata officia ſua
»quiſque ſecurius redeat, & de republica anxius
»eſſe deſinat aut ſollicitus, nobis enim curæ
»erit ne quid detrimenti ea patiatur. Aderunt
»actutum majores copiæ, & tormentorum
»æncorum vis ingens, quibus ab externo milite
»tuti ſitis, & nos exciſa, aut certe dedita arce,
»omnem belli peſtem a vobis amoliemur.

» 8. Ad hanc vocem a cunctis omnium conſenſu ſtudioſius potius quam pro rerum eventu ſelicius acclamatum, & Veneto nomine applauſum fuit. Tunc Grittus, qui minime dubitabat Gallos hanc injuriam pro viribus ulturos, pernox perdiuſque mœnibus firmandis, foſſis cavandis purgandiſque, munimentis intrinſecus extrinſecuſque ſtruendis, ſedulo operam intendebat, undique militem accerſebat. Erat arx in arduo colle ſita, cui in agrum patulum, & in urbem late proſpectus, ingreſſuſque liberior Gallo patebat, inferendis injuriis aptior, quam accipiendis obnoxia. Hac itaque parte quam aliunde ſollicitior Grittus, in divi Petri ad Olivetum; item in Claræ veteris cœnobiis, monti cui imminebat arx, circumpoſitis, ac in tergo montis, cui ad ſanctum Florianum nomen eſt, omnibus his locis in propugnaculorum formam munitis, legiones arcendo hoſti locat. Ipſe per cavas cuniculorum erutiones, arcis muros, duobus locis ſubter perforatis, ſulphure, pice, ac tormentario pulvere diducere, ſternere, & proterere parabat. Irritavit illius apparatus & conſilia repentinus Gallorum adventus, qui prævertendo ipſum, ab hujuſmodi conatibus avertere, cogereque, arce omiſſa, animum ad urbis cuſtodiam prorſus applicare.

Quædam propug. acuta munit.

9. Hyemaverant Bononiæ hactenus Gallorum copiæ, pontificiis & Hiſpanis armis oppoſitæ, quæ Bononiam obſidione premebant. Jam pridemque urbis ejus portam, iiſdem artibus quibus ad demolitionem arcis Brixianæ uſurus erat Grittus, per ſubterraneos ſpecus injecto igni Hiſpani diſjecerant. Verum non tam ruina illa in urbem viam ſibi aperuerant, quam mole intrinſecus cadente tumulum invium & impenetrabilem congeſſerant, aſcenſu difficiliorem: atque ideo bruma urgente coacti fuerant in hyberna, quæ rigente & nivoſo ſolo ſubdivales moras tolerare nequirent, concedere. Tum

A Fuxii comes (locus is in Vaſconibus Hiſpaniam citeriorem ad Aquitaniam diſterminat) cujus erat imperium in Gallos, periculo rerum ſuarum excitus, impetratis prius ab hoſte quindecim dierum induciis, repente Bononia movet, & his copiis, aliiſque Mediolano, Ferraria, & undequaque accitis, ac ad condictum adeſſe juſſis, ipſe præſtituta die in Brixianum agrum magnis itineribus pervenit, arcem eodem curſu ſubiturus, niſi impedimento illi fuiſſent illa montanis locis a Veneto diſpoſita præſidia. Cum his ergo, qui ſuperiora ſancti Floriani tenebant, ferro decernere coactus, multa primum cæde rejicitur, ſuſtinentibus primos impetus fortiter Venetis turmis. Verum cum Galli nocte quæ inſecuta eſt, per humeros montis circumacti, latera ejus omnia cinxiſſent, prima luce, quæ plurimo imbre & nebularum caligine denſa tetrior, oculorum aciem perſtrinxerat, prius horriſonis clamoribus, & birotarum machinas trahentium ſtrepitu, adeſſe ſunt auditi: quorum ſigna & hoſtium ordines conſpecti, perterriti præſidiarii milites, quod impares tantis viribus ſe fore exiſtimarent, nec ſclopetarii glandes plumbeas explodere humente cœlo poſſent, nec ſagittarii loris madidis ad jaculandi officium utiles eſſent, antequam machinæ majores admoverentur, ne excluderentur a ſuis, effuſa fuga vertunt in pedes, ceſſim Brixiam remeantes. Galli occupato montis ſupercilio, primum arcem armato milite & commeatu complent, dein in eos qui Petri ad Olivetum cœnobio inſidebant, confertiſſimi feruntur. Ibique ne manu quidem conſerta, pauci multitudini cedendum rati, citato gradu intra urbem, & ipſi qua via patuit, ſe recipiunt. Eamdem fortunam experti qui in Claræ-veteris munimentis collocati fuerant, ſeque præcipiti fuga periculo ſubtraxere. His tribus expugnatis locis, Fuxius comes poſtquam ſibi iter expeditum ad urbem videt, trifariam diviſo exercitu, ipſe ſibi expugnandam urbem, ad portam Crematam quæ in monte proſpicit, aſſumens: equitum turmas ad portam Nazaretam, in inſidiis legiones ſub portam divi Johannis ſiſtit.

Fuxenſis comes illa propugnacula expugnat.

10. Grittus ubi jugum ab hoſte occupatum, tribus caſtellis ſuorum ſuffugio ſe dejectum, illis omni penitus repagulo diſjecto, ad mœnia urbis viam patefactam, & a monte ingruentem armorum tempeſtatem videt, dubius animi, ſecum multa verſabat, ſi ſubiret adverſo colle, quid iniquitas loci haberet incommodi intelligebat, numero ſcilicet & militum robore impar; ſi pro muris exciperet, inter dimicandum tumultum inteſtinum, & proditionem, id quod accidit, formidabat. Verendum etenim illi fuit, ne populus de vita ſua ſuarumque neceſſitudinum ſollicitus ac fortunis, ad nova & rutiora conſilia pronior, cum hoſte admiſſo ſalutem & incolumitatem paciſceret, & alioquin

Grittus Brixianos ad reſiſtendum hortatur.

multorum fidem ſuſpectam habebat. Quod alios factioſos primi ordinis Brixienſes ſub ſignis Gallicis honeſtiori ſtipendio militare ſciebat, & ideo his auctoribus potuiſſe perfidiæ contagia intra urbem ſerpere. Quamobrem in tantis curarum fluctibus, a neceſſitate conſilium capiens, vocato in concionem populo, brevi & ad tempus accommodata oratione, quanto in periculo res eſſet oſtendit; docetque ſi laboranti & periclitanti patriæ ſtrenuam fidamque operam præſtiterint, facile poſſe hoſtium impetum ex labore flacceſcentem retundi; patientis & conſtantis animi non pugnæ rem eſſe, cum etiam non dubitaret pro anni tempore, medio Februario corpora Gallorum tectis aſſueta & deliciis emollita, ne unam quidem noctem ſubdivales latura pernoctationes; ac idcirco ſi non proceſſiſſent primi conatus, eo curſu quo veniſſent, in hyberna receſſuros. Proinde per ſuperos omnes orare obteſtarique, ut in fide perſiſterent, neve animis labarent: ſcire ſe actutum affutura auxilia, quæ ſe patriamque formidine ac periculis eximerent. Cum viſi eſſent, omnes pro communi ſalute ſe devovere, nonnihil animo confirmatus, ſubſtratis quaqua verſum mœnibus, præſidiiſque diſpoſitis, cum non poſſet ſummæ rei munia omnia ſolus obire, rationem belli, urbiſque cuſtodias cum patritiis Venetis Juſtiniano & Contareno, ac aliis principibus viris partitur. Ipſe quâ gravior periculorum moles urgebat, ad portam Crematam (id illi nomen eſt) monti adverſam conſiſtit, noctemque inter armatos vigiles primus ipſe excubitor tranſigit. duxerat extrinſecus foſſam altam latamque, & circa eam aggerem, turritaſque moles, unde lectiſſimi centuriones, peditesque armis & haſtilibus inſtructi, imo aggeri, qui ab ea parte acclivis erat, inſidentes, cum non parva ſclopetariorum manu, hoſtem ſucceſſurum exciperent. Aderat opportunis locis machinarum grandium magna vis, quarum ictibus equitum peditumque turmæ perſtingerentur.

Galli omnes illius conatus irritos reddunt.

11. Sed ecce Galli dubia adhuc luce tormenta præ ſe agentes muralia, a clivo in imam planiciem deſcendere cœperant, jamque machinis confixis, excuſſas pilas æneas in urbem contorquebant. Propius autem ſclopetarii ut propugnaculis defenſores propellerent, glandulis increbrabant, tum velites ad munimenta urbica in modum alitum volucri curſu agminatim ferebantur, proque caſtellis hoſtilibus pugnabant. Alii foſſas implere, & ſtratis pontibus pervias facere, alii ſcalas admovere, hoſtem laceſſere, vulnerare, cædere & ſternere. Contra Venetus minime loco motus, primum tormentis æneis grandioribus, piliſque minoribus, quæ non fruſtra in conglobatos cuneos jactabantur, hoſtium pectora diloricabat, & temere ſubeuntes, cominus venabulis, ſecuribus, gladiis percellebat ad mortem: alios manualium ſaxorum nimbis petitos, alios harpagonibus & uncinis in ſublime ſuſpenſos confixoſque in præceps devolvebat, tanta ſtrage, ut femineces mortuique uno ſuper alium cadente, pene foſſas complerent. Ceciderunt multi utrimque, ſed certe multo major in Gallos edita eſt cædes, quippe qui iniquiore loco præliantes, librato ſuper caput ferro deſuper feriebantur: nec tamen propterea quiſpiam ex aliqua parte pugnandi ſtudium ardoremve remiſit, Gallis prædæ avidis aurum & compendia venali anima mercantibus, Venetis de ſalute ſollicitis. Videbant enim ſibi indeclinabile fatum imminere, ſi victor hoſtis urbe potiretur. Aderat inter ipſos bellatores armis conſpicuus Fuxius dux, juventa ferox & animo vaſtus, ſummotoque equo pediti æquatus adjungitur. Etiam in putri ſolo præ recenti pluvia corrupto, amiſſis calceis, voce, manu, ferro, in pugnam contribules ſuos Vaſcones, & alios accendens, nec Grittus ſuis deerat, ſauciis integros, feſſis recentes ſufficiendo, & pollicitis onerando. Dum bellum ab hac parte ſtrenue adminiſtratur, nec hoſti tanti moliminis conatus procedunt, clandeſtini Gallorum doli, genti perquam familiares, viam perniciei florentiſſimæ urbis invenerunt. Nec dubitaverim auctoribus aliquibus Brixianis proditam communem ſalutem, dum ſtudio partium, quibus oppido obnoxii ſunt, alter alteri invicem ſimultantes inſidias ſtruunt, rati eo qui a Gallis ſtetiſſet, dumtaxat incolumi, ſolos adverſarios exagitandos.

Brixiani ob factiones proditi.

12. Fuerunt, ſuntque noſtra ætate (ut plurium annales libri tradidere) Brixiani omnium mortalium factioſiſſimi, nec ſolum negotia illic publice, tributim, vicatimque factionum titulo adminiſtrantur, verum etiam domeſticatim partium ſtudia per ſigna peculiaria dignoſcuntur. Et in eadem menſa criſtallina & vitrea pocula, ſive levia, ſive lineis diſcriminata, in potatoribus & convictoribus diverſos præ ſe ferunt animorum affectus: quin etiam apud illos herbæ, arbores, terræ fructus, colores veſtium, habitus, hominum inceſſus, capitum tegmina criſtata, digitorum crepitus, item allii, ovi, pomique in tranſverſum vel obliquum reſectio, diverſorum affectuum & ſuæ cujuſque partis propriam habent ſignificationem. Quæ morum perverſitas, quaſi per manus ab illorum majoribus tradita, non ſolum nepotes infecit, verum etiam late vagata, longe poſitos, ceu peſte & contagio infecit.

Galli aſſulta portas civitatis occupant.

13. Sed ut ſtilus revertatur unde diverterat, bello ad portam Crematam, ut prætulimus, ferveute, quamplures Galli intra Civitatulam Brixianam (locus is ſubmœnianus in arcis formam pridem ſtructus) noctu an interdiu incertum, introducti fuerant.

Hi illic, tamquam ex ſpecu quodam irrumpentes, porta Nazaræa per improviſum aſſultum occupata, refractiſque poſtium clauſtris, equitatum, mox eodem impetu divi Johannis porta convulſa, peditatum, quas copias iiſdem locis furtim ab hoſte fuiſſe diſpoſitas dictum a nobis fuit, intro recipiunt: eis tumultuoſius & terrifico clamore introeuntibus, formido totam pervaſit civitatem, auditi protinus mulierum ululatus, impuberum planctus; item tam oppidanorum nullo conſilio diſcurſantium, & ſeſe mutuo collidentium, quam hoſtium irruentium horriſonus clamor, tubarum clangor, tympanorum crepitus, & tormentorum fragor cœlotenus perſonabant, qualia omnia in capta civitate evenire ſolent.

Grittus eis reſiſtit.

14. His omnibus perculſus Grittus, qui alibi pugnabat, ſuſpicatus urbem perditam, more ſpumantis apri, quem latratu canum, & venatorum venabulis elicitum luſtris, in patulos campos neceſſitas adegit, una cum Contareno & Juſtiniano ac expedita militum manu, ſtricto ferro ferebatur in hoſtem, civeſque tam abrupti periculi admonitos ad propulſandos Gallos hortabatur, ſegnes & pavitantes acriter caſtigabat, oſtendebatque ineluctabilem eſſe mortem, aut certe victis duriſſimam ſervitutem ſubeundam eſſe, aſpiciendamque urbis vaſtitatem ipſa morte graviorem, niſi armis ſe tuerentur, nec ſine periculo periculum declinari poſſe. Se ſi ſequerentur animam pro ſua libertate ipſis periculis objectantem, hoſtem extrudi poſſe; ſin languerent animo aut conciderent, aut latebris ſe tutos crederent, falli: cum omnino in hoſtium poteſtatem eſſent venturi, omniaque extrema paſſuri eſſent. Vix dum verba finierat, cum tanta impreſſione hoſtem gravare cœpit, ut illum cum multa cæde loco ſummoverit, & ab inquilinis tegulæ, teſtæ, ſaxa manualia, & quodcumque telum, aut ira aut induſtria feciſſet, libratis ictibus in ſubjectos hoſtes ſuperne demittebantur, quibus plurimi cadebant; fuitque aliquandiu illis proſpera dimicatio.

Sed deditionem & ipſe fieri cogitat.

15. Verum poſteaquam circumacta per urbis calles phalanx hoſtium, facta teſtudine, acrius urgere, & a tergo invecta premere, ac a fronte & lateribus obvios quoſque in veſtigio obtruncare cœpiſſet, necnon a porta Cremata, quam propugnatores novo periculo perterriti deſtituerant, alia hoſtium vis ingruiſſet, nulla Veneto evadendi, aditis viarum occupatis, poteſtas, nec Gallo cædendi modus fuit. Squallebat paſſim cadaverum ſtrue tellus & plurimo cruore madebat. Tum Grittus & Justinianus, multique principes viri (nam Contarenus ferro trajectus ante illorum ora occubuerat) poſtquam res acciſas, non aciem explicari, non anguſtis viis ſariſtas longioribus haſtis prætendi, non colligendi ſeſe, nec aſſultibus, aut corporum velocitate uti, nec pugnam poſſe reſtitui, nec ſpem fugæ videnti ullam, porrectis inermibus dextris, deditionem facere ſunt coacti. Capitur Alovisius Advogadrus patricius Brixienſis, & opibus & auctoritate inter ſuos facile princeps, qui quidem auctor dedendæ Venetis Brixiæ, poſtmodum illic medio foro capitis obtruncatione mulctatus fuit. Deſiderata dicuntur eo die utrimque tredecim millia hominum, ſed de Venetis multo plures cecidere.

Galli civitatem diripiſſe.

16. Ubi vero profligatum eſt, Galli ad ſpoliandam urbem converſi, terrerrima populatione cuncta devaſtarunt; non templis, non ſacris, non veſtalium virginum clauſtris, antehac maribus inacceſſis, ab avaro milite parſum eſt. Sed utinam citra pudoris injuriam immanus furor debacchatus fuiſſet. Certe per quamplures puellæ candidiſſimæ famæ non ſolum ludibrio habitæ, verumetiam in obſcœna obſequia vulgatæ. Præterea multi mortales, matronæque abſtruſas in viſcera terræ aut alibi gemmas, aurumque & quaſcumque chariſſimas res cruciatu diro pandere & depromere cogebantur. Alii pretio æſtimatis corporibus, mulctatitio ære ſalutē redimebant nonnulli procul avecti, cum non eſſent ſolvendo, nec imperatam pecuniam penderent, extremo ſunt affecti ſupplicio. Scio ego hominem Brixianum, honeſto loco natum, e ſuis laribus Parmam, meum genitale ſolum, avectum; quia pactum pretium Gallo non daret, ferro transfixum, & in proximum flumen, quod mediam urbem dividit, præcipitatum. Tantum ſibi licere putavit habendi numquam ſatis exſaturata libido, cui comes eſt & agnata crudelitas. Denique poſt exquiſitiſſimam rapinarum indaginem, cum exhauſtæ civitati nihil reliquum feciſſent, ſpoliis onuſti præter aurum & argentum, quod ſinu reconditur, vix tribus millibus & ſeptingentis plauſtris, quod creditu difficile fiat, apud poſteros forſitan non ſit fidem habiturum, conſarcinatam prædam inde avexere. Etenim Brixia præterquam quod diuturna pace magnas opes comparaverat, ſoli ubertate feraciſſima. Adeoque ſellulariorum opificum fabrilibus officinis, & mercatorum frequentia quæſtuoſa, ut ab Alpibus ad Appenninum & Euganeos Cenomanoſque (inter ipſos ſita Cenomanum caput) uni Mediolano cedat induſtria. Longe autem gravius ex ea populatione tunc vulnus accepit, quam olim ab Henrico primo Luciburgi comite, mox imperatore Germano, a quo ſub annum ſalutis Chriſtianæ duodecimum ſupra milleſimum & trecenteſimum duriſſima obſidione & dira famis neceſſitate ad deditionem coacta, præter mœnium demolitionem, & imperati auri graviſſimam penſionem, nihil hoſtile aliud paſſa ſit, cum tamen eo bello & civili & inteſtino, magis de vita quam de imperio certamen eſſet.

Bergomenſes rebelles auro culpam deprecantur.

17. Et quoniam eodem ferme tempore quo Brixiani, eodem ferme conſilio uſi Bergomenſes (urbs vicina & ipſa a Gallis Cenomanis quondam condita) a rege defecerant: hoc tamen atroci exemplo territi, excidio intentato magno auri pondere depenſo, culpam ſunt deprecati. Digreſſi Brixia Galli, hyeme jam inclinata, Parmam perrexere, atque aliquot ibi dies ſtativa habuere. Demum ſub veris initium, cum tellus jam vernaret, omnibus copiis in Flaminiam ducunt contra pontificis & Hiſpani arma, quæ per eam hyemem frequentibus incurſibus Ferrarienſem agrum infeſtaverant, & Argentam oppidum Ferrariæ vectigal, duodeviginti millibus ab ea urbe diſtans, Pado amni adjacens, ubi nondum diviſis omnibus aquis diffluit, vi expugnaverant, ac omiſſa oppugnatione munimenti, quod arcis erat inſtar, ad Criſpinum locum ſane obſcurum ab Alphonſo ejecti, quia expugnatu difficile erat, ad obſidium Bononienſe regredi cogitabant. Sed prævertunt Gallorum copiæ, non dubitaturæ ſecum bello decernere. Erat in eo exercitu Gallorum omne robur, Martiis armis aſſuetum, quod turmatim ducebant heroes, & ipſi bello magni, ad imperandum quam ad parendum meliores. Erant & viri optimates ſupra quingentos, armis inſtructiſſimi, quos pro dignitate purpuratos nuncupaverim, cenſu equeſtri ordini antiſtantes, heroibus & ductoribus inferiores, quos bini, terni, quaternive equites, pro cujuſque opibus ſequebantur. Hi plus quam prætoriani, non niſi difficillimis rebus, aut rege, quem officii gratia circumſtant, in bella prodeunte, expeditiones ullas alias obeunt. Præterea lectiſſimæ tum Helvetiorum, tum Germanorum, tum etiam Italici nominis, & Gallicanæ legiones, quæ quadringentorum millium armatorum numerum excedebant, præter voluntarios non centuriatos: ſi tamen in his computes, quos Alphonsus Atteſtinus, & factioſi Bentevoli duce Federico Sanseverinio ſacri ordinis antiſtite, qui ſeditioſorum ſacerdotum decreto Bononienſi legationi incubabat, in armis habuere. His copiis ſuccinctus ardentis ſpiritus Fuxius comes, (*Foix* Galli luxato nomine dicunt) totius exercitus imperator, ut primum Æmiliam attigit, indicto omnium ducum, tribunorum, & legatorum conventu, ad Butrium Æmiliæ oppidum, omnium conſenſu in Ruſſium oppidum, haud multo poſt intervallo diſcretum, quod quadringenti Hiſpani præſidio tenebant, qua Ravennam itur, ſigna inferri juſſa. Itaque protinus admotis tormentis muralibus, magnaque parte muri disjecta, inſinuati per ſcalas mœnium ruinis, profecto pro defenſorum numero graviora accepere diſpendia, quam intuliſſent. Feroces ſiquidem Hiſpani, ſcandere nixos hoſtes tum contis, verubus, gladiis, tum ſaxorum molibus in ima devolvebant; & nihilominus, dum murorum ruinis in hoſtem coorti, toto corpore ſe efferunt: & ipſi pariter adverſis ſagittis, & ſclopetariorum pilis feralibus conficiebantur. Stetit pugna diutius anceps, & multo ſanguine; ſed poſtquam primipilaris Hiſpanus excuſſo in eum ſclopi certo ictu concidiſſet, concidit & animi ardor in propugnatoribus, ceu quum navem & nautas, excuſſo gubernatore, procella in mediis fluctibus exagitat. Itaque dilabentibus quibuſque, Galli in ſummum aggerem evadentes, oppido potiuntur, & in omnes ferro graſſati, ad unum Hiſpanos interimunt, oppidanos male acceptos exſpoliant, exciſo oppido.

Ruſſium oppidum expugnant Galli.

Ravennam obſident.

18. Galli eo ſucceſſu elati, omniaque ſibi pervia eſſe rati, hoſtibus non auſis in ſummo diſcrimine ſuis opitulari, caſtra Ravennatium urbi admovere properabant, dum pontificiæ regiæque copiæ, nec ducum virtute, nec conſilio, nec militum robore, nec cetero belli apparatu, niſi numero aliquanto inferiores, in Vatreni fluminis ripa (Santernum nunc dicunt) quod Forum-Cornelium ſive Imolam a cetera Flaminia dividens, Padoque influens, in Adriaticum pelagus decidit, ſederent, iter hoſtium obſervantes. Itaque equitum diſcurſatoriis turmis & ſpeculatorum indicio factus certior Raimundus Cardona, prorex Hiſpanus, & cui erat in Romano exercitu imperium, Ravennatibus obſidium & vim intendi a Gallo, continuo Marcum Antonium Columnam magnæ in bellicis rebus celebritatis & nominis, egregiaque indole, cum duobus millibus peditum & equitatu, cui ipſe præerat, illo deſtinat. Eſt Ravenna urbs in Flaminia oppidum olim Sabinorum, intra littus Adriaticum, pridem ligneis compacta ædificiis, aqua circumfuſa, & fluminibus duobus per pontes ac lembos peragrata, & cum mare æſtuat, non mediocrem arripit cœni paluſtris partem. Eam pervetuſtam eſſe ac celebrem, tum veteres & recentiſſimi ſcriptores, tum a Theodorico, qui in ea duodequadraginta annos regnavit, & ab aliis Oſtrogotorum regibus res geſtæ ſatis docent. Ejuſdem M. Antonii adventu, & populares magna cura levati ſunt, & firmata civitas eſt munimentis: quamquam alias validiſſimis mœnibus cincta eſſet, quæ ad noſtram uſque ætatem extantia, litteræ cubitales ad portam ejus Clauſam quæ Aurea dicitur, Tyberium imperatorem erexiſſe indicant, & ab Valentiniano etiam imperatore poſtea ampliata fuiſſe conſtat. Nec ita multo poſt ſub ipſis mœnibus tabernaculis fixis, cum fruſtra per fecialem urbis deditio tentata fuiſſet, protinus bombardarum pilis muros quaſſantes, non ſolum diſjecere, verum etiam ita protrivere, ut aditu adaperto, & quaſi complanata via, cuneatim hoſtes irrumpere poſſent. Jam evaſerant in ruinas, & porro ire pergebant.

Eis viriliter reſſitit M. Antonius Columna.

19. Verum M. Antonius, foſſa altius latiuſque introrſum ſolerti cura deducta, congeſtaque in tumulos gleba, propugnatoribuſque communitas non ſolum eorum impetum repreſſit, ſed veluti feram intra caſſes ſubeuntes irretivit, cum aut vincendum illic, aut cadendum in eo loco eis foret; tot enim tantiſque omnifariam telorum ictibus confixi circumfuſique ab hoſte ſunt, ut ad unum qui ſucceſſiſſent omnes mortem oppeterent. Galli autem potius irritati quam territi, rurſus terve in pugnam coorti, magna ſtrage repulſi ſunt: nec erat animus poſthac fortunam experiri, cum temeritatis ſuæ toties pœnas dediſſent. Durante nihilominus obſidione, cum fames in caſtris cœpta eſſet ſentiri, propterea quod ægre commeatus ad illa comportarentur, Hiſpano, quem ad Vatrenum ſedere diximus, prædatoria equitum manu frumentationem & pabulationem impediente: his difficultatibus & languebat obſidionis ſtudium, & jam de abducendo illinc exercitu, movendiſque caſtris conſilia paſſim inibant: prævaluiſſetque hoc propoſitum apud principes & duces, niſi antiſtes Sanſeverinius, ſive conſilio præſtantior, ſive animo ferocior, perſiſtendum in incœpto pertinacius cenſuiſſet, teſtatus multa magnis ducibus, ſicut non aggredienda, ita ſemel aggreſſis non dimittenda eſſe, quia magnæ famæ momenta in utramque ficrent partem, æſtimationem eſſent partium aut elevatura aut auctura; abitionem nimirum fugæ ſimillimam habendam, aut formidinis plenam, hoſte tam propinquo. Itaque expugnandam ſumma vi urbem, & ab ea ſubacta annonam exercitui comparandam. Cum ergo tenuiſſet ne ab incœpto deſiſteretur, dieſque perendinus oppugnationi dictus eſſet, M. Antonius re per exploratores comperta, proregem Hiſpanum, qui ſummæ rerum præerat, per litteras & nuntios monet, uti primo quoque tempore ſibi & urbi auxilio eſſe maturet, ſcire ſe pro compertiſſimo Gallos oppugnationem urbis ſumma vi adorturos, vereri ſe, ſi hoſtis acrius incubuerit, ne in medio pugnæ ardore ab oppidanis rei ſuæ timentibus & animi dubiis deſeratur, tranſitione ad hoſtes facta. Non differendum prorex ratus, ad Vatrenum ubi caſtra habuit, communicato cum Johanne Medice ſupremi ordinis antiſtite, legato in his caſtris pontificio, Fabricioque Columna, ceteriſque principibus viris conſilio, in poſterum diem qui erat tertius iduum Aprilium, Chriſtianæ pietati pro ſalutaris victimæ reſurrectione ſolemnis, iter ſigno propoſito denuntiat. Itaque luce necdum ſatis promicante, collectis vaſis, ſub vexillis omnes conſtitere, inſtructæque acies in hoſtem, machinis præmiſſis, quibus legiones & levis equitum armatura comites fuere, procedebant. Non fefellit Gallos hoſtilis agminis eventus. Quamobrem intermiſſa quam deſtinaverant urbis oppugnatione, protinus & ipſi copias educunt, iiſdemque inſtructi ordinibus quibus hoſtes & tormentis communiti, in patentibus campis in quos hoſtes ſucceſſerant ſtetere; utrique animo & virtute pares, nec fortuna diſpares, ſi belli eventum quaſi in trutina expendas. Sed priuſquam bello decernerent, machinæ æneæ in adverſos hoſtes utrimque contortæ, ita utramque partem infeſtis jaculationibus affecere, ut quamplures in momento miſerabili commorientium ſpectaculo conciderent. Nam cum conglomeratæ acies ſuis ordinibus in utroque exercitu ſtarent, nec temere locum quem ſemel quiſque tenuiſſet deſererent, neceſſe fuit a tot vertivolantibus colubrinis, & aliis hujuſmodi lethalibus tormentorum generibus, nullo irrito jactu per quamplures ſterni proterique. Huic caput a jugulo excuſſum, alteri femur, pectus, venterque terebratus; illi convulſa brachia, alii ſucciſæ poplitum ſuffragines, cruruum manuumque, denique lacerum omne corpus, ita varia necis imagine, tam ſtrenui, quam ignavi; tam clari, quam obſcuri paſſim corruebant. Communis enim pugnandi ratio communem æque ab utraque parte clădem edidit. Gravius tamen illatum vulnus eſt a Gallis, ingenio & induſtria Petri Navari, tribuni militum, qui circa id mire prudens, & induſtrius, opportuno poſitu machinas has in obliquum, illas in directum, alias cancellatim diſpoſuerat, unde hoſtium cunei paſſim laxarentur, disjicerentur. Hoc animadverſo Alphonsus Atteſtinus, qui in fronte prima agebat aciem, & ipſe circumacta ſiniſtrorſum tormenta, quibus faberrime ſe opifice & magiſtro conflatis, inſigniter communitus erat, in cataphractorum agmen, quos numero octingentos habebat Fabricius Columna (nondum enim ad gravem armaturam certamen venerat) duxit, contorſitque in hoſtes cataphractarios, multis internecioni datis. Quare coactus Fabricius equitatum periculo ſubducere; Eia agite, inquit, commilitones ſtrenuiſſimi, in hoſtem intrepide proruamus, quando ita infeſte provocamur. Pulchrius enim pugnando, ſi ſors attulerit vincere, aut ſi durius quid ingruerit periclitari cum gloria, quam tam funeſtis ictibus obnoxios, in veſtigio ſegniter cadere. Itaque præeuntibus legionibus quas Navarus agebat: ipſe pariter quanta maxima vi potuit equos in hoſtem concitavit. Excepere irruentes Molardus, Vaſconum peditum tribunus, pedes videlicet peditem, & Atteſtinus eques equitatum. Itaque clangentibus tubis & tympanis concrepantibus, horriſonoque clamore utrimque excito, manus conſerunt. Pugna ſiquidem atrox obſtinatius committitur, in certamen animis avio genuino nationum mutuo, & æmulatione laudis irritatis, non jam tormentis res inter velitares agitur: ſed primum haſtis prælongis,

Atrox prælium in quo Gallis ceſſit victoria.

mox pede pedi, dextra dextræ implicitis mucronibus ora, pectora, cæsim punctimque petebantur. Personabat dissonis tam cadentium, quam ferientium; tam querentium, quam exultantium vocibus cœlum, terraque pedum repercussu nubem ex pulveris densitate excitans, oculorum aciem perstringebat. Ita vario & ancipiti marti diutius *conflictum, donec Navaro peditum turmas* violentius immittente, gravatus Vasco præ lassitudine, formidine labans, abjectis turpiter armis, ut esset liberior fugæ, terga dare cœpit, nec sisti aut flecti quoquomodo post Molardi tribuni interitum a ducibus potuit; & pariter apud Fabricium prospere pugnabatur, equitibus hostium graviter pressis cæsisque. Id suspicati Sanseverinius antistes & Fuxius comes, confestim Germanorum Latinorumque recentioribus legionibus, & cataphractorum validis turmis immissis, adversariorum impetum remorati sunt. Nec solum mutuæ cædis vicissitudinem rependerunt, verum etiam gradu motum hostem longius summovere. Tum vero in primam aciem Fabricius advolans, suosque lenius increpans, ut in rebus amat fieridubiis, Quonam, inquit, recedimus viri! an ignoratis fugam, quæ salutem numquam reperit, formidinis muliebris speciem, & irriti conatus stultitiam arguere? Redeamus, si pudor est, in pugnam, & in victoriæ paulo ante partæ possessionem, quam turpiter amisisse flagitium est. Simulque his dictis, suorum primis ordinibus immixtus, arma armis, corpora corporibus obstrudens: aciem restituit, hostiumque phalangem dissolvit & cecidit. Tum vero Fuxius dux juvenili ardore ferociens, cum optimatum globo, quos ab aula regia missos diximus, in medium agmen hostium prorui, perrupitque ordines, quacumque impetum fecisset, magnamque edidit stragem, efferati instar leonis inter venatores spumanti ore se immiscentis: sed dum incautius & inconsultius se cohortibus inserit, hostique sese ostentat, ferali ictu pilæ æneæ transfixus, equo moribundus concidit, secumque quamplurimi viri non ignobiles corruere. Urgentibus Hispanis, quos ille successus animo erexerat, stabat nihilominus immota Gallorum acies, in neutram partem adhuc victoria inclinata. At Sanseverinius impiger & fervidus, in latera adversi agminis circumvectus, post obstinatum certamen cruentosque ictus, tandem compagem laxavit hostilem, tamque lethali plaga affecit, ut quamplurimi ad internecionem cæderentur. Reliqui qui superfuere, more classis sæviente pelago dissipatæ, quæ quo ventus trahit vela facit, per adversos tramites palati fugam capessebant Johanne Cardona duce, qui extremum agmen integrum adhuc pugnæ exors agebat, opem laborantibus ferre negligente; qui erat in fugam quam in pugnam proclivior.

Adactus eo necessitatis Fabricius, ut nulla evadendi via se illi ostenderet: post diutinam conflictationem, tandem Alphonso Atteslino amico homini eminus cognito, dat manus deditionis signum, servatus liberiore custodia. Haud multo post incolumis una cum ipso Alphonso Romam ivit, illum Julio pontifici cum aliis, tum recentioris perduellionis injuriis exacerbato reconciliaturus, publica etiam accepta a pontifice fide. Erat peculiare Julio, sua consilia superstitiosius tegere, nec nisi necessario, & ad tempus pandere: verum cum cogitabundus vel sederet, vel deambularet, vel oraret, non poterat fluctuantis animi æstus intra pectoris alveolum ita comprimere, quin vel levi susurro aliquando indicaret. Ita dum domi forte sedens, contractiore supercilio nescio quid secum mussat, & paulo altius, ulturum se de Mulcibero minitabundus immurmurat, ab argutis adolescentis auribus, qui illi forte propius assistebat, hominisque ingenium & mores callebat, exceptus, Alphonsum Atteslinum significare deprehenditur, quem hoc cognomine Mulciberi palam demonstrare solitus erat, quod ille in conflandis machinis æneis opificium fabrile profiteretur. Re hujusmodi initio comperta, Fabricius hospiti amicissimo consultum volens, Alphonso, qui apud Julium cœnaturus erat, fugiendi auctor fuit, ipseque fugæ comes, donec illum in pacato & & tuto constitueret. Sed hæc postea: nunc ad seriem historiæ redeamus. At Johannes Medices antistes & legatus, qui in veteribus castris ad Athrenum nihil reluctans comprehenditur, & in captivitatem avehitur, ac non multo post, deceptis custodibus, ab exilio Romam repetens, ad supremi honoris culmen evectus est. Capitur Navarus, secutus deinceps militiam Gallicam, & in primis vexilla pontificia cum tormentis ad hostem pervenere. Quæ dum Parmam & alias urbes Cisalpinæ Galliæ, quasi in trophæum, & in victoriæ ostentationem circumferuntur, nescias ne in triumphum, an in funebrem pompam cum exanimi ducis cadavere, & aliorum insignium heroum mortuorum efferrentur. Nescias etiam judicare æstimatis utrorumque funeribus, a quo gravior clades sit accepta, mortuis utrobique viginti millibus armatorum militum. Tanti enim constitit Gallis victoria, ut eis optandum fuerit tali eventu non vincere, & aleam pugnæ non experiri utilius fuerit, quod haud multo post eventus ipsius rei docuit.

Ravenna Gallis deditione accedit.

20. Nam Galli post humata suorum corpora, ubi Ravennam, quamvis conditione receptam, per libidinem & avaritiam omnibus fortunis rebusque tam sacris quam prophanis spoliassent, a nullo maleficio temperantes, præterquam incendio, receptaque a M. Antonio arce, eoque cum præsidio abire

permiſſo, arma in Flaminiam ulterius protulerant, populiſque omnibus armis eorum cedentibus, jamque Arimino occupato, porro ire pergebant, cum triſti nuncio percuſſi, in tranſpadanam regionem pedem celeri curſu referre coacti ſunt.

Julius papa trigiſta Helvetiorum millia cum Venetorum copiis Gallis opponit.

21. Deſcenderant enim ex Alpium jugis triginta Helvetiorum millia, auſpiciis JULII II. pontificis, ut a cervicibus ſuis belli procellam averteret, ductu MATTHÆI Sedunenſis, ſacri ſenatus antiſtitis. Aderant & ſociæ Venetorum copiæ, & a Neapolitanis nova auxilia jam iter ingreſſa expectabantur. Hoc loco perſpicue colligi poteſt, quantum noviſſimo conflictu in Ravennatibus alte infederit Gallis vulnus illatum, quantum vires labefactatæ, ſpiritus fracti enervatique fuerint; miraculo quippe proximum fuit, quod inſinuante ſe in Inſubrium fines Helvetio, non bello decernere, non hoſti ſeſe opponere, non caſtris caſtra conferre, non uſpiam fidere, non adverſantis vultum intueri, non urbium mœnibus fidere, Gallus ipſe victor ſuſtinuerit: verum poſt exantlatos tot incaſſum labores, poſt tot exhauſtas pugnas, poſt tantam opum effuſionem, pro affectato Italiæ imperio; in morem pavitantis cuniculi, cui adlatret catulus Iberus, in penitiora Galliæ tranſalpinæ retroceſſiſſet, nullibi ſiſtens, donec arduos Alpium ſaltus penetraſſet. Ita illo Italia exacto, Inſubria & Ciſalpina omnis in pontificis Julii & ſociorum venit poteſtatem.

Johannes Medices Florentiæ reſtituitur.

22. Sub idem ferme tempus Hiſpani ab Apulia profecti, dum per Etruriam iter faciunt, JULIO pontifice annitente, obiter JOHANNEM MEDICEM antiſtitem, Florentia ab adventu Caroli regis in Italia exulantem, quemque profligato exercitu pontificio noviſſima in Æmilia pugna captum, mox fuga elapſum diximus, reſtituunt in patriam. Quamvis enim ad Pratum oppidum Florentia decem millibus paſſuum diſtans, Sudarini duce Lælio Columna, cum ſuis & Sabellorum copiis ac valido peditatu, ipſos Johannem & Hiſpanos tranſitu prohibere & a patria procul arcere conati ſint, tamen ſumma vi expugnato oppido, magna cæde præſidii & oppidi fœda direptione fuga dilapſi, liberum iter exuli intra natale ſolum aperuerunt. Johannes, cedentibus æmulis, nullo milite intra urbem admiſſo, patriam pacatus ingreditur, & perquam gratanter a populo excipitur; apud quem veterum Mediceæ gentis in patriam beneficiorum memoria plus valuit, quam recentiores calumniæ. Largiter & perbenigne donati Hiſpani, tranſmiſſo Apennino, per Ciſalpinam, trajectu fluminis tranſpadanam ingreſſi regionem, Brixiam dedentibus Gallis recipiunt, non invitis Venetis, qui ſperaverant eam a ſociis pretio ſe redempturos. Sed cum Venetos ſpe deditionis defraudarent & reſtitutionis, a fide ve-

Brixiam Galli dedunt.

A terum averſos ad nova conſilia cum Gallis per novam ſocietatem ineunda compulerunt; & nihilominus ſociorum conſenſu, & ex Maximiliani cæſaris decreto accitus ex Germania MAXIMILIANUS SFORTIA, LUDOVICI SFORTIÆ primigenia proles, in patriam ac avitum reſtituitur regnum: Parma tantum & Placentia ciſpadanæ civitates Romanæ ſedi adjiciuntur. Miſſi ad hoc publicitus ab utroque populo oratores, & a patria mea Parma in primis decem optimates viri, cum honeſto comitatu, duoque Flamines, quorum ego alter fui: qui dato illis publice ſenatu, in JULII ſecundi pont. max. & Romanæ eccleſiæ verba ſolemni religione concepta, fidemque venerabundi jurarunt. Signatæ tabulæ publici teſtimonii, dictum eſt *fauſte & feliciter*. Accepti iidem oratores lautiis & ſumtuoſa menſa, etiam poſt epulas editis in cæna ſpectaculis non inurbanis nec illepidis, ad perenne ejus rei dieique monumentum. Dati ſingulis muneris ergo torques aurei, gemmis intermicantibus diſtincti. Item vectigalia & portoria largiter civitati remiſſa, modico annuæ penſionis nomine tributo impoſito. Ita Parma Placentiaque longo tandem poſtliminio ad fidem & imperium ſedis apoſtolicæ rediit anno a partu Deiparæ MDXII. octavo idus Octobris. A prima enim ad hanc noviſſimam poſſeſſionem anni ſeptingenti quinquaginta tres interceſſere. Invenio enim apud receptos rerum ſcriptores, Aiſtulphum penultimum Longobardorum regem, qui pervenit ad annum ſeptingenteſimum quinquageſimum nonum Chriſti nati, (nam noviſſimum omnium inter eos Deſiderium regem fuiſſe conſtat) Pipini Francorum regis armis petitum, Romanis Romanæque ſedi totum exarchatum Ravennatium reſtituere coactum, nec prius Pipinum Italia exceſſiſſe, quam huiuſmodi reſtitutio ex fide fieret, cui & ipſe adſtipulatus ſit ſubſcripſeritque. Hanc reſtitutionem dationemque, cum jam imperatores Græci rerum Italicarum curam prorſus abjeciſſent, fruſtra Gregorio III. pont. max. opem contra injuriam Longobardi regis implorante, poſt aliquot annos CAROLUS cognomento Magnus, prædicti Pipini filius, Deſiderio Longobardorum rege a ſe profligato, quæcumque ipſe & pater aliquando eidem attribuiſſet, HADRIANO pont. ejus nominis primo & pontificum poſteritati non ſolum rata ſuo fecit aſſenſu, verum amplioris imperii jure donavit. Ex eo pontifex Romanus multarum urbium dominus, qui antea religionis majeſtate res tenebat, mox imperio & potentia metuendus fuit. Eam ob rem & quod poſt aliquot annos Romam reverſus idem Carolus, Leoni tertio pontifici maximo ſeditionibus exagitato, auxilio veniſſet, eumque ab injuriis aſſeruiſſet, imperator ab eo appellatus, & a populo ſalutatus, ac rite diademate

Maximilianus Sforția in patriam reſtitutus

Parma & Placentia ad ſedis apoſtolicæ imperium redeunt.

Ravenna ... tus ... apoſtoli- ... Carolo ... gno con- ... ceſſus.

inſignitus eſt. Fuere in ejuſmodi exarchatu Ravennatium (ampulloſo quidem nomine & Graiæ ſuperbiæ pleno, quod Latine ſonat ſupremum magiſtratum) (ſicuti partitur & meminit Lateranenſis bibliothecarius) primum Pentapolis (vox quinque urbes indicans) Ravenna, Ceſena, Claſſis urbs olim diruta, Forum-Livium, Forum-Popilium, item Bononia in Æmilia, Regium Lepidi, Parma, Placentiaque: de Mutina verbum nullum, credo quod exciſum, nec in Longobardorum Gottorumque hiſtoriis ullibi ejus nomen invenitur. Nam hæc, quæ alio loco poſita, a quadringentis paulove pluribus vel paucioribus ab hinc annis extincta fuit, brevi quidquid terra patet a Placentinorum Ticinenſiumque finibus, ad ſtagna Venetorum tenus, rurſus a Venetis ad Ariminum, & quidquid ab Luna Liguriæ urbe Lunam Parmamque interjacet, id quidem totum ad exarchatum pertinuiſſe, etiam vetus juris dicundi formula diſerte demonſtrat. Demum Lotharius Ludovici regis Francorum filius, a Paſchaſio ſecundo pont. max. de more inunctus, & ornamentis auguſtorum decoratus, appellatuſque imperator, anno virginei partus octingenteſimo vigeſimo ſecundo, hujuſmodi donationes, ut erat inſigni pietate, diplomate ſuo roboravit & auxit. Invenio etiam in annalibus ſummæ fidei, Clemente quinto pont. max. in Volcis, qui in Avinionis nomen abierunt, agente, legatum apoſtolicum Parmæ, Regio, Mutinæque præfuiſſe, atque illinc Ferrariæ, Romanæ ſedis imperium detrectanti, arma intuliſſe. Sed ne extra calceum, ut dicitur, ſermo decurrens, lecturo ſit faſtidio, ad inſtitutum revertamur: ſatis fuerit oſtendiſſe Julio pont. max. hujus nominis ſecundo, apoſtolici patrimonii acerrimo vindici, jus fuiſſe urbes has recipiendi, quas Pipinus & Carolus cæſareſque clarum a Pipino Auſtraſiorum genus, ditioni eccleſiaſticæ aſſeruiſſent, regnandaſque attribuiſſent.

A mam non auſam portas illi claudere occupat; & quamvis pacati agminis ſpeciem prætenderent; tamen bimeſtri incubatu domeſticatim inſidentes, fortunarum noſtrarum ſagina, & imperata in ſtipendium pecunia, ita latera ſua extenderant, ut ab hoſtili direptione res parum abfuerit: nec feciſſent tamen rapinis modum, niſi JOHANNIS MEDICIS in ſummi ſacerdotii ſolium evecti, ſub LEONIS decimi nomine interceſſiſſet auctoritas, eoſque a ſuis & apoſtolicæ ſedis urbibus faceſſere mandaſſet. Parere illi quidem qui Romanum præſulem amicum & propitium, quam iratum & hoſtem mallent, præſertim cum novum a Gallis bellum gliſcere & jam inſtare, alii ſuper alios nuntiarent. Nam LUDOVICUS rex anno ſuperiore Italia exactus, victus ſemper violentior quam victor, reconciliatis ſibi ea hyeme per novas fœderum leges Venetis, ſpeque illis facta Veronæ Brixiæque per victoriam reſtituendæ, Bartholomæum Albianum & Andream Grittum, quos jure belli ab expugnata Brixia captivos habuerat, remiſit, jamque per novum delectum centuriatis legionibus, equitatuque recens ſcripto, Italiæ campos tenebat, Inſubrium finibus imminens cum formidabili exercitu. Habebat ſummum imperium Tramolius regulus, & Johannes Jacobus Trivultius æquata poteſtate, erantque nihilominus ſub hiſdem ſignis multi alii ductores bello præſtantes, item mille & quingenti cataphracti, cum tantumdem levis armaturæ equitibus, & peditum duodecim millia, præter voluntariorum magnam turbam, quæ caſtra libidine prædæ ſequebatur. Et Veneti ductu Albiani, trajecta Addua, properabant Gallis ſe adjungere. Id ne fieret obſtitere Hiſpani, in Placentino agro ſidentes. Maximilianus Sforzia cum ſuo equitatu Helvetiiſque intra Novariam ſe continebat, quam Galli aſſiduo bombardarum repercuſſu quatiebant: intentus in rei expectationem & curarum plenus, quod tumultuari Mediolani, & ad novas res a Guelphis factioſis regias partes adjuvantibus, populum ſollicitari compererat, ac idcirco opibus ſuis contra tanti exercitus robur diffidens, etiam populariorum fidem ſuſpectam habebat. Nunc Helvetii per id tempus, ſi quando alias, tunc maxime ſincera fide labentem erigere & confirmare non deſtiterunt, ſibi curæ fore incolumitatem ſuam teſtati, ſeque eam obſidionem ſoluturos, & hoſtem a ſuis cervicibus averſuros polliciti. Itaque accerſitis a patriis pagis aliis duodecim millibus contribulium Helvetiorum, ad ea præſidia quæ ad Novariam habebant, adjecere alia quinque præſidiariorum millia, reliquos evocatos in collibus habebant, ab Novaria octo plus minuſve millibus paſſuum, ſub Altoſaxo ejus legionis tribuno, qui aliquandiu ibi moratus, non caruit ſuſpicione proditionis apud ſocios: eam

Ludovicus rex novorum Italiæ bellum infert.

Gall. Novariam obſident.

FRANCISCI CARPESANI Flaminis Parmenſis ſuorum temporum commentariorum

LIBER VI.

Julii pontificis mors.

I. REbus ita habentibus, finem ærumnis impoſitum quis non crederet? ſi non intempeſtiva nobis morte, quamvis annis præmatura JULIUS pontifex, ſub veris initium anni Chriſtianæ ſalutis MDXIII. ereptus fuiſſet. MAXIMILIANUS enim SFORTIA interregni pontificii occaſione invitatus, cum ſuis copiis Placentiam; Marchio Padulæ, id oppidum in Samnitibus, qui Hiſpanis, quos Brixiam occupaſſe paulo ante dixeramus, imperio præerat, cum ſuis pariter turmis & legionibus, trajecto Pado, a Brixianis movens, Par-

eam ut dilueret, tandem ſociis ſe conjunxit.

Obſidionem ſolvunt.

2. Ubi id reſcivit Tramolius, veritus ne ab urbico & alio exercitu hoſtium inopinato curſu circumventus opprimeretur, ab Andrea Gritto Venetorum legato, qui in caſtris Gallicis erat, ſpemque dabat Bartholomæum Albianum propediem cum copiis ſociorum Venetorum affuturum, retineri non potuit quin caſtra moveret. Itaque obſidione omiſſa, aliquot millibus paſſuum exercitum inde ſubduxit. At Helvetii, qui ſive intus ſive foris ſederent, ſibi & oppidanis arctiorem annonam ſe facere ſentiebant, tædio longioris B moræ per intempeſtivæ noctis tempus, ſilenti agmine inde digreſſi, in hoſtem iter intenderunt, Sforziano duce, nec ſatis tam temerariis incœptis accedente, nec tamen prohibente. Ita enim de rebus ſuis deſpondere videbatur, ut nullius certi conſilii eſſet compos, & potius quo fugeret, quam quo pacto fugaret hoſtem ſibi cogitandum putaret. Exercitus Gallorum omnino profligatur. Audax ſane conſilium Helvetiorum, contra tantum ac tam validum equitatum & florentiſſimas legiones vulgo creditum fuit, in quo plus ineſſet fiduciæ quam virium: ſed quo C audacius, eo avidius illud arripuere; quippe qui fortiſſima quæque conſilia in rebus tenuibus & arduis, ut ſæpe alias contigit, tutiſſima fore putarent. Itaque cum triplici ordine aciem inſtruxiſſent, qui in dextro cornu erant, in proximam ſilvam inſinuati, latuere in inſidiis: qui ad lævam ad eam partem caſtrorum hoſtilium, qua legionarius miles decumanam portam ſervabat, compreſſo ſpiritu ſucceſſere, interceptiſque vigilibus, ſtationarios oſcitantes, ut qui in nullo tali metu ſopiti jacerent, obtruncant in veſtigio: cumque ruentium ſtrepitus & D cæſorum gemitus, voceſque ad arma conclamantium jam caſtra tumultu impleſſent, ac undique ad præceps periculum concurrerent, eo major ſtrages eſt edita, quo inconſultius occurrebatur: nam perterrefacti hoſtes, tumultuoſius concurſantes, ſeſe invicem conflictabant, ut inter ſe quam cum hoſte certamen eſſet: quippe qui non ordines ſervare, non aciem ſtruere, non ducum vocem exaudire, aut juſſa capeſſere poſſent. Itaque animadverſa hoſtium trepidatione & incondita perturbatione, vires & ſpiritus Helvetiorum magis augebantur, & E major cædes edebatur. Media autem acies Helvetiorum dum turmatim ſubit contra machinas, quæ ad aliam partem caſtrorum locatæ erant, a frequentioribus tormentorum ictibus non levem primo accepit jacturam, pluribus concidentibus. Verum ſuorum caſu minime perterriti, repente incurvi, & gradu quadrupedo, tractis poſt terga haſtis longioribus & ſecuribus, quæ ſunt illis peculiaria tela, fidentibus animis ita in ipſas machinas ſucceſſere, ut jam nullum in jaculando & compoſu eorum hoſti eſſet operæ pretium. Inde magno impetu in hoſtem ingruentes, & in ipſa uſque tabernacula irrumpentes, fœdiſſimam ſtragem perpetrarunt. Gallus autem ita protinus pavitare cœpit, ut abjecta cura tuendorum caſtrorum, aut impedimentorum avehendorum, tam duces quam cataphracti reliquuſque equitatus, rapidis equis ſalutem ſuam committerent. Cumque effuſa fuga omnes excederent caſtris, peditatus in inſidias eorum præcipitatus, qui a ſilva erumpere cœperant, ita paſſim cæditur, ut dimidio minorem partem evaſiſſe conſtans tenuerit fama. Reclamabat fracta voce fruſtra Trivultius, fruſtraque ſuorum imbelliam abjectoſque animos increpitans, reſtituere aciem plurimum annixus eſt: ſed cum attonitum agmen minime ſiſti, omnium animis pedibuſque in fugam inclinatis, & de ſumma rerum deſperatum videt, a prætorio caſtrorum regia ſigna convellens, pecuniam etiam regiam & quicquid pretioſius potuit, in veterina jumenta congerens, noviſſimus omnium caſtris exceſſit, moxque ſuos aſſecutus, cum eis omnibus trans Alpes receſſit. Ita quaſi in momento profligato hoſte, amiſſis machinis æneis, cetera caſtra, & quæ in illis opes fuere, in prædam Helvetii victoris abiere. majorene illorum ignominia, an Helvetiorum adorea, non facile indicatu, nam hos potius temeritate quam conſilio viciſſe, illos muliebri quadam conſternatione ſuccubuiſſe, apud omnes conſtat.

Albianus dux Venetus ſe recipit.

3. Albianus, quem in Placentinis ab Hiſpano exercitu remoratum, prohibitumque quominus Gallis jungeretur, diverſo haud multum hinc loco diximus, audita ſociorum ad Novariam clade, protinus retorquens iter in Venetiam, ſecumque gravem belli tempeſtatem traxit. Nam poſteaquam Patavium, quo intendebat, ſe recepiſſet, JOHANNES CARDONA, Hiſpanorum dux, a Maximiliano Cæſare Venetos infeſtare juſſus, paulo poſt ab Inſubribus movens, duxit in Venetiam, & per Vicentinos Euganeoſque campos, Pubulentam municipium Patavinum pervenit, occupatumque populabundus vaſtat, omnia per cædem & incendia terroribus complens. Alluitur id oppidum Meduaco flumine, quod Vicentiam dividens, uno ramo Foſſas attingens, quibus Brintellis eſt cognomen, Patavinis mœnibus circumducitur: alio poſtmodum parvo quidem intervallo, æſtuariis aquis ſe immiſcet, totum tandem in Foſſam Clodiam exoneratur. Jacet Menſtra oppidum ſtagnis propinquum, quod Muſſio alius fluvius aquarum copia his regionibus ſecundus præterlabitur. Lævorſum Menſtræ oppido, ſitum eſt Tarviſium Carnorum urbs, quam Silvis fluvius interlabitur, nec procul hinc Anaxus alter fluvius, cui nunc Plavi nomen eſt, a tergo Vicentia, quam Meduacus ſive Bachilio, ut præfati ſumus, ſcindit, extrinſecus præter-

fluit Toſigon. Dextra jacet Patavium, quod Foſſa ex Bachilione deducta, in Brinteliæ nomen abiens, ut dictum eſt, partim ſecat, partim alluit mœnibus fluens, quæ quidem omnes aquarum moles perpetuis aquis fœcundæ, in ſtagnantes defluunt paludes. Hinc eſt, ut omnis ille tractus æſtuariis, fluentis, & lacubus ſeptus, quæ per anni tempora pluviis humoribus adoleſcunt, viatori grandes aquarum copias opponat, & pedeſtre iter perſæpe abrumpat.

Johannes Cardona dux Hiſpanorum paludes Venetorum penetrat.

4. Pergebat nihilominus Cardona dux prorſus ire, donec Menſtram pridie calendas Octobris pervenit. Illic illi & loci amœnitate & ædium pulchritudine allecto (pollebat enim is locus & divitiis, & civili cultu, & populi frequentia) Quod indignum fuerit facinus, inquit, PROSPER COLUMNA, illius militiæ cum fratruele Fabricio & comes & ductor a prorege Cardona ſecundus, ſi tam celebre oppidum eamus perditum. Inceſſit autem Hiſpanum heroëm omnem illam oram luſtrandi cupido, & Melgerum obequitans, ad turrim uſque proceſſit. Is locus Venetis tribus millibus paſſuum diſtans, totam eam urbem, inſulaſque omnes quantæcumque & quæcumque ſint, illic mortalium oculis ſubjicit. Tum Cardona faſtigiata ædificia, vicoſque inſulatim ſeparatos, novamque urbis inter lacunas ſitæ faciem contemplatus, ad proximos converſus, Quam potero, inquit, jactanter gloriari apud meum regem, me ſub ipſa Venetorum tribunalia ac curiam infeſto agmine ſubiiſſe, quod ante me uni Pipino Galliæ regi, Caroli Magni filio, & claſſi Liguſticæ (quamvis illis mari, mihi terra) video vix contigiſſe. Etiam quidem ſubjecit idem Proſper (cui tutiora ſemper quam animoſa placuere conſilia) Te illis præferre poteris, modo conatus noſtri ſero non pœniteat, qui tam fidenter paluſtribus aquis nos immerſimus. An hoſtem ſibi defuturum putas, qui locorum gnarus, aquarum repagulis nos circumſeptos videt? Nec te terret aut admonet commeatus difficultas, quam actutum affuturam credibile eſt, frumento omni ab agris in munitiora oppida his diebus convecto. Proinde cavendum eſt, ne in contemnendo hoſte, æque ac in appetenda gloria a nobis peccetur, neve, dum velis, tibi liberum non ſit inde exercitum deportare. Riſit Hiſpanus dux, compertum ſibi eſſe inquiens, Venetos ſuperiorum cladum recordatione commonitos, Albianum Patavio, Johannem Paulum Balionem Tauriſio egredi, aut fortunam belli experiri non paſſuros. Ita dum contemptim, & quaſi per otium machinarum æneārum inanibus terriculamentis & innocuis jaculationibus per longa ſpatia propiores inſulas laceſſens, bellum potius minitabundus oſtentat quam infert: Veneti tam præſenti periculo exciti, ad priores copias, novis quam celerrime ſcriptis, & quamA maximo apparatu Albianum jubent hoſti occurrere, legatis Gritto & Lauredano adhibitis.

Albianus ab ipſum mittere juſſus mittit ad prælium hortatur.

5. Ille impigre mandata obiens, omnem exercitum in prata vallium, non longe Patavio, ad certam diem adeſſe juſſum, poſtquam recognoviſſet, ex editiore loco ſignis vexilliſque circumdatus, ſeptuſque armatarum cohortium corona, indictoque ſilentio ita locutus dicitur: »Si non pulcherrimo hoc armatorum conſpectu, viri bello « & natalibus illuſtres, voſque ceteri commi- « litones, quamplurimum delecter; mei diſſi- « millimus ſim, & a ſtirpe mea degenerem, « qui in Martia urbe, Martiiſque parentibus « B & progenitoribus ortus, ut primum per æta- « tem arma tractare poſſem, ad hanc uſque « diem in armis verſatus ſim: ita ut hæc ars « mihi ſemper peculiaris & familiaris extiterit, « nec ita ſegniter in rebus agendis me geſſi, « ut meæ anteactæ vitæ me pœniteat. Quare « egregia virtute viros non ſolum ſemper ama- « vi, ſed colui, eorumque fortiter geſtis a me « honos eſt habitus: ſed ut præſenti veſtro ſpe- « ctaculo plus ſolito exhilarer, duo inprimis « ſunt in cauſa: primum quod neſcio, ſi um- « quam ante alias tot bello clari duces, tot « fortes viri, tam florentes legiones, ſub hu- « juſmodi ſignis, uniuſque temporis commi- « C litio ſtipendia fecerint: alterum, quod obla- « tam nobis occaſionem video, qua veſtra vir- « tus magnopere eniteat, uberrimumque ſtre- « nuitatis veſtræ fructum capiatis, ad certam « quippe victoriæ fiduciam, & ad opulentam « prædam hac expeditione ducimini. Nam Car- « dona & alii ductores qui illius caſtra ſequun- » tur, quos pro rerum bellicarum uſu oppor- « tebat paulo conſultius in hoſtico pedem in- « ferre, ſucceſſu rerum & patientia noſtra de- « cepti, dum nemo illis occurrit, in penitiora « & inacceſſa hactenus hoſti loca penetravere, « a quibus impune egredi non liceat. Nam « D veluti in naſſa comprehenſi, quo pacto eva- « dere poſſint, non ſane video, niſi alas in- « duant Dedaleas. Obſtant ſtagnantes & fluvia- « les aquæ, locorum anguſtiæ, tot Venetæ di- « tionis urbes, tot oppida, quæ undique ho- « ſtem cingunt, & commeatu excludunt, ob- « ſtabunt locis affuturæ opportunis noſtræ co- « piæ, & numero, & virtute longe præſtantio- « res. Eamus ergo, Deo optimo duce, & divo « Marco, cui militamus, anteſignano. Eamus « E quo occaſio rei bene gerendæ, quo victoria « explorata, quo adorea, quo virtus temeri- « tatis vindex nos evocat, ut incolumitatem « reipublicæ Venetæ aſtruamus, prædam opi- « mam referamus, & ante majorum damna « pulcherrimo triumpho reſarciamus. Me qui- « dem numquam pigebit, non ut ducem, ſed « ut commilitonem, vobiſcumque quæcumque « ſubire pericula. Quod ſi veſtrum quiſpiam, « aut aliquid cauſatus, aut formidine inertiâve « militiam detrectat, aut abhorret a pugna, « non gravate illi liberum commeatum do ſa- «

„ cioque, nihilque moratus ab ſacramento ab- A
„ ſolvo. Nullus ſit in tanta fortium virorum
„ frequentia inerti locus, nullum ignaviæ cum
„ virtute commercium: non enim neſcius ſum
„ imbellem multitudinem potius obeſſe, quam
„ prodeſſe victoriæ. Proinde qui parati eſtis
„ ſtrenuam bello navare operam, de prima vi-
„ gilia in craſtinum hoc loco accincti ſuccen-
„ turiatique adeſte, ut felicia ſigna in hoſtem
„ inferamus.

Miles alacer ad hoſtes properat.

6. Vix dicendi finem fecerat, cum omnes certa ſpe victoriæ, & imperatoris alacritate animati, haſtis clypeos excutientes & arma, ingenti applauſu & clamore ad unum conſenſere, & fortaſſis incœptis etiam faviſſet fortuna, ſi paulo maturius & ſapientius bellum adminiſtraſſet, dux ingenio ferox, manu præceps, qui poterat hoſtem vel ſedens inedia domare: nam cum hoſte circumſeſſo, cujus in dies res anguſtior futura ſit, belli fortunam tentare, imprudentis ſeu navarchi eſt, qui in portu ſtantem navem procelloſo mari ſciens volenſque committit. Cum itaque ſub diei ortum poſtridie omnes conveniſſent, protinus ad Ulmum, qui locus inter Pataviam Tauriſiumque eſt, ſtructo agmine contendit, eumque vallo, aggere & valido præſidio communit. Mox caſtris ad oſtentum tranſlatis, unam diem illic moratus, congeſtam terram, trabeſque compactas in propugnacula erexit, tribuſque agreſtium millibus, & turmis aliquot equeſtribus, aliiſque velitariis cuſtodiendam attribuit. B C

Cardona hoſtium ut vitet omnem adhibet machinam.

7. At Cardona de tanto belli apparatu, hoſtiſque itinere factus certior, ubi comperit, occupatis omnium locorum aditibus anguſtiiſque, ſibi repagula opponi, & obices inſuperabiles ne qua evadere poſſit, videt, communicato conſilio cum Columniis fratruelibus & marchione Aterni, ceteriſque ductoribus, migrandum ſibi illinc, ſi ſalvus eſſe velit, cognoſcens, primum omnium Menſtram oppidum, de flagitio poſteritatis famam captans, igni ferroque devaſtavit. Dehinc motis caſtris ad navale, quod Muſionem inter Silumque flumina ſitum jacet, mox ad caſtellum Francum proceſſit, biniſque caſtris ad Campum divi Petri opulentum municipium ſucceſſit. Parumque ibi ſubſidens, quod jam annona illi anguſtior eſſe cœperat, raptim Meduaco vadato, in quo trajectu multi inexplorato vado, undis abſorpti ſunt, in Civitatulam quæ propior illi fuit, ſigna inferre cogitavit, excidium comminatus, ſi ſibi tranſitus, & commeatus, hoſpitiumve negaretur. Sed cum & arcem & ipſum oppidum, loci natura & multa arte induſtriaque, necnon præſidio valido communitum, expugnatu difficile offendiſſet, & ab arce machinarum crebris ictibus peteretur, omnem moram gravem & periculoſam ratus, ea nocte ad fluminis Meduaci ripas ſubſtitit. Tum ſub ortum ſolis, rurſus remeato D E flumine, jumentis præda onuſtis in expeditiorem fugam poſt ſe relictis, ac armenti pecoriſque, quod ad alimenta caſtrenſia ſecum trahebat, ne uſui eſſe poſſent hoſti, ſuffraginibus ſuccifis, qua montes ſeſe illi opponebant, Vicentiam verſus celeri greſſu properabat, ſi quomodo feſtinando hoſtem fallere & prævertere poſſet.

Albianus ad pugnam ſe parat.

8. Carpebat nihilominus extremum agmen eques Venetus, cogebatque gravem caraphracti Hiſpani armaturam in ſe converti, adeo ut nec procedendi copia, nec laxamenti ſpatium aliquod daretur. Quamobrem Cardona dux animi anxius & conſilii inops, viginti millibus paſſuum & eo amplius, cum omni exercitu & tanta machinarum multitudine uno die emenſis, Baſſianum verſus iter arripuit. At Albianus longioris moræ pertæſus, & turpe indecorumque ſibi ducens, niſi pugnando vincere, incendium iſtud in viſceribus reipublicæ Venetæ, magno populorum detrimento diutius ali ſe paſſurum negabat, cunctationemque omnem ut infamem & dedecoramque deteſtatus, morarum conſilia apud viros fortes pro timidis non pro cautis dicebat haberi. Itaque bifariam partitis copiis, partem unam Johanni Paulo Balioni ducendam attribuit, & qua colles ſurgebant, quave hoſtis ſe ſubiturum eſſe credi voluit, ſiſtit, mandatque, ut in quamvis occaſionem intentus, hoſtem fugam molientem, audendo, collatiſque ſignis arceat tranſitu, ne qua vadere aut evadere poſſit. Cum vero machinarum fragorem ſive ab hoſtium tergo, ſive ex obliquo audierit, acrius urgeat, & vel detrectantes pugnam irritando & provocando laceſſat: certo ſiquidem argumento, ſeque eodemmet tempore certamen a ſua parte initurum. Denique monet & per Deum immortalem, juraque neceſſitudinis quæ utrimque intercedat, obteſtatur, ut memor ſuæ priſtinæ virtutis, omnem navet operam hoſti ſternendo, ſibi curæ fore ut celebrem ejus diei locique ac nominis ſui memoriam inſigni ſtrage relinquat.

9. Torquebatur interim heros Hiſpanus, nihilque remittentibus curis, quod ſe amnibus intercluſum, commeatu prohibitum, hoſte cinctum, munitiſſimis locis circumvallatum videret, nec quid conſilii caperet aut deliberaret cogitando facile reperiebat. Excuſſit illi omnem ſollicitudinem Proſper Columna, & viam declinandis periculis monſtravit, ſibi compertum eſſe Albianum audacia quam conſilio eſſe potiorem, pugnæ copiam facturum, quam incolumi fortuna tutius omittere poſſit, ea ratione periculum periculo devitari, & viam per mediam hoſtium ſtragem aperiri poſſe. Non ita callidos illos, quin falli; nec ita fortes, quin vinci queant Occaſionem itaque pugnandi Cardona amplexatus, contra Johannem Paulum Balionem, cum parte copiarum pugnan-

di provinciam ſibi aſſumit, hoc conſilio ut ſimulato illinc tranſitus molimine, magnam partem hoſtilis exercitus diſtinendo fruſtra haberet ludificaretque, Proſpero qui noviſſimum agmen claudebat permittit, ut cum Albiano, Romanus cum Romano, diverſarum uterque factionum, infeſtis ut erant animis, tamquam in civile bellum concurrerent. Inter Cardonam & Proſperum princeps Piſcarius cum fortiſſima legione quatuor millium Hiſpanorum ita locatur medius, ut utrivis laboranti ſuppetias tempeſtive ferre poſſet. Erat cum Proſpero FABRICIUS fratruelis & MUTIUS, Columnii ambo, & TROILUS SABELLUS, & plerique principes viri bellicis artibus aſſueti, & peditatus minime poeniten. dus. Igitur trifariam partitis ordinibus, ipſe dextrum cornu, ſiniſtrum Fabricius tenuere, paribus intervallis, mediam peditatus phalangem quaſi alis tuentes. Nec minus induſtrius ALBIANUS in componenda acie, lævorſum cum Montori regulo, & Malateſta, Guidoneque Rangonio Proſpero ſe oppoſuit. Dextrorſum opponuntur contra Fabricium SACRAMORUS vicecomes, JOHANNES FRANCISCUS SASATELLUS, HERMES, & PAMPHILUS BENTEVOLI, aliique ductores; Manfronius cum peditatu inter utramque aciem collocatur, additurque ei levis armaturæ equitatus, uti hoſtem feciſſe animadverterant. Vix dum compoſitis ordinibus in hunc modum, ubi utrique funeſtis machinarum ictibus & minorum tormentorum glandibus ſeſe inceſſiſſent, claſſicis & tympanis horrendum in modum pugnam accendentibus, infeſtis haſtarum cuſpidibus a pedite concurſum eſt, pugna atrox nemine locum deſerente commiſſa, donec ſe alterutrum tranſfixis pectoribus ſternerent ſternerenturque: tum eques admiſſis equis invicem ſe adverſis frontibus feriebat, & cum more equeſtris pugnæ, nullus latius evagandi, aut in latus ſe circumferendi locus eſſet, hinc flumine, illinc cataphractorum cuneis anguſta ſpatia claudentibus, neceſſe fuit multos in veſtigio mutua cæde cadere. Aderant utrique parti duces, qui ſegnes & deſides increparent, fugientes ſiſterent, laborantes manu, voce, præſentia adjuvarent, integros feſſis ac recentes ſufficerent. Jam HERMES, BENTEVOLUS & SACRAMORUS fortiter pugnando corruerant, & tamen adhuc anceps & fervens conflictus ſollicitos habebat duces. Tum vero ALBIANUS ceu leo in rabiem efferatus, immiſſiſque recentioribus vegetioribuſque cohortibus, hoſtem ita gravare cœpit, ut prope averteret, reſque a fuga parum abeſſet. Id ubi animadvertit PROSPER, continuo veredarios duos emittit, qui a ſtatione ſua proregem, & Piſcarium regulum accerſant, ſuis auxilio ſummis utrimque viribus concurri, & quamquam rebus adhuc integris agatur, tamen non abeſſe procul periculo rei ſummam. Ipſe qbiter totis viribus annixus, aciem nutantem ſuſtinuit, & ne inclinaret, reliquo exercitu reſtitit, ſtetitque in veſtigio immotus: quod (ut dicitur) ad triarios ventum erat, donec PISCARIUS cum ſua legione accelerans, non ſolum aciem reſtituit, verum etiam hoſtem amotum loco ita diſſipavit, ceciditque, ut poſthac nullus fugiendi modus, nec reparandæ pugnæ locus Albiano fuerit. Nam cum aliquot pertinaciter reſiſtendo victoriam remorarentur, idem Piſcarius more lupi debacchatus, quando perfracta caula in pecora ferali dente graſſatur, non ante inſequendi hoſtis finem fecit, quam cædendi materia defuerit. Eodem impetu in machinas delatus hoſtiles, præſidio præ metu dilabente, earum potitur, nihilque reliqui ad victoriam fecit. Cardona, qui oſtentato, non illato bello, aliquamdiu hoſtem eluſerat, ſuorum periculo commotus; ubi coram affuit, potius victoriæ teſtis quam pugnæ ſocius extitit. Sed cum jam prope debellatum eſſet, Johannes Paulus Balioneus per anfractus ulterioris ripæ curſum Hiſpani longiore via proſecutus, ſero quidem conflictui interfuit: ſed tamen intrepide trajecto cœnoſo gurgite, pugnam audacius quam conſultius reintegrare conatus, haud magno negotio a victoribus intercipitur, captivuſque proregi ſiſtitur. Eodem conflictu Caſonius militum tribunus, & Lauredanus Patricius legatus confodiuntur: cetera omnis turba aut cæſa, aut in fugam diſſipata. Capti nihilominus plures illuſtres viri, libertatem licitatis capitibus magno redemerunt. Deſiderata dicuntur ea pugna hominum utrimque ſeptem millia, quamquam alicubi legam quatuordecim millia. Sed cum in neutro horum numero fidem a quoquam exigam, ſatis conſtat nonas Octobris anno a partu Virginis MDXII. tanto ſanguine funeſtatas a Vicentinis, apud quos quarto ab ea urbe lapide res geſta fuit, memorabiles haberi.

Victoria ſtat per Hiſpanos.

Pugna atrox committitur.

10. Fractus bello Albianus cum Gritto Patavium, & Hiſpanus heros, machinis etiam hoſtilibus avectis & ſpoliis onuſtus, Veronam conceſſit, nec tamen per eam hiemem a mutuis temperatum eſt injuriis. Nam Albianus Patavio digreſſus, Rhodigium, quod tenebant præſidio Hiſpani, nocturno itinere hoſtibus eluſis, cum levis armaturæ equeſtri manu ac peditatu, non multo adapertis inexplorato portis, furtim irrupit, unoque aut altero equitum ſuorum amiſſis, prædabundus diripuit. Hiſpanis per averſam portam dilabentibus, non ſine ſuorum detrimento; moxque, cum ab Hiſpanis arx teneretur, compertumque haberet Albianus, approperari contra ſe ab hoſte, qui per oppida illius Cherroneſi, ſive ut vulgus appellat Policinii, hiemabat, inde ſe proripiens, rurſus Hiſpanis habendum devaſtandumque dereliquit.

Albianus Rhodigium vaſtat.

Prosper Columna Cremam obsidet.

11. Prosper autem Columna non multo post Verona movens, cum magna parte earum copiarum, quæ Veronæ erant, & cum appendice Sfortianæ militiæ manus, ad oppugnandam Cremam, oppidorum omnium quæ in transpadanis sunt, nobilissimum Venetorum vectigal, profectus est. Id oppidum olim ab Federico Ænobarbo, post afflictam ab eo Cremonam, in invidiam ejus civitatis, quod tamen prius diruerat, restitutum fuit: mox ab HENRICO imperatore mœnibus alio tempore spoliatum, quæ quidem mœnia nostra tempestate Veneti magno sumptu restituere cum arce, ac inexpugnabilia reddidere. Itaque ipse Prosper ab una parte mille passibus longe ab ea castra locat sua, & ex adverso aliam partem Silvio Sabello cum equitatu non modico, ac Germanorum legione pari intervallo obsidendam committit. Cingebaturque propterea Crema, expansis utrimque brachiis castrorum in obsidionem. Sed cum oppidum mœnibus & arce, aquisque late stagnantibus esset validissimum, tum vero equitum peditumque præsidio, quibus præerat Rencius Ursinus, denique omni apparatu bellico ita munitum instructumque fuit, ut nullis hostium injuriis obnoxium, aut vi expugnabile, vel machinarum ictibus opportunum esset, quod ipso oppido in humili ac depresso loco jacente, pilæ tormentorum muralium in sublime volantes, frustra per inane ferebantur, reliquum erat ut divini numinis ira pestifera tabe, vel sola inediæ necessitate, ad deditionem per obsidium adigi posse crederetur. Et certe intus annona angustior erat, & pestilentia laborabatur. Eo enim tanta agrestium multitudo metu hostium confluxerat, ut in uliginoso putrique solo volutata, unde solet nimietate frigoris gigni morbus pestilens, luem facile contraxerit tabificam.

Rencius cognita per exploratores obsidentium ignavia in castris, nocte obsidionem infausta victoria solvit.

12. Dum ibi diutius sedetur, Rencius ad tolerandam famem, donec aliqua lux speranda salutis ostenderetur, per noctem sæpe aliquot emittebat, qui itu redituque, custodias suspenso gradu, & per nota diverticula fallentes, sæpenumero alimenta importarent, & ad importandum lucelli aviditate alios allicerent. Per eosdem quoque emissarios in penitiora hostilium castrorum insinuatos, didicerat omnia apud hostem secordia & negligentia nimia remissius agi, præsertim qua tendebat Sitius Sabellius. Nam Prosper, qui diversa ab illo habebat castra, semper quinquaginta cataphractos equites quamvis Borea stridente excubitores habuit in armis; sed apud Titium longe aliter, incustoditos castrorum aditus esse, vigilias neglectas, omnes in stratis sub tecto, tamquam in media pace, supinos jacere, tantum triginta ad summum Germanos pedites ad aggerem, quem pro castris erexerant, noctu statui: verum illos & crapula & mero graves, totam noctem stertere, facile incautos opprimi posse, & castra succendi. Tum vero RENCIUS plurimorum exploratorum dictis consentientibus fidem habens, ad præclarum facinus animum adjecit, occasione rei bene gerendæ sibi oblata. Primum omnium portas oppidi obstrui jubet, & quoscumque exitus observari, ne quis ad hostem consilia sua perferre posset: deinde accitos ordinum ductores ac centuriones omnes, monet uti curatis corporibus ad præstitutam noctis horam centuriati, tacitique cum armis præsto adessent. Excogitaverat centurionum unus, Adredeius Campanus, ejus consilii gnarus, aliquot folles fictiles, cucurbitulæ instar, ore angusto, sed prominenti, in eisque piceas offas, sulphure varioque arentis & ignitæ materiæ fomite illitas, constipaverat, quos secum ferret. Hos vel tenui igneæ scintillæ afflatu contactos, si procul evibraveris, quidquid corripiunt jugi incendio absumere compertum est. Malleolos priscorum verbo nuncupare poteramus, virtute quidem non absimiles, si non fabrili artificio dispares essent. Sunt enim illi manipuli pice contecti, qui in muros aut testudines ad incendium faciendum jaciuntur; sed in his alia ratio. Non erat intempesta, & emittendi militis hora, per atram caliginem ad insidias accommoda. Jamque peditatus imperata facturus, sub signis erat, cum Rencius omnes ad recognitos, ne quis suppositus rem hosti prodere possit, emittit, docetque quo mittantur & quid fieri velit, adhibetque scalas & crates vimineos, quibus aquarum paluſtrium scrobes sicco vestigio transirent. Declinato quantum per locorum inviorum anfractus licuit, ab Prosperi stationibus, qui ad lævam tendebat, itinere, ne sentiri possint, locatque in viarum angustiis opportuna præsidia, ne Prospero in altera castra, si exaudito tumultu suis opitulari tentasset, iter expeditum pateret. Denique euntibus læta & secunda ominatus imprecatusque, retro ipse pedem flexit, ne quid se absente turbarum in oppido oriretur. Successerant propemodum sub hostilia castra composito agmine Veneti, nullo obvio, cum præmissi aliquanto intervallo speculatores, in unum hostium vigilem incidere. Hunc autem quinam gentium essent interrogantem, & symbolum militare nequicquam reposcentem, ac idcirco suspicatum insidias, fracta voce ad arma acclamantem assecuti opprimunt, trucidantque: tumultu exorto vix experrecti Germani, ut erant vino & somno sepulti, semi nudi e suis illis gurgustiis erumpentes, arreptisque armis, quæ fors dederat, & quo clamor exauditus fuerat, incondito agmine certatim ire contendunt. Verum miles Venetus rapido cursu castra præoccupans, per paucosque vigiles, qui pro castrorum porta stabant, obtruncat; dein ultra intrepide progressus, hostium inter se consilii inopia

tumultuantium, nec ſatis pro ratione aciem explicantium, aut in ordinem ſe recipientium ambitu celeri cuneum circumvallat, cædemque in latera, in terga, a fronteque ferro, glandiumque ictibus plumbearum, ſœdam exercet: ſed perdendo hoſte longe efficacius momentum fuit in Andreacio Campano centurione, qui funiculo adusto ſuccenſas cucurbitulas in Germanos conglobatos ejaculat, eos pro cruciatu arma jactare & ejulatus emittere cogebat: nam lambens flamma ſi vel levi attactu ora, pectora, artuſve corripuiſſet; intus & in cute protinus depaſta, tenaciter cremando veluti ſtipulam edaci igne abſumebat. Ita laxato agmine, omnes prope in veſtigio in quo ſemel, ut in ſtataria pugna, pedem fixerant, animam exhalavere. Hinc eodem igne artifici in hoſtilia tabernacula, ex arenti materia ac ſarmentis contexta, injecto, fuſcæ noctis tenebræ illo ſplendore vincebantur. Fuga Silius effuſa, in altera caſtra clapſus, ſua hoſti cum ſeptem machinis æneis miræ molis diripienda permiſit. Ea victoria Cremenſium obſidione ſoluta, pacatiora omnia in ciſalpinis, quaſi per tacitas inducias apparebant, & mors Ludovici Francorum regis, qui per id temporis naturæ debitum perſolverat, ſpem tranquillitatis populis Inſubrium polliceri videbatur. Sed Franciscus declaratus illius regni ſucceſſor, ſub ejus ætatis initium, quæ mox ſecuta eſt, Inſubres quieſcere non eſt paſſus, inducto in Italiam ab Gallia novo armorum incendio, aſſerturus ſibi Mediolanenſium principatum, a quo biennio ante deciderat Ludovicus rex ejuſdem ſocer ut oſtendemus.

FRANCISCI CARPESANI Flaminis Parmenſis ſuorum temporum commentariorum

Liber VII.

1. Franciſcus Ludovici regis ſucceſſor in Italiam irrumpit.

Mandaverat idem Ludovicus moriens, & poſtremis tabulis caverat, uti Franciscus, quem regio profatum ſanguine, ſibi generum aſciverat adhuc vivens, & ſucceſſorem ſolii regii procerum omnium ſuffragiis renuntiari ſalutarique curaverat, eam expeditionem primo quoque tempore obiret, in quam exquiſitiore delectu habito militem ſcripſerat, pecuniamque grandem, armaque & fuſiles machinas innumeras, in eam ipſam provinciam comparaverat: hominem quippe bello acerrimum, ſicut habendi ejus principatus, quem jure hereditatio ſibi deberi putabat, ſitis inexhauſta viventem inceſſerat: ita ad manes abeuntem eadem cura ſubſecuta eſt, quaſi ejus oſſa mollius quietura eſſent, ſi ſanguine humano ſibi parentaretur. Res enim multo ſanguine conſtitit. Vulgato Francisci regis cis montes formidabili adventu, apud Inſubres novus belli apparatus a Maximiliano Sforzia inſtrui cœptus, centuriati delectiſſimorum velitum ordines, & in his perquamplura Helvetiorum millia, qui ex fœdere in ſtipendium nomina dare tenebantur; cetera ad vim arcendam ſtudioſiſſime comparata. Et Prosper Columna, cui erat in omnes copias imperium, cum trecentis Florentinorum veteranorum Latini nominis cataphractis, ad Villam-francam ſubalpinum oppidum, cui Padus a gremio veluti montis non longe hinc ortus, nondumque advenis aquis adauctus, vicino curſu adlabitur, ſidere juſſus, obſervaturus Gallorum iter, quos compendioſiore via per ſaltum non ſatis viatoribus tritum, ab Alpibus Cottiis in eam planiciem condeſcenſuros acceperat, quique regem cum robore exercitus a Seguſione oppido, Seguſium aliqui dicunt, ad radices Alpium deſcenſurum conſtans fama erat. Licet enim eædem Alpes Cottiæ præcelſo quidem cacumine, & pendentium ſaxorum altrinſecus viſu terribili illinc erigantur; tamen ex Gallia venientibus prona humilitate devexiores, & tormentorum fuſilium carpenta quantæcumque molis, aliaſque graviores ſarcinas patiuntur.

2. Sed dum duobus locis explorando luſtrandis Prosper, vir alioquin prudens & cautus dat operam, non deprehendit alio itinere, quamvis confragoſo & infrequentibus plantis rarius calcato, cui ad Collem-agni cognomen eſt, per Salutiorum plana lævorſum viam patere. Quamobrem dum negligentius ſedet, a quadringentis equitibus gravis armaturæ, qui duce Obignino, eam viam tacito agmine raptim emenſi fuerant, intra oppidum hoſpitiumque ejuſdem Proſperi facta eſt irruptio, priuſque viſus eſt hoſtis, quam tumultus exauditus. Prandebat Proſper cum honeſtiſſimis convictoribus, & jam Grangia neſcio quis gregarius miles, opimam de eo duce ſibi prædam pollicitus, ſcalis intra domos hoſpitales ſucceſſerat; cum ille audito hominum ſtrepitu & equorum hinnitu, ſciſcitatus e feneſtra triclinii, quinam hominum eſſent, quis ductor? audito Obignini nomine, eidem manu inermi porrecta, deditionem facit: ceteri omnes ad unum armis, equis, impedimentiſque ſpoliati, vix cum ſingulis veſtibus abire ſunt permiſſi. Dux ipſe Prosper cum quatuor egregiis viris ad regem, qui jam in Taurinos deſcenderat, ductus, quamvis ab Helvetiorum tribus millibus, qui a Galiacio vicecomite adhuc in fide Sforzianorum perſiſtente ducebantur, parum abfuerit quin reciperetur. Adjumento Gallis fuit equorum pernicitas & validi oppidi propinquitas, ut declinarent periculum, donec abiiſſet hoſtis. Helvetiis inde abeuntibus, ante regem ſiſtitur, ac cum ſociis in Galliam ulteriorem demandatur, non ante relaxatus, quam poſt finitum id bellum auro ſe redemiſſet mulctatitio.

Prosper Columna ab Obigneo captus ad regem ducitur.

Pugna Marignana in qua Helvetii ad internecionem cæduntur.

3. Omine tali & auſpicio lætatus rex, & e Taurinis movens, arce Novarienſi protinus expugnata, per Ticinenſium campos nullo obvio, in Inſubrium intima penetrans, ad Marignanum decimo ab Mediolano lapide caſtra locat: at Helvetii, quos ad triginta millia Sfortianus conduxerat, quamvis robore exercitus & tanto duce amiſſo, minime animo fracti aut deterriti, cum illo ferro decernere non dubitarunt. Credo eam ſibi fortunam polliciti, qua ad Novariam Gallos ſuderant, & fortaſſis non fuiſſet vana fiducia, ſi Hiſpani pontificiæque copiæ, quæ apud Placentiam citra ultraque Padum ſedebant, promiſſam opem operamque præſtitiſſent. Sed cum Leo pont. max. cum Gallo jam ſentiens, uti reipſa paulo poſt compertum eſt, Maximilianum Sfortiam fruſtra habuiſſet, cauſis ad moram confictis, tenuitque Hiſpanos ſuſpenſos, tanto exercitui impares, hac cauſa, ne ſine pontificis auxiliaribus bello ſe immiſcerent. Quamobrem ſoli Helvetii, quanquam ſociis fruſtrantibus, non ſolum Mediolanum ab injuria defendendum ſincera fide ſuſceperunt; verum etiam patentibus campis ultro hoſtem laceſſere, & pedeſtrem inire pugnam decreverunt: quamvis rex ad patrias artes converſus, magnis auri pollicitationibus oneratos, ad defectionem allectare prius conatus ſit. Sed tempeſtive aderat Matthæus Sedunenſis ſacri ordinis antiſtes, qui eos in fide contineret, hortaretur, moneret, ne ad inuſtam olim nationi proditi Ludovici Sforziæ infamiam notamque, (de qua alibi dictum) novum ſcelus adjicerent. Non potuit tamen Padus Bernenſis ejuſdem commilitii, quem ducebat Albertus Petra, jam magna pecunia corruptus, ad ſanitatem reduci. Namque cum ſumma perfidiæ labe, etiam apud contribules & ſocios pro deſertore habitus, dum adhuc omnes Vercellis eſſent, e via deflexerat ad Alpes. Igitur ceteri qui in fide perſtiterant majore animi ferocia quam conſilio, jam in veſperam inclinante luce in pugnam contra Gallos irruentes, atrox certamen concitavere, ſeptimo ab Mediolano lapide, a Marignano tertio. Cumque ambiguo diu Marte certaretur, dira & cruenta admodum eſt edita carnificina, nullo declinandæ necis remedio. Cum enim media via militari & anguſto hinc & illinc loco res ageretur, quia ſcrobium altis propipiis obſtantibus, nullum divagandi ſpatium, nec dilatandæ aciei locus eſſet, confertiſſimi utrimque cadebant. Sunt enim Inſubrium agri tum genitalium fontium ſcaturigine, tum aquarum advenarum derivatione, per incilia ita irrigui, ut per arva & campos cultos pratave iter facientibus tranſitum frequenter intercludant. Quamobrem in arcto confligentibus nulla ſpe fugæ, niſi terga hoſti cædenda darentur, major cædes perpetrata eſt, quam pro diei inclinatione patrari poſſe crederetur. Nam ad noctem luna illuſtri producentes certamen, tandem moriendi victa obſtinatione receptui cecinere.

Pugnam renovantes Helvetii iterum cæduntur.

4. Irritati potius quam territi Helvetii tam cruenta pugna, vix ſpatio quieti & cibo recreandis viribus dato, ut primum poſtera dies emicuit, in eoſdem campos heſterna cæde madentes ſucceſſere. Et quamvis Gallus recenti certamine feſſus, otium quam negotium, & humandis ſuorum cadaveribus inducias mallet, non detrectata tamen pugna, hoſti Germanorum phalangem objecit, genus hominum eadem bellandi ratione, eodemque animorum ardore, & vitæ pari contemtu, de virtute & gloria cum illo decertare ſolitum. Igitur inter eos inita pugna, pervicaci moriendi propoſito diu certamen tenuit, donec apparuit ferociam, niſi arte & ratione, ſicut navis in mediis æſtibus rectore perito gubernatur, facile conſilio & virtutis malleo frangi & contundi poſſe. Nam dum Helvetii bello occupantur, Galli qui equitatu & inſtrumentis bellicis prævalebant, adjectis ad ſuas vires Venetorum ſociorum auxiliis, quæ Albianus ducebat, quemque noctu rex accerſiverat, circumacti in alas, pars hoſtes pugnantes per latera, pars dextrum lævumque eorum cornu, qui in campis potius pugnæ teſtes quam adjutores immoti ſtabant, quod in lacunas ſeſe inexplorato præcipitaverant, non vallo, non aggere, non armis protectos, omnibuſque injuriis expoſitos, tormentorum globis frequentibus proterebant, unum ſuper alium ſternebant, corporibus quam fœde diſcerptis. Ita fiebat ut quacumque vertivolantium pilæ perrumperent, ſtratiſque paſſim Helvetiis, ſemitam quamdam callemque ad diametralem regulam inter eos ſibi aperuiſſe viderentur. Hac clade cum inclinata Helvetiorum acies terga dare cœpiſſet, equites fugientem premere non deſtitere, donec eos more pecudum mactando, intra mœnia compellerent, & ſeptingentos ex ipſis, qui diverſo itinere ad Sanctum Julianum confugerant, intra quaſdam domos coactos, ac manu data hominum deûmque fidem fruſtra implorantes, injecto igni inclementiſſime cremaverunt. Re itaque prorſus complorata, Helvetii, remiſſaque animi ferocia, cedendum rati, poreſtatem civitati fecerunt veniæ a rege victore deprecandæ, & pro tempore ſuis rebus conſulendi. Helvetiorum ea pugna præter duo vulneratorum millia, cecidiſſe viginti millia vulgatum eſt, Gallorum ſeptem millia equites trecentos, virorum illuſtrium, Chiapinum Pitiliani comitem, Bompenſeri herois filium, Borbonii ducis fratrem, Tramolium regulum & Rabramatam. Is eſt qui dudum Proſperum Columnam in Subalpinis ad Villam-francam cum Obignino ceperat: tum pleroſque alios, qui interitu ſuo

lugubrem regi fecere victoriam.

Mediolanenſes regis miſericordiam deprecantur.

5. Abeuntibus Mediolano per aversam portam Helvetiorum reliquiis, & Maximiliano Sfortia intra arcem ſe recipiente, miſſi ſunt plerique optimates & principes civitatis publicitus, qui regi ſatisfacerent, teſtarenturque ſe non deſtituiſſe dudum regem, nec detrectaſſe regium imperium; ſed a regio deſtitutos magiſtratu & imperio, ad alterius imperium armis coactos; non ejectos a ſe vetereſ poſſeſſores, ſed veniſſe novos in vacuam poſſeſſionem dominos, eam urbem ceu ſpecioſam feminam in medio poſitam, victoris præmium fuiſſe, nec ei liberum extiſſe pro ſua voluntate agere, aut pro ſuo arbitrio de ſe ſtatuere; ac propterea illam omni culpa vacantem, non tam perfidiæ & perduellionis crimen deprecari, quam rogare ne calumniatoribus criminatoribuſque aures regiæ eſſent expoſitæ, neve de ſe quicquam gravius decerneret. Nunc enim quando permittantur pro arbitrio agere, non facere deditionem, ſed jam pridem a ſe poſſeſſa reſtituere, manuſque, ut aiunt, & herbam dare, pacem & veniam ac impunitatem alienæ contumaciæ ſibi dari & condonari, petere, & obteſtari per Deum immortalem omneſque cœlites, & regium caput, quod numinis loco habeant, ne ſibi fraudi & invidiæ ſint Helvetiorum peccata, qui Maximiliani Sfortiæ ſtipendia ſecuti, urbe & civibus nihil moventibus, ſicut contra invictas Gallorum vires audacter nimis arma ſumpſerant, ita meritas temeritatis ſuæ pœnas luiſſent: adjectiſque ad preces lacrymis, in terram toto corpore procumbentes, vocibus querulis miſerationem regiam fidemque implorabant.

Quam illis indulget.

6. Aderat Trivulcius pro patria, pro neceſſitudinibus, pro penatibus, pro innoxio populo, ſicut pius, ita neceſſarius & gravis interceſſor. Rex ſerenata fronte, & in lenitudinem vultu formato, illi populo admiſſorum impunitatem dare & oblivionem polliceri ac præſtare ſe ait: plebem ſiquidem ſolere eo ſemper inclinare quo ducatur, more arundinis, quæ in eum latus verticem volvat, quo ventorum flatus impellant: teſtatus ſe Johannis Jacobi Trivulcii de ſe bene meriti precibus id in primis tribuere: irent & poſtridie cum pacato agmine, & auſpicato urbem ingreſſurum, gratanter & ſecuri exciperent, & omnibus bono & fidenti animo eſſe juſſis, genialem hilaremque eum diem agerent.

Colloquium inter Leonem papam & Francicum regē.

7. Potitus Mediolano Franciſcus, haud multos poſt dies arcem, in quam Maximilianus fuga ſe proripuerat, cum ipſo duce in fidem & deditionem accepit, ipſoque principe in Galliam amandato, totam Inſubriam, & quicquid ad ejus ditionem pertineret, omnibus populis in ejus verba jurare adactis, ad imperium retraxit; & non ſolum Parmam Placentiamque, revulſas a corpore partes, tradente Leone, ſibi vindicavit; verum etiam ipſummet pontificem, non ſine ſolii pontificii indignitate Roma elicitum, ut per ſpeciem gravioris conſultationis ambo convenirent, Bononiam media hyeme venire compulit ad colloquium: ut neſcias uter alteri officii vel honoris gratia occurrerit; niſi Leonem pontificem per Apennini dorſum, nivibus & Boreæ flatibus horridis longius iter emenſum, quam regem a ſui regni finibus vix quinquaginta millia paſſuum per plana progreſſum officioſiorem dixeris. Ibi poſt adorata ſummi pontificis veſtigia a rege, quum celebrato conventu, multa prætextu expeditionis Chriſtianæ in Turcas palam jactata, clam vero alia inita fuiſſent conſilia & fœdera, rex Mediolanum repetens, in Galliam non multo poſt receſſit; Leo non diutius ibidem commoratus, Romam repetiit, rege voti compote abeunte in ulteriorem Galliam. Firmoque equitatus præſidio in Inſubribus relicto, quo populi in fide & officio continerentur, conciliatiſque ſibi per fœdus & amicitiam Italicorum principum & rerumpublicarum ſtudiis, apparebat non ſolum illic, ſed tota ferme Italia omnia fore pacatiora.

Maximilianus Cæſar cum exercitu in Italiam irrait.

8. Verum cum vixdum æſtas appetiviſſet, Maximilianus cæſar alterum Maximilianum Sfortiam cognominem, cum principatu in Gallorum veniſſe poteſtatem, frendens frementſque magnis contractis copiis, multiſque Helvetiorum millibus inauctoratis, in Italiam per Rhætios & Tridentinos ſaltus deſcendit, & a Verona, quæ tunc illi adhuc parebat, in Inſubres iter intendens, inter tranſeundum Aſulam municipium agri Brixiani munitiſſimum, quod in fide erat Venetorum, oppugnare adortus, ubi vidit fortiter ſibi reſiſti, & diu illic ſedendum fore, cum magna temporis jactura, nec multa expugnationis ſpe, ſoluta obſidione, ad deſtinatam a ſe expeditionem procedens, Laudem Pompeianam nullo firmatam præſidio occupat munitque. Dehinc quadrato agmine ſub ipſa prope Mediolani mœnia ſucceſſit, & nemine ſeſe illis opponente, quandoquidem Gallus, quod eſſet peditatu imparatior, numquam pugnandi copiam faceret, etiam in ſuburbanas domos flammas minitabundus injecit, nec ulterius ejus ira proceſſit. Denique aliquandiu ibidem ſedens, cum nulla ſpes urbis capiendæ ſeſe illi oſtenderet, ignarus quo loco & ſtatu intus eſſent hoſtium res, animo remiſſiore eſſe cœperat, quaſi victoriam de ea urbe deſponderet, qua intra biduum triduumve erat potiturus, niſi eum pertæſum fuiſſet moræ. Nam Helvetiorum legio a Johanne Jacobo Trivulcio regio legato pridem conducta & intro recepta, nullo modo induci potuerat, ut contra cæſarem, cui ex fœdere obnoxia erat, aut contribules & paganos ſuos Helvetios, qui cum imperatore militabant,

Mediolanum obſidet.

militabant, arma induerent. Sic enim ab initio cum Trivulcio convenerat.

Obſidionem ſolvit & in Germaniam ſe recipit.

9. Verum Trivulcius vir vafer & callidus, aut Helvetios ſponte ſua vanos & fluxæ fidei muneribus capere, & in ſuam ſententiam trahere, vel ſi id non ceſſiſſet, ſaltem Maximilianum ſuſpicionibus ſuſpenſum, ne fortunam belli tentaret, terreri poſſe confidebat. Itaque ſpem vultu fingens, internuntiis a ſe ultro citroque commeantibus, adverſariorum Helvetiorum animos quavis ratione tentare, & confectis tabellis quaſi proditionis indicibus ſine nomine, quæ ad imperatorem clam perferrentur, ſparſiſque per caſtra vanæ concordiæ vocibus, de Helvetiis contra imperatorem conſentientibus, eumdem animi dubium variis cogitationibus involvere ſtudebat: id quod fecit. Cæſar enim cum hoſtium clandeſtinos congreſſus cum Helvetiis comperiſſet, quaſi ſubolens ſibi inſtrui inſidias, aut certe pro ejus ingenio, ut erat admodum ſuſpicioſus, ita opinaretur, ac idcirco Helvetiorum fidem, cum quibus pro finium controverſia antea pugnaverat, ſuſpectam haberet, ſubitario abeundi conſilio, conclamari vaſa jubet, ſublatiſque aquilis, celeriore quam venerat gradu, nullaque re commemorabili geſta, in Germaniam transmiſit.

Veneti Brixiam & Veronam recuperant.

10. Cum vero per id tempus vacua eſſet omni hoſte externo Ciſalpina, Veneti, Gallis non ſolum permittentibus verum etiam opitulantibus, Brixiam bis ante aliquot annos amiſſam, ſive vi ſive per inſidias recipiunt, necnon Veronam aliquandiu fruſtra oppugnatam, fortiter eam M. Ant. Columna, qui Cæſaris ſtipendium merebat, defendente contra omnes & Gallorum vires & Venetorum, tandem auro, cujus erat indigus & ſemper cupidiſſimus, idemque prodigiſſimus Maximilianus eſt habitus, expugnatam & redemtam, ad priſtinum imperium retraxere, reſque ſuas longa procella exagitatas reſtituere, & quaſi luxata regni membra corpori compegere.

Leo papa ducem Urbinatenſis ordinem redigit.

11. Sed ne belli materia in Italia deeſſet, Leo quoque decimus pontifex maximus per ea tempora Franciſcum Mariam Rovereium, ducem Urbinatium, Julii II. pontificis perneceſſarium, reum apud ſe & convictum, ut dicebat, diris & imprecationibus deteſtatus, circumlatis undique apoſtolicis diplomatibus, quibus damnatum jure diceret, etiam privatum principatu denunciat. Mox etiam arma infert auxilio Gallorum, & mercenario Hiſpano uſus. Sed cum a Gallis Franciſcum Mariam ejectum dominatu nolentibus, ſegniter & parum ſincera fide bellum gereretur, appareretque fruſtra haberi a Gallis pontificem, Leo, re animadverſa, per Hiſpanos largioris ſtipendii indulgentia ſibi conciliatos, Gallorum perfidiam prævaricationemque deluſit, eoque rem deduxit, ut

A Franciſco Mariæ deditionem facienti, & ſeſe in ordinem redigenti, cum uxore & liberis omnique re ſua, libera abeundi quo libitum foret facultas daretur, eique in ſingulos annos certum auri pondus in honeſtioris vitæ ſubſidium erogaretur.

Italia a bellis quieſcit.

12. Compoſitis in hunc modum in Italia rebus, quod ante multos annos non contigerat, luſtro prope integro, caſu potius quodam quam humano conſilio, belli motus quievere: Nam arma extimæ Britanniæ, quæ in Angliæ nomen tranſiit, mari trajecto, aliquandiu in Gallia obſtrepuere: ſed cum biennium Franciscum regem, pluribus acceptis quam illatis cladibus, fatigaſſent; tandem per fœdus & novæ neceſſitudinis vinculum remiſere. Et Hiſpania duorum regum Ferdinandi ſenioris, ac nondum exacto triennio Philippi Auſtraſienſis ejuſdem generi, Maximiliano imperatori nati interitu, in quorum locum, regno ſibi per manus tradito, Carolus etiam Auſtraſienſis, necdum annos viginti natus, ſufficitur. Domeſticis hujuſmodi funeribus & curis exercitus pro magno habuit negotio, populos in fide & officio continere, ac externa negligere. In Germania vero exceſſu Maximiliani imperatoris comitia declarando novo auguſto, Germanos principes diu tenuere ſuſpenſos. Duobus potentiſſimis candidatis, Francisco Gallorum & Carolo Hiſpanorum regibus, prope coætaneis ad imperium aſpirantibus, allectare Gallus, quantum aſtu largitione & ambitione poterat, principum ad ſe ſuffragia; & ſi minus id aſſequeretur, (difficile enim factu videbatur, ut Germani in externo cooptando convenirent conſentirentve) ſaltem ab æmulo competitore avertere nitebatur: ſed pervicit nationis prærogativa, ut Carolus Auſtraſiorum genus decerneretur imperator menſe Julii anno a partu Virginis MDXIX. quæ res ad veteres ſimultates, quæ graviſſimæ intercedebant, tantos inexpiabilis odii ſtimulos juvenum animis adjecit, ut non multo poſt parerent quod diu parturierant.

Carolus rex Hiſpaniæ imperator eligitur.

13. Cum ergo peregrini reges ſuis diſtringerentur difficultatibus, aliquantum Ciſalpinæ gentes reſpirare videbantur, tam diuturnis antehac vexatæ bellis; erantque præſertim in Parmenſibus omnia pacatiora, niſi Gallici præſidii ſtationibus & hoſpitio domeſticatim gravati fuiſſemus. Conſpiraverat ea civitas quodam numinis afflatu, ut Virginem Deiparam aliquo pietatis officio demererentur, in templi auguſtioris media urbe illi ſtatuendi mirum ſtudium & unanimum ardorem, & non ſolum in ejus conditionem quiſque ſtipem pro viribus conferebat, verum etiam corporis obſequio ſerviles operas pia & incredibili ſedulitate impendebat. Idem ardor patres, juvenes, impuberes, nuptas, innuptaſque, ab humillima plebe ad ſupremi

Erigitur Paræ B. Virginitemplum.

ordinis patricios, uſque inceſſerat, nec puduit ſummo loco natas matronas, opibus affluentes, in purpura & mundo muliebri, ſub vilis ſarcinæ pondere ſudare. Ad tam præclarum facinus fando adhuc inauditum, & miraculo affine, tributim, vicatim, ordinatim donaria aurea argenteaque, choraulis, fiſtulis, tubis ac æris ſacri ſonitu, ſummo apparatu, ludorum Apollinarium circenſiumve inſtar, quotidie in pompam, non tamen ad oſtentationem, aut ſpectaculum mollioris cœnæ, ſed ad veræ pietatis ſpecimen circumferebantur offerebanturque pari religionis calore. Certavere villæ, pagi, & municipia quæque noſtratia, & turpe quiſque cedere aut vinci putavit. Sed ex finitimis oppidis ac urbibus, in hujuſmodi ſtructuram nuncupatis votis, pietatis ergo frequentes, in dies in horaſque, virque fœminaque omnium ætatum ordinumve conveniebant. Denique toto trimeſtri hæc animis alacritas feriatim & uni huic curæ intentam civitatem tenuit. Nec ulla dies a pomparum ceremoniis vacavit. Fuit hic annus vigeſimus primus ſupra milleſimum & quingenteſimum a CHRISTI JESU natali, ab menſis Aprilis initio. Exacto autem vix dum trimeſtri, ampla & auguſta templi facies ad miram ſpeciem plurimis diſtincta ſacellis, & in ſphericam formam nova quadam imagine faſtigiata, in fornicem ſinuari expetebat, quum repente belliçus furor, tamquam Mægera a Phlegetonte excita, martiale claſſicum præcinens, noſtra otia & gaudia faſcinavit, noſtriſque piis ſtudiis invidit, tantumque ac tam latum excitavit incendium, ut non niſi Ligurum, Inſubrium, & totius ciſpadanæ ac tranſpadanæ, Æmiliæque ruina, Gallorum demum ipſorum clade & exterminio extingui ſedarive potuerit, & in quinquennium uſque adhuc fumante camino ſcintillaverint favillæ, quæ tandem hoc ſpatio quinquies exactis Italia Gallis ſopitæ ſunt.

Novum Italiæ bellum.

14. Eam cladem ante omnem belli ſuſpicionem quædam muliercula, mentis inops, Gallis militibus, quacumque illis in hac urbe obvia foret, ſive taciti præterirent, ſive illam ad deliria ridendi ſtudio provocarent, fanatico vel potius fatidico quodam ſpiritu, intrepida portendi cecinerat, fæpiſſime noſtrorum quamplurimis audientibus, fore teſtata, ut brevi ſuorum ſanguine ac cæde omni Italia excederent: quanquam certiore oſtento, turris arcis Mediolanenſis igni cœlitus tacta, quo & illa exciſa corruit, & munimenta ac pulvis tormentarius conflagrarunt, plurimique mortales ceciderunt, barbaris potuerit præſagio eſſe documentoque ſibi excidium imminere, nec a portento rerum mutationem innuente alienum aut abſimile haberi potuit facinus abominabile & dictu horrendum, quod in urbe Mediolanenſi ſub idem tempus acciderat. Mulier erat Catherina nomine, inter cauponarias non ultima, quæ avaritiæ libidine, pridem pueros trimos quadrimoſve, &, ut occaſio obtulerat, etiam paulo adultiores, alicujus edulii bellariique illecebra ineſcatos, clam in penitiora tabernæ meritoriæ advectos, eliſo gutture, aut aliter enectos, & mortalibus epulandos apponere conſueverat. Tantum præciſis manibus pedibuſque ac capitulis, ne articuli humani aut membra notiora fidem ſceleri facere poſſent, intra viſcera terræ reconditis, cetera corpuſculi membra fruſtatim conciſa, aut elixabat, aut aſſabat igni in epulum venale, quod in juſculo cinnamis calamoque, ac bene olentibus herbis condito, liguritoribus propinabat. Ita fiebat ut mortales hujuſmodi cupediis allecti, ignarique ſe antropophagos fieri, Thyeſteam frequentarent menſam, magno qûæſtu cupedinariæ mulieris, donec nefarium ſcelus indicio catuli domeſtici in vulgus emanaret. Ille enim, ut eſt hujuſmodi animal naribus ſagax & prædæ avidum, forte cujuſdam foveæ altioris recenter terram congeſtam, & adhuc in ſumma margine mollem in herili domo prominulo oris rictu cruens, & olfactu gulam invitante, anxie effodere pergens, manum bimuli pueri eduxit, eamque utraque fauce morſibus apprehenſam, nequicquam hera revocante, in publicum quaſi corroſurus extulit: mox ab popularibus ultro citroque commeantibus, qui eo ſpectaculo obriguere, intra lares rurſus compellitur, & ad prædæ locum ſollicitus refertur. Concurſantibus pluribus, & canem venatorem inſequentibus, multorum oſſium tumulatio detecta crimen aperit. Mulier ſcelerum conſcientia conſternata ac ſtupens, flagitium non potuit vultu non prodere, quod mox rerum capitalium ultoribus per quæſtionem & tormenta ore fateri coacta fuit. Eam ob rem, in illam, cujus ſupplicio una mors levis erat, pro gravitate criminis, ſed ne unus quidem culeus ſufficeret, ferro ignique eſt animadverſum.

Horrendum cujuſdam mulieris facinus.

15. Præſidebat tunc Inſubribus ODETTUS Leutrecii regulus, natione Aquitanus, ex iis quos Guaſcones Galli patria lingua nunc appellant. Nam ex eo tempore quo Franciſcus rex Maximilianum Sfortiam Mediolanenſium regno armis ſpoliaverat, & in deditionem acceptum in Galliam amandarat, Parmamque ac Placentiam Romanæ ſedis vectigales, a LEONE X. pontifice maximo, quem mox facti pœnituiſſe eventus docuit, receperat. Guaſco impotenter nimis & ſuperbe per tyrannidem in provinciales & nobilitatem graſſabatur, regis amicitia & gratia, qua plurimum pollebat, abutens. Nunc hos per ſuſpicionum nebulas exilio opibuſque, nunc illos, nullo legis præſcripto, aut judicii formula, nullaque rerum novarum prætenta

Odettus Inſubrium præfectus tyrannis.

cauſa; ſed tantum pro animi libidine aut avaritiæ ſtudio, ſuppliciis aut capite mulctando. Inter quos Johannem Jacobum Trivulcium optime de Gallis meritum, rigentiſſimo anni tempore, Alpium juga nivoſa ſuperare, & apud regem cauſam dicere coëgit. Quod ipſum nonnullarum præfecturarum municipiorumve poſſeſſione, quibus a regibus fuerat ornatus, dejicere, & ſibi vindicare tentaret. Quo labore vir rerum bellicarum gloria & virtute inſignis, fatiſcens, anniſque, nonniſi exanimis in patriam referri potuit; Chriſtophorumque regulum Palavicinum, virum illuſtrem, ad ejus opes anhelans, Buſetti intra lares patrios, jure hoſpitii, & fidei religione violata, nihil tale veritum corripuerat, vinctumque fortunis & ditione nudaverat; nec ita multo poſt, minime convictum, contra jus faſque, poſteaquam Gallorum fortuna deteriore loco eſſe cœperat, manu carnificis obtruncavit, ejus ſalute per oratores pontificios, qui inſonti patrocinabantur, minime impetrata. Potuerat certe in Manfredum Palavicinum extorrem, qui fines regni circa Larium lacum hoſtiliter infeſtaverat, juſtius videri animadverſiſſe, niſi hominem per excogitatos cruciatus excarnificaſſet, ut per omnia membra necem ſenſim experiretur truculentiorem. Hoc demum in Galliam profecto, THOMAS illius frater, vicario jure ſupra terminos delatæ poteſtatis efferatus, aſperitate nimia cuncta miſcebat fœdabatque, haudquaquam fratre mitior, ſi non acerbior; nihilque penſi habebat ſive in corpus, ſive in fortunas cujuſvis ſæviendum cenſuiſſet.

Thomas Lauricus Rhegium dolo occupare ſtudens, capitur.

16. Ab eo itaque tamquam a belli face prima malorum labes exorta, pacatas res in extrema adegit pericula. Nam poſtea quam omnibus cœperat eſſe formidabilis, a domeſticis vexationibus ad externos converſus, ſuoptene impulſu, an regis imperio incertum, cum armatorum juſto exercitu, quam occultiſſime potuit, nocte quæ divi Baptiſtæ natalitium diem prævenit, Parma movens, Rhegiumque Lepidi delatus, prima luce pro porta conſtitit, parvo comitatu, ne multitudo ſuſpicionem gigneret. Nam militares turmas pone ſequi juſſerat, ut in occaſionem præſto eſſent. Divertebant ibidem ea tempeſtate plures optimates, Mediolanenſes profugi, permiſſu Leonis pontificis: quos iſte ceu aqua & igni interdictos, ſpirare in alieno cœlo terraque pati nequibat, jus ſibi eſſe prætendens ex fœdere inter regem & pontificem expreſſe ſancito, perduelles quoſque & a rege hoſtes judicatos, ubi in ditione Romanæ ſedis reperirentur, poſſe ad ſupplicium rapi. Verum in hujuſmodi fœderibus, ut hoc cautum arguatur, plura fuere alia capita, contra quæ veniſſe regem inſigniter conſtabat, ut commodiore loco dicturi ſumus. Et nihilominus idem Thomas etiam Rhegienſibus inſidiabatur, quatenus eam urbem, ſive vi ſive dolo occupare potuiſſet, quamvis amico & fœderato pontifici pareret. Itaque ſuppreſſo conſilio itineris, quamvis ingreſſu urbis prohiberetur, præfectum illius urbis Franciſcum Guiſardinum, patricium Florentinum, virum conſultiſſimum, & multo rerum uſu prudentem, ad colloquium elicuit; & quamvis armati exercitus imago, quæ ab eminenti ſpecula cernebatur, prius viſa plena ſuſpicionis eſſet: maluit tamen eum intra portam cum paucis admittere, quam foras egredi Rhegienſium juventute una cum præſidio urbico ac Inſubrium exulibus de ſua ſalute ſollicitis ob hoſtis propinquitatem, ſi qua vis ingruiſſet, ad injuriam propulſandam paratis. Vixdum data acceptaque ſalute, nec dum poſtulatis ad pœnam exulibus, Galli armati ferino quodam impetu & horriſonis vocibus poſt ducem irrumpere nituntur. Tumultuatur utrimque, & graviter ab oppidanis repugnatur, magnaque vi Galli ſummoventur, obſtructa porta: ipſe Thomas tamquam fera plagis irretita, prope exanimis ſubſtitit. Hærebant lateri ejus ALEXANDER, TRIVULCIUS conſilio & virtute præſtantior illo: hujus ventri ſecundum femur glans plumbea lethaliter inhæſit, e ſclopetario in eum, certo quidem ictu, ſed incerto auctore contorta. Eo vulnere accepto Parmam relatus, vix triduum ſupervixit; a ſanguine autem Thomæ ægre temperatum eſt: tamen captus aſſervatur. Re cognita, qui extra portam ſteterant armati equites trepidare, palanteſque qua cuique proxima fugæ occaſio fuit, ſaluti ſuæ conſulere. Alii equorum pernicitate, more pavitantis damæ, cujus terga premat canis venaticus, Parmam uſque perpetuo curſu delati ſunt, multo aſperſi pulvere.

Quem reddi fecit Federicus Gonzaga.

17. Ne tamen omnes exercitu prorſus dilaberentur, auctor fuit FEDERICUS GONZAGA vir bello ſtrenuus, qui tempeſtive cum mille & quingentis peditibus, equitibus trecentis, trepidantibus aſſuit, & turpiſſimam fugam caſtigando coercuit: tandiuque ad tria millia paſſuum ab urbe caſtra metatus, conſtitit, quoad Thomas captivus redderetur, quicum Parmam actutum regreſſus eſt, exercitu omni ſub ipſis mœnibus locato. Hinc gliſcere atrox bellum, hinc tanti belli incentivum in noſtros penates prius conflatum, mox latius ſerpere cœpit.

Leo papa publice invehitur in Gallos ipſumque eorum regem.

18. Ubi hoc reſcivit LEO pontifex, ut erat animo jam a Gallis alienato, & gravioribus injuriis exulcerato, adeo excanduit, in tantamque provectus iracundiam, ut per Gallos oratores, qui citatiſſimo curſu Romam ierant, quo mentem ſummi pontificis delinirent, & crimen elevarent, minime ſibi ſatisfieri paſſus ſit: quin, ipſis graviter increpitis, in conſeſſu quoque patrum ſenatorii ordinis in regem invectus eſt, beneficia ſua in

illum exprobando, & acceptas ab eo injurias dictis aſperando, ut quo animo in illum eſſet facile appareret. Teſtatus enim in primis ſimultatum cauſas ante hac ſe diſſimulaſſe, nunc vomicam, quæ diutius multo dolore ſuum pectus perſtrinxiſſet, eo loco deductam, ut niſi evomatur, ſibi & Romanæ eccleſiæ pernicioſa ſit futura, cum in tantam proterviam erupiſſet Gallicus furor, ut nulla laceſſitus injuria, ſe & amicam divi Petri ſedem ultro laceſſiverit, appetitum Rhegium, eccleſiæ vectigal, per inſidias ab armatis Gallis, parumque abfuiſſe quin caperetur, ſed præſidis virtute ſervatum. Quod ſi ſucceſſiſſent primi conatus, qua ſunt animi impotentia, profecto cum ſucceſſu creviſſet audacia, & a rege dominandi cupido, impetus in proximas civitates factus fuiſſet. Obliviſci ſe quidem injuriarum, quæ ad eum privatim pertinerent, etſi cum publica cauſa connexæ eſſent, cum pridem legatus JULII II. & Romanæ ſedis inermis in captivitatem raptatus & triumphum, cum ſumma apoſtolici nominis numiniſque indignitate, nullatenus ſervitio eximi potuerit, niſi amicorum ope fugam adjuvante. Ad hæc filium fratris LAURENTIUM, qui officii & neceſſitudinis cauſa ad illum profectus eſſet, ludibrio habitum, & cavillis illiberalibus ac probris indigne laceratum: verum ut ea omittat, certe publicas rationes negligi nec poſſe, nec licere, ſine magno reipublicæ detrimento. Nec enim excidiſſe ſibi memoria, quod infidam ſibi operam præſtitiſſent ejus copiæ auxiliares apud Urbinum contra FRANCISCUM MARIAM ROVEREIUM, quæ deprehenſæ eſſent cum illo clam convenire, fuiſſeque tunc irritam illam expeditionem, niſi ejus gentis male diſſimulatam perfidiam prævaricationemque auro per Hiſpanas legiones redemiſſet. Subjecit denique multis verbis, quibus artibus ludificatus fuiſſet ab eo, ne equeſtres copias, quas cis Alpes haberet, ejurato fœdere, ſibi mitteret auxilio, cum noviſſime moturus eſſet arma in Æmilia contra Alphonſum Atteſtinum: proinde iret, deſineretque poſt hac defenſoris Romanæ eccleſiæ nomen, & falſos titulos uſurpare, illi ſedi nec vires nec amicos ſincerioris fidei patronoſque defuturos. Muſſantibus patribus, nec dictis ſententiis, ita diſceſſum eſt e concilio, ut novas ſocietates aut iniiſſe pontificem, aut initurum omnes ſuſpicarentur.

Convertit ſe ad Carolum imperatorē.

19. Cautum fuerat inter eoſdem pontificem & regem, dum Bononiæ quinquennio ante fuiſſent, in legibus ictæ pacis, ut pro Parma & Placentia reſtitutis, rex ſuo cum equitatu ciſalpino ſuppetias iret Leoni pontifici, cum expeditionem contra Atteſtinum in Ferrariam Æmiliæ urbem tributariam eccleſiæ Romanæ, quam armis vindicare in animo habebat, pararet. Jam tranſierant in Flaminiam ſex Helvetiorum millia, quæ Leo in hanc provinciam ſtipendio conduxerat, reliquus apparatus magno ſtudio & ſumptu jam præſto erat ad procinctum bellicum, tantum auxiliator Gallus erat in ſuſpenſo, dum diem de die trahit tergiverſationibus, dum cauſando moræ nectuntur, ſol annuo integro orbitam circumegerat, & fruſtratus inani expectatione Leo, ludibrio fuit fluxæ fidei barbaro. Nec enim volebat rex extrudi Ferraria Alphonſum amicum, aut Romanam eccleſiam acceſſione ejus urbis fieri potentiorem. Hac inſigni calumnia & ludificatione irritatus pontifex, & ſemet excrucians incuſanſque, quod illi fidem habuiſſet, quodque vana ſpe compenſationis, duabus celeberrimis civitatibus Parma & Placentia ſe ſpoliaſſet, nimium credulus, continuo in CAROLUM imperatorem oculos reflexit, illumque ſibi conciliare & jungere omni ratione ſtudebat, ut haberet quem ſociatis armis regi opponeret, quamquam ad ſocietatem cum CAROLO jungendam, Leoni majoris momenti cauſa interceſſiſſe videri poſſit.

Lutheri hæreſes in papæ anathematē.

20. Sollicitus enim ſupra quam dici poſſit Leo de impia cujuſdam Martini Leuterii hæreſeos labe, quæ tamquam dira peſtis Germanici nominis magnam partem infecerat. Erat hic Martinus genere Saxonicus, obſcurus fuit quidem homo, eremitici inſtituti ſectator, ac aliqua divinarum litterarum aſpergine intinctus. Idem ubi ei doctrinæ & probitatis opinione ac crebris concionibus apud vulgum acceſſiſſet auctoritas, eſſetque admodum popularis, parum ſincera fide erga religionem Chriſtianam & patrum dogma eſſe cœperat: primum itaque pontificiæ ſedis majeſtati detrahere, elevareque poteſtatem, ſummum nimirum antiſtitem & ſacri ſenatus ordinem maledictis vellicare, in aulicorum curialium mores invidiam concitare, patrum inſtituta & ſanctiones pontificias, quibus hactenus ſtetit eccleſia, antiquare & abrogare, myſticas ad piaculorum & culparum luſtrationem, ritu Chriſtiano & lege a majoribus accepta, confeſſiones impie irritare, tacitam reatuum pœnitentiam, Deo teſte factam, ad expiationem ſufficere; pontifici luſtrandis defunctorum manibus, qui apud inferos torqueantur, jus nullum eſſe, nec imperium; ſacerdotibus affluentiam opum demere, connubia dare: denique plurima hujuſmodi deliria in vulgum ſpargere & chartis mandare, & multitudinem tamquam venenis inficere, quibus Saxonicam nationem, Chriſtianæ religionis non ignobile membrum, labefecerat. Terminantur Saxonici ab occaſu Viſera fluvio, ad Aquilonem Danios habent, gentem Scyticam ad mare Baltheum; Francones ad meridiem, quibus Bajovari & Bohemi oſtenduntur, ad ortum Bruteni, Turingi, Braidæ, Bargenſes, Maxinenſes, Luſacii, qui omnes Saxonici juris ſunt: jamque hujuſmodi incendium per reliquam Germa-

niam ſerpebat. Itaque anxius animi LEO, A quod huic ſtudere principes totius regionis ſubverebatur, ſibi & pietati Chriſtianæ patronum aſciſcere in hac re CAROLUM imperatorem ſatagebat.

Carolus imp. Lutherum ad melliorem frugem reducere conatur.

21. Cæſar, ut integritatem corporis Chriſtiani ſolidam & illæſam ſervaret, ac pontifici, quem pariter ſibi obligare volebat, gratificaretur, Leutherium ad ſe accerſit, gravique ſupercilio ad officium revocare conatus eſt. Ubi graviter increpitum immotum ſtare videt, nec a pertinacia ſua divelli poſſe, ab eo exigebat, ut re in doctorum concilio deducta, ſi convinceretur, ſententia decederet. Aſſentire quidem viſus eſt, ſed ad diem certamini indictum, non ſolum non affuit, verum etiam aut ſibi diffidens, aut vim multitudinis reformidans, clam ſe ſubduxit. Eam ob rem Cæſar de patrum decreto hominem malarum artium & diſſidiorum ſeminarium, tamquam publicum hoſtem edicto exterminat, & impune poſſe confici, libroſque eius & dogmatum ejuſmodi pravorum deliramenta, ubi ubi ſint, incendio abſumi debere decernit.

Odia inveterata inter Francos & Auſtriacos renovantur.

22. Erat Carolus adoleſcens, nondum C annos natus viginti quatuor, e gente ut diximus Auſtrienſi, alti ſanguinis familia vetuſtiſſima multiſque imperiis & triumphis fœta, Maximiliani noviſſimi ab eo ex filio nepos, cui procerum Germanorumque ſuffragiis ille ſupremus honos biennio ante delatus fuerat. Huic cum Francorum regibus, quaſi hereditario quodam jure, veteres ſimultates & odia inexpiabilia intercedebant. Nam MARGARITAM Maximiliano prognatam, CAROLUS rex Gallorum, jam ſibi deſponſatam & traductam ex repudio ad parentem remiſerat, quippe qui opimiores nuptias ſecutus, matrimonium aucuparetur D Annæ unicæ ſobolis Franciſci ducis Britanniæ ſuperioris, quæ mortuo parente regnum dotale ſecum trahebat. Hæc eſt illa Britannia, quam olim Venetiam, Cenomaniam, atque Turonenſem nuncupatam, Britanni ulteriores, ſedibus ſuis & ipſi pulſi, ejectis veteribus color., de ſuo nomine dixerunt. Accedebat ad cumulum hujus ignominiæ, quod ipſa Anna Maximiliano ex cœlibatu uxoris defunctæ promiſſa eſſe dicebatur. Nec æquo animo ferre poterat Carolus occupari in Celtis magnam partem Burgundiæ, priſco nomine Sequanorum, quondam aviæ dotalem ab hiſdem Gallis. Denique in comitiis imperatoris queiebat ſe oppugnatum fuiſſe a Franciſco rege, non tam ut ipſe candidatus & competitor præferretur, quam ut hic repulſam pateretur. Hæc juvenis ferociſſimi, & multorum regnorum, quæ a matre Aragonia & avia Hiſpanorum regina adeptus fuerat, acceſſione præpotentis, ita animo inſidebant, ut tot injuriarum ulciſcendarum unica cum cura remorderet.

Carolus imp. Leoni papæ conjunctus, bellum Gallis indicit.

23. Itaque ambobus pontifice videlicet & imperatore multiplici ratione in ipſum Francorum regem exacerbatis, facile fuit in fœdera pacis coïre: nam internuntiis ultro citroque commeantibus, tam cito convenere, ut prius bellum exarſerit in Gallos, quam conſilia patuerint. Arma communibus opibus comparata, majore tamen ſumptu Leonis, qui aurum largiſſime ſuppeditavit. Scriptus mira celeritate exercitus ex Hiſpana Latinaque gente & iis Helvetiis, qui annum jam meruerant auſpiciis Leonis in Flaminia: Proſper Columna omnium ducum ætate B noſtra præſtantiſſimus exercitui præficitur: vir quidem cunctator, cui cauta potius conſilia cum ratione, quam ſecunda ex caſu placerent. Is Rhegio movens, binis caſtris ad Niciam flumen, Hentiam paululum luxatis litteris vulgo dicunt, quinto ab Parma lapide ſedit. Ceteras copias quæ pone ſequebantur, & ſociorum auxilia, machinas murales, & tanti moliminis reliquum apparatum operiens, prius quam obſidium urbis Parmenſis adoriretur. Sita eſt ea urbs in pa- Parmæ obſidio. tentibus & fertilibus campis, torrente potius C quam perenni amne illi cognomine diviſa, æquis intervallis a Nicia qua in ortum, & a Tarro qua in occaſum vergit, fluminibus quinto lapide diſtans. Poſtquam omnes copiæ magnæ illæ quidem cum validis legionibus convenere, cunctaque ad præſentis belli uſum comparata ſunt, complanatis campis per quos machinæ inſtrumentaque bellica & impedimenta quæque expeditius conveherentur, quadrato agmine procedens, in occiduam partem tranſpontanæ civitatis fluento interſeptam, tunc præ nimio æſtu arente, quæ pluribus pontibus jungitur, caſtra locat, vexillis editiore loco fixis ad prætorium caſtrenſe, quod equitum ordines undequaque vallabant, præ ſe ſtatuit legiones e regione civitatis, tormenta muralia magnæ molis & paulo minora quibus plurimum valuit, ductis opportuno ſitu caveis, ad diſcutienda mœnia, ſolertiſſimus imperator admovet, clauſos hoſtes levibus præliis & inſultibus infeſtans. At contra Gallus præſidio quadringentorum cataphractorum & octingentorum equitum levis armaturæ quatuorque millibus peditum, ad reſiſtendum impigre parari, in primis ante adventum hoſtium pomaria amœniſſima & omne genus arbo- E rum viteſque, quæ ſub pomariis fuere, cum villis exſcindere, ſuburbanos vicos & quævis ædificia in orbem uno incendio inclementer abſumere, juſſis alio colonis commigrare: ædes etiam ſacræ humi ſtratæ, ne hoſti uſui eſſe poſſent, ut graviora ab intimo quam ab extimo hoſte paſſi fuerimus. Propugnacula intus foriſque, ut durius hoſti negotium faceſſerent, erigere, mœnia munire, portas firmare & obſtruere, intus alias foſſas ſcrobeſque altius muro tenus cavare, tormenta

ænea quamplura pro turribus, pro muris, pro pinnisque mœnium disponere, perdius pernoxque vigilare, sæpe post adventum hostis portis erumpere, ipsumque hostem pugnando lacessere, aliquando æquo, aliquando dubio Marte manu conserta, sæpius tamen victus quam victor recedens: nam multi vel saucii vel semineces vel exanimes referebantur, quod Hispanus pedes per insidias illi lethaliter insistebat. At nos miseri cives, tamquam juvenca taurorum præmium, variis procellis utrimque jactabamur: foris omnia hostium libidini obnoxia, intus graviore propugnatorum quam oppugnatorum plaga obruebamur. Primum nulla nobis a Gallo fides, quasi cum hoste sentiremus, nullo tum argumento perfidiæ, sed conscientia sui in nos odii, cujus vicem suspicabantur in nobis; nec ad ulla alia munia tuendæ patriæ admittebamur, quam quod uti calones & fossores ad aggeres erigendos, eruendasque fossas ex penitissimis etiam larium nostrorum latibulis, in hæc officia nullo ætatis aut ordinis respectu discrimineque trahebamur: cujus rei ego sum locupletissimus testis, qui septuagenarius flamen in has operas talari veste amictus, fueram attractus: nisi Thomas ipse Lencius, qui sub muris armatus cum globo cataphractariorum excubabat, me intimus, dimitti mandasset, veluti mancipium labori ferendo invalidum & inutile. Suspecti omnes cœtus, sermones, conciliabula, quasi susurri conjuratorum sugillabantur; & cum classicum certaminis increpuisset, capitale fuit in publicum prodire: domi vero contubernio tam superbi & immitis barbari (nam nobiscum permiscue habitavere) nihilo mitior aut melior sors fuit; nemini hiscere aut contra niti licuit, eisdem extrema quæque minitantibus, & ut lixis imperantibus, uti nostro impendio eis obsonaremus, servitia aleremus, jumenta saginaremus, & vinum occuluisse scelus & parricidium fuit. In maxima scilicet vini penuria, cum hujusce hominum generi tam vini amico & avido, vappa per id tempus, gula plorante, delicium fuerit, horreum, penus, promptuaria cella, tota denique res domestica, ita in illorum fuere potestate, ut per eorum manus & ministerium, nos nostraque pignora & famulitium omne, quasi precario & mendicato pane vitam duceremus, aut more majorum tamquam mancipia demenso pasceremur accepto. Invalescebat fames, non frugum penuria, quibus per anni fertilitatem abundabamus, sed aquarum fluvialium inopia ad molenda farra; ac propterea cum publice aut privatim panis venalis desideraretur, in necessitate passim frumento, faba & omne genus leguminibus elixatis vescebamur. Propterea tumultuatum per cohortes militares, & si quid panificii a quoque pinseretur, diffractis & expugnatis manipulatim pistrinis, ex furni faucibus semitostus panis rapiebatur, frustra reclamantibus quorum intererat. Itaque in remedium inediæ moletrinæ asinariæ confestim fabrefiant; nec defuere qui mola trusatili, ejus generis qua sinapis circumacta liquari solet, triticum in farinam utcumque attererent.

24. Interea Prosper assidue tormentorum ænеis pilis muros, quamvis multo aggere & trabibus clathratos, lanaque quantalibet ex lanificiorum officinis depromi potuit, ad eludendos ictus congesta, munitissimos, quassare & disjicere non intermittebat ingentium globorum ferreorum ictibus, seu fulgetris supra infraque caput stridentibus, & intra urbem non temere cadentibus. Multorum enim armatorum intra mœnia adequirantium pectora, sive directo ictu, sive repercussu, sunt diloricata ad necem. Pernoctabant sub ipsis mœnibus Galli, de salute solliciti; totam etiam lucem sub solis radios armis & casside tecti, nec duces ipsi laboris & custodiæ exortes erant. In ipsis scrobis submœnianis, quas operosius effoderant, cibum armati utcumque capientes, adeo crebra sub ipsis mœnibus edebant certamina, illis subire, his arcere certatim conantibus. Fulgebant campi armis hostium, densum legionum agmen altiora mœnium missilium & scloporum glandibus incessebat extrinsecus, & alicubi aperta muri parte a machinis certiore ictu Galli confodiebantur: ita ut sæpe incurvi & quadrupedo gressu retrocederent, ipseque Fredericus Gonzaga, dum audaciam ostentaturus e pinna propugnaculi sese effert, manu vexillum prætendens, brachium fusoria glande trajicitur, quo vulnere ægre evasit: quare aliis cautius ad custodiam subeuntibus, Hispanorum alii muris succedere satagebant, alii sub ipsis aggeribus tuti ab injuriis tormentorum, cominus manu ferro hastisque cum propugnatoribus decernebant. Contra Galli in tantis periculis non segnes ferocius repugnabant, succedereque mœnibus ausos deturbabant præcipites, & saxa manualia librato magis quam certo ictu in subjectos devolvebant: aut in confertas acies ignem missilem & artificem, vel pilas æneas contorquebant, multa cæde, ut necesse fuit, utrimque edita. Nec tacendus mihi est hoc loco primipilaris Etruscus genere Guisardinus, virtute clarus, qui dum ferocius quam consultius in tumulum per scalam evadit, & signum in sublime statuere molitur, non infelici fortasse successu, si cohors sequi maturasset, pugnans a compluribus confoditur, transfixoque pectore præceps in caput ruit. Egregia illius obsidionis descriptio.

25. Consilium erat Prospero victoria, si posset, incruenta potiri, & militem a dubio Marte servare. Eam ob rem cavatis subter tramitibus, per cuniculum in arcem irrepere tentabat; jamque intro penetraverat fossor, sed non fefellit custodiam, catelli latratu sub- Urbs capitur.

terraneas prodente fodinas. Verum quoniam etiam incommoda aliquando ad bonos eventus vertit fortuna, ſpes urbis capiendæ aliunde effulſit. Poſtquam enim vi tormentorum turris porta, cui nomen ad Sanctam crucem, quæ in occidua eſt regione, ſolo æquata eſt, & magno tractu murus diſcuſſus conciderat, unde nullo obice, etiam complanata ſemita viam faciebat in urbem, Scotus miles, qui illi cuſtodiæ ſorte tum præerat, hoſtium turbini, ſi ingruiſſent, reſiſtere poſſe diffiſus, intempeſtæ noctis ſilentio ſtatione tranſpontanæ civitatis relicta, ad ſocios ejus conſilii prudentes per pontem ceſſim receſſit. Urbe ab ea parte ſic deſtituta, nonnulli populares ruinas urbis ſcandentes, Hiſpanorum vigilum præfectum in colloquium accerſivere; hoſtem abiiſſe, patere ipſis tutum ingreſſum, populum in ſua futurum poteſtate jurejurando affirmant, dira ſibi & quæcumque ſupplicia imprecati ſi mentiantur. Illi præmiſſis ſpeculatoribus cum omnia ex fide comperiſſent, prima luce cuneatim & in ſpeciem amici agminis urbem ingrediuntur, gratanter & alacri, licet infauſta, acclamatione excipiuntur a plebe. Ut primum introgreſſi portas, omnes aditus & opportuna loca occupant, præſidio firmant, duces facti Federicus Mantuæ & Ferdinandus Aterni ſive Piſcariæ marchiones: hic in Samnitibus, ille in Venetia: (nam Proſper in caſtris ſe continebat) Mox curatis corporibus, palati per compita & calles urbis, more nimbi & procellæ cuncta devaſtantis, in rapinam ruunt, tamquam perduellionis ultores, non vindices noſtræ libertatis a Leone pontifice miſſi, & quaſcumque ædes tam prophanas quam ſacras, araſque cum ſacris vaſis & loculis, cum ædituis populabundi ſpoliant, miſerabiliterque diripiunt, mortaleſque omnes, etiam mulierculas, quæcumque in cæcis latebris abdidiſſent, per tormenta ad confeſſionem & manifeſtationem adigentes; ſed in primis intra ſepta & clauſtra ſacrarum virginum, utinam ſine vitio pudoris, debacchatum eſt, quod omnes urbanas opes diuturna pace cumulatas, veluti religione tutiores ex fumo videlicet, ut eſt vetus verbum, in flammam conjectas, eo loci reconditas fuiſſe, militem non lateret. Nam ejuſmodi loca, quantumvis pia, in tali tempeſtate rapinis & avaritiæ militari, quæ ne diis quidem parcit, expoſita eſſe ſolere, nemo eſt, cui ſit aliquis rerum uſus, qui neſciat.

Proſper Columna hoſtiſi conatibus obviare pergit.

26. Vixdum immerita civitatis calamitate ſatiatis prædonibus, victor ille exercitus vaſa colligere juſſus, ut ejus exuviis onuſtus erat, trans flumen Niciam, non procul a primis caſtris per noctis umbram & interlunium ita tacitus receſſit, ut etiam Gallos falleret, ſpoliatæ urbi nihil præter luctum & vaſtitatem relinquens, abductis etiam in captivitatem pluribus honeſtioribus civibus, quos tamen Proſper, tantum ſcelus abominatus, poſtridie ejus diei in patriam remiſit. Stupor tam inopinatæ abitionis omnes ceperat, quaſi in ipſo curſu victoriæ, poſt tot exhauſtos labores, tam repente illa virtus elanguiſſet, ac illi animum deſpondiſſe viderentur. Verum paulo poſt compertum eſt PROSPERUM ea nocte qua ſe motis caſtris ſubtraxerat, gravibus nuntiis commotum receſſiſſe. Primum ab Inſubribus ODETUM proregem magno equitatu peditatuque, & ſociorum Venetorum auxilio obſeſſis venire. Item ALPHONSUM ATTESTINUM non parva manu, adjectis Bentevolis qui Bononia exulabant, moviſſe ad Mutinenſes ſollicitandos. Præterea in Flaminia FRANCISCUM MARIAM ROVEREUM, abactum pridem principatu, armis reditum in patriam moliri. Hæc quo graviora majoriſque momenti veroque ſimiliora, eo facilius credita, in liberiores campos illum ſe referre, & in ipſo fluminis margine tabernaculum figere coëgerunt, ne ſi in capta civitatis parte, quæ propter ruinas expugnatu & receptu facilis erat, conſediſſet, a fronte & a tergo circumſeptus, obſeſſoque quam obſidenti propior, pabulo & commeatu excluderetur, neve Mutinenſibus, ſi premerentur, in periculo deeſſet. Itaque ibi locatis caſtris, Johannem Vitellium virum impigrum, cum pluribus cohortibus, Mutinenſibus præſidio ire jubet, & Atteſtino, ſi e re eſſe cenſeret, ſeſe opponeret: ipſe vero Proſper nequaquam ocioſus, nec compreſſis, ut aiunt, manibus ſedebat. Nam & diſcurſibus hoſtem infeſtabat, & conſilia conatuſque hoſtium ſpeculabundus explorabat, & majora animo comminiſcebatur.

27. Jam Guaſco prorex cum toto robore exercitus Eridanum ponte ſtrato trajecerat, & Anizinoldum Palavicini Rolandi ſedem, dicto non obedientem auſumque reſiſtere, per deditionem tandem receptum hoſtiliter diripit. Demum poſt mutata ſæpius caſtra, inter Padum & Parmam flumina ad Colornium oppidum conſiſtit, obſervans Proſperi veſtigia, quem olfecerat de trajiciendo Pado cogitare. PROSPER enim jam legionem Hiſpanam cum ala equitum levis armaturæ, non tam ad prædam aut ad infeſtandos agros Cremonenſium, quam ad occupandum ripam tranſpadanam præmiſerat, qua pontem ſtraturus erat. Ipſe interea a Brixillo, vetuſti nominis oppido, quod olim Gottorum arx fuit, dum Ravennam imperio tenerent, dein a duobus regibus Longobardis, Antero & Rhotario, diverſis temporibus exciſum, rurſum & reſtitutum, mox vaſtatum, donec in obſcurum oppidum recideret, ad Vitelianum municipium Mantuanum, ripæ ulterioris e regione, pontem per tabularum contignationem navibus junctis Pado immittit, anchoraſque in imum flumen jactas, quæ firmitatem pontis continerent, ita funibus la-

xioribus fluitare voluit, ut augeſcente flumine, inoffenſus navium ordo attolleretur, quo facilius & commodius tanta moles inſtrumentorum fuſilium & exercitus trajicerentur. Ita bidui labore abſoluto omni opere, non procul ab hoſtium conſpectu, flumine dirimente, cum omni apparatu bellico exercitum traduxit ſub exitum Septembris. Galli non amplius de Parma ſolliciti, contractis omnibus viribus, etiam eorum qui Parmam præſidio tenuerant, relicto ibi FEDERICO GONZAGA cum ala equitum & duplici cohorte, quæ ſub ipſo militabant, compendioſiore via Cremonam prævenerunt. At PROSPER cum noctem unam ad Caſale-majus, quod Pado abluitur, ſcdiſſet, mox quadrato agmine progreſſus, ſarcinis, lixis, ac imbelli turba in mediam aciem acceptis, binis caſtris, Rebeccum oppidum, quod a fronte pontis vici flumine Ollio interluitur, tenuit, juncta ſibi in itinere recenti Germanorum legione, qui a Tridentinis jugis per planiciem Veronenſem ac Mantuanam venerant, ibi aliquandiu moratus, ponte ſub navium foris contexto, flumen tranſit, ſpe ſibi facta a Venetis liberæ pabulationis & commeatus, ſi ſine maleficio ibidem foret: nam eo flumine fines terminabantur Venetorum & Inſubrium. Verum haud multo poſt, non invitis Venetis, quibus haberi caſtra intra ſuos limites ab alieno milite non placebat, ab hoſte Gallo ulteriorem fluminis ripam, non admodum lati ſed profundi nuſquam vada aperientis, jam inſidente machinis æneis impetebatur, & ipſe invicem impetebat. Itaque utrique ſe ſubducere coacti, tanto interſtitio, quanto ab hujuſmodi injuriis tuti eſſe poſſent, averſi receſſerunt.

Odetti Gallorum prorẽgis imprudentia.

28. Non caruit hoc loco imprudentiæ nota ODETTUS, qui cum a M. A. Columna viro in rebus bellicis longo uſu & conſilio pollente admoneretur, ut in Proſperi copias incompoſito agmine trans amnem ducentis, impetum faceret: (facile enim fore, ut parte tranſmiſſa, reliquus exercitus intercíperetur) occaſionem delendi hoſtis non arripuerit: certe aut animi diffidentia, aut quod non probavit conſilium quod a ſe profectum non eſſet. Sed cum per autumni tempus pruinoſum immodicis imbribus obruerentur, corruptis putri cœno viis, difficultate annonæ laborari cœptum eſt utrimque. Verum Gallorum durior conditio fuit, qui caſtrorum putrem ſitum adepti, in feculento ſolo, tamquam in volutabro, cum equis verſabantur: & Helvetii, qui ad aliquot millia ſub ſignis Gallorum merebant, fremere cœpere, indignum facinus dicentes, ſe brevibus ſagulis nulliſque pellibus tectos, ſub humente & aperto cœlo, in brumam vergente anno, pernoctare. Per eos dies numquam de ſumma totius rei diſcepratum eſt: ſed tantum per occaſionem levia certamina, per equitem peditemque expeditiorem ad prædam parvo navigio exeuntem, edita fuerunt.

Julii Medices adventus.

29. Cauſam morarum dedit paulo ſerior adventus JULII MEDICES cardinalis, a pontifice maximo deſtinati, obiter expectatus: qui tandem cum aliquot alis equeſtribus, & magno auri pondere, in caſtra pervenit, exercitui & Helvetiis, quos ad quatuordecim millia conductos in dies operiebatur, ſtipendia erogaturus, ut confeſtim ſuperato amne Addua, per vim ſibi facerent viam in agrum Mediolanenſem: nec ita multo poſt, cum jam in Italiam per Bergomenſium ſaltus Helvetii deſcendiſſent, duce MATTHÆO Sedunenſi ſummi ordinis antiſtite, fruſtrato FEDERICO GONZAGA, qui ex Parmenſibus accitus, ad occupandam non procul Tricio Adduæ ripam, cum ſuis & aliquot aliis centuriis Italici nominis fuerat miſſus, ut illos tranſitu prohiberet, neve iter Mediolanum verſus, nullo tunc præſidio munitum, deflecterent, tuto in caſtra Romana pervenerunt. Accipiuntur hilariter & multo mero, donanturque ſagulis & caligis ejuſdem ſchematis, ſed pro more patrio variegatis, ut auctorati novo ſacramento, in fide conſtare aſſueſcerent. Sunt Helvetii toties dicti, genus hominum agreſte, ferocia ac multitudine finitimorum pro ea agrorum anguſtia nemini, bonitate ſoli omnibus cedentes, alicubi tamen campis feracibus, ſed non paſſim, & propterea quamvis alendo pecori & agro ad fœturam ſubigendo, ſedulo intenti ſint, eſuriem tamen in univerſum ægre ſibi eximere poſſunt, ac idcirco peregrinam militiam libenter ſequuntur: verum bello intractabiles & infidi, auri illecebra, tamquam eſca ad hamum capiuntur, modo harum modo illarum partium, pro ratione quæſtus fidem venalem habentes. Id cum uſu alias ſæpe compertum fuerit, tum hoc bello liquido docuerunt. Nam vixdum quatuor dies in caſtris morati, cum jam Romano illinc movenda caſtra eſſent, nova inire conſilia & labare deprehenſi ſunt, auctoribus nonnullis Helvetiis, qui ab hoſte per ſpeciem transfugii ad ſeſe ierant, commercioque linguæ & aſſuetudine cognatarum artium ad defectionem illos ſollicitabant. Suſpicione coaleſcente & per vulgata, ab ipſo MATTHÆO antiſtite conterraneo graviter increpiti, & ab JULIO MEDICE ac PROSPERO leniter caſtigati, non tam pœnitentia ſceleris quam avertendæ a ſe invidiæ ſtudio, in unum ex ſubornatoribus tranſfugis palam ferro gtaſſantur, & nihilominus cum ſigno itineris propoſito, primæ partes præcedendi eis darentur, neſcio quid comminiſcentes imperia detrectarunt. Sed PROSPER callide cum eis agendum ratus, quicquid moliretur curavit ut Helvetiis, quantum aſtu fieri potuit, eſſet ignotum. Quocirca præpoſtero ordine quos principiis deſtinaverat,

rat, a fronte in extremam aciem traduxit. Neque enim hostilia a tergo metuebantur, tum quod amne utrimque dirimerentur, tum quod hostis a diverso itinere occupare maturaverat supercilium ulterioris ripæ Adduanæ, quia tentaturus transitum hostis credebatur. Erat ripa illa ulterior ardua & aspera ascensu, citerior vero humilis & injuriis machinalibus obnoxia. Ad hæc ODETTUS omnem fluvialem oram quam tenebat & quantum patebat per quatuordecim millia passuum propugnaculis, castellis, aggeribus per parva intervalla discretis, quo celerius alter alteri præsidio esse posset, item viris, armis machinisque ita munierat, ut Francisco regi pertinaci asseveratione recipere non dubitaverit, nulla vi consiliove aut arte, Adduam amnem hosti perviam fore: proinde esset bono animo dormiretque in utramque aurem, sibi curæ esse, ne quid detrimenti res Mediolanensis acciperet. Adversam citeriorem que ripæ marginem tenebat Prosper, accelerato gradu illuc profectus, non procul ab Ripalta oppido & contra hostilia munimenta, Latinorum cohortes locaverat. Helvetiis pone relictis, ipse tabernaculum suum contra Odetti prætorium & majora castra tetenderat, fossa & tumulis circumductis. Dein grandi navium, ratium & materiæ apparatu, & quamplurimis fabris lignariis adhibitis, quæ omnia hostium oculis subjiciebantur, ex editiore ripa cuncta speculantium, pontem specietenus moliri cœpit, non quod illi animus esset illuc tentare trajectum, cum difficillimum appareret contra clivum surgentis ripæ niti, unde multa cæde deturbari posset. Sed ita credi ab hoste volebat, ut aversus ab omni alia cogitatione, huic uni curæ animum intenderet. Est locus supra Ripaltam aliquot millibus passuum, illustris pugna Aurelii imperatoris & transitu FEDERICI ÆNOBARBI, cum in Mediolanenses moturus esset, in citeriore ripa, Pontirolus nunc dictus, immutatis litteris pro Ponte Aurelii, cujus quidem pontis adhuc vestigia visuntur; in ulteriore ripa est Vaprium.

30. Itaque PROSPER cum nemine alio participato consilio, quam cum duobus antistitibus JULIO & MATTHÆO, sub vesperam per tabellarium mandat CÆSARI CAJETANO, necessario suo, juveni promptissimo, qui ad Pontirolum hujusmodi, quarto illinc dinstantem lapide, hosti oppositus stationem habebat, ut illinc accepto in tergum cujusque equitis singulo pedite, lembisque compluribus, & per vada in ulteriorem ripam continuo trajiciat, hostem vi premat & fatiget, & in munimenta improvisus irrumpat. Idem JOHANNI MEDICEO Hetrusco præferoci injungit. Utrique imperata eodem tempore faciunt, ad spernendum omne periculum animati, nullaque re magis armati quam fidu-

cia, & quamvis pene undis obruti, tamen ut erant usque ad humerum madidi, in hostem diversi feruntur, Ugonemque Pepulium, qui illum locum præsidio tenebat, gradu & stativis summovent, obvios quosque obtruncant, alios in fugam vertunt, in proximaque subeunt tabernacula. Mox celsam quamdam domum, quam in arcis imaginem hostes munierant, primo impetu capiunt. Tumultuantium & trepidantium suorum horrisono clamore exciti Galli, factique certiores suam ripam ab hoste teneri, ocius conglobati in hostem feruntur, undique accurrentibus auxiliis, pauci a multis coguntur pedem referre. Et confertissima acie ad captum munimentum se subducere, cum subito princeps ATERNIUS qui & PISCARIUS alio nomine (nam Piscaria in Samnitibus nunc Aprutiis est) præsentem suis opem opportunissime attulit. Cumque jam undique & navigiis & nando flumen superaretur, & factis cuneis in hostem per dorsum ripæ cuncti ferrentur, Gallus tali spectaculo perterritus, qui nullo ordine, nullis sub signis prope inermis accurrerat, nulloque duce regebatur, terga dedit: cæsi tamen permulti quos assequi licuit. Ceteri ad prætorium ducis cursu delati, cum eodem confarcinatis quantum temporis angustia patiebatur jumentis, perpetuo cursu Mediolanum petivere, cum multo consultius Papiam declinare potuerint, amicis & in primis M. Antonio Columna suadentibus, nec enim hostis tam fidenter Mediolani portis subiisset, si Gallos integris adhuc viribus a latere vel a tergo insistere posse vidisset.

31. Ita PROSPER, fortuna consiliis arridente, succedentibusque in castra sua Helvetiis, qui nullam operam bello navaverant, ipse æque in hostium castra transiit, præda militibus permissa, machinæ & tormenta bellica, quæ plurima fuerant, ad usum belli retenta. Et nihilominus PISCARIUS cum equestri agmine levioris armaturæ, & parte peditatus hostium fugam premebat. Ibi postquam militi pauxillum temporis ad quietem dedisset, & ipse hostem insequi perrexit. Profectione enim indicta de tertia vigilia signa tolli jussit, & milite quoque in suas classes ordinesque redacto, sic instruxit aciem, ut peditem, qui principia tenebat, expeditus eques, tormentis impedimentisque in medium acceptis, ipse cum gravi armatura sequeretur, Helvetii quorum suspecta fuerat fides postremum agmen clauderent. Tum proceditur tam longo ordine, ut prima acies ac levis armatura tunc propemodum Mediolanum attigerit, cum Prosper cum cataphractorum ordinibus tertio ab illinc lapide distaret: cœlum tetra caligine obtenebrati visum est. Ea re in religionem versa, ubi percunctatus didicit injectas fuisse flammas a Gallis in suburbia tam populosæ urbis, quorum singula

Mediolanum capitur.

quæque inſtar civitatum ſunt, ne hoſti hoſpitio eſſe poſſent, omine rei bene gerendæ accepto, & plenus bonæ ſpei, Eia agite, inquit, commilitones, fidenter acceleremus iter, vicimus, vobis ampliſſimi patres (ad antiſtites converſus) Mediolani, ſi diis placet, cœnandum eſt. En tabernacula ſua vecors hoſtis, & conſilii indigus ſuccendit, quaſi illinc abiturus. Nec defuit præſagio eventus. Nam ea ipſa ferme diei hora, dum Galli temulenti per vicos urbis contemtim & ſecuri nimis ſpatiantur, PISCARIUS heros cum phalange Hiſpana Italaque anteſignanus præcurſor ſuccedens, portis urbis male cuſtoditæ cuſtodes perterrefactos ægreque reſiſtentes, popularibus ſi non adjutoribus victoriæ, at ſaltem veluti otioſi certaminis ſpectatoribus, ſternit diſſipatque; deinde facto agmine, præmiſſis ſclopetariis, porro ire tendens, cum obvium habuiſſet THEODORUM TRIVULCIUM, ducem Venetæ militiæ, cum aliquot armatis, quæ ſors non diſciplina militaris obtulerat, manum conſerit & vehementi impreſſione cædit vertitque in fugam, ipſum Trivulcium duplici vulnere retardatum capit, & cum eo plures ſui commilitii. Nam Veneti majorem in eo conflictu clades acceperunt quam Galli. Etenim ex iis qui potuere hoſtium manus evadere, tumultu increbeſcente & horriſono popularium ſtridore, fœmineoque ululatu comploratæ civitatis formidinem augente, raptim inſeſſis equis, & armati & inermes urbe exceſſere ad ſanctum Angelum (id cœnobio Minoritanorum fratrum vocabulum eſt,) per portam Comenſem delati; ibi noctem totam inſomnem egerunt. (Nam jam adveſperaſcebat) mox de quarta vigilia, nullo ſigno dato, Moguntiam verſus, & qua iter eſt in Bergomenſes campos, fracti mutilique conceſſere. Hiſpani, eodem victoriæ curſu, mediam per urbem delati, curiam, forum, ac prætorium, omnibus mortalibus a vi ſervatis, qui non contra arma tuliſſent ferrentque, alacres tenuere.

Franciſcus Sforzia Mediolano reſtituitur.

32. Tam ſecundo nuncio exhilaratus Proſper, accelerato itinere, ſub noctem ingreſſus Mediolanum, militem ab injuria & populatione continebat. Poſtridie facta militi poteſtate in bona Gallorum ubicumque reperirentur, & qui illorum arma ſecuti fuiſſent, ſexaginta familiæ direptæ & ſpoliatæ ſunt, citra corporum violationem; & antiſtes MEDICEUS legatus apoſtolicus, poſt ſolemnem ſacræ hoſtiæ in illo auguſtiſſimo templo licitationem, frequentiſſimo populo ſe FRANCISCUM SFORTIAM, prognatum Ludovico, qui tunc in Germania extorris agebat, paternæ atque avitæ virtutis hereditarium, gentilitiumque principem, pontifice maximo LEONE & CAROLO imperatore auctoribus, quod felix fauſtumque foret, populo patriæque communi dare & reſtituere denunciat: juvenem certe ſumma indole, qui per tot caſus & conflictationes turbineſque jactatus, juſtitiam colere, quamcumque fortunam ſecum pati, & miſeris ſuccurrere, non ignarus malorum didiciſſet. Populus pontifici Cæſarique fauſta acclamatione aſſenſus, cœlum vocibus implebat, ingeminato ſæpius Franciſci Sfortiæ nomine. Poſt quæ mercatores, ſellulariique opifices, & quorumcumque ordinum ordines ad ſua officia, & ad procurandas merces, poſita omni formidine, redire jubentur. Rebus omnibus in urbe ſedatis, cum jam prope debellatum eſſe crederetur, Helvetii graviores quam utiles, ſocii amice dimittuntur, numerata illis militiæ navatæ mercede.

Federicus Gonzaga Parmam deſert.

33. Vulgata autem hac paſſim victoriâ, quaſi conclamatis Gallorum rebus, omnes civitates Inſubriæ ditionis, deditione facta, fortunam ſunt ſecutæ, & FEDERICUS GONZAGA, qui pridem ex Mediolanenſium tractu Parmam repetiverat, ad ſtationem ſibi creditam, quod novi motus a Johanne Vitellio Tiphernate pontificio ductore timerentur, ubi profligatum audivit, vocatis in ſenatum patribus, formato ad fiduciam vultu, verbiſque ad lenitudinem compoſitis, ut erat fallaciarum callidus artifex, & figmentorum concinnator egregius, multa de ejus in noſtram urbem ſeu ſibi genitalem benevolentia comminiſci cœpit: adjecitque nihil non paternum, & pro temporum difficultate neceſſarium circa reipublicæ adminiſtrationem, & continendam in officio civitatem molitum ſe fuiſſe, more medicorum, qui ut corpus ægroti morbo levent & incolume ſervent, amara remedia pharmacis immiſcere ſæpe ſint ſoliti, ac propterea neminem ſibi ſuccenſere debere, ſi acerbiuſculum aliquanto viſum fuerit. Nunc ſibi iter ingrediendum eſſe, nec quo aut quamobrem aperuit, tantum hortari & monere ut poſitis ſimultatibus, unanimes reipublicæ curam capeſcerent, & rebus ſuis prudenter conſuleterent: ſcitum ſane & ſalubre conſilium, ſed nobis quam rebus regiis opportunius & ſalubrius; nam eo excedente, jugum diræ ſervitutis a noſtris cervicibus excutitur, civitas peculatu, privatæ domus compilatione, cives exilio, corpora a violatione abſolvuntur. Quorum omnium ipſe auctor in extremam deſperationem omnes adegerat. Quod ſi ante abeundi conſilium bidui mora interceſſiſſet, profecto non tam temere præſidia deduxiſſet ab urbe uſque adeo pertinaciter defenſa, præſertim cum nullus hoſtis urgeret, & ſemper vel in extremis caſibus, honeſtis conditionibus locus futurus eſſet. Ergo non immerito deſerendæ urbis deliberatio auctori ODETTO, qui eum ad ſigna afflictis rebus ſuis revocaverat, inuſſit infamiam ab ipſo eventu & calumniam, maxime cum vel parva momenta ſæpenumero magnis rebus mutationem attulerint, belloque ſpem aut deſpera-

tionem dent adimantque. Quod tunc evi-
Quæ in papæ potest. sum venit. denti documento compertum est. Venerat in potestatem Romanæ sedis Parma, postquam ille biduo abiisset, subeunte mœnia nostra Vitellio, de quo præfati sumus, missique fuerant Mediolanum ad JULIUM MEDICEM publicitus legati, qui in verba pontificis jurarent. Cur enim nos opponeremus armato, sine ullis viribus externis, sine armis, sine imperio, cum urbis custodiam creditam Roberto Ambrosio Sanseverinio comiti Calatino (eam urbem quæ quondam Calatia dicta, nunc Caiatium dicunt, inter Aprutios Samnitesve sitam) non procul a Stellatibus campis, ab ipso Federico idem Vitellius nullo negotio a porta summoverit. Sed ecce dum hujusmodi deditionem exultatione multa celebramus, dum superis vota tantis exemti malis persolvimus venerabundi, & Cremona recepta fuit ab his Gallorum reliquiis, qui ex fugâ in agrum Bergomensem se receperant, annitente ejus arcis præfecto, qui eruptione facta ab arce, cecidit præsidium, quod post urbem deditam immissum fuerat, & LEO X. pontifex maximus, cujus auspiciis tantum bellum gestum fuerat, vix tridui languore (fatone an veneno incertum) vita decessisse vulgatur, non sine animorum & rerum in tota Insubria & Cisalpina Gallia perturbatione, de quibus mox dicturi sumus.

FRANCISCI CARPESANI
Flaminis Parmensis in commentaria
suorum temporum.

LIBER VIII.

Galli Parmã recuperare aggrediuntur. 1. GAlli iterum rerum omnium statu perturbato respirare, quasi nova luce oborta, aliquanto recipere sese, & exercitus reliquias colligere accuratius, & Veneti in militiæ supplementa delectum habere, ac novum equitem scribere cœperant. Eodem ferme temporis momento, ponte super Padum strato, e regione arcis Cremonensis Placentinos & Parmenses infestare, prædas convectare, oppida etiam quædam factiosorum ope capere, cædem patrare, spoliare, a nonnullis etiam turpiter repelli. Nam a Caorsiensibus, municipibus Placentinis, multa cæde repulsi sunt. Tandem etiam de invadenda urbe Parma, stimulis FEDERICI GONSAGÆ, qui ignominiam custodiæ, sive suo sive alieno consilio desertæ, abolere cupiebat, aliquo egregio facinore, consilium ineunt. Itaque adhibitis secum auxiliaribus, & consiliorum participibus Venetis, cum duodecim millibus armatorum, noctu Cremona moventes, prius agrum Parmensem ingressi, & multum viæ progressi sunt, quam hostium adventus nunciaretur; & ut facilius urbs incauta fallere-

tur, rumor de fuga Gallorum per Apennini & Ligurum juga, quasi illinc Galliam repetentium, sparsus, sepultam & securam urbem in ultimum prope excidii periculum deduxit. Captus civis ad Viarolum vicum, ubi forte rusticabatur, per speciem mansuetudinis, cum jam mœnibus imminerent, dimittitur, ut omnia intus terrore compleret, & hostium agmen in majus attolleret, deditiis spem bonam, contumacibus perniciem ostenderet. Missi etiam caduceatores & feciales a summo magistratu ingressu urbis prohibiti sunt, qui civitatem reposcerent, & impunitatem parentibus pollicerentur. Civis per mœnia reptando admissus, cum rem urbis præsidi patefecisset, jussus est omnia silentio involvere. Non defuere tamen ex nostratibus, qui hostem sequebantur, qui facta sibi pro mœnibus fandi copia, per superos testati monerent, orarentque supplices, si se civitatemque salvam vellent, ferocienses hostis iram deditione placarent; posthac implacabilem futuram, si contra tenderent. His responsum est per egregiæ fortitudinis Philippum Pratisorum, qui illi custodiæ cum Genesio balisterio & delecta civium juventute excubabat, non licere Parmensibus juris jurandi religione astrictis fidem abjurare; sed nec posse, si velint, in aliena manu urbem positam, quam ipsi derelictui habuissent, & nullo præside, nullo præsidio relicto, liberam reliquissent, dedere. Quare ocius abirent, & si videretur, urbis oppugnationem ab sua statione adorirentur, se cum melioribus quam ipsi essent civibus, pro patria, pro necessitudinibus, pro aris, pro fide corpus objectare periculis non dubitaturum. Ubi nihil pacati responderi a Parmensibus animadvertit hostis, cum mœnibus successisset, primo impetu in fugam versis portæ, cui ad sanctam crucem dicitur, custodibus, transpontanæ civitatis tenuit partem, in quam patebat ingressus, plurifarium mœnium quassatione, & ruina recenti adapertis aditibus, parumque abfuit, quin per pontem amnis urbem dividentis incustoditum, in citeriorem civitatem eodem cursu penetraret, uno alterove ex nostris interfecto; mulierculaque quædam, dum tumultu ad portam pontis exorto, e fenestra editiore certantes incautius spectat, sclopi ictu trajecta, exanimis concidit.

Civitatis portã occupant.

2. Interea trepidare omnes FEDERICI truculentiam, Gallorum iram & avaritiam, & civitatis vastationem. Discursus undique attonitæ urbis, & plebis discursantis collisio, ululatusque muliebris non solum ab intimis domibus exaudiebatur; sed undique matronæ in publicum effusæ, incomptæ, oblitæque decoris, tota urbe discursare: Deum opt. max. Virginemque Deiparam supplicibus supinisque manibus orare, uti se e manibus hostium eriperent, matronalem virgineum-

Cives terror omnes invadit.

que pudorem, ſuas aras, ſua templa, fortunam, ſalutemque ſervarent: demum ſe intra veſtalium clauſtra, quaſi religione a vi tuta, cum impuberibus ac pignoribus, rebuſque chariſſimis condidere: plebs, patres, omnis ordo, quaſi mentis inopes, in forum coire, conſilia miſcere, alii pavitantes latebrarum receſſus meditari, plures arma capere, aliorum ignaviam & puſillanimitatem coarguere, quod minime cogitarent quid paſſuri eſſent, ſi in hoſtium venirent poteſtatem, quos tam facile admiſſo novo imperio deſeruiſſent, illos fortunis, corporibus, impuberibus, puberibuſque ac pudori infeſtiſſimos venire: ſic notus FEDERICUS GONZAGA, ſic Gallus immanis, quem nulla ſæviendi ſaties ſit captura. Ita dum hæc & hujuſmodi alia inter ſe comminiſcerentur, pro cujuſque formidine aut ferocia & animorum conſiliorumque varietate nihil certi decernerent, tandem quamvis plus minus quam ſexcenti pedites in præſidio eſſent paulo ante immiſſi, & quinquaginta cataphracti arma prope nulla, niſi quæ magiſtratus novus his ipſis ante diebus advexerat, & quæ pauca oculos Gallorum latuiſſent, dum urbem pridem armis ſpoliarent, tria admodum tormenta ænea non magna, pilæ paucæ, ſclopi pauci: omnes tamen auctore & hortatore Franciſco Guiſardino urbis præſide, viro præſentiſſimi conſilii, & infracti animi, quaſi in mortem devoti, in defenſionem patriæ conſpirabamus, deſperata omni miſeratione ab hoſte irato, non ignari quod abrupta ſalutis diſcrimina ſæpe ultima deſperatio propulſaverit, & nihili faciebamus quæ hoſtes ab altera urbis parte minitabundi intentarent. Exauditaque vox M. Ant. Columnæ, qui fracta voce ſibi jentacula eſitiumque ex farina more Romano in poſterum diem, qui Saturnius erat & Thomæ Apoſtolo ſacer, concinnari & condiri imperaret; fore enim ut poſtridie apud nos conviva retur, contemptim excepta fuit, nullo prorſus reddito reſponſo.

Guiſardini ad populum oratio.

3. Guiſardinus inter optimates in foro medius aderat, & quid fieri vellet imperabat. » His verbis populum adhortatus: « Quanto » in diſcrimine res noſtræ ſint, nemo unus » veſtrum ignorat. Veſtra veſtrumque omnium » ſalus, opes, pudor ab hoſte truci petitur, nec » apud eum ullus veniæ locus eſt. Summa om» nium rerum in veſtris lacertis ſita eſt. Quo » ſumma ope magis niti debetis, ut hoſtem ſi » oppugnare nos occœperit, infractis animis » propulſemus. Quod ſi impetus primos intre» pide exceperitis, in tuto erunt res veſtræ. Ac» cepta enim vel parva ignominia hoſtis non » tentabit deinceps veſtra mœnia, nec diutius » in obſididione perſiſtet. Sed qui prædonum » more incauros adortus eſt, referet repente » pedem. Hæc ille, atteſtatus undique celeres affuturas ſuppetias, quaſi id ſibi eſſet comperti ſſimum, & quamquam nec unde illi ſperaren-

A tur præſidia: tamen ex compoſito vulgo ſpargebat, & tabellas quaſi indices properantis ſubſidii confingebat, ut credula plebs hac ſpe fota fortius mœnia tueretur, minus formidaret. Igitur omnes ociſſime juſſa faciunt, diſceduntque quiſquisad ſuas officiorum partes, frequenſque flaminum cohors, quadringenti numero ætatis flore & vigore idonei, ſibi certam ſtationem popoſcit, quam tueretur & quam egregie tuta eſt contra hoſtilem manum, quæ e conſpectu tranſpontanæ civitatis adverſa ſtabat. Omnis præterea juventus corona civitatis mœnia cinxit. Fuere qui
B pulverem tormentarium componerent, plumbeas raptim glandes conflarent, diſtribuerentque per ſclopetarios. Denique omnes ſi quavis re uſui eſſe poſſent, facilius citiuſque præſtabant, quam pollicerentur: hæc intra urbem.

4. Foris & in tranſpontana urbis parte, ab hoſte occupata, dum vulgatum eſt in exercitu Gallorum Parmenſes dicto non parere, ſe non recipi, ſua arma contemni: alii tamquam de ſubacta civitate & deſertore populo pœnas quantaſlibet implacabiliter exigere, alii admirari & formidare tantam animorum conſtantiam & conſpirationem, vererique de
C ancipiti oppugnationis eventu. Spem enim quam in obſeſſis amor patriæ & hoſtium formidata feritas accenderat, in obſidentibus virtutis alienæ reputatio, & animi magnitudo deſperationi conjuncta frangebat. Hæc ubi reſcivit FEDERICUS per caſtra agitari inter principes viros, & ordinum quorumque ductores, ſic pro concione effatus eſt. Etſi ſcio, viri optimates voſque commilitones, Parmenſes mihi infenſiſſimos eſſe, propterea quod cum illis præeſſem, officii ſui immemores mea imperia quamvis ſalutaria niſi coerciti pati nullo modo poterant, miſeret me tamen potius, quod pertæ-
D ſum ſit ſuæ vecordiæ, contumaciæque; quandoquidem civitatem, quam ipſis & regi incolumem volebamus, iidem ultro perditum proditumque eunt. Nec id tam plebi imperitæ imputo, quam paucorum perfidiæ, qui deſectionis auctores, & ſcelerum ſibi conſcii, judicii pœnas niſi ſolum vertendo, ſe non declinare poſſe cognoſcunt. Itaque ad deſperationis conſilia converſi, innoxiam turbam in aperta & extrema pericula ſecum trahere ſtuduerunt. Nec enim dubium eſt quin parvo negotio ad imperium retrahan-
E tur, tametſi imaginem pugnæ inani verborum jactatione nobis oſtentent pro muris. An exiſtimatis, viri fortes, imbelli populo, theatralium pomparum ludicris paulo ante emollito, & ſellulariis quæſtibus aſſueto, tam vaſtos & efferatos animos fore, ut nobiſcum ferro decernere audeant, vel potius ad primum claſſicorum veſtrorum clangorem, & ubi primum ſigna intuleritis, non ſolum non excepturum veſtros impetus; ſed potius volu-
ſri fuga more talpæ in tenebras ſe abditurum,

Federici ad Parmenſes exhortatio.

» vel deditionem protinus facturum, præſertim
» cum (ut plerique omnes noſtis) jamdudum ita
» illos exarmaverimus, ut nihil reliqui illis ſit
» ad repugnandum, niſi longuriis acuminatis, &
» ſalignis perticis, quas a muliercularum mini-
» ſterio mutuentur, aut fudibus præuſtis ſaxiſ-
» que pugnæ ſimulachrum imitentur. Nimi-
» rum dixerit quiſquam illos fidere mercena-
» rio præſidio quadringentorum peditum, qui
» ſub veſperam externæ lucis tranſitionem ad
» nos faciebant, jamque urbe egreſſi iter in-
» tenderant, niſi precibus & pollicitationibus
» revocati fuiſſent: verum non tam prætextu
» mercedis ſibi debitæ, quam metu adverſæ
» pugnæ & animorum diffidentia, migratio-
» nem tentaverant. Quod ſi eis ſpem ſtipen-
» dii fecerimus, facile vel hoc vel alio quovis
» impulſu levi, animus dum in dubio eſt, ab
» officio recedet. Quamobrem nobis arma im-
» pigre arripienda ſunt, inſultandumque viris,
» mœnibus armiſque urbi carenti, pœnæque
» a deſertore populo actutum expetendæ ſunt,
» in quo Deum optimum teſtem perjurii &
» violatæ fidei vindicem, ut ſpero, habituri ſu-
» mus: nec vero ego vos tam ad pugnam,
» (non enim cum pari hoſte certamen erit,
» ſi certabimus,) quam ad opima ſpolia &
» prædam maximarum opum, per diuturnam
» pacem congeſtarum, præmia quidem veſtræ
» virtutis vos invito, vocoque ſi me ſequa-
» mini non minus laborum ducem, quam di-
» ctorum promiſſorumque exhibitorem.

Milites ad pugnam animantur.

5. Interpolatam clamore orationem excipientes milites, ſtridore dentium frendebant, ardoremque pugnæ haſtis illidendo, ſcuta armaque præ ſe ferentes, in hoſtem ſe duci contendebant, non uti ad pugnam, ſed quaſi ad prædæ ditis aucupium iretur: adeo ut quicquid temporis intercederet, id & vota ſua remorari, & laborum ſuorum præmiis ſe defraudari quererentur: unius horæ id negotium eſſe; jamque inter ſe palam de præda nondum parta, non ſecus ac ſi quis feram per ſilvas luſtraque vagantem, ſuis plagis irretitam iri ſibi ſpondeat, etiam uſque ad jurgia & rixas inter ſe certabant, dum ſibi quiſque ditiorum potentiorumque domos, ædes ſacras, veſtalium & monachorum cœnobia, pignorum publicorum reconditoria, & æraria, necnon & matrimonia & quæcumque civium bona, ſibi uſu nota, dum ibi ſtativa haberent, ſibi vindicant: nec qua ratione ſuperare aut intra urbem irrumpere poſſent, ſed quemadmodum uti victoria deberent, ſecum agitarent. Nec reſedit ſeditio, niſi pactione & conditione, ut quilibet portione ſibi per certas portiones attributa contentus eſſet.

Scalas muris admovent, ſed repelluntur.

6. Poſt hanc contentionem fiduciæ pleni arma induunt, ſignoque pugnæ dato, ſuis quiſque ordinibus inſerti, trifido agmine per ſcalas muris ſuccedunt, hoſte a pinnis per ſcloporum glandes amoto; jamque propugnaculis ſe inſinuaverat Gonzagæ legio, cui præerat Moretus primipilaris. Verum ille dum ab altera foſſæ margine auxiliarem cohortem noſtri peregrini militis vocaliſſimus inclamat, & ad commilitium regium aurum pollicitus invitat, cum Parmenſi populo, non ſecum rem fore teſtatus, ut eos a pugna averteret, nullo ſibi reddito reſponſo, ferali plumbeæ pilæ trajicitur, primaque hoſtia Acheronti ſacratur. Sub idem temporis momentum anteſignanus, qui in vertice propugnaculi ſublimis vexillum ſtatuerat, multiſque ſe pone ſequentibus, irrumpere conabatur, a Franciſco Salamonio Siculo, militum tribuno, longiore haſta transfigitur, & in caput præceps devolvitur. Signum recipitur, & quotquot per ſcalas ſubierant, aut ſubituri videbantur, contis, enſibus, bipennibus, & telorum nimbis cujuſque generis quæ fecerat ira in periculis, conficiuntur, alii in foſſas præcipitantur, alii ſub ipſis mœnibus, cum per glaciem liquatam fallente veſtigio (nam tellus diſcutiente nebulam ſole meridiano intepuerat) in putre cœnum colluctarent, ſaxorum multitudine, quæ mulierculæ etiam affatim ſubminiſtrabant, inceſſebantur: alii qui pugnam inſtauraturi ſuccedebant, quo denſiore cuneo irruebant, eo certioribus ictibus ſcloporum, tragulis machiniſque ſternebantur: equitum quoque qui gravi armatura tecti, pedeſtris pugnæ imaginem ſariſſis longioribus prætendebant, aliquot occiſi, aliquot vulnerati. Itaque confuſa eorum undique audacia, cum pari fortuna ab omni parte uſque ad veſperam pugnaretur, duces ſpe potiundæ urbis amiſſa, nequicquam ſuorum quamplurimis cadentibus, receptui canere, & cum ad templum pacis, quod in ſuburbio Minoritani Amadæi incolunt, ad Orientem ſe recepiſſent, totam in FEDERICUM, tamquam ſuaſorem mali conſilii auctoremque inauſpicatæ expeditionis, temeritatis calumniam retorſerunt. Præ ceteris autem ſtomachabatur M. A. Columna, qui non parvam æſtimationis ſuæ dignitatiſque jacturam eo die per illum ſe feciſſe pluribus verbis queſtus eſt. Demum inedia laboreque defeſſi, & in omnibus fruſtra habiti, non ſine multa exſibilatione & conviciis populi, diverſo itinere retroceſſere. Tentatis tamen alibi aliis inſultibus, in mœnia civitatis, parvo licet conatu, ne digreſſus ſpeciem fugæ præ ſe ferret, & tandem in tranſpontana caſtra, vadato flumine unde venerant ſe recepere.

7. Magna certe ſervatæ urbis laus fuit apud Franciſcum Salamonium Siculum, qui ſtrenuiſſimam operam & fidelem civitati navavit: magna apud omnes omnium ordinum cives miro ſtudio conſentientes; magna apud Flamines ſacros, qui pro patria gnaviter pugnavere: nec expertes laudis fuerunt cujuſvis inſtituti cucullati fraterculi, qui & ipſi communibus periculis corpus expoſuere, &c.

ad manes aliquos ſuis dextris ſine ulla parentatione aut imprecata requie ſub tartara miſere. Cecidere in ea pugna hoſtium perquamplures, plurimi ſaucii, qui dum referuntur, obiter animam ſpiravere, ex noſtris * ſed ad ſummum. Tranſmiſere autem Cremonam poſtridie ejus diei, credo, veriti ne ſi diutius perſtitiſſent, Cremona excluderentur, quæ unica ſedes tunc illis fuit, aut ne a tergo premerentur.

* Hic videtur deeſſe numerus Parmenſium occiſorum.

Magna Parmenſium virtus, qui etiam olim Federico Suevum obſidionem ſolvere coëgerunt.

8. Magna profecto Parmenſium virtus, qui non minore ſui fiducia & fidei conſtantia, hujus Federici regii ducis Parmam obſidentis ferociam vimque retuderunt, quam olim FEDERICUM genere Suevum imperatorem, alterius FEDERICI ÆNEOBARBI nepotem, anno Natalis Chriſtiani MCCXLVIII. haud abſimili obſidionis cauſa ſuderint cæciderintque, (erant enim tunc ut hoc tempore Parmenſes in partibus & fide Romanæ ſedis:) Nam cum is Federicus Suevus ad concilium ſibi ab Innocentio pont. max. ejus nominis quarto, in Gallia ulteriore indictum, ad cujus opes opemque idem pontifex metu truculentiæ illius confugerat, iret, audiſſetque pugnam ſuorum in Parmenſibus adverſam, omneſque qui ab eo ſtarent urbe fugatos, reſtitutoſque Lupos, Rubeos, Corrigienſes ac Sanvitales heroas & pontificis affines; protinus efferatus in iram, a Salaſſis & Taurinis, quouſque jam proceſſerat, iter reflexit; coactoque tum decem Germanorum, tum ſociorum ſupra quadringentorum millium numerum armatorum exercitu, in Parmenſes ducit, & in obſidionem caſtra locat. Sed cum urbem valido præſidio Georgii Montislongi, ſummi ordinis antiſtitis & pontificis legati, qui tunc in Volgis, qui poſtea Annenices, nunc Avenionenſes ſunt, agebat, teneri audiſſet: (Nam per ſaltus Placentinos, in ſociorum Mantuanorum, Atteſtinorum, & Sambonifacientium, Veronenſium appendicibus copiis Parmam intraverat) ac propterea illam expugnatu difficilem animadvertiſſet, caſtra ad Fragnanum vicum inter Parmam & Tarum fluvios tertio ab urbe lapide locavit; ubi templa, atria, curiam, domos in novæ urbis ſpeciem per otium erexit. Ipſe enim deleta vetere urbe, victoriam illic celebri quidem, ſed inauſpicato nomine appellare in animo habebat, & jam in eam opinionem nummos quos Victorinos dicebat excuſſerat, inſtitores & cujuſvis artis ſellularios opifices induxit, ſpectacula & theatrales venationes ferarum, & ludicra ſcenæ ſimulacra edidit, bienniumque illic reſedit. Deinde per Februarii menſis tempus conſpicati oppidani, hoſtem contemptim nimis per vicinia urbis obſeſſæ diſpalatum populabundumque, dum forte imperator in aucupium longius a caſtris vagaretur, per partes adoriuntur, fœdiſſimamque undique edunt cædem: deinde in civitatem novam irruentes, oppletis prius vimine & glebali aggere materiaque multiplici foſſis, effractiſque portis intro irrumpunt, obvios mactant, alios capiunt, prædamque congerunt; eaque avecta ignem tectis injiciunt, ſundituſque inimicam urbem perditum eunt.

Mulierum in pugna ferocitas.

9. In ea pugna mulieres ſupra ſexum ferocientes, egregiam & memorabilem operam præſtiterunt: nam ad conflictum cum acutis ſudibus & præfixis ferro perticis, pectines etiam ferreos longis aſſeribus alligatos geſtantes, accurriſſe memoriæ proditum eſt, vallumque inſauſtæ urbis tranſgreſſas, ab ira & ſtudio vindictæ, qua plurimum ille ſexus gaudet, hoſtes jugulaſſe, diſcerpſiſſe, & humi ſtratos repetitis vulneribus ad mortem oppreſſiſſe; viciſſitudinem ſiquidem reponentes, quod ſæpe barbari captivos cives ſocioſque per tormenta & cruciatus exanimatos, intra mœnia ante ſuorum ora per baliſtares machinas contorſerant. Deſiderata dicuntur ex hoſtibus quinque hominum millia, præda ingens abacta, & corona regii diadematis, aliaque vaſa ingentis pretii, quarum pars aliqua aris dicata, adhuc in templo Parmenſi ſtatis diebus viſitur: ſed coronam poſtmodum HENRICO Luciburgenſi imperatori per Gibertum Corrigium, publico Parmenſium nomine poſt annos LX. reſtitutam annales teſtantur.

Cremonenſis magnaceries.

10. Cremonenſium qui urbem novam ſervabant multi trucidati, plurimi capti cum ſuo curru, carrocium dixere, quibus eo ſæculo ſub nomine berteciolæ pro vexillo utebantur; quodque ad noſtram ætatem uſque ſervatum vidimus, in triumphum & captivitatem ducti. Federicus ex ſilvis intentus venationi, ubi inſigniter fumantem ſuam urbem vidit, & ex eo incendio obductum cœlum caligine, ſuſpicatus id quod erat, prius captam & incenſam urbem vidit & intellexit, quam ex ſuis audiret. Mox tam atrocis caſus nuntiis conſternatus, retro in Cremonenſium fines fuga delatus, in oppidis deſedit, veritus ſe Cremonenſium fidei credere, quorum pro ſuorum clade iram timuit. Utrique itaque Federici cognomines, utrique huic urbi fatales, in pari cauſa, quod urbem ſedi Romanæ dedititiam, defendente tam diverſis temporibus ſingulo quoque legato apoſtolico, avertere a fide & evertere ſtudebant; ſed nec diſſimili fortuna, diis cauſæ noſtræ faventibus, utrique inſigni accepta contumelia repulſi, turpi fuga Cremonam delati. Fuit ſiquidem ſemper hæc urbs Romanæ ſedi obſequens, eorum partes publice ſecuta, qui rem Romanam per tempora moderabantur, ab ea tempeſtate qua cum Mutinenſibus in hos campos in quibus ſita eſt, deducta colonia fuit. Conſtat autem eo anno, quo P. Scipio Africanus, Annibal Pœnus, & Philopœmenes Acheius, tres præſtantiſſimi ſuæ ætatis imperatores, qui pari

Cremona Romanæ ubi ſemper obſequens.

prope eventu, miserabili certe, vitam finiyere, a M. Æmilio Lepido, Tebucio Caro & L. Quintio triumviris in agrum, qui primo Boiorum, ante Tuscorum fuerat, ex civibus Romanis deductam (nam quæ de Chrysopolis & Aureæ Parmæ nominibus ab imperitis vulgantur, in album referenda non putavi) unicuique colono Parmensi octo jugera, quina Mutinensi viritim data & distributa comperio, ut facile cognoscas majorem in rei agrariæ divisione Parmensium rationem habitam: utramque tamen non ex extero aut mercenario emeritæ militiæ viro, ut sæpe alibi, aut ex convenis, sed ex civibus Romanis constitutam, quamquam Mutinam ab eo positu, quo primis fundamentis locata fuerat, mutatam omnino compertum sit. Jacet tamen campis diverso ab hinc loco uberrimis, sicut de Parma affirmare possumus. Nam sive late patentia arva, sive colles propinquos diligentius inspexeris, invenies in hac Cisalpina, quam Marcus Cicero & florem & arcem Italiæ dixit, nulli secundos campos Parmam nactam fuisse, ac fœcundissimos, maximeque frumentarios, fructuum ac vini potissime qua colles surgunt, tum mitissimi, tum leniter austeri opimitate beatos: item pascuis sive montanis sive per plana jacentibus alendo armento pecorique luxuriantes, ex quibus expressus caseus passim, tum lana etiam a Martiale suo carmine non semel laudatur. Salinis autem putealibus adeo scatet, ut non solum peregrino & avectitio sale non indigeamus; sed aquæ ipsæ genuinæ, igne decoctæ & ad solem duratæ, nobis ac finitimis quam affatim in condimenta suppetant. Nec balneis item caremus salubribus, quibus stupidis membris & sideratis medemur. Nec propter id tamen saluberrimis fontibus ad potum non abundat nostra urbs, a Septentrione Pado navigata, Nicia ab ortu, ab occasu Tarro, intrinsecus autem Parmæ limpidissimis amnibus irrigata, quæ mira cœli clementia, hanc quam lata est regionem temperant. Quare cum tantis naturæ bonis ditati, dotatique a parente eademque alumna nostra Roma fuerimus, minime mirum sit, si hæc civitas rem Romanam per tempora moderantes semper publicitus coluit, semperque cum eis consensit, cujus etiam rei dudum locupletissimum dedit documentum, cum A. M. & L. Antonio fratribus, hostibus postea a populo Romano judicatis, omnia extrema pati maluerit, quam illis contra senatus populique Romani decretum, Decimum Brutum intra Mutinam obsidentibus portas aperire. Pro qua re Marcus Tullius Cicero, illa novissima Philippica, quam ad populum Romanum habuit, viros optimos Parmenses, hominesque honestissimos, maximeque auctoritate ordini illi senatorio & populo dignitate conjunctos (ut ejus verbis utar) crudelissimis pœnis interfectos, eorumque uxores ac liberos injuriis gravibus affectos, ac indigne direptam fuisse coloniam, invidiosis verbis questus est. Fuisse autem auctoritatemque apud priscos Romanos & fidem Parmensibus, vel ex eo tempore maxime liquet, quo apud Vercellas Cimbri magno prælio a Mario & Catulo imperatoribus Romanis cæsi & penitus attriti fuerunt. Nam cum inter utriusque ducis milites contentio esset, uter vicisset, & neuter alteri de victoria cederet & gloria; legati Parmensium, qui tunc forte in castris Romanis fuere, hujusce altercationis disceptatores delecti sunt. Illi per hostium cadavera ducti, quorum oculorum fide barbarorum cadavera jaculis militum Catulianorum confixa appareret, quod spicula quæque Catuli nomen inscriptum haberent, tamen belli profligati palmam totam Mario dare non dubitarunt, tum ob primam victoriam de Teutonibus apud Sextias aquas in Transalpinis ante a Mario partam, tum ob nomen imperii præcipuum, quod Marius consul, alter proconsul esset. Ob id ego crediderim utrosque legatos, alterum Mariana villa in Parmensibus, alterum vico Catuli ab ipsis imperatoribus donatos; eaque loca perenni nomine eorum memoriæ consecrata. Adhuc enim nomina retinent antiqua, quamquam in agro Parmensi multos vicos reperire est, qui nomina veterum Romanorum referunt, ut Valerius ager a Valeria gente: a Cassio vicum viamque militarem sub Alpibus denominatam conjectare licet, ni id Cassio illi Parmensi tribuamus, qui Cassium item & Decimum Brutum secutus tribunus militum, etiam afflictis eorum rebus, collectis triginta navibus Rhodiis, ut Appianus auctor est, in partibus adhuc perseveravit. Tandem accisis prorsus rebus, dum Athenas profectus in studiis litterarum se abdidisset, jussu Augusti a Q. Vario scribens deprehensus occiditur, eoque interemto, omnia ejus ingenii monumenta sunt flammis absumpta. Sed quamvis Flaccus rapido, amne torrentiorem illum asserens, varie de illo sentire videatur, illi infensus, quod sæpe præ se fert, & præsertim in iambico carmine, ut erat aduncis naribus. Laudantur tamen ejus epigrammata & elegiæ, attribuiturque ei Thyestis tragœdia, quæ si post ejus interitum superassent invidiam, fortassis adhuc viverent.

Scriptores Parmenses.

11. Non defuere tamen ex nostratibus qui belli domique patriæ fuerint ornamento. Nam in toga Macrobius Parmensis, vir omnium bonarum artium eruditione in primis claruit: cujus apud nos extat mausoleum, sibi & Blasio Pellacano philosophiæ & matheseos scientissimo commune: debetque jus pontificium Bernardo Parmensi, qui sub Innocentio quarto pontifice claruit. Debet & Jacobo Arenæ jus cæsareum, quorum quidem commentaria circumferuntur. Lauda-

tur Ubertius a Bobio, magnæ auctoritatis inter leguleios, a quibus ejus ſcripta ſæpe citantur. Celebratur Antonius Parmenſis, qui de tota arte medendi ſcripſit. Sed præ aliis ſenior Georgius Anſelmus, mathematices illuſtrator. Is in matheſi canonicarum inſtitutionum ſeptem edidit celeberrimos libros. Item, theorematum radicalium quatuor, de armonia cœleſti dialogum, quæ nunc calcotypis excudenda dedit Georgius ſecundus nepos. Sed cum Baſinius vates Parmenſis, qui Arimini ſtatuam & marmoreum ſepulcrum a Sigiſmundo Malateſta meruit, gravi cothurno & divino carmine Meleagri interitum & de aſtrorum ſitu curſuque opus cum ſumma laude poſt ſe reliquerit; & Taddeus Ugoletus ac Franciſcus Grapaldus de hiſce humanioribus litteris non parum ſint meriti, tum vero idem Georgius ſecundus Anſelmus, quantum, proh dii immortales! proſa & verſu oratione ſeſe offert, quantum in epigrammate, elegis, hendecaſyllabis, & in Hecuba a ſe latinitate donata; cultus, floridus, Romanus, ac plenus ſanguinis & nervorum, quæ urbani ſales lepidique acri decenter aceto aſperſi, pro loco & tempore condiunt, ut Veronenſibus Catulum ſuum non invideamus. In libera vero oratione, eo præſertim volumine quod de phyſiologia inſcripſit, tam ſana, luculenta & verſicoloria ſurgunt ſenſa, ut in illo felici inventu naturam ipſam loqui putes.

Parmenſes bello inſignes.

12. Si in noſtris militiam ſpectes, præter alterius Caſſii Parmenſis centurionis præclara facinora, quæ celebrat antiquitas, etiam aliis laureis & trophæis fœta Parma, non ſolum infeſtam civitatem a finibus ſæpe repulit, verum etiam longe poſitis pro ſe & ſociis intulit arma, & ſigna victricia domum retulit, inſigniter multis pugnatis bellis. Verum enim vero a ſuiſmet civibus, ut quiſque potentia & viribus pollens prævalebat, ſæpius regnata & rurſus a legato Romanæ ſedis, cum Rhegio Lepidi & Mutina opibus Caroli Bohemi imperatoris retenta, & aliquandiu poſſeſſa, tandem legato ipſo, vel alio pro ſede apoſtolica longe agente, ægre defenſa, & ab exteris regibus occupata, cum tota Ciſalpina ad annum virginei partus MCCCXLVI. ſub imperium venit Viceconitum, ſervivitque uſque ad noſtram ætatem, niſi quatenus in Gallorum venerat poteſtatem, quam viginti quinque annos pertulimus: noviſſime Romanæ eccleſiæ dedititia optatiſſima fruitur tranquillitate.

13. Sed ut ſtylus unde digreſſus eſt revertatur, erat annus nati Chriſti MDXXI. cum defenſa fortius quam oppugnata Parma, ſicut Gallorum ſpiritus fregerat, ita & ipſa ſeſe & finitimas civitates, quæ ad ſedem Romanam pertinebant, ſollicitudine, denique totam Romanam rem ſummo diſcrimine levavit. Nemini enim dubium fuit, quin ſi in illa oppugnatione fortuna Gallis proſpera obſequentique fuiſſet, poſt afflictas res Parmenſium, vicinoſque metu ſimilis infortunii ad deditionem compulſuri fuiſſent, & in intima ditionis eccleſiaſticæ viſcera penetrantes, omnia divina humanaque bello involviſſent, ut Proſperum a Mediolanenſibus ad extinguendum domeſticum incendium avocarent. Labare tum cœperat rerum ſumma orba rectore, & ſummi ordinis ſacerdotes a Leonis interitu per interregni tempus, longa diſceptatione & cœca ambitione comitiis pontificatus protractis, dum ſibi quiſque ad ſummum honorem viam ſtruit, potius in rem privatam quam publicam animum intenderant; nec prius altercationibus modus fuit, quod non judicio aut animorum ſano conſenſu, ſed mutuis odiorum ſtudiis, neuter neutri cedens in declaratione ſucceſſoris, unius tandem abſentis rationem habuerint. In Hadrianum ſiquidem cardinalem natione Cimbrum (hos Flamingos vulgo dictitant) ea tempeſtate Hiſpanias pro Carolo imperatore moderantem, hactenus noſtris incognitum, & ne fando quidem auditum, omnibus ſuffragiis novo more conſenſerunt: quamquam etiam Gregorium X. ab Aſia, in qua tunc agebat, anno ſalutis noſtræ MCCLXVIII. (a) ſummorum antiſtitum ſuffragiis, apud Viterbium ad ſupremum honorem vocatum legamus: nec tamen idcirco quievere tumultus; verum prolatante pontifice deſignato adventum ſuum in Italiam per ſemeſtre, tota Æmilia, Umbria, ac Hetruria novis motibus exagitata laboravit. In primis Alphonsus Atteſtinus ſtudio recuperandæ ditionis ſuæ, quam mutilaverant ante Romani pontifices, Rhegii & Mutinæ ademtione, Mutinenſes agros infeſtabat aſſiduis incurſibus, ſollicitatis ad defectionem civium animis, quorum complures ejus partibus favebant, remque in ſummum diſcrimen adduxiſſet, niſi Johannes Vitellius, adjectis ad ſuas copias ſupplementis, illum armis longius ſummoviſſet: quamquam etiam adhuc ſuperſtite Leone pontifice, eumdem res novas tentantem, ad Bondicum in Ferrarienſibus aſſequutus, aſtu audaciaque, adminiculante fortuna, brevi etiam diſpulerat ſuderatque, ac machinis caſtriſque ſpoliaverat.

Hadriani pontificis VI. electio.

[a]

14. Sub idem ferme tempus, Bentevoli Bononia dudum exacti, popularium gratia & factione freti, dum ſperant ſe recipi, mœnia ſubeunt, ſpeciemque oppugnationis oſtentant: Bernardo Rubeo Parmenſi antiſtite, Tarviſino & prolegato acriter reſiſtente, civibuſque annitentibus: inde dejiciuntur & in fugam vertuntur, illudque inconditum agmen ex quavis hominum collu-

(a) Immo anno MCCLXX. licet anno MCCLXVIII. defunctus fuerit Clemens papa IV. poſt cujus mortem biennio vacavit ſedes apoſtolica.

vie

Etruſcos exagitat Laurentius Urſinus.

vie contractum veluti nebula ſubito venti flamine diſſolvitur diſpalaturque. Non minore procella exagitati Etruſci a LAURENTIO URSINO, quem Rencium Ceritem cognominant, fuere. Is enim comparatis decem hominum millibus, Sotherinorum, Florentinorum & Petruciorum, Senenſium opibus, hos intra Senas, everſa populari adminiſtratione; Lutherinos vero ejectis Mediceis intra Florentiam ad ſumma rerum moderamina reſtituere conabatur; & ut erat rapiendi cupidine ſimillimus milvorum naturæ, qui ſi prædam ab excelſo deſpexerint, volatu rapiunt celeri; ſi non adipiſcantur, nihil immorantur, latrociniis & diſcurſationibus magis quam ſtatariæ pugnæ idoneus, oppida, pagos, vicos, & quoſcumque hominum conventus vaſtatoriis turmis infeſtabat. His bona populabundus adimebat, armenta, pecora, & ruris opes abducebat: aliis, ſi incolumes eſſe vellent, pecunias imperabat: illos quos corripuiſſet ſalutem auro redimere compellebat, & merces ultro citroque commeantes raptans, viatores etiam qui religionis aut quacumque alia cauſa Romam commigrabant, vel inde recedebant, hoſtium numero habuit. Denique nihil illi ſanctum, nihil intentatum fuit, quod collibitum fuiſſet. Hunc patres conſcripti diris & execrationibus inſecuti, ab incœpto deterrere nixi ſunt: mox data impunitate admiſſorum, vadimonio quadringentorum millium nummorum aureorum, a bello & a moleſtia Romanæ libertatis averterunt: licet ad ejus audaciam contundendam longe efficacior extiterit JULIUS Medices antiſtes primi ordinis, qui hominem ferocientem habito delectu ſuoque & externo milite compeſcuit, illius copiis ad inediam coactis, ſeque, patriam & ſocios Senenſes, ſalva dignitate, & priſtino rerum ſtatu incolumi, ab injuriis aſſeruit.

Julius cum Franciſco Maria Rovereio fœdus amicitiæ ſanxit.

15. Idem Julius, cum Franciſcus Maria Rovereius itidem res novas molitus cum aliquot Gallorum alis, in Urbinates moviſſet, ac non ſine tamen vario certamine, ditionem & priſtinam dignitatem aura populari aſpirante recepiſſet, auctor apud ſummi ordinis collegas patres fuit, uti omnia ei integra manerent in adventu Hadriani pontificis, hujuſcemodi ſenatuſconſulto: Quæ bello Franciſcus Maria Rovereius recepiſſet de ſua priori ditione, libere poſſideto, nec illi aliquando fraudi eſto, quod per interregni tempeſtatem, poſſeſſionem agrumve Romanæ ſedis invaſerit, turbarit, violarit. Gallos qui cum eo ſtipendia facerent perduelleſque omnes dimittito. Contra Romanæ ſedis imperium & ſocios arma ne induito, neve hoſtibus ejus opem præſtato ullam, ſed ſummoveto ab ejuſdem injuria. Hujus juſſionis præſcriptum, ſi adverſum ierit, contra rempublicam & majeſtatem pontificiam veniſſe cenſetor. Ipſiuſque congreſſus & conſuetudinem ut prophani omnes fugiunto, templa ne intrato, ignem & aquam ne invenito, urbibuſque & agris ſpoliator. Cumque in hujuſmodi verba ſolemni religione juraſſet, ipſeque Julius (is eſt ille Julius, qui poſt Hadrianum ſub Clementis ſeptimi nomine pontificiam ſedem tenuit) fœdere cum eo icto, amicitiam ſanxit, per honeſtas conciliatæ pacis conditiones, quo in Tuſcis omnia pacatiora eſſent. Tantis undique ſoboleſcentibus bellis, & quaſi per cognatas cauſas connexis, nam & Horatius Balioneus inexpiabili odio in Mediceum nomen, quia LEO pontifex illius patrem alioqui ſceleris convictum, ſed ſub fide, ut ipſe dicebat, publicâ correptum, ultimo ſupplicio affeciſſet, agrum Romanum & Etruſcum ductu & auſpiciis Franciſci Mariæ vaſtabat, agebatque inde prædas fœda populatione; ſed hunc quoque ſacri ſenatus auctoritas ab armis diſcedere, & ad officium redire coëgit. In Flaminia quoque Pandulfus Malateſta, per inſidias Ariminum, avitam & patriam ſedem, multos per annos regnatam aucupaverat, tamdiuque tenuit, donec ab HADRIANO pontifice a ſedibus male defenſis, armis amoveretur.

Galli in Mediolanenſes ſigna dirigit.

16. His itaque omnibus, quæ non ſine Gallorum artibus & conſiliis, undique uno ferme tempore, vel certe parvo interſtitio miſcebantur, ſi penſiculate ſingula examinaveris, liquido deprehendi queat, quanto in diſcrimine res Romana futura eſſet, ſi Galli, ſubacta, ut crediderant, Parma, intra Italiæ viſcera & intimos receſſus pedem intuliſſent, & adjunctis ſociorum armis, priuſquam per partes diſſiparentur, bellum communiter adminiſtraſſent. Ea propter Galli ea ſpe fruſtrati, dum ipſi Cremonam repetunt, Venetique in hiberna concedunt, nihil per hiemem potius habuerunt, quam cis ultraque Padanam regionem damnis afficere, undique prædam convectare, & in ſupplementum copiarum attritarum, novos milites centuriare. Demum appetente vere, aucti copiis viginti duorum millium Helvetiorum, acceſſione etiam Venetorum, qui quadringentorum equitum gravioris armaturæ, totidemque levioris numerum & juſtam peditum legionem implevere, ſub vigeſimam diem Martii, ſigna in Mediolanenſes direxere. Et primo de via Soncinum oppidum adorti, quod illis commodum ad itum reditumque, & ad commeatum in caſtra importandum futurum eſſet, magno detrimento accepto, oppidanis fortiter cum præſidio reſiſtentibus, poſt rem infectam ad deſtinatam expeditionem proceſſere. Utque illo perventum eſt, caſtra urbi admota, qua parte arx poſita eſt, quæ adhuc Gallorum præſidio tenebatur; ut illi rerum omnium anguſtiâ laboranti, auxilia & annonam immitterent, ſi fieri poſſet. Dumque nonnulli proceres Galli, una cum Marco Antonio Columna,

in quadam domo ſuburbana tuti, ut rebantur, ab injuriis machinarum hoſtilium, ſingula rimantur, ac oculis colluſtrant quaquaverſum, ſi irrumpere vi dolove in arcem daretur; M. A. Columna inſtar fulminis cœlitus miſſi tormentaria mole terebrata domo, in qua hæc comminiſcebantur, ab hoſtili ſtatione trajectus, paulo poſt animam exhalavit: indigna profecto morte peremtus, ut qui virtute & ſang..inis ſplendore, omnes qui in eo commilitio ſtipendia facerent, ſine contumelia præcelleret, etiam dignus qui aliis imperaret. Cum autem diutius incaſſum ibi ſederent Galli; numquam tamen Proſperum urbis cuſtodiâ contentum, ad pugnam allicere potuerunt. Quandoquidem ille ferocientem hoſtem ac moræ impatientem ludere ac cunctando fruſtrari ex re eſſe putavit, nec teneri diutius Helvetios exiſtimabat, tum ingeniorum intractabilitate, tum quod fames ſentiri incipiebat in tam numeroſo exercitu, qui quadraginta millia armatorum excedebat, & in regione prope longo bello exinanita. Vix enim ab una parte commeatus in caſtra portabatur, intercluſis & inceſſis omnibus aliis aditibus.

Galli Novariam expugnant.

17. Hæc omnia a Gallis animadverſa, ut ſibi rerum copiam, hoſti inopiam facerent, illos concitarunt ad invadendam Novariam frugum ubertate affluentem. Nam ea quoque arx adhuc in eorum erat poteſtate. Itaque propere cum delecto milite, obſidione tamen Mediolanenſi minime intermiſſâ, duce Federico Gonzaga profecti, eam quatridui oppugnatione ceperunt. Etenim oppidanorum multi, ut in civitate factioſa, cum hoſte ſentiebant. Aliqui præ formidine domi ſe occulentes, grave fecere negotium miſeris auxiliaribus. Italici nominis hi fuere, qui in præſidio erant. Itaque pro magna parte trucidati, pauci ſervati; omnis urbs hoſtiliter nullo diſcrimine ſive amicorum ſive hoſtium direpta.

18. Erat opem laturus obſeſſis Franciſcus Sfortia ſecundus, qui ad imperium a Mediolanenſibus accitus, non multos ante dies ex Germania per Rhætios & Tridentinos ſaltus & Veronenſem planiciem iter faciens, parato agmine ſex millium peditum Papiam venerat. Sed cum illi jam iter ingreſſo nuntiatum eſſet, Johannem Medicem, virum certe impigrum, & qui ſuperiore anno in caſtris pontificiis meruerat, multaque præclara facinora in Gallos ediderat, mox Leone pontifice maximo vita exuto, ad domeſticos motus in Etruriâ comprimendos conceſſerat, tunc cum non contemnendâ manu, ſibi auxilio venire, creditum, ad hoſtem deficiſſe, gradum ſuſpenſus tenere & pedem referre coactus eſt: veritus id publico Etruſcorum conſilio factum, opibus quorum res ſuæ antehac ſteterant: & ſi illi a ſocietate deſciviſſent, tali additamento ac acceſſione hoſtium vires plurimum auctas iri videbat, ſuas attenuari, quamvis brevi poſtea compertum fuerit id Florentinis diſplicuiſſe. Acceſſerat ad augendam hujuſmodi ſuſpicionem ejuſdem Johannis indignum facinus, qui Buffetum oppidum non ignobile Palavicini ſibi affinis, inter tranſeundum ad Gallos fœdiſſime depopulatus fuerat, nec pudicitiæ cujuſvis ſexus, inceſtatis templis, nec ſacris pepercerat, etiam teſtibus numinibus, in quorum aris ſcelus admiſſum fuerat.

Galli Papiam obſident.

19. Galli Novarienſi victoria elati, Papienſem expugnationem ſibi pollicentes, ſperabant ea adepta Mediolano brevi ſe potituros, & ab Ciſalpina hoſtes exturbaturos. Jam Franciscus Sfortia a Mediolanenſibus gratanter exceptus, ſe cum Proſpero Columna conjunxerat. Galli vero a Binaſco Marignanoque longe lateque caſtra metati, ita Papienſium mœnibus arma machinaſque admoverant, ut tamen Mediolano quoque imminerent. Verum Federicus Gonzaga princeps Mantuanus, qui Ticinum urbem, pridem a flumine Ticino, mox a Papio quodam Gallorum duce dictam Papiam, præſidio tenebat, acriter & intrepide hoſtem propulſabat, ſæpe in illos invectus multa eorum pernicie. Non deſinebat tamen propterea Proſper animo angi, non de Federici principis fide, ſed de præſidii imbecillitate pro eâ urbe eſſe ſollicitus: itaque re cum Franciſco Sfortia communicatâ, indicit legatorum ducum & tribunorum concilium; hiſque oſtendit Papiam, quamvis hactenus ſtrenue defenſam, ſibi nihilominus videri in magno adhuc periculo verſari, nec ſe animo quieſcere aut quieturum, donec majoribus eam firmet præſidiis. In Gonzaga quidem forti & impigro duce plus fidei & conſilii quam virium eſſe. Nam quis mihi, inquit, umquam perſuadeat, ab imperatore licet conſultiſſimo & experientiſſimo, omnibus locis, temporibus, momentis & caſibus, in quibus fortunam plurimum dominari dicunt, contra tantas hoſtium opes, & obſtinatos in obſidione animos, contra dolos nationi peculiares, in factioſa civitate, in qua parum fiduciæ, nihil auxilii ſit, ubique proſpectum iri poſſe: niſi ducis virtutem conſiliumque valida auxilia, militaris ſtrenuitas, tribunorum peritia adjuverit. Nec enim parva manu res graves magnæque regi gerique poſſunt, nec in rebus dubiis ſingula quæque per ſeſe adminiſtrare poteſt. Papiam ad hæc eo loco ſitam ſcitis, ut ſi ab ea excidamus, cum hoſtis quaquâ verſum nos cinxerit, omnia occupaverit, intercluſi & ab omni Gallia citeriore tranſpadanâque, ab Hetruria Campaniaque excluſi eſſe videamur, hoſtemque iccirco facile rerum potiturum: proinde operæ pretium eſſe, & omni ope enitendum cenſeo, ut quinque millia peditum intra Papiam immittamus, & viam ferro ma-

Papienſibus auxilium mitti perſuadet Proſper.

„ nuque aperiamus: quamvis non ſim neſ-
„ cius hoſtem occurſurum, tamen cum per
„ intervalla diverſæ ſtationes & caſtra locata
„ ſint ab eo, illo invito, licet fortaſſis non
„ ſine aliquo noſtrorum detrimento, ſi contra
„ luctatus fuerit, in eam urbem, a quâ rerum
„ omnium ſumma dependeat, perrumpi poſſe
„ non dubito: ſi ſucceſſerit, ut ſpero, res certe
„ noſtra in vado fuerit, & dubitare deſine-
„ mus. In hanc ſententiam cum omnes pedi-
bus iſſent, unus marchio Aternius, ſive quod
ita ſentiret, ſive quod æmulatione virtutis
cum illo certaret, interceſſit: qui quod ei
eſſet imperium in peditatu, negabat legio-
nem tantis periculis ſe expoſiturum: urbem
ſi amittatur poſſe recipi, legionem ſemel op-
preſſam non poſſe reſtitui, in virorum lacer-
tis non in muris conſtare victoriam. Eapro-
pter ei ſententiæ ſe non aſſentiri, nec paſſu-
rum ut id fiat. Cum autem, cunctis in illum
reclamantibus, diceret Proſper, ſe ejus inter-
ceſſione non impediri, quominus in re tanta
faceret quæ e republicâ eſſent, qui in ip-
ſum; ſicut in ceteros imperium haberet. Tum
ille teſtatus deos & mortales eam ſententiam
non probare, queſtuſque vim fieri ſi eo in-
vito decernetur, publico ſcriba ſua verba
præeunte, ad Carolum imperatorem pro-
vocavit. Contra Proſper cum provocationem
ut irritam rejeciſſet, compellato pariter ho-
neſtiſſima præfatione Cæſaris nomine, in con-
cepta a ſe verba ſolemni ſtipulatione ſubſcri-
bere, & in acta tabulaſque referre tabellionem
juſſit. Re aliquandiu per animorum concita-
tionem altercando extracta, nihilominus ex-
pugnatâ expunctâque Aternii principis ſen-
tentiâ, legio Ticinenſibus præſidio miſſa fuit.
Quæ haud procul a caſtris hoſtilibus iter fa-
ciens, felici eventu, niſi quod occurſu ho-
ſtium pugnando, nonnulli hinc & illinc ce-
cidere, urbem ingreſſa eſt. Id ubi reſcivit
„ Proſper, vocato protinus ſenatu, Bene ha-
„ bet, ampliſſimi viri, ait, noſtri incolumes
„ & auſpicato Papiam tenuere, exploratæ vi-
„ ctoriæ certum argumentum: nec jam nobis
„ de obſidione tantum diſſolvenda, ſed de pro-
„ fligando hoſte eſt cogitandum: verum ne
„ nobis ſolum vincere velle videamur, profer,
„ inquit, tabellio externæ contentionis libellos.
Mox ubi allati ſunt, cunctis inſpectantibus,
utraque manu diſcerptos, pedibus concul-
cavit, velle ſe dicens, omnium odiorum
cauſas aboleri, animorum fluctus placari, ſi-
„ cut jurgiorum libellos reſcidiſſet, ut una-
„ nimi conſpiratu bellum adminiſtrantes, ne-
„ minem participatione laudis & victoriæ de-
„ fraudemus. Itaque macti virtute, albeſcente
„ aurora craſtini diei, in hoſtem contra noſtra
„ præſidia nihil moliri auſum pro animi im-
„ becillitate, totis viribus & nervis exercitus
„ moveamus, fiduciæ pleni. Ita omnium ira-
rum rubigine abſterſa, ſublatis ſignis, binis
caſtris ad Cartuſiam, quæ quinto ab Papia

A diſtat lapide, hoſte inſpectante, nemineque
ſeſe opponente, conſedere; ac hoſtium for-
midine ſibi ſpiritus augente, modo a tergo
illis imminebant, modo & ſæpius per inſi-
dias hoſtium turmas, quæ annonam in ca-
ſtra comitabantur, totas cum ipſis commea-
tibus intercipiebant, nullamque occaſionem
rei bene gerendæ intermittebant, donec illi
ab hoſte preſſi, & inediâ gravati, ac imbrium
caſu aſſiduo, per feculentum ſolum aqua-
rum inundationibus immerſati, ceſſim abire,
& oppugnationem prorſus deſtituere ſunt coa-
B cti. Tandem Moguntiam ſe ſubducentes,
municipium minime ignobile, Lambro am-
ne limpidiſſimo diviſum, quod decimo ab
Mediolano disjunctum eſt lapide, unde ſibi
facile victus ex Venetorum finibus ſuppedi-
tabatur, aliquot dies otioſi ſubſedere.

Solvitur obſidio.

20. Sed dum Proſperum, quamvis illo-
rum conatus ſæpenumero aſtu & arte fregiſ-
ſet, audent contemnere, ſuam temeritatem
& ferociam verborum magniloquentiâ pro
more attollentes, ferro decernere & extre-
mam fortunam experiri ſtatuunt. Proſper ho-
C ſtilis conſilii non ignarus, & ab exploratо-
ribus edoctus, Gallos acie jam inſtructâ, teſ-
ſeram & pectoris ſigna mutaſſe, quibus ho-
ſtis ab hoſte diſcerni ſolet, ut ſpecie amici
agminis per dolum noſtros adorirentur, &
ipſe addito frondenti ramuſculo, ad ſymbo-
lum ſuorum, ne per inſidias & fraudem op-
primeretur, poſtquam Papia Mediolanum
venerat, ad Bichocham, obſcuri nominis
vicum, nunc clade Gallorum celebre, qui
tribus millibus paſſuum Mediolano abeſt,
caſtra poſuit, imminenſque viæ qua Mogun-
tiam itur, unde venturus hoſtis credebatur,
D aciem in orientalem plagam direxerat, ſi-
niſtrum latus caſtrorum palus profunda, nec
pervia claudebat; a tergo altam laramque
nocte ſilenti duxerat foſſam, quæ paluſtribus
aquis jungebatur. Porro poſt humentis agri
anfractum, pons ſublicius viam dirimebat:
inter ſolidos & arentes campos ſtratam hanc
quingenti ſclopetarii haſtatique plurimi in
cæcis ſcrobibus obſervabant. In hujuſmodi
camporum tractu, ſiniſtrum cornu Ferdi-
nandus Davolus Piſcarius princeps, cum
equitibus, hinc & hinc Germanorum Hiſpa-
norumque phalangibus locatis, tenuit: dex-
E trum Franciscus Sfortia dux, cum viginti
propemodum voluntariorum civium milli-
bus ac equitatu ſuo ſubſtitit. Ipſe Proſper
cum Latinorum legionibus medius ſtetit, in
ipſa fronte ſclopetariorum ingenti manu diſ-
poſita, qui primos impetus exciperent; poſt
hæc machinæ graviores, quæ tormentariis
concuſſibus vim hoſtilem, ſi ingrueret, disji-
cerent, protererentque. Cataphracti in omnem
occaſionem intenti poſtremum agmen clau-
ſere. Ita compoſitis agminibus ordinibuſque
ſuorum, acies dextrorſum ſiniſtrorſumque lu-
ſtrando, circumeundoque, ut utriuſque na-

Galli ad præ-lium ſe pa-rant.

Proſperi ad ſuos adhor-tatio.

tionis cauſa expoſcebat, Proſper omnes adhortabatur; Inſubres ut ſalutem ſuam patriæque florentiſſimæ, natos, neceſſitudines, fortunas, pudorem muliebrem, aras, templa, denique totius rei ſummam in lacertis ſuis ſitam meminiſſent: Italos, Germanos, Hiſpanos, ſuæ invictæ virtutis ac genuini odii inter ſe Galloſque admonebat; ſibi tantis munimentis non vim, non inſidias, non Gallorum furorem, momento temporis, (ut ſunt eorum corpora fluxa) caſurum. Non incautam Helvetiorum temeritatem formidandam, ſi viri eſſent, ſi primos impetus ſuſtinerent, ſi locum quem nunc tenerent immoti tuerentur. Scirent præterea nulla alia ratione ab ipſo caſtris eum locum delectum, foſſamque tam vaſtam paluſtribus aquis adjectam, niſi ut ipſis incolumibus, cadaverum hoſtilium acervis illam impleret, tropheumque victoriæ perpetuam virtutis ſuæ adoream ibidem ſtatueret. Non dubitare etenim ſe, quin protinus inexplorato itinere in inſidias præcipitarentur.

Prælium committitur in quo victi Galli fuere.

21. Vix dum verba finierat, cum & ſpeculatores pernici curſu, & pedum crepitus, denſuſque pulvis, hoſtes adeſſe indicant. Jam inſultabant primi, & anteſignani Helvetii, in adverſam aciem ſigna inferebant, rati cominus ferro & hoſtilibus decernendum, dum inconſulte & contemptim proruunt, a ſclopetariis in alas porrectis circumventi, tormentorum glandibus conficiuntur, & quo confertiore agmine irruebant in certamen, eo crebrioribus certioribuſque ictibus confodiebantur. Cadebat hic ſupinus, ille in faciem, alius in latus, miſerabili edita cæde. Sed cum ænea vis tormentorum minorum crebris ictibus fervefacta elanguiſſet, juſſique eſſent ſclopetarii bifidis alis excedere loco, ſucceſſitque recentior hoſtium cuneus in pugnam, tum alia bombardarum tempeſtas ab hoſte non animadverſa, non minorem intulit, quam antea calamitatem, & quam plurima Helvetiorum exanimata corpora humi ſtravit, horribili admodum ſpectaculo. Hoc loco rebus Gallorum inclinantibus, Piſcarius heros levorſum quamvis primos equitum impetus ægre ſuſtinuiſſet, tamen paulatim hoſtium viribus fatiſcentibus, ut ſunt laborum impatientes, demum repulit ac Gallorum agmen diſpulit. Tertius reſtabat hoſtium conatus, qui lacunas & foveas prætervecti, inſtar canum ſagacium ferarum luſtra & cubilia olfactu rimantium, caſtra a tergo invadere ſatagebant. Verum dum munimentis undique excluduntur, tandem ad pontem ſublicium, quem prædiximus, applicuere, horriſonis clamoribus æthera verberantes, rati ſe tuto illum poſſe penetrare. Hoc tumultu perterrefacti equites Sfortiani, quorum pars magna tyronum fuit, fugæ ſe mandant, timentes ſibi ſi illi pontem evaſiſſent. Non ſic peditum turmæ & ſclopetariorum ad ſex millia manus egregia, quæ Franciſco Sfortia illos voce, manu, præſentia adhortante, immota certamen non detrectabat, & jam ſclopetarii adjunctis iis qui in ſcrobibus delituerant, ad præſidium pontis bellum ciebant, per ſinuatos paludis anfractus inſinuati, hoſtem conglomeratim tranſitum molientem confodiunt transfiguntque glandulis, nullo ictu in irritum cadente, cum ſeſe cuneatim collidentibus & in arcto conſtrictis, illis nec fugæ ſpes, nec pugnæ copia daretur. Cernere erat & circa pontem & per campos patulos, collabentes equos & equites terram oppetentes, vulneratos alios ſtillante ſanguine, alios ſemineces, Helvetiorumque quam plurimos aut poplite, aut coxa, aut pectore, vel quovis alio membro debilitatos: nequicquam cruribus innixi & genibus, veſtigio collabente. Demum afflictis etiam hoc loco Gallorum rebus, omnes confuſis ordinibus præcipiti fuga, qua potuere, & ut cuique commodum fuit, abiere. Nec fuit mens Proſpero præſenti ſtrage contento eorum fugam urgere, aut ſequi perterritos, quorum plurimos aſſequi potuiſſet. Cecidere ea pugna ex Gallorum exercitu ſupra quatuor millia & quingentos. Nec ita multo poſt Helvetii, quorum ad viginti duo millia militare cum Gallis dixeramus, partim ea clade conſternati, partim mercede defraudati, in ſua montana receſſere.

Galli exuti Laude cum magna ſtrage ejecti.

22. Galli tanto deſtituti auxilio, munitiora loca occupare cogitabant, communicato cum Venetis ſociis conſilio, ut Veneti videlicet cum aliqua Gallorum manu Moguntiam tuerentur, ipſi cum paucioribus copiis Laudem Pompeianam ingrederentur, aucturi alicunde vires. Jam Laudenſem urbem Galli intraverant, jam ſe equoſque curare cœperant, armis exuti, nihil hoſtile metuentes: ſed ecce irrequietus Aternus, eodem dolo hoſtem petens, quo fuerant recenti proximo bello ſui petiti, cruce ſcilicet alba, quod erat Gallorum inſigne, ſupra ſuorum thoraca inducta, præſto affuit. Itaque pedites præcurſores & equites levioris armaturæ, mentitâ teſſerâ militari inſigniti, ſub ejuſdem diei occaſum, portam ejus urbis negligentius aſſervatam, improviſo adoriuntur, irrumpenteſque nullo negotio capiunt, cuſtodes falſa imagine ſocietatis, & commilitii deceptos obtruncant. Sequuntur e veſtigio ceteri, & totam urbem curſu colluſtrantes, hoſtium alios neci dant, alios capiunt, alios ſpoliant. Aliqui tamen, & in his Federicus Gonzaga Bozulus, adverſa evadentes porta, Cremonam effuſa fuga petierunt, ſarcinis omnibus militi in prædam relictis.

Gallis plures eripiuntur civitates.

23. Hac clade, quæ gravior ante acceptis fuit, perculſi Galli, (nam & plures præfecti capti, & robur totius exercitus venit in captivitatem, vix ducentis equitibus fuga dilapſis,) & ex profeſſo profligatos & debellatos ſe non

inficiati, cum Proſper ad Cremonam admoto exercitu, obſidionem in illos pararet, datis quatuor illuſtribus obſidibus, deditionem urbis pepigere, & liberæ abitionis ad diem ſtatutam conditionem (dies Baptiſtæ natalis dictus eſt deditioni, quo bellum anno exacto ad Parmam inauſpicato conflatum inchoaverant) citra arcem tamen, quam præfectus ejuſdem præmunierat, plurimo commeatu, ac valido præſidio inducto. Ceteræ urbes & municipia, quæ dudum ad Gallos tranſierant, aut vi captæ fuerant, ad imperium Franciſci Sforiæ rediere. Solum Novum-Comum, quod Lario lacui adjacet, vi & depopulatione recipitur, dimiſſo incolumi Gallorum præſidio. Nec multo poſt Genua urbs maritima, Ligurum metropolis, viginti millibus armatorum cincta, Franciſco Sforiæ deditionem factura videbatur: ſed dum ducem ipſum inani & vana fide, quæ apud illos parvi momenti eſt, fruſtra haberent; eo propere cum alia manu Proſpero Columna accedente, quatriduo poſtquam venerat, vi capta admodum fœde direpta fuit. Genua vi expugnata.

Nam ut primum illo applicuit, tribus caſtris urbem alioqui munitiſſimam, arte, præſidio & natura, patriiſque viribus, ut eſt populoſiſſima, circumvallavit, machinis & tormentis æneis omne genus, ad oppugnationem admotis. In promontorio ſiquidem, cui Briliæ ſive Capitiphari nomen eſt, unde in Liguſticum mare latiſſima eſt ſpecula, inſtar Pharus Ægyptiæ, & in pleriſque aliis editioribus cautibus a continenti, a quibus locis urbanæ turres arduæ ſane & pluribus tabulatis contignationibuſque ſurgentes, ac idcirco tormentorum injuriis obnoxiæ quati poſſent, machinas multifariam diſpoſuerat. Demum cum Genuenſes in expectationem Gallicæ claſſis pendentes, quam ſibi actutum fore ſciebant, ſpe deditionis & procraſtinatione fruſtrari ſe hoſtem putant, Proſper qui plus in eo ne poſſit decipi, quam in Ligurum fide reponebat, re comperta, & ipſe quoque diſſimulanter de fœdere agens, cum Ligure vano & pellaci longe ipſe conſultior, mandat Ferdinando Piscario, uti portam civitatis in occaſum vergentem & indiligentius cuſtoditam, ſumma vi aggrediatur; Franciſco Sforiæ duci qua caſtra metabatur mœnibus inſultare: ipſe reliqua curaturus, urbem nihilominus tormentis concuti jubet, quorum concuſſu, quaſi fulgetris & igne cæleſti fractæ domus & mœnia ruebant. A promontorio duæ quinquiremes & navis una oneraria, cum annona ſubmerſæ. Cetera quæ in portu fuit claſſis diſſipata, altum tenuit: denique tanto animorum ardore, vique undique pugnatum eſt, ut attonito populo, miro eventu civitas a legione Hiſpana capta fuerit. Cæſis qui pro porta ſtabant cuſtodibus, victor Hiſpanus, ceterorum urgens terga, per calles quamvis anguſtiſſimos irrumpens eodem impetu, in munitiora atrii penetrans, principibus civitatis eo fuga delatis, manum injecit: demum profligato hoſte, in civitatem omnem auri argentique ditiſſimam florentiſſimamque cunctarum rerum beatitudine, pro libidine graſſatum eſt per avariſſimum militem, ut procul dubio clariſſimum triumphum Proſper reportaverit, de invicta hactenus urbe, & nulli adhuc pervia, ab eo die quo Saraceni, Pœnis ſibi ſubjectis admiſti, anno Chriſtianæ ſalutis nongenteſimo & trigeſimo quinto, Stephani pont. max. ejus nominis ſeptimi temporibus, Genuam noviſſime ceperant, ſpoliaverantque, & quod raro alibi auditum eſt, omnibus mortalibus, qui cædi ſuperfuerant, populariter apportatis, muros urbis omni humano habitatore vacuos reliquerant, quamvis ſcriptores tradant, impuberes omnes brevi revectos Genuam, a quibus id tantum quod nunc habet, acceperit incrementum. A ſacris tamen in hac recentiſſima depopulatione, & a templorum violatione, ac publicarum rationum monumentis, libriſque calculatoribus, necnon ſcribarum tabulis, & corporum captivitate temperatum eſt. Capta autem hæc urbs tertio Calendas Junii, anno Virginei partus MDXXII. Acciſis itaque in hunc modum Gallorum rebus, Galli qui reſidui Cremonæ erant, dedita & relicta ea urbe, in Galliam illæſi inviolatique receſſere, ſub fide publica a Proſpero ſibi ſancte ſervata, quin etiam dapſili menſæ apparatu & heroica munificentia proceres & duces ex eis numero viginti duo, qui tot cladibus ſuperfuerant, intra Papiam ab eo recepti fuere, ut intelligerent illum & ſcire vincere, & moderata victoria uti didiciſſe. Fuit autem ex tanto ſeu naufragio abeuntium, numerus trium millium; paulo plus minuſve, etiam ut Italos computes, qui illorum arma pertinacius ſecuti, & patriam & patrimonium exilio amſere.

FRANCISCI CARPESANI Flaminis Parmenſis ſuorum temporum commentariorum

Liber IX.

1. Digreſſi Italia Galli in patrios lares longe turbulentiores, de fumo, ut dicitur, in flammam conceſſere. Ardebant ſane Belgæ, qui Rheno dividente Germanis affines ſunt, ad ſeptentrionem vergentes, bellorum incendiis & laboribus, a duobus potentiſſimis Carolo imperatore & Henrico extimæ Britanniæ rege, junctis ex fœdere & neceſſitudinis vinculo viribus, ita fatigati, ut plus illis faceſſerent negotii, ad propulſandum a finibus inimicum agmen, quam vel ſuſtinere, nedum fovere externa poſſent bella. Commiſſo inter eos diro & cruento

certamine, mutua quidam cæde, verum Gallorum longe graviore, quousque adeo adverſo Marte ſunt attriti, ut patentibus campis excedere, & ad ſuorum mœnium defenſionem intra urbes ſint compulſi, diuque ab hoſte obſeſſi Nervii, qui in Tornacenſes nunc abiere, obſidionem vix tolerarint. Profligato hoc bello Carolus imperator, quia jam ſæviente hyeme, mare erat intractabile, apud Belgas hybernavit. Poſtquam autem ver intepuiſſet, ab Oceano Britannico, qui nunc Anglicus dicitur, & per veterem illam Venetorum & Aremoricorum oram, quam Britones pridem occupaverunt, in Cantabriam proſpera navigatione delatus, ingenti in mediterraneis Hiſpaniarum comparato exercitu, movit contra Gallum, nec prius ex Celtiberis fines illius infeſtare deſtitit, quam eum poſſeſſione ante captæ urbis armis & multa cæde dejiceret. Sed hæc poſtea, & ſub ejus ætatis exitum contigerunt.

Franciſcus rex Carolo Borbonio bellum indicit.

2. Dum autem hujuſmodi bellum ab eo apparatur, FRANCISCUS rex Gallorum, CAROLUM BORBONIUM ducem bello ſibi deſtinat perſequendum. Sunt Borbonii populi in Celtis, Heduis, Biturigibus, necnon aliqua ex parte Lugdunenſi agro contermini. Movendi belli cauſa Franciſco fuit (ut vulgatum eſt) quod Carolus dux, mortua ſibi uxore ſine prole, cujus principatus pars dotalis erat reginæ Franciſci matris jam dudum cælibis, non tam hominis neceſſitudinem quam principatum, quem ad ſe pertinere neſcio quo jure dicebat, captantis matrimonium repudiaverat, quod femina jam per ætatem effœto eſſet utero, & CAROLUS novo connubio heredem ex ſe quæreret. Aliqui tamen non a regina matre, ſed a ſorore regis ipſius ſimultatum ſemina ſparſa contendunt; quod ipſa regia ſoror regem fratrem germanum Carolo duci tria oppida, quæ ad præfecturam ſibi antea a fratre dono datam veteri jure ſpectare diceret, adimere nimis anxie compulerit: ſed horum diſſidiorum quæque fuerint initia, ſive a ſorore, ſive impotenti & furenti regia matre orta, ita regem ipſum ſeu ſorori ſeu matri plus æquo obſequentem exaſperaverant, ut Carolo læſæ majeſtatis arceſſito excidium intentaret. Declinaverat CAROLUS a regia ſibi ſuſpectiſſima, & ad CAROLI imperatoris opes animum adjiciens, non ſolum dignus amicitia, verum etiam affinitate cenſetur Cæſarea, daturque illi ſpes regni Gallici, ſi Cæſaris conatibus fortuna ſubſcripſiſſet.

Borbonius principatu ejectus in Italiam ad Carolum imperatorem fugit.

3. Itaque Franciſcus rex antequam externo bello implicaretur, Borbonium bello perſequitur, & principatu dejicit, priuſquam præſidiis ſe firmare potuiſſet. At ille profugus in Italiam deſcendens, nutu & conſilio CAROLI imperatoris, Inſubrium bello, quod noviſſime moturus eſſet Franciſcus rex, interfuit, & æqua poteſtate cum Cæſareis ductoribus exercitui præfuit, fidelemque atque utilem operam contra patria arma & ſigna navavit. Tunc enim Franciſcus ratus prius debellari poſſe in Inſubribus, quam hoſtis novo belli apparatu, in quo non parum temporis conſumi oportuit, in ſe a Celtiberis ducere poſſet, ad tentandam rurſus Italiam totis viribus incubuit, heroibus & amicis adhortantibus, præſertim cum exules Mediolanenſes inſtaurandi reparandique belli cupidiſſimi, etiam ad id aurum ſubminiſtrarent: & ipſe rex exhauſto prorſus ærario, etiam privatim ab externis mercatoribus, qui in Gallia negotiabantur, & a ſacris omne prorſus argentum extorſerat; apparebatque non niſi devicto hoſte ſpem illi reliquam eſſe ad alendum diu in hoſtico exercitum. Adjuvabant regiam ſpem rei ex ſententia conficiendæ maturius inſidiæ domeſticæ in Franciſci Sfortiæ caput perniciemque a BONIFACIO Vicecomite eo impulſore ſtructæ. Is principi ipſi Inſubrium intimus & perquam familiaris comeſque aſſiduus, veneno aut ferro eum e medio tollere meditabatur: quum veneficio locus non inveniretur, præſtruſis omnibus viis, ad vim animum præferocem adjecit. Redibat Franciſcus Sfortia a ſeceſſu Moguntiano, quo laxandi animi gratia multos ante dies ſe contulerat. Eſt Moguntia oppidum, ſive ut aliquibus video placere, Moguntiacum, decem millibus paſſuum Mediolano diſtans, poſitu & Lambri fluminis interlabentis aquarum limpidiſſimo curſu, necnon glebæ feracitate, ac venatione varia amœniſſimum, tum omnium principum, qui antehac in Inſubribus rerum potiti ſunt, ſeceſſu nobile, item lanificiis ac pluribus mercimoniis opulentum. Id THEODOLINDA Gothorum regina, dum pro ADOALDO filio impubere regnum adminiſtrat, ut erat femina inſigni pietate, nec minus virtute quam opibus pollens, arce & inſigni regia adornavit, ac ſub nomine divi Baptiſtæ templo maxime religioſo, in quo deinceps Longobardorum reges novique imperatores in titulum veri legitimique imperii coronantur, ſumtuoſiſſimo opere decoravit, fundiſque & donariis regiam munificentiam teſtantibus dotavit. Hinc itaque digreſſus Franciſcus Sfortia, mulæ humilis molliter gradientis dorſo inſidens, Mediolanum repetebat. Præcedebat prætoriana cohors aliquanto intervallo, ne denſior pulveris nubes, ex arenti per æſtatem ſolo ſurgens (erat enim dies apoſtolo Bartholomæo ſacer) principis ora fœdaret, oculorumque aciem perſtringeret. Hanc nactus occaſionem Bonifacius, ubi ad bivium ventum eſt, quod ſceleri & fugæ idoneum elegerat, ab equo arduo volucrique in ſtapedes, quas alio verbo nonnulli ſubſellares dicunt, innixus, dum ducis corpus brevi gladio infeſtus petit, ſupra humerum a tergo, cum corporum tum jumentorum jactatione

Franciſcus rex Italiam rurſus tentat.

Bonifacius Vicecomes vitam Franciſco Sfortiæ eripere dolo aggreditur.

Ictu ferri ſegniore, ut ultionem evadat, ad Franciſcum regem fugit.

motuque, tum etiam quod capitis tegmen in oculos percuſſoris illapſum aciem obduxerat, fallente ictu, ſuperne ad ſummam cutem vulnerat. Cum vero princeps ſe leviter violatum ſentiens, ad parricidam converſus, ſceleris ultorem ſe promittit, percuſſor præ animi impotentia violentior ictum geminaturus erat, niſi qui proximi circumſteterant, re animadverſa ſtrictis enſibus prohibuiſſent; tum vero admiſſo equo e conſpectu ſe proripiens, curſu inſequentes prævertit, ac Ticinum verſus rapida pernicitate intendens, non procul Galaratæ pervenit caſtellctum, familiæ ſuæ oppidulum. Inde recepto ex labore ſpiritu, fluvium, quamvis profundo alveo, nando evaſit. Nam cum id facinus animo jam pridem agitaſſet, ſæpenumero quadrupedem trajiciendo flumini aſſuefecerat; eo curſu ad Gallos, qui jam in Seguſionem, primam Italiæ urbem, non longe a Taurinis, ab Alpibus deſcenderant cum omnibus copiis, mox ad regem pervenit, ducemque ſua manu, ferro cruore madenti & tabidis medicamentis intincto, quod oſtendebat, interemtum mentitur: & ut dictis fidem faceret, catulum coram rege vel leniter a ſe eo ferro ictum, veneno exedente ſtatim ad mortem adegit. Laudatum rex a ſe hominem cum multis pollicitationibus oneraſſet, non multo poſt vivere & ſuperſtitem eſſe ducem audiens, vanum proditorem averſatus eſt & deſpectui habuit. Expeditionem tamen nihilominus accelerari mandavit. Conflavit hoc facinus in regem & Gallos facinoris conſcios, ac in ipſum Bonifacium ab populo Mediolanenſi inæſtimabilem invidiam, principi ipſi gratiam & favorem conciliavit. Videri enim ſupra hominum improbitatem facinus deteſtabile, principem regemve, cujus nomen apud mortales ſanctum & venerabile ſit, ab familiari homine nulla injuria laceſſito, fraude ferroque petitum: non benevolentiam meritaque ducis in eum, non juratam fidem patriæque pietatem apud illum valuiſſe, eodem facto hominis & familiæ famam peſſumdatam. Eam ob rem ut primum hujuſmodi facinoris rumor Mediolani vulgatus eſt, trepidatum eſt a populo de principis ſalute ſollicito, & pro hominis conjunctiſſimi perditiſſima audacia factus eſt populariter impetus ad ædes graſſatoris, eiſque direptis, non temperaſſet ab earum excidio vaſtitateque, nec peperciſſet neceſſitudinibus, ad quas criminis participatio, per quaſvis ſuſpicionis regulas ſerpere potuiſſet, niſi Proſper tranquillitati civitatis conſulens, tumultum compreſſiſſet, ſatis habens tam dubiis rebus & duris temporibus, Gallico motu reſurgente, civium animos exploraſſe. Capti & in vincula conjecti Saſſus Octavianus & Hieronymus Vicecomites aliique nobiles; ſed antiſtes Alexandrinus tantum gentilitate affinis non ſanguine, liberius eſt habitus, quia inſons ultro ſe tenendum & cuſtodiendum dedit; dimiſſi tamen poſt aliquot temporis omnes tamquam culpa carentes, uno Saſſo excepto, qui in cuſtodia fato deceſſit.

A quo deſpicitur ut proper.

4. Sed quamvis princeps, ut erat ſaucius, Maguntiam relatus, vulneri exſugendo adhibitis fellatoribus, ne forte veneno lethale eſſet, aliquot dies illic immoratus eſſet: tamen in dies & in horas ab omnibus ordinibus in expectationem principis pendentibus, longius a porta qua venturus erat, obviam itum eſt, donec gratulabundi omnes votis nuncupatis, ac pro ſalute ejus regnique incolumitate ſeſe devoventes, illum obligato adhuc vulnere, equo inſidentem fauſtis acclamationibus in regiam deduxerunt.

Franciſcus Sfortia & Proſper ad bellum in Gallos ſe accingunt.

5. Hæc animorum ſtudia tantos ſpiritus duci Proſperoque addiderunt, ut quamvis tantæ procellæ, quæ a Gallis imminebat, impares eſſent, quippe quibus imparatis vix duodecim millia peditum tum Germanici, tum Hiſpani, tum Italici generis nuper ſcripti, præter equitatum, qui licet non multus, tamen florentiſſimus erat, in armis eſſent: contra duo equitum gravis armaturæ, & levioris tria, peditum vero quadraginta millia, & ſexcentas birotas quadrigaſve fuſilium tormentorum, quæ ſub ſignis Gallorum fuere, nihilominus Mediolanum, Papiam, Novumcomum & Cremonam, omiſſa in præſens ceteri principatus cura, defendenda ſuſceperunt, donec a Germania alia octo peditum millia quæ in itinere erant, & a ſociis auxiliares copiæ advenirent. Nam ante paucos dies fœdus inter HADRIANUM Romanæ ſedis antiſtitem ſummum, & CAROLUM imperatorem, Venetoſque & Etruſcos, omneſque Italos principes, præter unum Alphonſum Atteſtinum diu quidem tractatum, tandem ictum fuerat: quamvis eodemmet die, qui fuit decimus ſeptimus Septembris, quo Venetiis divulgatum eſt, HADRIANUM ipſum, venenone an fato dubium, vitam cum morte commutaſſe, compertum ſit, erogaverat tamen idem adhuc vivens Sfortiano duci in hujuſmodi bellum quadraginta aureorum nummorum millia. Fuit autem Hadriani pontificis brevis pontificatus; verum laborum & ærumnarum plenus: nam & Roma dira lue laboravit quamdiu ſedit, & Rhodus Lycii maris inſula, quamvis aliqui Carpatio mari attribuant, clariſſima ab Hieroſolymitanæ militiæ viris, diutius egregie defenſa, ſæpius a mœnibus & ab ipſo urbis ingreſſu cum multa cæde Turcis repulſis, tandem pertinaciſſime obſeſſa, inedia & rerum omnium inopia, lue etiam peſtilenti urgente, vix incolumibus equitibus & defenſoribus dedita, in Turcarum venit poteſtatem, poſtquam ante annos quindecim ſupra ducentos, virtute eorumdem militum, a Turcis fuerat recepta: nam anno ſalutis noſtræ

Fœdus omnium Italiæ principum adverſus Gallos.

Adriani papæ obitus.

MCCCVIII. ad Chriſtianos acceſſerat, tuncque a Clemente quinto pontifice max. ejectis Templariis militibus, huic Jeroſolymitanæ militiæ commendata & in tutelam tradita fuerat: & per idem tempus Martini Leutherii perfidia hæreſiſque, de qua diverſo ab hinc loco diximus, invaleſcebat, majoreſque in dies ſumebat vires, totamque prorſus Saxoniam a corpore ſinceræ fidei convulſerat, non ſine ſumma principum Chriſtiani nominis infamia, qui inter ſe digladiantes, tam indigne mutilari & lacerari illam paterentur.

Clementis papæ VII. creatio.

6. Decedente Hadriano, tenuit interregnum pontificium ſexaginta & unum dies, ſummorum patrum diſſidio, quod in primis Gallici ejus ordinis antiſtites, ſui nominis aut partis aliquem in ſummum pontificem corrogari ambitioſius annitebantur. Sed tamen vicit Latinorum prærogativa, ut Julio Medici, cui CLEMENTIS ſeptimi nomen fuit, pontificatus decerneretur. Is vero in eaſdem pacis conditiones libertati Italicæ magno fuit adminiculo.

Galeacius Biragus Valentinum occupat.

7. Interea vero dum Galli ad Seguſionem, vel ut aliqui ad Seguſium, Taurinoſque exercitum cogerent, præmiſſus ab illis GALEACIUS BIRAGUS patricius Mediolanenſis, ſed domo profugus, cum præcurſoria aliorum exulum equitum manu, quorum quiſque frequentium clientum cuneos ducebat, & cum aliquot peditum cohortibus, ex Montis-ferrati collibus in planiciem deſcendit. Mons is Liguriæ pars eſt cis Apenninum, urbibus & populis frequens, perpetuo fertilis, diei fere ſpatio ab Alpibus divulſus atque diſcretus: per patentes interim campos collibus magis quam jugibus attollitur, ac proinde nihil inaratum colonis relinquit. Hunc ad dextram Tanarus, ab ſiniſtra Padus urgent, nec ultra progredi ſinunt, & quatenus a fluviis recedit aut ſubducitur, ferax admodum planicies interjacet, ut merito eam terram Meſopotamiam appellare liceat. Geminis enim amnibus clauditur, qui poſtea junguntur confluuntque. Hinc itaque ad Auguſtam Batianorum, quæ paulum intortis litteris Baſignana dicitur, Valentium oppidum vetus, quod olim Forum-Fulvii fuit, in Inſubribus clam progreſſus, per inſidias occupat; idemque Biragus arcem male munitam parvo negotio ad deditionem impellit, locum ad ſedem belli & ſollicitandos ad defectionem populos peropportunum.

Quod expugnat Franciſcus Salomonius.

8. Ad hos primos belli tumultus comprimendos, cum expeditis militum peditumque cohortibus mittitur Franciſcus Salomonius tribunus militum, quem ad Parmam fortiter pugnaſſe ſuo loco dixeramus. Is adhibitis machinis, unaque atque altera impreſſione facta, ſumma vi, amiſſis tamen aliquot ex ſuis, & in his ſignifero, oppidum arcemque expugnat, omneſque prope ad internicien cædit, Birago pauciſque eorum ad ſupplicium & ad exploranda conjuratorum conſilia ſervatis. Sed quia eo loco totius exercitus hoſtilis impetum vimque, nondum contractis ſociorum auxiliis, ea paucitate militum ſuſtinere non poterat, revocatus Mediolanum revertitur, nullo his locis relicto præſidio. Nam Proſper relicta ea cura, muniendæ urbi Mediolanenſi totius regni metropoli, firmandis portis & quibuſque aditibus, erigendis propugnaculis, aggeribuſque excitandis, armis, telis, tormentis comparandis, & qua opportunum fuit locandis, quamvis proſpera parum valetudine, noctes atque dies incumbebat.

Franciſci Sfortiæ adcives exhortatio.

9. At Franciſcus Sfortia continendis in officio fideque civibus intentus, ut eſt ſuopte ingenio ad conciliandos promerendoſque homines expolitus, ſimplicique ac minus verſipelli animo in corona civium per compita, per concilia foraque ſe familiarius ingerens, dum colluſtrat urbem, hunc & illum, omnes denique mira oris lenitudine compellare, ſe Franciſci Sfortiæ majoris nepotem & cognominem, Blanchæ Mariæ Vicecomitis ſtirpem: quibus ſi non virtute par, at ſaltem moribus compoſitiſſimis quam ſimillimus haberi velit & ſtudeat: ſe civem Mediolanenſem, apud eos genitum, alitum & educatum, non Gallicam ſuperbiam præ ſe ferre, non peregrinos aut feros mores in urbem afferre, nec allaturum: cum ipſis infantiam, pueritiam, adoleſcentiam egiſſe; cum iiſdem, ſi diis placeat, ſenectutem exacturum, honores, magiſtratus diſtributim partiturum, opes imperii, adminiſtrationem reipublicæ illis fore communia atteſtatur. Proinde hortari, monere, & per deos penates obteſtari, uti hoſtem adventantem animis infractis exciperent, nec paterentur virtute & animi magnitudine ſe vinci a Parmenſibus, qui anno ſuperiore & numero & viribus longe inferiores, Gallum ſua mœnia oppugnantem cum ignominia repulerint: ſibi adeſſe auxilia & nova affutura, quorum conſpectum ne perlaturos quidem barbaros ſciebat. Hæc dicens, & lentos excitabat, & excitatos impellebat, impulſoſque confirmabat, & a dubiis animi rubiginem abſtergebat: magnuſque & imperio dignus habitus, animos popularium mirifice ineſcabat.

Civesſe ſtatque in principis obſequium certatim offerunt.

10. Hoc tempore maxime cognitum eſt civium benevolentiam, non eos qui in ærarium illati ſint, regum theſauros eſſe. Etenim ſenator, eques, plebeius, mercator, opifex, nobilis, ignobilis, tum ſacerdos principi pecunias, aurum, argentum, factum infectumque, & mulier nupta cælebſque ſui corporis ornamenta, & mundum certatim offerre, afferre, plures ſpontanei quam rogati: & quibus ætas fortior ac militaris eſſet, in militiam voluntariam nomen dare: denique nullum genus officii, quod in principis gratiam commodumque, & in Gallici nominis

minis invidiam excogitari poſſet, omiſſum fuit.

Galli verſus Novariam tendunt.

11. Interea Galli ab imis Alpium radicibus, in quibus prima fixerant caſtra, moventes, dum in hoſticum promoverent exercitum, Antonius Leva, natione Iberus, ægrotante Proſpero, Cæſariano exercitui præpoſitus, qui ad Alpes uſque cum omni robore exercitus præceſſerat, dum longe imparem ſe hoſti videt: nam in armis ne octingentos quidem milites habuit cataphractos, peditum vix ſeptem millia, paulatim pedem referre cœpit, & ad Aſtam Alexandriamque Statilienſem, novam ſociorum coloniam expectans, tamdiu illuc ſubſtitit, donec iter hoſtium exploraſſet. Ubi comperit a Gallo Novariam verſus tendi, ipſe pariter per pontem a ſe ſtratum Ticino trajecto ad Buffaloram, qua tranſituri putabantur Galli, in agrum Mediolanenſem deſedit, ut tranſitu fluminis hoſtem prohiberet. Germanorum peditum octo millia, qui tum primum applicuerant ad portum Viglevanianum, contra quem munitiones crexerat, ſtatuit, non dubitantibus Germanis locum tueri. Tum Bonivetus heros, cui erat in regium exercitum imperium, Novariam inter Inſubrium populos etiam a Ptolomæo numeratam, quæ prima illi ſe offerebat, nullo hoſte invento occupat. Arx tamen, quamvis tormentis quaſſaretur, aliquot dies hoſtilem impetum remorata eſt: quæ res magno adjumento & uſui Sfortianis fuit: nam dum hoſtis arci potiundæ, Viglevanoque, Mortaria, Alexandria, Derthone, & omni eo agro qui ab Liguribus & Laemellinis campis, quos nunc Laumellinos dicunt, inter Ticinum, Padum & Tanarim amnes interjacet, ad imperium retrahendis operam dant, ut fertiliſſimos ad commeatum campos nanciſcerentur: FRANCISCUS SFORTIA comparandis & cogendis militibus, quos diverſis locis ſcribebat, firmandiſque ac muniendis aditibus ſatis ſpatii nactus eſt.

Eum occupant.

Galli ſuperatis Germanis Ticinum amnem trajiciunt.

12. Galli autem cum poſt terga nihil hoſtile reliquiſſent, trajiciendo flumini Ticino animum adhibentes, ab ea amnis ripa, qua e conſpectu caſtra habuit Antonius Leva, uſque ad eum locum quem e regione tuebantur Germani, toto exercitu turmatim diſpoſito, triginta ferme machinas æneas graviores contra Antonium, paucas contra Germanos, ut per opinionem omnem belli molem in Antonium transferendi, Germanos negligentiores redderent, ſtatuunt. Itaque hujuſmodi diſſimulatione ex improviſo contra Germanos ad pontem a ſe ſtratum illati, acerrimam cient pugnam: dumque hi tranſire, illi tranſitu prohibere conantur, magna utrimque cædes editur; ſed longe major Gallorum, qui nihil penſi habuerunt ſuos periculis objectare, modo ſuperiores eſſent. Dum vero ita conſligitur, & non diverſo ab hinc loco Galli, urgente Federico Gonzaga Bozulo, vadiſque repertis, vix humero ſupra aquas extante, manipulatim trajeciſſent, Germani undique preſſi, facta fuga, hoſti ceſſere: ita ut nihil poſthac obſtiterit, quin tuto omnes trans flumen ſe ſtatuere poſſent. Nam Antonius Leva, comperta ſuorum minus proſpera pugna, fuga quoque inde ceſſim ſe recipiens, a Proſpero Papiam ire, & tria peditum millia illic præſidio locare, omni poſita mora jubetur, ne forte Galli, declinato itinere, anteverrentes illum, ut ex uſu illis erat, præoccupare feſtinarent: cum reliquo exercitu dux Thermi Mediolanum ſe contulit.

Galli Mediolanum verſus tendunt.

13. Tum Bonivetus, ſummotis longius hoſtibus, per compactos pontes ſtructa acie, & cum omnibus tormentis cis flumen caſtra ponens, in ripa pernoctavit. Mox ad Mazentam pagum incolis frequentem, aliis caſtris conſedit: demum ad diem v. Calendarum Octobrium, propius urbi ad quintum lapidem ſuccedens; nihil hoſtile ſibi agendum putavit; priuſquam populum per fecialem ad deditionem tentaret. Crediderat enim, aut facta ſibi alicunde ſpe, aut ſua deceptus, fore ut civitas formidine aut ſeditione fluctuans, ad obſequium rediret: ſed nimium illum fefellit opinio. Nam dum prius ante prædabundus per campos vagatus fuiſſet, colligendi ſeſe hoſti ſpatium dederat, & dum ad leporem venatur, aprum e manibus labi paſſus fuerat. Quod ſi populo a principio conſternato ac principi imparato, & prope fugam ſubornanti virium diffidentia, arma ſtatim inferre maturaſſet; fortaſſe ſanioribus conſiliis fortunæ arriſiſſet. Miſſus itaque a Boniveto ad Mediolanenſes fecialis, pallium cyanei coloris ſtellis aureis diſtinctum amictus, qui regio nomine urbem repoſceret, populumque ad imperium revocaret, excidium intentans, niſi confeſtim dicto obedientes eſſent. Sed cum fecialis nec aditus in urbem patuiſſet, nec illi, ne data quidem fandi copia, quicquam pacati reſponderent, parumque a violatione hominis res abfuerit, omni populo circa foſſas quaſi ad pugnam tumultuarie diſcurſando; Galli frementes quanto propius potuere urbi ſucceſſere minabundi, & uſque ad ipſorum ſuburbiorum limites poſuere caſtra, ab eoque loco utriuſque partis damno ſæpius pugnatum eſt. Quo minus autem ex propinquo urbem & mœnia quaſſarent, in fronte ſuburbiorum tormentis grandioribus & ſclopetariis & omni machinarum genere, quæ urbs fabrilibus officinis, ſicut aliis etiam omne genus opificiis abundans, affatim ſuppeditabat, locatis, cum firmiſſimo præſidio, erecta propugnacula munitioneſque longo aggere foſſaque vallatæ impedimento fuere. Unde crebra ex occaſione certamina, frequenteſque tum peditum tum equitum ex-

peditiſſimorum eruptiones, ductu modo hujus, modo alterius præfecti, ſed crebrius JOHANNIS MEDICIS, viri bello acerrimi & manu promptiſſimi, ad obeunda quæque pericula tam audacis, quam felicis virtute. Is enim longius evagatus modo per inſidias, mox aperto certamine cum hoſte congreſſus, hoſtiles turmas, quæ aut frumentandi aut pabulandi cauſa palabantur, aut carpebat, aut cædebat, aut longa ſerie in captivitatem referebat, & cum ſæpe alias, tum vero ſemel per inſidias Grandiaboli (id duci agnomen erat) & Bernabovis vicecomitis extorris, turmas partim cecidit, partim cepit, magnamque frumenti & farinæ copiam interceptam in urbem revexit. Ita ſæpe victor, numquam victus, & onuſtus præda ovans in urbem redibat, & quaſi urbis aſſertor & hoſtium domitor; Gallos damnis & innumeris afficiebat injuriis: quo factum eſt, ut eorum vires inſigniter in dies contunderentur comminuerenturque. Hoſtis autem qui muralia tormenta tuto mœnibus non admoveri, nec ad totius ſummæ dimicationem obſeſſos elici poſſe videbat, tantumque ab adverſariis per occaſionem aut inſidias tumultuaria iniri certamina animadvertebat, nihil potius ad victoriam duxit, quam hoſtem intra muros cogere, urbem commeatu prohibere, nec ſinere quicquam importari, donec victu defectam ad extremam deditionis neceſſitatem adigeret.

Johannes Medices Gallos damnis afficit.

14. Eſt Mediolanum ab Inſubribus Gallis, qui ex pago Æduorum proceſſerant, ſi Livio credimus, conditum, non peregrinis aut convenis, ſed indigenis colonis pro cœli clementia ad hominum propaginem fœcundiſſimum, omnium propterea Italiæ civitatum populoſiſſimum. Ea urbs cum duplici muro olim, nunc uno ac prope nullo duplicique foſſa cincta ſit, tum ſeptem ſuburbia grandia & lata, inſulas plures & vicos ſingulatim habentia, quaſi ſeptem colonias inſtar civitatum eodem ambitu eodemque pomœrio complectitur. Tam frequens autem populus, niſi quotidianis prope alimentis peregre & ab agro ac municipiis importatis foveatur, facile famem ſentire poteſt. Cum vero ea civitas ex ante præparato frumento, & frugibus tum ſuſtentaretur, tamen ad eam urbicam multitudinem, quia frequentes etiam ab agris in urbem confluxerant, præſidiariique milites totque ſociorum copiæ in dies adventantes, difficiliorem arctioremque annonam propediem facturæ videbantur, maxime ſi importatio impediretur. Id conjectantes & prævidentes Galli, binis caſtris urbem cingere adorti, majoribus copiis ad eam regionem, quæ ad Ticinenſem & Vercellenſis urbis portas, verſus occaſum vergentes ſpectat, conſedere, ad portam autem novam & orientalem ex adverſo, BAIARDUM bello & armis ducem præſtantem, & FEDERICUM GONZAGAM Boſulum, cum reliquo exercitu locant, & quaſi directis utrimque brachiis, totum corpus civitatis complectuntur, ut in urbem circumſeſſam omnibus prope occupatis aditibus, non niſi ægerrime quicquam inferri poſſet. Fractæ ab hoſte omnes frumentariæ metæ, & molendinaria quæque inſtrumenta diſciſſa. Nam ea civitas ut plurimum ſuburbana utitur molettrina.

Galli urbe cincta, annonæ commeatum ad eam impediunt.

15. Dum in Mediolanenſibus bellum hac ratione adminiſtratur, præfectus arcis Cremonenſis, qui pro Franciſco rege ſeſquianum, ab eo tempore quo Gallici exercitus reliquiæ Italia exceſſerant, pertinaciſſime ſervaverat, jam jam ejus deditionem facturus erat. Nam licet arx nullis pervia bombardis, pro murorum & ſitus humilitate, propterea quod excuſſi a machinis globi ſuperne volitarent, ac vacuum aera tantum verberarent, tum vero muris, foſſis & induſtria omni tam egregie munita eſſet, ut humana vi aut ingenio minime expugnari poſſet: tamen urgente famis imperioſa neceſſitate, ad certam diem deditionem pepigerat, niſi obſidio tempeſtivo præſidio ſolveretur, aut inedia importatis frugibus & alimentis ad præſtitutam diem levaretur. His compertis Bonivetus Almiragius (magiſter is erat regiæ claſſis, nunc terreſtribus copiis imperabat) in florentiſſima urbe, arcem tanti momenti minime negligendam ratus, dat negotium Baiardo duci impigro, ac Federico Bozulo, uti arci periclitanti cum cataphractis quadringentis & equitibus expeditis quingentis ac decem millibus peditum, primo quoque tempore opitulentur: at illi impigre mandata obeuntes, magnis frugum, farinæ vinique ac eſculentorum omne genus comparatis alimoniis, & ad ea invehenda contractis innumeris jumentis & plauſtris, de prima vigilia cum exercitu, ac tormentis muralibus ex Moguntia, quæ illis belli ſedes ab ea parte erat, ad inducendum arci commeatum moverunt, tamque taciti atque improviſi Cremonam pervenere, ut ſi primo urbis capiendæ conſilium cepiſſent, haud difficulter illa potiri potuerint. Præverterant enim magno itinere auxilia Sfortiana, quæ ſerius re comperta, ductu Franciſci Salomonii Siculi, cum expeditis centuriis ſecundo Padi fluminis curſu ſub noctem Cremonam ſubierant. Affuit quoque peropportune Paulus Luſiaſchus a Federico principe Mantuano, cum equitibus centum cataphractis & centum quinquaginta levioris armaturæ. Affuere & a Mediolano tres equeſtres alæ, quibus per partes Gaſpar Mainus, Franciſcus Stampa, & Philippus Tornielis præerant, quibus omnibus civitas non ſolum ad propulſandas injurias, ſed etiam ad inferendas idonea videbatur. Arci & ab urbe intrinſecus & extrinſecus poſtquam circumſideri cœpta eſt, duplex foſſa

Bonivetus arci Cremonenſi ad extrema redactæ mittit annonas.

alta lataque, necnon arduus agger ita ducti fuerant, ut omnes aditus exitusque essent præclusi. Verumtamen arcis præfectus clam de adventu suorum præmonitus, murum arcis ab ea parte qua in Padanam oram prospectus est, indiligentius custoditum (tanta enim & tam lata patebat area, ut custodum oculi per diem minime falli possent) perfodit, unde onera ad annonam inferendam excipi possent. Adaperto itaque hujusmodi occulto foramine, per terebratum murum trinoctii labore & solertia clam oppidanis humeris mortalium intra arcem tantum alimentorum inductum est (nam interdiu assiduis colubrinarum explosibus minime licebat) quantum ad trium mensium tolerandam inediam sufficeret.

16. Ad fallendum autem & distinendum hostem, vel fortassis in spem expugnationis, urbi tormenta muralia admovere mœniaque quassare adorti, bis muris sese insinuavere, bis omni conamine frustrati, acriter & milite & cive mœnia defendente, & per eruptionem etiam ignominia accepta, tandem metu Venetorum sociorum, qui jam ingentem exercitum in armis habebant, ne ab urbe & a latere cæderentur, collectis vasis nulloque abeundi signo dato, retrocessere. Abeuntes insecutus Paulus Luciaschus cum equitatu postremum agmen carpens, multos interemit, plures intercepit, & carrorum ingentem numerum cum subjugalibus bobus, impedimentisque & commeatu onustorum in urbem revexit. Sed Federicus inter abeundum cum Soncinum oppidum olim a se frustra tentatum rursus oppugnare adortus esset, partemque muri bombardis disjecisset, vim parans a Venetis, qui pro amico duce illud præsidio tenebant, cum ignominia & cæde turpiter rejicitur. Inde in Caravagium ducens, plenusque irarum pro contumelia accepta ad Soncinum, vi capit, nulloque non crudelitatis ac impuritatis genere adhibito grassatus, diripit, Moguntiamque delatus, intercepta annona quæ in urbem Mediolanensem inferebatur, ad extremam prope famem populum redegit; nam dipondium farinæ duobus nummis aureis veniebat, nec venalis uspiam panis reperiebatur, adeo res in angusto apud obsessos erat. Alternabat tamen fortuna laborum vicissitudine & mutuis cladibus. Nam dum Baiardus & Federicus ad Cremonam haberent castra, accepta est a Gallis septingentorum peditum tum Corsorum tum Helvetiorum clades, relataque sunt Mediolanum quinque signa militaria ab hoste; sed ut vicem rependerent Galli hosti recenti successu exultabundo, facti certiores sexcentos Hispanos pedites, neglectâ militari disciplinâ, sine duce, sine imperio, sine antesignano Papia movisse, ac Mediolanum venire, desiderio & pruritu (ut vulgatum est) suarum amicarum, quas in primordiis hujusce expeditionis, contra Gallos ad Ticinum ductu Antonii Levæ ibidem reliquerant, cum trecentis equitibus ac mille peditibus per insidias illos adoriuntur, certam victoriam de incomposito agmine sibi pollicentes. Fuit is congressus ad sanctum Donatum quarto ab urbe lapide, via Marignana. At infractus animo Hispanus, ut decuit veteranum militem, belli experientissimum, in hostem glomeratim irruens, non solum impetum repressit, verum etiam dissolutis hostium ordinibus per medias acies sibi viam aperuit, interfectis ex eis XXV. equitibus ac peditibus L. pluribus sauciis, duobus etiam centurionibus captis, cum nedum viginti de Hispanis fuerint desiderati, ceteri omnes incolumes cum hostilibus exuviis ovantis agminis more urbem sunt ingressi.

17. Non tam feliciter a Statilio equitum præfecto, alibi pugnatum est contra Gallos. Dum is enim ad perfringendas molas frumentarias quibus ad Magdalenam (locus is est) Galli utebantur, egressus esset, in insidias præcipitatus, in hostium venit potestatem, quamvis in ipso conflictu par prope ab hoste clades accepta sit. Sed quoniam per eos dies dux Thermi, vir armis insignis, fato diem extremum clauserat, & PROSPER complorata jam salute, magis ac magis in dies tabescebat, cum necesse esset Atloconium magnæ auctoritatis in re bellica virum, Tricio, in quo oppido ad inferendam urbi annonam commodo, diu stativam habuerat, revocare, occursu JOHANNIS MEDICEI ad summæ rei curam sufficitur. Suo adventu erectis omnium animis, ita publicæ expectationi respondit, ut nonnullis propius hosti erectis propugnaculis, machinisque, ad portam Ludovicam dispositis contra hostem, quatriduo obtinuerit, ut hostis illinc se subducere, & longius castra metari sit coactus. Per idem ferme tempus Veneti, qui sub signis jam cccc. cataphractos, expeditos equites mille, ac octo millia peditum habuere, ductu FRANCISCI ROVEREI Urbinacium ducis, appendicibus copiis Mantuanis, quæ pontificium merebant stipendium, per Moguntiacos a quibus jam FEDERICUS BOSULUS abierat, Laudemque Pompeianam incustoditam occupaverat, obviam prodeunte Insubrium exercitu, ac popularium multitudine, magnam vim omnifariam frugum vinique in urbem obsessam intulere, ut major posthac apud obsessos quam apud obsidentes esset frugum copia.

18. Non erant propterea obiter in Cispadanis res quietiores. Nam per interregni pontificii tempestatem Alphonsus Atteſtinus Rhegium-Lepidi & Ruberium arcem validam admodum, paribus intervallis a Rhegio & Mutina distantem, potius ostentato quam illato bello, dedentibus turpiter arces

Alphonſus Atteſtinus Rhegium-Lepidi & Ruberium arcē deditione recipit.

earum præfectis, receperat, Mutinenſibuſque arma intentabat, magnamque Parmenſibus curam injecerat, ne in ſe ducerentur. Eam ſuſpicionem formidinemque auxit Rencius Urſinus, Gallico ſacramento ut jactabat inauctoratus, & tunc Alphonſi caſtra ſecutus, ab eo die quo Carpum oppidum celebre, interfecto illic præſidio, quod dudum illuc immiſerat Proſper, per inſidias occupaverat. Is enim eſt per tubicinem fecialem auſus noſtram fidem ſollicitare, & de regia in nos liberalitate alieni largus promiſſor, maria & montes polliceri, ſi ad imperium rediremus; ſin obluctaremur, excidium & vaſtitatem comminari. Cum vero tubicen a populo ſtomachante, & in ejus ora palam exſibilante, & convicia jactante, ludibrio habitus fuiſſet ab omnibus: adeo in nos non tam ultionis quam rapinæ ſtudio, cujus ſemper fuit cupidiſſimus, deſæviit, ut dum trajecturus Padum per Parmenſes ad Gallos iter intenderet, more latronis ex agris armenta gregemque omnem populabundus auxerit. Idem in Cremonenſibus tentans, non ita impune tamen, nam agreſtium conſpiratu petitus, multos ex ſuis amiſit.

Rencius Urſinus Carpû oppidum celebre capit.

19. Per idem tempus THEODORUS TRIVULCIUS, quem exauctoraverant Veneti, quod a Proſpero & Franciſco Sforcia hoſtis fuiſſet judicatus, impetrato a CLEMENTE pontifice libero commeatu, per Parmenſes & Placentinos pacato agmine, cum quinquaginta cataphractis, Laudem Pompeianam, a Federico, ut diximus, occupatam pervenerat. Nam Baiardus, qui ipſi Federico in recenti Cremonenſi expeditione ſocius fuerat, ut paulo ante eſt dictum, cum aliis copiis in majora Gallorum caſtra, quæ ad occidentem Mediolani ſedebant, conceſſerat. Cum autem in eadem caſtra Rencius quoque ex Cremonenſibus illi junctus ſecum perveniſſet, ut non nihil ageret, haud multo poſt cum his quas ducebat copiis, adjectis aliis uſque ad quatuor millia peditum, ad expugnandum Aronam mittitur, a qua Bonromei optimates Mediolanenſes Gallicas partes ſecuti, anno ſuperiore dejecti fuerant, domo & omnibus fortunis ſpoliati. Eſt Arona oppidum in Novarienſibus, ita ab incolis nunc cognominatum: Alonam dixere Latini, quod illi inſigne eſt ala. Arx illi eſt prærupto & exeſo ſaxo. Huic oppidum ſubjacet in occaſum a vertice collis, Verbani lacus, cui nunc majori nomen, ripam clementi deſcenſu attingens, cetera tutum, ſed qua parte poſitu plano eſt machinarum muralium injuriis obvium. Id igitur oppugnare aggreſſus Rencius, poſtquam globorum ferreorum ictibus plurimis, latum muri ſpatium diſjeciſſet, per ruinas ſuccedere tentans, alio aggere foſſaque altrinſecus præmunitum & inacceſſibilem locum offendit: quare ſicut temere ſubierat, ita magno interitimento dejectus eſt. Tuebatur id oppidum Michaël Corſius tribunus militum, & cum eo tres centuriones, Petrus Calchanus, Ravacinus & Antonius Zucchus, magna indole juvenes Parmenſes. Cum primi conatus non ſucceſſiſſent, Rencius per ſinuoſos collis anfractus de prima vigilia cum omnibus copiis in adverſam oppidi partem tranſit, qua via non admodum lata, ſed ita recta, ut ad diametralem lineam ac perpendiculum ſtrata videretur, in oppidi aliam partem ducebat. In hanc itaque circumvectus, machinis per noctem diſpoſitis non ante muros quaſſare deſtitit, quam quingentis bombardarum ictibus eorum magnam partem protereret, crederetque ſibi intra mœnia expeditum iter fore: ſed unde magis timebatur, eo diligentius ab obſeſſis fuerat cautum. Nam illinc quoque tam latam foſſam duxerant & aggeſtitiam terram faſtigiaverant, nocturno tum militum tum oppidanorum labore, ut cum ter quaterque ſubiiſſent, toties multa cæde depellerentur. Prævalebat Rencius ſclopetariis, qui glandium ictibus caſtellanos a muris averterent, aut quoſcumque illis ſeſe offerentes ad certam mortem adigerent. Quare nemine ſe impune oſtendente, aſcenſus in ſummas ruinas patebat: verum quum ſubiiſſent, ſero audaciæ Rencianos milites pœnitebat. Nam aut ſaxorum molibus, aut haſtarum cuſpidibus, aut baliſtariis ſagittis confodiebantur, aut alio quovis teli genere præcipites ad ima provolvebantur. Ita duodecim ad ſummum ex defenſoribus amiſſis, pluſquam trecenti ex hoſtibus ſunt deſiderati, & in his Rencii filius juveniliter ferociens, plumbea pila ictus pene interiit. Rigebat bruma ſæviente tellus, & intus adeo commeatus anguſtia laborabatur, ut equinæ & aſininæ carnes ad frigus maceratæ in deliciis eſſent, & tamen deſperata oppugnatio diutius hoſtem ſub pellibus aut ſub divo pernoctare non ſinebat. Acceſſerat quoque Rencio gravior cura, quod inde tuto pedem referre non poterat, nam tam directo, ut prætulimus, calle quaſi manu facto receſſuro periculum imminebat ne a tergo glandibus plumbeis & globis ferreis feriretur. Itaque ſive fortuito ſive conſulto, jam ſole in occaſum declinato, injecto igne tormentario pulveri, tantus fumus & caligo excitata eſt, ut præſtrictis caſtellanorum oculis denſitate nubis tutus cum machinis retrocederet.

Rencius ad expugnandã Aronam mittitur.

Obſidionem ſolvit.

20. Ita obſidione ſoluta, Rencius cum in majora caſtra rediiſſet, juſſus eſt a Boniveto intra Viglevanum ſe recipere. Eſt Viglevanum oppidum civitati haud multum diſpar, agri Mediolanenſis, quarto lapide trans Ticinum ſitum, vilis glebæ nomen ei quidam recentiores receptæ auctoritatis ſcriptores fecere. Nam ætate noſtra peculiari ſterilitate exilis & inutilis gleba illi fuit, ut nec in pabulum herba ſoboleſceret,

nec in caulem plantulæ turgeſcerent, tantum circa Ticini ripas vepres & frutices & agnata terræ virgulta porrigebantur, quæ cubilibus ferarum eſſent accommoda. Non paſſus Ludovicus Sfortia Franciſci Sfortiæ ſecundi parens, qui ejus loci lanificio, & ſellulariorum artificum induſtria ditis incolatu, ad venationem deliciaſque plurimum oblectabatur, ſolum illud tanta ſterilitate ſqualere, primum fluviales aquas advenas longo tractu perpetuis & latis foſſis induxit, quibus irrigatus ager ad fœturam pubeſceret, & armento pecorique herbas abunde ſuggereret. Pomorumque omne genus & in primis moros ad oſtrinas veſtes, numeroſa propagine & longiſſimo ordine conſeruit. Adjecit & ovilia plura armentaleſque domos, in quibus quadrupedia animalia ſtabularentur, arvaque inducti pecoris ſtercoratione luxuriarent: brevi ager aratro ſubactus, cum opimis & feraciſſimis campis frugum ubertate ac proventu certare cœpit. In hujuſmodi loci ſtativis locatus Rencius, & populum in fide continebat, & ſarcinariis jumentis carriſque cum annona illac iter in caſtra frequentantibus, ab incurſibus hoſtilibus præſidio & tutelæ erat.

Conſilium de tradenda prodendæ una civitatis portu Gallis deſtinatum.

21. Dum hæc alibi geruntur, Galli poſtquam res ſuas deteriore loco in dies eſſe vident, ad artes ſuas converſi, per Galeacium Vicecomitem ſtruendis dolis ingenioſum, cum centurione qui ſub Johanne Medice faciebat ſtipendia, & aliis quatuor ejuſdem commilitii multis pollicitationibus de prodenda una civitatis porta paciſcuntur, ſatiſque jam inter eos conveniebat, reſque fortaſſis ex ſententia ceſſiſſet, niſi eorum unus, ſive animi levitate, ſive ad augendas conjurationis vires, rem cum alio commilitone communicaſſet, & ſpe illi facta ingentium præmiorum, ſibi aſciſcere, & ſociare tentaſſet. Ille licet ſecum facinus deteſtaretur, tamen veluti munerum dulcedine allectus, aſſentiri ſe oſtendit, operamque ſuam polliceatur. Tum nihil moratus, ad Stephanum Columnam rem defert, ab eo ad principes, poſtremo ad Johannem Medicem indicium emanavit. Tum Johannes ſtrato ſe proripiens, (nam ſub noctem doli patuere) fervidus ac iræ impotens, proditionis auctores qui in ſtatione proditioni deſtinata excubabant, comprehendi, & ne conſiliis quidem conjurationis per quæſtionem exploratis, innumeris vulneribus ab haſtis vallatos tranſadigi, & utcerant toto corpore laceri & confoſſi, ab arboribus ſublimes pendere, unde conſpici ab hoſte poſſent, mandavit. Indici ducenti aurei nummi, tum domus in urbe agrique ac civitas muneris ergo data ſunt.

Galeacii Vicecomitis quadrimeſtre induciis recipit.

22. Nec propterea deterritus Galeacius Vicecomes, quaſi de magnis rebus acturus colloquium Proſperi tentavit; nec tamen quamvis accepta fide publica, ſine præſidio Hiſpanæ cohortis & turmæ equeſtris, popularium invidiæ ſalutem ſuam credere auſus eſt. Eo intra urbem accepto, tumultuanteque iccirco multitudine, homo quidam agreſtis, qui binos panes venabuli cuſpidi affixos habuit, Galeacium torvo oculo intuitus, Eccum, inquit, panem nobis ſextante venalem, qui a vobis, perditiſſime parricida, obſidemur, cum vobis quadruplo plus veneat? tum ſublato in eum undique horriſono clamore ad necem eum depoſcente, vix ope cohortis evaſit infortunium, petebatur ab eo tunc & iterato poſtmodum petitæ fuerunt, quadrimeſtres induciæ, abductis omnibus copiis & præſidiis undique trans Ticinum, præterquam Laude Pompeiana: quæ tamen accepto ad conſultandum ſpatio, & tunc & paulopoſt ei cum quæſtore Normaniæ homine Gallo redeunti, negatæ fuerunt. Enim vero apud Gallos negatis induciis, torpenteque hieme, belli ſtudium torpebat; & cum anni ætate æque apud illos vires animi & corporis ſeneſcebant. Deferbuerant illi ardentes ſpiritus & genuinus animi furor, poſtquam ad eam diem nulli eorum conatus, nulli doli, nullæ captioſæ proditionum artes, ſæpius tentatæ, ſemper deprehenſæ, & tetrica animadverſione caſtigatæ proceſſerant, nec ſpes inteſtinarum ſeditionum aut tumultuum reliqua erat.

Quæ ipſi negantur.

Galli ſolvunt obſidionem.

23. Itaque cum illi non jam pellibus agere, nec ſubdivales perferre moras, nec Helvetius brevi palliolo ſuccinctus, boream ſtridentem tolerare poſſent, forte accidit, ut tantus nivium caſus terram obduceret, quod niſi ex putri & uliginoſo loco tormenta convellere & educere maturaſſent, non potuerint poſthac illinc erui, quando terram poſtea ſolidiſſimo gelu conſtrictam obſtupeſcere contigiſſet. Itaque coacti ſoluta obſidione per oppida foſſa muroque cincta, quaſi in totidem caſtra diſpalari, diverſi in hiberna ubi propius ſex millibus paſſuum, tum Roſſate, tum Rebeccum & Abiate receſſerunt, uno pluribuſve ordinibus pro captu locorum diſtributim hiemantibus, quamvis alia ſub tectis hiemandi & mœnibus illis ratio eſſe potuerit. Sciebant quippe vires ſuas variis damnis gravibuſque incommodis attritas, tum a ſe quadringentos cataphractos, & plures expeditos equites, in ulteriorem Galliam, ad aliud bellum contra regem jam conflatum, vel certe formidatum miſſos, ſociorum opes auctas & in dies auctum iri. Nam præterquam quod a Germanis octo peditum millia, ab Liguribus & Etruſcis ductu Johannis Vitellii, tum vero a Venetis, ſub Franciſci Mariæ Urbinatis imperio longe majores confluxerant. Præterea a Neapoli peditum equitumque delectiſſimi ordines advenerant, qui circa Truentum amnem & Amiternos, Aquilanoſque in novi pontificis comitia, ſummorum ſenatorii ordinis antiſtitum altercatione protracta aliquandiu deſederant,

horum partem Aternius (ut dicitur nunc) marchio, qui ſuperiore anno Gallico bello interfuerat, patrioſque penates repetiverat, nunc ſecunda faciebat ſtipendia; alteram Carolus Limoius Cimber prorex Neapolitanus, ambo viri bello ſtrenui, aliquanto dierum intervallo ducebant. Eam ob rem Gallo conſultius viſum eſt, in tutiora loca ſe recipere, donec ab Helvetiis ſupplementa & equitatus novus, ut credi voluit, accederet. Vix enim mille gravis armaturæ & totidem levioris equites ac quindecim millia peditum ſub ſignis reſidui erant.

Proſpero Columna defuncto, celebratur principũ concilium de ratione belli adminiſtrandi.

24. Sed cum omnes ſociorum ductores cum ſuis, & per eos ferme dies CAROLUS BORBONIUS, ut prædictum eſt, cum trecentis equitibus media hyeme, ſeu ad conditum convenisſent, ſolus Proſper Columna, qui diutina ægritudine conflictatus, tandem fato deceſſerat, deſideratus eſt. Ei autem juſtis rite perſolutis, manibuſque ejus honeſtiſſima parentatione luſtratis, cum de belli adminiſtrandi rationibus acturi, omnes principes viri in concilium convenisſent, uno Paulo Luciaſcho excepto, qui noctu Mediolano egreſſus, de Gallis plus quam trecentos equites ad Grupellum interfecit, aut captivos revexit; primus Carolus Limoius ab eodem Proſpero initium dicendi faciens, hominem admirabatur & divinis laudibus efferebat, quem mortuum tanta numquamque interitura ſecuta fuerit adorea, ut ſedens languens & ſemianimis eam urbem in officio continuerit, a vi ſervaverit, hoſtilem impetum parva manu fregerit, minabundumque Gallum ludificaverit, tantas copias ſuis multo paucioribus incolumibus, fame, ferro aſtuque labefactatas, ad dimidiam ejus exercitus partem, quæ in Italiam deſcenderit, redegerit, numquam in ſummum diſcrimen pugnando rem deduxerit, cautus & conſultiſſimus imperator. Ea propter cognoſcere ſe aiebat, quantum oneris eorum humeris incumberet, qui illi imperio ſucceſſiſſent, & niſi conſilio & fortitudine ſuſtineatur, æſtimationis ſuæ jacturam non mediocrem » facturos. An, inquit, cum omnis Italia, » omneſque exteri reges, in hujuſce belli pen- » deant eventum, omneſque populi ſpe erecti, » admiratione tot ducum, & florentiſſimarum » copiarum conſpiratione, omnia ſibi felicia » repromittant, dubitamus, ſi quis caſus nobis » victoriam ademerit, quin potius imbelliæ & » ignaviæ noſtræ quam fortunæ ludibrio aſſi- » gnetur, imputeturve; quandoquidem apud » ſtultum vulgus, non ratio aut conſilium, ſed » rerum eventus pro judice habeatur? Ea prop- » ter viri principes & bello præſtantes, nobis » omni vi enitendum eſt, ne nobis deſimus, » ne quid per ignaviam omittatur, neve te- » mere peccetur. Verum enim vero, ut video, » alia adminiſtrandi belli ratio inunda eſt no- » bis, quam Proſpero fuerit: fuerit illi ad gloriam toties eidem exprobrata ab hoſte cunctatio, quæ in ſummis imperatoribus præcipua dos ſemper fuit; fuerit, inquam, illi glorioſum quod non laudem ex dubiis caſibus, ſed fructum veræ laudis ab explorata & tuta victoria parandum ſemper ſtatuerit: quo fiebat, ut quem pauca audentem Galli ſtulte calumniabantur, nihil temere agentem metuerent, quandoquidem eorum audaciam arte & ingenio ſæpius quam manu retudit. At nos ſi illius viam & bellandi diſciplinam ſequamur, noſtris rationibus plurimum officiamus, & pro cautis timidi, pro conſideratis tardi, & pro cunctatoribus remiſſi ceſſatoresque habebimur, qui tantorum ducum ſolertia & viribus ſociorum pollemus: nec expectandum eſt donec ab hoſte laceſſamur, qui per ſpeciem hibernorum in loca tutiora meticuloſus ſe recepit: ſed ultro ille nobis provocandus & per partes opprimendus, & tamquam fera ex ſpecubus eruendus: nec ſolum iſta ſeges jam flaveſcens eſt noſtra falce metenda, verum etiam ab imis, ut aiunt, terræ medullis radix omnis eſt exſtirpanda, ne adoleſcat. Quocirca modo nil temere moliamur, ſigna in hoſtem inferamus, & in diſpalatam aciem per partes, ac in totum corpus ſi coierint, & quod velim, copias promoveamus, ne tanti taliſque exercitus egregia virtus ocio langueſcat, neve hoſti in ſupplementorum expectationem pendenti, ſeſe recipiendi & confirmandi ſpatium demus.

25. Cum peroraſſet, omnes ad unum aſſenſere, & de ratione belli multa comminiſcentes, non ante concilio abiere, quam communi conſenſu quid opus eſſet facto inter ſe ſtatuerent. Dimiſſo itaque concilio, primum omnium diſpalatis per hiberna, uti dictum eſt, Gallis, duo egregii bello ductores, Arloconius & Johannes Medices, Marignanum decimo ab urbe lapide improviſo adorti, non ſolum de hoſte recepere, dejecto præſidio Gallico, verum etiam intra arcem compulſos ad deditionem coëgere, validumque ibidem præſidium hoſti, Laudem Pompeianam tenenti, oppoſuere. Vagabatur enim Federicus Bozulus illinc quaqua verſum populabundus vaſtator, & quum ad omnes occaſiones eſſet intentus, Bartholomæo Villaclaræ & Maſinæ equeſtrium ordinum Venetis ductoribus, parem prope cladem intulit, ac Galli antea a Paulo Luciaſcho ad Gropellum accepiſſent. At Cymber præclarum facinus animo meditatus, neſde hoc ſucceſſu Galli diutius ſeſe efferrent, de media nocte expeditos equites, magnamque tum mercenariorum tum urbicorum peditum, ſclopetariorumque manum, qui voluntarii in militiam nomen dederunt, ſibi præſto adeſſe imperat, edicitque per tribunos & centuriones equitumque præfectos, uti ſuper thoracas ſummaſque veſtes, ſubuculam li-

neam albentem quiſque induant, in teſſeræ militaris documentum, necem interminatus ei qui dicto obediens non fuiſſet, quo ab hoſte diſcernerentur. Struebat enim nocturnas inſidias hoc ſtratagemate, portis tamen civitatis obſtruſis & diligentius obſervatis, ne ejus moliminis indicium ad hoſtes emanaret. Itaque poſt multam noctem ſigna efferens, magno itinere ad Rebecum municipium accolis frequens, ſex millibus paſſuum Mediolano diſtans, ubi egregium cataphractarii militis præſidium, duce Baiardo, ſedebat, ante luciferum tam tacite ſucceſſit, ut deceptis excubitoribus, ſcalas ad id paratas muris admoveret, in ſummumque evaderet, ac portas ingreſſus refringeret. Cum jam tumultu excitato, ac terrificis clamoribus capto munificio doli patuiſſent, pugnatum eſt ab armato milite per calles, per angiportus, per domos contra inermem, imparatum ac ſemiſopitum hoſtem, novaque facie albicantis & linteati agminis perterrefactum, tetraque cædes edita eſt, duce ipſo Cymbro adhortante, urgente, & inter primos pugnam ciente. Eruebantur tanquam talpæ ex latebris non ſolum gregarii milites, verum ipſi ordinum præfecti, nec ſpes fuit evadendi, niſi quod Baiardus, qui legatus hibernis præerat, adverſi oppidi parte effugiens, quod nondum illi fatalis hora advenerat, volucri equo cum pauciſſimis in proxima Gallorum caſtra cum ſingulo equo pervenit. Servati aliquot viri conſpectiores, cæſi quamplurimi, capti plus quam quingenti equi, impedimenta, arma, ſigna militaria, & ingens præda inde abacta: quæ res civitatem de ſuorum tacito diſceſſu prius ſollicitam, tanta voluptate affecit, ut dux ipſe ovans, intra urbem magno applauſu tubarum æriſque campani ſonitu ab obviis popularibus exciperetur.

Rebecum cum magna Gallorum ſtrage expugnatum.

26. Conſternati tam atroci caſu Galli, qui in pagis vicinis ſtativa habebant, collectis ſarcinis nullo claſſicorum concentu, Abiate Craſſum, (id oppidum eſt muro foſſaque & arce perquam validum) conceſſere. Deinde inter ipſum Abiate, Viglevanumque, quæ loca æquo quatuor milliarium utrimque intervallo Ticinus fluvius diſterminat, dividitque, præciſis arbuſtis & vepribus, in quibus luſtra ſunt ferarum, inſidiis idonea ambuſtis, caſtra metati, valloque & foſſa ductis, tamdiu illic ſedere, donec rumore ſuccedentis exercitus hoſtilis territi, Viglevanum trajecto flumine contendere, & partim intra portas, partim ſub ipſis mœnibus conſederunt. Tum Cæſariani & ſociorum duces inſequendum hoſtem & premendum ſtatuentes, Mediolano in eos ducunt, Franciſcum Sfortiam tamen Mediolani cum parte equitatus & quatuor millibus mercenariorum ſiſtunt, mandantque ut a Gallis, qui Laudem Pompeianam hinc & illinc Abiate-Craſſum, diverſis admodum tramitibus tenebant, urbem tueretur, nec quoquo modo eos conjungi pateretur. Ille vero non ſolum accurate mandata obivit, verum etiam Federicum Bozulum per Papienſes, trajecto Ticino, cum majoribus ſuorum caſtris ſe jungere properantem tranſitu prohibuit, & Laudem retrocedere coëgit. Tum ſancti Georgii & Fagnani caſtella, quæ hoſti ad annonam erant peropportuna, vi cepit, interfectis plus quam trecentis hoſtibus, cum ex ſuis non plus quam quinquaginta amiſerit. Non potuit tamen prohibere, quominus Theodorus Trivulcius cum trecentis equitibus milleque peditibus ducis diligentiam fallens, per nota ſibi itinera in Gallorum caſtra perveniret: reliquæ vero ſociorum vires in patentes campos egreſſæ, partim ad Binaſchum, partim ad Roſate, partim ad Motam primis caſtris conſtitere.

27. Erant autem ſupra duo millia cataphractorum, expeditorum vero equitum plus quam mille & quingenti, peditum duode triginta millia; dumque duo pontes ſuper Bravium foris tabulis compacti ſternuntur, ad Ticinum Johannes Medices & Zucharus natione Hunnus, equitum præfectus experientiſſimus, cum vaſtatoriis equitum turmis egreſſi, Zucharus plus quam ducentos hoſtium equites intercepit: Mediceus trecentos Helvetios diverſo uterque loco ad unum occidione occidit. Dedereque operam, omnibus occupatis aditibus, ne aliquorſum annona ad hoſtes inferri poſſet, præterquam a Galarate, & Lacmellinis campis, inde tamen ægre ſuppeditabatur. Pontibus ſtratis, exercitus ille florentiſſimus, nihil hoſtile poſt terga relinquens, præter quæ diximus, Laudem & Abiate firmo Gallorum præſidio munitum, quo impedimenta & præda omnis eo bello contracta illic ſervabatur, trajecto Ticino inter Viglevanum & Mortariam ſubſedit, nemine hoſtium tranſitum impedire auſo. Dum illic ſedetur curaturque diligentiſſime, ne quid commeatus ad hoſtem importaretur, Franciſcus Maria Veneti exercitus imperator, cum Johanne Medice Garlaſcum oppidum, haud multum Ticino diſtans, diverſo illinc loco admotis fuſilibus machinis expugnare adoritur. Jam magna muri pars ictibus tormentorum corruerat, & foſſæ materia, viminibus & congeſtitia gleba opletæ, portæ erant ad ſubmœnia: nam expugnationem ſucceſſuris, ponte etiam ſublicio ad foſſam alicunde ſuperandam parato, cum deditionem facturi eſſent Galli, animo collapſi, quominus id fieret nonnulli exules, qui de ſua ſalute deſpondere videbantur, ſi in hoſtium venirent poteſtatem, impedimento fuere. Erat egregie munitum caſtellum, & in Gallica caſtra ultro citroque ab Alexandria Statilienſi ac Aſta commeantibus, pro convectanda annona commodiſſimum. Ea propter duo fortiſſimi duces eam oppu-

Garlaſci oppidi obſidio.

gnationem adorti, signo dato legionem muris occupandis immisere. Ipsi pedibus gregarii milites sago præcincti pone sequebantur, bellumque incendebant, & quid fieri per quemque vellent præcipiebant Itaque clamoribus sublatis, tanto ardore est a legionario milite concursum, ut vallo superato, scalis insensis, acerrime pro muro pugnaretur. Castellarii saxa molaria manualiaque tigna & trabes dejicere, scalas comminuere, hos sclopis, hastis, gladiis, securibusque fauciare, illos muris jam potitos, ingressos aut jam ingressuros devolvere præcipites, & deturbare in fossas. Contra oppugnatores nihil ab incœpto deterreri, nihil remittere, potiusque succedere quam recedere, ducibus ipsis voce, præsentia cohortantibus, & virtutis cujusque spectatoribus ac testibus; tandem submissi recentiores fessis, fauciis integri, castellanos tum mactant, tum complorata spe defensionis in fugam convertunt, murisque & oppido potiuntur. Dum autem certatim subitur, & unusquisque pro se primum locum in ascensu occupare studet, plures cataphracti honesto loco nati & egregia indole, qui pari æmulatione pedestrem pugnam ciebant, dum pons sublicius fossis injectus, super quo conglomerati ferebantur, graviori farcinæ succumbit; ruinam pontis secuti, suo pondere in imam collabuntur fossam; & cum thoracibus, cassidibus armisque omnia membra gravati, in pedes se statuere nequirent, aquis præfocati periere. Propterea capto oppido, præsidioque male accepto, æque in castellanos sævitum est, qui obstinacius obsidionem pertulerant, acriusque restiterant, ac in Gallos, ingensque inde abacta est præda.

Expugnatio.

Helvetiis auxilio Gallis venientibus viæ præcluduntur.

27. Mox revocatus Johannes Mediceus, jubetur ire obviam sex millibus Helvetiorum, qui per Bergomensium saltus in Italiam Gallis auxilio ductu Rencii Ursini veniebant, ea conditione, ut cum primum hostili agro superato, Federico Bozulo, qui alia manu trium millium peditum, centum gravioris, ducentorum levioris armaturæ equitum, ex Laude ad Caravagium occursurus erat, illis se conjunxissent, bimestria illis stipendia penderentur. Sed Johannes occupatis angustiis cum quatuor ad summum, tum equitum, tum peditum millibus, appendicibusque Venetorum auxiliis, tenuit, ut illi levi certamine inito, occisisque ex illis prorsus duodecim, cum viderent non nisi per arma iter fore, omniaque hostilia undique apparere, pedem referentes in pagos patrios redirent, militiam suam etiam duci polliciti; sed hæc aliquanto post. Dum vero ista alibi geruntur, ad Sartiranam, Aternii marchionis ductu, aliæ copiæ & arma sunt admota, ubi aliquot Gallorum turmæ hibernabant. Nam cum iidem nulla ratione ad pugnam elici possent, carptim & per partes urgere necesse fuit. Est

Sartiranam oppidum validissimum obsidet Aternius marchio.

A Sartirana in campis patentibus & fertilissimis agri Papiensis, positu quidem plano, sed muris, fossa, arte & industria municipium apprime validum, non procul a Pado, frumento, vino ac pabulo abundans: ac idcirco Gallis seu horreum fuit, multis aliis opulentis oppidis in majora castra commeantibus commodissimum & quasi medium, ita ut hoc amisso, omnibus aliis ulterioribus terris excluderentur. Quare cum Galli eo loco non sine periculo angustioris annonæ carituri essent, pertinacius illum defendendum susceperunt. Per eos forte dies Ugo Pepulius patricius Bononiensis, vir armis strenuus, & Johannes Biragus Mediolano exulans, qui haud diverso hinc loco cum suis equestribus turmis habebant stativa, non tam negotii quam otii causa illo concesserant, verum in partem laborum casu non consilio attracti, venisse deprehensi sunt. Id itaque oppidum magna vi ab Aternio oppugnari, sed nec minore studio defendi est cœptum. Nam & propugnaculis erectis, fossisque altius ac latius ductis, non sine multis tormentorum molibus ita præmunitum erat, ut diuturnam obsidionem & oppugnationem quamtumvis gravem perferre posse videretur, & commeatus intus abunde suppetebat, præterquam quod valido præsidio communitum erat. At Aternius heros rei bellicæ scientissimus, & si quisquam alius manu promtus, per fossores, calones, & ipsos legionarios milites, mira celeritate scrobes excavare, cæcas vias ac semitas ad fossas usque oppidi, quibus ab injuriis missilium & fusilium machinarum tutus esse posset, sternere, lacunares fossarum aquas, perenni scaturigine affluentes, incilibus & fistulis corrivare, materia, sarmentis & multa gleba implere ipsas fossas; ita subsidentibus aquis, per pontes injectos, cum jam innumeris bombardarum complosibus, spatiosam viam per ruinas murorum sibi aperuisset, fretus Latini & Hispani militis, urbium expugnatoris peritissimi, virtute & alacritate, mœnia aggredi non dubitavit. Itaque dato signo more turbinis, milites convolantes in aggerem subire, & pro muris stataria pugna confligere, signa supra pinnas murorum & munimenta statuere, confligere, summum locum tenere, irrumpentibus aut jamjam irrupturis persimiles, Gallus, ut qui a victore hoste & Gallico nomini infensissimo, omnem salutis veniæque fiduciam desperaret, magno animi ardore, magnoque molimine securibus, hastis, telis, saxorum ponderibus libratis, & sclopetariis glandibus, quoties hostis subiisset, feriebat, cædebat, aut ad ima detrudebat; ita fiebat ut magno cruore hosti audacia constaret, magni utrimque clamores, ut quisque ferocius illatus ascenderat, aut præceps datus corruerat, vario eventu, varia spe, hinc vitæ illinc gloriæ & prædæ cupidine, summa tamen

men virtute pugnabatur, & erat atrox & anceps certamen. Tandem Aternius ferox nihil animi aut laboris remittens, in multam noctem, quæ tunc forte ſubluſtris erat, pugna extracta, feſſis recentes, vulneratis integros ſufficiens, tamdiu perſtitit, quoad Galli defecti viribus, ſclopetariorum præcipue pilis plumbeis perurgentibus, loco cedere ſunt coacti, & quam manu ſalutem tueri non potuerant, pedibus fugacibus redimere conabantur, latebras fuga perſcrutantes. Tum vero efferatus victor miles, tamquam leo cadaveribus depaſtus, ſpumante ore, præſente & urgente duce, tam miſerabilem fœdamque edidit ſtragem, ut nec manum danti, nec armato nec inermi, aut mortali cuiquam quantumvis ſupplici parceret. Vix ſervatus Ugo Pepulius, in compendium potius licitatæ captivitatis, quam in fortunæ miſerationem, ante principem captus perducitur. Is paululum ſpe vitæ confirmatus, cum cædis nullus eſſet modus, ad ducem converſus: Cur, inquit, generoſe ac magnanime dux, Italici nominis militi & nationi tuæ veniam dari non imperas? Ad quæ reſpondit ille: Mihi in eos in primis graſſandum eſt, qui externam militiam ſecuti, officii & pietatis immemores, non ſolum patriam deſeruerunt, verum etiam impugnaverunt, ut ſint ceteris documento, ne poſthac dextras hujuſmodi parricidio conſcelerent. Hoc reſponſo ita hominem perſtrinxit, ut deinceps de ſe ſollicitus non mutiret. Patrata præſidii totius occidione, uſque ad octingentos, cum de victore exercitu tantum centum ceciderint, vix oppidano parſum eſt, ſed tamen ingens equorum, impedimentorum omniumque bonorum direptio eſt facta.

Et vicepit.

28. Hac vulgata oppugnatione territi Galli, qui affinia loca ſtatione tenebant, derelictis ſedibus, in caſtra majora ad Viglevanum poſita, per remotiora & invia loca conceſſere; ſolus Julius Sanſeverinius, cui Alexandrinæ urbis cuſtodia credita erat, illius & vicinæ Aſtæ, uſuratum quæſtu prædivitis, quam ante centeſimum & vigeſimum annum Johannes Galeacius Vicecomes, dotalis fundi titulo, Aurelianenſium duci genero habendam dederat, tuendarum gratia loco immotus perſtitit. At Bonivetus Almiragius molem omnem belli in ſe propediem convertendam ratus, communi aliorum ducum ſententia, tacite cum omni exercitu Viglevano, movens, Novariam verſus iter intendit, nec prius abiiſſe cognitus eſt, quam lux matutina clandeſtinam fugam prodidiſſet. Tum vero Cæſarianus exercitus, recepto Viglevano, abeuntes inſecutus, ſed non aſſecutus, (nam jam Novariam unius dici itinere attigerat,) duodeviginti paſſuum millia emenſus, ad quartum quintumve lapidem ab Novaria caſtra poſuit, eo conſilio ut hoſtem inedia & pabuli difficultate fatigaret. Erat enim civitas quamvis ſitu & natura uberrima; tamen tum longo bello, tum aſſiduo in Gallica caſtra commeatuum comportatu, ita exhauſta, ut nec multo poſt aut Gallis aperto Marte eſſet confligendum, aut ſi ſalvi eſſe vellent, fallendus fuga hoſtis eſſet. Nec enim diutius illic immorari poterant, annonæ anguſtia. Quocirca occupatis omnibus viis, etiam ad Vercellas, urbem ab decimo lapide finitimam, legio Hiſpana cum expedito equite, in ſtatione locata fuerat, quæ tentaturos clandeſtinam abitionem hoſtes, a latere & a fronte infeſtaret.

Bonivetus deſtituo Viglevano Novariam ſe recipit.

29. Per eoſdem ferme dies cum adhuc Abiate in Gallorum eſſet poteſtate, validoque eorum teneretur præſidio, quod ibidem Gallorum opes & quæcumque ex rapina anni ſuperioris contracta, repoſita fuiſſent, tamquam tutiore loco, nec jam fugatis longiuſque ſummotis hoſtibus, ſpes illis alicunde auxilii appareret, Johannes Medices, cum mercenaria legione, & grandi evocato Mediolanenſium peditatu equitatuque non admodum multo, ſigna ad id oppidum licet munitiſſimum admovit. Et primum quidem per præconem tentata deditione, ubi a Gallis linguâ quam manu promptioribus ſuperbe & contumaciter reſponſum eſt, per noctem bombardarum creberrimis concuſſibus ita muros disjecit protrivitque, ut rubeſcente aurora oppugnationem adortus, non ante pugnam remiſerit, quam oppidum cum arce receperit, hoſteſque occidione cæciderit. Demum ad prædam converſus fortunas, & bona cuncta Gallorum & oppidanorum diripuit; verum infeliciſſimo quidem & damnoſo compendio, nam ex ea rapina, tamquam herilis occiſionis vindice, ut erat peſtifera lue afflata, tam repente poſſeſſores, vulgato paſſim morbo contactu, uſu, & licitatione contabuere, ut intra trimeſtre vel paulo plus, hominum ſupra centum millia in ea populoſiſſima urbe miſerabiliter perierint, tabeſque illa latius ſerpens, Ligures, Genuam & totam Inſubriam, Cremonam, & in Ciſpadanis Placentiam corripuerit.

Abiate oppidum expugnat Johannes Medices.

30. Sed cum jam vere anni Chriſti nati MDXXIV. quo hæc ſcribebam inclinante, apud Novariam laborari annonæ anguſtia cœptum eſſet, nec jam ex rapto quicquam ſupereſſet, nec rapiendi facultas daretur, Galli conſilii inopes fluctuare animo, & variantibus inter ſe ſententiis, hac vel illac rapi, nec manendi nec abeundi conſilium probare, tamquam periculi plenum; fremere Helvetius ſe ſtipendio fraudatum, magna contribulium parte abſumta, ſupplementorum & auxiliorum ſpem conclamatam, nihil ſibi aliud ſupereſſe in tantis difficultatibus, quam ut imbellium more pecudum pabuli inopia intra caulas tabeſcant, aut poſtquam in viribus nulla eſſet fiducia, turpi ſibi fuga

Galli Novaria abſcedunt.

contulerent. Itaque cum gliſceret tumultus, urgente re, tandem conſentientibus principibus, de itinere capeſcendo dies profectioni dicta eſt. Ratio autem itineris ineundi hujuſmodi fuit: in primis enim obſtruſis urbis portis, & omnibus aditibus, ne qua conſilium emanare poſſet, per legatos, tribunos & primipilares, omnibus ſingulatim edictum eſt, ut equis corporibuſque curatis, non admodum ſarcinis onuſti, de prima vigilia omnes ad iter ſub ſignis eſſent. Capitale tum fuit civi, ſi domo pedem extuliſſet. Mox machinis omne genus fuſilibus in fronte, in media, in poſtrema acie locatis, præirent ante curſores equites, qui late cuncta luſtrarent, & ſi hoſti occurrerent, non abeuntis agminis, ſed vaſtatoriæ & prædatoriæ manus imaginem præberent, & quantum poſſent, a conſpectu hoſtem ſummoverent. Sequebatur Helvetius ſtructa in pugnam acie, ſi fors daret pugnaturus. Pone inter expeditum & cataphractarium equitem impedimenta, & quæcumque inſtrumenta bellica, tum lixæ & calones, ac cetcrum imbellis turbæ agmen. Eo itinere relictis ſiniſtrorſum Vercellis, ubi ſciebant hoſtem excubare, numquam intermiſſo itinere ad Seſſitam, nunc Lycidam fluvium, qui in Alpibus non procul Rhodano ortus, inde in Padum influit, huicque adjacet Romagnanum oppidum, quo ſex millia auxiliarium Helvetiorum ſibi occurrere intelligebant, contenderunt.

31. Vixdum illuxerat, cum Galli qui Novariæ relicti erant, ut urbi aut ſaltem arci, ſi extruderentur ab urbe, præſidio eſſent, per privatas civium ædes diſcurſantes, quicquid alimenti eſculentique aut vini nacti eſſent, populabundi intra arcem convectabant. Non defuere ex civibus, qui aut hoſtium odio, aut de Sfortianis promerendi ſtudio, curſu rem in ſociorum caſtra deferrent. Ubi reſcitum eſt hoſtem abiiſſe, cum eis miſſi ſunt pernicioſiſſimi equites, qui id exploratius cognoſcerent. Ubi res ipſa relatis fidem fecit, irrumpentes in urbem a civibus ultro adapertam, Gallorum alios rapinis intentos obtruncant, alios intra arcem compellunt, urbem in fidem Franciſci Sfortiæ ducis redeuntem, nulla moleſtia afficiunt, tantum quæ illic de Gallis inventa ſunt in prædam ceſſere. Deinde cum ſociorum duces de inſequendo hoſte, necdum tamen ejus comperto itinere, conſilia inter ſe agitarent, variarentque ſententiæ, placere tamen per emiſſarios rem cognoſci, quod non deerant, qui non fugam, ſed inſidias ſuſpicarentur. Paulus Luciaſchus vir præſentis conſilii & impiger, qui pro Mantuano principe, domi ægrotante, honeſtis præerat ordinibus, ſe inſeſſo equo præcurſorium ſpeculatorem hoſtilis itineris fore profitetur, & ex fide cuncta renunciaturum brevi ſpondet. Cenſet tamen obiter curatis prius corporibus armari exercitum, expediri præliares machinas, ſigna profectionis efferri, ac ne in occaſionem itineris pugnæve aliquid temporis intercederet aut remorarctur, collaudato hominis conſilio ſtudioque, ex ejus ſententia *cuncta apparantur. Ipſe quam celerrime* emenſo itus ac reditus ſpatio, renunciat hoſtem ex antelucana vigilia, & itinere defeſſum, ad ripam Sycidæ fluminis, haud procul Romagnano, prandere, ſeque ac equos curare: his ſe junxiſſe inter eundum aliquot Helvetiorum millia, qui per Domuſſulæ ſaltum a ſedibus ſuis profecti, Gallis abeuntibus auxilio forent. (Eſt autem Domuſſula, ſive Domuſcella in Alpibus, quas Graias dixerat antiquitas, certe nunc in Lepontiis Alpibus ſita, in extremis finibus Novarienſium, quæ ex quatuor Alpinis tramitibus unus hic in Inſubres Helvetiis tranſitus eſt.) Facile vel in trajiciendo vel poſt trajectum flumen, opprimi hoſtem, vel certe magnam ejus exercitus partem labefectari aut carpi poſſe: ſe ſequerentur itineris ducem & fortunæ comitem, qui compendiore vado in ulteriorem ripam exercitum incolumem ſtatuturum ſe profiteretur. Cum viri peritiſſimi verbis a prorege Cymbro & Carolo Borbonio, quibus erat æquatum imperium, & ſociorum ducibus auctoritas acceſſiſſet, continuo in caſtris firmo relicto præſidio, præmiſſoque cum parte copiarum Luciaſcho, ipſi cum toto robore exercitus ſequebantur. Tum Luciaſchus, hoſtem tranſitus molientem adeptus, graviter premere & urgere cœpit. Gallo nihilominus gnaviter repugnante, fit atrox pugna utrobique, ſed longe graviore Gallorum detrimento, repelluntur enim, & in ſua caſtra ſe recipere ſunt coacti. Quod ſi majore mana inſultaſſet Luciaſchus, poterant fortaſſe eo die debellari. Reductis utrimque copiis, cum poſtridie ejus diei, ſub primam lucem Almiragius & Baiardus, veriti ne ab hoſte circumvenirentur, moliti tranſitum, pugnam reintegrarunt. Tum Luciaſchus, cum ſociorum copiæ jam adventaſſent, irruentem hoſtem magno ardore excipit, parique virtute conſligit. Fit acre & memorabile certamen cædibus mutuis, pugnaque ambigua, ſtetitque utrimque acies immota, donec Baiardus incautius hoſtibus ſe immiſcens, a gregario milite lethali glande ſclopeti trajectus, equo lapſus, & Almiragius accepto in brachio leviori vulnere, ſe ab pugna ſubducentes, ſummum terrorem agmini ſuo injecerunt. Hic tum in perturbatum hoſtem & labantem facto impetu, acies Gallorum disjicitur, & Helvetiorum phalanx multa cæde perrumpitur in fugamque agitur, centum cataphractis & ducentis aliis equitibus ex hoſte occiſis. Nec fuit incruenta victoria. Ea fuga hoſtes in proximos colles dextrorſum ſe receperunt, ſignis non paucis militaribus amiſſis, & ſeptem ingentis molis machinis æneis in

Quæ hoſtibus ultro aperta eſt.

Gallos abeuntes inſequuntur.

Ac vincunt.

fuga relictis. Captus Baiardus moribundus, & ad Borbonium gentilem ſuum deductus, multa de injuſta regis in ipſum Borbonium ira, multa de fortuna & male animatorum hominum factione, cuncta in Gallia permiſcente, queſtus, gravante vulnere, ſub divo mortem oppetere voluit. Quominus autem hoſtem fugientem inſequeretur prohibuit dies adveſperaſcens, & quod devia laxo militi caſtra metanda erant.

32. Galli autem, qui, ut præfati ſumus, victi dextrorſum in arduo colle pernoctaverant, cum nec locus ſibi tutus videretur, de tertia vigilia tacito agmine in Hipporedienſem agrum profecti ſunt. Eſt Hipporedia vetus quidem colonia, ſicut tradidit Plinius, Sibillinorum librorum monitu a populo Romano deducta, & quoniam peritis equorum domitoribus polleret, lingua Gallica ſic dicta, ab Auguſtæ Prætorianæ valle, & ab Auguſta Taurinorum non longo intervallo ſeparata. Per eam in Galliam ulteriorem tranſire Gallis conſilium fuit, quamvis per Seguſionum urbem ſiniſtrorſum ſitam ad Alpium radices, quæ Cottiæ ſunt, ab aliquibus Pœninæ, quod Annibal Pœnus illac in Italiam penetrarit, appellatæ, iter illis eſſet compendioſius, & quotidiano commeatu tritius; ſed per alias Alpes, A. C. Cæſare Summas, noſtra vero tempeſtate partim S. Mauritii, partim S. Bernardi vulgo nuncupatas, & per vallem Auguſtanam, quæ Helvetiis in Veragros populares ſuos, quorum vicus olim Octodorus, nunc ſancti Mauritii, via trita erat, cum ſociis Helvetiis tranſire in Galliam malebant, eorum auxilio & armis freti. His itaque ab ea die qua Novariâ digreſſi fuerant, ſeptimis caſtris in ipſius vallis fauces applicitis, & per arduos ſaltus in ulteriorem Galliam tranſitum molientibus, Cæſarianus exercitus totidem caſtris e Taurinis campis ſucceſſerat, nullibi moratus, niſi quod Clavaſſium oppidum Taurinorum non ignobile, portas ſibi claudere auſum, repentino inſultu ceperat, & hoſtiliter diripuerat. Mox ad hoſtem iter reflectens, quem declinaſſe a regia via, a qua in Italiam deſcenderant, fallendi ſui cauſa cognoverat, in Auguſtenſem ſtructo agmine contendit. Nec fefellit Gallos multorum indicio hoſtium adventus; ac propterea cum ad dimicandi neceſſitatem rem deductam cernerent, gradum ſiſtentes, vexillumque editiore loco figentes, acies componunt. Stabant in utroque cornu Helveticorum legiones, quæ claudebantur utrimque equite: medium agmen tenebant cataphracti; in fronte ante omnes ordines ſclopetariorum vis ingens, & fuſilium tormentorum majoris molis longa ſeries per obliquum, & cancellatim, & in latera diſpoſita, quibus maxime confidebant. Bonivetus quamvis ſaucius ex ea pugna, qua ad Sicidam paucos ante dies pugnatum fuerat, & qui reliqui erant duces, cum e conſpectu hoſtes eſſent, concurſuro ſimillimus, hortari ſuos, monere, ſuadere uti priſtinæ virtutis memores, fortiter hoſtem exciperent, ſibi aut vincendum aut turpiter cadendum eſſe; in fuga ſpem reponentibus terga ad perniciem cædenda, nec fugienti receptui munimentum aliquod oſtendi. Si in dextris ſibi fiduciam ſtatuant, graviora ab hoſte accipi vulnera, quam ſibi inferre poſſe, præſertim tot tantiſque tormentorum æneorum inſtrumentis præſidiiſque undique vallatis, quibus denſiſſima quæque acies proteri perfringique poſſet. Quod ſi hoſtis in fugam vertatur, quemnam in hoſticum progreſſus tutum fugæ ſuæ locum adepturus erit? proinde in pugnam ſe alacriter expedirent, unico hoc prælio finem laborum futurum, & in optatam patriam pacatum iter reducibus apertum iri. Contra Borbonius & Cymber fiduciæ & animorum pleni, horum Borbonius dextrum, alter ſiniſtrum cornu, bifariam diviſo peditatu tenebat; medium agmen Aternius & Arloconius cum gravi armatura, nam levioris armaturæ equites cingebant peditatum, & uti feciſſe hoſtem viderant, hi omnes ad ſuos jam paratos, hoſtium acie præmonſtrata, converſi, En, inquiunt, ille eſt hoſtis, quem diffiſum mœnibus & arcibus, fugam ſubornantem in campis indipiſci avebatis. En toties expetita præda, & vix ex cavernis eruta, nunc effugia in vicinas Alpes circumſpectans, ad palmæ gloriam vos invitat. Amplectimini, viri fortes, occaſionem hanc a diis immortalibus vobis oblatam, & in meſſe hujus præmaturæ ſegetis fructus totius anni colligite. Neu ſinite, ſi viri eſtis, & gloriæ cupido vos tangit, hunc damarum & caprearum fugacem gregem manibus elabi. Tum exorto a milite clamore, pugnam expoſcente, claſſica protinus cani juſſa. Nec mora exploſis utrimque tormentorum globis, ſuccedentibus ſclopetariis, quorum ictibus non potuere non plerique a qualibet parte concidere, tanta repente tormentarii pulveris & fumi nubes denſa caligine ſublata eſt, ut ademto proſpectu, Germana legio, duce Cymbro, prima concurrens hoſti Helvetio, in ſtatariam pugnam ſe commiſcuerit, nec jam glandibus æneis aut miſſilibus, ſed cominus ferro decernitur. Tum vero inter acies linguæ commercio, eadem cœli plaga, terræ affinitate, morum ſimilitudine, animorum ferocia pari, nulla re diſſimiles, diutius æquata pugna, ſumma vi certatum eſt. Steterat diu anceps conflictus, & pro utrorumque virtute ac nixu variante fortuna, non facile diſcernas utri palma deberetur: ſed cum a Gallis ſummiſſa fuiſſent recentiora præſidia ſocio agmini, deteriore certe loco Germana legio eſſe cœperat, & jam pluribus cadentibus inclinata acie ad fugam ſpectare videbatur.

Reverentes in patriam Gallos inſequitur Cæſarianus exercitus.

Fróſque cominus miſſo novo prælio vincit.

Exultare Gallus, & profligatum conclamare, & diſſono barritu hoſtem terrere & probris convellere, ſuos adhortari & animos addere. At Arloconius bello acer, auxilio ſuis laborantibus cum legione Hiſpana & equitatu accurrens, non ſolum aciem labantem reſtituit, verum etiam facta teſtudine, tam gravem in hoſtilem cuneum fecit impreſſionem, ut mutaretur cum bellatore fortuna. Itaque cum cæderentur paſſim Helvetii, & disjectis ordinibus interfectiſque pleriſque primipilaribus & aliquot tribunis, procellam ingruentem ſuſtinere nequirent, effuſa fuga in ſuos vertuntur. Galli æque, urgente undique hoſte, quoniam ad eos, fruſtra conatos Helvetium in pugnam revocare, ſtrages perveneraat, cadente omni ſpe, campis excedunt, & in Alpinas rupes oculos, ora & equorum plantas convertentes, non jam de ſociis, de tormentis æneis, nec de ſignis, nec de impedimentis, quæ pene incuſtodita relinquebant, ſed de vita ſolliciti, volucri curſu fugiebant. Cæſa dicuntur ea pugna Helvetiorum tria millia, tribuni nonnulli, centuriones plures; Gallorum longe minor cædes, quoniam fuga cædem declinaverant, & dum ſocii cæduntur, illi maxime fugiebant. Nec tamen victori incruentus fuit ille dies, quamplurimis deſideratis: quatuordecim bellica tormenta grandioris molis ſunt ex hoſte recepta, capta plura ſigna militaria & ſpolia non modica. Hic fuit inſequendi hoſtis finis, quod Galli & Helvetii acciſis rebus ſuis, Alpes protinus ſuperarunt, relictaque Italia quiſque in ſuas ſedes receſſere.

Borbonius, irruptione facta, Gallos a rege deſicere ſollicitat.

33. Dum autem hæc ſub Alpes ipſas geruntur, Julius Sanſeverinius, qui Alexandriam cum Aſta; & Federicus Gonzaga, qui Laudem Pompeianam præſidio tenebant, pacti incolumitatem, poſtea quam rem Gallicam profligatam vident, quiſque cum quinquaginta equitibus in Galliam libero commeatu unde venerant retroceſſere. Pacata Ciſalpina Gallorum fuga, totum incendium quo Italia tot annos conflagraverat, in ipſos omnium malorum auctores Gallos tranſlatum eſt. Nam Carolus Borbonius, ulturus injurias a rege acceptas, auſpiciis & opibus Caroli imperatoris, cum iis copiis quæ Gallos trans alpes ſummoverant, & aliis ex Germania accitis, per Alpes Liguſticas, quas Cornelius Tacitus & alii dixere Maritimas, in Narbonenſem provinciam tranſivit, captiſque aliquot oppidis, obſeſſaque terra & mari Maſſilia, ac omni præſidio quod ad Strechadas Maſſilienſium inſulas a rege mittebatur, per inſidias intercepto, interemptoque, totam illam oram uſque ad Viennenſes Allobrogas, in quibus eſt Delphinatus, acerrimo bello premebat, gentemque omnem ad defectionem ſollicitabat, ut ſuiſmet armis regem periculis involveret, & inteſtinis bellis laboribuſque exagitaret, qui externos quieſcere non poterat pati.

FRANCISCI CARPESANI Flaminii Parmenſis ſuorum temporum commentariorum

LIBER X.

1. SUmmoto intra Galliæ uiterioris viſcera omni belli turbine, Italiam ab externis jam tutam fore, & diutina pace fruiturum, nemo non prudens rerum æſtimator conjectare poterat. Itaque in certam quietis ſpem confirmatis animis, & prorſus omni eliminata formidine, privatim publiceque in Ciſalpinis, Deo optimo diiſque penatibus a cunctis habitæ gratiæ & honos, ac pro votis dudum nuncupatis ad omnes aras ſupplicatum. Ego quoque veluti in communi periculo, & tamquam ex naufragii jactatione emergens, ſcribendi & timendi mihi modum ſtatueram, & ſæculo noſtro tandem tranquillitatem gratulabar. Verum enim vero & me & omnes homines longe fefellit opinio. Nam ex eodem torre, qui ex flamma Italici belli reliquus erat, tamquam ex rediviva ſcintilla, multo acrius exarſit incendium, quam antea fuiſſet; ſiquidem Franciſcus Galliæ rex, noviſſimo tam adverſo bello magis irritatus quam territus, fremens frendenſque a profugo, &, ut ipſe dicere ſolebat, parricida ſe peti, & ſollicitatis ad defectionem populis, ſua regna appeti, ad invadendam rurſus Inſubriam integrandumque bellum omni molimine animum adjecit indomitum; nec jam per legatos aut duces, quorum cauſatur imbelliam, ſed ſuis auſpiciis & imperio ſuo rem adminiſtrare decrevit, duplicem ſibi ex ea expeditione triumphum repromittens. Etenim Borbonium ſi viam ad mare Liguſticum, a Romanis in Narbonenſem provinciam ac Hiſpanias iter intendentibus pridem tritam, qua idem Borbonius penetraverat, compendioſiore Seguſienſium Alpium curſu præoccupare feſtinaret, cum omni exercitu intercipi, ac tamquam feram indagine irretitum iri, tum Inſubres incautos, omni prope limite nudatos, quia inde omne quod roboris quodque floris eſſet in exercitu ad peregrinam militiam ab illo avectum fuerat, nullo negotio opprimi, & ad imperium retrahi poſſe exiſtimabat. Quandoquidem quoad Gallicum tumultum pertinebat, contemptim nimis negligebat, & omnem prorſus de illo curam abjecerat. Nam Maſſiliam Rencius Cerites, id oppidum Cere in Etruria, non procul ab Agelinæ antiquiſſimæ urbis ruinis, cum valido Corſorum ac Gallorum præſidio egregie tuebatur. Eſt Maſſilia Narbonenſis, quam aliqui recentiores Viennenſibus attribuere, nobiliſſima Phocenſium Colonia, tribus fer-

Franciſcus rex bellum in Italia renovat.

me oppidi partibus mari cincta, & qua aditum habet a terra loci natura & valle altissima munita, propterea oppugnatu difficillima; & quamvis Borbonius eam tormentis muralibus quateret, tamen ad vim arcendam omni pariter munimentorum, telorum ac machinarum genere ita firmata erat, ut rex desineret esse sollicitus. Accedebat ad præsidium ejus classis regia, quæ ad commeatum & ad auxilia subministranda, circa littus illi præsto erat: reliquam camporum planiciem, quæ ab Australi maris littore recedens in Septentrionem porrigebatur, præruptæ Alpium cautes claudebant. Ipse rex ad Viennam sedebat: est Vienna nunc metropolis, olim Allobrogibus ascripta, & ad Galliam Braccatam pertinens, quam Rhodanus advenis adauctus amnibus, rapida celeritate præterfluit, in mare tandem decimo octavo ab Arelate lapide se exonerans.

Rex ingentes copias colligit.

2. Illic rex autumno in brumam vergente aliquandiu moratus, non tam hosti bellum ostentare aut intentare, quam copias undique cogere, accitis etiam ex Scotia, quæ in extimo ulterioris Britanniæ sita limite, ad aquilonem maxime spectat, auxiliaribus copiis, quorum populos antrophagos, humanæ videlicet carnis estitatores, divus Hieronymus eo loco, quo varios populorum mores percensct & ritus, usque ad sua tempora fuisse refert, & eosdem Romanis imperatoribus fuisse incognitos, quidam neoterici receptæ fidei sunt auctores. Inauctoratus enim novo stipendio dux Albaniæ, quæ in ipsa Scotia est; hanc vero Albaniam antiquæ Britanniæ, cujus est portio, nomen retinere crediderim, qui prius Albion dicebatur, at a quibusdam albis montibus, qui eo tendentibus primum apparent, sed mox tota insula in nomen Britanniæ a Britanno rege transiit. Præterea ex Gallia omnibus heroibus cum suis custodibus viris purpuratis, ad conditum venire jussis, qui plusquam octingenti fuisse creduntur, Sicambrique & Menapii amici trans rhenani, qui in Gherlensium nomen abiere, & ex Helvetiis plures legiones sunt in militiam delectæ, quæ erant in expectatione. Centuriatusque Francopinorum evocatorum magnus numerus. Hi pagani & montani Delphinatus accolæ, in Allobrogibus clientelæ regiæ ascriptitii, immunes ab omni tributo, tantum nomina in militiam dare coguntur. Machinarum vero fusilium, quas plures equis carrucæ multijugis, tantæ molis erant, ægre trahere possent, exquisitissimus fuit apparatus; tantum ad earum usus & globorum ferreorum complosus, regi properanti & celerem ac præcocem victoriam ubi primum in conspectum venisset, sibi de hoste pollicenti, pulveris tormentarii defuit copia; cumque diuturna bella ærarium omne exhausissent, publice & privatim peculatu acerbissimo, ubique sunt pecuniæ imperatæ, compilati sacri flamines, sacris vasis & donariis aureis argenteisque in laminas & nummos conflatis.

Suum de recuperanda Italia consilium aperit.

3. Ubi omnes ad statutam diem convenissent, & jam plusquam sexaginta hominum millia sub signis essent, rex vocatis in consilium proceribus, dissimulatum hactenus consilium palam faciens, Ne existimetis, inquit, viri fortes, ad restinguendum tumultum, quem intra fines nostros excitatum videtis, hæc arma comparata; nec enim res tanti momenti fuit, ut ab imis regni terminis, & ab externis amicis, penitissimisque insulis auxilia cogeremus; nec est hostis adeo potens, aut formidabilis, ut tantis opibus contra perduellem opus sit; nec pro nostra dignitate fuerit, in illum arma induere: quid enim culici cum elephante, aut giganti cum pumilione? quota enim parte virium, vel unius legati nostri virtute, hominis audaciam pertundere facile sit. Longe majora hoc apparatu atque his opibus molimur, & famam nostri nominis, rebus præclare gestis, porro extendere meditamur: nec nos, uti confidimus, frustrabitur opinio. In primis quidem de retrahenda ad imperium Gallia ulteriore, toties a nobis subacta, toties contumaci, ac de exulum Mediolanensium, de nobis optime meritorum restitutione, animo nostro stat sententia. Ea ipsa terra est, quæ præter id quod deductis in eam colonis ab Celtis nostratibus, auctores Gallos habuit, nomen Insubrium & Cisalpinæ Galliæ vetustissimum, adhuc retinet, etiam parentis & soceri nostri LUDOVICI regis, qui a Vicecomitibus maternum ducebat genus, dotali titulo (ut pleri omnes nostis) testamento accedit. Hanc, modo maturemus, parvo admodum negotio nobis vindicabimus: Franciscum Sfortiam omni exercitu nudatum, nil tale metuentem, facile opprimemus, & exercitum temere inde deductum, ac intra nostros limites licentius vagantem, si fauces Ligustici littoris, qua per salebrosas & asperas cautes in provinciam nostram penetravit, a nobis celeriter occupentur, reditu excludemus. Nam cum terra marique nullum ei inde pateat effugium, nisi pennas induat Dedaleas, præsertim cum famem jam sentire cœperit, dubitamus quin in deditionem Borbonius a nobis suo scelere hostis judicatus, in nostram quoque deveniat potestatem, temeritatis suæ pœnas luiturus? Domita autem cum appendicibus Liguribus Insubria, celeri cursu omni Italia peragrata, etiam Campanos Aprutiosque & Samnites, usque ad extremos Apulos, Brutiosque incustoditos, & quos nulla alia ratio in officio continet, quam quod desit, ad quem desciscant, odio præsentis servitii & tyrannidis, necnon recordatione clientelæ nostræ in fidem nostram actutum revocabimus. In obeunda autem hac provincia, de Venetis ac CLEMENTE

» Romano antiſtite, tantum nobis pollicemur, » ut nihil hoſtile ſit timendum. Quamobrem ut » amoliamur a noſtris regnis bellum, in hoſti- » cum moveamus, tot amicos, tot bonos viros » domo exactos, & fidem noſtram ſecutos, in » patrios lares reſtituamus, Inſubria potius » quam Gallia bellum habeat, & quæ ante » hos annos nobis adoleſcentibus parere coa- » cta eſt, ruſſus ultricia arma experiatur. His » auſpiciis ad imperium retrahenda quibus fa- » cta fuerat provincia, vel ſi contra conata ad » ſanitatem redire neget, ſentiat iram noſtram, » ferro & igni vaſtetur. Eia agite, viri fortes, » illuceſcente aurora in hoſtem ducamus, vi- » deatque citius nos adveniſſe, quam moviſſe » credat: vos faciles promptique in mea vota » juſſaque hanc operam fidenter impigreque » regi veſtro, ſemel adhuc nec uſquam alias » Italiam tentaturo, præſtatote.

Cui aſſenſere omnes proceres.

4. In hæc noviſſima verba, ſemel adhuc nec umquam alias ſonantia, quæ prætorianarum cohortium ſagulis, brevi emblemate & patriæ linguæ notis ac figuris, diri fati neſcius, texi mandaverat, & capitis regii apici tegminique innexuerat, cum ſermonem clauſiſſet, omnes reguli & optimates ſummo aſſenſu ac voce faventes, conſilium probavere, & animum regis invictum laudibus in cœlum efferentes, vitamque pro illius gloria miro conſpiratu devovere ſe ſunt atteſtati. Diſceſſum deinde ad ſarcinas componendas & ad curanda corpora, ut ſub primam lucem moturo regi præſto eſſent. Jam vero equitum anteſignanæ acies, per Alpium Cottiarum dorſum in Seguſianos & Tauricos, Sallaciorum gentem, deſcenderant. In his erat Mediolanenſium exulum minime ſpernenda manus, pars Mediolanum pars ad maritimæ oræ fauces, quæ in Liguribus a Monachi arce olim, nunc Rocca-franca, non longe abſunt, intercludendo ab reditu Borbonio properans.

Cymber & Sfortia revocant Borbonium & ſociorum auxilia implorant.

5. Vulgato tam formidabilis agminis adventu perterrefacti, Carolus Limoius Cymber, & Franciſcus Sfortia Borbonium ducem & Aternum heroa, in provincia Narbonenſi, ut diximus, agentes, ſi ab inſidiis hoſtilibus ſalvi eſſe vellent, per curſores rapidiſſimos curſum maturare juſſi erant, ſe præſentibus viribus non fidere, & niſi ocyus jungantur, de utriſque actum videri. Tum miſſis qualibet oratoribus, ſociorum & amicorum præſidia implorare, Venetos finitimos, CLEMENTEM pont. max. populoſque omnes Etruſcos fœderis & officii admonere, quanto in diſcrimine res eſſet oſtendere. Item revocare ad ſigna Johannem Medicem, qui ſtipendia Sfortiana hactenus fecerat, & per eos dies ſalutandi Clementis pont. perneceſſarii & gentilis ſui cauſa Romam ierat, neve in mora eſſet, re urgente, hortari & inſtare. Veneti, ſive quia in pace ſunt ſatis ſuſpicioſi, in bello abunde timidi, in periculis & rebus dubiis cauti, in capeſcendis bellis recraſtinatores, demum pro commodo ſuo potius quam ex officio, aut ſociorum cauſa cuncta metientes, ſive quod a fœdere jam averſi, clam cum Gallo jam ſentirent, ſenatum quidem crebro habere, accerſitiſque undique ordinum militarium ductoribus, belli cum illis conſilia comunicare, delectum habere, ſinceritatem fidæ ſocietatis ſpecietenus oſtentare; cauſari tamen ſe ad induenda ex fœdere non teneri, niſi ſocii ſuas quoque partes implerent, pactaſque copias in communia ducerent caſtra, ac ipſe Cæſar expreſſum in pacis legibus numerum armatorum ſub ſignis haberet: adjectum præterea niſi Franciſcus Sfortia dux Mediolani declararetur, compertum ſe habere non paſſuros ſocios, ut peregrinus poſſeſſor illi principatui ſufficeretur. Borbonius enim aut Ferdinandus Auſtraſienſis imperatoris germanus frater, ambiti, & Cæſar eorum alteri, utri autem incertum, promiſſi honoris ſuſpecti habebantur. Itaque dum de die in diem morarum cauſas innectunt, nec quicquam promovent, niſi quod circa collimitia ſuæ ditionis valida præſidia locabant, quaſi in horas moturi, tergiverſando in dies Cæſarianos duces fruſtra habere, CLEMENTEM vero Romanæ ſedis ſummum ſacerdotem, protinus apparuit laborantibus ſociis minime opitulaturum. Sed in eo ſimulandi & diſſimulandi alia ratio fuit. Nam etſi pro novo hoc motu, ſe commotiorem in Gallos oſtenderet, multaque comminiſceretur quibus ſuam erga Cæſarem optimam voluntatem teſtatam eſſe vellet, ſibi tamen Chriſtianæ religionis antiſtiti, & cunctorum parenti, quia nefas eſſet in utramvis partem inclinare, aut proniorem eſſe, vel arma capere, arbitrum ſe & diſceptatorem potius polliceri quam bellatorem; verum quantum authoritate & majeſtate pontificia profici poſſet, omnia enixurum quo pax inter utroſque eſſet, aut certe rex ab incœpto deterreretur. Vulgo jactatum eſt ab eo tegendorum conſiliorum miro artifice verba datum iri, & mittendis ultro citroque legationibus irritis, in ſpem concordiæ tamdiu rem duci, donec Franciſcus Sfortia Mediolano peſtilentia exinanito, & prope vacuo totoque principatu, populis conſternatis ob virium imbecillitatem penitus exciderat. Hujus alienationis opinionem non parvam fidem fecerunt, haud multo poſt tempore circa regis prætorium in caſtris triduo trinoctioque excitati ignes & militaria tripudia & ſaltationes in argumentum publicæ lætitiæ, tum fuſilium omne genus machinarum altiſoni reboatus, præterea vox regis palam excepta, id fœdus & pacem teſtata. Auxit hanc ſuſpicionem Johannis Medicis, qui apud Clementem pontificem Romæ fuerat, ut diximus, ſubita & inopinata defectio. Nam etſi a Franciſco Sfortia multis beneficiis largiter

Clemens papa.

Et Johannes Medices.

Ab eis deſiciunt Veneti.

ornatus, multis etiam promiſſis oneratus, ad vexilla & ſtipendia prima vocaretur; tamen contempto etiam neceſſitudinis jure, quo Sfortiano materna ſtirpe conjunctus erat, ubi primum Roma abiit, abjurato veteris militiæ ſacramento, ad regem deſcivit, ampliora ſecutus ſtipendia, & in ſacram ſocietatem divi Michaëlis cooptatus, in quam niſi illuſtres viri aſciſcuntur. In eam ſocietatem qui aſciſcuntur, verbis conceptis jurare coguntur, futuros ſe regi periculorum ſocios, neque ullo umquam tempore adverſum arma laturos, amicitiamque perpetuam ſervaturos, ubi etiam uſus tulerit auxilio futuros, in bello præſentes armatoſque in acie ſtaturos. Ad hæc ſtata ſacra, & dies quoſdam ſolemnes, quodam piæ religionis ritu conſtituunt, quibus cunctos intereſſe fas ſit. Huic autem armatorum collegio ſive vivis, ſive mortuis honos habetur. Inſigne hujus militiæ monile eſt aureum, gemma pinſili bacchatum, & croceis liliis intertextum, ornamenti genus, ut exiſtimo, a Romanis ductum, a quibus auxiliares externos torquibus aureis donatos fuiſſe Plinius memorat, cum cives non niſi argenteos acciperent.

Ordo Militaris S. Michaëlis.

6. Adauctus igitur Johannes militiæ & ordinis honeſtamento, magnoque accepto in ſtipendium auro, paulo poſt in caſtra regia cum tribus millibus peditum ſexcentiſque equis tranſiit: verum parum ſecundo omine; quippe qui C. Labieni documento in armis Cæſarianis fortunatior fuerat, quam in Gallicis poſtea extiterit. Sed hunc ipſum eadem futurorum numquam ſatis explorata conjectura fefellit, quæ gentiles ſuos & Etruſcos, Venetorum & Romani antiſtitis conſilia ſecutos, erroribus involverat, dum Gallo ſecunda omnia vana credulitate ominati, temerariam fortunam Dei permiſſu rerum inferiorum vices alternare, & ima ſummis cum in omnibus, tum in bello maxime miſcere minime poſſe arbitrabantur.

Principes civitates præſidio muniunt.

7. Non deſpondere tamen propterea animum Carolus Limoius & ceteri duces: verum cum Franciſco Sfortia raptim ſcripto ubique milite, & non ſolum beneficiariis & amicis, quorum maxime intererat eum rerum ſtatum incolumem eſſe, ad ſe vocatis, ſed etiam & peregre & ab ipſa Germania legionibus equitatuque conductis, & primo quoque tempore adeſſe juſſis, quatuor urbes quæ majoris ponderis in mediterraneis eſſe viderentur, Papiam, Alexandriam Statiellenſem, Laudem Pompeianam & Cremonam valido firmandas ſubſidio aſſumunt; Genuam Liguſtici littoris emporium ac reginam, Antoniolo Adornio duci, qui ſummus in ea civitate magiſtratus, poſt annum MCCCX. ſalutis noſtræ inſtitutus fuit, cum factionis clientelis & externo milite terra marique tuendam credunt: nam Novariam trans Ticinum poſitam, quæ primos impetus hoſtiles exceptura erat, muris & arce ſolo æquatis, ne cui belli ſedes eſſe poſſet, ceteraſque urbes poſitu & induſtria imbecilliores, ac propterea hoſtium injuriis obnoxias, freti ea facilitate recipi poſſe, qua amitterentur, derelictui habuere. Mediolanenſes ab recenti peſtilentia tabidos, populo & alimentis defectos, quoniam ægre defendi poſſent, uti de ſe, quod ex re ſua eſſent, tam duris temporibus ſine fraude & impune ſtatuere liceret, per Hieronymum Moronium, ſumma auctoritate in ea civitate virum, advocata concione permittunt. Parum enim tunc in ipſo duce præſidii eſſe, ſperare tamen propediem affuturas ingentes copias, quibus hoſtes opprimerentur.

Mediolanenſes ad deditionem ſe parant.

8. Tam triſti denuntiatione perterrita civitate, plurimi optimates minime tutos, variante fortuna, ſe domi fore rati, ſolum ſpontaneo exilio verterunt: ceteri ad voluntariam deditionem animum applicantes, regem recordatione ignominiæ ſemel biſque ad Mediolanum acceptæ, male animatum, & infeſto exercitu in ſe moventem, potius deprecandum quam pugnando molliendum rati, protinus ex eis viros præſtantiores, & maxime ſtudio partium regi acceptiores, a ſe decretos oratores, eidem qui quinquageſimo illinc milliario aberat, occurrere jubent, de deditione acturos. Hi dum properant, aliquot civium exulantium equeſtres turmas obvias habuere, quæ data acceptaque ſalute ab illis edoctæ, civitatem ultro in partes regias inclinaſſe, deſiderio & miro ardore viſendorum penatium, antequam fieret deditio, nihil moratæ ſub noctem citato curſu Mediolanum petivere, nihilque de hoſte ſollicitæ, in ſuburbio ſibi pernoctandum ſtatuunt, ut ſub primos lucis radios pacate mœnia ingrederentur. Sed ecce intempeſtæ noctis ſilentio, Alorchonius heros cum expedito equitatu per arcem ingreſſus, ſive explorato, ſive caſu, cognito hoſtium adventu, civibus ad arma vocatis, Cæſarianoque & Sfortiano nominibus fracta voce ingeminatis, & pateſactis continuo portis, in hoſtes ſecuros & ſomno ſepultos impetum faciunt, atque eorum alios trucidat, alios in fugam vertit; utrum autem communiendi arcem, an in illam validiora præſidia & annonam immittendi, an urbis retinendæ conſilio illuc acceſſerit, in medio judicandum relinquo. Nec enim id mihi ſatis exploratum. Perrexit tamen hoc ſucceſſu, arcem præſidiis & alimentis ad longiorem obſidionem perferendam communire, & urbem quavis ratione firmare, populum blandius compellare, amicos hortari, timidos erigere, ſpem propinqui auxilii a Venetis & aliunde dare, dubios firmare, ſuſpectos tum ſupercilio tum minis deterrere, & alios alia ratione in fide continere.

Eorum animos erigit Alorchonius.

9. Interea rex Franciſcus, qui jam cum

ambitioſi exercitus apparatu Italiæ campos calcabat, pernicibus tabellariis re ad ſe delata, uſque adeo in iram excanduit, ut cum Inſubrium legati tumultus illius urbici neſcii, obequitantis regis ad genua procumbentes pacem veniamque depoſcerent, utque urbis bello & peſtilentia afflictæ reliquias in fidem acciperet, data illi præteritorum delictorum conceſſione, urbem ſine exercitu placatus ingrederetur, ac per numen cœleſte regiumque caput, quod illis numinis inſtar eſſet, adjectis lacrymis obteſtarentur, adjicerentque nulla alia ratione propiorem ſe Deo quam parcendo & miſerando futurum. Longe plura pro re & tempore dicturis, & portarum urbanarum claves publice miſſas in deditionis argumentum, junctis & ſupplicibus palmis porrigentibus, ipſe rex concitatior & & minabundus, caperataque fronte ac ſono objurgatorio interceſſit, mediumque ſermonem interpolavit, Irent, irent, inquiens, impoſtores homines & calcitrones, quibus a fronte diverſus longe pectoris eſſet receſſus: nobis ſiquidem ſine veſtris clavibus, vel portarum refractis clauſtris & repagulis, mœnibuſque diſjectis complanatiſque foſſis intra urbem via eſt patefacienda. Reſedit tamen haud multo poſt in eo ille animi fluctus, non ſecus ac ſolet tempeſtas in pelago, ubi venti poſuere, poſteaquam conſtitit, Hiſpanorum inopinato adventu, non tam animi levitate aut pœnitentia publici conſilii, quam imperioſi ducis Alorchonii impulſu, miniſque a vulgo tumultuatum, ac ubi reperit alias recentiores copias a ſe ſubmiſſas, populo nihil contra obnixo aut reluctante, intra urbem irrupiſſe, & hoſtem, prioris contumeliæ reſarcito detrimento, illius poſſeſſione depuliſſe. Nam cum Gallorum equitum validior manus cum Helvetiorum legione eam urbem triduo poſt occupaſſet, plebe neutro inclinante, ac potius veluti in ludicri certaminis theatro ſe ſpectatricem præbente, in hoſtemque impetum feciſſet, media urbe ac utrimque paribus animis certamen fuiſſet, pauci a compluribus oppreſſi, pedem extra mœnia referre multa cæde ſunt coacti; & dum more Parthico pugnantes recedunt, fœde cæduntur, ac intra Marignanum municipium decimo ab illinc lapide compelluntur. Quod ſi Gallus irremiſſo curſu fugientium terga premere perſeveraſſet, profecto non ſolum Marignano loco parum tuto, verum etiam Laude Pompeiana Cæſariani dejecti fuiſſent, graviuſque ad vim hoſtium ſuſtinendam incommodum accepiſſent. Cum enim ea civitas inter Papiam Cremonamque pari ferme intervallo media interjaceat, ea amiſſa, & ademta ad utramvis ultro citroque commeandi libera facultate, res Cæſariana deteriore admodum loco fuiſſet; & Galli ad Cremonam aliis caſtris oppugnandam ſibi iter aperuiſſent.

Galli Mediolanum capiunt.

10. Nondum iſta agi cœperant, tantumque regius adventus magna Inſubrium trepidatione vulgatus fuerat, eratque in expectatione; ſed interim CAROLUS BORBONIUS dux, quem Maſſiliam oppugnare & machinis æneis quatere, ac reliquam Narbonenſem oram, qua in Delphinatum Allobrogum partem vergit, infeſtare diximus, nulla adhuc arce aut oppido munitiore capto, magno quidem conatu, ſed nulla memorabili re geſta, in brumam inciderat, quam exaſperare incipiebant nives, tum vicinis rupibus juges & perpetuæ, tum recentiores, quæ ſibi exercituique, hoſte undique cingente, commeatus & pabuli, ſive ſub tabernaculis ſive ſub pellibus hyemandum eſſet, difficultatem facturæ videbantur. Hunc itaque novarum rerum inter ſuos Gallos, ſua præſentia concitandarum, ſpe minime votis reſpondente, & diutina a Cæſare qui in Cantabris agebat, auxiliorum expectatione fruſtratum, & ſecum reputantem quam lenta eſſet urbium oppugnatio, quam incerta expugnatio, cum animi dubium & anxium haberet cogitatio, tum vero gravior torſit cura, ubi quid in Inſubres, quid in ſe moliretur rex, per tabellarios accepit; demum quantum ſibi & exercitui, quantum ſociis periculi immineret, ſi rex Liguſticas Alpium anguſtias occupaſſet, animo curioſius revolvens, recipiendi ſe & regios conatus prævertendi, ut in extrema neceſſitate fieri ſolet, ſubitum & ſalutare cepit conſilium, quod in ſumma celeritate poſitum erat: proinde nullo profectionis ſigno propoſito, nec claſſico præcinente, ſed ne conclamatis quidem pro more vaſis, quam occultiſſime potuit, tantum ductoribus, tribunis ac primipilaribus quid pararet edoctis, per quos ceteri ad condictum venirent, de media nocte per confragoſos calles, & exciſo ſaxo, pridem manu factos, qua Torbia vicus olim Helii Pertinacis Cæſaris patria, ſola viarum aſperitate notiſſimus, eſt relicta dextrorſum Nicia Maſſilienſium colonia, ac ab Intimilio, cui nunc Ventimilio inverſis litteris nomen, iter Italiam verſus arripuit; quæ quidem loca cuique expedito viatori, ſive equiti ſive pediti tranſitu aſpera & vix pervia ſunt. Non lixa, non tormenta ænea, non impedimenta, aut ſarcinæ graviores ſequebantur; verum interdiu & noctu, maximis itineribus, nullo ad quietem dato otio, niſi quantum ad curanda corpora jumentorum & ad levandam inediam, excomportatis ſecum modicis alimentis, ſuppeteret, biduo, quod vix ad poſteros fidem faciat, millia paſſuum ſeptuaginta quinque per tam ſilveſtres ſaltus armato milite emenſus eſt, nec ante ſubſtitit, quam in campis patentibus, trans Padum ſtrigoſiſſimos equos exercitumque labore, vigilia, frigore fameque confectum reduces ſtatueret; tum vero quaſi ex conflictatione & jactatione

Carolus Borbonius, nulla re memorabili geſta, in Italiam ſe recipit.

ſtatione maritima portum tenuiſſet carina, dato defeſſis militibus & equis ad refectionem biduo, junctis viribus cum ſociis Laudem Pompeianam conceſſit, illicque communicato cum ceteris principibus conſilio, ad Alexandriam præſidia quæ ſufficere viderentur ſunt miſſa; ſed longe majora Papiam, in quam omnis belli moles intendi formidabatur.

10. Hujus urbis defendendæ Antonio Levæ impigro & raræ fidei ac fortitudinis viro, cum ſex ad ſummum peditum millibus, cataphractis ducentis, & totidem levioris armaturæ equitibus cura demandatur; quæ copiæ ad tolerandam obſidionem, inita ratione alimentorum ibidem recognitorum & aliunde invectorum, plures menſes ſufficere poſſe viderentur. Franciſcus Sfortia cum non admodum multa manu Cremonam quæ plus periculo aberat ſiſtitur, ipſi duces Carolus Limoius Cymber & alter Carolus Borbonius, ac Ferdinandus Davolus Piſcarius cum reliquo exercitu, deſedere apud Laudem, non ante illinc in hoſtem moturi, quam aut a ſociis, quamvis verba dantibus, aut a Germania ſupplementa militiæ applicuiſſent, quamquam illi quotidianis incurſibus & ex occaſione hoſtem laceſſere, ac vario nonnumquam, ſæpius tamen proſpero eventu, pugnare non deſtiterint.

Franciſcus rex Mediolanum venit.

11. Diſrumpi interim rex, & iræ impotentia fremere, ſeque ac ſuorum ignaviam fugillare carpereque, quod tantam prædam, quantam de intercipiendo Borbonio animo conceperat, e manibus ſuis labi paſſus eſſet; qui per ſubalpinas gentes, quæ Pedemontanæ dicuntur, & Saluciorum declivia, longe breviore via, anguſtias illas Liguſticas ante capere potuerit, horarum quatuor aut quinque ad plurimum interſtitio, ante ab hoſte occupatas, quam ſui eas tenere potuerint, non intermiſſo tamen propterea inſtituto itinere, quod Mediolanum verſus intendebat. Novaria movens, cum omnem exercitum pontibus Ticino amni ſupra navium foros inſtratis trajeciſſet, mox ſtructo agmine terrificoque apparatu, urbi Mediolanenſi duobus caſtris ſucceſſit, magnamque populo illi ſollicitudinem injecit, ne irati & furentis regis in prædam abiret. Prodire tamen obviam omnis multitudo quorumcumque ordinum & ætatum, ſacriſque omnibus prælatis ac ſacerdotibus, thiara veſteque ſumtis, quibus ad aras ſolemni die ſupplicari mos eſt, ſqualleus ſupplexque manibus cancellatim junctis, regiam fidem implorare, veniam comprecari, nunc fauſtis acclamationibus blandiri, nullo non honoris aut officii genere adhibito: rex vultu in hilaritatem compoſito, pacatioris animi ſpem præferre, & dedititios in fidem ſe accipere fronte amica teſtari, & quod innuerat quamdiu Mediolani fuit præſtare. Verum biduo poſtquam venerat, in expeditionem Papienſem profecto, nec arce quidem tentata, relicto ad cuſtodiam urbis Tramoio duce, & appendicibus reſtitutorum exulum Mediolanenſium turmis, præſidiarii milites, civium hoſpitalibus domibus intemperantius uſi, omnia pro libidine commiſcere, regnare licentius in contuberniis, & quidquid domi, quidquid in tabernis meritoriis de mercimoniis fuerat, non ſine contagii peſtilentis nondum prorſus ſopiti diſcrimine rapere, diſtrahere, tum minis & blanditiis & quavis ratione ad muliebris pudoris ludibrium aſpirare, donec cum Gallis ab his qui cum Italici nominis præſidio ibidem pro rege ſtabant, ſæpius tumultuarum eſt; quippe qui indignitatem protervientis Galli ferre æquis animis non poterant: nec res ab certamine & ſeditione longius fuit, & rex ipſe ſuorum nequitiam deteſtatus, amovendos illinc duces & milites ejus rei auctores ſtatuit. Hæc privatim; ſed publicitus mulctæ nomine grave & immodicum auri pondus imperatum, quo perduellionis & defectionis crimen diluerent, & captivitatem auro redimerent: tum vero ingemiſcere omnes & liberius queri, ſe non ſolum intolerabili tributi onere gravari, ſed ne quotæ quidem imperatæ pecuniæ parti ſuppetere poſſe, enervatam ſuperioribus bellis & aſſiduis exactionibus emunctam civitatem, vix effeto corpore ſpiritum ducere, defraudatamque eo anno inaratæ & incultæ glebæ frugibus agricolarum interitu eſurire, mercatorum induſtriam quibus ſellularii opifices, genus hominum negotioſum, diutina mercede & ſtipe victitabant, intercidiſſe, miſeris popularibus a quibus peratur, potius opem inferendam eſſe; quin potius ad vectigalia & portoria licitanda animum adverterent. & a redemtoribus eam pecuniarum ſummam reciperent, repræſentarent publicani argentum, quod in tempus coacturi eſſent, ſi præſenti pecunia regi opus eſt, quæ ab exhauſto populo ne in annum quidem exigi valebat. Sed his querelis nihil poteſt proficere. Nam regii quæſtores hiſce vocibus magis ac magis exaſperati, acrius inſiſtebant, contumacemque multitudinem increpabant, quæ nuper tyranno impotentius dominanti, tamquam vile mancipium addicta paruerit, peregrinique militis Gaditani Germanique patriæ incumbentis, latera diſtenderit, voluntarioque tributo ditaverit, in tributum ære perſoluto, regi amico, a quo ſubactæ urbis otium & ſalus dependeat, longe leviorem largitionem negare tunc audebat. Non eſt, inquiunt, hæc inopia, ſed pervicacia & avaritia, atque quædam in regem mala mens, malus animus, ac invidentia, proinde deſinerent cauſando juſſa detrectare, ac ocius argenti depromendi digitatimque numerandi rationem inirent, niſi infortunium & extrema quæque pati, ac animi rebellis pœnas

pendere mallent. Hac verborum acerbitate perterriti multi, præſertim nummatiores, clam patria cedentes, cum neceſſitudinibus opibuſque quas commode efferre poſſent, inanes patrios lares, in Gallorum reliquere poteſtatem, alii ſervitutem morte potiorem ducentes, ineluctabilem accepere conditionem. Itaque cenſu per capita & diſtributim habito, implacabiliter exigi cœptæ ſunt pecuniæ, nec cujuſquam parſum eſt inopiæ, bonorum auctiones palam fieri, domos & prædia proſcribi, ſubhaſtari & venalia cuncta eſſe, ſi habuiſſent emptorem. Itaque multatitia pecunia immaniter exacta, grande æs conflatum fuit.

Franciſcus rex caſtra ponit ante Papiam.

13. Rex Mediolano digreſſus, biduoque ad Lardiragum, vicum incolis frequens, via militari qua Papiam iter eſt, immoratus, ubi ad cœnobium Cartuſienſe, quinto ab Papia lapide, ſtructo agmine perveniſſet, legiones equitatumque, qui caſtris locum optarent, urbemque obſidione vallarent, præmiſit. Helvetiis apud divi Jacobi & Sancti-Spiritus templa domoſque, exturbatis inde ſoccarum ſalignarum Minoritanis profeſſoribus ac Benedicti familia ſacra, tabernacula fuere. Albaniæ duci, qui Scotias moderabatur cohortes, & Paliciæ heroi regiæ militiæ magiſtro, quem Galli mareſcallum dicunt, apud eremiticam apoſtoli Pauli ædem, & cœnobium divi Appollinaris Prædicatorii inſtituti, quæ loca in ortum vergunt ſedes obtigit. Sub Septentrionem ad Mirabellum, atrium potiuſque caſtellum, principum olim ſeceſſum, & alium pagum duobus ab urbe millibus paſſuum, intra Trateriophilon, ſeu leporarium ſeptum, quod duodecim millibus paſſuum muro, uſque ad urbis mœnia in quadrangulum cingitur, Galeacius Sanſeverinius cum delecto cataphractorum agmine, Gallicoque ac Aquitano peditatu tetendit, nec procul hinc in occiduum latus, cum in ſpatioſis divi Lanfranci domibus, rex regiam ſedem poſuiſſet, & vexilla ibidem fixa eſſent cum prætorianis cohortibus, ac Navarræ rex quamplurimique purpurati, uſque ad Ticini amnis proripium, ubi paulo poſt pons tabulatus fuit navibus ſubſtratus, aliquot aliis perennibus aquis cingentibus caſtra, & Ticinum confluentibus circumſtetiſſent, populo Papienſi ex editioribus ſpeculis, turritaque urbe pendentibus, terrificum ſimul ac viſu mirabile præbuere ſpectaculum. Tantam enim in illis caſtris rerum opumque affluentia, nitor conſpicuus apparuit, ut principes ac equeſtris militiæ viri innumeri, oſtro auroque ac ambitioſiore veſtium luxu, ſpecioſa varietate magis quam armis fulgentes, tum mercium pretioſarum ſupellex, meritoriis expoſita tabernis, præterea cupediarum eſculentorumque ad omnes palati illecebras nundinæ, ampliſſimam complexæ aream, formoſiſſimæ ac opulentiſſimæ civitatis, media pace fruentis, imaginem repræſentarent. In adverſa urbis parte e regione prætorii ad ſacri ſepulchri delubra ſtationem habens Lotheringius dux, cum ſuis popularibus Leucis (Lorreni hi ſunt inter Celtas, non procul ab Araris fonte, Sequanis contermini) caſtrorum brachia uſque ad Ticini marginem porrigebat, ſed cum villæ ac tabernacula quaquaverſum, tanto exercitui ad incolatum non ſuppeterent, quamplûrimis viris egregiis nec vulgaris fortunæ neceſſe fuit in tuguriis ſtramento contectis, per male ſartas rimas penetrabilis boreæ ſpiritum excipere, nonnullis aliis arborum ramis, & vitium lentis brachiis ſuperne ac per latera viminibus & ceſpite caſas contexere, a ſeque atque equis ſubdivalem arcere rigorem. Nam apud Gallos rarus eſt in caſtris tentoriorum aut pellium uſus, atqui Francopini Allobroges, qui circa vallum & foſſas urbi circumductas, in concubiis locati, vix tantum ab urbe diſtantes, quantum ab tormentorum ictibus fuſi eſſe poſſent, genus alioquin hominum gelu & patriis algoribus induratum, ubi ſubterraneos ſpecus in fornices excavaſſent, ac tibicine fulciſſent, velut in terrarum luſtris, recubantes a brumali quidem ſidere tuti erant, attamen in feculento ſolo colluctabantur, quo factum eſt, ut tabo languentibus membris, genis tibiiſque tumentibus luridi, tamquam putrida ac vitio corrupta poma, non multo poſt decíderent, pluresque morbo quam ferro conciderent. Itaque undique circumvallatam urbem, & obſidione cinctam videre erat, niſi quatenus Ticinus amnis ad meridiem urbi adlabens, longo quidem tractu, ſed anguſto ſpatio ab illa ita recedebat, ut nemini ſine certa pernicie illac tranſire, aut impune fidere liceret, & pons quadrati lapidis ſtructura, amni impoſitus, adhuc in oppidanorum erat poteſtate, nec niſi ab ulteriori ripa intercipi poterat. Idcirco ad Tranſticinenſem pontis marginem marchio Saluciorum & Nemorenſis heros, ac Federicus Gonzaga Bozulus, ſtipendia pridem regia facientes, & bello ſtrenui, caſtra metati fuerant, pro imperio regio ad pugnam intenti.

Oppidanos ad deditionem citat.

14. Sed rex civitatem eam extremum ſalutis ſuæ articulum, ambiguæ fortunæ non commiſſuram ratus, ſub ipſa caſtra metandi initia, de deditione cum obſeſſis prius agendum putavit, quam vim moliretur. Eapropter ſub finem Octobris, miſſus fecialis, heraldum vocant barbari, cyanei coloris pallium, liliis aureis intextum amictus, præeunte tubicine pro muris ſtans, pandi portas mandabat, habere ſe ad ſenatum & decuriones civitatis regia mandata. Ubi neminem prodire, ne muris quidem caput exertare, ac ſilentium quaſi in ſolitudine miratur, aliquandiu immoratus, fruſtraque omnino habitus, pedem referre coactus eſt. Rex eo

graviter increpito, quaſi confeſſione formidinis muris ſe inſinuare noluiſſet, accerſitos ad ſe quoſcumque caſtrenſes tubicines, jubet horriſono lituorum clangore circa mœnia & portas obſtrepi, citari oppidanos excidiumque intentari, niſi adapertis portis dicto parentes eſſent. Rurſus ſilentium & ſolitudo in muris, & ad ſurdas aures inaneſque auras jactata verba, & minæ. Caverat enim Antonius Leva, cui erat ejus urbis credita cura, imperiumque in milites, vir apprime callidus, regios nuntios, quos urbi ſucceſſuros non dubitabat, ea tacita repulſa ludibrio habere, ne plebs ampulloſis eorum minis, ſi admitterentur, perterrefacta labaret, ac nova iniret conſilia. Protinus autem ad ſuſtinendam propulſandamque obſidionem animum accuratius admovens, quod primum obſeſſis urbibus remedium præſidiumque eſſe conſuevit, tribunos militum, primipilos, equitumque præfectos ad fortia facta accendens, ad quæcumque difficillima ſe ducem & anteſignanum, ſe laborum ſocium, & quorumcumque caſuum comitem polliceri, cives publice privatimque, perhumaniter ac fronte ſerena ſpem pollicente, compellare, dubios confirmare, hortarique uti obſidionem quam fortiſſime tolerent, neve animo concidant, arma, tela, tormenta, defenſores, commeatus ad id affatim ſuppetere: tum Gallorum res verbis attenuare, & maledicta in eos congerere; illos quidem primo impetu pluſquam viros, ſenſim tamen flacceſcere, & tamquam nives ad ſolis radios laboris impatientia liqueſcere, ac ut ſemiviros muliebriter mollitudine diffluere: ſibi ſatis compertum, non hiemis adoleſcentis ſævitiam, non vigilias ſubdivales, homines delicioſos, umbris, tectis & poculis aſſuetos, diutius perlaturos; præterea præſentia ſubſidia cœlotenus efferre, quæ Gallorum ſuperbiam ac genus inviſum omnibus certaminibus fregerit, peiſumdederit. Adeſſe & propinqua auxilia & propediem alia validiora affutura a fœderatis, a Germanis, & aliunde, quorum trucem aſpectum ſine clade ſuſtinere hoſtes nequeant: proinde fiderent, eſſent bono animo; ſua mœnia, templa, aras, lares patrios, parentes, conjuges, cara pignora, neceſſitudines, muliebrem pudorem, & fortunas omnes ſecum tueri auderent. Ab hac concione urbem colluſtrans, muros urbis, ſuperioribus bellis apertos & diſjectos reſtituere pro ſummo negotio habuit. Ubi viſum eſt expedire glebam aggeſtitiam, ruderemque tignis ac materia peritiſſime affabreque in propugnacula clatherabat, foſſas extrinſecus purgabat, introrſum foſſoribus, calonibus, popularibus, etiam legionario milite, necnon infirmioris ſexus primariis feminis ultro adminiculantibus, nec humeris nec vertice quæque onera detrectantibus, novas ducebat foſſas, erutamque terram in alia munimenta excitabat, dolia limo ac lapide conferta hoſti tormentiſque opponebat, ſaxa item manualia, molariaque quæ in ſubjectos hoſtes devolveret parabat, adjecti his malleoli piceati, & tormentario pulvere referti, qui ad jaculandum in promtu eſſent: denique per turres, per pinnas murorum in orbem manipulatim milites diſpoſiti; neve a cuſtodia abeundi neceſſitas cuique injiceretur, niſi quatenus in teſſeram mutanda eſſent concubia, quotidianam annonam, & ſportulas diſtributim per ſtationes conferri ſtudioſiſſime cavit.

Ad faciendam obſidionem parat Antonius Leva.

15. Dum hæc intus curioſius adminiſtrantur, Nemorenſius heros, qui in Tranſticinenſi regione cum ſuis cohortibus tendebat, primam invadendæ civitatis provinciam ſortitus, ad diem v. calendarum Novembrium, cum legione pontem lapideum Ticino impoſitum, magna vi aggreditur, ac dejecto cum cæde Germanorum præſidio, illum violentius occupat, nec ante fugientium hoſtium terga premere deſtitit, quam ad mœnia procedens, etiam ſcalis in muros ſuccedere, & portam excindere tentaret. Tum vero ab obſeſſis patefacta porta, duæ Germanorum cohortes, & equeſtris turma teſtudine facta, in brevi illa area ſabuloſa, quæ flumen interjacet & urbem, e veſtigio manum conſerit, & ingentem hoſtium ſtragem edit, nec prius trucidandi modum fecit, quam cædis materia defuit, hoſte ſe in ſua caſtra recipiente. Cecidit in eo conflictu lethali vulnere Antonii Levæ ſignifer, dum inter primos audacius quam cautius ſe infert. Non imperterritus heſterna clade Nemorenſius, adjuncto ſibi Federico Gonzaga, poſtridie ejus diei prima luce ponte eodem Germanos rurſus non ſine cæde ſubmovet, tum machinis miræ molis, quæ pone trahebantur, in fronte locatis, crebris compoſitis parvo negotio pontem ſuæ poteſtatis fecit. Tum Antonius adhibitis in conſilium Germanis viris ingenioſis, per noctem a medio fluminis alveo, non tam malleis dolabris & arietinis concuſſibus, quam quadam ignita materia & reconditæ artis induſtria, pontem ipſum ac ſtructuram fornicis laxavit, atque in momento diduxit, quo neutri pervius eſſe poſſet.

Nemorenſius dux pontem occupat, quē hoſtes deſtruūt hoſtes.

16. Perindie, cum diſciſſo ponte, illinc invadendæ urbis eſſet adempta facultas, ut urbem inedia fatigarent, ad fluviales moletrinas diſjiciendas, quibus in eam diem civitas pinſandis frugibus uſa fuerat, converſi, pars metas confringere frumentarias, pars domos ipſas molendinarias, ad anchoras in flumine ſtantes, undis ſubmergere & obruere, pars immiſſis incendiariis telis flammis abſumere. Verum Antonius carpentariorum celeri & frequenti opera, alias moletrinas tum truſatiles, tum aſinarias media urbe, tum aquaticas in rivo perenni, qui

Moletrinas diſjicit.

per urbem fluit, ad id opus tanta celeritate erexit, ut nihil ex recenti jactura ad panificium derractum videretur.

Turrim obtinet.

17. Erat turris non procul a mœnibus, Ticino imminens: ex hac Iberi ſcloporum majorum ictibus Gallos per tranſverſum a mœnibus arcebant, magnoque incommodo hoſtes afficiebant. Cum hæc ab hoſte admotis in eam machinis graviter pulſata fuiſſet, in eoque jam eſſet, uti pilis diſcuſſa ferreis, procumberet, Hiſpanos deprecata ab hoſte ſalute ad deditionem compulit. Sed ingentis *ſpiritus duo juvenes Iberi, qui in ſumma turri* erant, ne ſe Gallo crederent, præcipites in amnem deſiluere, & ad cohortem ſuam incolumes ſe recepere. At ii qui de ſalute pepigerant, ſuſpendio ad unum inclementius ſunt necati, non ſine magna Nemorenſii ducis invidia. Cum hæc injuria Antonii Levæ pectori altius inſediſſet, diſſimulavit ille quidem, ſed cum ea ipſa turris haud multo poſt ſe annitente gravioris machinæ fulmineis ictibus quaſſata concidiſſet, ultorem adegit Antonium ut pari viciſſitudine de captis in illa Gallis Hiſpanorum manibus parentaret.

Galli diſjectis muris urbem adoriuntur.

18. At cum ab ea fluminis parte, urbem quamvis foſſa carentem, integris mœnibus expugnaru difficilem viderent Galli; nec ſolum irritos verum etiam noxios ſibi conatus, ac ſociorum ſanguine conſtare, alia via tentandum rati, primum omnium ponte ſuper navium foris contabulato, flumen jungunt, non magis ad commeatus importandos, quam ad copias pro re & tempore qualibet trajiciendos. Dein ad ortum & occaſum ſolis urbis mœnibus complures machinas propius ad jactum admovent, ac quinque dierum noctiumque aſſiduis repercuſſibus quam altiſſimo ſpatio magnam utrimque murorum ruinam fecere, ita ut ab eis jam permeabilis videretur, & æquata planicie pateret irruptio. Civitas tanto fragore ac ruina haud ſecus territa, quam ſi tota ab imis ſedibus excita jaceret, noviſſimum ſibi & patriæ fatalem diem adveniſſe formidabat. Diſcurſare paſſim per delubra, & ſacras Deiparæ Virginis deorumque omnium aras, infirmior ætas & ſexus plangere, pectora tendere, ac paſſis crinibus votis ſe damnare & ſuppliciis, veniam opemque lachrymando poſcere. Tum matresfamilias liberos in conſpectu militum patrumque ac civium proferre, illos, ut ab injuriis & truculentia hoſtium tuerentur, orare obteſtarique, uti patriæ difficillimo tempore præſtantiſſimis animis viribuſque ſuccurrerent, & in ſuis lacertis virtuteque ſalutem omnium ſitam reminiſcerentur, extrema denique pericula a ſe propulſarent. Leniter imbellis turbæ & anguſti animi caſtigata formidine, duces, milites, cives, omnis ætas, ordo, ſexus miro conſenſu reparandis mœnibus intenti, contra ruinas alias introrſum foſſas ducere, tum firmiora erigere munimenta, trabes ab ipſis domibus revulſas paribus intervallis in longitudinem revinctas, ac luto inſitas, aggere veſtire, ſaxiſque ne ſe tantum attingerent fulcire, deſuper pari interſtitio ſimilis texturæ ordinem coagmentare, donec juſta propugnaculi altitudo conſtaret; tum vias cæcas in obliquum cavare, unde in hoſtem inſidioſus incurſus, & recurſus eſſet, ut ſi forte in ſummum evaſiſſet & deſcenſu æquiora tenuiſſet, in inſidias ſe præcipitatum ac circumventum agnoſceret. Hoc cum in ſpeciem varietatemque opus deforme non eſt, tam ad utilitatem & defenſionem urbium ſummam habet opportunitatem, quod & quotidiana exempla & tunc res ipſa docuit: Galli quippe quod extrinſecus demolitis mœnibus, eis facilis videretur aſcenſus, primum ad orientem qua muri corruerant, inſtar alitum cuneatim ſubiere: cum per ruinas intra urbem evaſiſſent, hoſtes non ſolum obvios, verum etiam habuere circumfuſos, qui ſimul congreſſi quaſi ſtatariam pugnam edidere. Acriter certe utrimque pugnatum eſt, & duo Gallorum ſigniferi in vallo jam duo vexilla affixerant, hos ferentarii ſecuti, uſque ad ſigna ſuccedentes, circumveniuntur, & ſe more feræ irretitos ſero advertentes, ſaxis, ferro, ſclopetariis glandibus, partim in veſtigio conficiuntur, partim in exteriores foſſas devolvuntur in caput, convulſa ſigna diſcerptaque pedibus contemptibiliter proteruntur. Fervebat nihilominus pugna, aliiſque ſuccedentibus majore vi res agebatur, oppidanorum aliquot cæſi ceteros ita detertuerant, ut ſe ſubducere non erubeſcerent. Tum vero Germanorum Hiſpanorumque centuriones, quanto in diſcrimine res eſſet conſpicati, fuga ſuorum repreſſa, increpataque ignavia, & ipſi majore impetu in hoſtem delati, hoſtium alios obtruncant, alios pariter ad ima detruſos affligunt. Venit in magnam partem ejus gloriæ Franciſcus Malaſpina marchio Scaldaſolis, *qui civium & clientium ſtipatus cuneis*, ſtrenueque pugnans, egregiam patriæ operam navavit. Periere in eo conflictu Germanorum XII.

Cum magna ſuorum cæde.

Galli alia ex parte inſulti facientes repelluntur.

19. Necdum pugnata hac pugna, nec-dum hoc loco profligato hoſte, ad occiduam partem, qua murus duobus locis late procubuerat, acrius & gravius exarſit certamen, quo rex ipſe quantum ab miſſilium jactu tutus eſſe poſſet; propius ſpectator acceſſerat, ac virtutis cujuſque aut ignaviæ teſtis. Prima acies ſclopetariorum, compoſis in hoſtem plumbeis pilis, ita caligine & nube pulveris tormentarii aciem oculorum perſtrinxerat, ut noctem crederes: appropinquans interim mœnibus haſtatorum valida manus, acre ciere bellum, & intra munimenta curſu irruens, interiora urbis irrumpere nitebatur. Excepere Gallorum impetum Germanæ Hiſ-

panæque phalanges, & ſe inter primos ſtatuere ipſi primipilares, & cum eis Matheus Beccaria, vir patricius, & magna indole eques Papienſis, cum Bartholomæo Euſtachio & civium delecta manu. Aderat hortator Antonius Leva, ſuæ quemque virtutis admonens: Eum eſſe hoſtem quem toties viciſſent, olim cum eo de gloria tantum, nunc de gloria, de vita, de ſumma rerum certari; aut vincendum, aut honeſte cadendum, nil in medio relinqui, nec effugio locum dari, ſi hoſtis eruperit. Tum vero facta impreſſione in hoſtem, certatim eſt concurſum, nec cædendi hoſtis ullus fuit modus, nec quiſquam impune ſubiiſſe ſe gloriari potuit; alii enim dum reflexo curſu ſe evaſiſſe putant, ſcloporum glandibus obnoxii cæduntur, & ab hac parte deſiderati ſunt ſeptem Germani, tres Iberi: ex Gallis vero in utraque mœnium oppugnatione plures quam trecenti, & in his prætorianæ cohortis ſignifer, & Marcus Antonius Cuſanus, patricius Mediolanenſis, qui ſecutus arma regia, infeliciter in patriam qua exulaverat, redierat.

20. Repulſis uno die duobus locis cum ignominia Gallis, publice privatimque Deo optimo & diis tutelaribus penatibuſque habitæ gratiæ, & aræ omnes honoribus cumulatæ, decretis per urbem in triduum ſupplicationibus, exultare Cæſarianus miles, tripudiare ſuo more Germanus, & militari carmine victoriam celebrare, hoſtem contemptui habere, convivari, potare, ſymbola certatim dare, excipiuntur primum omnes legati Cæſariani, ordinumque ductores ſplendidioris menſæ apparatu, quantum obſeſſæ urbis tenuitas polliceri poſſet, largius quidem præbito mero, jam dudum in penu recondito, a Mattheo Beccharia: dein viciſſim genialibus cœnis inter ſe decertabant, vinci lautitia unuſquiſque turpe putantes. Ita exhilaratis animis, populus pariter, curarum parte levatus, in ſpem melioris fortunæ erigebatur, ut jam plus fiduciæ in virtute præſidiorum reponerent, quam antea metu hoſtium concidiſſent. Sed quoniam, ſicut nauta recenti turbine jactatus, etiam poſt tempeſtatem non poteſt non tepidare metu naufragii quamdiu vela facit, fluctibus enim ac lenitati ventorum quis fidat? ita licet præſenti ſucceſſu læta civitas, non poterat metu vacua eſſe, ex reſiduo præteriti diſcriminis, aut futurorum dubitatione non ſuſpendi.

Rex Ticinum amnẽ aliorſum fruſtra conatur derivare.

21. Increbuerat enim conſtans fama, regem minime pugna adverſa perterritum, operoſo molimine, quod nemo ante ſe tentaſſet, Ticinum amnem a mœnibus Papiæ avertere velle, & nova foſſa in Gravalonum fluvium, inter Padum Ticinumque aliquanta intercapedine labentem, ac deinde infra Papiam Ticino junctum, & in Padum ſimul confluentem derivare, ut poſtea urbem ab ea parte nullis foſſis munitam, liberiore ſpatio ac ſicco veſtigio aggrederetur. Perſuaſus enim a ſuis fuerat, urbem expugnatu facilem poſtea fore. Eam ob rem innumera operariorum multitudine utrumque fluminis labrum, trabium arborumque multiplici materia, necnon linteis ceratis ac viminibus, foſſitiam humum in maceriam ferruminare, veterique alveo obſtruſo, dextrorſum in effoſſam lacunam omnem aquarum molem corrivare, diu multumque conatus eſt. Verum poſt irritos labores, vim naturæ inferri non poſſe ſero deprehendit. Nam cum fluviales aquæ in altiorem foveam ſuſpendi non poſſent, pronioris alvei veterem curſum, contra virium humanarum injuriam tenuere, infelicioris quidem ipſius regis, quam Semiramidis Aſſyriæ eventu, quæ violentum amnem Euphratem pluribus diverticulis, & lacunis diduxerit, donec ad imperium ejus arbitriumque reſideret; aut Cyri Perſarum regis, qui Gyndem Aſſyriorum amnem trecentis & quinquaginta rivis ita attenuavit, ut a muliere vadari poſſet.

Papienſes de longiori obſidione ſuſtinenda quaſi deſperant.

22. Injecerat tamen hic conatus non mediocrem ſollicitudinem plebi Papienſi, adeoque cum mercenario milite ad foſſam, ab eadem fluminis parte latiſſimam intus excitandam, arduoſque aggeres erigendos, ac firmanda omni munimine mœnia. Accedebantque in dies recentiores timendi cauſæ; apparebat ſiquidem ad machinarum uſum, tormentarium pulverem deeſſe, annonam fieri quotidie anguſtiorem, nec ad longiorem obſidionem ſuffecturam, ſuillæ carnis ad ſolem duratæ, & caſei majorem quidem copiam, ſed pro altilibus pecuariiſque ac armentariis obſoniis, equinam & aſininam carnem venire, ligna in urbe aut nulla aut admodum pauca ad ignem, algere militem hyeme jam adulta brevi ſagulo præcinctum, nec lignandi rationem aliunde quam ex contignationibus dirutarum domuum conſtare, ante omnia vini ſportulam parcius diſtribui cœptam, avidæ nationis impatientiam excitare: præterea ſtipendia poſt proſperam dimicationem ac veſtem importunius poſtulatam non dari, inopia ærarii. Ita gliſcenti jam ſeditioni vires ſubminiſtrari, tum vero tanta pabuli inopia fuit in urbe, ut ex aridis foliis arborum, & teneris arundinum radicibus ac vitibus minutim conſciſſis, equi etiam bellatores paſcerentur.

Eorum animos erigit Lodonius.

23. His difficultatibus ductores tribunique militum anxii, quid conſilii caperent non inveniebant. Tandem cum nulla remedia apparerent, omnes & in primis Baptiſta Lodonius obviam ire tumultibus, blandius ſuos contribules Germanos affari, delinire, adhortari, orare: Durarent, & hujuſmodi labores obſidionales in parvam temporis uſuram tolerarent, probari duris virtutem & fidem, hoc patriæ, hoc gloriæ numquam interitu-

ræ, hoc Cæſari, qui etiam gratiam cum fœnore repenſurus eſſet accuratiſſimam, conſtantes volenteſque præſtarent, futurum ut aliquando juvaret meminiſſe, & de ſua virtute gloriari Germanorum præſidia; jam ex Tridentinis ſaltibus patentes Veronenſium campos tenere, accelerareque iter, quantum per tormenta ænea quæ traherent liceret, illa propediem obſidionem ſolutura; hoſtem recenti pugna victum, fruſtratumque ſpe derivandi fluminis, ingruentem ſuis cervicibus tempeſtatem non expectaturum aut toleraturum, vel ſi perferre audeat, ſupremo ſupplicio illi ſtaturam temeritatem.

Antonius Leva Cæſarianos monet de urbis anguſtiis.

24. Sed quamvis hac oratione placatis animis, omnes ad officium rediiſſent, non ſecus ac ſolet torrens nimio imbrium caſu extra ripam exultans, tandem intra ſuos limites reſidere, iidemque ad omnia belli munia promtiores quam antea operam præſtarent, tamen non negligendam cauſam fideliſſimæ legionis, nec juſtas querelas poſthabendas eſſe ratus Antonius Leva, cum in eorum virtute civitatis ſalus poſita eſſet, primum omnium Cæſarianos duces, qui Laude divertebant, per occultiſſimum nuntium admonendos cenſuit, quo loco res Papienſis eſſet: abactos quidem ab mœnibus hoſtes, nec a vi eorum timeri; ſed quamdiu obſidione vallentur, timendi cauſas non defuturas, nec quemque ægrotum quamdiu ægrotet certam ſibi ſalutem ſpondere poſſe; eſſe autem obſeſſam civitatem ægro ſimillimam, a qua velut ex diutino morbo varia gignantur vitia: in Papia præter frumentariam rationem, non multi tamen temporis ut parce & avare diſtribuat, & præter ſuillam carnem, peſtem & ſpongiam vini, ac caſeum, omnium aliarum rerum eſſe inopiam; frigere omnes brumali fidere, lignis defectos, nec aliunde lignationem, quam domorum vaſtatione ac ruina haberi: vinarias cellas jam pene exhauſtas fore, ut ad putealem aquarum potum; a qua non minus Germani quam canes lymphatici abhorreant, res decidat: veſtem ac ſtipendia jam pridem merita acerbius efflagitari, vixque a ſeditione temperari; ad hæc transfugam ſui commilitii, ſceleris & perditionis convictum, qui clandeſtino tranſitu hoſtem omnium quæ in obſeſſa urbe agerentur commoneſaceret, illum quidem excarnificatum & fruſtatim pendere juſſum dediſſe pœnas; vereri tamen ſe ne emiſſarii regii, mentito ſymbolo, inſinuati intra urbem, commilitones largitionibus ineſcatos, & ad perfidiam aliquando allectent, præſertim cum ut ſunt dolorum impudentiſſimi concinnatores Galli, tum etiam ipſiuſmet Antonii fidem malis artibus tentare non dubitaverint: veniſſe enim ad ſe regio nomine manicata tunica cucullatum lignipedem Minoritanæ familiæ, efferata barba ſquallentem, a quo ipſe olim a piacularibus maculis eidem ritu Chriſtiano confeſſis luſtratus fuiſſet, eum ipſum proſtituta fronte de prodenda regi civitate ſecum agitaſſe ſermonem, aurum & opes, ampliſſimam denique fortunam pollicitus, ſi acquieviſſet; ſeque tam impudenti nuntio impotenter commotum, vix ab hominis nefarii violatione manum continuiſſe, ſed reveritum ſe jus gentium in homine publice miſſo, dimiſiſſe eum quidem inviolatum, verum eo graviter increpito, renuntiare regi juſſiſſe, ſuam fidem eſſe incorruptibilem, & ne Cræſi quidem opibus omnibus expugnari poſſe, mirari ſe ea indole regem, rem tam iniquam nefariamque tentaſſe, & ipſum fraterculum ſui ipſius oblitum, tantum ſcelus admittere potuiſſe; vindicem tamen ſe tantæ audaciæ fore, ſi quando daretur copia, & quam legato impunitatem condonaret, privato homini non remiſſurum. Itaque ſi ſaperet, ſuum conſpectum poſthac declinaret. Proinde ſibi videri acceleranda eſſe præſidia, & rem pecuniariam protinus expediendam; nudum enim & obæratum militem tremere, eſurire, egere, tumultuari: denique quanto maturius fieri poſſet, procurandam obſidionis diſſolutionem, ſe quamvis auri non timeat artes, tamen & dolos genti illi peculiares numquam deſiturum formidare, quamdiu maneat obſidio.

Civescontribuant in communem reipublicæ bonam.

25. Cum his mandatis dimiſſo nuntio, ad promerendum militem continuo converſus, ſenatum & decuriones civitatis vocat, deque re pecuniaria referens, quantum æris inopia laboraretur, & quam in anguſto ſumma rerum eſſet, niſi militibus bene conſultum ſit, oſtendit: tum quantum ad ſe attineat, quidquid argenti domi facti infectique haberet, in commune repræſentaturum ſe pollicitus, hortatur pariter monetque, ut quiſque pro ſe reipublicæ periclitanti opem ferat. Miro conſenſu decernitur pecunia, primum pannus ad veſtem militum a mercatoribus lanificiis datus, qui niſi confecto bello pretium acciperent, tantum in præſens quæſtoris Cæſarei ſeu Sforziani chirographo contenti. Mox certatim a quolibet mercatore, a cujuſvis ordinis cive, etiam ſenatorio, omnique collegio, argentum pro cenſu cujuſvis eidem quæſtori, fidem publicam pollicito, collatum, & non ſolum viduarum, pupillareſque pecuniæ, verum matronalis mundus, monilia & quæque ornamenta conferri cœpta, nuſquam ea tutius nec ſanctius conferri poſſe, & niſi ſalva republica nequicquam privatam eſſe incolumem exiſtimantibus. Hac animorum inclinatione ſacri flamines & veſtales inducti, ſtipem privatim depromere, etiam ſacra vaſa ſacrique loculi ſunt in ærarium ab ædiculis relati, hiſque aſtricta fides, conceptis jurejurando verbis, ſcriba præeunte, poſt bellum in eamdem formam faciemque de publico reſtituendi, in qua antea fuerant.

Itâque conflato in laminas omni auro argentoque, & prophanata templorum ſuppellectile, nummus rudi ſchemate percutitur, & quatuor tamen litterarum elementa impreſſa, qui Papiam obſeſſam, Cæſarem defenſorem indicarent. Inde viritim diſtributa ſtipendii pars, nec in civitate ſemivacua, abſentia meliorum civium, qui vel peſtilentem patriam, vel obſidionales ærumnas declinaverant, tantum æris confici poterat, quantum debebatur.

26. Interea hoſtis mœnibus aſſidebat, crebro oppidanos conviciis & probris inceſſens, Dicere eos carnium aſininarum efferatos edulio, pro olerum ferculo radices ſilveſtres, & ſepulchretis obnatas vorare, ſæpius a ſuis ſtationibus ſclopis aut colubrinarum pilis, telis ac aliis miſſilibus obſeſſos laceſſere, & pugnæ potius quoddam ſimulacrum oſtentare, quam pugnam inferre. Verum noctu cavatis occultis tramitibus, ad mœnia munimentaque interiora operoſius cuniculos effodere, & ſpecus erutos ſublicis ſuper additis ſuſpendere, unde fomentis ſulphureis & artifici igne murorum fundamina laxarentur, cuſtodeſque ſubito incendio conflagrarent. Re comperta Antonius Leva, tranſverſis cuniculis hoſtium fodinas corripere & pulveris tormentarii nutrimentis exhalante terræ hiatu in caput hoſtium ruinas devolvere. Eo caſu complures hoſtium tum eliſi tum igne aduſti ſuffocati fuerunt. Sed cum ex eo incendio velites Italici nominis, qui erant in partibus Gallicis, aliquam partem interioris propugnaculi conflagraſſe & procubuiſſe, & quaſi ſtrato ponte complanatum ſpatium conſpicarentur, urbis capiendæ aliqua ſpe ſibi facta, adjunctis ſibi Helvetiis, cuneatim in Germanos illi ſtationi incubantes, irruunt, magnaque vi adortos, loco movere & urbi ſuccedere conabantur. Reſiſtitur ab oppidanis ſumma ope paribuſque animis, confuſo utrimque clamore concurritur, modo hi, modo illi ſauciare aut ſauciari, propellere aut propelli, cædes promiſcuæ, terra ſuperantium acclamatione, cadentium gemitu perſonare. Plures tamen ex hoſtibus concurſu undique auxiliariorum Germanorum & ſcloporum diſploſu tranſadigi, telis, ſaxis, tignis ſuperne delibratis proteri, punctim cæſimque confici. Itaque cum vim hoſtis ſuſtinere non poſſet, ad ſuos ſe recipere pluribus amiſſis coactus eſt.

Johannes Medices urbem adortus repellitur.

27. Cum vero haud multo poſt JOHANNES MEDICES, quem ſuperius tranſiſſe ad Gallos diximus, cum tribus delectæ juventutis millibus, equitibus levius armatis ſexcentis, in caſtra veniſſet, gratanter a rege exceptus, ſub mœnibus ad foſſæ marginem, quæ in occiduum vergebat, non procul a prætorio, ubi regia caſtra erant, contra hoſtem ſiſtitur. Itaque quindecim ordinum & centuriarum ſignis circa ſua tentoria editiore loco præfixis, unde ab oppidanis proſpici poſſent, inſignis agminis ſpeciem præ ſe ferebat. Et quia eſſet magni nominis in armis, rebus ſuperiore bello auſpiciis Cæſareis proſpere geſtis, hoſti formidabilis eſſe volebat; vixque ad quietem una nocte militi data, quo regem aliquo præclaro facinore demereretur, ſub noctem proximam, quæ plenilunio ſubluſtris erat, cum ſuiſmet copiis ab eadem parte occidua, qua muri machinis diſcuſſi prociderant, urbem potius cuſtoditam quam tentatam adoritur, & tam horriſono ſcloporum minorum majorumque ac colubrinorum diſploſione defenſorem a mœnibus arcere conatus eſt, ut tempeſtatem multa grandine immiſſam fulminaque exiſtimari liceret, & corpus lunare tetra caligine obduceretur; cumque raptim admotis ſcalis cratibuſque per ruinas reperet, jamque ſumma teneret, Germanus haud minore animi fervore ſcalas confringere, reptantem ſcandentemque audacius Mediceum militem ſecuribus, ſaxorum molibus, ferro & omni genere telorum ad ima detrudere, ſauciare & trucidare: nec glandes tormentariæ aut miſſilia in ſubjectam hoſtem immiſſa incaſſum cecidere, ut poſtera lux cladem hoſtium ex cadaverum ſtrage aperiens docuit. Eo accepto detrimento, Johannes receptui canens, quid de ſecutura fortuna ſibi polliceretur aut ſperare poſſet, indicio primi inauſpicatique certaminis conjectare potuit.

28. Per eos dies rex latiore foſſa totam urbem cingi curaverat, caſtellis modico intervallo excitatis, etiam circa prætorium, præter id quod aquis perennibus ambitu perpetuo vallabatur, foſſitiam humum in tumulos erexerat; denique cuncta firmioribus ſtationibus militum, etiam tormentis crebrioribus communierat, ne qua oppidanus aut furtim cuſtodias fallere, aut vi penetrare, neve altrinſecus ſine difficili & dubio certamine exterior hoſtis in urbem perrumpere poſſet. Compererat enim jam veteranorum militum ſeptem millia ex Germania Laudem Pompeianam applicuiſſe, & Carolum Borbonium, qui occurrerat aliis octo millibus peditum, ſexcentiſque equitibus, cum illis iter maturare, jamque in campeſtria Veronenſium deſcendiſſe. Hoc conſtanti rumore per regia caſtra vulgato, cum varie hominum animi pro cujuſque ingenio afficerentur, rex primum quidem multa ſecum, demum cum animo vehementius fluctuaret, etſi nihil de propoſito perpetuandæ obſidionis uſque ad exitum immutaret, regulorum tamen ducumque ſenatu vocato, ſententiam cujuſque experire decrevit. Fuere qui urbis obſidionem diſſolvendam cenſerent, & contractis undique totis viribus, hoſti obviam eundum, longe multitudine impari, nec expectandum ut ipſo ad Papiam ſedente, hoſtis ad recipiendum Mediolanum, arce & po-

puli favore fretus, animum appelleret. Quod si rex ea urbe excideret, deteriore admodum loco rem Gallicam futuram, non ſine regiæ exiſtimationis nota & jactura. Alii dividendam ſententiam, nec diſſolvendum obſidium dicere, ſed parte copiarum, quantum ſatis eſſet, ad Papiam relicta, cum robore exercitus in hoſtem ducendum, cum ſatis virium eſſet ad utrumque. Rex ab utraque ſententia abhorrens, Alienum a regia majeſtate, & indecorum dicebat diſcedi Papia, aut animo concidere, vel ad terriculamentum hoſtium, id in primis optantium circumagi, prædamque cupide & anxie petitam, ac veluti caſſibus irretitam, quamve prope mordicus teneret, e faucibus labi ſinere; multa ſummis imperatoribus aut non aggredienda, aut ſi ſemel aggrediare, non dimittenda. Magnæ enim famæ momenta in utramque partem fieri, & alterius partis damno variari, ex eo præſertim quod ex levitate & formidine inopia conſilii redargui poſſit. Minus autem, inquit, iis aſſentior, qui de dividendo exercitu diſſeruere, ad quoſcumque de hoſte rumores, ſententias diſtorquentes, neque diviſione copiarum neceſſe eſſe vires debilitari, & utramque in partem diſperſæ virtutis diducendo enervari, non ſecus quam ſi membrum a corpore divellas, hoſtibuſque propterea rei bene gerendæ fortunam dari: Satis præſidii eſſe Mediolani, nec poſſe hoſtem tam volucri aut clandeſtino itinere illo contendere, quin illius curſum vel æquemus vel prævertamus, non imus tamen inficias, hoſtem nobis virium æſtimatione longe inferiorem, futurumque quantacumque illi virium acceſſio fiat. Quod ſi ex uſu noſtro videbitur aliqua fieri poſſe exercitus diviſio, jam animo excogitavimus quomodo id ſine majorum caſtrorum noſtrorum detrimento, & majore hoſtium incommodo fiat. Sed nunc quod inſtat agamus, pergamuſque hoſtem omnium rerum egeſtate laborantem obſidere. Italum enim militem novimus partium ſtudio ancipiti eſſe fide, & ea civitas habet quamplurimos noſtri ſtudioſos, Germanum ut cetera perferat, vini deſiderio impatientius fremere, Hiſpanum a pueris quidem abſtemium, poſſe æquanimius vino carere; verum ut eſt ſuopte ingenio avarus, & in ſeditiones pronior, facile poſſe omnes commilitones ſecum ſtipendio defraudatos, ad res novas concitare, nec exercitum ſine commeatu, nec commeatum ſine ſtipendio parari poſſe; præterea multa bella impetu valida, per tædia & moras poſſe diſſolvi & languere. Itaque non ambigamus illum tot tantoſque labores diutius non eſſe perlaturum.

29. Cum omnes in ejus ſententiam pedibus irent, juſſus eſt Johannes Medices & Federicus Gonzaga cum expedito peditatu equitatuque ire in Parmenſes, & pulverem tormentarium doliolis reconditum, plus quàm ſexaginta plauſtris Ferraria illuc vectum, curare ut tuto in caſtra importaretur. Erat enim ejus pulveris apud machinarum regiarum magiſtros oppido grandis inopia, quod, ut diverſo ab hinc attigimus loco, rex præcipitatione itineris imparatior advenerat: timebatur autem ne ab hoſte, quem ad Cremonam, ponte ſuper Padum amnem impoſito, hujuſmodi prædæ cupidine trajeciſſe conſtabat, aliqua occaſione in illam fieret inſultus. Idcirco dux Albaniæ cum trecentis cataphractis ac totidem levius armatis equitibus, ſexque peditum millibus miſſus fuerat auxilio; ſed cum hoſtis, neſcio quid veritus, ne tentata quidem re, impetum repreſſiſſet, ac disjecto ponte in pacatum receſſiſſet, pulveris ejus tormentarii plures ſarcinæ ſuper clitellariis jumentis ſunt in caſtra regia a Federico & Johanne tutiſſime comportatæ: quod reſiduum fuit in arce Parmenſi repoſitum, ut facile intelligeres, quo animo inter ſe eſſent & Romanus antiſtes & rex Franciſcus. Sed dux Albaniæ ad demandatam ſibi provinciam Neapolitanam, de qua rex ſub verborum involucro, in proximo procerum concilio innuerat, proficiſcebatur. Is Lucam Etruriæ urbem deſtinato prius abiit, factaque ea æraria, quod cum Cæſare ſentiret, magnum auri pondus in viaticum illinc elicuit. Subinde per amicum Florentinorum agrum ſine maleficio iter faciens, in Senenſibus aliquamdiu immoratus, eam pariter urbem, quæ in partibus Cæſarianis eſſet, vaſtitatem veritam grandi pecunia mulctavit. Dehinc recto & trito itinere per Danam fluvium, qui nunc Palia, viaque poſtmodum Caſſia, per Vadimonis lacum, cui nunc Montiroſulo nomen eſt, relictis ad dextram Bachanis & Cremera fluvio, aliquot dies circa municipia Urſinorum ſociorum, qui late per ea loca dominantur, deſedit. Illinc inauctoratis ſacramento regio Urſinis, & ſcripto etiam Romæ milite, per Aprutium in Furconenſes, Aquilanos, & intra limites regni Neapolitani, hoſtilia meditabatur.

30. Interea tumultuatum eſt Romæ a Columnenſibus, quorum intererat quam pacatiſſimum eſſe regnum ſibi & iis qui in partibus Cæſaris erant, & ab eis habitus Romæ pariter delectus, ut barbaro ſe opponerent, connivente vel diſſimulante Romano pontifice. Potuit quidem hoc bellum ab eventu ipſo videri ab rege temere & imprudenter ſuſceptum, ſed ſi fortuna, quæ in bello plurimum poteſt, aliquamdiu in Ciſalpinis favoris ſui auram, curſumve ſuſpendiſſet, profecto gentem illam tædio rerum præſentium, ſemper res novas aucupantem, & ad quæque rerum momenta ſua ſtudia inclinantem, parvo impulſu, tamquam cymbam ventis & turbine circumactam, procellis involvere, & Cæſarem ab alienis remotioribuſque

buſque periculis ad extinguendum domeſticum atque inteſtinum bellum revocare potuiſſet: quamquam non deſint, qui contendant regem cladem non accepturum fuiſſe, ſi alieniſſimo tempore hujuſmodi novo motu vires ſuas non attenuaſſet. Sed hæc poſtea; & forte ego longius ab inſtituto itinere digreſſus, quam hiſtoriæ ſeries expoſceret: ad Papienſium obſidium ſtilum reflecto.

31. Advecto in caſtra regia pulvere tormentario, quem lituorum canoro concentu & tympanorum diſſono crepitu, multoque tripudio exceperant Galli, quaſi a vi hoſtium aſſertum, ac veluti putarent ab imis ſedibus funditus per illum urbem ſe convulſuros, acrius undique mœnia quaſſari cœpta & in primis turris quædam angularis quadratave in meridiem ſpectans, e regione fluminis nullis ambita foſſis, trecentis viginti æneorum globorum complosibus icta, minari ruinam cœperat, & haud multo poſt non in latus procubuit, ſed tota mole in ſe ſubſidit, ac veluti validioribus revincta ac firmata repagulis, hoſti intra urbem viam ſibi molienti, durius fecit negotium. Labefactatis tamen alicubi muris, pluribus locis poſtea pugnatum eſt. Etenim Medicea cohors Johanne ipſo per noctem inſiſtente, more ſibi familiari ruinis inſinuata, non meliore eventu pugnavit, quam ſæpe alias, multis ex ea deſideratis. Et diverſo abhinc loco ad aliud propugnaculum, eadem cohorte fortunam rurſus experiri volente, rari primo, mox confertiores, ſaxis novo bellandi genere rem gerere, modo ceſſim abeuntes, modo gliſcente animorum ardore, in pugnam cominus ferro manum conſerere, pugnaque quaſi ex hudrico cœpta, truculentius incaluit, fuitque diu atrox: nec enim ſegnius eſt a Germanis concurſum, utrimque cruore largius fuſo: & integri ſauciis, recentes feſſis ſubmiſſi, certamen in tres horas extraxere. Tandem oppidani violentius innixi, nixum ducibus & primipilaribus, manu, voce, præſentia adjuvantibus, magna cæde edita, hoſtem terga dare coegerunt: non fuit tamen incruenta victoria. Nam ex Germanis novem, ex Iberis tres cecidere, nec poſthac hoſtis, quam plurimis ex ſuis amiſſis, ſua confeſſione victus, mœnia tentare eſt auſus, ut a captivis etiam eſt cognitum. Nam cum oppidani poſtera die, urbe per poſtulam clam egreſſi, in Allobrogum Francopinorum ſtationem, qui tormentis aſſidebant, facto impetu, multos occidiſſent, duos captivos etiam ante ducem ſtatuere: illi ab Antonio Leva de hoſte interrogati; referebant illum dejerando decreviſſe omnem oppugnationem omittere, tantum obſidio urbem premere, & ſedendo ſine vulnere vincere velle, tum quod adverſo ſemper prælio dimicaſſet, tum quod a transfugis didiciſſet, ad omnem rerum inopiam intus ventum eſſe: nec poſſe obſidionales ærumnas a civitate fame macerata & tot malis victa tolerari, pane furfuraceo plebem paſci, aliis frumentarium panem unciatim circumſcribi, jumenta plura eſuritie tabeſcere, bellatores equos nucum & favarum putaminibus, vitibus in minutiſſima fruſta conciſis, & arborum virgultis, raro furfure, parciſſime per delicias paſci, gliſcere in tumultum militem, tum ob ſupra dicta, tum ſtipendii fraudatione, omnia iſta certam & incruentam victoriam polliceri. Sed Antonius Leva deliniendis militibus intentus erat, ſi quomodo laborum difficultatem in ſociis levare poſſet; quare ab opificibus fabris, piſtoribus & aliis ſellulariis, ſordidumque quæſtum facientibus, pecunias mutuari, fidem ſuam oppignerare, torquem aureum ſibi collo ademptum in nummum ſignare, ut militem aliqua ſtipe in officio contineret. Et forte per id tempus duo Iberi primipilares, per media hoſtium caſtra tria nummum aureorum millia aſtu & ingenio attulerant, coaleſcentemque ſeditionem parvo quidem, ſed peropportuno ſubſidio ſuppreſſerant, reputantibus Germanis non quantum acciperent, ſed quam ſtudioſe & quanto ſociorum periculo daretur. Hi ſiquidem Iberi Gallorum caſtra ingreſſi, & confeſſi qui hominum eſſent, ad regem protinus adducti ſunt, ubi in conſpectum ejus ventum, ut ſunt Hiſpani callido & præſenti ingenio, non diffiteri quidem genus, ſed ſuam tranſitionem excuſantes, ſe ſcire dixerunt transfugæ nomen, veteribus ſociis ſemper execrabile, novis ſuſpectum eſſe: verum in hoc transfugio non crimen aut vitium latere, ſed cauſam juſtam ineſſe, quæ eos a nota defectionis aſſereret; ipſis ſiquidem quod amicum & intimum principi Aternio exrixa interemiſſent, neceſſitatem injectam in adverſa caſtra tranſeundi, ſe, ſi placeret, ſecum ſtipendia facturos, fidemque cum militia mutaturos: verum obſecrare ne ſibi fraudi eſſet tranſitio, nec honori quidem, niſi quantum ex ea re experiundo cognoviſſet, deinde operæ eorum pretium faceret. Rex ubi ab exploratore ſuo quicum in caſtra venerant, dictis facta fides eſt, donatos ſtipendio inauctoravit. Illi quaſi ſuæ virtutis & fidei periculum facturi, quotidie aliis bellatoribus Gallicis immiſceri, contra oppidanos ſtrenuam operam edere, donec oblata occaſione in urbem a ſuis cogniti admitterentur. Collectitio igitur ære & importato facti ardentiores Germani, ſæpe erumpebant, & ex inſidiis aut ex occaſione laceſſentes, & intra vallum repentes, crapulam eructantem Allobroga mutilare, occidere, capere, necnon in dies exire populabundi, & ab uſque ponte Ticinum jungente, qua commeatus in caſtra efferabatur, pecora, vecterinos equos commeatu onuſtos, cum inſtitoribus & mercibus in prædam rap-

Medicea cohors civitatis mœnia aggreditur & expellitur.

tare, nec ulla dies ſucceſſu carebat.

32. Adjuvabat alacritatem adaucti exercitus celeber fama, Borbonium cum aliis octo millibus peditum, ſexcentiſque equitibus Burgundis, patrio more in ſpeciem cataphracti armatis, qui Sequani ſunt, Æduis agnati, cum magna tormentorum vi veniſſe, jamque adventare omne robur ſubſidiarii agminis. Advertebant enim ab excelſis turribus urbanis, ex vallo hoſtili revelli tormenta, & figi qua venturum hoſtem exiſtimabant: item omnes equeſtres turmas per diverſa hiberna diſpalatas, ad ſigna convenire, caſtra contrahi, augeri cuſtodias, ſatagi, quæ omnia facile erat e ſpeculis deprehendere. Adventu Borbonii cum hujuſmodi ſupplemento, duces Cæſariani maturandum in hoſtem rati, primis caſtris Marignanum verſus iter corripiunt, cum duplex via, una Marignanum, alia Papiam duceret. Rex hoſtilis conſilii ignarus, Paliciam heroa cum Helvetiorum pluribus cohortibus, aliiſque equeſtribus Mediolanum antevertere, Pyrrum Gonzagam Federici Germanum, cum duobus peditum millibus cataphractis, quinquaginta equitibus levius armatis ad Sancti Angeli municipium, quod Mediolanum, Papiam Laudemque quaſi æquis ſpatiis interjacet, ſiſtendo & arcendo hoſti peropportunum, muris, foſſis ac poſitu validum, properare jubet, eique mandat, ſi hoſtis Papiam illac tranſmiſſurus vim intentet, unius diei oppugnatione fortiter ſuſtineat, ſe illi futurum auxilio, & amoliturum inde hoſtem recipit. Verum Caroli duo, Cymber & Borbonius, arcem illam prætervecti, ſupra fluentum uberrimis aquis perennem caſtra communiunt, moturo forte hoſti ſeſe opponentes. Ferdinandus Davolus Piſcarius, princeps omnium ducum impigerrimus, intempeſta nocte cum linteato agmine, (nam per tenebras pugnaturo, albicantes ſuper arma tunicas in teſſeram militarem illi induere mos fuit, ut ab hoſte diſcerneretur,) ad oppidum deflexit iter. Tum prope in momento machinas muris admovet, ac quam creberrimis pilis ferreis quatit & proterit, nulloque dato hoſtibus laxamento, ruinaſque reparandi ſpatio, cum Cæſata primipilari viro fortiſſimo, ac ſclopetario & haſtato milite, ipſe pariter pugnatoribus immiſtus, mira celeritate per ſcalas muris ſuccedit, & auſos reſiſtere fœdiſſime obtruncat, alios tanta audacia & ſucceſſu perterrefactos, cum ipſo Pyrrho duce, aliiſque primipilaribus non obſcuri nominis intra arcem compellit. Cum vero ejus arcis altiora mœnia duriorem oppugnationem factura viderentur, placeretque admoveri machinas murales, conſpicatus dux neſcio quem debiliorem humilioremque locum, cum expedito milite ſcalis ſubiens, parum abfuit quin violaretur, certe paludamentum ejus duplici ictu teli confoditur: pervicit tamen invicti animi pertinacia, ut evaderet in ſummum illæſus. Ubi autem ita æquum locum tenuit, ut firmo cum ſuis conſiſteret gradu, & concurſantem hoſtem aut cæderet, aut ſclopis & miſſilibus a congreſſu & defenſione deterreret, Pyrrhus extremam ſortem reformidans, manum dare & de vita paciſci compellitur. Accepta itaque arce, prædaque omni militi conceſſa, quæ eo opimior fuit, quod Galli in ea arce tamquam loco tutiore prius multas opes condiderant, Pyrrhus cum pluribus aſſervatus, aliquanto poſt licitatum corpus auro redemit, equitibuſque pluſquam trecentis, & peditibus mille, qui totidem trucidatis ſuperfuerant, adempta arma, equi, pecunia, & ut cum ſingulis veſtibus abirent permiſſum, frumentum & bellica inſtrumenta in caſtrenſem uſum relata, receptum oppidum majore ducis indole & gloria, quam antea reguli ignavia amiſſum, qui antea ad prima claſſica & minas Gallorum ſe & arcem dedidiſſet, in utramque partem pro voluntatum diverſitate varios induxit affectus, efferri lætitia Cæſarianus miles, & arridentis victoriæ auſpicia, in exitiale hoſtium omen interpretari, hoſtem præ ſe contemnere, illum quidem valida arce diffiſum tam propinquo ſubſidio ſubito animo concidiſſe, regem ante ſuos oculos ſociis laborantibus non fuiſſe auxilio, Papienſis obſeſſus tum nuntiis, tum ignibus, tum machinarum bombis commonitus, majore exultare lætitia quam vel animo capere poſſet, exiſtimare prope debellatum eſſe; at Galli frangi animo, diffidere, & deſpondere.

Hoſtes S. Angeli caſtrum expugnant.

33. Rex quidem altius angi dolore, qui quo preſſius intra pectoris receſſum cohibebatur, eo impatientius triſti frontis, oculorum, vultus denique confeſſione erumpebat; nec enim celari poterat, cum cum puderet pigeretque ſuæ cunctationis, graviore quidem æſtimationis & famæ ignominia, quam accepti vulneris detrimento; vulneri quidem remedia, calumniam nec dilui, nec tegi poſſe: emendare tamen hanc notam, & parem plagam hoſti rependere annixus rex, Johannem Ludovicum Palavicinum nova ſtipendia ſecum merentem, cum trecentis equitibus ac mille peditibus, adjecto illi Nicolao Varollo, vaſti animi viro Cremonenſi, qui patria exulabat ob rerum novarum ſuſpicionem, aliiſque centurionibus, ad occupandum Caſale majus, oppidum tranſpadanum in Cremonenſibus, opibus & populi frequentia haudquaquam ignobile, aut obſcurum, feſtinare jubet, & quid fieri vellet oſtendit. Caret id oppidum magna parte mœnibus, Pado flumini adjacens, tum quod novis ædificiis ampliores amplexum areas, in ſpatioſiores quotidie porrigitur vicos, ſemper longius a flumine recedens, tum quod rapidi fluminis ira, cum per veris tempus nivium Alpinarum liquatu intumeſcit,

Rex Caſale majus per Palavicinum expugnat.

tota aquarum mole illi oppido incumbens, moenia qua parte flumen alluit ſecum traxerat Palavicinum, quem nulla juſta cauſa regi conciliare, plures ab illius amicitia avertere debuerant, (nam Manfredium fratrem immaniter a regiis miniſtris excarnificatum, Chriſtophorum fratruelem, ambos Palavicinos, indigne & immerito mulctatum capite ſciebat,) nihilominus injuriarum oblitus, & imperata faciens, trajecto amne, quaſi improviſus oppidum intercipit, licet ab nonnullis factioſis & acceſſitus & expectatus adveniſſet; ſigniſque regiis medio foro affixis, populum ad concionem vocatum paucis allocutus, in verba regia jurare compellit. Quid enim contra tenderet populus conſilii inops contra armatum: nihil tamen aliud hoſtile molitus eſt, niſi quod hoſpitali menſa & convictu domeſticatim, pro cujuſque cenſu accipi militem mandavit.

Agrum Cremonenſem vaſtat.

33. Mox vallo ducto & caſtellis pluribus in munimenta erectis, omnes etiam callium aditus obicibus & repagulis, intus foriſque ad ſubitariam vim ſiſtendam, una tantum via medio oppido relicta, obſtruxit. Deinde populabundus finitimos agros de Cremonenſibus vaſtans & infeſtans, omnia rapinis fœdabat, terroremque ſui nominis late diffundebat. Conſternati repentinis incurſibus novoque hoſte agreſtes paganique, in quos iſta movebantur, villas & quæcumque ædificia campeſtria deſerere, impuberes, ſenes, mulieres, in munitiora loca mœnibus cincta ſecum trahere, jumentis, pecoribus, carris oppida implere. Erat quaſi in meditullio regionis caſtrum cum arce, cinctum mœnibus, villicis palantibus commodum, & recepiui peropportunum, huic ſancto Johanni ad Crucem nomen eſt, quod præaltis & latis foſſis aquæ ſtagnantes ambiunt. In illud cum ſe pecuarii armentariique paſtores & agreſtium turba cum raris opibus, & rebus cariſſimis recepiſſent; Johannes Ludovicus prædæ avidus, ſigna infert, datque Varolo negotium, viro non minus impigro, quam lucri cupido. Ille confeſtim plures fluviales cymbas, quas curribus advectas Padus propinquus ſubminiſtraverat, intra foſſas caſtelli immittit, impletque expedito pugnatore, hortator pariter & pugnator: tum ſcalas muris appelli & per eas in ſummum ſcandi, & illud occupari præcipit. Nam quod defenderetur raro mercenario milite & agreſti turba ad artes militares rudi, rem eſſe minime operoſam aut factu difficilem aſſerebat. Caſtellani in tanto diſcrimine minime ſegnes, haſtis, ſecuribus, falcibus teliſque omne genus ſibi familiaribus & ſaxis ſeſe intrepide opponere, hoſtem ſuccedentem & temere irruentem propulſare, urgere, ſauciare & in præceps agere, ſcalas appulſas repellere, refringere; nuſquam mora aut requies, vulnera hinc & hinc mutua, tum ſclopis tum miſſilibus. Steterat diu certamen acrius quam pro loco & numero liceat exiſtimare; & res ita in anceps deducta fuerat, ut hoſtem irrupturum appareret; cum duo treſque ſclopetarii ex diverſa quiſque ſtatione, uno tempore quaſi ex compacto, Varolo, qui conſpectior audacius bellum ciebat, unus infra humerum, alter intra femur & coxam, alius infra poplitem plumbeas pilas adegere. His vulneribus lapſante veſtigio Varolus concidens, ſociorum fidem opemque implorans, apagete exclamat; hinc me moribundum abducite in pacatum: nec plura effatum collapſumque comites excipiunt. Omnibus in eum converſis, oppidani fracta voce conclamare exultabundi: contra adverſarii duce amiſſo confundi, ſtupere & animo concidere, flacceſcentibuſque viribus ab aggere cui inſidebant, ad limbos ſcaphaſque ſe referre. Sed dum vertunt terga, multis eorum ſauciatis, pauci incolumes in adverſum foſſæ ſupercilium enatavere. At Palavicinus cum equitatu in caſtra ſe recipiens, quamvis hoc accepiſſet vulnus, tamen per inſequentes dies ab latrociniis & incurſibus non ceſſabat, operæ pretium ratus quamlate omnia tumultu & terrore complere, id quod regem in primis velle ſciebat, ut caſtra hoſtium deducto inde aliquo præſidio, in hæc recentia pericula minuerentur.

Caſtrum S. Johannis ad Crucem impugnans cum ſuorum cæde expellitur.

35. Verum Cæſarianos Papiæ obſidione liberandæ gravior inceſſerat cura, & cum nullis artibus induci poſſent, ut quicquam de ſuſcepti belli ratione immutarent, Franciſcus Sfortia illis diebus dux Mediolani a Cæſare declaratus, qui tunc Cremonæ ſedebat, tumultuario milite voluntariiſque Cremonenſibus ac beneficiariis, Baptiſtam Malum-virum, ſtrenuum & Martio pulveri aſſuetum, in Palavicinum ducere jubet. Cum itaque Baptiſta ſatis juſto exercitu comparato, eſſet militum numero par; virtute melior, in hoſtem movens nihil potius habuit, quam ferro decernere, ſed diſſimulanter & callide quidem: modo enim aciem promovens, ſimilis aſſultanti procurſabat, modo ceſſim abiens, in modum trepidantis recurſabat. Tandem aliquandiu eluſo hoſte, confirmataque formidinis opinione, hoſtilis equitatus præfectum juveniliter ferocientem ita in ſe concitavit, ut non prius ipſe recedendi ac ille inſequendi curſum teneret, quam in anguſtioris viæ tramitem incurvum & inſidiis idoneum eo tracto, colubrinarum & ſcloporum grandiorum ex compoſito illic locatorum creberrimis pilis, multos tum equitum, tum peditum ſterneret, majorem cladem illaturus, niſi ille ſe ocyus ſubduxiſſet; ab eo die Jo. Ludovicus, homo a pueris in opum affluentia & deliciis altus, umbræ potius & otio quam laboribus & Martiis artibus idoneus, non eſt amplius fortunam belli experiri auſus, tantum erat in expectatione

ſupplementorum, quem Franciſcus Rangonius novus miles regius, habito peditum delectu, ex Mutinenſibus adducturus erat; ſed antevertit Baptiſta, qui haud multo poſt dubia adhuc luce ante oppidum ſtructa acie ſe ſtatuens, ignem tectis immittere tentabat. Non tulit hoc ferox juvenis equitum magiſter, & omni equitatu ante vallum educto, hoſtem diſcurſando diſtinere conabatur, donec Johannes Ludovicus peditatum emitteret. Tum Baptiſta ſenſim ſclopetariorum & haſtatorum circumjectis brachiis, in modum lunæ corniculantis, in hoſtem fortius invectus, tam acri impreſſione urgere cœpit, ut metu circumjecti agminis & inſtantis a fronte equitis, in oppidum effuſa fuga ſe converteret; & Sfortianus fugientis veſtigiis inhærens, eodem curſu & quaſi una eadem acie ſecum introiret, premeretque cædentis terga. Trepidare omnes, tum oppidanus, tum eques, tum pedes, ne viſo quidem hoſte, ad vocem capti oppidi dilabi & latebras meditari. Cæſi equitum pars, ſed qui Sfortianorum primos impetus declinare potuerunt, cum ipſo præfecto in hoſtium venere poteſtatem inviolati, velites omnes qui arma tenuerunt, trucidati; inermes qui manum dediſſent, in fidem recepti, pars per diverticula ad flumen delati, nando & brevi navigio, forte repertis naviculis lintribuſve, evaſere; ipſe Jo. Ludovicus, qui antea viam ad portum abduxerat, nullo ſibi aliunde dato effugio, ſuiſmet artibus captus, deditionem fecit, oppidum immaniter direptum, fontes pariter & inſontes nullo diſcrimine ſpoliati, ita Palavicinus incendium intra patriæ viſcera concitatum, a ſe ſua ruina extinxit.

Mutina a Sfortianis capta.

35. Recepto S. Angelo, Cæſariani duces cum tribus caſtris jam ad quartum uſque lapidem Papiam acceſſiſſent, caſtraque etiam hoſtilibus prope contuliſſent, prius quidem per emiſſarios clam immiſſos intra urbem adventus ſui facta fide, eiſque quid opus eſſet facto commonitis, etiam ſub noctem tredecim tormentorum majorum bombis, tamquam belli ſigno dato, animorum ſuorum alacritatem & pugnæ ſtudium apud ſocios & hoſtes teſtatam eſſe voluerunt. Galli tamen nihil præmoveri, potius removeri & contrahere caſtra, ſive ab hoſte aliquo accepto incommodo, ſive metu, ſive quod non tentando fortunam, ſed cedendo, hoſtium ferociam fruſtrari, donec Papia omnium rerum inopiâ fatigata dederetur, operæ pretium putabant. Satis conſtat argumento haud dubio formidinis noctes dieſque plus ſolito eos in armis feciſſe, inſtratiſque in pugnam equis excubaſſe, caſtra accuratius communiſſe, contra hoſtem machinas bellicas complures locaſſe, & obſeſſorum inſtar finem excundi uſque ad aggeris & valli cuſtodiam ſibi ſtatuiſſe, cogitabundos non quomodo inferrent, ſed qua ratione vim propulſare poſſent: ſibi cum feroci hoſte rem eſſe, cui quæque fortiſſima conſilia tutiſſima viderentur. Sed Hiſpani quibus compertum erat, triduo ante Gallos cum pluribus cohortibus planiciem quamdam paluſtribus aquarum lacunis ſeptam, quæ non amplius duobus millibus paſſuum ab urbe aberat, & quam nulla vi humana ſuperari poſſe crederent, occupaſſe, ſumma vi nec minore cæde hoſtem inde dejecere, ac ipſimet protinus illi inſedere. Hæc res tanto regem terrore perculit, ut noctem quæ ſecuta eſt inſomnem ageret, cohortium prætorianarum & cataphractorum ordinibus cum legionario milite circa prætorium in excubias diſpoſitis, reliquumque exercitum in armis eſſe juberet, in opinionem futuri in lucem certaminis, omnia ab hoſte timens, cui nihil invium videret. Nec oppidani interea ſibi deerant, aut a parte ſua hoſtem quieſcere ſinebant. Nam Germanorum binæ cohortes & pubes Papienſis, ubi explorato comperiſſent ad eam partem aggeris occidui, qui prætoriana caſtra vallabat, omnia neglecta & ſolutiora eſſe, arma tantum pro vallo poſita, inermem quemque militem in ganeis ſe curare, capti ipſi quoque nidore unctioris culinæ, clam repentes primum paucos obvios & ſecuros obtruncant, dein in ſartagines, verua, ollaſque adipatas irruentes, omniaque reſupinantes, etiam dapium regiarum venatione, quaſi opima ſpolia de hoſte retulere. Clamor undique & tumultus lixarum in prædatores, auxilia tam inſignem injuriam ultura concitans; verum quum raptores gravius ab ingruente hoſte preſſi, fuga periculum declinaſſent, præſertim crebreſcentibus ab urbe in perſequentes tum ſociorum auxiliis, tum machinarum complosibus, ventres tam longa obſidione triſti jejunio caſtigatos, lautiore præda referxerunt. Sed cum rex ex eo tumultu caſtris per quatriduum mutatis, ad Mirabellum nobile atrium tertio illinc milliario, tutiore loco deſediſſet, Aternius heros ipſa mora æger, & tantum fiduciæ plenus, toto agmine præeuntibus machinis, & quingentis ſclopetariis, non procul ab hoſtili vallo iter faciebat, juſſiſque vaſtatoriis equitibus caſtra regia propius prætervehi, ut hoſtem aut elicerent ad pugnam, aut imagine & ſuſpicione certaminis ſuſpenſum tenerent; tandem idoneo loco caſtris optato, trecentis tamen ab hoſte paſſibus ſubſtitit: ut oppidani qui ab excelſis turribus amici agminis iter oculis colluſtrarent, eodem momento porta, cui Novæ nomen eſt, egreſſi cum equitatu, tripartita acie in quatuor Helvetiorum cohortes, ſecurius vagantes invecto, aliquos primum impetum ſuſtinere auſos cæciderunt, mox in alios perterritos & paſſim collabentes, non jam pugna ſed trucidatio fœda, ceu pecorum fuit; tum in prædam converſi, in interiora eorum gur-

guſtiola, & in ipſius ducis, qui tum aberat, tabernaculum ſucceſſere populabundi, & non ſolum pecora, eſculenta, jumenta & equos, fortunis & bonis caſtrenſibus onuſtos inde abegere; verum etiam duas machinas præliares, cum decem doliolis pulveris tormentarii exultantes intra urbem revexere. Aberat a ſtatione tunc Paulus Sylva, earum cohortium præfectus, ſed excitus rumore laborantium cohortium, cum præſidio a rege accepto accurrebat: verum ſero, jam afflictis commilitonum rebus, jam enim profligatum erat, & omnia ejus impedimenta in prædam abacta. Sociorum alios ſaucios, alios exhalantes animam, alios exanimatos, miſerabili facie videre erat: pauci per vallem & ſtagnantes aquas dilapſi.

36. Per eas dies haudquaquam diſſimili fortuna dimicatum fuit. Nam hortis olitoriis, qui uſui hoſtibus erant, vaſtatis, Franciſcus Pontius cum non magna equitum manu peditesque expeditiſſimo, cum in veteribus caſtris regiis nullo hoſte invento præter paucos valetudinarios, nullam præclari facinoris aut laudis materiam inde ſperare poſſet, ad pontem, quo tertio illinc lapide Ticinus jungebatur, curſu delatus, ponte ipſo ita prius disjecto, & aliqua parte immerſo; ut non eſſet tunc penetrabilis, omnem commeatum alimentorumque & quarumcumque mercium ſarcinas, quæ in caſtra inferebantur regia, cum jumentis & carris ac ipſis inſtitoribus ſecum revexit in urbem. Sed ut levia quæ eo biduo poſt inter utroſque ex occaſione inita ſunt certamina nullo memorabili eventu omittam, præclarum quadraginta Hiſpanorum equitum facinus tacuiſſe piaculum crediderim. Hi ſiquidem ſub noctem ſinuoſo tractu per devia loca & per tres hoſtilium turmarum cuſtodias, mentita teſſera deceptas, demum aperta vi ſub ipſum hoſtium vallum, quod proximum urbi fuit, totidem ſacculis pulveris tormentarii cuivis equino dorſo impoſitis, ad uſque ipſa mœnia penetravere. Poſitis ante ſociorum oculos oneribus, quæ facile tutoque introducere poſſent, reflexo gradu in priora caſtra incolumes receſſere.

37. Accepto pulvere cujus maxime indigebant defenſores, quia concinnandi ejus materia, in civitate tam longo obſidio exhauſta, non ſuppetebat, Antonius Leva nihil moratus, ſupra arcis turrim contra hoſtilia tentoria e regione caſtrorum ad boream verſa, vicinitate ipſa injuriis obnoxia, plures machinarum moles multo molimine ſuſtulit; deinde in confertas acies & militum cuneos, globorum ferreorum creberrimos ictus minime incaſſum contorſit, magnamque ſtragem parvo admodum temporis ſpatio hominum fecit: illis brachia, humeri, coxæ, aliaque membra; aliis capita diſploduntur, nonnullorum dilancinatis vitalibus pectora diloricant, tetro nimirum & miſerabili ſpectaculo. Perſimili ſtrage in perendinum diem debacchatum eſt in tentoria Helvetiorum. Quare accepto non levi incommodo, illi caſtrametari, & aream rerum venalium alio transferre ſunt coacti, nec jam ut antea in teſtudinem glomerati pro veteri diſciplina, per loca hujuſmodi jactibus obvia, ſed ſparſi & diſpalati procedebant in bellum, & jam rex in priora caſtra redierat, majoreque induſtria firmaverat.

38. Tum vero ab ea hora qua a turri ſævitum eſt in Gallos, Cæſariani duces avidi pugnæ, veluti claſſicorum clangoribus irritati, in apertos campos ſtructa acie ſe ſtatuerunt, hoſtem laceſſentes, nec Gallus pugnam detrectavit. Itaque emiſſa ex proximis caſtris non contemnenda equitum ala, per partes concurſum & acriter pugnatum eſt aliquandiu; ſuperior tamen in eo concurſu Gallus hoſtem illatis vulneribus non paucis in fugam egit; terga Hiſpanorum fugientium prementem ac ferocientem Gallum excipiunt trecenti equites Sequani, (hos vulgo Burgundos vocant) gens & armis conſpicua & bello ſtrenua, quæ quo ipſa regionum affinitate, & linguæ morumque prope commercio, & eadem bellandi aſſuetudine ſe propius attingebant, eo majore virtutis æmulatione, & genuino quodam odio infeſtius concurrit. Certatum eſt loco ſpatioſo & amplo, ſed tamen non procul a Gallorum vallo, ad quod illis ad omnem caſum eſſet tutior receptus, magnis certe viribus, paribuſque ſtudiis, in mutua vulnera pugna ſtetit acris, clamor undique pro cujuſque audacia, aut ex illatis vulneribus lætitia, aut ex acceptis dolor, modo cæſim clava, modo punctim macrone ferientibus, modo provecti, modo revecti, modo collato ſeſe illidentes gradu, equites equique ſauciati diu extraxere certamen: pervicit tamen Sequanus, ut inclinata acie Galli, tacita confeſſione victi, ad propinquas ſtationes pluribus vulneribus ſe receperant. Quominus autem victor inſequeretur, impedimento fuerunt ab hoſte tormenta in perſequentes diſploſa. Varia interim ab erumpentibus oppidanis, & ab Helvetiis ſunt prælia pugnata eventu rerum prope æquo & neutri ſecundo, niſi quod centurio Helvetius, captus, & ſignum ab eo relatum, & aliquando Iberi ſunt in urbem repulſi, aliquot Germanis decore militari non obſcuris amiſſis.

39. Verum inter alias velitares pugnas ea præcipue celebratur, quæ ab Antonio Leva, numquam alias antea ab obſeſſa urbe egreſſo, eſt edita ad Campeſiam, neque enim antehac tutum duxerat in hoſtem exire, niſi quantum langueſcente obſidio, poſt tantam ſociorum acceſſionem fiducia metum æquaverat. Eſt Campeſia domus ſuburbana, quadringentis paſſibus tantum ab urbe remota,

in acclivi & molliter ſurgente colle, ad amœniſſimos ſeceſſus ſita; ſed in præſentis temporis uſuram foſſa & aggere munita. In hanc ab ea die qua pons ab hoſte diſjectus, ac poſtea fuerat reſtitutus, arcendis oppidanorum incurſibus quatuor cohortes Johannis Medicis præſidio locatæ fuerant, ac propterea in eaſdem Antonius Leva, ne ipſe quoque exſors campeſtris pugnæ ac gloriæ eſſet, qui in tuendis mœnibus tam ferox felixque fuiſſet, movet cum delecta Germanorum Hiſpanorumque manu ac pube Papienſi, centum tantum equitibus emiſſariis unaque murali machina contentus. Adventantem hoſtem eminus conſpicati Medicei, continuo ſe colligere, arma, tela miſſilia, ſaxa expedire, & ſcloporum majorum minorumque grandem numerum locis opportunis diſponere, ſpem in lacertis & virtute ſtatuere, & in deſperatione vulnera & ſanguinem hoſtium cum periculo vitæ compenſare. Itaque primum ex ſclopis glandium nimbos in hoſtem ejaculantes, eum ab domo deterrebant, & ſi ſubituri eſſent, cominus certaturi, nec quævis pericula declinaturi vitæ & laudis amore. Verum Antoniani poſt aliquas pilarum ferrearum contorſiones, quibus paries apertus corruerat, accelerandum rati, ne ex proximis caſtris laborantibus auxilia ſubmitterentur, periculi quam moræ patientiores, in munimenta certatim ſubire ſatagebant, ſed quia ſclopis timeretur, ad evitandos lethales ictus incurve reptantes, tandem injecta materia foſſas ſuperantes, clypeorum denſa teſtudine, in ſummum ſucceſſerant, non tamen ſine audaciæ pernicie, & propterea Antonianis parum læta ſucceſſio. Nam ferro & mucrone cominus & mutuo cruore pugnatum eſt. Prehenſare Antonianus hoſtem, corripere, impellere, propellere, ſauciare. Mediceus per inæquales ſalebras evadentem, & in ipſis ruinis inſtabili veſtigio labantem repellere, urgere, ſaxis & haſtis ferire, & ad ima detrudere, ſuis artibus ſuiſque viribus quiſque niti; tandem Mediceo milite ſcloporum nimbis a defenſionibus amoto, cum feſſis recentes & ſauciis integri ab Antonio ſufficerentur, expugnatur munimentum, cædeſque fœda editur. Nemini ne manum quidem danti indultum, tantum duo centuriones quorum virtus emicuerat, ad genua victorum procumbentes veniam meruere: præda illic non modica, præſertim pecoris, vini, commeatus & quadrupedum ſubjugalium vecterinarumque, quæ eques Antonianus uſque ad pontem in populationem evagatus rapuerat; ſigna quatuor militaria relata, necnon ſpolia, arma, manubiæque in trophæum ante ducem ovantis ſpeciem præbuere: deſiderati dicuntur ex Mediceis quingenti, nec tamen victoria incruenta vel inulta fuit; ſed Johannis Medicis pectus amiſſarum cohortium dolor tam impotenter perſtrinxit, ut nec a liberioribus in regem querelis temperaret, ſibi inquiens ſuiſque quæque munia, quantumvis ardua & periculorum plena ſemper demandari; ſuos milites, viros fortiſſimos, tamquam feras venatorum opponi venabulis; Gallos veluti otioſa animalia, quæ ſi eis cibum ingeras, jacent, torpent, umbraculis gaudere, pericula horrere; at ſuum militem contra letiſales machinarum ictus, ad mœnia, veluti aris victimas aut macello pecora admoveri, & nuper loco iniquiſſimo, quo nemo alius ſidere audeat, ad unum trucidatum: quare amiſſis copiis totque fortiſſimis commilitonibus, nihil aliud a rege quam liberum commeatum petere. Rex hominis iram quantum poſſet mollire, lenimentis demulcere, amice compellare, pollicitis onerare, ejus viri virtutem, quæ tot rebus geſtis alio bello Gallis formidabilis fuiſſet, debere invictam eſſe, nec adverſis frangi, cum non ſemper hominum votis fortuna obſequatur, nec quicquam ea ſiniſtra pugna, damno ſui nominis aut famæ ſit admiſſum. Sed ſe, qua eſſet animi magnitudine, cum iis quæ ſibi ſupereſſent copiis ac novo milite, contumeliam acceptam, hoſti accumulate repoſiturum ſperare. Maxime vero reſpondit Johannes: O rex, ſi talem adverſarium nactus fuero, qualem olim expertus ſum, nam ſuperiore bello cum mulieribus cum adverſum te pugnarem; hoc bello, quo pro te ſto, cum viris mihi bellum eſt: verum, niſi me fallit opinio, haud multo poſt viciſſitudine cladis par pari referam, quod hoſtem æque remordeat. In hæc verba cum jacentium corporum ſtragem regi oculis ſubjiceret, & paucis non ignobilibus viris funeris juſta perſolvi placuiſſet, cetera cadavera in ſubjectum amnem fluitare ſunt permiſſa, ne tabe cœlum corrumperetur. At Johannes cui alte vulnus inſederat, ignominiam hoſti repoſiturus, biduo in inſidiis fuit, obſervans hoſtium egreſſum: & forte plures impuberes, feminæ, militesque ſub fluminis ripam ad ſolem pro anni tempore tepidiorem apricabantur; ligna alii, alii oluſcula legebant: tum vero repente e latebris erumpens Johannes, cum levi equitatu in palatos & nihil tale metuentes invehitur, quiritatus & ejulatus puerorum feminarumque ac militum clamor, in tam inopinato periculo & certa morte Deum atque hominum fidem implorantium; verum in omnes omnemque ætatem ac ſexum, quibus efferata parcit barbaries, adeo ſævitum eſt, ut etiam in mulieres uterum geſtantes ferrum ſtringeretur. Periere tamen ex hoſte duo cataphracti, & equi confoſſi. Verum dum Johannes nimium ſe jactans ultorem, & cædis otioſus ſpectator facinus ſuum verbis magnificis attollit, ecce plures Iberi, qui poſt ſuburbanum ſacellum Stephani protomartyris delituerant, ex inſidiis

eruperant, non ſolum æquaverunt hoſtium A ſtragem, verum eo nobiliorem reddidere, quod ipſi Johanni ex ſclopo in crure pila plumbea inhæſit, quo vulnere factus ad bellandum inutilis, ſub publica fide Placentiam relatus, Deo optimo acceptum certe referre potuit, quod rebus turbulentioribus quæ paucos poſt dies accidere, ei non intervenire contigit.

40. Sub idem ferme tempus a Laurentio Cerite, qui antea Maſſiliæ in præſidio fuerat, mox Savonam, olim Sabbatrum, ſive Sabbatiam dictam in Liguribus, tum regi parentem, claſſe delatus in caſtra regia, nauB ticorum ſociorum tria millia mittebantur; ſed dum nullo ordine & incautius iter agunt, Sfortiani, qui ductu Gaſparis Maini Alexandriam præſidio tenebant, ad Brumidam fluentum in Tanarum, mille ab eo loco paſſibus confluens, aſſecuti, tam repentino & improviſo incurſu diſpalatos disjecere, ut plurimi cæderentur, multi verticoſi fluminis undis abſorberentur; alii dum evadere nando credunt, caperentur, nulli denique inſtitutum iter tenerent.

41. Fuerant proçul dubio Cæſarianis in C eam diem omnia certamina felicia, paucis admodum acceptis incommodis, & aliquot hoſtium caſtella circa vallum fortiter expugnata, numquam tamen obſidium Papienſe diſſolvi, nec in eam urbem alimenta inferri, niſi quæ populator miles carptim lucrifecerat, nec hoſtes in univerſæ dimicationis caſum induci potuerant. Manebat enim regio animo fixum immotumque, minime ad nutum hoſtis inſultantis, collatis ſignis aut tota acie dimicare: ſed obviam eundo, diem de die trahendo, eumdem ludificari; nec munimentis aut foſſa, quibus ſe totamque urD bem accuratius cinxerat, ante diſcedere, quam urbem tot neceſſitatibus victam, ad deditionem compuliſſet: quod quidem conſilium ſi ita conſtanter probaſſet, quam prudenter excogitaverat, fortaſſis eluſa hoſtium audacia, & nequicquam ab illis tentatis caſtris, quod in votis habebat, Papia ſibi ſedenti acceſſiſſet. Ventum enim jam erat ad extrema commeatus, & in primis ad vini inopiam, exhauſto omni penu, pro quo rurſus agitari nova conſilia, & tumultuari impatientius cœptum intra urbem, ac in ipſum Antonium Levam immodicis poſtulationibus reclamatum. Ea cura cum hominem haberet ſollicitum, quod in moderanda Germani militis iracundia, eo minor ſuis verbis inerat auctoritas; leviorque fides, quod toties propinqui auxilii & diſſolvendi in dies obſidii, vana ſpe impleverat eos: nunc in conſpectu eſſe ſocios, vix diſtare duobus tribuſve ſtadiis, ac vallum ejus vallo hoſtium oppoſitum, nec tamen irruptum iri ab iiſdem intra urbem, nec motum loco Gallum, & annonam factam anguſtiorem, & prope jam nihil reliqui eſſe.

42. Quamobrem urgente re continuo Antonius Sanctium Lopetium præfectum equitum Hiſpanorum, armis virum & conſilio pollentem, ad duces Cæſarianos ſilenti nocte per ſcopuloſos & invios calles mittit, qui doceat quo loco ſit res Papienſis, obſidionales ærumnas amplius tolerari non poſſe, militem fremere, urbem promeritam fideliſſimoſque ſocios prodi, deſeri, in ſumma rem perditam, niſi mature ſuccurratur: falli eos ſi exiſtiment niſi ea urbe ſalva aliquid ſibi in toto principatu fore incolume. Cum hæc & alia a Sanctio ducibus renuntiata fuiſſent, ac illi aliquandiu ſuſpenſi, & quaſi incerti conſilii in commune conſultandum cenſerent; Ferdinandus Davolus, dux Gallico bello fatalis, negat rem conſilii eſſe, audendum manu atque agendum, non extrahendum deliberationis mora tempus, ubi opus ſit facto ac omni nixu ad liberandam urbem, ferro viam actutum aperiendam, ſibi id curæ fore ſi ſinerent. Omnibus protinus præſtantiſſimi conſilii ac rariſſimæ virtutis viro, negotium delegandum permittendumque ſentientibus, ipſe primum omnium Sanctium in urbem ad confirmandos ſociorum animos remittit, datque illi itineris & laborum comitem Mirandam, virum æque ſtrenuum, & quid fieri velit imperat. Tum de quarta vigilia ejus noctis, cum duobus millibus peditum expeditoque equitatu, caſtrorum hoſtilium ambitum colluſtrans, cum alicubi neglectas cuſtodias deprehendiſſet, in machinas contra ſe verſas, quæ munimentis inhærebant, per obliquum in latus irrepſit; caſtelloque ſumma vi occupato, cæſoque defenſore eorumdem tormentorum quatuor ingentis molis clavis ferreis cubitalibus configit, totidemque hoſtem in ipſum diſploſa, in [illegible] foſſam devolvit, deinde hoſtium cuneos fragore machinarum ac horriſonis clamoribus experrectos, & jam turmatim ſeſe opponentes, quo confertiores ſubibant, eo plures fariſſis, mucronibus ac ſclopis majoribus minoribuſque, quorum in ea iberorum acie copia fuit, cecidit, perditque fœdiſſime, & tamquam vilia pecora humi ſtravit, ſupra mille ducentiſque occiſis, ceteriſque in fugam ita turpiter actis, ut ſi ſigna totis viribus tunc in hoſtem illata fuiſſent, eo die Gallicus exercitus ad internecionem cædi & debellari potuiſſe crederetur. In eo tumultu ipſe tormentorum magiſter captus abducitur.

43. Ferdinandus cum per otium in caſtra ex cæde revertiſſet, tantamque imbelliam ac ſocordiam in hoſte agnoviſſet, in fiduciam exploratæ victoriæ erectus, communicato de tota belli ſumma cum ceteris ducibus conſilio, vexillum pumiceum pugnæ ſignum loco editiore ad quem conveniendum erat, proponi mandat, ut eminus ab obſeſſis etiam cerneretur, & miles corpora

Cæſariani accingunt ſe ad oppugnanda caſtra Gallorum.

equoſque curare ac arma expedire poſſet, in proximamque noctem, concinente tibicine, in ordinem redigeretur. Peroſus enim omnem moram, quamdiu differret, tamdiu ſe fructu victoriæ defraudari exiſtimabat. Cingebantur regia caſtra, ut prætulimus, munimentis validiſſimis, & alicubi perennibus rivis: ſed qua eadem caſtra in ſeptentrionem reſpiciebant, etiam muro perpetuo, qui ſepta ferarum, theriotrophion Græci, populares parcum dicunt, cum Carthuſienſium cœnobio, & Mirabello uſque ad propugnacula ſuburbana undique claudebat, longe tutiora quam alibi credebantur: quippe quæ nulli ab ea parte, & niſi aperto marte & magna vi penetrabilia eſſent. Atqui Ferdinandus Davolus per intempeſtam noctem cum triplici machinarum fragore urbicos ſocios ex condicto admonuiſſet, & illi pari bombo ſignum reddidiſſent, ipſe adhuc dubiis ſideribus omni linteato agmine, ut bellando ab hoſtibus diſcerneretur, ſigna efferri jubet. Ducebat primam aciem ipſe cum ſexcentis equitibus levis armaturæ, totidemque ſclopetariis ac pari numero arcubuſariis, (nomen certe novum, nec hactenus, quod ſciam, latinitate donatum) anteſignanæ tamen fuerant, & in primo ordine locatæ Germanæ legiones in duo cornua, quibus Georgius *Frintſperg* Alemannus & Baptiſta præerant. Pone ſequebantur Hiſpanæ cohortes, quas Alphonſus Vaſti marchio, & Italici nominis velites, quas comes..... curabat, juſſæque ſunt ad eas muri partes, quas antea noctu colluſtratas a ſe, unico tantum comite, homine agreſti regionis & locorum gnaro, ſibi convellendas animo deſtinaverat, ſecum procedere, tanto tamen interſtitio, quanto a ſe commode explicari poſſent; relictæ tantum ex peditatu aliquot turmæ, ante portam, cui ad ſanctum Lazarum nomen, quæ hoſtem potius minitando quam bellum inferendo diſtinerent, ne a tergo aliquod detrimentum exciperet pugnaturus, & ut pariter ſuſpenſam teneret hoſtium manum, dubitatione certaminis ab ea parte ineundi; cataphractorum vero bifariam diviſorum, mediam aciem Carolus Limoius prorex, extremam alter Carolus Borbonius moderabantur, utrique equitum levis armaturæ æqua portione attributa.

44. Ubi ad præſcripta demoliendi muri loca ventum eſt, protinus adhibitis ad eruendum murum peritis impigris opificibus carpentariiſque ac valida juventute, tum trabibus abiegnis in ſpeciem arietis ore prominulo fabrefactis, & acuminato prolixius ferro veſtitis, ita reciprocante ictuum creberrimo libratu, omnique fabrilis ferramenti terebratu, murorum ſtructuram laxavit ac diſſolvit, ut collaberetur, & agminibus viam tribus locis in hoſticum aperiret; ſed dum labefactandis muris diutius opinione diſtinetur, ne arietantis machinæ fragorem hoſtis haurire poſſet auribus, aſſiduis tubarum clangoribus, diſſoniſque tympanorum crepitibus quaſi aliam rem ageret, falliere eum conabatur. Et regem quidem, qui pridie inſtitores omnes caſtrenſium mercium ad ripam uſque fluminis longius ablegaverat, ut ei in pugnam area illa pateret, ſi certandum foret, quique eam noctem inſomnem egerat armatus, ſuſpenſum diu tenuerat cogitatio, quidnam hoſtis comminiſceretur, quo diſcurſatio & terrifici ſtrepitus pertinerent. Sed tandem per plures emiſſarios & ſpeculatores comperto eruendi muri conſilio, & albicantis agminis ſtratagemate, riſiſſe quidem primum hujuſmodi commentum, & ad ſuos concurſum diviſſe ferunt; nimirum hoſtis niſi candidatus noctu prodiiſſet, dubitavit gæſa noſtra & pila Gallica noſtrorumque tormentorum globos ferreos & glandes ſclopetarias in ſua pectora viam non inventura, niſi ſpecie linearum tunicarum ſcopum illuſtriorem ad jaculanda per tenebras tela noſtris oculis oſtendiſſet. At nos candentes tunicas, ut ſpero, ſuorum vulnerum cruore inficiemus, ut ſit in utroque colore conſpicua variegatio. Nec plura locutus, machinas complures præliares in ea loca, in quibus exſcindi murum compererat, bigis quadrigiſque confeſtim trahi imperat. His Helvetiorum legionem comitem adhibet, ſubjicitque Obignum heroa armis præſtantem, & Franciſcum Sanpaulum, magna indole juvenem, ac Hieronymum Vaſcum Alexandria Statilienſi prognatum, cum ſuis omnibus alis equeſtribus, mandatque Obignino, quem his omnibus præfecerat, uti intrepide cum hoſte decernat, hoſtium audaciam ſumma virtute retundat, ſi eruptionem intra ſepta tentaverit, ſe illi cum toto robore exercitus protinus affuturum, ſi res exegerit. Enim vero rex ipſe ſicut membrorum corporiſque decenti filo conſpicuus & arduus erat, ita animi altitudine ac manuum promtitudine nulli ne gregario quidem militi virtute cedebat, ac quæque diſcrimina militaria ita obibat, ut ſe regem aliquando obliviſceretur. Cum vero ad eam valli partem, quæ in arcem Papienſem ſpectat, validas cohortes peditum equitumque attribuiſſet, interdicta eis prorſus pugnandi poteſtate, tantumque ut caſtra tuerentur præſcripſiſſet, ipſe agminatim ſtructis ordinibus hinc & hinc in duo cornua cataphractorum & inſignium procerum æquatis aciebus, quæ pari intercapedine a ſe diſtarent, medius cum prætorianis cohortibus conſtitit, in omnem eventum paratus, cum pedites Allobroges Menapiique Gherienſes, a Sicambris profecti, ac mercenarii Itali frontem tenerent. Procubuerat, ut diximus, jam tribus locis murus, & lux matutina nebulam denſiorem, turbineumque ex ruina pulverem diſcuſſerat, cum Ferdinandus

nandus ſolito lætior, fiducia, ut credibile A eſt, & præſagio rei bene gerendæ, ad comi-
»tes converſus, Eia agite, viri fortes, inquit,
»fidelſſimique commilitones, poſtquam viam
»in hoſtilia caſtra vobis pateſecimus, hoſtem.
»quatrimeſtri otio, adipatis coquinis cibiſque
»exquiſitiſſimis, non ſecus quam in media
»pace marcentem, ex his ferarum ſeptis lati-
»buliſque, tamquam aprum abdomine tar-
»dum, noſtris armis quaſi venabulis eruamus.
»Prodeat jam, ſi pudor eſt, Gallus cum ſuo
»evirato grege, ex hac cavea & corte, ut hunc B
»diem divo Matthæo ſacrum, victoriæ noſtræ
»raro honeſtiſſimoque titulo nobilitemus. Ho-
»die de hoſte opimiſſimam prædam & adoreæ
»laudis famam relaturi; ita enim fore & diis
»auſpicibus & veſtra virtute fretus ominor.
»Nam præterquam quod mihi Deus & ani-
»mus præ lætitia circa cordis penetralia titil-
»lans geſtienſque, hujus ſpei auctor eſt, tum
»vero ratæ victoriæ, ut ſuperiorum annorum
»triumphos omittam, una pugna ad S. An-
»geli arcem munitiſſimam his diebus, & no-
»viſſime altera ad validum hoſtilis valli caſtel-
»lum, cum magna cæde feliciter pugnatæ,
»magno nobis documento eſſe debent, in C
»quibus deprehendi licuit, quid in tam ignava
»multitudine regi præſidii eſſet. His dictis
elata voce primipili Germanici vexillario
»inclamato: Inferto, inquit, protinus ſignum
»in hoſtem, quem eminus cernis, ego cum
»equitatu fervidus legiones ſubſequar, & vo-
»biſcum bella, ciens pugnator & veſtræ vir-
»tutis ſpectator ordinibus me immiſcebo.

44. Accenſæ tum ſua ſponte, tum ducis bellaciſſimi adhortatione & exemplo legiones, murorum ruinas tranſiliunt, ingreſſum & in ſe ingruentem hoſtem Helvetii, qui D pugnæ & ipſi ſignum acceperant, perſtrepentibus undique lituis ac tympanis excipiunt, prius tamen exploſis utrimque machinarum ictibus, quibus pleroſque cadere neceſſe fuit. Fit pugna atrox paribus animis viribuſque, ac eodem eventu aliquantum certatum fuit, promiſcua cædes mutuaque, haſtis gladiiſque immaniter graſſantibus. Sed cum Gallus, ſive quod tormentis prævalebat, ſive quod illis in tranſverſum locatis, hoſtium latera pulſaret, phalangem Germanicam eo machinarum turbine diſjeciſſet, diſturbaſſetque ordines; Germana acies inclinata aliquot gradibus ita loco ſubmota eſt, E ut tamen non excederet campo, aut a ſignis recederet. Exclamare altiſonis clamoribus Gallus & Helvetius debellatum eſſe, profligatum hoſtem fugam circumſpectare. Re continuo potius in aſſentationem & applauſum amplificata, quam ex fide ad regem delata, ac propterea illi audendi animos faciente, Thomas Leucius, quem ſcutiregulum Galli nuncupant, & Brionius heros, Federicus Bozulus, alii atque alii duces cum copiis in hujus ſucceſſus rumorem ſubmittuntur, qui novæ ſpei fortunæque vires adderent, hoſtemque urgerent. Ipſe quoque rex caſtris in patulos egreſſus campos, directa acie in pugnam gliſcere & promoveri. Sed Ferdinandus miſſis confeſtim qui proregem & Borbonium cum robore exercitus accerſerent, quique celeritate opus eſſe ut acies labans reſtitueretur, ac in eo temporis articulo ſummam rem pendere teſtarentur, non deſiſtebat modo lenius modo gravius Germanos caſtigare, alios laudibus, alios hortatu, & ſpe promiſſiſque accendere, obteſtarique uti in pugnam redirent, eo die nec amplius fortunam belli tentandam, hos eſſe campos in quibus periculum virtutis fieret, decernereturque utrius eſſet imperium. Itaque arma armis, pedem pede conferrent, aſſore præſidia, & opportune adventans agmen eminus apparebat; anteverterant enim duo Caroli duces Ferdinandi mandata. Nam cum ſigna collata & pugnam fervere æneārum machinarum creberrimis fragoribus auribus excepiſſent, nihil ad celeritatem reliqui fecerunt; ita ut ſi hoſtium in pugnam a rege immiſſorum curſum non præoccuparant, ac certe æquaverant: ubi in conſpectum ventum eſſet, ſtarentque armis fulgentibus conſpicuæ utræque acies, jamque & Germanorum trepidatio repreſſa, & reintegrata pugna eſſet ducis annixu & popularium ſuorum virtute, tum Piſcarii imperio Iberi majoribus minoribuſque ſclopis utraque Helvetiani agminis latera glandium plumbearum crebritate confodiebant. Quo enim confertius certabant, eo fœdius cædebantur, & Germanus qui adjectis recentioribus ſuppetiis a fronte pugnam reintegraverat, gradum violentius inferre, turbatum hoſtem infenſius gravare, ſternere, ac in corpora gladium capulotenus adigere, capita librato ictu a vertice uſque ad jugulum findere, membra a compagibus reſcindere, truculentius mactare, ſæviente Germano, nulla parcimonia in genuinum hoſtem; denique campis undique ſanguine manantibus & quaſi in ſtruem cadaverum trucius congeſtis, ubi ejus hoſtis cædendi ſatietas cœperat, aut materia defecerat, in Italici nominis peditem, Sicambrumque cum Gallicis ſtipendia facientem, mucro tamdiu diſtrictus fuit, quoad ab ea prorſus parte profligatus eſſet.

45. Eo loco laus rei bene geſtæ apud Georgium Frinthſpergium, legionum tribunum fuit potiſſima. Ipſe Piſcarius dux equitatu ſuo, aliiſque adjectis, ictibus in machinas hoſtiles concitatis, tanto impetu per obliquum irruit, ut patefacta ſibi quaſi honoris gratia ad eas via, dilabentibus machinarum tortoribus, magis de ſalute quam de propulſando hoſte ſollicitis, nullus jam hoſti in illis uſus eſſet. Cum præſidiariis autem earum cohortibus aliquantulum certaminis fuit, ſed in ipſo Ferdinando duce plus periculi quam

difficultatis aut laboris in cædendo hoſte fuit. Nam cum inter milites audacius quam conſultius pugnat, tantumque ſternendo hoſti ſua manu operam impenſius navat, duo vulnera accepit, non tamen lethalia, unum inter malam & mentum, haſta longiore in utraque fauce impacta, alterum ad ſummam lateris cutem, addunt aliqui tertium infra genu. Nec tamen remiſſa idcirco pugna, ſed ob violatum ducem inclementius ſævitum, nec cuiquam parſum apud cataphractarios equeſtreſque alas a duobus Carolis, quorum alter in dextrum, alter in ſiniſtrum hoſtium cornu ſigna intulerat. Cum adhuc peditatus utrimque eſſent integri, & ad machinas Gallicas nondum fortuna aliquò inclinaſſet, non minus ſtrenue quam proſpere bellum adminiſtratum fuit, nec Galli in duo brachia porrecti pugnam detrectaverunt; omni enim conatu & totis viribus in pugnam prodierant, nec bonus aut ignavus, nec nobilis aut ignobilis, regulus aut cliens qui ſtipendia faceret, expers ejus funeſti certaminis fuit; quove illuſtriore loco aut celſiore fortuna quis natus erat, eo magis ad ſe pertinere putabat, uti res Gallica aut ſuperior aut ſaltem incolumis ſtaret, ne ſi in alieno ſolo, inter infeſtas gentes durius aliquid ingruiſſet, regi ipſiſque receptus in pacatum intercluderetur, nec minor eorum quemlibet inceſſerat ſollicitudo, regem fortunæ ludibria minime veritum, qua erat animi ferocia, non ſolum adeſſe, ſed intereſſe pugnæ voluiſſe; & certe eum pugnaſſe, & vexillarium Germanæ cohortis ſua manu confeciſſe, quidam auctores ſunt. Satis conſtat regem, qui prius in animum induxerat cunctando & in munitiſſimis caſtris ſedendo hoſtem intus eſurientem, foris ærarii inopia & ſtipendii fraudatione tumultuantem in dies ludificari, donec civitas ærumnis domita ultro ſuccumberet, poſtmodum temere mutata ſententia pugnare, & in dubium aleæ caſum, multitudine potius quam virtute fretum decernere voluiſſe; ſed erat profecto in utraque acie animorum diſparilitas. Nam apud Gallos, præter immodicam regis ferociam, quatrimeſtri deſidia cum anni tempore etiam animorum vires ſenuerant, quilibet uti cuique domi amplior fuit fortuna, patriam reſpectare, peregrinam militiam otii amore deteſtari, dubios eventus præteritorum documento formidare, nihil mercenario militi fidere, ea potiſſimum conſilia probare quæ eſſent tutiſſima. In Cæſarianis diverſa ſtudia: Piſcarius princeps laudis cupidine, & eo ſtimulo virtutis quo ſemper vicerat; Borbonius ademtæ ditionis & exilii ignominia ac vindictæ ſtudio; Cymber prorex Cæſari perquam neceſſarius, & genuina nationum æmulatione, inexpiabilibuſque publicarum inter reges irarum aculeis; miles malo induratus & inops, contemtu hoſtilis ignaviæ & Gallicarum opum cupidine, denique totius commilitii in nomen Gallicanum odio, obſtinaverat animis, aut vincere aut occumbere, nihilque æque optabat, quam in æqua planicie occaſionem certaminis dari.

46. Itaque cum in tam diverſis animorum affectibus utrique arma contuliſſent, haud multo poſt apparuit, quid in quoquo animi aut roboris eſſet. Enim vero maximis clamoribus primum infeſtiſque haſtis utrimque eſt concurſum; cumque omiſſis haſtis gladio & clava ferrea res geri cœpta eſſet, ſtetit quidem aliquantiſper utraque acies immota, neutro adhuc Martio favore pendente. Aderant hinc heroes regulique Gallici inter principia, & ut quiſque equitum vel commilitio vel clientelâ aut obſequio vel amicitia illi obnoxius eſſet aut addititius hortari, laudare, increpare, pro cujuſque ignavia vel virtute; item quemque admonere periculi præſentis, in ſuis lacertis & in illo ipſo temporis momento ſitam eſſe ac pendere rem Gallicam, dicere fortunas opeſque regias, niſi ſtrenue tuerentur, communi ſorte caſuras. Et rex haud multo intervallo illinc aberat, ſubmittens auxilia recentiora in quam partem major certaminis moles incumberet. Verum gravante a fronte Cæſariano milite, circumfuſoque in latera hoſtium Sequano milite, qui ad difficillima quæque pugnæ paratus ſigna expectaverat, & quingentis peditibus Hiſpanis, qui equitibus immixti grandiorum ſcloporum glandibus pernicioſius inſiſtebant, non plus ſiſti aut ſuſtineri impetus potuit, quam ſi quis fluminis nivium liquatu aut ſubito imbre tumefacti undantes late gurgites & obvia quæque raptantes, brachiorum objectu retrovertere tentet. Gallus enim ubi in tranſverſum hoſtem illatum novamque ſclopetariorum peſtem in ſe coortam, & dum in fronte pugnat, æneis pilis latera diloricari, & priuſquam hoſtile telum cerni potuerit, lethale vulnus intra viſcera ſentiri, equos tranſadigi, illum moribundum cecidiſſe, hunc mortis dolorem lamentabili voce teſtari, animadvertit: tum aliam victricis aciei procellam, fuſo trucidatoque ſuo peditatu machiniſque expugnatis in ſe irruere, tandem deſperatis & afflictis rebus ſubducere ſe exitio curſu properabat. Verum victore acrius premente, non jam pugna, ſed paſſim vulnera, fœdaque cædes, & tamquam præmaturæ ſegetis cum falce reſectio, ac quamplurium purpuratorum ducumque manu data voluntaria deditio, vel aliquorum qui animis in morte deſtinatis graviter ſaucii vel inviti ſuperfuerant captivitas.

48. Nec minore ſucceſſu ſubmœnianum prælium fuit. Eadem enim hora qua alibi certatum eſt, oppidani quique Antonii Levæ ductu, qui a ſociis caſtrenſibus ineundi paribus auſpiciis certaminis ſignum acceperat ex arce, cum quatuor millibus & quin-

gentis velitibus a porta urbis quæ Mediolanum ducit, cum ducentis cataphractis, trecentisque levis armaturæ equitibus, contra Gallos & Italogallos, qui illi ſtationi è regione inſidebant, cum ſex canonibus prælia-
ribus, ſeu colubrinis erupere, tranſmiſſoque magna vi Gallo, ac inito certamine, non minus fortem in cædendo ad interniciem hoſte, quam tuenda civitate pertinacem operam navarunt; ita ut, quod vix apud poſteros fidem habeat, una non amplius hora tantus exercitus & deletus & cæſus, ac capta caſtra fuerint, cum ipſomet rege regioque heroum comitatu, ac omnibus opibus quibus avarus ac inops miles mirum in modum ditatus eſt.

49. Deſiderata dicuntur ea pugna tredecim hominum millia de Gallis, ferro, ſicut Alarconius vir præſtans & viri alii ſpectatæ fidei, in poſteram lucem ad recognoſcendam ſtragem, eo campo in quo per quinque millia paſſuum pugnatum eſt, miſſi, ex cadaverum inſpectu referebant. Ex Helvetiorum legionibus non pluſquam mille & quingenti ſuperfuere, ſeptem millia hominum aut fluvio, dum fugam moliuntur, abſorpta, aut ab agreſtibus inclementer trucidata, quamquam aliqui cæſorum in pugna numerum ad novem millia redigant. In pugna de viris principibus periiſſe dicuntur, Bonivetus almiragius, nomen hoc ſummi magiſtratus in regia claſſe, Galeacius Sanſeverinius, magnus ut dicunt ſcutiſer, Palicia ſummus equitum magiſter, Thomas Leucius, Bernabos vicecomes, Sandioius heros, Bruneus, Tramoius, Sampaulus, Elietus, Albenius, Bonivallis: Capti rex Navarræ, Sabaudienſis nothus, legatus apoſtolicus, Galeacius vicecomes, Nemoranſius, Federicus Gonzaga Bozulus, princeps Lavienæ, Brionius, dux Valmontius, Obigninus, Sancti-Memius, Franciſcus frater germanus matchionis Saleuciarum, Lodreſius, aliique plurimi ordinum ductores, quorum barbaris nuncupationibus offenduntur aures, denique omnes viri illuſtriores aut capti, aut interempti, præter unum Lanſonium regi ſororis conjugio perneceſſarium, qui ubi inclinatam aciem videt, & nihil reliqui eſſe ad ſalutem, cum quadringentis equis evaſerat, incolumiſque in patriam conceſſit, quamquam paulo poſt, aut ex fatigatione itineris, aut animi tædio, fato deceſſerit; & præter totidem equites quos aut frumentatio, aut pabulatio, aut alia cauſa inde ablegaverat, necnon Theodorum Trivulcium, qui nuncio adverſæ pugnæ ad ſe primum delato, cum ala equitum Mediolano, ubi in præſidio fuit, prius exceſſit, quam res vulgaretur. Nam poſtquam res patuit, Galli omnes ibidem hyemantes populariter ſunt cæſi, & civitas ultro ad imperium priſtinum rediit. Addo etiam ducem Albaniæ, quem cum juſto exercitu, aliiſque mercenariis copiis, ad expeditionem Neapolitanam miſſum ſcripſimus. Is enim qui jam jam in Aquilanos moturus erat, poſtquam res fractas Ciſalpinis, regem captum & hoſtem omnium rerum potiri accepit, nullibi poſt hac tutus, adverſariis odioſus, amicis ipſo incolatu gravis, omnibus ſuſpectus, dum in dies per Latium ſedes & caſtra mutat, & hoſtium metu qui non negligendam manum collegerant, fugam ſubornat; demum gravantibus Columnenſibus, virtute Franciſci Salomonii tribuni militum, inita tertio ab Urbe lapide pugna, cum cæde intra ipſam Urbem ſemper hoſte premente compellitur, & in ipſo Campo Floræ, Urbis loco celeberrimo, apud quem Pompeianum fuit theatrum, pugnare coactus, gravem accepit plagam. Tandem per CLEMENTEM ſummum antiſtitem, ſedato tumultu, Cornetum delatus, quod caſtrum Inui fuit ad Centum-cellas, cui nunc Civitatis Vetulæ nomen, vel ut aliqui ad Plumbinum in Etruria cum paucis in Galliam fide publice accepta navigavit.

50. At FRANCISCUS ipſe Gallorum rex, comploratis & perditis rebus, ubi ſe modo tanti exercitus imperatorem, ab omnibus etiam ſatellitibus & corporis cuſtodibus deſtitutum videt, ſolus ſicut equo bellatore armatus inſidebat, ad pontem Ticino amni, pro convectandis in caſtra ex Lacmelli campis (Laumellinos incolæ vocant) & aliunde commeatibus impoſitum, anhelo curſu ferebatur, quem tamen mercatorum trepida turba ſibi conſulens, tranſmiſſa merce paulo ante diſjecerat, ne obnoxii eſſent raptoribus, ejus curſum quatuor Iberi ſiſtere conati, ne ſciſcitati quidem quis aut cujas eſſet, de deditione agere cœperunt. Ille enim elingui ſimilis, nihil mutire obluctarique occurſantibus, ac præferoci equo, ſaltum in ulteriorem foſſæ marginem, quæ curſum remorata fuerat, nequicquam moliri. Tum vero eorum unus impacto in frontem equi ſclopi quem geſtabat calce, equum ictu & ſtupore attonitum cum ſeſſore rege in imam ſcrobem præcipitem compellit, dein volutatum putri luto & equi pondere gravatum Iberi circumſtantes indigne exagitabant. Cataphractus neſcio quis Athernii ducis, duobus comitatus equitibus hominem ex ſpecie armorum auro fulgentem, & ex torque aureo, qui illi religioſum divi Michaëlis inſigne fuit, phaleratoque ac præſigni equo contemplatus, & minime in illo communem aut privatam fortunam conſiderans, accipi ſe in partem prædæ efflagitabat, & niſi admitteretur, captivo necem interminatur. Cum hujus verbis miniſque Iberi minime moverentur, nec vocem regis metus expreſſiſſet, eſſetque nihilominus grandis altercatio inter eos, forte Borbonii ducis quidam familiarior, aulæque regiæ integris herilibus rebus aſſuetus,

illac tranſiens, ex ejus ornatu ac ipſo inſigni A & caſſidis criſta, conove, ceteraque corporis habitudine, rege cognito, Quid inquit ſemianimo & jam jam ſpiritum exhalaturo inſultatis, agite ex vivis & melioribus captivis, quorum copia affatim ſuppeditatur, meliorem prædam aucupamini, neve fortunam præſentem, quæ multiplicis compendii, elabi ſinite: mox eminus Carolo prorege cum equitum turma proſpecto, qui reliquias belli perſequebatur, quique fortaſſis aliquid de regis fuga ſubolucrat, ei protinus ſeſe offert, rem ut erat pandit, regem ſcilicet in B ſcrobe colluctari, ac prope a quatuor gregariis militibus oppreſſum iri, niſi ocyus ſuccurratur; ac tum accurrere prorex Carolus, ac horrendum in modum inclamare, faceſſerent, & ut ab ejus hominis vi injuriiſque parcerent, pro imperio mandare. Tum equo deſiliens, regem amoto ſternaci equo, in pedes ſtatuit, caſſideque detracta, eſſet ne ipſe rex Francorum venerabundus interrogat. Sum equidem, reſpondit, rex Francorum, & quando ita ſors tulit, magni Cæſaris captivus & dedititius. Exutus inde armis, C cum ſive ex colliſione jactationeque, ſive ferro duplicis vulneris cruore reſperſus, & manum non nihil violatus eſſet, deterſis & obligatis utcumque vulneribus, non ſine etiam hoſtium miſeratione, primùm in ſuum tabernaculum, quod fuerat illi ad ſanctum Lanfrancum, dum res integræ illi eſſent: deinde in arcem Papienſem deducitur, hoc uno in primis miſerabilior, quod nuper tot millibus armatorum ſeptus, ne unum quidem fidum achatem fugæ comitem habuerit. Capitur autem Franciſcus rex ad Papiam, ab Caroli Auſtraſienſis, qui nunc Romanorum imperator eſt, ducibus, poſt annum ſeptingeſimum quadrageſimum nonum natalis Chriſtiani, quo Deſiderius rex Longobardorum noviſſimus ab altero Carolo cognomento Magno, Francorum rege Auſtraſienſi pariter genere, (quamquam aliqui Lotharingiam fuiſſe exiſtimaverint, ignoratione hiſtoriæ) qui mox etiam imperator declaratus fuit, ad Papiam captus fuerat. Captivitas enim Franciſci fuit anno nati Chriſti, DXXV. ſupra milieſimum, ita ſi tempora bene computemus ab utriuſque captivitate ſeptingentos quadraginta novem annos, interceſſiſſe comperiemus. Verum Deſiderius in Galliam, Franciſcus Rex in Hiſpaniam poſt exactum trimeſtre, in arce Piceleonis municipi Cremonenſis, a Genua ad Cæſarem Carolum, qui illic divertebat, claſſe fuit deportatus: in ea claſſe fuerunt octo triremes, a regina Franciſci regis matre inermes miſſæ, quas hoſtis remige & claſſiario milite inſtrueret, quo idem omnem ſuſpicionem exueret, nullamque mari a ſe parari vim regi intercipiendo haberet pro exploratiſſimo. Id enim veriti duces Cæſariani, interminati fuerant ſi quid a Gallis in navigantes moveretur, fore ut rege in pelagus præcipitato, illis ſpem omnem adimerent, regi laborum & vitæ finem facerent.

Finis commentarii decimi presbyteri Franciſci Carpeſani Parmenſis de rebus ſuorum temporum, nono Aprilis MDXXVI.

PROSPERI SANCTACRUCII
DE CIVILIBUS GALLIÆ DISSENSIONIBUS COMMENTARIORUM LIBRI III.

Ex mſ. cardinalis Barberini eruit Mabillonius.

MABILLONII OBSERVATIO PRÆVIA.

PROSPER Sanctacrucius, qui ſubſequentes commentarios ſcripſit, varias legationes in Gallia, Germania, Hiſpania & Luſitania obivit. In Galliam primum Henrico rege nuntius a Paulo tertio miſſus eſt, ubi per duodecim annos hoc officium egit, uti ipſe in libro ſecundo teſtatur. Deinde ob civiles motus ex Luſitania in Galliam denuo revocatur, Carolo IX. regnante, quo tempore hos commentarios de civilibus illis Galliarum diſſenſionibus ſcripſit, magna quidem fide, ut qui omnibus fere conſiliis interfuit. *Cum in Galliam ſecundo rediit, erat tum epiſcopus Piſanenſis: ſed tandem a Pio IV. cujus juſſu alteram hanc legationem ſuſcepit, cardinalis creatus, demum epiſcopus Albanenſis obiit anno* MDLXXXIX. *annos natus* LXXVI. *Inter primos, qui de eo ſcripſerunt, cenſendus eſt Jacobus Sadoletus, cujus exſtat epiſtola* Proſpero Sanctacrucio, *cum Romæ patronum ageret, anno* MDXL. *inſcripta.*

PROSPERI SANCTACRUCII de civilibus Galliæ diſſenſionibus commentariorum.

LIBER PRIMUS.

1. FRanciſco primo Galliarum rege mortuo, Henricus ſecundus filius ejus ſucceſſit, princeps etſi ingenii mediocris, ſummæ tamen probitatis ac conſtantis animi in amandis his, quos ſibi præcipue delegerat: ex quibus rerum omnium ac negotiorum ſummam ad Annæm Montmorantium Galliæ conneſtabilem deferebat. Amabat autem mirum in modum ex familia Guiſiorum ſex fratres, quorum conſuetudine jam inde a pueritia uſus fuerat.

2. Inter hos principem locum obtinebat Franciſcus Guiſiæ dux, vir natura comis & minime ſubdolus, in bello alacris & promtus. Poſt hunc Carolus a Lotharingia nuncupatus, juvenis non illitteratus, ac ingenio verſuto & callido, maxime ambitioni & avaritiæ dedito, quæ vitia religionis ac ſanctimoniæ ſimulatione obtegere conabatur. Alii quorum unus erat cardinalis Guiſiæ, alter dux Haumalæ, tertius magnus-prior Franciæ, quartus Buffenſis marchio vocabatur, ingenii hebetioris habebantur. Præter hos, etſi rex omnibus benignum & facilem ſe præbebat, alios ad ſecretiora conſilia vix admittebat, cum ſua natura, quæ ut erat veterum amicitiarum tenax, ita novarum non facile cupida; tum Guiſiorum artificio, qui diſpertito inter ipſos tempore, nullum ſpatium prætereabi ſinebant, quin duo ipſorum

regem circumſiſterent; atque ſua præſentia aliis aditum colloquendi, ac ſe in familiaritatem inſinuandi omnibus artibus præcludebant, benigniſſimaque principis natura ac credula abutebantur. Quod etiam quo facilius facerent, filiam ducissæ *de Valentinois* unus ipſorum in matrimonium duxit. Erat ducissa regi cariſſima non ſine violatæ pudicitiæ ſuſpicione, atque ad regis animum huc atque illuc inflectendum maxime potens. Itaque omni aditu aliis circumſepto atque intercluſo, ipſi ſoli regem ac reginam gubernabant, Anna Monmorantio excepto, quem etſi ſæpius de regia gratia deturbare conati ſunt, ac apertas aliquando cum illo inimicitias exerceri, ſimulque cum ducissa *de Valentinois* contra ipſum conſpirare; illius tamen virtute atque prudentia numquam pares eſſe potuerunt. Antecedebat enim hos Montmorantius, & ætate, ut qui ab anno ſexageſimo non longe abeſſet; & uſu rerum, quod nullum bellum annis retroactis quadraginta illo abſente geſtum erat; & amicorum non tam copia quam firmitate & conſtantia, quod ipſe amicorum obſervantiſſimus ac in referenda gratia & beneficiis rependendis habebatur. Quæ res magnam illi fidem ac benevolentiam conciliabat. Accedebat quod eo conſultore ac ductore pleraque bella HENRICUS rex feliciſſime geſſerat, atque ego ex ipſius regis ore audivi, multos ante menſes quæ in bellis & in regni adminiſtratione accidiſſent, Montmorantium prudentia ſua prævidiſſe atque illi denuntiaſſe.

3. Erat Montmorantius animo alacri & promto, ingenio acri, corpore vivido, ſomni ac vini parciſſimus, negotiis vehementer deditus: quorum quamvis amplitudinem prudentia, vigilantia, animi magnitudine facile ſuperabat; & ſi quando ad regem triſte aliquod atque incommodum referebat, quo pacto mederi, qua occurrere ratione poſſet, prædicebat, quo regis animum leniret, & a triſtitia averteret. Cumque ſumma omnium negotiorum, tam ad regni procurationem, quam ad belli curam ſpectantium, ad illum deferretur: non tamen intermittebat, quin de ſingulis vel minimis rebus ad regis vel victum, vel veſtitum pertinentibus, ſollicitus eſſet, miro quodam ingenii acumine ac celeritate. Quo fiebat, ut illius prudentia ac diligentia rex plurimum ſublevatus, vehementer hominem amaret, ac magnifaceret.

4. Itaque Guiſii illum æmulum & rivalem ægre ſufferentes, reliquos omnes, quanto longius poterant, arcebant. Quod eo facilius faciebant, quo Montmorantius Guiſiorum ingenia atque artes jam optime tenens, quantum alii virtute ac prudentia apud regem perficere poſſent, non libenter periculum faciebat, ſeque eo ſtatu, qui erat altiſſimus, continebat.

5. Ea res magnam utriſque invidiam ab omnibus regni proceribus conflabat; præcipue autem ab Antonio Borbonio Vandomi principe, qui poſtea quod regis Navarræ filiam in matrimonium duxit, regnum illud ex ſucceſſione obtinuit. Is principem locum poſt regem in Gallia obtinebat, quod ex familia Borbonia natus, rege ſine liberis decedente, ad illum regni faſces pro veteri more ac legibus deferrentur. Fratres habebat tres, neque ſatis patrimonii ad familiæ dignitatem ſuſtinendam. Quare cum videret Montmorantium ac Guiſios in dies gratia, dignitate, honore, divitiis auctiores fieri, ſe ac ſuos non ſolum non honeſtari, ſed neſcio quo pacto deſpici; grandi in illos invidia atque odio laborabat, ac nunc Montmorantium perfidiæ accuſare, quod Franciſcus primus rex Carolo quinto imperatori, quocum continenter bellum gerebat, amicitiæ ſimulatione aditum per Galliam in Flandriam alieniſſimo tempore, Montmorantio conſultore, conceſſerat; quæ res magno illi poſtea detrimento ceſſit: nunc Guiſios juvenes omnium rerum ignaros, atque exteros, utpote qui ex Lotharingia veniſſent, nominabat, & perpetua propemodum a curia abſentia dolorem ſuum teſtatum relinquebat.

6. Erant inter Borbonios & Guiſios neceſſitudinis arctiſſima vincula; quod ex duabus ſororibus orti erant: ſed ea res non ut minueret, augebat mœrorem: quod neſcio quo pacto natura comparatum eſt, ut ægrius homines cognitorum, quam exterorum; propinquorum, quam alienorum æmulationem ferant. Itaque Borbonii, quorum unus, ut dixi, rex Navarræ erat, alter cardinalis, tertius princeps *de Condé* nominabatur, domi ſe continebant, odio ac malevolentia pleni. Neque tamen quidquam præter lamentationes ac querimonias moliri audebant, quod Henrici regis, alioqui non ſatis benevolo in illos animo, offenſionem magnopere verererentur.

7. Regnavit Henricus annis duodecim, quo tempore plurima bella feliciter geſſit: at quam leve iſtorum bellorum initium fuerit, quamque etiam commutata fortuna Henricus ultimo anno & pugnarit & infeliciter perierit, operæ pretium eſt poſteris tradere: quo, quantum ſit poſitum in unius hominis vel levitate, vel audacia, quantumque mortales rebus proſperis vel minimum fidere debeant, intelligamus.

8. Cum Paulus tertius pontifex maximus Parmam ac Placentiam nobiliſſimas urbes, ab eccleſiæ ditione ad Petrum Aloyſium Farneſium filium tranſtuliſſet; is non multo poſt Ferdinandi Gonzagæ, qui Mediolani pro Carolo v. imperatore cum imperio præerat, conſilio & procuratione, a nonnullis civibus conjuratis Placentiæ ex feneſtra præcipitatus

est. Gonzagam ad hoc facinus committendum, & odio, quo Farnesios, levibus tamen de causis, prosequebatur; & aviditate gazæ, quam Petrus Aloysius instructissimam & ditissimam habebat; & civitates illas Mediolanensi imperio adjungendi desiderio impulsum affirmabant: ac Placentia quidem, ut destinaverat, potitus est: Parmam oppidani conservarunt, seque ecclesiæ dedidерunt.

9. Paulus tertius accepta tam insigni injuria, urbe opulentissima amissa, dolore animi mortuus est, annos natus LXXXII. vir summæ prudentiæ, maximi animi, litteras qui & nosset & vehementer amaret, litteratos ac graves viros honoribus afficeret, & ad rempublicam administrandam appositè natus. Quo factum est ut sui oblitus, has urbes Petro Aloysio concesserit, eo prætextu, quod ecclesiæ gravis esset illarum cura, quod distractæ essent ac separatæ a reliqua ecclesiæ ditione: quodque, propterea quod erant finitimæ Mediolani ducatui, principem qui inhabitaret, quique assidue invigilaret, requirerent: tum quod census annuus novem millium aureorum penderetur, ducatum etiam camerini sui ecclesiæ traderent, optime etiam utilitati prospectum existimabat. At divino judicio non multos post menses factum est, ut sui eum facti vehementer pœnituerit; atque ego ex nonnullis intellexi, qui eum clamantem audierunt, se debitas pœnas pendere, quod ecclesiam talibus urbibus spoliasset. Ac moriens nullum verbum frequentius usurpabat, quam illud Davidis: *Peccatum meum contra me est semper.*

10. Eo mortuo Julius tertius suffectus est. Is, quod Farnesiorum suffragiis ad pontificatum erat evectus, Parmam Farnesiis grato potius quam prudenti consilio restituit.

11. Erat Romæ pro Carolo V. imperatore orator Didacus de Mendoza, vir acris ingenii, sed ad malum proni, qui etiam novitatibus vehementer studeret; neque satis benevolo in Farnesios animo, quod in amando nobilissimam ac pulcherrimam mulierem rivales cum extitissent, graves inter illos injuriæ intercesserant. Is imperatori significat, »Farnesios Parmam nullo pacto retinere posse, »quod in ea civitate sola ab omnibus circumvicinis timere deberent; neque tantum facultatem habere ad milites retinendos, quos »defensioni necessarios haberent. Proinde illos »necessario cum aliquo principe de illa pacturos. Id si fieret, rebus imperatoris vehementer incommodum futurum, quod inde »bellum ali; atque agrum Mediolanensem »perpetuo vastari posse affirmabat. Itaque in »Italia, cujus magnam jam partem obtinebat, »belli excitandi causam omnem exscindendam esse, atque hanc, tamquam viam ad »incendium, omnino tollendam.

12. His persuasionibus factum est, ut imperator in spem venerit, Farnesios Parmam dimissuros, ac facile ab se compensationem accepturos; quod etsi gravissime patris interitum accepissent, quia tamen id a Gonzaga se inconsulto factum asserebat, tum etiam quia Octavius Farnesius Margaritam, ipsius imperatoris filiam illegitimam, uxorem habebat; nonnihil etiam de ipsorum ætate confidens, ut qui admodum juvenes essent, eis conditiones aliquas offert, quo Parma potiatur. Id cum non succederet, quod Farnesii neque satis illi fidebant, neque proponebatur quod cum Parma & Placentia comparandum esset; cum Farnesii utriusque urbis compensationem expectarent, minis terrere cœpit, ac clanculum proditionis tentare, si quando illa potiri posset. Ea res Farnesiorum animos valde exulceravit, quod patre fœdissime interfecto, urbe ampliſſima spoliati, nondum satis imperatoris desiderio factum videbant. Ita tempus terendum non esse, quin rebus suis providerent, arbitrati sunt.

13. Erat in Galliis Horatius Farnesius cardinalium & Parmæ ducis frater, quod ei, vivente Paulo, Henricus rex filiam suam illegitimam spoponderat. Is quotidie regem sollicitare, ne se ac familiam suam opprimi pateretur. Imperatoris injurias in se commemorat, cupiditatemque ut omni Italiæ imperet exprobrat: si Parma potiatur, pacatum dominatum habiturum, Gallos perpetuo exclusos iri. Quibus, quod in Italia jam nihil haberent, magno usui Parmam futuram prædicebat. Ex eo illos se capere posse conjecturam, quod imperator omnem, ut dicitur, lapidem movebat, quo illa potiretur. Non frustra. Tantum eniti ac contendere, ut etiam pontificem terruerit. In ea igitur positum esse, ut imperator pacata ac quieta Italia potiatur: se nihil ultra expectare, nisi ut Henricus rex in suam clientelam Farnesianam familiam non contemnendam recipiat, Parmamque ut suam tueatur, ac perpetuo sibi devinciat.

14. Henricus his rationibus motus, simul belli gerendi cupiditate, ut qui regni sui initia aliquo præclaro facto illustriora reddere cupiebat, ne inglorius atque luxui & otio deditus, vitam traducere velle videretur: tum etiam ne gens Gallica insolentia belli ac otii diuturnitate emolliretur, Farnesiorum æqua postulata judicabat.

15. Hæc cum Romæ inflatius nuntiarentur, Mendoza Julio pontifici persuadet, Farnesios rebus novis studere: bellum eorum opera in Italia excitatum iri: ipsum esse in culpa, quod Parmam tradidisset, ac causam magno incendio futuro dedisset. Quod nisi providisset imperatori, necessarium omnino futurum, ut quam maximum posset copiarum numerum in Italiam traduceret, quod pontificem vehementer timere intelligebat.

» Facile eſſe pontifici ſua auctoritate Farneſios
» ab incœpto revocare, cum Farneſii, quorum
» duo erant cardinales ſummis opibus affluen-
» tes, pontificis imperium numquam recuſa-
» turos exiſtimari poſſit, ſi ſerio agatur. Id niſi
» tentet ac ſumme annitatur, imperatori per-
» ſuaderi non poſſe, pontificem cum illis non
» conſentire atque aliquid moliri.

16. Pontifex, etſi pacis atque otii cupidiſſimus, libenter ab omni harum rerum cura temperaſſet: quia tamen culpam in ſe rejici videbat, quia imperatoris iram ac vires pertimeſcebat, niſi & vocibus Farneſios territaret, ipſius quotidianis & importunis precibus victus rem aggreditur. Ac primo Farneſiis, ne qua ratione de Parma quovis cum principe ſe inconſulto agant interdicit. Minas addit, niſi paruerint, ſe graviter bello animadverſurum. Id cum Farneſii eo conſilio fieri intelligerent, ut a Gallorum amicitia disjuncti, quamvis ab imperatore conditionem accipere cogerentur, ita pontifici obediebant, ut neque Gallorum amicitiam intermitterent.

17. Hæc Mendoſa pleniora atque uberiora referens & rumoribus augens, Farne-
» ſios verba dare, pontificem ſenem & iner-
» mem irridere, ac contemtui habere prædi-
» cat. Quod ſi initio pontificatus tale animi ſui
» ac timiditatis ſpecimen dederit, ut a ſuis
» contemnatur, futurum, ut nec ab injuriis tem-
» perent, eumque Urbe, quod aliquando fa-
» ctitatum legimus, pellant. Ita pontificis animum timidum, neque talibus aſſuetum vocibus, mirifice commovebat, ut quid conſilii caperet penitus ignoraret. Nam ſi vehementius urgeret, rem ad bellum ſpectare cognoſcebat, quod Farneſii Gallorum amicitiam neglecturi eſſe nulla ratione videbantur. Id autem ut periculoſum, & a natura ſua valde alienum, ut quod etiam multorum malorum initium futurum videbat, neque perſonæ ac dignitati ſuæ conſentaneum vehementer abhorrebat. Ex altera parte, ſi remitteret, plurimum ſuæ auctoritati detractum iri intelligebat: cum præſertim, ut erat natura grandiloquus, magnificis atque elatis verbis ſe hanc injuriam nullo pacto laturum: Farneſios omnino in officio futuros ſæpe coram ſenatu edixiſſet: neque hoc quidem pertimeſcebat tantum, ut non etiam magis imperatoris iratum animum formidaret, quod Mendoza ejuſmodi vocibus pontificis aures circumſonare curabat, imperatorem niſi pontifex ſerio egerit, graviter ſuccenſurum.

18. Erat imperator Carolus quintus ſummæ tunc auctoritatis, quod Germanicum bellum feliciſſime confecerat: & quod in Italia Neapoli ac Mediolanenſi imperabat, pontificem undique circumſepiebat. At pontifex in pontificatu novus, ſine pecunia ad bellum gerendum, & conſilii & aliarum rerum omnium inops,

19. Itaque cum Mendoza nunc minis terreret, nunc rei facilitatem proponeret; proptereaque Parmam viginti dierum ſpatio in pontificis manum futuram certiſſime affirmabat, quod neque ſatis militum ad præſidium, & multarum rerum inopia laboraret, & cives Parmenſes arderent deſiderio in eccleſiæ poteſtatem redeundi; eò rem deduxit, ut pontifex, ſe quidem ſatis animatum eſſe, ſatiſque rem ipſam ac facilitatem cognoſcere: ſed a belli ſuſceptione primum pecuniæ, deinde militum ac præcipue ducum inopia excuſaret.

20. Ubi Mendoza rem eo deductam ſenſit, laudare pontificis propoſitum, hortari ut hujus ſui animi ac egregiæ voluntatis ſignificationem imperatori faceret: futurum, ut facile illum excuſatum habeat, vel ſaltem aliqua ratione his incommoditatibus conſulat.

Sunt qui Mendozam cum pontifice pactum de Parma imperatori tradenda, atque illius loco caſtra aliquot in regno Neapolitano Johanni Baptiſtæ Montio, pontificis nepoti, concedenda affirment. Ego certe pontificem inconſiderate ac timiditate quadam adductum exiſtimarim, ut in eum ſenſum ad imperatorem ſcriberet. Imperator ad hæc dixit, ſe aureorum xx. millium commodaturum: habere præterea in agro Mediolanenſi legiones aliquot, & Ferdinandum Gonzagam, exercitatiſſimum in rebus belli-
cis, quibus pro ſuo arbitrio pontifex uteretur. Quo reſponſo accepto, cum, ſi bellum diutius differret, futurum putaret, ut in majorem ſuſpicionem veniret apud imperatorem, quod omnia ejus conſilia cum Gallis tractarentur, bellum nolens atque invitus ſummo cum animi dolore indicit, copias aliquot conſcribit, cardinalem de Medicis, qui poſtea Pius IV. pontifex fuit, legatum mittit.

21. Ita ſine ulla propemodum cauſa, auctore invito, ac nolente imperatore, ut poſtea compertum eſt, magis Mendozæ ſuaſionibus, quam ſua opinione impulſo, bellum quo tota propemodum Europa poſtea exarſit, excitatum eſt. Nam Galli ſimul atque bellum, & pecuniam, & milites Cæſarianos parari viderunt, fruſtra imperatore ſe excuſante, quod pontifici accommodaſſet, ipſi etiam exercitum conſcribunt, & in Pedemontium fines irruentes Parmam obſidione tertio poſt menſe liberant. Atque hoc quidem initium bellorum: quæ deinde conſecuta ſunt, aliis ſcribenda relinquimus. Quo vero fine iſthæc tragœdia concluſa ac terminata fuerit, ut prædiximus, quo etiam pacto Henricus mortem obierit, breviter perſtringemus.

22. Adjecerat imperio ſuo Henricus ex Italia præter Sabaudiam, & in Pedemontana regione urbes aliquot, quarum partem a patre Franciſco acceperat, partem ipſe armis occuparat,

occuparat, Corſicam inſulam, agrum Senenſem omnem; ac Parmæ Mirandulæque perinde ac ſuis urbibus imperitabat. In Germania vero Metenſem civitatem (Mediomatrices antea dicebantur) *Ivois*, *Mariamburg*, *Danviglier*, Verdunenſem ac Tullenſem civitates Lotharingiæ, quod filiam ſecundo genitam duci Lotharingiæ in matrimonium collocarat, ut ſua fruebatur. Ab Anglis Bononia recepta, noviſſime urbem *Calais* expugnarat, ſitu loci ac munitionibus memorandam. Ita ut circumquaque imperio aucto ac dilatato, maximis ac munitiſſimis urbibus expugnatis, omnibus terrori eſſet.

22. Hic fortunæ varietatem inſtabileſque rerum humanarum curſus inſpicias, & divina judicia ac providentiam non ſatis admireris, quaſi nos admonitos velit, regna & imperia & aliarum rerum felices ſucceſſus fruſtra aliunde ſperari, quam ex ipſius Dei præpotentis manu, ipſum cum voluerit daturum: nos non debere eſſe in percipiendo Dei beneficio arrogantes.

23. Cum hoc in ſtatu res eſſent, PHILIPPUS Hiſpaniarum rex, qui in Flandria agebat, (Carolus enim imperator, ejus pater, regnorum procuratione filio relicta, in Hiſpanias in monaſterium valetudinis curandæ ergo, ac ſanctioris vitæ cauſa ſeceſſerat) quod San-Quintinum negligentius a Gallis cuſtodiri intellexerat, eo cum exercitu pervenerat. Præerat illi urbi Caſpar *Coligny*, Franciæ admiralius, qui Montmorantii nepos erat ex ſorore. Is quæ ad urbem muniendam neceſſaria erant, apparare intermiſerat, pecuniamque a rege propterea traditam in proprios uſus converterat. Ea res Montmorantium valde angebat, quod non tam ipſius admiralii, quam ſua culpa, qui illum frequenter regi commendaverat, civitas maxima atque munitiſſima amitteretur. Itaque exercitu celeriter comparato, ipſe Montmorantius ad urbem obſidione liberandam proficiſcitur: cumque huic operi intentus eſſet, atque in urbem milites aliquot, ac præterea ad victum neceſſaria intromiſiſſet, ſeque in in caſtra reduceret; ex improviſo adorti equites Philippi regis, Gallorum noviſſimum agmen carpere cum cœpiſſent, exercitum longo itinere defeſſum ac ſegnius ſe habentem diſſiparunt; ipſoque Montmorantio ac tota ferme Galliæ nobilitate capta, maxima atque inopinata victoria potiuntur. Aiunt Montmorantium, quod militum paucitatem, ac ducum, qui omnes fere juvenes erant, imperitiam contemneret, negligentius exercitum reduxiſſe. Quo ab hoſtibus cognito, & occaſione rei gerendæ oblata, multum etiam ad hanc rem adjuvante ipſorum ducum adoleſcentia, quod nec pericula conſiderarent, & ardore atque impetu quodam animi deferrentur, in Gallos impetum feciſſe & fugaſſe.

24. Præerat tunc exercitui Hiſpano Emmanuel Philibertus Sabaudiæ dux, quem regno exutum a Gallis Philippus rex ex matris ſorore natus magno in honore habebat. Hunc fortunam tentaſſe, &, quod recuperandi regni deſiderio teneretur, majori animo quam prudentia congreſſum fuiſſe aiunt, quod multum eſſet inferior & copiarum numero, & equitatu. Alii Montmorantium circumventum ferunt ab Andelo ex ſorore nepote. Cum enim eum præmiſiſſet, ut locum quemdam obſervaret, qua hoſtibus omnino tranſeundum eſſet; ipſum quod itineris laborem detrectaret, cum alias locum illum non eſſe pervium animadvertiſſet, non multo poſt tempore reverſum ſe locum diligenter inſpectaſſe, neque ulla ratione exercitum tranſire poſſe, quod anguſtus valde eſſet, denunciaſſe. Ei vero Montmorantium quod fidem habuerit, ac proinde indiligentius receſſerit, atque ita ſecurus, ut eos, qui hoſtem adventare nunciarent, timiditatis redargueret, graves poſtmodum pœnas dediſſe

25. Hac victoria ſi Philippus rex uſus fuiſſet, atque ulterius progreſſus, quod nullum erat in tota Gallia militum præſidium, conturbatis ac deſperatis rebus, ipſo Henrico rege ex Compendio civitate, ubi tunc temporis degebat, in urbem Pariſios ſe recipiente (quæ receptio ſimilis fugæ magis fuit) magna Galliæ parte potitus fuiſſet. Sed ut res bellicæ difficiliores multo ſunt, quam ut continuo expediri poſſint; ipſo Philippo remiſſius agente, Henrico regi ſe colligendi atque exercitum conſcribendi tempus datum eſt.

26. Interea Montmorantius apud hoſtes de pace tractabat. Audiebatur a Philippo avidiſſime, ut qui pacis amantiſſimus, partam victoria gloriam libentius retinere volebat, quam denuo ſuarum virium & quid fortuna in bellis poſſit, periculum facere. Ita re per menſes aliquot tractata, tandem indigniſſimis conditionibus pax inter hos principes dicta eſt, cujus capita fuerunt.

Quod Henricus rex Sabaudiam, & quidquid in Pedemontibus tenebat, Emmanueli Philiberto Sabaudiæ duci reſtitueret, quinque oppidis, in iis Turino, retentis; ac Margareta ſorore in matrimonium collocata; Genuenſibus Corſicam inſulam traderet, Philippo regi *Ivois*, *Danviglier*, *Mariamburg*, & quidquid ad Flandriam pertinebat. Senenſes qui ſe illi biennio antea dediderant, miſerandum in modum Coſmo Florentiæ duci traditi ſunt. Duci Saubaudiæ intra triennium oppidorum reſtitutio: Anglis intra octo annorum ſpatium *Calais* promiſſa eſt, ita tamen, ut quadringentorum millium aureorum ſummam Angli penderent. Rex PHILIPPUS Sanquintino reſtituto Elizabetham, Henrici regis filiam primonatam in matrimonium ducebat.

27. His ita compoſitis, pax dicta eſt, & quod multo ſanguine, pecunia incredibili, ſpatio multorum annorum Galli acquiſierant, uno die magna cum ignominia tradiderunt, obſtupefactis ipſa admiratione audientibus, neque fidem litteris aut nuntiis habentibus: donec re ipſa cognita, ac perſpecta Gallorum imprudentia, dejectum animum, perfidiam, indignitatem, magnis vocibus totâ Italiâ conclamabant. Præcipuum dolebant omnes ac miſerabantur Senenſium, qui ſemet in regiam poteſtatem tradiderant, quoſque uno verbo rex liberos relinquere potuiſſet, quod Philippus rex ad ipſorum dominatum non aſpirabat, miſerandum in modum Coſmo Florentiæ duci (ſunt enim inter Florentinos ac Senenſes perpetuæ inimicitiæ) tradidiſſet. Id factum eſt Caroli cardinalis Lotharingii procuratione, quod dux Guiſiæ ejus frater Ferrariæ ducis ſororem uxorem habebat, ac Ferrariæ dux, ducis Florentiæ filiam.

28. Itaque dux Ferrariæ, qui tunc in Gallia morabatur, per cardinalem iſthæc duci Florentiæ ejus ſocero procuravit, nulla honoris, nulla fidei a rege datæ ratione habita, nulla etiam conſcientiæ, quod civitatem liberam nihil tale merentem in ſervitutem redigeret. At videre eſt divinæ voluntatis ſignificationem. Revoluto anno Ferrarienſis ducis uxor mortua eſt, magnæque inter ipſum & ejus ſocerum Florentiæ ducem ac graviſſimæ inimicitiæ interceſſerunt: quarum cauſam atque exitum alii ſcribent: nos ad rem noſtram revertamur, atque hujus rei cauſam exquiramus.

29. HENRICUS rex ſe propterea quacumque ratione pacem inire voluiſſe dicebat, » quod intelligeret, regnum Franciæ ad hæ» reſim declinare, magnumque in numerum » veniſſe, ita ut, ſi diutius differret, neque » ipſius conſcientiæ, neque regni tranquilli» tati proſpiceret: fieri aliter non poſſe, ut eo» dem tempore & bellum foris adminiſtraret, » & timeret domeſticum: ſe propterea ad » quaſvis pacis conditiones deſcendiſſe, ut re» gnum hæreticis ac malis hominibus purga» ret. Hæc ab eo ſatis frigide & cum pudore dicebantur. Montmorantius aliam cauſam afferebat, ſcilicet quod rex, reliquis omnibus partibus pacatis, pacèque cum Philippo ac neceſſitudine contracta, bellum Anglicum cogitaret.

30. Habebat Henrici filius FRANCISCUS regis Scotorum filiam in uxorem, quam regno heredem pater ſine liberis decedens reliquerat. Ad hanc pertinebat & Angliæ regnum, quod Anglorum rege mortuo, filia, quæ ſucceſſerat, illegitima reputabatur. Hæc autem Scotorum regina ex Jacobo IV. rege, (is ex Henrici Angliæ regis ſorore natus) proximior erat, cui jure regni Angliæ faſces deferrentur. Itaque quod regnum Angliæ ab illegitima, cui nullo jure ſucceſſio deferebatur, occuparetur; quod ad nurum ſuam pertineret, armis ut repeteret, regem propterea in hanc pacem deſcendiſſe, Montmorantius amicis ſecreto edicebat.

31. Sunt qui exiſtiment, & Montmorantium, & pleroſque Galliæ proceres, quos bello apud Sanquintinum captos ſupra memoravimus, ut eorum libertati magis, quam regis famæ aut commodo conſulerent, præcipites in hanc opinionem deſcendiſſe, ut rex pacem appeteret: eaque per conſanguineos ac internuncios regi perſuaſa, ſive prima occaſione hæreſis, ſive ſecunda Anglici belli, id tamen ſolum ſpectaſſe, ut ſe in Galliam reciperent.

32. Per idem tempus PHILIPPUS rex ſemel atque iterum Montmorantium Galliam redire permiſerat, fide data, ſe ad eum rediturum. Itaque regi facile credulo, nec ingenio admodum perſpicaci, tum vero Montmorantii verbis magnam fidem habenti, facile fuit perſuadere. Factum eſt hoc XIX. Aprilis MDLIX. dieſque ſponſalibus dicta XXI. Junii MDLIX. Pariſios miſſus eſt a Philippo Hiſpaniarum rege Ferdinandus a Toledo dux Alvæ, qui ſuo nomine Elizabetham deſponſaret. Quod in eccleſia Pariſienſi magna pompa ac multis impenſis factum eſt: ludique decreti. In his cum rex Henricus ipſe etiam eques, ut moris eſt, cum Scoto quodam nobili concurreret, lancea dextrum oculum transfixus, quod galea non ſatis firma hærebat, mortuus eſt. Commutata lætitia in acerbiſſimum luctum, Gallis omnibus præ dolore, Hiſpanis præ commiſeratione lugentibus, præcipue Catharina Medices regina Henrici uxor impotenti dolore oppreſſa, neque lugere, neque vocem ullam emittere per diem integrum potuit. Ita brevi momento omnia quæ ad nuptiarum ſplendorem præparata erant, nam & Elizabethæ filiæ ſponſalia & Margaritæ ſororis quam duci Sabaudiæ deſponſatam ſupradiximus nuptiæ celebrabantur, ad funeris pompam traducuntur, variis hominum ſermonibus, quod alii Principis imprudentiæ, quod ſe tanto periculo ludens commiſerit: alii fato cuidam tribuebant, quandoquidem totum diem cum idem feciſſet, noxque ferme inſtaret, neque ad eum, ſed ad alium curſus pertineret, diſſuadentibus mirum in modum & Montmorantio & aliis multis, nullo pacto retineri potuit, quin quaſi præceps in caſum illum prolapſus ſit; & qui tot bella geſſerat, tot provincias domuerat, tanto terrori aliquando hoſtibus fuerat, pace compoſita, inter nuptias ita concidit, ut non etiam imprudentiæ ac levitatis infamiam effugerit. Mortuus eſt X. Julii MDLIX. undecima poſt die quo vulneratus eſt, ſed ita ex vulnere concuſſus, ut primo die ſenſum fere omnem amiſerit, annos na-

tus XL. corpore robuſtus, colore ſubnigro, ſtatura grandi: lenis in ſermone, ac placidus; a contumeliis ita temperans, ut ne ſervis quidem umquam male dixerit: natura miſericors & benignus, ac melancholicus & tardiloquus; juſtitiæ & religionis cultor quammaximus.

COMMENTARIORUM.

LIBER SECUNDUS.

1. HENRICI interitu magnum res Galliæ detrimentum accepit, quod is totum ſe ad religionem inſtaurandam, hæreſim propellendam converterat. Nam menſe Aprilis, qui illius mortem præceſſerat, Pariſiis in ſenatum parlamentum vocaverat, ibique ſenatores aliquot audacius de religione locutos in carcerem conjici juſſerat, ac de nonnullis ſupplicium ſumi; omnibuſque referebat ſermonibus, Se quando Dei benignitate & gratia pacem cum ſuis hoſtibus eſſet aſſecutus, nihil diligentius curaturum, quam ut de religione benemeritus teſtatum apud poſteros relinqueret, ſe hoc animo fuiſſe a bello ad pacem revocatum, ut regnum ſuum hæreticis ac perditis hominibus purgaret, & poſthabitis quibuſcumque commodis humanis, in illuſtrandam ſolius Dei gloriam incumberet.

2. At FRANCISCUS ejus filius rex ſalutatus eſt annos natus XVI. Hic, ut ſupra memoravimus, MARIAM Scotiæ reginam in uxorem habebat. Ea ex Guiſiorum ſorore nata erat. Ita ad priſtinam Guiſiorum cum Henrico patre familiaritatem cum Franciſco filio neceſſitudinis etiam vincula accedebant. Quo factum eſt, ut tantum inde auctoritatis & virium ſumſerint, ut jam regni gubernacula tenerent, multum ad hoc adjuvante ipſius regis tenera ætate, quæ nec per ſeſe ipſum regere, & propinquorum auxilia maxime expoſcere videbatur. Quam occaſionem CAROLUS cardinalis a Lotharingia, ex Guiſiorum, ut diximus, familia, belliſſime arripiens, alios omnes, quorum potentiam aut ingenium ſuſpectum habebat, a regis congreſſu & familiaritate, quanto longius poterat, arcebat. Nam cum per illud tempus Anna Montmorantius Franciæ Conneſtabilis regem de more ſalutatum veniſſet quinto poſt die quam pater deceſſerat; Lotharingii ſuaſu rex ne reſpicere quidem hominem voluit: qua de re exceſſit aula, ſeque in domum ſuam recepit: & Antonius Borbonius, Navarræ rex, qui ejuſdem officii cauſa ad curiam venerat, indigniſſimo hoſpitio exceptus eſt. Eſt autem Galliæ mos, ut pro dignitate ac propinquitate hoſpitii, regis gratiam atque animum metiantur. Ita uterque excluſus, liberas, ut dicitur, ædes Guiſiis ipſis, in primis Carolo cardinali reliquit.

3. Is igitur jam ſine rivali, Borbonio, cujus potentiæ; & Montmorantio, cujus prudentiæ & artificio par eſſe non poterat, omnia adminiſtrabat eo majori audacia, quod in ipſis regni initiis, quod ſecundiore fortuna rex uſus fuiſſet, ejus conſilio ac prudentia factum adulatores conclamabant.

4. Ipſe inde majores animos in dies ac ſpiritus ſumens, ut qui etiam & excellenti animo polleret, & litterarum ſcientiam & multarum rerum ac gentium notitiam teneret, eo devenerat, ut regi ſolum nomen reliquiſſe, alia omnia ſibi ſumſiſſe videretur. Quod adoleſcenti, mediocris alioqui ingenii, neque in rebus humanis exercitato, facile perſuaſerat, ut ſe voluptatibus dederet, laborum moleſtiam curaſque omnes effugeret, & imperii commodis ſine ulla perturbatione frueretur.

5. Interea quod Henricus rex grande æs alienum reliquiſſet, ut qui ætatem omnem in bellis conſumſiſſet, creditores regii ſolutionem efflagitabant. His ſæpius multa ſpe cluſis, aperte tandem cardinalis edixerat, ſe ne obolum quidem conceſſurum, quod nec decennales regni proventus ſufficerent. Quod quoniam uſurarum inſolentia ac magnitudine in tantum excreviſſet, non inique ſe facturum, ſi eodem tempore & regis, & regni neceſſitati, & creditorum conſcientiæ conſuleret.

6. Ad hanc non ſolum negationem ſolutionis, ſed acerbitatem reſponſionis illud etiam addidit, ut publico edicto ſtatuerit, ut qui erant in aula hujus negotiationis cauſa, intra præfinitum tempus diſcederent. Quod pleriſque admodum inhumanum viſum eſt, multoque conſultius illum facturum, ſi dilatæ, vel potius ſublatæ ſolutionis dolorem verborum lenitate mitigaſſet; neque effeciſſet, ut quod temporum injuria atque ærarii exinanitione acciderat, naturæ ſuæ vel acerbitati, vel cupiditati tribueretur. Quod ſi etiam rationem aliquam iniiſſet, quod poſtea eſt factum, ut aliqua ex parte creditorum deſiderio ſatisfieret, ille melius debitoris exiſtimationi conſuluiſſet.

7. Sunt qui affirment, cardinalem, quo importunis creditorum vocibus & aſſiduis querimoniis modum poneret, ad illud edictum deſcendiſſe. Ceterum illum in animum habuiſſe, ut aliquo honeſto modo illorum ratio haberetur, cum ſe ſcilicet regni neceſſitates remiſiſſent, & rex ſe aliquantulum confirmaſſet. Quod quo citius ac facilius fieret, erat etiam in debitis & ordinariis ſtipendiis perſolvendis durior ac contractior, non ſolum ut majore quam quo debebant ſpatio temporis interjecto ſolveretur, ſed etiam ut de ipſa ſumma aliquibus dimidia pars diminueretur, aliis vel integra auferretur, magnis toto regno clamoribus excitatis. Nam cum ad primogenitos filios hereditas paterna per-

veniat, tota ferme Gallia qui poſtea nati ſunt, A quos cadetos vocant, plerique omnes regiis ſtipendiis aluntur. Hæc ubi defecerint, miſere vitam ducunt, ac plerumque ad raptum & latrocinia deſcendere coguntur. Si præſertim bellum non geratur, cujus licentia & impunitate eorum neceſſitates ſubleventur.

8. Igitur creditoribus omni ſpe dejectis, ſtipendiariis non ſolum largitionibus, quæ in regum mutatione ubique expectari ſolent, ſed etiam ordinariis proventibus privatis, bello quod magnam partem nobilitatis Galliæ alere ſolebat, intermiſſo, quod dominatus Galliæ ad Guiſios exteros recidiſſet, omnium animis exulceratis, ipſius etiam cardinalis Lotharingii natura offenſis, quæ ut in ſumma potentia durior & moroſior effecta erat: parum abeſſe omnes proſpiciebant, quin mali aliquid erumperet, cum præſertim contineri jam homines non poſſent, quin his de rebus inter ſe lamentarentur: ut exinde edicerent, ſe rationem aliquam inituros, qua nobiliſſimum regnum ab externo ſuperbiſſimoque atque avariſſimo dominatu vindicarent.

9. Hæc Borbonii avidiſſimis ac lætiſſimis animis excipiebant, ut qui eo majore odio C atque invidia in Guiſios laborabant, quo Henrici regis morte magis illos creviſſe, & jam regni gubernacula ſine ulla controverſia tenere cernebant: quando Montmorantium excluſiſſent, cujus prudentia & artificio illorum potentiam retundi confidebant. Etenim jam invidia, qua ipſe Montmorantius apud Borbonios, ut prædiximus, laborabat, erat ad commiſerationem converſa, talem hominem ex ſummo honore & faſtigio dejectum privatis ſedibus ſe continere; omneſque jam ad auctoritatem & gratiam Guiſiorum converſos, Montmorantii virtutem ac merita D non ſolum verbis extenuare, ſed propemodum in infamiam convertere conſpiciebant. Adeo enim homines honorum ac divitiarum cupiditati inſerviunt, ut qua ſe illorum adipiſcendorum via ac porta oſtentant, illac ſe præcipites agant: ita ut non ſolum præteriti temporis rationem nullam habeant, ſed nec futuri ac humanarum rerum commutationem & varietatem plerumque conſiderent, quod præſentis oblata commoditatis occaſione perfruantur.

10. Igitur litteris ac nuntiis ultro citroque a Borbonio ac Montmorantio miſſis, levibus primo de cauſis; deinde ut in pari calamitate uterque alterius conſilium expoſceret, res eſt ad amicitiam deducta. Siquidem natura comparatum eſt, ut qui minus poſſunt, ſe adverſus potentiores copulent atque conjungant. Hoc in feris animalibus ſpectamus, quæ, quantumvis inimica, ſi potentiori ac ferociori objeceris, ilico ſe ad maleficium propulſandum conjungi conſpicias. Hæc etſi ſecrete inter illos gerebantur; tamen, ut ſunt omnia plena inſidiarum & infidelitatis, ad Guiſios latius etiam atque inflatius deferebantur. Ea res Guiſiorum animos valde angebat, quod eorum qui principem locum in Gallia tenebant, & qui antea erant inter ſe inimici, nec benevolo in illos animo, ad reconciliationem ac quaſi conſpirationem ſuſpectam omnino habere cogebantur.

11. Eodem tempore certior factus eſt cardinalis Lotharingius, N. Minardum qui Pariſiis in ſenatu præcellebat, per inſidias circumventum, cum domum rediret, interfectum fuiſſe, pila ex tormento deploſa, quod piſtolettum vocant, per pectus trajectus: neque adhuc auctor tanti ſceleris inveniri potuiſſe, ſed tamen omnes culpam in hæreticos conjicere, quibus hic erat infeſtiſſimus.

12. Demonſtratum eſt Henricum regem pace confecta non multo ante, quam vita excederet, pleroſque de religione male ſentientes in carcerem conjici juſſiſſe. Inter hos fuit Annas *de Bourg* in ſenatu Pariſienſi conſiliarius, vir doctus & eloquens, ſed qui pravis opinionibus imbutus erat, & ita obſtinate atque obfirmate eas retinebat, ut inde divelli ac dimoveri nulla ratione poſſet. Aſſerebat enim nullum eſſe Purgatorium; Sanctorum invocationem vanam eſſe ac ſuperſtitioſam; Imagines ex templis omnino tollendas; Confeſſionis uſum abolendum; ac pleraque hujuſmodi alia. Quare etſi inopinata morte Henrici regis ſupplicium ut de illo ſumeretur dilatum eſt; Franciſci tamen filii tempore, graviori in illum ſententia pronunciata, Pariſiis in medio foro (Gravem vocant) igne concrematus eſt. In hunc quod Minardus gravius ac ſeverius dixiſſet, occiſum exiſtimarunt, vel vindictæ ſtudio, vel a propinquis eorum qui vincti deſtinebantur: ut ſcilicet iſtius mors reliquis judicibus eſſet pro diſciplina ac præcepto, quo ſimiles caſus timerent. Ceterum hoc tam atroci ac violento facto omnium animi exulcerati ſunt. Nam cædes in media Pariſiorum urbe, primarii Senatoris truçidatio, in judicem eximiæ opinione virtutis animadverſio, aliorum omnium concuſſio, ipſius facti tanta occultatio, ut nihil omnino reſciri potuerit, quem non commoviſſent?

13. Eapropter rex, qui erat eo tempore E Chiamburgi, ad ſenatum Pariſienſem ſcripſit, ut addita ad priſtinam majore & exquiſitiori in conquirendis reis diligentia, omnibus aliis negotiis intermiſſis, judiciiſque dilatis, hoc unum agerent, ut de his, quos vinctos in cuſtodiis habebant religionis violatæ reos, pro delicti merito debitas pœnas ſumerent. Etenim rex intelligi ab omnibus volebat, Minardi interitu tantum abeſſe ut a puniendis hæreticis judices retraherentur, ut etiam propterea eorum diligentia acueretur; & quod in longiorem diem prolaturi

fuiſſent, multo citius perditorum hominum nomen ac ſtirpem tollerent. In quo rem dignam rege Chriſtianiſſimo faciens, atque egregiam operam Deo omnipotenti & ejus ſanctiſſimæ fidei navans, multum etiam regni tranquillitati, multum auctoritati propriæ, multum defuncti patris judicio atque exiſtimationi conſulebat.

14. Hæc cum agerentur, nuntii a ſenatu Pariſienſi veniunt, comprehenſum fuiſſe Scotum quemdam nomine *Stuard*, quod ignem ædibus publicis inferre voluiſſet: quo omnibus in extinctione occupatis, clamoreque ſubinde ſublato, ut non facile ſtrepitus aliunde exaudiri poſſet, & ipſe portas carcerum effringeret, omneſque eos, quos diximus violatæ religionis reos, liberaret. Ea res animum regis vehementer percuſſit, timoremque incuſſit, ne malum hoc altiores radices haberet, quæ non facile extundi atque extirpari poſſent. Nitendum tamen atque omni ratione huic malo occurrendum ratus, ad priores etiam ſeveriores juſſiones addit. Ita de pleriſque ultimo ſupplicio ſumto, alii relegantur, alii capiuntur oculis, aliis manus amputantur: nonnulli, quibuſcum clementer & manſuète agebatur, publicis muneribus ac functionibus interdicuntur: reliqui omnes accenſam facem manu deferentes, in medio foro ſe graviter erraſſe fatentes, humiliter ac demiſſe veniam deprecabantur. Id Galli emendam honorabilem facere dicunt. His itaque geſtis, quod hæc pœna multis incidebat, multis etiam in locis querimoniæ atque ejulatus maximi audiebantur, aliis propinquorum aut amicorum caſum dolentibus, aliis ſuppliciorum acerbitatem miſerantibus, pletiſque tanta judiciorum acerbitate perterritis, nonnullis adverſus verum contumacibus graviſſime conflictatis, quod de eorum in religione ſententia vel ſimiles exitus expectare ac ſuſtinere cogerentur: præcipue autem Guiſiorum impetia & dominatum non ferendum prædicabant. Nam, id quod erat verum, quidquid rex edicebat, ex illorum ore mitti credebatur. Neque fraudandus eſt hoc loco cardinalis Lotharingius debita laude, quod omnem curam adhiberet, nervos omnes intenderet, quo hæreticis vel debitis ſuppliciis abſumtis, vel ejectis, Galliæ regnum hac peſte liberaretur. Itaque & hortando & monendo, tum per litteras, tum per nuntios, nihil intermittebat quod ad lictorum in conquirendis diligentiam, & judicum in puniendis acuendam ſeveritatem pertineret. Ipſe ex ſuggeſtu aliquando concionans, graviſſimis rationibus hæreticorum opiniones confutabat. Vigebant enim iiſdem temporibus multæ hæreſes in Germania, quæ ad Gallos traductæ, omnes hos motus excitabant: de quibus ſuo loco latius atque explicatius dicemus.

15. Igitur magno concepto contra Guiſios odio, in hoc malevolentiæ atque doloris iracundia erupit, ut ubique libri famoſi ederentur, quibus, ut maledicentiam omittamus, hoc præcipue populum docere nitebantur: Regem adhuc pupillum conſilio egere, regnumque pro veteri more ab iis gubernari debere, quouſque rex adoleſceret, qui principes ſanguinis appellantur. Ii autem ſunt qui a regibus proceſſere, & ad quos ordinatim regnum deferretur prioribus mortuis: quales erant Borbonii omnes. Hæc ab illis latiſſime deſcripta non ingratum futurum legentibus exiſtimamus, ſi in breve compendium redigemus. Agebat, ut diximus, ſextum-decimum annum Franciſcus rex, quando pater eſt mortuus. Ea autem ætas eſt per ſe infirma admodum, neque apta ad regni molem ſuſtinendam, & in Franciſco adhuc infirmior. Nam erat ingenio hebetiori, voce exili, feminam potius quam virum referens, præſtantia illa animi atque vigore, qui pectoribus regiis innaſci plerumque ſolet, omnino expers; ludis ſe puerilibus oblectans; & cum animum litteris non excoluiſſet, corpus ad labores inutile tum exilitas crurium, tum ſtaturæ proceritas reddebat. Igitur ubique libelli conſcribebantur, & edebantur in vulgus: in quibus erat adſcriptum omnibus legibus caveri, xxv. minoribus annis curatores dari debere, quod inter omnia conſtet fragile & infirmum eſſe hujuſmodi conſilium, & multis oppoſitionibus ſuppoſitum, multorumque inſidiis expoſitum. Quod ſi privatis, ut rem ſuam bene gerant, in hanc uſque ætatem curatores dare, nec ante rerum ſuarum adminiſtrationem committi lex vult: quantum hoc, inquiebant, regi magis neceſſarium eſt? cujus errato tot hominum millia periclitantur, & qui etiam adultus, quamvis rerum uſu vel litterarum auxilio edoctus, vix eſt ut tanto oneri par eſſe poſſit. Afferebant multa exempla & antiquorum Romanorum regum memoriam repetentes. Nam & Marci filiis Tarquinium regem tutorem datum referebant: & quomodo imperatori impuberi Marcum Antoninum patrem, qui ob ſingularem prudentiam Philoſophus eſt dictus, procuratorem datum eſſe plerique ſunt auctores. Theodoſium item imperatorem, qui Magnus eſt appellatus, filios ſuos Arcadium & Honorium Rufini & Stiliconis curatorum auxilio regi voluiſſe: ipſumque Arcadium poſtea, cum moreretur, Theodoſio filio Ildegerdem Perſarum regem curatorem dediſſe. At Hieronem Siciliæ regem Hieronymum filium, cum quindecim eſſet annorum, quo tempore pater eſt mortuus, duodecim tutoribus regendum gubernandumque commiſiſſe, hiſtoriarum citatis voluminibus latiſſime deducebant. Exinde ad exempla domeſtica decurrentes, pleriſque Francorum regibus curatores datos referebant. Hoc ubi adſtruxe-

rant, lege Salica vetari dicebant, ne exterus quis in Gallia imperaret: proinde neque etiam tutor vel curator daretur. Nam Carolo, qui Bellus est dictus, Francorum rege mortuo, cum uxorem prægnantem reliquisset; atque Eduardus Angliæ rex, qui illius erat nepos, ad ventris & posthumi nascituri tutelam aspiraret, prælatum illi fuisse Philippum *de Valois* propinquum, sed longiore multo intervallo, hoc solo nomine, quod exteri excluderentur. Itidem factum & Carolo VI. moriente anno MCCCXVII. & Carolo VIII. MCCCCLXXXIV. Quibus rationibus illud assequebantur, ut Guisiis, tamquam exteris, a regis cura exclusis, ne ipsi quidem regi, qui illorum nepos totum se ad illorum arbitrium converterat, liberum imperium relinquerent. Addebant ad hæc Guisios esse reos peculatus, quod Henrici regis cum pecuniam administrassent, nondum in publicum rationes retulissent, eo nomine lege Julia excludi a cura. Tertio ipsi inquiebant, cardinali Lotharingio regni Galliæ administratio credi non potest, cum sacramentum apud pontificem dixerit, sæpeque accidat, ut inter pontifices & reges gravissimæ inimicitiæ & bella quandoque intercedant. Spectari debere bene institutæ Venetorum reip. morem in excludendis tum exteris omnibus, tum præcipue iis, qui sacris initiati sunt: qui ex aliorum voluntate ut pendeant, multæ rationes suadent: quia negotiis sæcularibus ne se immisceant, sacris canonibus prohibentur. Facere illum arroganter, quod debitam principibus Gallicis administrationem usurpet: perfide, quod, quominus ab ecclesiastica reip. cura ad alienam se transferat, nec jurejurandi quidem religione teneatur: impie & contra leges, quod non contentus legitima procuratione, prohibitam apperat.

16. Hæc uberiora atque pleniora multis in locis Galli perscribebant, doloris atque malevolentiæ animi sui testimonium præferentes. At Guisii, etsi his rebus multum permoveri debuissent, quod tam patens atque intestinum odium, quin in eorum perniciem erumperet, vix fieri posse videbatur; diem tamen ex die ducentes, ac in prosperis rebus fiducia elati, adulatorum consensu ac vocibus ita ab opportunis remediis revocabantur, ut eorum potentiæ gratularentur, quod tantam invidiam excitasset; & quæ providentiæ magnæ laus fuisset, in abjecti animi & timoris infamiam convertebant. Neque humanos casus recordabantur, & quam parvulæ sæpe causæ magna detrimenta attulissent, parvisque momentis magnas rerum commutationes fortuna effecisset. Ita sine ullo remedio tempus terentes, otii ac summæ auctoritatis & imperii jucunditate fruebantur.

17. Interea Gallorum animi, non solum odio, sed inopia atque egestate in dies magis magisque crescente, ad summam despe- rationem deducti, quod neque preces neque minæ valuissent; novam rationem qua eorum necessitates subleventur inire cogunturAssueverat bello annis jam quadraginta Gallorum natio, & quod in Allobrogibus, in Italia, in Mediomatricibus, in Belgio, & locis aliis multis præsidia perpetuo habebantur, multa una manus stipendia memorat. Ii aliorum laborum insueti, simul etiam quod rubore quodam tenerentur, quominus qui militassent, ad alia minus digna exercitia descenderent; pace, ut diximus, confecta, otiosi & egentes, rerum novarum cupidi, solam occasionem atque alicujus imperium expectare videbantur, quo motu aliquo excitato se ex pauperrimo statu vindicarent, quovis magno periculo contemto, ut quibus fame percundum esset, nisi providissent.

18. Hoc a plerisque sagacibus prævisO, in Nannetensi civitate, in qua hæc nunc scribimus, mense Octobri MDLXIII. quam antiqui Armoricam (hæc vox illorum lingua juxta mare sonat) dicebant, conjuratione facta de Guisiis interficiendis consilium iniit. Non illorum potentia atque amplitudine, non magnitudine rei, non difficultate, non periculo ullo retardantur, quæ omnia ex difficillimis ipsa rerum necessitas facilia redigebat. Non offensionem regis verentur, quod his de medio sublatis, facile sese veniam impetraturos arbitrabantur, illis deprecatoribus, quibus hoc factum probaretur. Id autem toto regno mirum in modum gratum ac probatum futurum existimabant. Ita & ad vindictæ studium, ad cupiditatem rapiendi, quod in his tumultibus semper aliquid corsari solet, ad debitorum stipendiorum consequendorum spem, ad egregii facti gloriam, addita impunitatis opinione, animos confirmant, & negotii conficiendi ordinem, locum & tempus deligunt. Auctor ubi tum degeret.

19. Principes hujus consilii fuisse feruntur Godefridus de Bariis Renaudiæ dominus, is cognominabatur *La Foreſt*; ac *Garaye* ex Armoricis audacissimi homines. Hi sui similibus plerisque ex diversis regni partibus sub specie nuptiarum celebrandarum Nannetem vocatis, suas illis cogitationes communicant. Totius autem rei consilium his rationibus explicabant: Ut quoniam quid vellent in religione sentiendi eis potestas non relinquebatur, & qui ætatem omnem in bellis consumsissent, & suis corporibus objectis plures victorias regibus peperissent, ac multo suo sanguine e magnis incommodis regnum Galliæ exemissent, inertes nunc & inglorii, non solum præmia non reportarent, sed debitis stipendiis fraudarentur, neque cujusquam rei acquirendæ spe sustentarentur: quin vitam in summa egestate misere atque indigne traducerent: quoniam jam & de anima & de corpore periclitabantur; præstare vel ad tantas miserias levandas modum invenire,

vel aliquo egregio facinore edito vitam terminare: in quo ut omnia infeliciter succedant, se e turpissima morte vindicarent, quando tanta jam inopia premerentur, ut ad latrocinium descendere coacti carnificis tandem manu perituri videantur. Hujus rei causam omnem in Guisios referebant, tum ex eo quod eorum avaritiæ numquam satisfieret, tum vero quod in exteris Gallici nominis gloriæ & sanguinis is amor non esset, quem in suæ nationis principibus benignissimis ac liberalissimis experirentur. Occupari regem ac regnum ab iis contra leges moresque majorum, ac propemodum per vim detineri: neque in tanta hominum multitudine, ex tot fortibus viris, quos Gallica tellus innumeros profert, inveniri quemquam potuisse, & qui privatam injuriam vel minimam non ferrent, degeneres & inglorii in regni propemodum occupatione, in animorum & corporum pernicie, in bonorum omnium rapina, in publico maleficio consopiti fuere. Quale, inquiunt, de nobis judicium posteritas faciet, qualem nobis gratiam Galliæ principes habebunt, si hoc detrimentum nostra virtute sarciatur? At nos primi glorioſa consilia capiamus, & quos non longioris ac robustioris vitæ periculum tardavit, quominus nostrum hoc regnum vel oppidulo auctius fieret, cum in eo oppugnando nostram virtutem ac omnino præsentiam desiderari numquam passi sumus: non bonorum quæ ampliora multo possidebamus jactura deterruit, quin, si quando occasio rei bene gerendæ offerretur, exponeremus omnia, quo regis gratiam iniremus: non vel minima bonorum parte, quæ reliqua est, vel paucorum annorum qui supersunt, si opus sit, dispendio, regis ac regni ex tyrannorum manibus liberationem perpetuam, nobis ac nomini Gallico gloriam, & (quod caput est) animarum nostrarum salvationem non redimemus? At si res, quas etiam nostra opinione ac nostro judicio faciliores intelligitis, ex sententia succedent, qua felicitate perfruemur, qua securitate conscientiæ vivemus, quibus honoribus ornabimur, qua vitæ subsidia ad senectutem cum laude traducendam acquiremus? Agite igitur, viri fortes, quos ex omni Gallia nobis amicissimos selectos ad tantas laudes & præmia evocavimus, una nobiscum in hanc curam incumbite. Agetis, ut spero, nobis sæpissime gratias, quod vos ad has præclaras epulas invitaverimus: in quibus quod Dei gloriam illustrare, regem & regnum in libertatem vindicare destinamus, rem generosis ac fortissimis dignam agendam suscipimus. Eapropter & Dei omnipotentis assensum & regni auxilia & totius orbis collaudationem nobis non defuturam confidite.

20. Hac oratione habita, etsi audientium animi ad laudem & præmia excitati proposita videbantur, arderentque desiderio, ut comites adjutoresque adjugerentur, multaque de eorum virtute ac periculi contemtione pollicerentur, ac magnificis verbis regis liberationem, exterorum e regno propulsionem collaudarent: ut in re tamen gravi, & nisi prudenter administretur, in qua sit & vitæ & bonorum & existimationis detrimentum faciendum, de singulis & explicatius narrari & perfectius edoceri voluerunt. Res igitur per menses aliquot dilata est.

21. Francisco mortuo quinto Decembris, qui fuit annus MDLXII. Carolus ipsius frater, ejus nominis nonus, rex salutatus est. Erat is annorum decem. Fratres habebat duos: unum illi ætate supparem, alterum infantem: sorores tres, quarum una, ut jam diximus, Philippo Hispaniarum regi nupserat; alia Lotharingiæ duci: tertiam domi retinebat. At Catharina Medices mater, etsi Francisco rege filio orbata magnum dolorem conceperat: quia tamen se quodam modo impotenti Guisiorum dominatu liberatam putabat, ut mortem filii levius propterea tulerit; ad capessenda tamen regni gubernacula mirifice incumbebat. Etenim Guisii, necessitudine quæ inter eos & regem Franciscum intercedebat, ipsius regis morte dissolura, animos demiserant; &, qui frequens aulicorum mos est, commutata fortuna, ab omnibus deserebantur. Borbonii vero, quos ita despectos antea memoravimus, maximo metu ac periculo liberati, principem jam locum in Gallia obtinere videbantur. Est enim Gallis persuasum, rege pupillo XIV. anno minore, ut ipsius regni procuratio ac gubernatio ad eos principes deferatur, qui quod a regibus processerunt, Principes sanguinis appellantur. Inter eos nemo proximior erat ipso Antonio Borbonio Navarræ rege; nemo majoris auctoritatis, si ad fortunæ dona dotes animi adjunxisset. Sed erat is ingenio non admodum perspicaci, naturæ mobilis ac levis, amoribus & voluptatibus, quam par erat, inclinatior, annis eo tempore XLV. statura mediocri, vultu facilis, sermone blandus. Ad hunc, quod supra memoravimus, si Carolus rex & ipsius fratres sine liberis decessissent, regni fasces deferebantur. Ea res etsi magnam illi auctoritatem conciliabat, Catharinæ regis matri suspicandi ac timendi causam dabat, ne aliquam e medio tollendi tres filios rationem iniret, seque in Galliæ regem vindicaret.

22. Hoc cum in statu res essent, ac diligentiam Guisii adhiberent, ut se in reginæ gratiam ac benevolentiam insinuarent, quod hac ratione se non solum ab injuria tutos futuros sperabant, sed pristinam dignitatem atque auctoritatem retenturos; id etsi difficile admodum reputabant, præteritorum in reginam offensionum memores: quia tamen vehementer reginæ a Borboniis timendum

cenſebant, propterea quod illis ad regni faſces aſpirantibus non ſatis fidenter filiorum, præſertim puerorum, vita committi poſſe videbatur; in ſpem venerant futurum, ut regina præteritarum levium, ut ipſis videbatur, injuriarum oblivione ac condonatione præſentis ac graviſſimi periculi occaſionem redimeret, ſeque cum illis conjungeret. Putabant autem, id quod neceſſe erat accidere, ſi ad eorum potentiam ac clientelas reginæ gratia ac benevolentia adjungeretur, futurum, ut magno impedimento ſecundis Borboniorum rebus forent, & tandem omnia pro eorum arbitrio regerentur.

23. Contra Borbonii, etſi felici rerum exitu efferebantur, ſibique & legibus & populi approbatione principem locum deberi intelligebant: quia tamen Guiſiorum cum regina conjurationem magnopere verebantur, ſummo ſtudio ac cunctis officiis propenſam in eos reginæ voluntatem reddere nolebant; ipſe Antonius Navarræ rex, & privatim & publice profitebatur, omnem ſe auctoritatem & poteſtatem quam haberet, in reginam transferre, nihilque cupidius optare, quam ut ipſa imperaret. Hoc cum factis comprobaſſet, ſeque ſatis virium ad tantam molem ſuſtinendam non habere noſceretur; ſimulque quod ſe amoribus dederat, factum eſt ut multum regina de timore illo occupandi regni remitteret, hominiſque natura introrſus perſpecta ac cognita, facile illam quoquo vellet, convertere poſſe exiſtimaret. Quia tamen non ſatis illius conſtantiæ fidebat, neque Guiſiorum poſtulata ſpernebantur: in communi totius Galliæ concilio, id Status vocant, quod ante indictum reperiebatur, ea de re transferri voluit tractationem, ut quidquid in eo concilio ſtatutum foret, id eſſet perpetuo ratum & firmum.

24. Convenerunt itaque frequentes Aureliæ, ibique cum multis de rebus tractatum eſt, tum præcipue actum, ad quem, rege pupillo exiſtente, regni procuratio pertineret. Hic enituit ſingularis reginæ induſtria & ſagax ingenium. Multa enim erant, quæ ipſam non ſolum principem, ſed locum aliquem in regni adminiſtratione habere prohibebant. Nam præterquam quod feminis in Gallia ad regni gubernacula aſpirare non licet, ipſa in Italia Florentiæ nata, & domi alta erat, & potius Clementis VII. pontificis maximi ipſius patrui, quam propriæ nobilitatis favore ad tantum gradum evecta. Accedebat quod Florentini in Gallia jam dudum male audiebant, quod impoſtores, avari, mercaturis & uſuris dediti eſſent, ac non bene de religione ſentientes. Itaque nullo pacto laturos homines natura ſuperbos putabatur, ut femina extera, Florentina, tantæ nobilitati imperaret. Neque erat, cur, ſi qui in eam liberius dicere voluiſſent, regis indignationem vererentur; quippe qui & ætate & moribus admodum puer eſſet: nec conſanguineorum reginæ aliquis exiſtebat quem multi facere deberent, ipſo Clemente VII. jam diu mortuo. Iis tamen difficultatibus magno erat ſubſidio, quod Guiſii non tam ipſius reginæ benevolentia, quam formidine, ne illa excluſa ad Antonium Borbonium imperium deferretur, per ſuos clientes & amicos reginæ ſtudioſiſſime favebant. Illa vero in eam ſolam curam incumbebat, ut Borboniorum animos demulceret, atque ita in officio contineret, ne a priſtina eorum voluntate recederent, & quominus illa imperaret, non valde repugnarent. Quod miro artificio aſſecuta eſt. Nam præterquam quod ſe regium potius nomen, quam poteſtatem, adumbratam, quam veram auctoritatem exoptare dicebat, ſcilicet ne ita deſpecta jaceret, quemadmodum retroactis annis Guiſiorum culpa jacuit. Ceterum ſe ex Borboniorum voluntate pendere decreviſſe: Guiſiorum animos in utroſque tales extitiſſe, ut Borboniis ſolis concederet, præterea nemini, qui majori quam ipſa in illos odio ac benevolentia laboraret. Ita per communes amicos egit, ut priſtina, quæ inter eos intercedebat neceſſitudo, majoribus & arctiſſimis vinculis fulciretur. Etenim rex Navarræ filium ſeptennem, atque illi ſupparem filiam habebat. Filio ſuam, quam (ut ſupra memoravimus) domi alebat, filiam; minorem vero natu filiam ipſius Navarræ filio ſuo regina deſpondit, atque hac ipſa de re tabulæ conſcriptæ ac obſignatæ ſunt. Sed quod omnes ii pueri ſeptennio minores erant, neque legibus obligari poterant, hoc ipſum feciſſe reginam plerique crediderunt, non tam conſtanter promiſſa obſervandi voluntate, quam ut iis artibus Borboniorum animos captaret ac obliniret. Quare Guiſiis acerrime pugnantibus, aliis non reluctantibus, quod ad reliquas cauſas, hæc quoque ratio acceſſit, quod ſuapte natura minime induſtrii erant: factum eſt ut ad reginam ſumma totius regni adminiſtrandi plurimorum voluntate in communi totius Galliæ concilio deferretur. Ea tamen poteſtate ipſa regina, illa animi moderatione ac prudentia uſa eſt, ut Navarræ regem ſibi comitem adjutoremque adſciverit, neque poſt id tempus illo inſcio atque inconſulto quicquam peregerit. Et quoniam in publico, quem diximus, totius Galliæ conventu multa etiam de religione ſancita ſunt, multumque pertinet ad inſtituti operis, & ad belli quod ſecutum eſt explicationem, ſcire quem locum eo tempore religio in Gallia teneret, quibuſve adjutoribus vel defenſoribus uteretur, ſi paulo altius ordiemur, lectionis laborem plurimarum rerum ſcientia ſublevabit.

25. Leonis X. pontificis maximi tempore (fuit is annus MDXVIII.) cum ipſe primum pontifex deinde ceteri fere omnes liberiori vita uterentur, multumque de priſtina illa

virtute

virtute ac ſeveritate ſacerdotes remiſiſſent, antiquiſque ac probatis moribus projectis ſeſe gulæ, luxuriæque dediſſent, ſacrorum librorum lectione non intermiſſa modo, ſed neglecta penitus atque omiſſa; viſum eſt divinæ bonitati, ne diuturniori impunitate uterentur, Martinum Lutherum, monachum Auguſtinianum ex Germania præmittendum, tum ſexcentos alios, qui primum in ſacerdotum vitam ac mores invecti, deinde multa in religione hæretica ſtatuentes, totam Chriſtianitatem conturbarunt. Fuere earum rerum, ut aliarum omnium, initia levia atque infirma, quæque nullo negotio ſedari potuiſſent: ſed ad alia noſtra errata tanta negligentia adjungebatur, ut dubitandum non ſit, quin iſtud Dei permiſſu & voluntate provenerit. Conſuevit enim præpotens ille Deus, cum nondum correctioni ac caſtigationi modum impoſuit, etiam ignorantiæ ac cæcitatis tenebras animis hominum obducere: quo graviorem doloi em ſentiant, quaſi eorum culpa atque errato incommoda illa provenerint. Quare ex parvis & propemodum contemnendis ſeminibus magnæ arbores excrevere, quæ altiſſimis defixæ radicibus, non ſolum non potuerunt exſcindi neque exſtirpari in hunc uſque diem, qui eſt annus Scriptionis tempus. MDLXV. ſed propagines multæ ac ſurculi inde collecti parum abeſt quin omnem jam Chriſtianitatem repleverint atque infecerint. Ac primum quidem in Saxonia Lutheri patria coaluere, adjuncto Saxonum principe cum rebus novis ſtudente, tum libenter audiente, ut ſunt hominum ingenia, procacia maledicta in pontificem ac clerum omnem.

26. Erat Lutherus mediocriter litteratus, at mirifice eloquens, & quod diu in Italia, diu etiam Romæ audiendarum confeſſionum egerat, omnium noſtratium mores & tenebat optime, & explicabat ornatiſſime. Quare natio illa, quæ concionibus mirabiliter delectatur, eo majorem voluptatem ex iſtius oratione capiebat, quo & rerum novitas, & in alios maledicentia eorum animos mirifice demulcebant. Natura enim comparatum eſt, ut quo gravius in alios dicimus, eo libentius audiamur. Ea puto ratione, quia quo homines ab illis peccatis & vitiis ſe remotiores exiſtimant, eo inde uberiorem lætitiam capiunt, & ut ipſe poëta cecinit, quibus ipſe malis careas quia cernere ſuave eſt. Hæc ratione cum & benevolum, & attentum auditorem populum haberet, cumque ex audientium multitudine ac gratulatione ſpiritus ſumpſiſſet, maledicendi ratione numquam intermiſſa, ad ſacramentorum immutationem paulatim leniter deflexit: ac populo vini cupidiſſimo perſuaſit, non poſſe hominem Chriſtianum in cœlum tranſmigrare niſi cum ſacramento Euchariſtiæ vinum etiam biberet. Fuerat id centeſimo ante anno apud Bohemos feliciter tentatum, indeque plerique Calixtini apellari, quod calicem appeterent, quæ hæreſis in hunc uſque diem in illa provincia perduravit. Poſt hæc quod graviſſimum hominibus eſſe animadverteſſet alii homini errata ſua popalare, quam confeſſionem vocamus; de ea ipſa abolenda, de Chriſti gratia, de noſtra juſtificatione ita tractavit, ut nullo negotio hominum mentes in ſuam ſententiam traduxerit. Sacerdotibus uxorem ducere permiſit, quæ res illi nationi longe gratiſſima contigit: ac deinde multa nova invexit. Antiqua pleraque immutavit, quæ ſingula perſequi & nimis longum eſſet, & ab inſtituto noſtro opere alienum.

27. Saxonia iis ſtantibus dedita, ad alias Germaniæ provincias deſcendit. Pari felicitate multis in locis uſus eſt, quod ad maledicentiam & ad hanc vivendi libertatem, quibus rebus populus capiebatur, illud addiderat, ex templis omnes imagines detrahendas; eccleſias omnes demoliendas, quod diceret Deum ſola puritate ac ſimplicitate oblectari: monachos omnes ejiciendos. Qua ex re cum multum auri atque argenti ex eccleſiarum ſpoliis, multum etiam proventuum, quos in pauperes arbitrio ſuo diſtribuebant principes Germani corraſiſſent, qui natura avari & plerique eorum obærati exiſtunt: factum eſt, ut & multitudine, & principibus fautoribus uteretur, majoreſque in dies opinione atque exiſtimatione hominum progreſſus faceret. Nam cupiditate diripiendi quæ in templis erant, ſimul & aviditate proventuum eccleſiarum pauci admodum fuere, in quibus plus pietas, pudor atque officium, quam avaritia valeret.

28. Iis a Luthero jactis fundamentis, magnaque inde ſibi autoritate comparata, cum plerique & illius amplitudini inviderent, & intelligerent aditum jam patefactum ad novas opiniones ſerendas, ipſi etiam, ſi quid eloquentia valere poſſent, hac proficere tentarunt. Lutherique doctrina aliqua ex parte improbata, novarum ſubinde ſectarum auctores fuerunt alii aliis feliciores. In his fuere Quignus Pomeranorum, Oecolampadius, Carloſtadius, & alii innumerabiles: quorum opiniones tam variæ ſunt & diverſæ, ut jam multo minus nobiſcum, quam ipſi inter ſe ſe pugnent. Ex quo, ut omittamus alia, facile intelligere poſſumus, quale de nobis judicium latura ſit poſteritas, qui in tam clara luce adhuc etiam eadem ſentiamus. Quæ enim major ac explicatior poteſt eſſe ipſius veritatis ſignificatio, quam cum illa ſemper una atque eadem eſt ſemper eodem loco conſiſtit, numquam divellitur, numquam dimovetur, quam MD. & amplius annis a ſcriptoribus acceptam ac per manus traditam, firmam, ſtabilem perpetuamque retinemus?

At contra falſum in diverſa deduci, numquam hærere, numquam eodem loco con-

Auctor ante nuntius ad Ferdinandū.

ſiſtere neceſſe eſt : poſſumque ego poſteris tradere, mecum ex Vienna, ubi Pauli III. pontificis maximi nuntium apud Ferdinandum tunc Romanorum regem agebam, in Bohemiam proficiſcerer, atque uno in oppidulo divertiſſem, in quo erant domus ferme CCXVI. ibi ſectas diviſas inter ſe ac repugnantes reperiſſe, & patrem longe aliter quam filium, fratrem quam ſororem, uxorem quam maritum ſentientem. Eſt hoc divinæ in eos ultionis pars quædam, atque principium ad nos confirmandos atque inſtruendos maxime pertinens, ſcilicet ut intelligamus, quæ eis pœnæ poſt mortem maneant, cum hanc vitam perpetuis contentionibus ac diſſidiis infelicem ac miſeram traducant, quiete illa ac tranquillitate carentem, qua veri & germani Chriſtiani placidiſſime perfruuntur.

29. Germania eo quo dicimus modo perturbata, ac jam Martino Luthero de magna illius parte triumphante, pari arrogantia atque ambitione in Gallia exortus eſt Calvinus, vir admodum litteratus, & qui conjunctam habebat cum doctrina ſeveritatem quamdam, quæ ei plurimum commendationis afferebat. Hic ut eodem exemplo atque artificio eamdem ſibi exiſtimationem & præmia pareret quæ Lutherus eſt aſſequutus, nova quædam etiam ipſe de religione aſtruere conatus eſt. Et aliqua a Luthero tradita non immutavit; in aliis fere omnibus & dogmatum ſtatuta, & uſum cæremoniarum pervertit, ita ex toto Luthero contrarius, ut qui eo modo ſentiret, a Lutheranis pro hæretico haberetur. Atqui in ea Germaniæ parte quam Lutherus a nobis ad ſe traduxerat, majori ſeveritate animadvertebatur in illos, qui Calvinum ſectabantur, quam contra eos qui priſtinam & Romanam religionem ſequerentur: propterea quod hos antiquitatis auctoritate & longo uſu excuſatos habebant; potiuſque quod ita deſiperent, Lutherani commiſerabantur, quam ut aliquid gravius in illos decernerent. At in Calvinum, qui ferme omnia & noſtratia, & illorum dogmata immutaſſet, quod majores in dies ſua doctrina & artificio & ſpiritus ſumeret, & clientelis augeretur; invidia, odio & malevolentia exardebant, neque omnino talem æmulum Lutherus pati poſſe videbatur. Etenim hic (ne ſingulatim omnia perſequamur, nam nec ad nos pertinet, & alii de iis copioſiſſime ſcripſere) in ſacramento Euchariſtiæ non eſſe vere Chriſti corpus aſſerebat, ſed imaginarie ac fide percipi, quod ne Lutherus quidem ac plerique alii, qui poſt eum fuere, quamvis ſingulari imprudentia ac temeritate, affirmare auſi ſunt. Hæc qua ratione aſſereret, quibuſve auctoribus probaret, jam nimium multi tradidere.

30. Igitur primum in Angliam trajicit quod neque tuto in Gallia manere poterat Franciſci primi regis tempore, quo ipſe florere cœpit, (hic eſt annus MDL. [a]) & ita in inſula paratos auditores habebat, in primis ipſum Angliæ regem, qui quod graves inter ipſum & Clementem VII. pont. max. inimicitiæ intercederent, non invitus audiebat quæ ad Pontificis auctoritatem deprimendam afferebantur. Inde, incertum ſi id ratione aut conſilio fecerit, an vero quod regi Angliæ ſua & dicta & ſcripta non probarentur, ſe Genevam recepit. Quæ civitas in Allobrogum & Helvetiorum finibus, quod non multo ante de imperio ducis Sabaudiæ ſe ſubtraxerat, atque in libertatem vindicaverat, rebus novis ſtudebat; &, quod erat Gallis finitima, plurimum ſuis rationibus accommodata videbatur. Neque eum fefellit opinio. Nam oppidani quo probabiliorem defectionis cauſam prætexerent, religione ſe moveri dixerunt, eamque omnem ad Calvini arbitrium commutarunt: quoque etiam frequentioribus propugnatoribus ac defenſoribus uterentur, ſeque contra ducis impetum ac potentiam armarent, plurimum eorum rationibus conducere arbitrati ſunt, ſi ea in civitate deſperatis ac perditis hominibus, quorum plerique ex numero ſunt, qui religionis commutatione delectantur, aditus pateret, ac quodam modo aſylum aperiretur. Hanc nactus opportunitatem, in ea civitate vitæ ſuæ tabernaculum collocavit Calvinus.

31. Nam cum multa inter reliquas cauſas, hæc quoque ratio ibi eum deduxit, quod homines illiterati atque rerum ignari in ea qua premebantur difficultate ſe defendendi, neceſſitate ad ipſum, & litteris, & ingenio florentem, ſummam rerum omnium deferebant: eoque & conſultore & duce utebantur, quod & ad dignitatem, & ad commoda, & ad vitæ ſuæ ſecuritatem plurimum pertinebat. Hac ex civitate cum pleroſque quotidie ſectatores in Galliam emitteret, qui & oratione perſuaderent, & libros Gallica lingua deſcriptos deferrent, aliquos etiam ad colloquium cum Calvino evocarent: factum eſt, ut hæc peſtis nonnullorum Gallorum animos invaſerit. Nam præter id quod homines libentes rebus novis ſtudent, & ignobile vulgus facile oratione ac perſuaſionibus capitur: eo tempore Gallia graviſſimis bellis, &, quæ bellorum comites ſunt, exactionibus premebatur; quibus incommodis exulcerati aliquorum animi, Calvino hæc omnia improbanti, ac ſubdole ſuam de religione ſententiam aſtruenti credebant.

32. At Franciſcus rex primus, & deinde Henricus ſecundus ejus filius, & poſt modum Franciſcus ſecundus, Henrici filius, ſi qui in hanc peſtem ac labem incidiſſe deferebantur, omnibus cruciatibus affectos necabant,

[a] Hic ertaſſe videtur Amanuenſis in numero, nam & Franciſcus I. Galliæ & Henricus VIII. Angliæ reges, ante annum 1550. deceſſerant.

& quod ex Geneva incommodum in dies accipiebatur, magno eorum ſtudio, virtute, ac pietate excipiebatur; tantumque fuere ii principes de religione bene meriti, tamque inflammati ardore illius tuendæ, ut quominus ſatis digne illos laudare poſſum, eorum merito detineat. Ipſis mortuis, & ad Carolum decennem delato imperio, regina ac Navarræ rege omnia adminiſtrantibus, vel quod negligentius iſta curarentur, ut plerumque omnia indulgentius eo tempore procurantur, rege ſcilicet puero ac propemodum interregno, vel quia ipſe Navarræ rex Calviniſtis faveret, quod libentius affirmarem; paulatim quæ jacta fuerunt hæreſum ſemina valuere, & qui occulti & conſopiti detinebantur, ignes diſcuſſo cinere patefacti, illi incendio cauſam dedere, quo poſtea tota Gallia miſerandum in modum conflagravit, multis hominum millibus partim ferro necatis, partim peſtilentia abſumptis, partim in flumina præcipitatis; auguſtiſſimis & pulcherrimis templis primo expilatis, deinde direptis, atque incenſis; ex una parte Germanis, ex altera Anglis, antiquis & perpetuis Gallorum hoſtibus, ad nobiliſſimi ac ditiſſimi regni rapinam ac perniciem evocatis: quorum avaritiæ & feritati nec multis opibus, nec multo ſanguine ſatis umquam fieri poterat. Nulla erat enim neque viarum, neque domorum ſecuritas. In mediis ſepe civitatibus magna impunitate homines necabantur. Quidquid auri, argenti, veſtis, equorum ubilibet erat, diripiebatur, ipſi etiam ærario regio non parcentes. Neque ego exiſtimo ex tot bellis, quæ noſtra memoria multa ac magna geſta ſunt, periculoſius ac Galliæ perniciоſius ullum extitiſſe, neque regem umquam de amittendo regno magis fuiſſe periclitatum.

Auctor Toloſæ.

32. Ego Avenione Toloſam proficiſcens, ipſumque CAROLUM novum regem inſequens, apud quem nuntium pontificium egi jam quadriennium. Is cum jam anteceſſiſſet, noſque Narbonæ conſtitiſſemus duriſſimo anni tempore, altiſſima nive, fluminibus ita excretis, ut diſruptis pontibus, ne navigiis quidem ſine periculo tranſiri poſſent.

Ejuſdem fides.

Viſum eſt mihi non indigne me facturum, ſi horum dierum & longarum noctium moram ac faſtidium his lucubrationibus redimens, ea poſteris tradam, quæ non ab aliis didici, ſed ipſe vidi, & omnibus fere conſiliis interfui. Et quoniam ad hiſtoriæ dignitatem & integram rerum narrationem plurimum pertinet ipſas origines ſcire; neque tantum noſſe nuda facta, niſi etiam habeas rationes & cauſas rerum perſpectas introrſus & cognitas: operæ pretium viſum eſt mihi aliqua præſcribere de Navarræ regno antequam ulterius progrediar.

33. Navarræ regnum eo loci ſitum eſt, ut valde ſit injuriis ac maleficio, proinde etiam everſioni opportunum, niſi in prudentis & recte omnia perpendentis manus incideret. Etenim illud quaſi per medium ſecant Pyrenei montes, qui Hiſpaniam a Gallia diſterminant, ita ut altera ipſius pars eaque major & pluribus urbibus celebrior, præſertim ipſa regia Pampelona ultra Pyreneos in Hiſpania; altera citra montes in Gallia extat, anguſtis admodum finibus continetur. Siquidem in longitudinem millia paſſuum..... in latitudinem..... patent. Urbes ſunt ad centum, oppida plus minus..... abundant rebus omnibus. Homines neque diſciplinis, neque mercaturis vehementer dediti, ſed natura feri, magnam habent bellicæ laudis opinionem. Quibus rebus fit, ut cum utriuſque vicini & potentiſſimi regis offenſionem, vel etiam oppugnandi regni cupiditatem timere cogatur, minus tuto regnare poteſt qui illi regioni præeſt. Hinc cognoſci poteſt quantum periculis prudentia occurratur, & quantum quæ mala per ſe ſunt, hominum induſtria, ſagacitate, diligentia præcurri poſſunt, non ſolum ut inde incommoda non accipiamus, ſed ut etiam nobis ſint dignitati, commodo, ſubſidio. Huic quod diximus tam anguſto, & propter vicinitatem & potentiam ampliſſimorum regnorum tam obnoxio multis incommodis regno plurimi reges perpetua quadam felicitate imperarunt, ut non ſolum a vicinis non timuerint; ſed, ſi qua erat inter eos vel de finibus, vel de portoriis controverſia; ſi quod latrocinium admiſſum, ſi qua cædes facta inter Gallos & Hiſpanos; ipſi Navarræ reges arbitri fuere. Adeo ut quis ex ipſis benevolentia firmiore proſequeretur eos, perpetua propemodum æmulatione certarent. Etenim Navarræ reges qui ante nos fuere, his quidem qui noſtra memoria regnarunt prudentiores, quod ſe medios duobus maximis regibus viderunt, & eorum opibus, potentia, armis valde inferiores, ſapienter ſe facturos exiſtimarunt, ſi ſummam cum utroque rege amicitiæ æqualitatem retinerent; & quamvis illi inter ſe acerrimo bello pugnarent, atque uterque contenderet, quo magis de Navarræ regibus benemeritus in ſuam factionem partemque traduceret, armis abſtinendum cenſuerunt, atque ſe utrique regi ita probarunt, ut opportuniſſimum viderentur nacti imperii locum vel ad regni firmitatem, vel ad prudentiæ atque exiſtimationis opinionem, vel ad multa commoda, quæ utroque & Galliarum, & Hiſpaniarum rege opprimerentur, & artificio & prudentia utebantur, ut neuter in illis amandis atque amplificandis alteri concederet. Ita quæ infirma & caduca videbantur, ad magnam ſtabilitatem traducebant.

34. Sed HENRICO rege regnante (id fuit anno MDVI.) mirum in modum converſa ſunt omnia. Is enim ſive imprudentia aut temeritate quadam lapſus, ſeu quod regno-

rum, ut rerum omnium, eſt ſenectus quædam, quæ cum advenerit, mors ſequatur neceſſe eſt; magnam regni ſui partem amiſit. Vivebat eo tempore Julius ſecundus pontifex maximus, & cum Ludovico XII. Galliæ rege continenter bellum gerebat. Quare factum eſt, ut Ludovici ſuaſu cardinales aliquot in pontificem conſpirarent, & ad *generale concilium Piſas evocarent: cujus rei* ordinem atque exitum & Jovius latino, & Guichardinus italico ſermone copioſe & ornate deſcripterunt.

35. Quod ad rem noſtram attinet, cum Ludovicus Galliæ rex, quo magis pontificem exerceret, atque hac ratione a bello averteret, non ſolum faveret ipſi concilio, ſed quotquot poterat Chriſtianos principes ut idem facerent ſollicitaret: HENRICUS Navarræ rex longe alia quam majores ſui fecerunt ratione ſe Ludovico adjunxit, ac Piſanum concilium comprobavit. Ea propter pontifex utrique primò ſacrificiis interdixit, omneſque diſcedere ſermonemque eorum defugere juſſit: deinde etiam regno privavit, illudque occupanti conceſſit. Qua oblata occaſione, cum Navarræ rex hoc nomine quod ſe in regis Galliæ amicitiam nimiam inſinuaret, atque in illius partes juraſſe crederetur, Hiſpaniarum regi ſuſpectus eſſet, ſimul ut pontificis injuriam tanto ſuo commodo ulciſceretur; Ferdinandus Hiſpaniarum rex, Catholicus dictus, *in Navarræ fines ingreſſus*, omnem eam partem, quæ eſt ultra Pyræneos, imperio ſuo adjunxit: cum Galliæ rex, quominus huic injuriæ ac amici regis offenſioni obviam iret, bello quod cum pontifice gerebat detineretur, & Navarræ Hiſpaniarum regis potentiæ par eſſe non poſſet; ita majori regni ſui parte ſpoliatus, poſt id tempus fruſtra de illo recuperando vel per amicos tentavit; vel armis expertus eſt.

36. Ipſo HENRICO atque N. filio mortuo, Johanna filia regnum ex ſucceſſione obtinuit. Ea Antonio Borbonio cum nupſiſſet, atque is eo ſe ſtatu contineret, quo ante diximus, quod magnam ſibi rei bene gerendæ occaſionem offerri videbat, in ſpem regni recuperandi evectus, rebus novis ſtudere cœpit. Erant, ut ante diximus, in Gallia jacta jam multa hæreſum ſemina Calvini ſtudio atque artificio: neque longe abeſſe videbatur quin erumperent. Dux tantum & auctor præpotens aliquis expectabatur. Antonius Borbonius, ſive quod pontificum decretis regni *parte ſpoliatus eſſet*, injuriæ memoria ac vindictæ ſtudio permoveretur, ſeu quod exiſtimaret, ſi hæreticis faveret, magnam ſe apud Germanos & Anglos gratiam initurum, facturumque ut illis adjutoribus, & Galliæ regno in hæreſim traducto, facilis ſibi eſſet in Hiſpaniam aditus & progreſſus: magna ſibi inde auctoritate comparata, & perditorum & ſceleratorum hominum manu collecta, totum ſe ad Calviniſtas fovendos, atque omnibus honoribus amplificandos convertit. In quam ſententiam hæc eum quoque ratio deduxit, quod Philippus, qui eo *tempore Hiſpaniæ regnum & Navarræ quam* diximus partem obtinebat, vehementer hæreticis infenſus, ſummam diligentiam in illis conquirendis, ſummam in puniendis atque omnibus tormentis excruciandis ſeveritatem adhibebat. Qua re fiebat, ut cum hæreticorum animos ad ulciſcendum ardentes futuros conſideret, quo majore & auctoritate & numero valerent, eo plures & paratiores in regem Hiſpaniæ hoſtes magno ſibi ad Navarræ recuperationem adjumento futuros cognoſceret. Secundum hæc illud etiam ipſum hortabatur, quod Guiſios duos, ut jam diximus, cardinales, ſummis eccleſiaſticis opibus affluentes, nulla faciliori ratione de eorum dignitate & bonis periclitari poſſe intelligebat, quam ſi in Gallia, commutata religione, omnia perverterentur. His rationibus permoti, non ſolum his hæreticis qui erant in Gallia occulti favebat, ſed ex propinquis & finitimis regionibus evocabat, eos præſertim qui doctrina & eloquentia clariores, facile aliis perſuadere, atque in ſuam ſententiam eos traducere poſſent. Hi hortando, monendo, diſputando, pleriſque in locis plebem ac partem nobilitatis commoverunt: illam cupiditate rerum novarum: hanc, ut gratiam cum Borboniis iniret: ſimul etiam quod, ut jam ante diximus, inimico in Guiſios animo, idoneum ad ulciſcendum tempus nacti videbantur. Accedebat & vivendi licentia ac rapiendi libertas. Etenim & eſus carnium ſingulis quibuſque diebus concedebatur, & alia omnia, quæ a Lutheranis uſurpata ſupra memoravimus, & quod ex eccleſiis imagines quaſque tollendas affirmabant; quod & ſacrorum vaſorum & veſtium uſum non neceſſarium dicerent; impieque atque impudenter omnia rapiebant, & ditiſſimis eccleſiarum theſauris locupletabantur, & quaſi legibus ſoluti pro arbitrio omnia adminiſtrabant: pauci admodum fuere qui religione moverentur.

37. Igitur primum in urbe *Meaux*, Satinum antiqui dicebant, populo ad ſeditionem concitato, cum evangelii veritatem ſe adſtruere velle *dicerent, in eccleſias* irruerunt, aſportantes quidquid ibi auri, argenti, ornamentorum repertum eſt; imagines omnes vel comburentes, vel infringentes. Ad epiſcopi domum cum veniſſent, illeque occluſis januis & coacta preſbyterorum manu ſe acriter defenderet, quod non longe civitas illa a Pariſiorum urbe diſtaret, quo in loco rex tunc erat; factum eſt, ut re ad regem celeriter perlata, milites aliquot epiſcopo ſubſidio miſerit, qui eum a cæde atque injuria vindicarunt. Sed quoniam de his improbis ac ſceleratis hominibus nullum ſup-

plicium ſumptum eſt, neque quid ſeverius in eos animadverſum; quaſi judicium aliquod peregiſſent, exemplo illorum & impunitate plerique Galliæ populi multis jam ante diebus Calviniſtarum ſermonibus ac perſuaſionibus concitati, idem fecerunt; & verecundiæ limitibus tranſgreſſis, bene ac naviter impudentes eſſe cœperunt: quod, ut jam diximus, cum aliis cauſis hæc eos ratio permovebat, quod ſe propterea Borboniis gratiores futuros eſſe intelligebant.

38. Erat, ut jam diximus, eo animo Antonius Navarræ rex, ut Calviniſtis omnino faveret, ſed pudore quòdam & amicorum perſuaſionibus retentus, qui dicerent rem indignam rege Chriſtiano facturum, ſi cum hæreticis conſentiret; ſimul etiam quod in ſpem venerat, futurum ut per Pium IV. pontificem maximum de regni Navarræ recuperatione cum Philippo Hiſpaniarum rege tractaretur, neque ſe a noſtræ eccleſiæ ceremoniis ſejunxerat, & quæ a Calviniſtis fiebant, ea ſibi diſplicere ita prædicabat, ut facile homines intelligerent omnia eſſe plena perfidiæ & ſimulationis.

39. At ipſius frater princeps *de Condé* palam atque aperte ſe Calviniſtam profitebatur, neque quicquam intermittebat, quod ad eorum doctrinam propagandam, auctoritatem tuendam, clientelas augendas pertineret. Is non multo ante a carceribus liberatus atque innocens declaratus. Cum eo plerique nobiles conſentiebant. Inter quos principem facile locum obtinebant tres fratres ex familia *Coligni*: quorum Gaſpar rebus maritimis præfectus, admiralius Franciæ nominabatur; *Andelot* alter Gallicarum copiarum curam obtinebat, quem generalem dicunt. Tertius Odo cardinalis *de Chaſtillon* appellabatur. Admiralius longe alios & prudentia, & uſu rei anteibat, quas ad virtutes doctrinam adjunxerat non vulgarem, gravitatem, taciturnitatem, & quod maximum illi amorem conciliabat, ex omnibus unus in tota Gallia exiſtimabatur, qui quibuſcumque poſſet libenter prodeſſet, ac minime mentiretur. Eamdem bonitatis opinionem habebat cardinalis, ſed ingenii multo inferiorem: *Andelot* vero bellica tantum laude clarebat.

40. Poſt hoc N. *de la Rocafo* vir nobilitate, clientelis, & armorum uſu clarus, reliqui præterea multi, ut quiſque vel Guiſiis infenſus, vel Borboniis amicitia & propinquitate conjunctus, vel novarum rerum cupidus, vel obæratus, vel etiam de religione ac religioſorum vita & moribus male ſentiens, ita principi *de Condé* ſtudebant, ut regis loco haberent, cum eoque & ſummis de rebus ſerio agerent, & dicto obedientes, neminem nec laudibus majoribus extollerent, nec promtiori animo promoverent, collataque pecunia 5000. francorum in ſingulos menſes illius inopiam ſublevabant. Qua ex re cum ſpritus in dies ſumeret majores, regnum animo concepiſſe ferunt. Simulata tamen ſemper cauſa religionis, nihil intermittebat quod ad illam augendam atque propagandam pertineret. Appellabantur eo tempore in Gallia qui ab eccleſia deſciverant, Hugonotti, cujus nominis originem cum diligenter perſpexiſſemus, invenire non potuimus. Alii enim ad Hugonem quemdam, qui multis jam annis contra regem conſpiraverat, referebant: Alii, quod porta Turonenſis civitatis, ubi frequenter congregari conſuevere, *de Ugoni* appellaretur. Utcumque ſit, iniquiſſimo animo ferebant ac graviſſimæ injuriæ loco reputabant, cum Hugonotti appellabantur. Ex altera parte qui conſtanter in religione permanſerant, quod pontificis juſſa ſervarent, Papiſtæ dicebantur. Quibus nominibus ita ad contumeliam uterque utebatur, ut regio edicto cauti ſint ut ab illis temperarent.

41. Cum eo in ſtatu res eſſent, & Hugonotti ut ſuos quammaxime poſſent juvarent ac promoverent; Papiſtæ contra niterentur: ut ſunt hominum ingenia ad malum & ad novitates proclivia, ut etiam & vivendi ratio laxior eſt & liberior; maxime timebamus ne regnum Franciæ, commutata religione, ab eccleſia Romana deſciſceret. Nam accedebat ad hæc, quod rege puero, Navarræ rege diſſimulante, principe *de Condé* aperte, ut diximus, favente, regina mater, etſi numquam a cultu & ceremoniis antiquis diſceſſit, hanc novam ſectam improbare non videretur, occulteque illis favere, & cum eis conſentire dictitaretur. Quod conſulto illam feciſſe plerique exiſtimant, quo illorum odium vitans, pueri regis incolumitati conſuleret, atque ea ratione ex imminentibus periculis eriperet; utramque factionem ſemper alens: futurum rex cum adoleverit, cum illis ut conſentiat: apud Hugonottos interea ſe excuſans, ſi in longius tempus differret, quod pontificis & Philippi Hiſpaniæ iram vereretur, quos utroſque bellum regno illaturos ſe certo ſcire affirmabat, ſi in religione aliquid immutaſſet. Neque expedire rege puero, regno pecuniis exhauſto, ac in diverſas partes deducto, venire ad arma. Ita Hugonottos eludens, Papiſtas bono eſſent ut animo, nihilque tale vererentur, aſſidue hortabatur. Regem præſentem avi reliquorumque regum prædeceſſorum ſuorum veſtigia omnino ſecuturum. Miro artificio nunc hujus nunc illius partis animos demulcens, ut plane neſciretur, in quam ipſa partem inclinaret, & quibus moribus filium inſtrueret atque educaret.

42. Quo fiebat ut cum nihil omnino certi ac comperti haberemus, de mutatione religionis in Gallia maxime vereri cogeremur. Ea res pontificem Pium IV. vehementer angebat. Nam nobiliſſimi regni defectio, tot populorum alienati a Deo animi, tanta ani-

marum jactura, tam magna rerum omnium A conversio, quem non commovisset? Accedebat ad hæc, quod cum Leonis XI. tempore Germania a fide & Romani pontificis obedientia desciverat; Clementis VII. in Anglia, qui ex eadem Medicea familia, qua Pius IV. processerat, quod vero nunc Pio IV. pontifice maximo Galliam amitteremus; quis non fato cuidam familiæ tribuisset, ut sub tribus pontificibus Mediceis tria potentissima regna defecissent?

43. Agebat tunc in Gallia pontificis nuntium Sebastianus Gualterius ex Urbe-veteri episcopus Viterbiensis, homo & litteris ornatus, & qui ætatem omnem suam in gravissimis negotiis exercuisset, quique ingenio, eloquentia, artificio plurimum valebat. Sed erat is natura non tam timidus, quam male ominans, & semper pejora ac tristiora prænuntians & expectans, tetricam quamdam, ac proinde non felicem vitam ducebat. Is sive ingenio permoveretur, seu quod illius regni casum prædicens, si quid contra accidisset, majorem fructum & laudem diligentiæ reportaturus videretur, assidue ad pontificem scribebat: Res Galliæ esse desperatas, ad interitum quotidie celerius currere: C reginam de religione male sentire, quamvis pro suo astu perbelle dissimularet, facere id prudenter, ut non ante animum suum patefaceret, quam intelligeret omnium animos ad defectionem paratos: in rebus agendis facta spectari oportere, non verba: sed illam occulte Hugonottis favere, augere honoribus, quacumque re posset juvare ac promovere: postremo habere concionatorem Franciscanum quemdam apostatam, Bottiglierium nominabant, male de religione sentientem: hoc se sæpius significasse, nihil tamen minus allocutum, quam ut ille ejiceretur: orare se & obsecrare, ut primo quoque tempore successor ei mitteretur, ne ipse exequiis, ut dicebat, illius regni interesset. D

Hæc singulis ferme litteris inculcabat. Accedebat ad ea, quæ supra diximus, quod non multo ante pontifex, cum XIX. cardinales creasset, nulla episcopi Viterbiensis ratione habita, hac re offensus, quasi de præmio desperaret, labores ac pericula defugere volebat, neque valde laborabat qua ratione pontificis animum a tristitia averteret. His litteris commotus pontifex, fama etiam ipsa E pleniora semper atque uberiora perferente, quo se verteret, quid consilii caperet, omnino ignorabat.

44. Erant in Gallia, atque ipsa in regis aula per idem tempus Turnonius cardinalis, & ætate & moribus gravissimus, cui regina magnam fidem habebat; & Carolus cardinalis a Lotharingia, quem supra nominavimus. Hos duos pontifex legatos creat, simul imperat, ut pro eorum pietate & prudentia provideant, ne quid res Galliæ detrimenti patiatur. Hi cum sæpe convenissent, simulque omnia tractassent, & monendo, & hortando, & suadendo, nihilque proficerent: Lotharingius audaci potius quam prudenti consilio reginæ persuasit, ut Poissiaci conventus haberetur episcoporum Galliæ, in quo de religione ac moribus tractaretur: simulque copia fieret Hugonottorum principibus, Ministros illi vocant, si vellent, veniendi, neque iis solum qui erant in Gallia, sed ex finitimis etiam provinciis vocarentur, ut quæ erant de religione controversa proponerentur: futurum sperans, ut ne respondere quidem ad sua postulata auderent. Confidebat enim Lotharingius & doctrinæ & eloquentiæ suæ, & plurimum, ut debebat, ipsius causæ bonitati.

45. Non probabat hoc factum Turnonius, ut qui disputationem omnem cum hæreticis fugiendam noverat: sed ut ætate dignitateque (fuerat enim diu antea creatus cardinalis) anteibat, sic nobilitati & auctoritati Lotharingii deferebat maxime. Itaque dicta est dies ad calendas Septembris (fuit is annus MDLXI.) in qua cum frequentes ex nostris convenissent. Ex Hugonottis principem locum tenuerunt Petrus Bella Gallus, Perocellus etiam Gallus, & qui ex Helvetiis evocatus fuerat, Petrus Martyr Italus. Hic monachus Augustinianus, dimisso habitu, jam diu Genevam profugerat, vir multarum litterarum & ingenii acutissimi, annorum tunc ferme LXIX. Eo in conventu enituit mirabiliter Gallorum episcoporum virtus. Nam quatuor exceptis, omnes alii nonnisi recta & honestissima censuerunt, ita tamen admittenda si prius Romanus pontifex comprobasset. Ea erant fere omnia ex antiquis pontificum decretis excerpta, & quodammodo renovata. Cum dies dictus esset, in quo Hugonotti convenissent, & rex & regina astarent, multi item proceres & ex cardinalibus præter Turnonium & Lotharingium de *Armagnac* & *de Chastillon*, qui postea fuit ea dignitate privatus. Lotharingius in hunc modum verba fecit.

Deest oratio cardinalis.

46. Angebatur interea Romæ gravissimis curis Pius pontifex, quod nec quæ legati fecissent satis probaret, & in dies malum magis serpere, omniaque remedia minus juvare audiebat. Nam episcopus Viterbiensis eo gravius solito omni perscribebat, quo legatis creatis, ut omnem a se curam ad alios translatam, ita culpam omnem eosdem laturos intelligebat, simul etiam ut eodem argumento & reditum in patriam deprecaretur, quod regni Galliæ interitum & ab ecclesia Romana abalienationem spectare minime vellet, & ab ingenio non descenderet. Igitur in tanta rerum perturbatione, consulto senatu, alium legatum iis duobus adjungendum censuit, non tam ut numerus legato-

rum, quam ut plus auctoritatis legatio haberet, si ab ipsius (ut dicunt) pontificis latere legatus discederet. Quæ res ut morbo non prodesset, testatam tamen apud omnes pontificis curam ac diligentiam relinquebat: quasi aliorum legatorum creatio, quod erant jam in Gallia, neque Roma proficiscerentur, non satis diligenter curare negotium diceretur. Erat tunc Romæ Hyppolitus Estensis cardinalis Ferrariensis, vir & in rebus agendis exercitatissimus, & ingenio sagax, & Gallis gratissimus, quod illorum partes secutus esset, fervente bello inter ipsos & Hispanos. Hic, ut primo de legato in Galliam mittendo audivit, cum magno desiderio teneretur eo veniendi, quod plurimum suis rationibus conducere existimabat, & ad auctoritatem comparandam vehementer pertinere, si locum probandæ virtutis suæ expeteret; pontifici per amicos operam suam pollicetur. Id, ut par erat, gratissimo animo exceptum est, & dies profectionis dicta IV. calend Julias. Cum eo profecti sunt theologi doctores multi, Jacobus Lainus, ut habetur in historia Societatis, Angelus Justinianus Franciscanus, Johannes *Aynez* Jesuita, egregii concionatores, N. Dominicanus: episcopi vero Julius Cananius Adriensis, Marcus Vergerius Senogallensis, Auctinensis, Laurentius Lentius Firmanus. Ita magno comitatu ex Urbe egressus, quod calores urgebant, parvis itineribus, cum nec ipse satis firma esset valetudine, ad S. Germani oppidum mense Septembri devenit. Ibi lætis animis a rege & regina exceptus, quod Ferrariensis ducis frater, qui regi propinquitate conjungebatur; quod summæ auctoritatis & divitiarum cardinalis, quod legatus apostolicus; in ipsis regis ædibus divertit.

47. Eodem tempore ut episcopi Viterbiensis postulatis concederent, & quod illo desperante ac de rebus Gallicis conclamante omnis penitus spes sublata videbatur, ne quid remedii amplius ab ipsius prudentia ac diligentia expectaremus, ad alium nuntium in Galliam mittendum pontifex animum convertit. Erant omnia plena difficultatum: morbus graviſſimus, & jam pene inveteratus: remedia sæpius frustra tentata: rex infans, reginæ animus, ut supra memoravimus, ambiguus: Germaniæ & Angliæ & aliarum provinciarum exemplo corrupti nostrorum mores. Itaque quem tantæ hominem virtutis deligeret; qui Gallorum procurrentium ad internecionem impetum saltem retardaret, vix inveniebatur. Nam ad alias difficultates accedebat, quod jam in Gallia nuntius apostolicus tantam in contemtionem venerat, multis e principibus ipsis in hæresim delapsis, ut qui dignitatem propria etiam virtute & favore sustinere posset quærendus videretur, ne in ipsius persona sedis apostolicæ dignitas periclitaretur.

48. Dum hæc animo volvit pontifex, Ptolomæus Gallius, pontificis secretarius; Et quid, inquit, tamdiu hæsitamus in deligendo nuntio in Galliam mittendo, cum Prosperum Santacrucium, episcopum Pisanensem habeamus, virum exercitatum, magni animi, multarum litterarum, eloquentem, magnæque apud Gallos auctoritatis; quod apud Henricum secundum Galliarum regem nuntium pontificium annis jam duodecim summa cum prudentiæ laude egisset. Propterea & Gallicæ linguæ scientiam, & multorum hominum notionem maximo illi ad negotia conficienda adjumento futurum. Eum nunc agere in Lusitania nuntium apostolicum, ampla quidem & prædivite provincia, ut multum inde auri reportaturus existimetur, si ibi annum vel biennium communi omnium more transigat: sed cum pro sua virtute, pro observantia in hanc sanctam sedem, pro pietate quodlibet commodum suum pontificis voluntati & suorum temporum necessitati posthabiturum, eum præsertim si Lusitaniam hoc tempore reliquerit, & in Galliam se contulerit, tot difficultatibus & periculis sese objiciens, hujusmodi animi constantiæ ampliſſima & certissima præmia deberentur. Auctoris electio in Nuncium.

49. Cum hæc Ptolomæus dixisset, continuo nulla interposita mora ad Prosperum pontifex scribit, Se illius opera in Gallia usurum, neque vereri, quin ipse libenti animo ac promto, non solum Galliæ regno, sed totius Christianitatis periculo pro sua virili & pietate opem ferat: se quamprimum Parisios conferat, ibique communicato cum legato Ferrariensi consilio, quæ necessaria videbuntur conficiat. Addit se & prætentorum laborum & præsentium rationem benigniſſime habiturum. Perscribit deinde quo in statu sint res Galliæ, quantoque in periculo: quid tentandum, qua ratione huic malo occurrendum illius prudentiæ reliquit, quod spe liberandæ Galliæ in præsentia dejectus, si ejus & legati diligentia in melius res illæ reducerentur, satis officio ac desiderio suo factum putasset.

50. Prosper acceptis pontificis litteris, & cum iis amicorum plurimorum, quorum pars, ut sunt varia hominum ingenia, profectionem suaderet, quod pontificem tot laborum, tanta pericula, tam magnam utilitatis jacturam, nonnullam etiam apud Lusitanos existimationem, quod quinto post mense, quam appulerat, inde evocaretur magnis præmiis, magnis honoribus remuneraturum pro comperto habebant: neque futurum, ut e Gallia discederet, quin cardinalis crearetur. Esse hoc commune omnium judicium. Plerique alii, etsi pontificis imperia detrectanda non esse suadebant, dolebant tamen & commiserabantur tantam occasionem rei bene gerendæ & patrimonii

ampliandi manibus ereptam: ex quieta, tranquilla & plena honoris ac divitiarum legatione ad laboriosam, difficilem, periculosam, & in qua omne patrimonium sit perdendum, traduci. Nonnulli profectionem in Galliam omnino recusandam censebant, quod cum aliis causis hæc quoque ratio conjungebatur, quod in summa rerum Gallicarum desperatione, ut plerumque consilia ab eventis ponderamus, non solum bonorum ac vitæ, sed anteactæ etiam existimationis summa periclitari videbatur: tantum abesse, ut præmia exinde sperare posset, ut potius re male gesta, omnem sibi in posterum viam ad honores præcluderet.

51. Prosper his litteris acceptis, nulla aliarum rerum ratione habita, quod Deo optimo maximo egregiam operam navandi ac de religione & Galliæ regno benemerendi præclara quædam occasio præberetur, in eo si vitam profunderet, satis feliciter secum actum iri existimans; octavo post die quam litteras accepit, Ulisbona discessit, in Galliam contendens: sed quod erant calores ingentes (decimo enim tertio die Julii Ulisbona discessit) tardius opinione ac voluntate sua sub finem mensis Septembris MDLXI. Parisios pervenit paucos post dies quam legatus. Erat rex in oppido S. Germani, sex tantum leucis distante. Eo cum nuntius apostolicus venisset, ac regem pontificis nomine salutasset, benigne ab omnibus exceptus est, præcipue a regina matre, non solum quod illum antea noverat, sed quod mirum in modum oderat episcopi Viterbiensis & mores agrestes, & naturam subacerbam, semperque, ut diximus, male ominantem. Itaque non tantum Prosperi adventu, quam illius discessu lætabatur. Ipse etiam legatus, quod Prosperum amaret, ac faceret plurimi, gratissimo animo illius adventum excepit. Discesserat, ut diximus, re infecta a conventu Poisiacensi, eoque majores spiritus Hugonotti sumserant, quod scopulos illos pervasi securam sibi reliquam navigationem pollicebantur, ac jam publice duobus aut tribus in locis Parisiis concionabantur: in ipsa etiam aula regis quotidie duo itidem populo verba faciebant; & (quod erat illorum præcipuum ac peculiare, & quasi symbolum quoddam, quo a reliquis dignoscebantur) Psalmos Davidicos lingua Gallica certo quodam ac definito modulo concinebant, eo usque impudentes, ut sæpe legatus ac nuntius regem adeuntes illos cantantes audierint. In quo non solum peccabant, quod propria auctoritate Psalmos ipsos in linguam Gallicam traduxerant, & quod omnem fere sensum inverterant; sed quod, ut diximus, eo quasi symbolo se Hugonottos asserebant & profitebantur. Itaque in singulis jam Galliæ civitatibus atque oppidis illi & cantantes & concionantes audiebantur, populo frequentissimo concurrente, quod tantam legis conniventiam pro lege ac præcepto accipiebant.

52. Erat eodem tempore Franciæ cancellarius Michaël Hospitalius, vir in humanioribus litteris ac philosophia versatus, sed de religione non recte, ut plerique omnes arbitrabantur, sentiens: & quia ex humili fortuna ad summam dignitatem evectus fuerat, is nihil de antiquæ religionis ceremoniis in aperto immutans, occulte quacumque ratione poterat Hugonottis favebat. Hujus rei causam cum regina prætexebat, non tam quod illorum sectam probaret, quam quod existimaret ad regis securitatem & ætatem illam puerilem sine periculo traducendam plurimum valere, si procerum ac nobilium Gallorum animi ac sententiæ inter se non convenirent, nulla hoc ratione facilius effici posse, quam si exortam de religione dissensionem aleret & foveret. Igitur quotidie edicta conscribebat, quibus, quasi regni paci ac tranquillitati consultum vellet; prohibebat ne quid durius una pars in alteram constitueret, sed omnes æquo jure pacatis animis viverent. Hæc magnifica ac speciosa verba cum ad consilium referebat, præcipue a regina cupida quietis probabantur. Interea magistratibus in Hugonottos animadvertendi potestate sublata, ac hæresis impunitate proposita, quantum plus audaciæ mali homines sumebant, tantum bonorum virtus remittebatur. Nam cancellario regina indulgebat præcipue, & propterea quod solum regem & illius commoda spectare videbatur, confidebat maxime. Itaque quidquid ille edicebat, ex ipsius reginæ ore mitti credebatur. Quibus rebus fiebat, ut terrerentur infirmiores, confirmarentur dubii; & qui jam frontem perfricuerant, nullum modum ponerent eorum audaciæ ac temeritati. Igitur jam omnibus ferme in locis Hugonotti armati conveniebant, tormenta etiam, quæ archibusos vocamus, portantes. Hujus rei insolentia multis in locis permoti oppidani, ad regem deferunt moliri istas res novas audacius multo quam æqua vivendi ratio postularet se habere; proindeque diligenter caveat, ne quid durius accidat. Facile esse in ipsis rerum initiis providere: quod ubi neglexeris, magnis sumtibus, majori etiam periculo emendandum.

53. In primis N. mercatorum Parisiensium præpositus, qui magistratus est in ea civitate summæ potentiæ ac magnæ auctoritatis, reginam alloquitur, Manum Hugonottorum ex perditis, desperatis, & egentibus quibusque collectam, armatam: maxime verendum ne sub prætextu religionis ad opulentissimæ urbis direptionem ac rapinam aspirarent: in eo versari non solum civium fortunas & primariæ urbis ruinam; sed ne ipse

» ipſe rex ad bella paratum deinde præſidium
» ullum habeat: quandoquidem ex illa civi-
» tate, tamquam ex promtuario quodam, pe-
» cuniæ & aliarum rerum neceſſariarum, quan-
» tum vult accipit, cum neceſſitas urgeat, non
» ita facile ex aliis locis colligendi facultate
» conceſſa. Addit, quanto & malo exemplo
» & magno periculo fiat, ut imperitæ multi-
» tudinis arbitrio arma committantur. Poſtre-
» mo inſuſurrat, a Borboniis Hugonottorum
» ſectam ali: illos appropinquare ad regni gu-
» bernacula: ut, iis tribus filiolis de medio
» ſublatis, nihil ſit impedimento, quominus
» qui primus eſt inter eos, rex ſalutetur. Proin-
» de diligenter cavendum, ne iis armis atque
» hac religionis antiquæ ſubverſione ad filio-
» rum ſuorum perniciem abutantur. Vetus
» enim & tritum eſſe proverbium, regnandi
» cauſa jura poſſe violari.

54. Regina, etſi cognoſcebat vera eſſe quæ a mercatorum præpoſito dicebantur, ſuſpicionem tamen timoris de Borboniorum fide celans, reliqua ad conſilium defert, quod Privatum appellant. Conſtat hoc ex principum virorum xv. aut xx. ſolebatque aliorum regum tempore de cauſis quibuſdam majoribus decernere. At regina, vel quod inſueta regnandi, aliorum conſilio egeret, vel quod non tantum ſibi cetera ſumere vellet, ut de rebus Gallicis ſola decerneret, eo conſilio utebatur, in quo qui principem locum teſtebant, erant Borbonii tres fratres: poſt hos cardinalis Turnonius, Guiſii, conneſtabilis, mareſcallus S. Andreæ, epiſcopus Aurelianenſis, de Auſerra, dominus *de Curſol*, & aliqui alii: cancellarius vero ex antiquo more non ſolum intereſſe, ſed propemodum præeſſe ſolet, quod is omnia conſtituta excipiens, in præcepta redigit & obſervari mandat. Is igitur quod ingenio valeret & litteris, omnibus auctoritate potius, quam rerum ſcientia præſtantibus, ut conſilii privati decreta non intervertebat, quoquo tamen volebat contorquebat. In ipſis in primis edictorum formulis conficiendis miſcebat omnia, & miro quodam ac non ingrato pleriſque artificio Hugonottorum ſectam promovebat. Ubi rem eo deductam videt, ut de armis ſit tractandum: Huic, inquit, rei maxime prævenienduм eſt, ne ad vim atque arma concurratur. Narrat commoda pacis ac quietis, & tandem interpoſito decreto ab utriuſque partis manibus arma eripi, & in ædes publicas cujuſque civitatis comportari debere ſtatuit, quo magiſtratibus tantum illorum uſus concedatur. Id cane de cauſa fecerit, ut impendentibus malis occurreret, an vero ut Hugonottis faveret, quod nihil nobis conſtat, non videtur pro certo ponendum. Compertum tamen eſt, eo decreto Hugonottos & mirabiliter fuiſſe lætatos, & ad univerſi regni perniciem converſos, niſi præpotentis Dei manus eorum conſilia prævertiſſet. Quod

A quo pacto acciderit, operæ pretium eſt ut altius dicere ordiamur, quo non ſolum rerum quæ contigerunt, ſed conſiliorum omnium vim atque rationem teneamus.

55. Hugonotti ſive religione permoverentur, ſive rapiendi deſiderio, ſive cupiditate regnandi, id unum curabant, ut regni gubernacula tenerent, ac rerum potirentur: & cum primum ſuaſionibus, deinde populi commotione atque ad rapinam perſuaſione rem ſæpius fruſtra tentaſſent, quod etſi nonnulli eis aſſentiebantur, tamen multitudini ea vivendi forma non probabatur: duabus aliis viis rem aggredi cœperunt. Earum prima fuit, ut omnem diligentiam adhiberent, quo ex ſuæ factionis hominibus magiſtratus ubique crearetur.

56. Ad ſummam procurationem maximo favore, ambitu diligentiſſimo, negligentibus nobis & ea in re cæcutientibus, facile aſſequebantur. Accedebat quod cum in Gallia omnes fere magiſtratus, præſertim qui vitæ & necis poteſtatem habent, quive judicandis litibus ac controverſiis præſunt, quos parlamenta vocant, venales ſint, cum primum ſe ſe occaſio emendi offerebat, ſi privata non poterant, collecta ab univerſis pecunia coemebant: quo & ipſi eo munere fungerentur, & aliis aditus illo perveniendi præcluderent. Utebantur hac in re, ut diximus, non ſolum aperto favore principis *de Condé*: ſed ipſe Navarræ rex quibuſcumque poterat officiis eorum conſilia comprobabat.

57. In primis cancellarius, ad quem ſpectat quærere, an idonei ſint qui ad magiſtratus gerendos deliguntur, quacumque poterat ratione adjuvabat. Ita breviſſimo tempore magna ex parte voti compotes facti, eo jam rem deduxerant, ut neque in ſontes, ſi modo Hugonotti eſſent, animadverteretur: neque contra eos jus diceretur, ſi quando judicium ſubire cogebantur, exploſa atque omni ex parte eliminata juſtitia. Qua de re & auctoritas illorum in dies magis creſcebat, & clientelis augebantur. Inde etiam fiebat, armorum uſu ad magiſtratus delato, atque omnibus aliis erepto, ut non ſolum ipſi nihil amplius timerent: ſed in eorum poteſtate ac manu eſſet, quo nocerent aliis. Ita hac in parte, quod animo conceperunt, ex toto fere me aſſequuntur.

58. Ab iſta tacita & quieta occupandi regni via, quod lente ac paulatim procederetur, ad aliam breviorem, &, ut ipſis videbatur, multo certiorem confugerunt. Eaque tem fuit ut eodem tempore ſex civitates ab ipſis occuparentur, Pariſius ſcilicet, Toloſa, Lugdunum, Aurelia, Rothomagus, & Biturices. Nam præter id quod hæ ſunt primariæ totius Galliæ civitates, ex quibus quantum voluiſſent auri ac reliquarum rerum omnium corraſiſſent: ita ſunt diſtractæ, ut illorum occupatione toti regno imperitaſ-

sent, reliquis inferioribus urbibus illarum fortunam subsequentibus, non solum quia metropoli occupata urbe, facile aliæ diuturnitate pacis molestiarum insuetæ, propria damna & vexationem illa excusatione redemissent, quod sui judicii non esset, neque suarum virium contra quod ampliſſimæ civitates fecissent niti: sed etiam quia per mercatores, quorum erat in his urbibus magnus numerus, plerosque de bonorum ac facultatum suarum parte periclitari necesse erat, nisi continuo illarum sententiam sequerentur. Est enim natio omnium maxime quæ bonorum amissione permoveatur. Itaque pro comperto habentes, futurum ut omnia in eorum essent potestate, si harum sex urbium imperium tenerent, tali modo rem aggredi constituerunt.

59. Assueverant Hugonotti singulis diebus statuta hora concionantem unum, ac evangelii verba exponentem audire. Eum ministrum nominabant. Ex omnibus sex deligunt, quos sagaciores, & ad id quod animo conceperant paratiores existimarunt; tum etiam eloquentiores & promptiores ad persuadendum. Hos singulos singulis civitatibus distribuunt: ordinant ut locum concioni prope portas urbis deligant, eo prætextu, ut campo apertiore & liberiore uterentur. Addunt, ut quam maximum possent numerum hominum a nostra in eorum sententiam traducant, in primisque curent, ut concioni frequentissimi conveniant. Quod si alia ratione fieri non possit, plebem ac pauperes quosque eleemosynæ nomine, quatuor solidis in singulos dietim distributis, alliciant: qui sunt ditiores pecuniam in hunc usum conferant. Hac ratione futurum, ut lente ac paulatim homines assueti, neque multitudinis concursu terreantur: & quod sint ex infima plebe ac egentibus quibusque, contemnant ipsi, penes quos summa totius negotii erat. Constituunt, ut ex propinquis locis qui sunt Hugonotti omnes ad diem certam ad singulas quasque illarum quas diximus sex civitatum conveniant, intermissaque eleemosynæ datione, pauperum illorum qui concionibus intererant locum occupent. Ita neque hominum numerus auctior apparebat, neque quidquam quotidianæ consuetudinis desiderabatur: & infimæ plebi fortissimi & audaciſſimi quique succedebant, qui quod, ut diximus, urbium portis propinqui erant, facile urbe potiri poterant, eum præsertim, ut jam antea diximus, inermes essent cives omnes, quod arma erant in ædes publicas regis edicto comportata, & in magistratuum potestate: ita tamen ut multo minori severitate cum Hugonottis ageretur quam cum Papistis: propterea quod illi dicerent, etsi satis se præsidii habere adversus reliquos a regiis edictis; ab infimæ tamen multitudinis injuria ac maleficio non esse securos, nisi armorum tuitione. Accedebat, quod magistratus, ut supra memoravimus, ut non omnes essent Hugonotti, magna pars tamen illorum illis connivendo favebat. Ita fiebat, ut alii armis spoliati, ac nihil tale verentes, ipsis armatis & omni studio in hanc curam occupandarum civitatum incumbentibus, nequaquam pares esse possent: sed locorum intervalla, personarum deligendarum præparatio, ipsa rei magnitudo omnem administrationem tardabant & longius tempus postulabant, quam ut eodem mense expediri potuerit quod in cogitationem venit. Itaque in proximas kalendas Septembris dilata est. Is erat annus MDLXII.

COMMENTARIORUM

LIBER TERTIUS.

1. SUB finem anni præcedentis venerat in Galliam, ut supra demonstravimus, Prosper Sanctacrucius, Pii IV. pontificis maximi nuncius, cui mandat pontifex, ut quæ ad religionem pertinent diligenter curet. Is ubi quo loco res sint intelligit, ejus in primis rationem esse habendam constituit priusquam aliquid aggrediatur, ut quo animo regina sit in religionem percipiat. Id etsi difficile erat, propterea quod multæ sunt latebræ in animis hominum, multique recessus; ipsaque in primis regina dissimulandi artem præclare tenere dicebatur, qua si umquam illo præcipue tempore sibi utendum esse constituerat, ne animi sui sensu propalato perniciem filiis pareret. Quia tamen ad spem negotii conficiendi plurimum pertinet, eorum quibuscum sibi res est, animos introrsum perspectos habere & cognitos, ut etiam si opus sit, mutata velificatione, ita cursum teneas; ut prætervectis scopulis, si portum capere non possis, naufragium vites; omnibus consiliis Prosper animadvertendum existimavit ut hac ipsa de re certior fieret.

2. Erat in aula regia Johannes Baptista Alemannus episcopus Matisconensis, reginæ gratissimus, quod illius operam multis in legationibus magno sibi usui fuisse intellexerat. Hunc Prosper & familiaritatis, & hospitii jure, cum Romæ ageret, sibi conjunxerat. Cum eo ipsis primis diebus, quibus in Galliam venit, serio agit, sperare se ab Hugonottorum ad nostram sectam traducere posse Petrum Martyrem, quem Italum ex Hugonottis doctissimum ad conventum Poissiacensem ex Geneva venisse supra memoravimus. Id qua ratione tentare ac perficere velit, edicit: per eum posse reliquos ministros persuaderi, ita ut ipsis ad nos traductis, facile vulgus commoveatur, & a sua pertinacia recedat; rebusque compositis pax & tranquillitas huic regno restituatur. Dicebat

hæc inflatius Proſper quam ſperaret, ea ratione, ut ſi per Matiſconenſem ad reginam deferretur, id quod accidit; quo animo illa iſthæc acciperet, eo ipſe conjecturam faceret voluntatis ejus. Nam ut non etiam improbaſſet, ſi tanta exſtirpandarum hæreſum ſpe potita obmutuiſſet, facile de illius animo judicari potuiſſet. Matiſconenſem autem rem tantam reginæ non celaturum omnino confidebat, etſi nihil edixerat, ut ad reginam deferret, eo conſilio, ne, ſi quaſi coacta reſponderet, pudoris cujuſdam ac ſimulationis potius quam veri ac ſinceri animi notionem reportaret.

3. Igitur quod fuerat ſuſpicatus nuncius, ut omnia ad reginam per Matiſconenſem deferrentur, id ita evenit. Illa incredibiliter lætata per eumdem Proſperum hortatur, ut ſedulo agat, nihilque intermittat quod ad perfectionem operis pertineat: ſi quid promittendum ſit audacter polliceatur, ſe omnia præſtaturam, id modo aſſequamur ut quæ ſunt in religione controverſa componantur, & ii qui a vera via aberrarunt in rectam & ſitatam reducantur

4. Hoc de voluntate reginæ quaſi præjudicium magnum attulit ad reliqua conficienda momentum. Nam Proſper audacius & liberius cum regina tractans, ſi regis Navarræ animum aliqua ratione capere poſſet, negotium propemodum confectum videbat. Itaque totus in hanc curam converſus, ut reginam laudando, hortando, antiquorum exemplo confirmaret; dies ac noctes cogitabat, quo pacto efficere poſſet, ut Antonius Borbonius, Navarræ rex, congruentem cum regina animum retineret.

5. Erat is, ut diximus, ingenio levi ac facili; & quod totus in illius regni Navarræ partis, quam ab Hiſpaniarum regibus poſſideri memoravimus, recuperationem incumbebat, id primum fundamentum exiſtimavit, ut ſpem illam aleret & foveret. Etenim ſi de illa ejiceretur, dubium non erat, quin ſe totum ad Calviniſtas converteret, & qui cum pudore ac ſimulatione illis favebat, perfricta fronte eorum ſectam ita promoveret, ut breviſſimo tempore totum Galliæ regnum occuparet. Facile hac de re conjectura capi poterat, quod tanto erat in Hugonottis amplificandis ſegnior rex Navarræ, quanto majorem in ſpem venerat, futurum ut ſua recuperaret: ea cum ſe remittebat, acerbior multo atque acrior in noſtros apparebat.

6. Itaque ut hominem in officio contineremus, ac ſpe ita aleremus, ut non ſibi verba dari, ac tempus traduci intelligeret; in eo erat præcipue elaborandum. Fuerat biennio, antequam in Galliam veniſſet, in Hiſpania Proſper, ibique apud Philippum regem nuntium pontificium cum egiſſet, quod multis ac magnis de rebus cum illo egerat, regis animum bene perſpectum ac exploratum habebat. Hoc illi & ad tractanda negotia plurimum valebat, & ad auctoritatem ſibi comparandam juvabat præcipue. Igitur cum ſe in Navarræ regis gratiam inſinuaſſet, quod illius conſilium regni recuperandi non ſolum non improbaſſet, ſed collaudaret maxime; eo res devenit, ut libere & aperte rex Navarræ edixerit, ſe Hugonottis adjutoribus uſurum, ut rebus ſuis potiatur.

Proſper in Hiſpania Nuncius.

7. Id conſilium nuntius duabus potiſſimum rationibus improbavit. Earum prima fuit, « quod diceret regna a Deo concedi, ac illius « permiſſu retineri. Proinde non eſſe ſperandum, ut illo fautore uteretur, quem ita gra- « viter offendiſſet, ut rex Chriſtianus ſe cum « hæreticis conjungeret. Animæ vero conſervationem & honoris pluris multo eſſe faciendam quam omnia regna. «

8. Altera ratio fuit, qua magis permoveri « eſt viſus, ut cogitaret, ſi armis experiretur, « ſeque cum his perditis hominibus conjungeret, totam Chriſtianitatem commotam « iri, neque communem cauſam neglecturam; « Hiſpaniarum regis vires & copias eo futuras « auctiores & firmiores, quo non jam de regni « Navarræ parte agi videretur, ſed de inver- « tenda religione & populis ad hæreſim ab- « ducendis. Futurum propterea, ut ipſe in « primis pontifex, deinde omnes alii principes « Chriſtiani, pecuniis & quacumque alia re « poſſent, illum juvent, & populi præſertim « Hiſpaniarum avidius ac intentius pugnent: « ut ſacerdotes arma capiant, araſque & fo- « cos, ut dicitur, ita tueantur, ut in eo ſi vi- « tam profundant, ſatis bene ſecum actum iri « exiſtiment. Ad hæc accedebat, quod ma- « gna Galliæ pars nulla ratione credebatur « conſenſura; futurumque ut hoſtem non mi- « nus domeſticum quam externum timere co- « geretur. Eſſe hoc regi Hiſpaniarum magno « commodo, ut cum privata cauſa quam tra- « ctare velit, publicam & communem totius « Chriſtianitatis conjungat. Homines ſcilicet « hinc inde collectos, non aſſuetos neque exercitatos in bellis, levitate potius ac furore « quodam commotos, quam ut eorum ſtabilitati fidere poſſit: præſertim ſi quid durius « accideret, ut bellorum fortuna fert. Neque « Anglis ſeu Germanis fidendum, quorum uni, « veteres Gallorum inimici, eo uſque illis fa- « vebant, quo omnes in bello nervos ac vires « atterant, non ut victoria potiantur. Germa- « nos vero ne pedem quidem e domo elatu- « ros, niſi præſentem pecuniam viderint. Hæc « ſi adſit, non eſſe opus religionis inverſione: « ſi deſit, omnem illos religionem illorum « commodis poſthabituros. Philippi regis ani- « mum non eſſe avarum neque valde cupidum regnorum: religioni vero ita addictum, « ut ſperari poſſit, pontificis atque aliorum « interventu rem ad aliquam concordiam de- « duci poſſe: præſtareque conſervata pace, & « quod multo pluris faciendum eſt, animæ & «

» exiſtimationis jactura redemta vel dimidium
» conſequi, quam dubiis bellorum eventibus
» & incertæ fortunæ committere, quo toto
» potiaris.

9. His rationibus permotus rex Navarræ, viſus eſt deſiderare, ut aliqua tractandæ concordiæ ratio iniretur; eoque in dies magis nuntio fidem habere, quod recta moneret, in primiſque libere ac aperte loqueretur. Proſper igitur rem aggreſſus, ad Bernardum Freſneda Franciſcanum monachum, qui audiendarum confeſſionum ergo Philippo regi
» erat gratiſſimus, ſcribit, quo in periculo res
» Galliæ ſint: Chriſtianos omnes pro virili ut
» opem ferant poſtulat. Adjungit quantum
» regni Galliæ a religione alienatio nocitura
» ſit regno Hiſpaniæ, & morbo ipſo, & exem-
» plo: præcipue autem Flandriæ commotio-
» nem eſſe timendam, niſi celeriter occurra-
» tur: Navarræ regem, ſi aliqua ratione illius
» deſiderio & damno ſatisfiat, poſſe impen-
» denti calamitati providere. Orare & obſe-
» crare, ut apud regem Hiſpaniæ Dei & reli-
» gionis cauſam agens, propriorum ipſum pe-
» riculorum admoneat.

10. Ad hæc cum Freneſda benigne reſpondiſſet, multaque de regis pietate & beneficentia polliceretur; factum eſt ut rex Navarræ majorem in ſpem rerum ſuarum venerit, lentiuſque ac remiſſius Hugonottis faveret.

11. Erat in Gallia Hiſpaniarum regis orator N. Pereno, dominus de Pantone, vir acuto & perſpicaci ingenio, valdeque cum nuntio in aſſerenda præſertim religione conſentiens. Is quo loco res eſſent a nuntio admonitus, ſimulque hortatus, ut conceptam a Navarræ rege ſpem aleret, amiciſſime de
» illo loquebatur, Ipſum eſſe in cauſa, quomi-
» nus vel Navarræ partem, quam Philippum
» regem obtinere diximus, vel illius loco com-
» penſationem accipiat, quod ſuperbe ſe gerat,
» ita ut ne petere dignetur, confidatque po-
» tius Hiſpaniarum regem timore adduci poſſe,
» quam precibus ac propria liberalitate quo
» velit. Decipi in hoc & vehementer errare,
» ſi minis perterreri poſſe Hiſpanos credat,
» quos natura elatos recentis & ampliſſimæ
» victoriæ audaciores reddidiſſent.

12. Hæc frequentibus ſermonibus uſurpata, ad Navarræ regem delata fuerunt, ut is de mittendo in Hiſpanias homine conſilium ceperit. Aderat tunc in aula regis Franciſcus cardinalis Turnonius, graviſſimus ſenex, & qui magnam haberet apud omnes prudentiæ & probitatis opinionem, & Annas Montmorantius Franciæ conneſtabilis eadem prudentiæ exiſtimatione, cui etiam rex Navarræ plurimum fidebat. Hi ambo ſeptuaginta & amplius annis nati, & multarum rerum uſu Hugonottis infenſiſſimi, veterem Dei cultum & antiquas in religione ceremonias in Gallia obſervare ſtudioſiſſime cupiebant, & pro eorum prudentia a Navarræ rege omnia perverti, & omnia exinde mala provenire intelligebant, quod illius vel ambitioni, vel cupiditati non ſatisfieret. Ut rem eo deductam intelligunt, ut de mittendo aliquo in Hiſpanias agatur, probant conſilium, bona ſpe hominem complent, omnia eorum ſtudia amantiſſime deferunt.

13. Qua de re, ut in omni hac adminiſtratione tam prudentibus, gravibus, & ſui ſtudioſiſſimis conſultoribus rex Navarræ uteretur, arctiori poſtea cum illis conſuetudine uſus eſt. Nam intelligebat hoc etiam nomine ſe Philippo regi gratiorem futurum, ut qui ambos hos præſtantes virtute & probitate viros mirifice amaret, & faceret plurimi: atque inde magnam etiam apud alios ſe probitatis commendationem collecturum, quod horum hominum conſiliis crederet. Alebat domi ſuæ Antonium Dalmeidam Luſitanum. Hunc deligit quem in Hiſpaniam mittat. Nam præter linguæ Hiſpanicæ ſcientiam, & præter id quod gratioſior futurus erat Luſitanus, quam Gallus; erat Philippo regi gratiſſimus *Rui Gomez* de Silva, Luſitanus; & quod jam inde a pueritia cum rege coaluerat, omnia ejus conſilia & omnem animi ſenſum tenere putabatur, aptiſſimeque Luſitano Luſitanum allegat. Cum his cauſis illa etiam ratio adjungebatur, quod plurimum pertineret ad dignitatem & exiſtimationem ſuam, multum etiam ad conficiendum negotium, ſi omnia ſecreto tractarentur, & Galli omnes, his duobus quos diximus exceptis, hac de re celarentur. In quo providebat præcipue, ut auctoritatem ſuam cum Hugonottis & clientela retineret, ſemperque liberum haberet regreſſum ad ſua conſilia, ſi res non ſuccederet.

14. Antonius igitur cum ſemel atque iterum ex Hiſpania rediiſſet, & generatim multa Philippi regis beneficentia, ac propenſa voluntate in rem Chriſtianam retuliſſet, ita ut omnia commoda hæreſum correctioni poſthaberet; multi interea menſes elapſi ſunt, in quibus cum Hugonotti nihil de eorum diligentia & poſtulatis iniquiſſimis remiſiſſent, templaque in primis peterent, ubi eorum more ſacra facerent, & populus ad conciones audiendas conveniret, Papiſtis omnibus reclamantibus, ipſis in primis pontificis legato & nuntio: viſum eſt reginæ, cancellarii, ut putatur, ſententia, ut ex omni parlamento bini evocarentur, qui tot difficultatibus conſilium caperent.

15. Sunt in Gallia octo quæ dicuntur parlamenta, hoc eſt magnus judicum numerus, qui de inferiorum judicum ſententiis judicant, cauſaſque appellationum cognoſcunt: ac propterea, quodque etiam viri graves & docti ex omni Gallia deliguntur, magna in exiſtimatione habentur. Inter hos principem locum obtinent qui Pariſiis reſident:

quod centum & amplius numero ſunt: quod latiſſimam juriſdictionem habeant: quod caput regni urbem, & eam regionem quæ proprie Francia dicitur: quod regi propius aſſident, ut qui in locis circumvicinis majorem anni partem tranſigat; quod horum conſilium reges pro veteri more exquirere, & plerumque ſequi ſoleant. Poſt hos ſunt Rothomagenſes, qui Normandiæ præſunt: Toloſani, qui Linguadochæ; Burdegalenſes, qui Guaſconiæ; Redonenſes, qui Britanniæ; Gratianopoli, qui Delphinatui; Aquenſes, qui Provinciæ; Divionenſes, qui Burgundiæ.

Principio igitur anni MDLXII. menſe Januario, binis illis quos ſupra diximus, ex ſingulis parlamentis in oppido S. Germani, quod diſtat a Pariſiorum urbe quinque leucis, ... ſed quod nominatim fuere, idque proprium munus eſt cancellarii, quem Papiſtis ſuſpectum eſſe ſupra diximus, eum exitum qui poſtea ſecutus eſt, conventum hunc habiturum omnes præviderunt.

Cetera deſunt in exemplari.

COMMENTARIORUM PARTIS IV. fragmenta.

Auctor alius. CUjus quidem litteræ per omnem Galliam delatæ, ut ſuos ad bellum incitaret, hujuſce argumenti fuere.

Condæi litteræ. » NOn me latet, commilitones, quod propoſitum & conſilium meum quibuſdam » minime probabitur, qui rerum ignari, quid » futurum ſit non proſpiciunt: cum nihil aliud » quam quod præſens eſt ſentiant: futuroſque » eſſe plurimos minime vereor, qui me accuſent, quod bellum renovare videar: ſed ut » rem penitus intelligatis, conſilii mei rationem explicabo.

» Dum pacis conditiones ſuperioribus annis » Aureliæ tranſigerentur, nobiſcum cum rege » convenit, ut religionis noſtræ inſtituta immutabilia relinquerentur: cuilibet de Deo » ac Chriſtiana religione ſentire pro arbitratu » integrum eſſet: quam in rem a ſenatu lex » lata a rege deinde ſancita eſt. Hac quamdiu » uti potuimus, noſtrum nemo illis, qui Pontificis partes ſequuntur, moleſtus fuit: quin » potius multas contumelias ferre coacti ſumus, ne a nobis belli initium ortum videretur, ſi armis eas propulſare, aut ulciſci » conſtituiſſemus. Eamdem nobis adimere Tridentini concilii in Gallia receptione in Pontificis & Hiſpaniarum Regis gratiam adverſarii noſtri omni ſtudio conantur. Id autem » eſt nos omnes hac illac disjectos ſeorſimque » circumventos occidere, ut ipſorum ſuperbiæ ac dominatui laxatis habenis, ignaviæ » & avaritiæ, ambitioni ac libidini, Galliæque calamitati totius dent operam, cujus ſalutem deploratam eſſe florentiſſimumque olim regnum defloreſcere videtis. Quanta item rerum inopia premantur omnes qui Galliam incolunt, plane intelligetis, dum graviſſimis vectigalibus opprimuntur, quæ ab Italorum Florentinorumque præſertim nefario hominum genere & ſcelere excogitata ſunt. Nec vos fugit, quam ſint apud regem reginamque gratioſi omniumque opulentiſſimi adverſarii noſtri, qui id unum tantum contendunt, ut otioſi, ignari, incontinentes, malevoli, Chriſtianam religionem abolcant, & pauperes perdant: cujus rei tot exempla hactenus prodiderunt, ut longiori oratione mihi utendum non arbitrer. Meminiſtisne ullo umquam tempore tot inopes & egenos per Galliam vagari ac modo? Quod nulla alia ratione contingit, quam eorum pernicioſo conſilio, qui regi conſulunt. Hic enim cum per ætatem ea quæ actu opus ſunt non cognoſcat, impudentiſſimorum hominum conſiliis acquieſcere cogitur, compluresque in nos invitus animadvertere, populumque miſerandum genus maximis vectigalibus deglubere. Quorſum in Galliam Helvetii adducti, & in Belgas Hiſpani? Quorſum Sanctacrucius in aula? Quorſum a [magiſtratibus] noſtri rejecti? Quorſum regina ſuperioribus annis Baionam ardente cœlo profecta eſt? Quorſum cum filia & Albano remotis arbitris mutua colloquia? Quorſum cum pontifice & PHILIPPO clam initum fœdus? Nempe ut vos miſeros ac inſontes in ſummas ærumnas mecum corripiant, bona diripiant noſtra, luxuique ac intemperantiæ commodius inſerviant: in ſumma ut illi regnent, nos Nomadum more palantes erremus, & de medio tollamur. Potuimus multos annos æquo animo id ferre, cum virtuti noſtræ apud regem locus relictus eſſet, evangeliique veritas nobis non eſſet in aperto: nunc rerum omnium commutatione facta, cum virtuti noſtræ locus ſublatus ſit, & ignavi plurimi veritatis & virtutis & præclarorum hominum præmia reportent, rempublicamque moderentur; evangelii autem veritas doctorum hominum ſtudio ſit patefacta, ferendum diutius mihi non videtur, quin omnes communi decreto regem noſtrum priſtinæ libertati reſtituamus, omnibuſque viribus foveamus, ut ope noſtra adjutus, jugum excutiat, & Gallicum populum immenſis vectigalibus ſublatis conſervet. Expergiſcimini igitur, commilitones, nec diutius cunctemini, caveteque obſecro ne vos impudentiſſimi regis conſiliarii præveniant, fallaciiſque circumventos opprimant. Sicuti mihi poſthabitis rebus meis conſulere, privataſque meas ruinas egregie ulciſci licuit, longe plura quam propoſuerim efficere: ſed cum reipublicæ commoda privatis potiora ſemper habenda putaverim, & quæ a me deliberata ſunt, egregio uſu ac dignitate eſſe intelligam, vobis magis quam mihi proſpexi: quibus ille ſe pluri-

» mum debere profitebitur, qui hæc me duce » præstabitis. Eia igitur, commilitones, tenebras quæ animum occupant expellite; ut nostra opera adjuti, qui innocentes & inopes » sunt, sapientiæ suæ fructum ferant, nosque » in hominum luce vivamus. Confirmemus » religionem nostram, quæ Hispanorum & Helvetiorum adventu labascere cœpit. Non deerunt fortissimi duces & imperatores, qui vobis in pugna aderunt: non arma, non milites, aut socii, qui undique occurrent, cum » belli æquissimi causam cognorint: meminerisque pro aris & focis arma a vobis parari. Ego nullius gloriæ cupidus, id unum » mecum constitui, si vobis evangeliique doctrinæ meo interitu satis consulere possum, » soluisque id expiare quod divina in nos ira » hominumque flagitiosorum consilio res nostras exagitavit: non morior, quin in acie » occumbam, meque unum hostes conficiant. » Nam reipublicæ & religionis primam semper esse dignitatem vitaque potiorem existimavi. Reddet me hercule Deus optimus tot » pericula hac de causa subeuntibus immortalis vitæ fructum beatitudinem. Estote igitur » bono & forti animo, institutumque meum » re ipsa comprobate.

Litteris in concione recitatis, qui rebus novis vel paululum studebant, vel vehementer incitati sunt, segniores castigati, dubii confirmati fuerunt. Et quoniam pauperes inopia levandos, commune commodum curandum, & Calvini doctrinam populo gratissimam confirmandam esse docebant; nemo non principis sententiam & institutum laudabat. Natura enim omnibus comparatum est, ut erga eos benevoli efficiamur, qui nobis prodesse & favere velle videntur.

ALTERA ORATIO.

At præ ceteris Claramons Ambascius hujuscemodi orationem ad suos intra privatos parietes habuisse fertur.

» EN vobis oblata occasio, milites, regis » totiusque Galliæ libertatem in integrum » restituendi, quæ jamdudum spoliata gravissimis vectigalibus Florentinorum impiis consiliis inventis ad extremam inopiam redigi» tur. En vobis propositum illud, quod fortes » viros ad pericula sponte subeunda incitare » solet, nempe immortalis gloria quæ ad posteros etiam vestros pertinebit. Videtis quan» to in periculo versentur hi, qui nostræ fa» ctioni addicti sunt. Videtis quam crudeli» ter in nos adversarii nostri sæviant, qui gra» tia & opinione apud regem & reginam plu» rimum possunt? Quid expectamus? Quid » cunctamur? An ut, concilio Tridentino in » Gallia recepto, hic igni tradatur, ille sacco » obvolutus in confluentem projiciatur? Hic » liberos amittat, ille in conjugis conspectu ab » impunissimo sicario trucidetur? Num vobis, » qui in bello assuevistis, præstare videtur pro A tuenda religione, pro communi omnium « salute, pro rege nostro, qui eorumdem fal- « laciis irretitus, quasi captivus detinetur, in « exercitu cum laude occumbere, quam domi « cum lacrymis versari, miserrimamque du- « cere vitam? Me vestræ conditionis profecto « miseret, qui nostrorum hostium consiliorum « ignari, crudelissimas carnificum manus vix ef- « fugietis, si consilium & sententiam meam « spreveritis. Regem nostrum in libertatem vin- « dicare nobis propositum est, qui facinoro- « sorum hominum suasu ac cohortationibus « duriora in nos constituere studet, plurima- « que invitus & rerum per ætatem ignarus po- « pulis suis imperat. Religionem nostram con- « firmare, vectigalia abolere principi est pro- « positum, quem ego in expeditione ita sponte « sequor. Me vos sequimini, quos nisi unice « amarem, ad certissima virtutis præmia non « evocassem. Adeste igitur mihi, idque unum « meminceritis, rerum omnium eventum qua- « lemcumque in vestra virtute situm esse. «

COMPARATIO AMIRALLI & Principis.

C Diversa tamen sunt utriusque studium & ingenium. Pollet consilio Amirallus; manu princeps: hic animi quodam impetu viget; ille perpetua constantia: callidus iste; callidior alter: suavioribus hic moribus; severioribus ille. Amare non desinit princeps cursum, saltum, luctam gladiatoriam, venationem, ludicrum, omne armorum genus equos, ludos, jocos, choreas virginum, mulierumque choros: & Amirallo inest nescio quid quod serio agere & meditari semper videtur. Principi summus in oratione lepos: D Amirallo gravior eloquentia latinam linguam cum degustarit, Theologiæ facultati graviter incumbat. Hic in administranda republica injuriisque vindicandis acer est: ille mitior. Consulit Amirallus quæ factu opus sint: efficit princeps. Legationes ille audit, commeatum pecuniamque curat, jus respondet, loca munit, acies instruit, castra ponit, exercitum lustrat, pugnæ locum ac tempus deligit, & religioni præest: pugnam & pericula princeps poscit. Ille festucam, qua dentes a sordibus expurgare videtur dies noctesque ore continet: hic exigua & eleganti E corporis forma. Uterque tamen gratia ac liberalitate plurimum apud omnes possunt.

PRINCIPIS VERBA AD AMIRALLUM qua hora ad divi Dionysii pugnatum est.

NUm in conspectu nostro, inquit, tot cives inultos trucidari patiemur? o Amiralle, Ego audacter eo, sequantur qui velint. Galeamque his dictis induit & in pugnam prodiit, oculis tamen prius in cœlum sublatis palam ita precatur. Deus, cujus causæ tuendæ gratia armati huc hodie convenimus, mortique ut victimæ ultro nos vo- «

» vimus. Deus qui cujuslibet ingenium noſti, A
» pietateque & juſtitia fontes ac inſontes pro-
» ſequeris. Deus qui caſtris præes; adſis hodie
» nobis patereque ut duce te, meis tamen auſ-
» piciis, tui ex tuis æque ac noſtris hoſtibus
» victoriam reportent. Da ut nomen tuum
» evangeliique veritas longe lateque propa-
» getur. Quod ſi noſtrum quiſpiam alia ra-
» tione in pugnam contendit, quam commu-
» nis ſalutis ac evangelii tuendi gratia; aut me
» inanis cujuſdam gloriæ, privatæ injuriæ ul-
» ciſcendæ ſtudio hanc expeditionem ſuſce-
» piſſe arbitratur; recedat mox, abeat, valeat,
» nec in aciem prodeat. Deum enim immor-
» talem teſtor, unius tantum religionis cauſa
» hodie me enſem ſtringere. Conclamant om-
nes & annuunt, ſacramentoque more mili-
tari dicto, divo Dionyſio alacres erumpunt.

UT tibi morem gererem, Petre Benedicte, hæc ſcripſi ocyus ut vides. Excuſabis temporis anguſtiam, & diuturnæ permoleſtæque peregrinationis meæ incommoda, quæ ab officio omnino me revocant. Illud unum habe, plurima concepta hîc leges, & minime Romanam linguam redolentia, quod repurgandi commentarioli mei a triennio otium mihi numquam fuerit datum. Itaque cenſores illos naſutos vitabis, ſi ſapis, & me amas. Quod ſi a laboribus me ſemel exemero, amicum tuum latine loquentem audies. Sed etiam exopto deum aliquem qui mihi adſit. Expecto litteras tuas. Vale, hæc ocyus ſcribo, nam tubicen nos evocat.

ADDENDA AD PAGINAM 582.

EPISTOLA A. PATRIARCHÆ, Jo. regis, &c. ad Honorium papam III.

Anno 1219. Ex mſ. bibliothecæ regiæ.

SAnctiſſimo patri ac domino HONORIO Dei gratia ſummo pontifici, A. patriarcha, Jo. rex Jeroſolymitanus, Bucon. NICOLAUS archiepiſcopus, P. Albanenſis, J. Aconenſis.... epiſcopi, Hoſpital. S. Johannis, Templi, Hoſpitalis Alamannicorum, magiſter de Eeucado, SAVARICUS de Malo-leone, de Jovis-villa, E. de Caſtro, conſules comitatuum, ſalutem, & ſubjectionis cum reverentia famulatum.

Exaudivit Dominus de excelſo ſancto ſuo voces ſervorum ſuorum, non permittens tot expenſas apud Damiatam a Chriſtianis factas ita inutiliter fieri; & tantam Chriſtianorum ſtragem impunitam relinqui. Sed in his nobis miſericorditer providens ac clementer, pro parte magna noſtrum deſiderium adimplevit. Cum enim propter multiplicem ſui defenſionem, nec per terram, nec per aquam poſſet manifeſte capi civitas Damiatæ; nec virtute, nec probitate alicujus, ſed ſolius Dei dextra pugnante pro nobis, impugnantibus omnibus de exercitu præter illum, qui quantum ad ſtudium communis negotii pertinet, procuravit, nonis Novembris, intempeſtæ noctis ſilentio furtive, immo potius miraculoſe capta eſt civitas Damiatæ; ita quod nullus de noſtris in captione illa extiterit interfectus, nec etiam leviter vulneratus. De Sarracenis vero tot ceciderunt in ore gladii, quod & nobis diſplicuit. Admirati tamen & alii Sarraceni majores ad quamdam munitiſſimam turrim confugerunt uſque meridiem, nec ſe reddere voluerunt, ſperantes quod ſoldani Babyloniæ & Damaſci in caſtra noſtra inſultum facerent, & ſi contingeret Chriſtianos ſuccumbere, ipſi per turrim illam civitatem reciperent, ut ſperabant. Sed totus exercitus noſter præter paucos qui civitatem evaſerant, adeo plene cucurrerunt ad licias & foſſata, quæ inter nos & Sarracenos facta fuerant ad munitionem caſtrorum noſtrorum, quod Sarraceni nullatenus in caſtra noſtra irruere auſi fuerint. Facto autem mane in die Martis, cum tunc primum intellexiſſent ſoldani, quod civitas capta eſſet, laniatis veſtibus & injectis unguibus in capillos, amariſſime flentes, nec de ſuccurſu civitatis, ſed de fuga potius cogitaverunt, timentes ne exercitus noſter faceret inſultum in eos. Nunc ergo ex quo Dominus aperuit nobis portam Ægypti, ſanctitati veſtræ flexis genibus ſupplicamus & petimus, & per effuſionem Sanguinis Chriſti obſecramus, quatenus maturatum auxilium tam hominum quam pecuniæ tranſmittere feudeatis: ſciturî pro certo quod populus Chriſtianus in multitudine veniet. Expugnata civitate Cayri, facile ſatis erit partem Ægypti reſiduam obtinere, & per conſequentiam regnum Jeroſolymitanum, quod ad præſens per Ægypti ſubſidium retinetur. Ut gravius periculum evitetur, & ad acquiſitionem Ægypti ſecurius procedatur, imperatorem venire compellatis, prout nobis ſæpiſſime promiſiſtis; & alii cruce ſignati ſimiliter compellantur exequi vota ſua, votorum redemtione ceſſante, de quo nullum ſentimus commodum, ſed de redemtione hominum ſuſtinemus evidentiſſimum detrimentum. Utrum autem viceſimam, quæ ex generalis concilii conſenſu ad terræ ſanctæ ſubſidium fuerat ſpecialiter deputata, licuerit vel decuerit, quod non expedit, ad alios uſus convertere, vos ipſi videte. Datum Damiatæ III. idus Novembris.

EPISTOLA HONORII PAPÆ III. ad univerſos Chriſti fideles.

HONORIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, univerſis epiſcopis fidelibus per Tronenſem provinciam conſtitutis, ſalu-

Anno 1219. Ex mſ. bibliothecæ regiæ.

tem & apoſtolicam benedictionem.

Exultet in Domino ſuorum turba fidelium, & in vocem benedictionis, gratiarum & laudis lætabunda prorumpens, cum apoſtolo dicat: *Benedictus Deus, &c. qui nos in omni tribulatione conſolatur.* Nimis quidem natus eſt ſibi ſoli, nimis intentus eſt propriis, nimis negligit communem cauſam populi Chriſtiani, qui diebus noſtris in mentis anguſtia & tribulatione non fuit, cum ſciret Chriſtianum exercitum civitatem Damiatæ magnam & munitiſſimam obſediſſe, in ipſo quaſi medio paganiſmi, ubi a fidelibus aliis tanto terrarum & maris intervallo diviſus, & ab infidelibus ex omni fere parte circumdatus, non tam obſidens dici poterat, quam obſeſſus. Cujus veſtrum animus ad dubium non pendebat & pavebat eventum, non tam pro ſingulorum ſalute ſollicitus, quam pro univerſo exercitu, ſpe ac timore alternante, ſuſpenſus? Immo quis ipſius non obliviſcebatur exercitus? quis ejus recordabatur periculi, penſans ſub quanto ſtaret diſcrimine, quamve tenui filo penderet honor totius populi Chriſtiani? Profecto in eo erat ſtatu res poſita, ut idem exercitus de viribus ſuis jam omnino diffideret, & memor magnalium, quæ divina potentia pro fidelibus ſuis facere conſuevit, de ipſius ſola miſeratione ſperaret. Unde ipſe qui de ſua ſperantes miſericordia non relinquit, qui prope eſt omnibus invocantibus in veritate nomen ejus, qui ſuos tribulatione dilatat, ut cum ſe conſumtos putaverint, velut luciſer oriantur. Ecce in eorum manibus tam mirabiliter quam miſericorditer antedictam tradidit civitatem, non ſolis theſauris, ſed etiam victualibus, longe plus ſpe ac opinione repletam. Et ut hujus rei gloriam evidenter nomini ſuo daret, nullus Chriſtianorum in ejus captione interiit, aut etiam lethale vulnus excepit, ſicut venerabilium fratrum noſtrorum P. Albanenſis epiſcopi apoſtolicæ ſedis legati, cujus miniſterio Deus potiſſimum uti voluit in hoc facto, necnon patriarchæ Jeroſolymitani, & regis & fratrum Hoſpitalis & Templi, ac Domus Theutonicorum, Jeroſolymis litteræ nobis miſſæ liquido manifeſtant, ut manifeſte divini favoris lætarentur & confortarentur indicio, cum timerent, ne ipſis civitatem intrantibus, circumſtans Sarracenorum exercitus caſtra invaderet eorumdem, flumen divino nutu adeo inundavit ſubito, ut inacceſſibilia reddiderit caſtra ipſa: & manifeſte patuit, quod pro Chriſticolis contra inſenſatos ipſa elementa pugnarent, pluribus miraculis aliis ibi factis, quæ longum eſſet per ſingula enarrare. Pſallite ergo Deo noſtro, pſallite: pſallite quidem, ſed utique ſapienter, non elatione tumidi, ſed humilitate devoti, recognoſcentes prudenter & humiliter confitentes, quod non manu hu-

mana, ſed Dominus fecit hæc omnia, ut qui gloriatur, in Domino glorietur, eique laudes & gratias, factis per ſingula opportuna loca proceſſionibus, ſolemniter exſolventes. Porro cum Dominus fecerit nobiſcum ſignum in bonum, cum tantum nobis oſtium aperuerit, numquid deerimus gratiæ ſuam nobis dexteram porrigentis, qui memor eſt improperiorum ſuorum, quæ ſunt a Sarracenis inſipientibus tota die, exſurgens judicare cœpit cauſam ſuam & inimicos ſuos terribiliter diſſipare? Nunc certe, nunc tempus eſt de ſomno torporis exſurgere, nunc neceſſe eſt athletis noſtris exiſtentibus ibi ſuccurrere feſtinanter, & idololatris a Dei facie fugientibus, toto conatu, totis viribus, toto poſſe rerum & perſonarum inſtare, dum recenti adhuc vulnere trepidant, dum ex captione civitatis prædictæ, quæ caput & robur Ægypti fuerat, conſternati, nullum locum ſibi contra Chriſtianorum, immo contra Chriſti potentiam tutum putant. Denique numquam ſubventione amplius indiguit exercitus Chriſtianus, cum nequaquam ſufficiant ad prædictam incolere civitatem, & procedere ad alias impugnandas, ſine quibus cum illa teneri a Chriſtianis non poſſit, non reſtat niſi aut eam cum tanta gloria conquiſitam ignominioſe deſerere, aut circumſtantes expugnare viriliter, & Chriſtiano nomini præeunte judicio feliciter ſubjugare. Nos quidem futuris præterita coaptantes, illa videmur tempora intueri quibus Machabei ſancta ſua profligatis gentibus cum magna populi ſui lætitia reſtaurarunt, & de divinæ pietatis abundantia confidentes, ſperamus quod modernis temporibus hæc in populo Chriſtiano debeat lætitia innovari. Monemus igitur univerſitatem veſtram, rogamus & obſecramus, per aſperſionem Sanguinis Jesu Christi, quatenus accenſi hujus lætitiæ deſiderio, ad ſubventionem exercitus ſæpedicti renovatis animis & viribus, in tantæ opportunitatis articulo intendati. Nos autem factas a principio indulgentias innovantes, omnibus qui laborem iſtum in propriis perſonis ſubierint, & expenſis, aceis nihilominus, qui non in propriis perſonis acceſſerint, ſed in expenſis ſuis juxta facultates ſuas viros idoneos deſtinaverint, necnon & illis qui licet in alienis expenſis, in propriis tamen perſonis acceſſerint, plenam ſuorum peccatorum, de quibus fuerint corde contriti & ore confeſſi, veniam indulgemus, & in retributione juſtorum æterni præmii pollicemur augmentum. Hujus quoque remiſſionis volumus & concedimus eſſe participe juxta quantitatem ſubſidii & devotionis affectum, omnes qui ad ſubventionem prædicti negotii de bonis ſuis congrue miniſtrabunt, aut impendent conſilium vel auxilium opportunum.

INDEX
RERUM ET VERBORUM
HUJUS VOLUMINIS

A.

Alix neptis Adalardi episcopi Turonensis, nupta Ingelgerio comiti Andegavensi, 971. c.
Aalix comitissa Blesensis, 806. d.
Aaron episcopus Autissiodorensis, 962. b.
Aaron amirae Saracenorum tributarium reddit Nicephorum imperatorem, 959. c. c.
Abbatem suum possunt eligere canonici S. Martini, 962. c.
Abel primus abbas Ofitiae, 811. c.
Abel frater Henrici Danorum regis, 95. b.
Abdala rex Saracenorum, 1162. d.
Abdela duciſſa Aquitaniae & comitiſſa Pictavensis, 1167. c.
Abderama rex Saracenotum, 888. b. 901. c. 962. d.
Abinmearia rex Saracenorum, 901. c. Valde crudelis, 901. d.
Abnoßarum haeresis, 37. b.
Abonares vicecomes frater Radagunae vicecomitiſſae, 1149. a.
S. Abrahae episcopus Gaufridus, 743. c.
Abrardus abbas S. Nicolai Andegavensis, 1143. c.
Abſalon Gloonensis monachus accedit Trenorchium, 1086. c. Praeficitur ibi scholis & sacriſtiae, 1087. d. S. Florentii reliquias furatur, & fugit, 1088. b. Theobaldum comitem adit, atque eo favente Salmurum se recipit, 1088. c. Custos corporis S. Florentii constituitur, 1092. d. Ejus obitus, 1100. b.
Abſie monasterii abbas Willelmus, 1158. b.
Abulas rex Saracenorum, 909. c. 962. d.
Acacius episcopus C P. 932. a.
Achardus vir probus & religiosus, 539. c.
Achiteus comes, 916. a.
Acon civitas a Saladino expugnata, 812. b. Eam munit Saladinus, 626. d. 1031. d. Eamdem obsidet Guido rex Jeroſolymitanus, 628. c. Et Christiani, 574. a. 1032. c. Saladinus obsessis fert auxilium, 574. c. 628. d. Aconenses commeatum Saracenorum intercipiunt, 660. a. A Christianis urbs expugnatur, 14. c. 533. b. 538. d. Victualibus destituta, 630. c.
Aconem civitatem expugnant Philippus Francorum & Richardus Angliae reges, 818. b. & seq.
